Digitized by Google

[redacted], ministerii
Ecclesiast: Durlacens: Candidatus
Argent: d. 3. Junii 1757.

Possidet me Casparus
Bartenstein Z.C.P.



TOMVS

PRIMVS OMNIVM OPERVM Reuerendi Patris D. M. L. quæ vir Dei ab Anno XVII. vsque ad Anni vicesimi aliquam partem, scripsit & edidit, quorum Catalogum in fine Tomi inuenies.

ESAIAS XXX.

In Silentio & Spe erit Fortitudo uestra.

IENAE
EXCVDEBAT
Christianus Rhodius.
1556.

APOCA. XIIII.

VIdi alterum Angelum uolantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, ut euangelisaret sedentibus super terram &c. dicens magna uoce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia uenit hora iudicij eius &c.

DANIE. XII.

ET tu Daniel claude Sermones, & signa Librum, usque ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.

ESAI. VIII.

LIga testimonium, signa legem in Discipulis meis, Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Iacob, & præstolabor eum. Ecce, ego & Pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in Signum & Portentum in Israel, a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.

MATT. XIII.

SImile est Regnum cœlorum grano Sinapis, quod accipiens homo seminauit in agro suo, quod minimum quidem est omnibus seminibus, cum autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit Arbor, ita ut Volucres cœli ueniant, & nidulentur in ramis eius.

MATT. XXIIII.

EVangelium Regni prædicabitur in uniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc ueniet consummatio.

I. THES. V.

OMNIA PROBATE, QVOD BONVM EST TENETE.

(Iudicium Lutheri, de suo primo Tomo.)

Cum iudicio igitur legenda sunt omnia, Nam multa leguntur & disputantur in hoc primo Tomo, quæ spirant & olent Parixensium & Louaniensium uappas & sentinam, Tantum eluctari & emergere me uoluisse e tantis tenebris intelliges.



DEI GRATIA

NOS IOHANNES FRIDERICVS SECVNDVS, IOHANNES VVILHELMVS, IOHANNES FRIDERICVS TERTIVS, FRATRES GERMANI PRINCIPES SAXONIAE, LANDGRAVII THVRINGIAE, ET MARGGRAVII MISNIAE

Literis his publicis fatemur, notumq; facimus omnibus, illustrissimum Principem, Iohannem Fridericum, eius nominis primum, Principem Saxoniæ, sacriq; Romani imperij Electorem natum, clementissimum simul & charissimum nobis Dominum & parentem, nunquam sine honoris præfatione appellandum, sigulari erga ueram pietatem studio, causisq; iustis, Christiano Rhodio, eximia in nos fide ciui nostro, Typographo Ienensi, ius ac potestatem permisisse, ad Autogrophorum fidem edendi monumenta uiri Dei, Doctoris Martini Lutheri, ne quid illis uel adderetur, uel detraheretur, uel alienum admisceretur, sed ut syncere & bona fide descripta, in lucem prodirent omnia, cum alia, tum ea maxime, quæ ante non fuerunt edita, qua commodissimum uisum fuerit ratione: deq; ea re Priuilegium, ut ad uerbum descriptum sequitur, tulisse.

Dei Gratia, nos Iohannes Fridericus primus, Princeps Saxoniæ, & Elector natus, Landgrauius Thuringiæ, & Marggrauius Misniæ, salutem, gratiam, & omne bonum nunciamus, omnibus & singulis nostris Prælatis, Comitibus, Baronibus, Equestri dignitate, & generis nobilitate claris, Ducibus militaribus, Præfectis, Questoribus, Portitoribus, Consulibus, Iudicibus, Decurionibus, & reliquis nostris Subditis & Coniunctis. Reuerendi, generosi, & Nobiles, Viri religiosi & præstanti erga nos fidelitate, postquam singulari in religionem animo, causisq; grauibus adducti, nihil æque omnium referre, atq; adeo necessarium esse duximus, ad conseruandum ac propagandum puram & salutarem Euangelij doctrinam, ineffabili Dei misericordia, nuper per reuerendum & summa doctrina & pietate præditum, uirum Dei D. Martinum Lutherum è densissimis tenebris in lucem reductam, quam ut illius opera ac monumenta, nondum publice edita una cum reliquis eius Scriptis, etiamsi ante impressis, tamen prælo subijcerentur, ac sine omni

deprauatione integre & emendate excuderentur, qua illud maxime expeditum fuerit: idq; hoc consilio potissimum, quod hoc tempore omnis generis perniciosi errores & hæreses, quæ tamen in istis Libris sufficientissime refutata & damnata sunt, subnascuntur & se exerunt, inq; posterum acceptis uiribus magis exerere possent: certiores uos facimus, quod Christiano Rhodio nostro, Typographo Ienensi, soli & non alijs, pro clementia nostra, potestatem dedimus excudendi, & recudendi omnia opera Lutheri: quin & addidimus, illud ipsi submisse & suppliciter a nobis petenti, hoc priuilegium, ut liceat ei & ipsius procuratoribus, uel quibuscunq; alijs eius rei cura iniuncta fuerit, libros Lutheri ipsius opera impressos in nostris prouincijs, territorijs & ducatibus uenales habere & diuendere.

Si uero post Rhodij editionem ab alijs quoq; impressa fuerint, uiri Dei Lutheri monumenta, non licebit illa, neq; publice neq; priuatim in nostris prouincijs aut Ducatibus uenum exponi uel uendi, centum aureorum mulcta: Cuius dimidium eius loci iudicibus, ubi Transgressor deprehensus fuerit, pendetur, dimidium uero ipsi Typographo, uel eius Procuratoribus, uel alijs ad hoc munus adhibitis. Quare seuere a uobis omnibus & singulis postulamus, ne in cuiusquam uestra, uel etiam nostra, aut ciuitatum nostrarum iurisdictione quicquam istorum Librorum ab alijs uel imprimi, uel uenale haberi, aut uendi patiamini, sine Rodij Procuratorumue eius consensu. Quod si quis contra fecisse conuictus fuerit, in illum, accusante Rhodio, uel Procuratorum eius aliquo, sine omni legis gratia seuerissima utemini animaduersione.

Hæc uobis exponenda putauimus: adeoq; de sententia nostra facietis illis exequendis, ut in negligentes grauioris pœnæ seueritate simus usuri. Cuius nostræ uoluntatis argumentum est, quod Sigillo nostro ea obsignari curauimus. Datum ex arce nostra Grimmenstein, Anno Domini 1 5 5 4. die lunæ post Elisabet.

VT uero, magno piorum omnium desiderio, placidissima morte ex hac uita discessit, optimus Princeps & Pater nobis amantissimus, debita reuerentia & subiectione adijt nos Rhodius, suppliciter petens, ut data sibi Priuilegia, pro ingenita nobis clementia, rata habere, nostraq; autoritate confirmare uelimus. Quod, ut cumprimis ad nos pertinere putauimus, negocium hoc & Christianum & pulchrum, quantum in nobis est, promouere, adhæc constitutum nobis maiorum nostrorum studia & uoluntatem, quibus illi puram & incorruptam Euangelij doctrinam complexi per omnem

ætatem

ueritatem (citra arrogantiam loquimur) cum magno ſuo & ſuorum periculo conſeſſi ſunt, dilexerunt charamq; habuerunt, & promouerunt, auxiliante Deo, imitari eorumq; ueſtigijs inſiſtere, illi nequaquam denegare uoluimus: ſed petitionis eius rationem habentes Priuilegium a Domino & Patre noſtro perpetua memoria celebrando conceſſum, ſcientes & prudentes noſtro & hæredum noſtrorum communi nomine approbauimus & confirmauimus, approbamus & confirmamus harum Literarum noſtrarum ui atq; autoritate, ea ratione atq; lege, ut omnes conditiones, cautiones, leges priuatæ & ſententiæ non tantum Rhodio, eiusq; procuratoribus, uel alijs ad id negocium uocatis, ſed & reliquis omnibus ipſi ſucceſſuris Typographis, quibus officina libraria apud Ienenſes tenenda atque utenda noſtro conſenſu & permiſſu tradita fuerit, Item procuratoribus quolibet tempore conſtituendis (id quod hac noſtra approbatione & confirmatione præcipue cautum & ſancitum eſſe uolumus) rata ſint, & firma & iuſta ſeueritate efficiantur.

Eaq; de cauſa mandamus omnibus ac ſingulis noſtris Prælatis, Comitibus, Baronibus, morum & diſciplinæ magiſtris prouincialibus, Ducibus belli, Præfectis, Nobilibus, locum tenentibus, Quæſtoribus, Portitoribus, Conſulibus, Decurionibus municipalibus, ſingulorum locorum populis, reliquisq; noſtris Subditis, & quacunq; ratione adiunctis, ut ſupra dictum Typographum, quiq; illi ſuccedere poterunt, cum omnibus eorum Procuratoribus, aliosq; rem typographicam domi forisq; adminiſtraturos, uſq; ad noſtram defenſionem, tueantur & defendant: & ut ipſi quoq; ſecundum legem præſcriptam agant, ſuisq;, ut itidem ab illis fiat, præcipiant, metu pœnæ & mulctæ ſupra expreſſæ, requirimus. Quæ ſi fideliter executi fueritis, quod ſerio requirimus, feceritis. De quorum omnium conſtantia & ueritate, ne quis dubitet, curauimus ea Sigilli noſtri impreſſione obſignari.

Datum Vinariæ in ferijs diuæ Magdalenæ,

Anno Domini 1 5 5 4.

PRÆFATIO D. NICOLAI AMSDORFII IN PRIMVM TOMVM, OMNIVM

Operum R. Viri Domini Martini Lutheri, Doctoris Theologiæ, Conuersa è Germanico sermone in Latinum, à quodam Euangelij studioso.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS AC DOMINIS, DOMINO IOHANNI FRIDERICO

secundo, Domino Iohanni VVilhelmo, & Domino Iohanni Friderico tertio, Fratribus, ducibus Saxoniæ, Landgrauijs Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Dominis clementissimis: Omnibus præterea Christianis & Sanctis, toto Orbe dispersis.

GRATIAM DEI, ROBVR ET constantiam per Spiritum sanctum, in agnitione Domini nostri Ihesu Christi & Antichristi, ut ea in uobis quotidie crescat & confirmetur, ad gloriam Nominis diuini, & ad ueræ Ecclesiæ consolationem & salutem.

VM superioribus annis Celsitudinis uestræ parens, Saxoniæ Elector, piæ & laudatæ memoriæ, Dominus meus clementissimus, pro sua pietate erga ueram Ecclesiam, & necessariæ doctrinæ studia, præcipue in hanc curam incumberet, ut Scripta Reuerendi uiri Doct. Martini Lutheri collecta, in lucem ederentur, omnes pij certam spem concipiebant fore, ut hoc præclarum Depositum, & magni precij thesaurus uniuersæ Ecclesiæ communicaretur. Ac uiuo quidem D. Luthero duo Tomi operum ipsius typis expressi fuere, quorum bonitatem pij iudicio ac testimonio suo non solum approbarunt, sed etiam reliquorum editionem ardentibus uotis ac toto pectore expetiuerunt. Sed post obitum D. Lutheri, cum Ecclesia propter peccata nostra, & Tyrannorum sæuitiam sentiret, & dissidijs dogmatum laceraretur, insignis

rerum

rerum conuersio facta est. Etsi igitur aliquot Tomi Vuitembergæ editi extabant, tamen magnæ & graues causæ mentem Illustrissimi Principis Electoris permouerunt, ut de noua editione operum Lutheri adornanda cogitaret.

PRimum enim pij desiderant quædam Scripta ἐλεγκτικὰ, quorum lectio propter Historiam Ecclesiæ necessaria & salutaris est.

DEinde multa in Tomis, de quibus dixi, aut omnino, aut magna ex parte mutata, quædam etiam omissa aut deleta sunt, ne animi & aures Potentum quorundam offenderentur.

TErtio, Etsi tituli Tomorum nihil nisi Libros Lutheri indicant, tamen legenti satis apparet aliorum Doctorum scripta his uoluminibus admixta esse, & aliud sonare Chordam, aliud pedem, ut de inconcinne saltantibus dicitur.

QVarto, intertextę sunt Tomis multæ Versiones non satis commodę, quæ a mente & sententia Lutheri longissime distant.

POstremo, Scripta Lutheri sine singulari cura ordinis collecta sunt, cum quidem plurimum referat scire, quo tempore unumquodque ab Autore editum sit. Nam multi non considerata temporum serie, turpiter hallucinantur, dum prætextu scriptorum Lutheri, Christum & Belial conciliare student. Neque uero negari potest, uirum Dei, sub initium controuersiæ, cum adhuc fascinatus esset receptis opinionibus, & Monachorum exercitia magnifaceret, quædam imprudenter scripsisse, & Aduersarijs concessisse.

Hi & similes næui, quibus Scripta D. Mart. Lutheri deformata erant, excitarunt piam mentem Illustrissimi Principis Electoris nati, laudatæ memorię, ut post diuinam liberationem de uijs & rationibus cogitaret, quibus sancti Viri monumenta propter publicam Ecclesiæ utilitatem pure, incorrupte, integre, ordine, & sine ullis medicamentis ederentur, & ad posteros optima fide transmitterentur. Itaque ex Dania uocauit uenerandum & doctrina præstantem uirum, dominum & fratrem meum in Christo charissimum M. Georgium Rorarium, cui Lutherus ipse hoc negocij dederat, & officinam Typographicam Ienæ instituit, ut omnes Libri, quorum iam sæpe mentio facta est, accurata temporum notatione adhibita, integre & inuiolate, ac procul remotis aliorum Commentarijs ederentur.

Hunc Laborem haud dubie Deo gratum, & Ecclesiæ saluta-

rem, uestra Celsitudo post obitum Patris laudatæ memoriæ eximia quadam pietate prouehit & ornat, id quod confirmatio priuilegij lucide, non obscure, testatur. Deum æternum patrem liberatoris nostri Ihesu Christi ardentissima precatione oro, ut inchoatum opus propter suam & Filij gloriam perficiat, & ad fœlicem exitum perducat, & omnes conatus Satanæ & organorum eius reprimat, qui eam metam prospiciunt, ut hoc mellificium turbetur atque impediatur. Neque uero dubium est, omnes pios toto orbe terrarum eadem uota facere, cogitantes de miranda repurgatione doctrinæ diuinitus facta per Reuerendum uirum Doctorem Martinum Lutherum, & de Antichristi patefactione, quæ res omnibus inter summa bona ducendæ sunt.

Hactenus de Causis editionis breuiter dixi: Sequitur ut de Argumento primi Tomi pauca dicam.

SCIAT igitur Lector in hoc Tomo Librorum Doctoris Lutheri, quos sub initium controuersiæ, Anno 17. 18. 19. 20. 21. edidit, recitari Historiam, quæ docet, qualia fuerint initia & progressiones Disputationum de Religione, quæ causa Lutherum ad hæc certamina inpulerit, & quod lux Spiritus sancti, subinde clarior & firmior in mente ipsius facta sit. Item, quod Aduersarij fulminibus iniustarum criminationum, & condemnationum Luthero occasionem præbuerint accuratius scrutandi Scripturas, quæ solæ sunt monstratrices, & testes minime fallentes ueritatis.

Vt autem tota causa fieret conspectior & illustrior, quidam Germanici Libelli, in latinam Linguam translati sunt, & propter Historiam nonnulla Aduersariorum scripta huic Tomo intertexta sunt. Proinde pius Lector ex primo Tomo cognoscet, quomodo paulatim certamina de Dogmatibus creuerint, quibus & doctrina Euangelij repurgata est, & immensa turpitudo Antichristi patefacta est. In cæteris Tomis res admirabili quadam continuatione & serie ita explicantur, ut nec peregrinis Scriptis nec Versionibus ualde opus sit. Nemo igitur tales Commentationes in ijs requirat, nisi ad Historiæ intelligentiam necesse sit, quædam ex hoc genere intertexi.

Cum autem dissimilitudo scriptorum D. Lutheri non modo Aduersarijs calumniandi occasionē præbeat, sed etiam pios & candidos

Lectores

Lectores interdum offendat, necessaria admonitio hoc loco recitanda est, ut & hostes Euangelij ἀντιλογίας ex Scriptis Lutheri colligere desinant, & pij maiore iudicio & candore in his legendis uersentur. Quantum igitur aurora a luce meridiana distat, tantum discrimen est inter libros Lutheri a principio scriptos, qui hoc Tomo continentur, & eos quos aliquanto post edidit. Etsi enim in uestibulo causæ, cum Papista & haberi & nominari uellet, quædam Antichristo Romano concessit: tamen postea crescente luce fidei in exercitijs, pœnitentiæ, in pauoribus, in persecutione & consolationibus, hæc errata non agnouit solum, sed etiam emendauit. Erat enim, ut multi norunt, non Epicuri de grege porcus, sed Monachus seueram disciplinam præstans, & uera animi reuerentia & subiectione Papam colens. Itaq; in prima congressione, nequaquam ei certum deliberatumq; erat, Romani Pontificis doctrinam uel autoritatem labefactare, Sed huc neruos atq; uires contendebat, ut inuiolata Papæ dignitate, clamores quorundam Sycophantarum refutarentur, qui tetre ac impie, cum summa temeritate & inpudentia uenales Indulgentias circumferebant.

Quanquam igitur, ut dixi, in primo aditu fascinatus admiratione Papæ, multos errores & abusus non taxauit, tamen paulo post illustratus uera agnitione Christi, tetram confusionem opinionum & cultuum, quæ in regno Antichristi floret & dominatur, uerbo Dei constanter accusauit & condemnauit. Non enim curiositate, nec praua aliqua cupiditate, nec cæca pertinacia motus est, ut Papæ regnum inuaderet, sed iusto zelo Spiritus sancti & fidei, & seuerissimis mandatis, quæ iubent recte inuocare Deum, iuxta Euangelium, & uetant coli Idola.

Et quoniam Aduersarij sua Idola, errores & abominationes, non uerbo Dei, sed fulminibus criminationum & condemnationum propugnabant, accendebatur in Doctore Luthero diligentia cogitandi accuratius de uniuersa Doctrina, & quærendi testimonia Scripturæ, quæ in omnibus controuersijs, de Religione, rebusq; diuinis certissima κριτήρια sunt. Nam initio harum Disputationum, non abhorrebat a studio publicæ concordiæ & pacis, nec inchoatam telam pertexuisset, nisi Aduersariorum importunitate, ad respondendum impulsus fuisset. Sed uerissimum est, & exemplo Doctoris Lutheri confirmatum, quod Prouerbiorum 4. dicitur, Iustorum semita similis est luci, quam Aurora spargit, Vt enim hæc paulatim usque ad Meridiem crescit, ita in pectore

Lutheri

Lutheri, legentis scripta Prophetica & Apostolica, Deus subinde clariorem & firmiorem lucem accendit, & utrumque ei patefecit, uidelicet Confessionis, quam ipse sonabat ueritatem immotam, & impiam fraudem hostium, qui instinctu Diaboli & Antichristi omnia diuina & humana peruertunt.

Discant ergo pij Lectores ex libris, quos initio D. Lutherus edidit, quomodo ex Papista uere Christianus, & ex amico hostis atque inimicus Papæ factus sit, necquisquam offendatur horum Librorum lectione, quod in ijs quædam uidere liceat consentanea Aduersariorum doctrinæ, cuiusmodi sunt loci de potestate Pontificis & Episcoporum, de Missa, & de una specie cœnæ Domini. Nam eo tempore, quo hæc scripsit, anteceptis opinionibus impediebatur, quo minus claram ueritatis faciem cerneret. Postquam uero, duce & comite uerbo Dei ex tenebris eluctatus est, & incrementa lucis diuinæ sensit, quadam excelsa constantia stylum conuertit ad labefactandam Papæ tyrannidem, quo quidem in cursu admirabili & diuina fœlicitate usus est, id quod pius & candidus Lector, notata temporum serie & distinctione, facile animaduertet.

Etsi autem uir sapiens & diuinus sæpenumero optauit uniuersalem Librorum suorum interitũ, & uota fecit, ut omnes homines legerent scripta Prophetica & Apostolica, atque ex his tanquam fontibus aquæ uiuæ, ad quos repurgandos tantum studium, tantamque operam contulit, ueram Dei agnitionem & inuocationem haurirent: Tamen maior nobis ratio habenda est, quid Ecclesiæ Christi necessarium & salutare sit, quam quid Autor ipse de suis laboribus modeste iudicarit. Hoc enim non dubitans confirmare possum, neminem fuisse interpretem ex omnibus, quorum extant literæ, post Apostolos, qui tanta luce & ardore Spiritus, Propheticos & Apostolicos libros illustrarit, & omnes fanaticos errores, inprimisque hunc antiquissimum & postremum, addo etiam pessimum ac nocentissimum, quod uidelicet BONA OPERA AD SALVTEM necessaria sint, uerbo Dei tam euidenter refutarit atque euerterit.

Neque uero id solum præstitit, sed etiam de singulis doctrinæ Christianæ capitibus Ecclesiam salutariter erudiuit, & quadam excelsa constantia natiuam sententiam de Baptismo & de cœna Domini aduersus Anabaptistas & Cinglianos ita propugnauit, ut nemo sit, quem ei in hoc genere non dico anteponere, sed conferre & comparare possimus.

Quanto

QVanto igitur cum fructu libri Reuerendi patris Doct. Martini Lutheri legi possint, malo unumquenque ex ipsa Lectione, quam ex meis Literis cognoscere, præsertim cum uera non fucata Artificum laudatio in ipsis operibus extet atque emineat. Res enim ostendit, ante Doctoris Lutheri ætatem, tantas in Ecclesia tenebras fuisse, ut nec Doctores, nec Discipuli certo scirent, quomodo detur remissio peccatorum, & societas uitæ cœlestis ac perbeatæ. Quare cum miseri homines in summo errore uersarentur, atque in maximarum rerum ignoratione, uariæ ac diuersæ uiæ quæsitæ sunt, ducentes ad metam æternæ salutis, Nam alij in solitudinem discesserunt, alij uotis Monasticis sese obligarunt, quidam longinquas peregrinationes susceperunt, nonnulli Collegia sacrificulorum & Monachorum maximis sumptibus instituerunt, ut his arduis & difficilibus operibus remissionem peccatorum & uitam æternam, qua nihil beatius cogitari potest, consequerentur.

Sed Reuerendus uir, Doctor Lutherus, accensus diuinitus, doctrinam emendauit, & reuocauit Ecclesiam ad fontes, ostendit plenam esse errorum & hypocrisis opinionem, quæ fingit homines coram Deo iustos esse, propter propria exercitia, uirtutes, cultus, disciplinam. Denique monstrauit unicam uiam & portum salutis, fidem scilicet, acquiescentem in solo Mediatore, Domino nostro Ihesu Christo, per quem sine omnibus operibus, non modo traditionum humanarum, sed ijs etiam, quæ a Deo mandata sunt, uitæ æternæ restitutionem consequimur, sicut filius Dei Dominus noster Ihesus Christus testatur, inquiens, EGO SVM VIA, VERITAS ET VITA. Hanc rectam & compendiariam uiam, ducentem ad æternam cum Deo societatem, Scriptis suis Reuerendus uir Doctor Lutherus aperuit & patefecit, omni asseueratione confirmans, non esse aliam neque in cœlo neque in terra, per quam ad metam æternę beatitudinis recto cursu contendere possimus. Non enim dubium est, quin eodem modo, id est, fiducia Mediatoris saluati sint & saluentur, qui fuerunt, sunt & erunt uera Ecclesiæ membra ab Adam usque ad resurrectionem mortuorum.

DEinde omnibus persuasum fuit, Missam esse opus eximium & singulare, quo Deus iudicaret se honore affici & ueris laudibus celebrari. Iam uero Dei concessu & munere didicimus, & quotidie ex scriptis D. Lutheri discimus, idque exploratum omnino habemus, Missam papisticam esse idolum & abominationem fœdissimam ac teterrimam, ab hominibus in Ecclesiam horribili audatia importatã, qua Deus nec recte nec pie colitur, sed multo magis contumelia afficitur,

citur,

citur, & ira ipsius iustissima aduersus totas gentes & ciuitates inflammatur. Qua de re cogitantes, omnes pios toto orbe terrarum gratias agere decet Deo æterno patri, Domini nostri Ihesu Christi, qui D. Martini Lutheri ministerio Ecclesiæ puram doctrinam restituit, ac petere ardentibus pectoribus, ut Deus confirmet hoc, quod operatus est in nobis, propter Templum sanctum suum.

POstremo magna opinio fuit, & multarum gentium firmata consensu, Papam in Ecclesia dominari, tanquam Christi uillicum & atriensem, & hac opinione fascinati diuinos honores ei adhibuimus. Nunc autem per Dei gratiam, quam omnium mentes & linguę celebrare deberent, didicimus, & quotidie ex Scriptis D. Lutheri discimus, Papam esse Antichristum, de quo uniuersæ Scripturæ, imprimisq; diui Pauli luculenta uaticinia extant. Nam ut de alijs signis monstrantibus Antichristum non dicam, quis ignorat, Papam prætextu pietatis prohibuisse coniugia & certos cibos, quam quidem prohibitionem Spiritus sanctus a Diabolo oriri affirmat.

Hæc cum ita sint, certo nobis persuadeamus, uirum Dei, & postremæ ætatis Eliam, D. Martinum Lutherum, præcipue ad hoc officium diuinitus excitatum fuisse, ut Antichristum Romanum, illiusq; immensam turpitudinē toti Ecclesiæ patefaceret, qua cognita, haud dubie ἄνομος iste in plurimorum piorum pectoribus de gradu deijcitur, & spretus sine honore iacet. Hoc beneficium, uidelicet patefactio Antichristi, longe maius est, quam ut Angelorum & hominum eloquentia satis enarrari possit. Nisi enim ministerio D. Martini Lutheri, homo peccati & filius perditionis reuelatus esset, impie ac tetre cum summa temeritate & impudentia Diabolum & Antichristum adoraremus, & una cum ipso in stagnum ignis ardentis præcipitaremur, ut Iohan. in Apocalypsi cap. 20. inquit.

Quod si nullum præterea fructum ex Scriptis Doctoris Martini Lutheri capere possemus, illa tamen certe, de quibus dixi, tantum ponderis atq; momenti habent, ut propter ea libri Lutheri magnifaciendi, semperq; in manibus habendi uideantur. Præcipue uero, ob hanc causam assidue legendi sunt, ut nos probe muniant aduersus insidias Antichristi & Adiaphoristarum, qui doctis dolis & facetis Fabricis glaucomā nobis ob oculos obijcere conantur, ut abominationē Missæ idolatricæ suffragio nostro comprobemus, & plausibili specie de mente & sanitate deturbati, Antichristū Romanū, qui optimo iure Meretrix Babylonica appellatur, & Bestiam gestantem

hoc

hoc Idolum adoremus, & charactere manibus ac fronti impresso mercaturam sine periculo exercere possimus, hoc est, ne uel corpora uel facultates in discrimen adducamus.

Huc adiungantur piæ & eruditæ Confessiones, in quibus uir Dei omnes articulos Fidei nostræ sic illustrauit & confirmauit, ut omnes portæ Inferorum, etiamsi se rumpant, ne mutire quidem contra possint. Etsi autem omnes partes atq; omnia membra doctrinæ Christianæ, ut dixi, præclare ab eo munita sunt: tamen hi Loci uelut gemmæ insignes in Scriptis D. Lutheri eminent.

PRimus, quod tres sint Personæ diuinitatis homousiæ, æternus Pater, Filius λόγος, qui est εἰκὼν æterni Patris, & Spiritus sanctus.

SEcundus, quod Ihesus Christus, qui assumpsit naturam humanam ex uirgine Maria, sit natura Deus & omnipotens.

TErtius, quod propter hunc Dominum gratis detur remissio peccatorum & acceptatio ad uitam æternam agentibus pœnitentiam, & credentibus Euangelio.

QVartus, patefactio Antichristi Romani.

Hos articulos, quibus salutis nostræ ratio maxime continetur, nemo omnium post Apostolos tanta perspicuitate enarrauit & confirmauit, ut hic sapiens & peritus Ecclesiæ gubernator. Itaq; Libri ipsius omnibus Regnis & opibus mundi longe anteponendi sunt.

Omitto cæteros articulos fidei Christianæ, quorum luculenta enarratione nos ex densissimis & horrendis tenebris carceris Babylonici, uel ut uerius dicam, Romanæ tyrannidis, eripuit, & in sedem atque regionem Lucis, in qua ueritas diuina potissimum floret & dominatur, collocauit. Harum maximarum rerum consideratione conuincimur, ut fateri cogamur uerba nobis deesse, quibus gratitudinem nostram Deo declaremus. Quæ enim oratio par esse potest amplissimo beneficio, quod Deus pro sua bonitate electum organum Dei Doctorem Martinum Lutherum excitauit, & magna donorum uarietate instructum nostræ Germaniæ dedit.

Quamobrem hæc aurea Scripta & perpetua uita dignissima D. Martini Lutheri sancti & fidelis ministri Ihesu Christi commendo & quasi de manu in manuum trado, non Iureconsultis & Rabulis forensibus, nec delicatis quibusdam Oratoribus, qui nihil probant,

 nisi ex

niſi ex ſinu Demoſthenis aut Ciceronis prolatum, nec Aſtrologis, qui futuros rerũ euentus ſe prędicere poſſe ſomniant, Sed pijs Lectoribus, qui iudicant ſumma & maxima bona eſſe, ueram Dei agnitionem & inuocationem. Conſtat enim inter omnes, qui iudicium & candorẽ in lectione adhibent, his monumentis uniuerſam Eccleſię doctrinam luculente explicatam contineri, nec ſimile corpus doctrinæ informatum eſſe, uel a Synodis, uel a Scriptoribus Eccleſiaſticis, quorum commentarij poſt Apoſtolos editi ſunt. In Decretis quidem & decretalibus Papæ, quem ſupra aliquoties iuſtiſſimis cauſis permoti, Antichriſtum Romanum appellauimus, nulla pars doctrinæ Chriſtianæ pie inuiolateq; explicatur, Sed omnes paginæ plenæ ſunt errorum, qui Eccleſiæ lucem eripiunt, & quaſi noctem quandam offundunt.

Quod ſi ueritas ingenue & aperte exponenda eſt, ipſa collatio enarrationum me in hanc ſententiam ducit, ut exiſtimem omnes commentarios ueteres & recentes, etiamſi in unam maſſam conflentur, & id quod eſt optimum ex eis decerpatur, non tamen cum huius Viri ſcriptis conferri & comparari poſſe. Non ignoro, quam glorioſe hæc dici uideantur, & quam multos hoc Encomium D. Lutheri offendat. Sed quoquo modo alij de hac conſtanti aſſeueratione iudicent, ego ſic ſtatuo, neminem tanta præditum ſapientia, fide, conſtantia, poſt Apoſtolos fuiſſe aut deinceps futurum eſſe, quantam in Reuerendo uiro D. M. Luthero, non ſine ingenti admiratione donorum Dei conſpeximus. Nec dubito, quin pia poſteritas idem iudicatura ſit, ſenibus, qui nunc Eccleſias regunt, ex hac mortali uita euocatis.

Ne igitur tam præclarum depoſitum & tanti precij theſaurus periret, ſed extaret, & in omnium piorum manibus eſſet, & ad poſteritatem ſine corruptelis ab humana ſapientia admixtis tranſmitteretur, neceſſario & ſalutari conſilio hæc editio librorum D. Lutheri adornata eſt, in qua Lector nihil peregrinum, aut aliunde importatum reperiet, ſed ipſam uocem Lutheri pure & incorrupte ſonantem audiet, atque ex ea non ſolum de excellentibus donis, quibus uir Dei ornatus fuit, iudicare poterit, ſed etiam de incrementis ſapientiæ ſpiritualis, eundemq; prudenter & ardenter diſcernet ab alijs doctoribus, qui perſuaſibilibus humanę ſapientiæ uerbis, ſuas ſententias de religione ad hominum uoluntates inflectunt, ut in perturbatione Reipub. ſine periculo uiuere poſſint.

Nam Euangelij doctrina eſt uerbum crucis & ſcandali, offen-

dens Diabolorum & hominum ſapientiam, qui omnibus temporibus Euangelium de Christo concinne interpretari norunt, & dexteritate explicationis, non modo Lutherum & Apoſtolos, ſed etiam Chriſtum ſummum Eccleſiæ doctorem ſe ſuperare poſſe ſomniant, eiq; tanquam puero diſcenti prima Elementa, meliores de diſciplina Eccleſiaſtica leges ferre conantur, ut uere de ipſis dici poſſit, Iuſtificata eſt ſapientia a filijs ſuis.

Itaq; Paulus tales Doctores appellat inimicos crucis Chriſti & mancipia uentris. Cum enim docendi rationem ad hominum affectus attemperent, miniſtri Iheſu Chriſti eſſe nequeunt, quia non id agunt ut tales ſint, quales haberi uolunt, ſed ſunt ſeruuli uentris, qui Euangelij doctrinam ſic moderantur, ut pacem & tranquillitatem retineant, quod fieri nullo modo poſſe Chriſtus, Dominus noſter affirmat inquiens: NON VENI PACEM MITTERE, ſed Gladium, id eſt, uolo Eccleſiam meam cruci ſubiectam eſſe. Ideo enim ueni, ut ſepararem Filium a Patre &c.

Summa igitur Concluſionis hæc eſt, non bene conuenire, nec in una ſede morari Euangelium & pacem politicam. Quoties enim uox Euangelij ſonat, hypocritæ, qui falſos cultus defendunt, queruntur aboleri cæremonias, & exercitia Deo placentia, & laxari frenum diſciplinæ, & concordiam publicam turbari. Ideo ut opprimant Euangelij uocem, non deſinunt horribili ſæuitia graſſari aduerſus puræ doctrinæ profeſſores, donec Chriſtus Dominus noſter illuſtri aduentu ſuo finem his certaminibus imponat, quod ut primo quoq; tempore fiat, toto pectore eum oro, ne perpetuo nobis cum mundo ingrato, eiuſq; principe Satana conflictandum ſit, Amen.

Kalen. Ianuarij Anno Chriſti 1 5 5 6.

IOHANNES STIGELIVS

HIc se prima aperit sancti doctrina Lutheri
Quæ ductu rediјt Christe renata tuo,
Fontis ut exigui scatebris exilibus ortus
Allapso fluuius largius imbre fluit,
Vt procul albescens rediturae lucis imago
Exorto reddit splendida Sole diem:
Sic Euangeliј lux est monstrante Luthero
Exiguis paruæ uiribus orta facis.
Et progressa Deo largum aspirante uigorem,
Mansit in hunc Satana tuta furente diem.
Hei quibus insidiјs monitor, quibus ille periclis,
Qua fuit extra omnem fraude petitus opem?
Dum pugnant odiјs, qui miscent sacra prophanis,
Ante homines ficta qui pietate tument.
Dum totiès capiunt crudeliter arma Tyranni,
Dum toties Itala fulmen ab arce uenit.
Ille sed intrepidus uel Regum ante ora potentum,
Quod docuit, coram fortiter asseruit.
Non alia est homini reparandæ causa salutis,
Qua terræ & cœli machina tota patet,
Quam mera per Christum cœlestis gratia Patris,
Quæ recipit uiua corda renata fide.
Hæc sola & propria est unius gloria Christi,
Nil ualet hic propriјs uiribus omnis homo.
Hæc ita cum grauiter mundo stomachante doceret,
Dogma Dei mundo res odiosa fuit.
At Deus adiuuit propriæ certamina causæ,
Asseruitque suum fautor & Autor opus,
Nunc radios spargit totum hæc doctrina per orbem,
Et licet in tenebris, attamen ampla nitet.
Qui lucem hanc renuit, non excusabitur ille,
Cum tremet æterni Iudicis ante thronum.
O homo, disce Deum non falso agnoscere cultu,
AEternum poterit fallere nemo Deum.

MARTI.

MARTINVS LVTHERVS PIO LECTORI S.

MVLTVM diuq; restiti illis, qui meos Libros, seu uerius confusiones mearum Lucrubationum uoluerunt editas, tum quod nolui Antiquorum labores meis nouitatibus obrui, & Lectorem à legendis illis impediri, tum quod nunc, Dei gratia, extent methodici Libri quam plurimi, inter quos Loci communes Philippi excellunt, quibus Theologus & Episcopus pulchre & abunde formari potest, ut sit potens in sermone doctrinæ pietatis, præsertim cum ipsa sacra Biblia nunc in omni prope lingua haberi possint, mei autem Libri, ut ferebat, imo cogebat, rerum gerendarum nullus ordo, ita etiam ipsi sint quoddam rude & indigestum Chaos, quod nunc nec mihi ipsi sit facile digerere.

Sciat pie Lector, ul rum Dei Lutherũ, hoc & similibus locis, nõ de successoribus suorum, futuris uel Scriptis uel actionibus, ne quid dicam de corruptelis & inconstantia quorundã, sed tantum de præteritis & præsentibus testatum esse.

His Rationibus adductus, cupiebam omnes Libros meos perpetua obliuione sepultos, ut melioribus esset locus. Verum improbitas & importuna pertinacia aliorum, qui mihi quotidie aures implebant, futurum esse, si ego uiuus non permitterem edi, tamen post mortem meam essent certissime edituri ij, qui prorsus nescirent causas & tempora rerum gestarum, & ita ex una confusione fierent plurimæ. Vicit (inquam) eorum improbitas, ut edi permitterem. Accessit simul uoluntas & imperium illustrissimi Principis nostri Iohannis Friderici Electoris &c. qui iussit, imo coegit Typographos, non solum excudere, sed & maturare editionem.

Sed ante omnia oro pium Lectorem, & oro propter ipsum Dominum nostrum Ihesum Christum, ut ista legat cum iudicio, imo cum multa miseratione. Et sciat, me fuisse aliquando Monachum, & Papistam insanissimum, cum istam causam aggressus sum, ita ebrium, imo submersum in dogmatibus Papæ, ut paratissimus fuerim, omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ uel una syllaba obedientiam detrectarent. Tantus eram Saulus, ut sunt adhuc multi, Non eram ita glacies & frigus ipsum in defendendo Papatu, sicut fuit Eccius & sui similes, qui mihi uerius propter suum uentrem Papam defendere uidebantur, quam quod serio rem agerent, Imo ridere mihi Papam adhuc hodie uidentur, uelut Epicuræi. Ego serio rem agebam, ut qui diem ex-

tremum horribiliter timui, & tamen saluus fieri ex intimis medullis cupiebam.

Ita inuenies in istis meis Scriptis prioribus, quam multa & magna humillime concesserim Papæ, quæ posterioribus & istis temporibus pro summa blasphemia & abominatione habeo & execror. Dabis ergo hunc errorem, pie Lector, uel (ut ipsi calumniantur) antilogiam, tempori & imperitiæ meæ. Solus primo eram, & certe ad tantas res tractandas ineptissimus & indoctissimus, casu enim, non uoluntate nec studio in has turbas incidi. Deum ipsum testor.

Annus salutis nostræ 1517.

IGitur cum anno M. D. XVII. Indulgentiæ in his Regionibus uenderentur (promulgarentur uolui dicere) turpissimo quęstu, ego tum eram Concionator, iuuenis (ut dicitur) Doctor Theologiæ, & cœpi dissuadere populis, & eos dehortari, ne Indulgentiariorum clamoribus aurem præberent, habere eos meliora quæ facerent, & in ijs certus mihi uidebar, me habiturum patronum Papam, cuius fiducia tum fortiter nitebar, qui in suis Decretis clarissime damnat quæstorum (ita uocat indulgentiarios Prædicatores) immodestiam.

a Folio 1. b. *b Infra folio 76. a.* *c Folio 2. b. Resolutiones. Infra folio 79. b. 80. a. &c.*

Mox scripsi Epistolas duas, Alteram ad [a] Moguntinensem Archiepiscopum Albertum, qui dimidium pecuniæ ex Indulgentijs habebat, Alterum dimidium Papa, id quod tunc nesciebam: Alteram ad Ordinarium (ut uocant) loci, Episcopum [b] Brandenburgensem Hieronymum, rogans, ut compescerent quæstorum impudentiam & blasphemiam, Sed pauperculus Frater contemnebatur. Ego contemptus, edidi Disputationis [c] schedulam simul & germanicam Concionem de indulgentijs, paulo post etiam Resolutiones, in quibus pro honore Papæ hoc agebam, ut Indulgentiæ non damnarentur quidem, sed bona opera charitatis illis præferrentur.

Conuentus à Maximiliano Augustæ celebratus, anno 1518.

Hoc erat cœlum deturbasse, & Mundum incendio consumpsisse. Accusor apud Papam, mittitur citatio mei ad Vrbem, & consurgit totus Papatus in me unicum. Hæc aguntur anno M. D. XVIII. sub comitijs Maximiliani Augustæ celebratis, in quibus agebat Legatum a latere Pontificis Cardinalis Caietanus, quem Dux illustrissimus Saxoniæ Fridericus, Elector Princeps, causa mea adijt, & impetrauit, ne Romam cogerer ire, sed ipse, me uocato, rem cognosceret & componeret, Mox soluta sunt Comitia.

Interim, quia fessi erant Germani omnes, ferendis expilationibus, nundinationibus, & infinitis imposturis Romanensium nebu-

lonum

lonum, suspensis animis expectabant euentum tantæ rei, quam nullus antea neque Episcopus, neque Theologus ausus esset attingere. Et fouebat me utcunque aura ista popularis, quod inuisæ iam essent omnibus artes & Romanationes illæ, quibus totum Orbem impleuerant & fatigauerant.

Veni igitur pedester & pauper Augustam, stipatus sumptibus & literis Principis Friderici ad senatum & quosdam bonos uiros commendaticijs. Triduo eram ibi, antequam accederem Cardinalem, prohibebant enim uiri illi optimi, & dissuadebant summis uiribus, ne citra saluum conductum Cæsaris Cardinalem adirem. Licet ille me singulis diebus per quendam Oratorem uocaret, Erat hic mihi satis molestus, ut tantum reuocarem, tum essent omnia salua, Sed longa est iniuria, longæ ambages.

Tandem tertio die uenit expostulans, Cur non accederem Cardinalem, qui benignissime me expectaret? Respondi, mihi obtemperandum esse consilijs optimorum uirorum, quibus essem a Principe Friderico commendatus, esse autem eorum consilium, ne ullo modo absque tutela Cæsaris seu fide publica, Cardinalem accederem, qua impetrata (agebant autem illi apud Senatum cæsareum, ut impetrarent) mox essem accessurus. Hic commotus ille, Quid? (inquit) putas principem Fridericum propter te arma sumpturum? Dixi, Hoc nollem prorsus. Et ubi manebis? Respondi: sub cœlo. Tum ille: Si tu Papam & Cardinales in potestate tua haberes, quid esses facturus? Omnem, inquam, reuerentiam & honorem exhibiturus. Tum ille, gestu Italico mouens digitum, dixit: Hem. Et sic abijt, neque reuersus est.

Eo die denunciauit Senatus cæsareus Cardinali, Mihi esse datam Cæsaris tutelam, seu fidem publicam, admonens, ne quid asperius in me designaret. Hic fertur respondisse: Bene est, ego tamen faciam, quod mei officij fuerit. Hæc fuere principia istius turbæ, cætera ex actis infra cognosci poterunt. *Infra fol. 188 a.*

Eodem anno iam M. Philippus Melanthon a Principe Friderico uocatus huc fuerat ad docendas literas græcas, haud dubie, ut haberem socium laboris in Theologia, Nam quid operatus sit Dominus per hoc organum, non in literis tantum, sed in Theologia, satis testantur eius opera, etiamsi irascatur Satan & omnes squamæ eius.

PRAEFATIO

Annus ſalutis noſtræ 1519.

Eccius. Caracciolus. Bulla.

Anno ſequente XIX. deceſſit in Februario Maximilianus, & factus eſt iure Imperij uicarius Dux Fridericus, tum deſijt paulu- lum ſæuire tempeſtas, & ſenſim obrepſit contemptus Excommuni- cationis ſeu fulminis papiſtici. Nam cum Eccius & Caracciolus ex Vrbe attuliſſent Bullam damnatricem Lutheri, eamq; inſinuaſſent, ille hic, iſte illic, Duci Friderico, qui Coloniæ tum erat, Carolum recens electum cum alijs Principibus ſuſcepturus, indigniſſime tulit & magna fortitudine & conſtantia obiurgabat pontificium illum ne- bulonem, quod ſe abſente perturbaſſent ipſe & Eccius Ditiones fra- tris Iohannis & ſuam, & exagitabat eos magnifice, ita ut cum rubo- re & dedecore ab eo diſcederent: intellexit Princeps ingenio incre- dibili præditus, artes Romanæ curiæ, & eos digne tractare nouit, erat enim emunctiſſimæ naris, & plus & longius olfaciebat, quam Romanenſes aut ſperare aut timere poterant.

Roſa aurea miſſa, à Leone X. Electori Friderico &c.

Itaq; deinceps ab eo tentando abſtinebant, Nam & Roſam, quam uocant auream, eodem anno ei a Leone X. miſſam, nullo ho- nore dignatus eſt, imo pro ridiculo habuit, ita deſperare coacti ſunt Romaniſtæ a ſtudijs fallendi tanti Principis. Et procedebat fœli- citer Euangelium ſub umbra iſtius Principis, & late propagabatur, mouebat eius Autoritas plurimos, qui cum eſſet ſapientiſſimus & o- culatiſſimus Princeps, non poterat, niſi apud inuidos ſuſpicionem incurrere, quod hæreſin aut hæreticos uellet alere & tueri, quæ res Papatui magnum intulit detrimentum.

Diſputatio Lipſiæ habita, Anno 1519

Vide infra folio 385. a. Parag. 5. Item 386. b. Parag. 3.

EOdem anno habita eſt Diſputatio Lipſiæ, ad quam Eccius nos duos, Carlſtadium & me prouocauit, Sed ego nullis literis po- tui impetrare fidem a Duce Georgio, ita ut non Diſputator, ſed ſpe- ctator futurus, ſub fide Carlſtadio data, Lipſiam ingrederer. Quis autem me impedierit, ignoro, nam adhuc erat Dux Georgius mihi non iniquus, quod ſciebam certo.

Hic Eccius me acceſſit in hoſpitio dicens, Seſe audiſſe me detre- ctare Diſputationem. Reſpondi: Quomodo diſputare potero, cum nequeam impetrare fidem a Duce Georgio? Ille, Si tecum, inquit, non licet diſputare, neq; cum Carlſtadio uolo, propter te enim huc ue- ni. Quid ſi ego tibi fidem impetrauero? nunquid diſputabis mecum? Impetra (inquam) & fiat. Abijt ille, & mox data eſt mihi quoq; fi- des publica, & facta copia diſputandi.

Faciebat hoc Eccius, quia certam ſibi gloriam propoſitam cer- nebat

nebat, propter Propositionem meam, in qua negabam, Papam esse iure diuino caput Ecclesiæ. Hic patuit ei campus magnus, & occasio summa plausibiliter adulandi, & gratiam Pontificis emerendi, tum odio & inuidia me obruendi, Quod strenue fecit per totam Disputationem, Nec tamen sua firmauit, nec mea confutauit, Ita ut ipse Dux Georgius inter prandendum ad Eccium & me diceret: Siue sit iure humano siue diuino Papa, ipse est Papa, Quod uerbum, nisi argumentis fuisset motus, nequaquam dixisset, Sed Eccium solum probasset.

Atque hic uide, uel in meo casu, quam difficile sit eluctari & emergere ex erroribus, totius orbis exemplo firmatis, & longa consuetudine, uelut in naturam mutatis, Quam uerum est Prouerbium: Difficile est consueta relinquere, Et, consuetudo est altera natura, Et quam uere dicit Augustinus: Consuetudo, si ei non resistitur, fit necessitas. Ego, qui iam tunc sacras literas diligentissime priuatim & publice legeram & docueram per septem annos, ita ut memoriter pene omnia tenerem, deinde primitias cognitionis & fidei Christi hauseram, scilicet, Non operibus, sed fide Christi nos iustos & saluos fieri, Denique id, de quo loquor, Papam non esse iure diuino Caput Ecclesiæ, iam defendebam publice. Tamen id quod consequens erat, non uidi, scilicet, Papam necessario esse ex Diabolo, Quod enim ex Deo non est, necesse est ex Diabolo esse.

Sic absorptus eram (ut dixi) tum exemplo & titulo sanctæ Ecclesiæ, tum consuetudine propria, ut Papæ concederem Ius humanum, quod tamen, si non sit fultum autoritate diuina, mendacium & diabolicum est, Nam Parentibus et Magistratibus paremus, Non quia ipsi præcipiunt, sed quia sic est uoluntas Dei. 1. Pet. 2. Hinc est, quod minus iniquo animo ferre possum eos, qui pertinacius in Papatu hærent, præsertim qui sacra uel etiam prophana non legerunt, cum ego tot annis sacra legens diligentissime, tamen ita hæsi tenaciter.

ANno M. D. XIX. misit Rosam Leo X. (ut dixi) per Carolum Miltitium, qui multis egit mecum, ut Papæ reconciliarer. Is habuit 70. Breuia Apostolica, ut si Princeps Fridericus illi me traderet, sicuti Papa per Rosam quærebat, per singula oppida affigeret unum, & ita tutus me perduceret Romam, Prodebat autem coram me consilium cordis sui, dicens: O Martine, ego credebam te esse senem aliquem Theologum, qui post fornacem sedens, ita secum disputasset, Nunc uideo te esse adhuc integrum ætate & ualidum. Si haberem 25. milia armatorum, non confiderem te posse a me Romam *Carolus Miltitius.*

perduci

perduci, Exploraui enim per totum iter animos hominum, quid de te sentirent, Ecce, ubi unum pro Papa stare inueni, tres pro te contra Papam stabant. Illud uero ridiculum erat, Explorauerat etiam Mulierculas & Virgines in hospitijs, quidnam de Sede Romana sentirent? Illæ ut ignaræ huius uocabuli, & sellam domesticam cogitantes, respondebant: Quid nos scire possumus, quales uos Romæ habeatis sellas, ligneas ne an lapideas?

Rogabat itaq;, ut consulerem ea, quæ pacis essent, se omnem daturum operam, ut Papa idem faceret. Ego prolixe quoq; promisi omnia, quæ ullo modo salua conscientia ueritatis possem, promptissime essem facturus, Me quoq; esse pacis cupidum & studiosum, qui per uim tractus in has turbas necessitate adactus fecissem omnia, quæ feci, culpam non esse meam.

Iohannes Tetzelius

Vocauerat autem ad se Iohannem Tetzelium, prædicatorū ordinis, autorem primarium huius tragœdiæ, & uerbis minisq; Pontificijs ita fregit hominem, hactenus terribilem Cunctis, & imperterritum clamatorem, ut inde contabesceret, & tandem ægritudine animi conficeretur, Quem ego, ubi hoc resciui, ante obitum literis benigniter scriptis consolatus sum, ac iussi animo bono esse, nec mei memoriam metueret, Sed conscientia & indignatione Papæ forte occubuit.

Futilis habebatur Carolus, & futile eius Consilium, Sed, meo iudicio, si Moguntinus a principio, cum a me admoneretur, deniq; si Papa, antequam me non auditum damnaret, & Bullis suis sæuiret, hoc cepissent consilium, quod Carolus cepit, licet sero, & statim compescuissent Tetzelianum furorem, non euasisset res in tantum tumultum, Tota culpa est Moguntini, cuius sapientia & astutia eum fefellit, qua uoluit meam doctrinam compescere, & suam pecuniam, per Indulgentias quæsitam, esse saluam. Nunc frustra quæruntur consilia, frustra coguntur studia. Dominus euigilauit, & stat ad iudicandum populos, etiam si nos occidere possent, non tamen haberent quod uolunt, imo minus haberent, quam nobis uiuis & saluis habent. Id quod nonnulli inter eos, qui non omnino obesæ naris sunt, satis olfaciunt.

Lutherus cepit Psalterium denuo interpretari, Anno 1519.

INterim eo anno iam redieram ad Psalterium denuo interpretandum, fretus eo, q; exercitatior essem, postquam S. Pauli Epistolas ad Romanos, ad Galatas, & eam, quæ est ad Ebræos, tractassem in Scholis, miro certe ardore captus fueram cognoscendi Pauli in Epi-

stola

ſtola ad Rom. Sed obſtiterat hactenus, non frigidus circum præcordia ſanguis, ſed unicum uocabulum, quod eſt cap. 1, Iuſticia Dei reuelatur in illo, Oderam enim uocabulum iſtud, Iuſticia Dei, quod uſu & conſuetudine omnium Doctorum doctus eram philoſophice intelligere, de iuſticia (ut uocant) formali ſeu actiua, qua Deus eſt iuſtus, & peccatores iniuſtosq; punit. *Iuſticia Dei.*

Ego autem, qui me, utcunq; irreprehenſibilis Monachus uiuebam, ſentirem coram Deo eſſe peccatorem inquietiſſimę conſcientę, nec mea ſatisfactione placatum confidere poſſem, non amabam, imo odiebam iuſtum & punientē peccatores Deum, tacitaq; ſi non blaſphemia, certe ingenti murmuratione indignabar Deo, dicens: Quaſi uero non ſatis ſit, miſeros peccatores & æternaliter perditos peccato originali, omni genere calamitatis oppreſſos eſſe per legem Decalogi, niſi Deus per Euangelium dolorem dolori adderet, & etiam per Euangelium nobis iuſticiam & iram ſuam intentaret, Furebam ita ſæua & perturbata conſcientia, pulſabam tamen importunus eo loco Paulum, ardentiſſime ſitiens ſcire, quid S. Paulus uellet.

Donec miſerente Deo, meditabundus dies & noctes connexionem uerborum attenderem, nempe, Iuſticia Dei reuelatur in illo, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide uiuit. Ibi iuſticiam Dei cœpi intelligere eam, qua iuſtus dono Dei uiuit, nempe ex fide, & eſſe hanc ſententiam, Reuelari per Euangelium iuſticiam Dei, ſcilicet paſſiuam, qua nos Deus miſericors iuſtificat per fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide uiuit. Hic me prorſus renatum eſſe ſenſi, & apertis portis in ipſam Paradiſum intraſſe. Ibi continuo alia mihi facies totius Scripturæ apparuit. Diſcurrebam deinde per Scripturas, ut habebat memoria, & colligebam etiam in alijs uocabulis Analogiam, Vt opus Dei, id eſt, quod operatur in nobis Deus, uirtus Dei, qua nos potentes facit, Sapientia Dei, qua nos ſapientes facit, Fortitudo Dei, Salus Dei, Gloria Dei. *Iuſticia Dei reuelatur in Euangelio.* *Opus, uirtus Dei.*

Iam quanto odio uocabulum, Iuſticia Dei, oderam ante, tanto amore dulciſſimum mihi uocabulum extollebam, ita mihi iſte locus Pauli fuit uere porta Paradiſi. Poſtea legebam Auguſtinum de Spiritu & litera, ubi præter ſpem offendi, quod & ipſe iuſticiam Dei ſimiliter interpretatur, qua nos Deus induit, dum nos iuſtificat. Et quanquam imperfecte hoc adhuc ſit dictum, ac de imputatione non clare omnia explicet, placuit tamen iuſticiam Dei doceri, qua nos iuſtificemur. *Auguſtinus de ſpiritu & litera.*

Iſtis

Iſtis cogitationibus armatior factus, cœpi Pſalterium ſecundo interpretari, & proceſſiſſet Opus in magnum Commentarium, niſi denuo per Comitia Caroli V. Imperatoris Vuormaciam ſequenti anno uocatus, opus cœptum deſerere fuiſſem coactus.

Lutherus Vuormaciam uocatus à Carolo V. anno 1521.

Hæc ideo narro, optime Lector, ut ſi lecturus es Opuſcula mea, memor ſis, me unum fuiſſe (ut ſupra dixi) ex illis, qui (ut Auguſtinus de ſe ſcribit) ſcribendo & docendo profecerint, non ex illis, qui de nihilo repente fiunt ſummi, cum nihil ſint, neq; operati, neq; tentati, neq; experti, Sed ad unum intuitum Scripturæ totum Spiritum eius exhauriunt.

Hactenus ad annum M. D. X X. & X X I. proceſſit res indulgentiaria, Poſt ſequuntur res Sacramentariæ & Anabaptiſticæ, de quibus in aliis Tomis, ſi uixero, præfandum eſt.

Res indulgentiaria durauit uſq; ad annum 1521.

Vale, Lector, in Domino, & ora pro incremento uerbi, aduerſus Satanam, Quia potens & malus eſt, nunc etiam furentiſſimus & ſæuiſſimus, ſciens quoniam breue tempus habet, & regnum ſui Papæ periclitatur. Confirmet autem Deus hoc in nobis, quod operatus eſt, & perficiat opus ſuum, quod incepit in nobis, ad gloriam ſuam, Amen.

V. Martij, Anno M. D. XLV.

QVAESTIO

QVÆSTIO SVBSCRIPTA DE VIRIBVS ET VOLVNTATE HOminis sine gratia, contra doctrinam Papæ & Sophistarum, disputata est Vuittembergæ, Anno M.D.XVI. Præsidente eximio viro, D. M. Luthe. Augustiniano, artium ac Theologiæ Magistro.

ANNVS XVI.

AN homo ad Dei imaginem creatus, naturalibus suis viribus, Dei creatoris præcepta seruare, aut boni quippiam facere, aut cogitare, atque cum gratia mereri, meritaq; cognoscere possit?

CONCLVSIO I.

Homo ratione animæ, Dei imago, & sic ad gratiam Dei aptus, suis naturalibus viribus solis, creaturam quamlibet, qua vtitur, vanitati subijcit, sua & quæ carnis sunt, quærit. Rom. 8.

COROLARIVM I.

Homo vetus, vanitas vanitatum, vniuersaq; vanitas, reliquas quoque creaturas, alioqui bonas, efficit vanas.

COROLARIVM II.

Carnis nomine dicitur homo vetus, non tantum quia sensuali concupiscentia ducitur, Sed (etiamsi est castus, sapiens, iustus) quia non ex Deo per Spiritum renascitur.

COROLARIVM III.

Etsi omnes infideles vani sint, nihil boni operantes, non tamen æqualem pœnam patientur omnes.

CONCLVSIO II.

Homo, Dei gratia exclusa, præcepta eius seruare nequaquam potest, necq; se, uel de congruo, uel de condigno, ad gratiam præparare, verum necessario sub peccato manet.

COROLARIVM I.

Voluntas hominis sine gratia nõ est libera, sed seruit, licet nõ inuita.

COROLARIVM II.

Homo, quando facit quod in se est, peccat, cum nec velle, aut cogitare ex seipso possit.

COROLARIVM III.

Cum iusticia fidelium sit in Deo abscondita, peccatum vero eorum manifestum in seipsis, Verum est, non nisi iustos damnari, atq; peccatores & meretrices saluari.

CONCLVSIO III.

Gratia seu charitas, quæ non (nisi in extrema necessitate) succurrit, inertissima est ac potius nulla charitas, nisi extrema necessitas, non mortis periculum, sed cuiuscunq; rei defectus, intelligatur.

COROLARIVM I.

Christus Ihesus uirtus nostra, iusticia nostra, cordium & renum scrutator, solus est cognitor meritorum nostrorum, ac Iudex.

COROLARIVM II.

Cum credenti omnia sint, autore Christo, possibilia, Superstitiosum est, humano arbitrio, alijs Sanctis, alia deputari auxilia.

COROLARIVM III.

Est iuxta præmissa, ad quæstionem responsiuũ.

ANNVS SALVTIS NOSTRAE. M. D. XVII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI: ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO, Alberto Magdeburg. ac Moguntinen. Ecclesiarum Archiepiscopo Primati, Marchioni Brandeburg. &c. Domino suo & Pastori in Christo, venerabiliter metuendo, ac gratiosissimo.

RATIAM DEI, & quicquid potest & est. Parce mihi, reuerendissime in Christo pater, princeps illustrissime, q ego fex hominum tantum habeo temeritatis, ut ad culmen tuæ sublimitatis ausus fuerim cogitare Epistolam, testis est mihi Dominus Ihesus, q meæ paruitatis & turpitudinis mihi conscius, diu iam distuli, quod nunc perfricta fronte perficio, permotus q maxime officio fidelitatis meæ, quam T. reuerendissimæ Pat. in Christo debere me agnosco, dignetur itaque tua interim Celsitudo osculum ad puluerem vnum intendere, & votum meum pro tua pontificali clementia intelligere.

Circumferuntur Indulgentiæ papales sub tuo præclarissimo titulo ad fabricam S. Petri, in quibus non adeo accuso Prædicatorum exclamationes, quas non audiui, sed doleo falsissimas intelligentias populi ex illis conceptas, quas vulgo vndiq iactant, videlicet, q credunt infelices [a] animæ, si literas Indulgentiarum redemerint, se securas esse de salute sua. Item, q Animæ de Purgatorio statim euolent, vbi contributionem in cistam coniecerint. Deinde, tantas esse has gratias, vt nullum sit adeo magnum peccatum, etiam (vt aiunt) si per impossibile quis matrem Dei violasset, quin possit solui. Item, q homo per istas indulgentias liber sit ab omni pœna & culpa.

[a] auditores.

O Deus optime, sic erudiuntur Animæ tuis curis, optime Pater, commissæ, ad mortem, & fit atque crescit durissima ratio tibi reddenda super omnibus istis. Idcirco tacere hæc amplius non potui, non enim fit homo per vllum munus Episcopi securus de salute, cum nec per gratiam Dei infusam fiat securus, sed semper in timore & tremore iubet nos operari salutem nostram Apostolus. Et iustus, inquit Petrus, vix saluabitur. Deniq tam arcta est uia, quæ ducit ad uitam, vt Dominus per prophetas Amos & Zachariam, saluandos appellet torres raptos de incendio, & vbiq Dominus difficultatem salutis denunciat.

Philip. 2. 1. Pet. 2.

Cur ergo per illas falsas veniarum fabulas & promissiones prædicatores earum faciunt populum securum & sine timore? cum Indulgentiæ

dulgentiæ prorsus nihil boni conferant Animabus ad salutem aut sanctitatem, sed tantummodo pœnam externam, olim canonice imponi solitam, auferant.

Denique opera pietatis & charitatis sunt in infinitum meliora indulgentijs, & tamen hæc non tanta pompa nec tanto studio prædicant, imo propter Venias prædicandas illa tacent, cum tamen omnium Episcoporum hoc sit officium primum & solum, vt populus Euangelium discat, & charitatem Christi, nusquam enim præcipit Christus indulgentias prædicari. Quantus ergo horror est, quantum periculum Episcopi, si tacito Euangelio non nisi strepitus indulgentiarum permittat in populum suum spargi, & has plus curet, quam Euangelium? nonne dicet illis Christus: Colantes culicem, & glutientes camelum.

Accedit ad hoc, reuerendissime Pater in Domino, quod in Instructione illa commissariorū, sub T. reuerendissimæ P. nomine edita, dicitur (vtique sine T. P. reuerendissimæ & scientia & consensu) vnam principalium gratiarum, esse donum illud Dei inæstimabile, quo reconcilietur homo Deo, & omnes pœnæ deleantur Purgatorij. Item, quod non sit necessaria contritio his, qui Animas vel Confessionalia redimunt.

SEd quid faciam, optime Præsul & illustrissime Princeps, nisi quod [a] per Dominum Ihesum Christum T. reuerendissimam P. orem, quatenus oculum paternæ curæ dignetur admittere, & eundem Libellum penitus tollere, & prædicatoribus veniarum imponere aliam prædicandi formam, ne forte aliquis tandem exurgat, qui editis Libellis, & illos, & Libellum illum confutet, ad vituperium summum illustrissimæ tuæ sublimitatis, quod ego vehementer quidem fieri abhorreo, & tamen futurum timeo, nisi cito succurratur.

[a] Quid iusta & supplici hac petitione, fideliq; ac pia adhortatione effecerit Lutherus, cognosces pie Lector, ex sequentib. Tetzelij propositionibus, & aliorum satellitum Sedis romanæ Scriptis, quæ suo loco subijcientur.

Hæc meæ paruitatis fidelia officia, rogo, tua illustrissima gratia dignetur accipere animo principali & episcopali, id est, clementissimo, sicut ego ea exhibeo corde fidelissimo, & T. P. reuerendissimæ deditissimo, quando & ego pars Ouilis tui sum. Dominus Ihesus custodiat T. reuerendissimam P. in æternum, Amen.

Ex Vuitemberga, in vigilia omnium Sanctorum,
Anno M. D. XVII.

Si T. reuerendissimæ P. placet, poterit [b] has meas Disputationes videre, vt intelligat, quam dubia res sit Indulgentiarum opinio, quam illi vt certissimam seminant.

[b] Scilicet de pœnitentia & indulgentijs, quarum initium est: Dominus et Magister noster Ihesus Christus. Latere sequenti.

T. reuerendissimæ P.
Martinus Lutherus.

DISPVTA D. MART. LVTHERI.

AMORE ET STVDIO ELVCIDANDAE VERITATIS HAEC SVBSCRIPTA THEMATA DISPVTABVNtur Vuittembergæ, Præſidente R. P. Martino Luthero Eremitano, Auguſtiniano, Artium & S. Theologiæ Magiſtro, eiuſdem ibidem ordinario Lectore. Quare petit, ut qui non poſſunt uerbis præſentes nobiſcum diſceptare, agant id literis abſentes. In nomine Domini noſtri Iheſu Chriſti, Amen.

M. D. XVII.

1. Ominus & Magiſter noſter Iheſus Chriſtus, dicendo: Pœnitentiam agite &c. omnem vitam fidelium Pœnitentiam eſſe voluit.

2. Quod uerbum de Pœnitentia ſacramentali, id eſt, Confeſsionis & Satisfactionis, quæ Sacerdotum miniſterio celebratur, non poteſt intelligi.

3. Non tamen ſolam intendit interiorem, Imo interior nulla eſt, niſi foris operetur uarias carnis mortificationes.

4. Manet itaq; pœna donec manet odium ſui, id eſt, pœnitentia uera intus, ſcilicet usq; ad introitum Regni cœlorum.

5. Papa non vult nec poteſt vllas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio vel ſuo vel Canonum impoſuit.

6. Papa non poteſt remittere vllam culpam, niſi declarando & approbando remiſſam a Deo, Aut certo remittendo caſus reſeruatos ſibi, quibus contemptis culpa prorſus remaneret.

7. Nulli prorſus remittit Deus culpam, quin ſimul eum ſubijciat humiliatum in omnibus, Sacerdoti ſuo Vicario.

8. Canones pœnitentiales ſolum viuentibus ſunt impoſiti, nihilque morituris ſecundum eoſdem debet imponi.

9. Inde bene nobis facit Spiritus ſanctus in Papa, excipiendo in ſuis Decretis ſemper articulum mortis & neceſsitatis.

10. Indocte & male faciunt Sacerdotes ij, qui morituris pœnitentias canonicas in Purgatorium reſeruant.

11. Zizania illa de mutanda pœna canonica in pœnam purgatorij, videntur certe dormientibus Epiſcopis ſeminata.

12. Olim pœnæ canonicæ non poteſt, ſed ante abſolutionem imponebantur, tanquam tentamenta veræ contritionis.

13. Morituri per mortem omnia ſoluunt, & legibus Canonum mortui iam ſunt, habentes iure earum relaxationem.

14. Imperfecta ſanitas ſeu charitas morituri, neceſſario ſecum fert magnum timorem, tantoq; maiorem, quanto minor fuerit ipſa.

15. Hic timor & horror, ſatis eſt ſe ſolo, vt alia taceam, facere pœnam purgatorij, cum ſit proximus deſperationis horrori.

Videntur

Videntur infernus, purgatorium, cœlum differre, sicut desperatio, prope desperatio, securitas differunt. 16.

Necessarium uidetur animabus in purgatorio sicut minui horrorem, ita augeri charitatem. 17.

Nec probatum uidetur vllis aut rationibus aut scripturis, quod sint extra statum meriti, seu augendæ charitatis. 18.

Nec hoc probatum esse videtur, quod sint de sua beatitudine certæ & securæ, saltem omnes, licet nos certissimi simus. 19.

Igitur Papa per remissionem plenariam omnium pœnarum, non simpliciter omnium intelligit, sed a seipso tantummodo impositarum. 20.

Errant itaque Indulgentiarum Commissarij ij, qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni pœna solui & saluari. 21.

Quin nullam remittit animabus in Purgatorio, quam in hac uita debuissent, secundum Canones soluere. 22.

Si remissio vlla omnium omnino pœnarum, potest alicui dari, certum est, eam non nisi perfectissimis, id est, paucissimis dari. 23.

Falli ob id necesse est, maiorem partem populi, per indifferentem illam & magnificam pœnæ solutæ promissionem. 24.

Qualem potestatem habet Papa in purgatorium generaliter, Talem habet quilibet Episcopus & Curatus in sua Diocœsi, & Parochia specialiter. 25.

Optime facit Papa, quod non potestate clauis (quam nullam habet) sed per modum suffragij dat animabus remissionem. 26.

Hominem prædicant, qui statim ut iactus numus in Cistam tinnierit, euolare dicunt animam. 27.

Certum est numo in cista tinniente, augeri questum & auariciam posse, suffragium autem Ecclesiæ est in arbitrio Dei solius. 28.

Quis scit, si omnes animæ in purgatorio velint redimi, sicut de S. Seuerino & Paschalio factum narratur. 29.

Nullus securus est de veritate suæ contritionis, Multo minus de consecutione plenariæ remissionis. 30.

Quam rarus est vere pœnitens, Tam rarus est vere Indulgentias redimens, id est, rarissimus. 31.

Damnabuntur in æternum cum suis Magistris, qui per literas veniarum securos sese credunt de sua salute. 32.

Cauendi sunt nimis, qui dicunt venias illas Papæ, donum esse illud Dei inæstimabile, quo reconciliatur homo Deo. 33.

Gratiæ enim illæ veniales tantum respiciunt pœnas satisfactionis sacramentalis, ab homine constitutas. 34.

Non christiana prædicant, qui docent, quod redempturis animas vel Confessionalia, non sit necessaria contritio. 35.

36. Quilibet Chriſtianus uere compunctus habet remiſſionem plenariam a pœna & culpa, etiam ſine literis ueniarum ſibi debitam.

37. Quilibet uerus Chriſtianus ſiue uiuus ſiue mortuus, habet participationem omnium bonorum Chriſti & Eccleſiæ, etiam ſine literis ueniarum a Deo ſibi datam.

38. Remiſſio tamen & participatio Papæ, nullo modo eſt contemnenda, quia, ut dixi, eſt declaratio remiſſionis diuinæ.

39. Difficillimum eſt etiam doctiſſimis Theologis, ſimul extollere ueniarum largitatem, & contritionis ueritatem coram populo.

40. Contritionis ueritas pœnas quęrit & amat, Veniarum autem largitas relaxat, & odiſſe facit, ſaltem occaſione.

41. Caute ſunt ueniæ Apoſtolicæ prædicandæ, ne populus falſo intelligat, eas præferri cæteris bonis operibus charitatis.

42. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ Papæ mens non eſt, redemptionem ueniarum ulla ex partę comparandam eſſe operibus miſericordiæ.

43. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ dans pauperi, aut mutuans egenti, melius facit, q̃ ſi uenias redimeret.

44. Quia per opus charitatis creſcit charitas & fit homo melior, Sed per uenias non fit melior, ſed tantummodo a pœna liberior.

45. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ, qui uidet egenum, & neglecto eo, dat pro ueniјs, non indulgentias Papę, ſed indignationem Dei ſibi uendicat.

46. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ niſi ſuperfluis abundent, neceſſaria tenentur domui ſuæ retinere, & nequaq̃ propter uenias effundere.

47. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ redemptio ueniarum eſt libera, non præcepta.

48. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ Papa ſicut magis eget, ita magis optat in ueniјs dandis pro ſe deuotam orationem, q̃ promptam pecuniã.

49. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ ueniæ Papæ ſunt utiles, ſi non in eas confidant, ſed nocentiſſimæ, ſi timorem Dei per eas amittant.

50. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ ſi Papa noſſet exactiones uenialium Prædicatorum, mallet Baſilicam S. Petri in cineres ire, q̃ ædificari cute, carne & oſſibus ouium ſuarum.

51. Docendi ſunt Chriſtiani, ꝙ Papa ſicut debet, ita uellet, etiam uendita, ſi opus ſit, Baſilica S. Petri de ſuis pecuniјs dare illis, a quorum plurimis quidam Concionatores ueniarum pecuniam eliciunt.

52. Vana eſt fiducia ſalutis per literas ueniarum, etiamſi Commiſſarius, imo Papa ipſe ſuam animam pro illis impignoraret.

53. Hoſtes Chriſti & Papæ ſunt ij, qui propter uenias prædicandas uerbum Dei in aliјs Eccleſiјs penitus ſilere iubent.

54. Iniuria fit uerbo Dei, dum in eodem Sermone ęquale uel longius tempus impenditur ueniјs, q̃ illi.

Mens

Mens Papæ necessario est, φ si veniæ, quod minimum est, una campana, vnis pompis & ceremonijs celebrantur, Euangelium, quod maximum est, centum campanis, centum pompis, centum ceremonijs prædicetur. 55.

Thesauri Ecclesiæ, vnde Papa dat Indulgentias, neq; satis nominati sunt, neq; cogniti apud populum Christi. 56.

Temporales certe non esse patet, φ non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi Concionatorum. 57.

Nec sunt merita Christi & Sanctorum, quia hæc semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem, mortem, infernumq; exterioris. 58.

Thesauros Ecclesiæ S. Laurentius dixit esse pauperes Ecclesiæ, Sed locutus est vsu vocabuli suo tempore. 59.

Sine temeritate dicimus, claues Ecclesiæ, merito Christi donatas, esse thesaurum istum. 60.

Clarum est enim, φ ad remissionem pœnarum & casuum, sola sufficit potestas Papæ. 61.

Verus thesaurus Ecclesiæ est sacrosanctum Euangelium gloriæ & gratiæ Dei. 62.

Hic aūt est merito odiosissimus, quia ex primis facit nouissimos. 63.

Thesaurus autem Indulgentiarum merito est gratissimus, quia ex nouissimis facit primos. 64.

Igitur thesauri Euangelici retia sunt, quibus olim piscabantur viros diuitiarum. 65.

Thesauri indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur diuitias virorum. 66.

Indulgentię, quas Concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales, quod ad quęstum promouendum. 67.

Sunt tamen reuera minimæ, ad gratiam Dei & crucis pietatem comparatæ.. 68.

Tenentur Episcopi & Curati veniarum apostolicarum Commissarios cum omni reuerentia admittere. 69.

Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus aduertere, ne pro commissione Papæ, sua illi somnia prædicent. 70.

Contra veniarum apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema & maledictus. 71.

Qui vero contra libidinem ac licentiam verborum Concionatoris veniarum curam agit, sit ille benedictus. 72.

Sicut Papa iuste fulminat eos, qui in fraudem negocij veniarum quacunque arte machinantur. 73.

Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum prætextum in fraudem sanctæ charitatis & veritatis machinantur. 74.

75. Opinari venias papales tantas esse, vt soluere possint hominem, etiamsi quis per impossibile Dei genitricem uiolasset, est insanire.

76. Dicimus contra, q veniæ papales nec minimum venialium peccatorum tollere possint, quo ad culpam.

77. Quod dicitur, nec si S. Petrus modo Papa esset, maiores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum & Papam.

78. Dicimus contra, q etiam iste & quilibet Papa maiores habet, scilicet Euangelium, virtutes, gratias curationum &c. ut 1. Corint. 12.

79. Dicere Crucem armis papalibus insigniter erectam, cruci Christi æquiualere, blasphemia est.

80. Rationem reddent Episcopi, Curati & Theologi, qui tales sermones in populum licere sinunt.

81. FAcit hæc licentiosa ueniarum prædicatio, ut nec reuerentiam Papę facile sit, etiam doctis uiris, redimere a calumnijs, aut certe argutis quęstionibus laicorum.

82. Scilicet, cur Papa non euacuat Purgatorium propter sanctissimam charitatem, & summam animarum necessitatem, ut causam omnium iustissimam, Si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam ad structuram Basilicæ, ut causam leuissimam?

83. Item, Cur permanent exequiæ & anniuersaria defunctorum, & non reddit, aut recipi permittit Beneficia pro illis instituta, cum iam sit iniuria pro redemptis orare?

84. Item, Quæ illa noua pietas Dei & Papæ, q impio & inimico propter pecuniam concedunt animam piam & amicam Dei redimere, Et tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ & dilectæ animæ, non redimunt eam gratuita charitate?

85. Item, Cur Canones pœnitentiales, re ipsa & non vsu, iam diu in semet abrogati & mortui, adhuc tamen pecunijs redimuntur per concessionem Indulgentiarum tanquam uiuacissimi?

86. Item, Cur Papa, cuius opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecunijs magis, q pauperum fidelium, struit vnam tantummodo Basilicam S. Petri?

87. Item, Quid remittit aut participiat Papa ijs, qui per contritionem perfectam, ius habent plenariæ remissionis & participationis?

88. Item, Quid adderetur Ecclesiæ boni maioris, si Papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet Fidelium has remissiones & participationes tribueret?

89. Ex quo Papa salutem quærit animarum per venias magis q pecunias, Cur suspendit literas & venias iam olim concessas, cum sint æque efficaces?

90. HAEc scrupulosissima Laicorum argumenta, sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam & Papam hostibus ridendos exponere, & infelices Christianos facere.

Si

Si ergo veniæ secundum spiritum & mentem Papæ prædicarentur, facile illa omnia soluerentur, imo non essent. 91.

Valeant itaque omnes illi Prophetæ, qui dicunt populo Christi: Pax, pax, & non est pax. 92.

Bene agant omnes illi Prophetæ, qui dicunt populo Christi: Crux, crux, & non est crux. 93.

Exhortandi sunt Christiani, vt caput suum Christum per pœnas, mortes, infernosq; sequi studeant. 94.

Ac sic magis per multas tribulationes intrare cœlum, quam per securitatem pacis, confidant. 95.

PROTESTATIO.

EGo Martinus Lutherus Doctor, Ordinis Eremitarum Vuittembergæ, publice testatum uolo, propositiones aliquot contra pontificales, ut uocant, Indulgentias a me editas esse. Etsi autem me hactenus neque celeberrima hæc & laudatissima Schola nostra, neque ciuilis aut ecclesiastica Potestas condemnauerit, sunt tamen, ut audio, quidam præcipitis atque audacis ingenij homines, qui re quasi bene cognita & perspecta, Hæreticum me pronunciare audent.

Ego uero, ut ante sæpe, ita nunc quoque per fidem Christianam obtestor singulos, uel ut meliorem mihi monstrent uiam, si quibus hæc diuinitus esset reuelata, uel certe suam Sententiam, Dei & Ecclesiæ iudicio submittant, Non enim adeo temerarius sum, ut meam solius opinionem cæteris omnibus anteferri, neque tam stupidus etiam, ut uerbum Dei fabulis, humana ratione excogitatis, postponi uelim.

PRIMA DISPVTATIO
IOHANNIS TETZELII.

Harum duarum sequentium Disputationum, quas falso quidam adscribunt Iohanni Tetzelio &c. autor fuit Doct: Conradus Vuimpina &c.

QVO VERITAS PATEAT: ERRORESq; SVPPRIMANTVR, REDDITAq; RAtione, contra catholicam ueritatem obiecta soluantur: Frater Iohannes Tetzel, ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Baccalaureus, ac hæreticæ prauitatis Inquisitor, subscriptas Positiones sustinebit, in florentissimo studio Franckfordensi, cis Oderam.

Ad laudem Dei, pro fidei Catholicæ defensione, obq; sanctæ Sedis Apostolicæ honorem.

DOminus noster Ihesus Christus, Sacramenta nouæ Legis, ad quæ uoluit cunctos obligari, post suam passionem & ascensionem. 1.

Voluit etiam cunctos docere ante suam passionem per aptissimam suam prædicationem. 3.

Quisquis ergo dicit, Christum, dum prædicauit: Pœnitentiam agite, sic uoluisse pœnitentiam interiorem & exteriorem carnis mortificationem. 2.

Vt non

4. Vt non etiam docere vel cointelligere potuerit pœnitentiæ Sacramentum, eiusq; partes, confessionem & satisfactionem tanq; obligatorias, errat, Imo nihil nunc iuuat, si interior pœna etiam operetur exteriorem mortificationem, nisi adsit facto vel voto confessio & satisfactio.

5. Hæc satisfactio (cum Deus delictum absq; vltione non patiatur) per pœnam fit, vel æquiualens, in acceptatione diuina.

6. Quæ vel a Presbyteris imponitur, arbitrio vel canone, vel nonnunquam a iusticia diuina exigitur hic, vel in Purgatorio, dissoluenda.

7. Sicut confessionem, rite factam, nemo tenetur de eisdem criminibus, nisi in paucis casibus reiterare.

8. Et quantumuis vtile id esset, non id potest tamen sibi uel religiosus, vel Papa, vt iteret, demandare.

9. Ita satisfactoriam pœnam exteriorem semel rite expletam, non tenetur absolutus de eisdem peccatis repetere, Contrarium iubere, est errare.

10. Licet teneatur, quo ad vixerit intus actu vel habitu dolere, & peccatum remissum, semper detestari, de propiciatuq; peccatorum absq; metu non existere.

11. Hanc pœnam, ob peccata contrita & confessa impositam, potest Papa per Indulgentias penitus relaxare.

12. Siue hæc sit ab eo, vel sacerdotis arbitrio, vel canone imposita, vel etiam iusticia diuina exigenda, cui contradicere est errare.

13. Sed licet per Indulgentias omnis pœna in dispositis remittatur, quæ est pro peccatis debita, vt eorum est vindicatiua.

14. Errat tamen, qui ob id tolli putet pœnam, quæ est medicatiua & præseruatiua, cum contra hanc Iubileus non ordinetur.

15. Quantumuis ergo aliquis sit per Indulgentias uere & totaliter relaxatus, Quod fieri posse, in dispositis, qui negat, errat.

16. Nullatenus tamen debet intermittere opera satisfactoria, quod uixerit, quando sunt reliquiarum curatiua, & a futuris præseruatiua & meritoria.

17. Sicut Sacramenta mosaica sunt ieiuna elementa, nec tollentia culpas, nec iustificatiua.

18. Ita sacerdotes Iudæorum, nec claues habent nec characterem, vnde illi nullam possunt culpam remittere.

19. Sacramenta uero Christianorum, gratiam, quam signant, faciunt, & hinc etiam suscipientes iustificant.

20. Et sacerdotes Christiani characterem uerum & claues habent, quibus & culpas remittere possunt.

21. Non solum approbando & declarando, vt leprosis faciebant sacerdotes ueteris Legis, & Aaronitæ.

22. Sed etiam ministerialiter & instrumentaliter, & dispositiue per Sacramentum id ipsum operando.

23. Imo sicut Deus habet claues autoritatis, Christus excellentiæ, Ita præsbyter Christianus claues habet ministeriales.

24. Quisquis ergo dicit Papam, vel etiam minimum sacerdotem, non posse in culpas, nisi approbando & declarando, errat.

25. Imo qui non credit, minimum sacerdotem Christianum plus posse in peccatum, q; tota potuerit olim Synagoga Iudæorum, errat.

26. Quinimo errat, qui Christum pro suæ clauis excellentia, qua uim suam Sacramentis non alligauit.

27. Putat non posse peccata remittere & hominem saluare, absque sacerdotali confessione, approbatione uel declaratione.

28. Quanq; contemptus uerus uel interpretatiuus excludit Sacramentum, quod non raro contingit in sero pœnitente.

Nec

Nec mors inopina, nec necessitas releuant ab vltione grauissima inse-quente. 29.

Non tamen est de his desperandum, cum minima contritio, quæ potest in fine vitæ contingere. 30.

Sufficiat ad peccatorum remissionem, ac pœnæ æternæ in temporalem mutationem. 31.

Sed quando ob temporis deficientiam, pœnæ taliter mortuos truculen-tissime nonnunquam insequantur. 32.

Quæ sunt plenissimis venijs celeriter relaxandæ, stulte faciunt tales ho-mines, a redimendis Confessionalibus dehortantes. 33.

Ob iniectionem manuum in clerum excommunicatis, incendiarijs, & in-cæstuosis, non solum post absolutionem, sed aliquando post mortem pœnæ imponuntur. 34.

His de non iterando iuramentum, istis satisfactio, Qui id ergo posse fieri negat, errat. 35.

Non a dormientibus Episcopis, sed iuris capitulis, discretus & pius iu-betur esse Sacerdos, vt potius cum exili pæna. 36.

Vltro excepta mittatur Confessus ad purgatorium, quam cum refutata ad gehennam, Qui id ergo zizania dicit, errat. 37.

Hæretici, schismati, & læsæ maiestatis rei, post mortem excommunican-tur, anathematisantur & exhumantur. 38.

Quisquis ergo dicit, morituros per mortem omnia soluere, & legibus Canonum non teneri, errat. 39.

Animas purgandas, quæ cum gratia & charitate abscedunt, quę diuidit inter filios regni & perditionis, & longe plus desperationis. 40.

Erroneum est dicere esse prope desperationem, Quin potius in spe fir-ma ad beatitudinis comprehensionem. 41.

Qui dicit, non esse probatum vllis aut Rationibus, aut Scripturis, purga-tos esse extra statum meriti, errat. 42.

Qui adijcit, non esse probatum, quod sint de sua beatitudine certi & securi, errat. Similiter, qui dicit. 43.

Non esse Animas purgandas, de sua salute certiores quam nos, nosque esse certissimos, errat. 44.

Papam per plenariam remissionem, non intelligere omnium satisfacto-riarum, sed a seipso impositarum, errat, Qui dicit. 45.

Indulgentiarum Prædicatores errare, dum prædicant, per Papæ Indul-gentiam hominem posse ab omni pœna solui, & saluari, error. 46.

Dicere Papam nullam remittere animabus in Purgatorio pœnam, quam debuissent in hac vita secundum Canones soluere, error. 47.

Qui solum perfectissimos venias consequi posse dicit, & non etiam per fectos, imo perfectiores incipientes & proficientes, errat. 48.

Imo etiam non solum plene contritos, sed attritos & per Confessionem contritos, Errat. 49.

Quisquis paucissimis id contingere posse putat, & nō pluribus, id quod Iubileus exigit facientibus, errat. 50.

Asserere, Papam non habere maiorem vel efficaciorem potestatem in Purgatorium, generaliter suffragij forma Iubileum impartiendo. 51.

Quam qualem, aut quantam habeat Episcopus vel Plebanus in sua Dio-cœsi, & Parrochia specialiter, error. 52.

Papa etsi in purgatorium nullam habeat clauis potestatem, habet tamen Iubileum illis adplicandi, per modum suffragij autoritatem. 53.

Hanc in purgatorium autoritatem, sub specie clauis in Papa negare, est veritati contradicere & errare. 54.

Animam

55. Animam purgatam euolare, est eam visione Dei potiri, quod nulla potest intercapedine impediri.

56. Quisquis ergo dicit, non citius posse animam euolare, quam in fundo cistæ denarius possit tinnire, errat.

57. In suffragijs publicatis quærere quæstum & auariciam, sed non sequi pur-
58. gationis effectum, error.

59. Dubitare, si omnes animæ redimi, aut redemptæ exire velint purgatorium, manifestus error.

60. Securitate conjecturali, quantum humana perfert imbecillitas, nullũ esse securum de veniarum consecutione, etiam factis, quæ Iubileus exigit, error.

61. Rarissimos esse, & non etiam plurimos iuxta formam Iubilei agentes, qui consequantur venias, Error.

62. Relaxatum per venias plenarias, iuxta formam rescripti, videlicet vere confessum & contritum &c. non esse securum de sua salute, Error.

63. Papalibus Indulgentijs secundum omnem formam rite acquisitis, non reconciliari hominem Deo, vere videlicet contritum & confessum, Error.

Gratias veniales nõ respicere nisi pœnas satisfactionis, ab homine constitutas, & non etiam a canone vel iusticia diuina, error.

65. Non esse Christianum dogma, quod redempturi pro amicis confessionalia vel purgandis Iubileum, possint hæc facere absque contritione, error.

66. Quemlibet Christianum vere compunctum, habere celeriter & totaliter plenariam a pœna & culpa, sine Indulgentijs remissionem, error.

67. Quemlibet Christianum siue viuum siue mortuum, habere participationem omnium bonorum, quo ad pœnarum autoritatiuam remissionem, error.

68. Eandem esse omnium bonorum participationem per charitatem, & per potestatem habentis applicationem, error.

69. Rursus eandem esse participationem omnium bonorum ad merendum et merita augendum, et eam, quæ est omnium bonorũ ad satisfaciendũ, error

70. Remissionem Papæ & participationem, solum ideo non esse contemnendas, quia sit declaratio remissionis diuinæ, error.

71. Solum doctissimis Theologis, & non etiam mediocriter peritis, facillimum esse simul extollere veniarũ largitatẽ, & contritionis veritatem, error.

72. Quas enim quærit contritio pœnas satisfactorias pro his relaxatis, veniæ ponunt Christi compensatorias, Sed quia non relaxant medicatiuas, habet quas diligat pœnas contritio per totam vitam continuandas, hoc qui nescit, errat.

73. Opera charitatis plus valent in merendo, Sed veniæ plenariæ magis in celeriter satisfaciendo, & totaliter relaxando. Qui hoc nescit, vel non credit, & vnum populos docet, & aliud tacet, errat.

74. Indulgentiæ plenariæ plus valent in satisfaciendo & relaxando totaliter, celeriter, & singulariter, Sed opera charitatis plus valent in merendo meritum, gratiam, & gloriam augendo principaliter, Qui ergo nõ putat Papam sic velle populum doceri, errat.

75. Quin cum secundum excedentia & excessa differant Indulgentia plenaria & misericordiæ particularia (vt fieri solita sunt) opera. Quisquis docet populum, Papam velle nulla ex parte veniarũ redemptionem esse operibus misericordię partialibus ut (fiunt) comparandam, insigniter præsumit & errat.

76. Dans pauperi & mutuans egenti melius facit, quo ad meriti augmentationem, Sed redimens venias melius, quo ad celeriorem satisfactionem. Qui aliter populum docet, eundem seducit, & qui putat venias redimere, nõ etiam esse opus misericordiæ, errat.

77. Venijs etsi homo primo fiat a pœnis liberior, tamen cum opus, quo redimuntur, sit charitatis, sit ex interna deuotione hinc redimens etiam melior. Quisquis aliter populum docet, dupliciter errat.

Eleemo-

Eleemosynę spiritales sunt corporalibus præstabiliores, & sibijpsi factę
ordinatiores, Vnde si quis indigeat uenijs, nec posset pauperem extra articu- 78.
lum necessitatis iuuare, melius longe facit redimendo, ꝙ pauperi (ut predi-
ctum) succurrendo, contrarium docens, errat.

Ex grauitate operum, & intensione charitatis, accipiuntur plerunq; me-
ritum, & meritorum magnitudo, Magis ergo meretur uenias, qui ex necessa- 79.
rijs facit ꝙ superfluis. Vnde dicens, hoc modo merendo aliquem peccare, est
dupliciter errare.

Quamuis ueniarum redemptio non sit præcepta, est tamen egentibus 80.
de optimo consilio. Quisquis ergo unum dicit, & aliud tacet, populum sedu-
cit & errat.

Quod Leo pro persona plus egeat orationis, ꝙ alij, est diuinare, Sed 81.
pro Papa Leone tenemur ex debito legis naturæ humanę & diuinæ orare.

Cumq; id sit necessitatis, qui dicit propter hoc, dare oportere Papam In- 82.
dulgentias, errat.

Nisi fides, deuotio, imo fiducia ad uenias habeantur, nihil prosunt, & 83.
sunt inutiles Indulgentiæ. Quisquis contrarium dicit, pessime errat.

CVm quæ pro venijs sub Leone exiguntur, sint minima respectu præ- 84.
decessorum. Qui ergo eum carne, cute & ossib. ouium suarum S. Petri Basi-
licam ædificare fingit, impie errat.

Facienti quod in se est, & iuxta tenorem Bullarum, vtiles sunt indulgen- 85.
tiæ, Quantumuis contingat oblatrantes, errare. Dicere ergo.

Vanam esse salutis fiduciam, per literas veniarum, etiamsi Papa animam 86.
suam pro illis impignoraret, est fœdissime errare.

Si potest minimus Episcopus, dum vel ipsemet prædicare vult, vel ante 87.
se facere prædicari, alijs silentium imperare.

Dicere Papam esse hostem Crucis, si simili modo velit Iubileum publi- 88.
care, est pessime errare.

Si Sanctorum Legendæ in eorum Festis possunt lōgius Euangelio absq;
iniuria recitari, potest recitato Euangelio æquale vel longius tempus in ve-
nijs publicandis continuari. Contrarium dicere, est dupliciter errare.

Mentem Papæ esse, ꝙ si vna campana, vnis pompis & ceremonijs venię 89.
celebrentur, Euangelium centum campanis pompis & ceremonijs, error.

Thesaurum Ecclesiæ non satis nominatum esse nec cognitum, vnde Pa- 90.
pa dat Indulgentias, error.

Thesaurum Christi, non esse merita Christi & Sanctorum, error. 91.

Hecq; operari venialem, hoc est, a Deo copiosam, celerem, totalemq; sa-
tisfactionem extra Papæ applicationem, error. 92.

Thesaurum Ecclesiæ fuisse Pauperes Ecclesiæ, diui Laurentij tempo- 93.
re, error.

Thesaurum Ecclesiæ esse solum claues Ecclesiæ, merito Christi dona- 94.
tas, error.

Ad remissionem pœnarum solam sufficere Papæ potestatem, absq; the- 95.
sauri Ecclesiæ, id est, meritorum Christi, applicatione, error.

Euangelium, curationum gratia, Sacramenta veniæ, in gratiæ nomine 96.
æquiuocantur, vnum ergo efferre & aliud destituere, est pœnitus errare.

Indulgentias, quas Concionatores vociferantur, maximas esse, vere ta- 97.
les, quo ad quæstum promouendum, error.

Imo thesauros Indulgentiarum retia esse, quibus nunc piscantur diuitias 98.
virorum, impijssimus error.

Cumque peccatum in matrem Christi commissum (quantumuis enor- 99.
me) minus sit, ꝙ si illud ipsum in Filium committatur, quod est Christi ex-
presso testimonio remissibile.

100. Quisquis ergo tale in uere contritis Indulgentijs solui non posse dicit, contra Euangelij textum & met Christum, insanit, furit & errat.

101. Subcommissarijs insuper ac prædicatoribus ueniarum imponere, ut si quis per impossibile Dei genitricem semper uirginem uiolasset, ꝙ eundem Indulgentiarum uigore absoluere possent, luce clarius est, Sic contra apertam ueritatem imponentem odio agitari ac fratrū suorum sanguinem sitire.

102. Ponere etiam in publicis Positionibus, prædicatores ueniarum, nunꝙ tamen auditos uerborum libidine coram populo manare, & maius in uenijs explanandis tempus, ꝙ in Euangelio declarando proterere, est mendacia audita ab alijs, fictaꝗ pro ueris seminare, seque per hoc cito credentem leuemque ostendere, atque perniciose errare.

103. Ponere denique in publicis Positionibus, ueniarum prædicatores, licentiosa sua prædicatione in tantum deficere, quod etiam Papæ reuerentiam ullis doctis non sit facile ab argutorum Laicorum quęstionibus redimere, est post Papæ prius illatam contumeliam, eidem blandiri ac aperte insinuare, cæteros omnes portum possedisse, & se solum turbam facere, uehementerꝗ per hoc errare.

104. Culpas delere conuenit gratiæ formaliter, effectiue Deo & principaliter, dispositiue homini puro, licet insufficienter, satisfacienter Christo, Sacramentis instrumentaliter. Quisquis ergo dicit Papam hoc modo minimum ueniale, quo ad culpam, soluere non posse, errat.

105. Eandē esse Petri & omniū Vicariorum potestatem, qui negat, errat, Quiꝗ pluris posse putat in uenijs Petrū ꝙ Leonem, magis errat, imo blasphemat.

106. Sicut qui crucem Christi, uel aliam quamcunꝗ imaginem ut rem, & non ut signum, Latria adorat, errat, Ita, quantumuis, crux Christi in multis alijs, ut causis adorationis, præstet & plus sit ueneranda, Qui tamen alia latria, & nō æquali eam, & Papalibus insignitam armis adorat, idolatrat & errat.

SECVNDA DISPVTATIO IOHANNIS TETZELII

SVBSCRIPTAS POSITIONES F IOHANNES TETZEL, ORDINIS PRAEDICATORUM, sacræ Theologiæ Baccalaureus, ac hæreticæ prauitatis Inquisitor, in studio uniuersali Franckfordensi cis Oderam, publice, ac in breui ad certam diem, quem etiam tempestiue designabit, sustinebit ac disputabit, In quibus quisquis pro hæretico, schismatico, pertinaci, contumaci, erroneo, sedicioso, malesonanti, temerario, & iniurioso, censendus sit, primo intuitu plane uidebitur.

Ad laudem Dei, ac sacræ Sedis Apostolicæ honorem.
Anno salutis dominicæ M. D. XVII.

1. Ocendi sunt Christiani, ex quo in Ecclesia potestas Papæ est suprema, & a solo Deo instituta, ꝙ a nullo puro homine, nec a toto simul mundo potest restringi aut ampliari, sed a solo Deo.

2. Docendi sunt Christiani, Quod Papæ in eos omnes immediatam iurisdictionem habenti, in his, quæ ad religionem Christianam, & ad Cathedram pertinent, si consona fuerint iuri diuino & naturali, simpliciter obedire tenentur.

Docendi

Docendi sunt Christiani, q Papa iurisdictionis autoritate, superior tota uniuersali Ecclesia & Concilio, qq statutis suis humiliter sit obediendum. 3.

Docendi sunt Christiani, q Papa ea, quæ fidei sunt, solus habet determinare, qq sacræ scripturæ sensus ipse autoritatiue, & nullus alius, pro suo sensu, interpretatur, et q aliorum omnia dicta uel opera habet, uel approbare aut reprobare. 4.

Docendi sunt Christiani, q iudicium Papæ, in his quæ sunt fidei, & ad humanam salutem necessaria, errare potest minime. 5.

Docendi sunt Christiani, q etsi Papa in fide erraret, circa ea, quæ fidei sunt, malam tenendo opinionem, Non tamen ipsum errare contingit de his, quæ sunt fidei, in iudicio de eis sentantiando. 6.

Docendi sunt Christiani, q sententiæ Papæ, quam de his quæ fidei sunt, profert, in iudicio magis standum est, q sententiæ quorumcunq hominum sapientum, in Scripturarum opinionibus. 7.

Docendi sunt Christiani, q Papa ab eis debet semper & humiliter honorari, & non iniuriari. 8.

Docendi sunt Christiani, q honori & autoritati Papæ derogantes, maledictionis pœnam ac læsæ maiestatis crimen incurrunt. 9.

Docendi sunt Christiani, q Papam derisionibus, detractionibusq exponentes, hæresis labe notantur, & a spe Regni cœlestis excluduntur. 10.

Docendi sunt Christiani, q Papam dehonorantes, ignominia temporali, & quandoq etiam morte pessima ac confusione scandalosa puniuntur. 11.

Docendi sunt Christiani, q claues Ecclesiæ non uniuersali Ecclesiæ, quæ dicitur omnium fidelium collectio, sed Petro & Papæ, & in eis omnibus eorum Successoribus & uniuersis Prælatis futuris, per deriuationem eorum in ipsos, sunt collatæ. 12.

Docendi sunt Christiani, q plenissimam Indulgentiam non Concilium generale, nec Prælati alij Ecclesiæ simul uel disiunctim dare possunt, sed solus Papa, qui est Sponsus uniuersalis Ecclesiæ. 13.

Docendi sunt Christiani, q ueritatem & fidem de Indulgentijs habendis, nullus mortalium, imo nec Concilium generale, Sed solus Papa, qui de catholica ueritate sententionaliter habet iudicare, potest determinare. 14.

Docendi sunt Christiani, q catholica Veritas dicitur ueritas uniuersalis, & q ea ab omnibus Christi fidelibus credi debet, qq nihil aut falsitatis aut iniquitatis in se contineat. 15.

Docendi sunt Christiani, q Ecclesia multa tenet Veritates catholicas, quę in Canone sacræ scripturæ ueteris & noui testamenti, in propria uerborum forma minime continentur. 16.

Docendi sunt Christiani, q Ecclesia multa tenet, ut catholicas Veritates, quæ tamen sicut nec in canone Bibliæ, ita nec a Doctoribus antiquioribus ponuntur. 17.

Docendi sunt Christiani, q obseruantiæ omnes in materia fidei, Apostolicæ sedis iudicio definitæ, sunt inter catholicas ueritates computandæ, licet in Canone scripturæ sacræ non reperiantur contineri. 18.

Docendi sunt Christiani, q ea, quæ de tenenda fide & hæreticorum confutatione, Doctores ab Ecclesia approbati assertiue tradiderunt, licet in Canone scripturæ sacræ expresse non contineantur, Sunt tamen huiusmodi eorum scripta inter catholicas ueritates computanda. 19.

Docendi sunt Christiani, q licet certæ ueritates absolutæ catholicæ non sint, Sunt tamen nihilominus catholicam ueritatem sapientes. 20.

Docendi sunt Christiani, q hi omnes hæresim sapiunt, qui usum signi Crucis dicunt in Ecclesijs non debere esse. 21.

Docendi sunt Christiani, q animo deliberato in fide dubitantes, pro Hæreticis sunt apertissime censendi. 22.

23. Docendi sunt Christiani, ꝙ per pecuniam ad sacros ordines ordinati, hæretici apertissime possunt appellari.

24. Docendi sunt Christiani, ꝙ omnes Scripturam sacram male, & non, ut sensus sancti Spiritus efflagitat, à quo scripta est, interpretantes, hæretici rectissime appellari possunt.

25. Docendi sunt Christiani, ꝙ is merito hæreticus est dicendus, qui temporalis gloriæ gratia, falsas atq; nouas Opiniones uel gignit aut sequitur.

26. Docendi sunt Christiani, omnes eos iustissime hæreticos appellari, qui Romanæ Ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conantur.

27. Docendi sunt Christiani, ꝙ S. Romanam Ecclesiam, B. Ambrosij exemplo, in omnibus, ut Magistram suam, & non propriam phantasiam, sequi debeant.

28. Docendi sunt Christiani, ꝙ quicunq; aduersus regulam ueritatis catholicæ, opinionem suam peruersam atq; prauam pertinaciter defendit, hæreticus sit censendus, atq; ab omnibus pro tali prædicandus.

29. Docendi sunt Christiani, ꝙ docentes aliquid tanquam certum, quod aut ratione, uel autoritate efficaciter non potest probari, temerarij sunt censendi.

30. Docendi sunt Christiani, ꝙ asserentes aliquando quæ sunt falsa, pro erroneis sunt tenendi.

31. Docendi sunt Christiani, ꝙ detrahentes alicui fidelium, uel notabili alicui personæ, iniuriosi sunt censendi.

32. Docendi sunt Christiani, ꝙ scribentes Propositiones, quæ ruinæ occasionem præbent auditoribus, quamuis cum modificatione adiuncta sint, uere tenendi sunt, ex quo absolute & sine modificatione proferuntur, pro scandolosis, malesonantibus, ac piarum aurium offensiuis, eò ꝙ uidentur propositionibus hæreticalibus fauere.

33. Docendi sunt Christiani, ꝙ assertiones Doctorum, quæ in populo schisma inducunt, ut est propositio illa, Malo prælato aut principi non est obediendũ, uel, ꝙ Papæ suisq; bullis nõ sit credendum, omnino sunt seditiosæ.

34. Docendi sunt Christiani, ꝙ omnes, qui falsas opiniones gignunt, easq; ipsas pertinaciter defendunt, proprie hæretici sunt censendi.

35. Docendi sunt Christiani, ꝙ omnes, qui contemptu diuinæ Legis, pertinacis erroris sunt, uel inuentores, seu alieni sectatores, quiq; magis uolunt catholicæ ueritati aduersari, ꝗ subijci, pro hæreticis simpliciter sunt censendi.

36. Docendi sunt Christiani, ꝙ omnes aliorum defendentes errorem, eò ꝙ non solum errant, sed alijs etiam erroris offendicula præparant, cõfirmantq;, non solum pro hæreticis, sed etiam habendi sunt pro Hæresiarchis.

37. Docendi sunt Christiani, ꝙ gignentes nouas opiniones, catholicæ ueritati contrarias, quo habere possint sequaces, & propterea à communi uia, aut leuitate aut peruersitate discedunt, quod ex superbia, quæ proprie amor est excellentiæ, procedit, Etsi nullius temporalis gratia commoditatis mouentur, pro hæreticis tamen sine dubio tenentur.

38. Docendi sunt Christiani, ꝙ adherentes Magistrorum opinionibus, contrarijs catholicæ ueritati, pertinaciter errant, ac errando peccant, hæretici quoque censendi ueniunt.

39. Docendi sunt Christiani, ꝙ negantes quamcunque ueritatem catholicam, quæ apud omnes fideles, cum quibus conuersantur, tanquam catholice diuulgatur, & a prædicantibus uerbum Dei publice prædicatur, in errore suo pertinaces esse dicuntur.

40. Docendi sunt Christiani, ꝙ negantes assertiones, quas sciunt in scriptura diuina, uel Ecclesiæ contineri determinatione, sunt in hæresi sua pro pertinacibus censendi.

Docendi

Docendi sunt Christiani, ꝙ suum errorem non corrigentes nec emen- 41.
dantes,quamuis eis ipsis suum errorem catholicæ ueritati obuiare legitimè
sit ostensum,pro contumacibus in sua hæresi sunt censendi.

Docendi sunt Christiani,ꝙ illi pro pertinacibus in suo errore sunt cen- 42.
sendi,qui contra fidem catholicā & Ecclesiæ determinationem errantes,cor-
rectioni et emēdationi illius,cuius interest,se subijcere recusant superbientes.

Docendi sunt Christiani,ꝙ reprehensi de aliquo aperte contra fidem er- 43.
rore , renuentesꝙ de ueritate informari , sunt in errore, ac hæresi huiusmodi
suis pro pertinacibus prædicandi.

Docendi sunt Christiani,ꝙ protestantes uerbis aut factis seu scriptis,asser- 44.
tiones suas hæreticales reuocare minime uelle, Si etiam illi,quorum interest,
contra tales sententias excommunicationis pluerent aut grandinarent, Sunt
pro pertinacibus hæreticis tenendi, atque ab omnibus uitandi.

Docendi sunt Christiani,ꝙ in hæreticæ defensionem prauitatis , nouos 45.
errores fingentes ac defendētes,eo ꝙ corrigi et cauta solicitudine Veritatem
inquirere non sunt parati , pro pertinacibus in suis hæresibus simpliciter sunt
tenendi .

Docendi sunt Christiani,ꝙ inferiores summo Pontifice,si aliquam asser- 46.
tionem hæreticam per sententiam definient determinentꝙ esse tenendam,
atꝙ alijs imponunt,quo ipsam reputent esse catholicam, sunt hæretici,perti-
naces , una cum omnibus eorum tali determinationi consentientibus te-
nendi & prædicandi.

Docendi sunt Christiani, eos pertinaciter errare,qui habent potestatem 47.
resistendi hæreticæ prauitati , nec tamen resistunt, atꝙ per hoc ipsos hæresi
erroribusꝙ fauere.

Docendi sunt Christiani,ꝙ Hæreticorum defendentes errorem, & hoc 48.
sua potentia efficientes,ne ad manus iudicis ueniant examinandi,pro excom
municatis , & si non satisfecerint infra annum, ipso iure pro infamibus sunt
tenendi,qui etiam per iuris capitula terribiliter multis plectentur pœnis ,in
omnium hominum terrorem.

Docendi sunt Christiani,ne in fide circa Papæ autoritatem ipsasꝙ Indul- 49.
gentias,ex hæreticorum ac pertinacium ausu moueantur,non enim pius Do
minus & Deus noster hæreses oriri permitteret,nisi eorum ortu fidei Veritas
magis liqueret , & nos brutam per hoc euaderemus infantiam , Sed potius
maneant circa ueritatem , de partibus pœnitentiæ & Indulgentijs prædica-
tam,creduli,per quam suam in dicta fide constantiam eorum à Deo approba-
tio toti mundo fiat liquida & manifesta.

VOlentes itaꝙ de partibus pœnitentię potissimū,oris autem confessione 50.
& operis satisfactione a Deo & Euangelio insinuatis & institutis ,ab Apo-
stolisꝙ promulgatis,& uniuersali Ecclesia approbatis & obseruatis, Et tamē
ab aduersario irritè , & irreligiose in Sermone suo uulgari , per tot articulos
impugnatis,ac de Indulgentia plenissima & summi Romani Pontificis circa
eandem potestatem chartas aut libros implere , uel certe libera fronte de eis
uel publicè prædicare aut disputare,uel prædicantibus scribentibusꝙ adhæ-
rere,eorū scripta fauisare,in uulgus spargere, & per orbem inuulgare,seu de
eis ipsis in angulis,uel ad partem coram hominibus,impudenter ac per
contemptū loqui,timeant sibi,ne in pręfatas Propositiones inci-
dant,& se per hoc atꝙ alios damnationis periculo,grauiꝙ
temporali cōfusioni exponant. Bestia enim quæ
montēmtetigerit, lapidabitur.

Sermo Lutheri uulgaris de Indulgentijs.

FINIS.

Autore D. Conrado Vimpina.

DISPVTATIO
AD SVBSCRIPTAS
CONCLVSIONES RESPONDEBIT M. FRANCISCVS GVNTHERVS NORTHVSENſis pro Biblia, Præſidente R. P. D. Martino Luthero Auguſtiniano, S. Theologiæ Vuittembergæ Decano, loco & tempore ſtatuendis. M. D. XVII.

1. DIcere, ꝙ Auguſtinus contra Hæreticos exceſsiue loquatur, eſt dicere Auguſtinum fere vbiqꝫ mentitum eſſe. Contra dictum commune.

2. Idem eſt Pelagianis & omnibus hæreticis tribuere occaſionem triumphandi, imo victoriam.

3. Et idem eſt omnium Eccleſiaſticorum Doctorum autoritatem illuſioni exponere.

4. Veritas itaque eſt, ꝙ homo arbor mala factus, non poteſt niſi malum velle & facere.

5. Falſitas eſt, ꝙ appetitus liber poteſt in vtrunque oppoſitorum, imo nec liber, ſed captiuus eſt. Contra communem.

6. Falſitas eſt, ꝙ voluntas poſsit ſe conformare dictamini recto naturaliter. Contra Sco. Gab.

7. Sed neceſſario elicit actum difformem & malum, ſine gratia Dei.

8. Nec ideo ſequitur, quot ſit naturaliter mala, id eſt, natura mali, ſecundum Manichæos.

9. Eſt tamen naturaliter & ineuitabiliter mala & viciata natura.

10. Conceditur, ꝙ voluntas non eſt libera ad tendendum in quodlibet, ſecundum rationem boni ſibi oſtenſum. Contra Sco. Gab.

11. Nec eſt in poteſtate eius velle & nolle quodlibet oſtenſum.

12. Nec ſic dicere eſt contra B. Auguſtinum dicentem: Nihil eſt ita in poteſtate voluntatis, ſicut ipſa voluntas.

13. Abſurdiſsima eſt conſequentia: Homo errans poteſt diligere creaturam ſuper omnia, ergo & Deum. Contra Sco. Gab.

14. Nec eſt mirum, ꝙ poteſt ſe conformare dictamini erroneo, & non recto.

15. Imo hoc ei proprium eſt, vt tantummodo erroneo ſeſe conformet, & non recto.

16. Illa potius eſt conſequentia: Homo errans poteſt diligere creaturam, ergo impoſsibile eſt, vt diligat Deum.

17. Non poteſt homo naturaliter velle, Deum eſſe Deum, Imo vellet ſe eſſe Deum, & Deum non eſſe Deum.

18. Diligere Deum ſuper omnia naturaliter, eſt terminus fictus, ſicut Chimera. Contra com. fere.

Nec

Nec valet ratio Scoti de Forti politico, Rempub. plus, quam seipsum, diligente. 19.

Actus amicitiæ, non est naturæ, sed gratiæ præuenientis. Contra Gab. 20.

Non est in natura, nisi actus concupiscentiæ erga Deum. 21.

Omnis actus concupiscentiæ erga Deum, est malum, & fornicatio spiritus. 22.

Nec est verum, quod actus concupiscentiæ possit ordinari per virtutem spei. Contra Gab. 23.

Quia spes est contra charitatem, quæ solum, quæ Dei sunt, quærit & cupit. 24.

Spes non venit ex meritis, sed ex passionibus merita destruentibus. Contra vsum multorum. 25.

Actus amicitiæ non est perfectissimus modus faciendi quod est in se, Nec est dispositio perfectissima ad gratiam Dei, aut modus conuertendi & appropinquandi ad Deum. 26.

Sed est actus iam perfectæ conuersionis, tempore & natura posterior gratia. 27.

Illæ autoritates: Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Item: Appropinquate Deo, & appropinquabit uobis. Item: Quærite, & inuenietis. Item: Si quæsieritis me, inueniar a vobis, & ijs similes, Si dicatur, quod vnum naturæ, alterum gratiæ sit, nihil aliud, quam quod Pelagiani dixerunt, asseritur. 28.

Optima & infallibilis ad gratiam præparatio & vnica dispositio, est æterna Dei electio & prædestinatio. 29.

Ex parte autem hominis, nihil nisi indispositio, imo rebellio gratiæ, gratiam præcedit. 30.

Vanissimo commento dicitur: Prædestinatus potest damnari, in sensu diuiso, sed non in composito. Contra Scholasticos. 31.

Nihil quoque efficitur per illud dictum: Prædestinatio est necessaria, necessitate consequentiæ, sed non consequentis. 32.

Falsum & illud est, quod facere quod est in se, sit remouere obstacula gratiæ. Contra quosdam. 33.

Breuiter, nec rectum dictamen habet natura, nec bonam voluntatem. 34.

Non est verum, quod ignorantia inuincibilis, a toto excusat, Contra omnes Scholasticos. 35.

Quia ignorantia Dei & sui, & boni operis, est natura semper inuincibilis. 36.

Natura etiam in opere specietenus & foris bono, intus necessario gloriatur & superbit. 37.

Nulla est virtus moralis, sine vel superbia, vel tristicia, id est, peccato. 38.

39. Non sumus domini actuum nostrorum a principio usque ad finem, sed serui. Contra Philosophos.

40. Non efficimur iusti iusta operando, sed iusti facti, operamur iusta. Contra Philosophos.

41. Tota fere Aristotelis Ethica, pessima est gratiæ inimica. Contra Scholasticos.

42. Error est, Aristotelis sententiam de fœlicitate non repugnare doctrinæ Catholicæ. Contra Morales.

43. Error est dicere, sine Aristotele non fit Theologus. Contra dictum commune.

44. Imo Theologus non fit, nisi id fiat sine Aristotele.

45. Theologus non Logicus, est monstrosus hæreticus, Est monstrosa & hæretica oratio. Contra dictum commune.

46. Frustra fingitur Logica fidei, suppositio mediata, extra terminum & numerum. Contra recentes Dialecticos.

47. Nulla forma syllogistica tenet in terminis diuinis. Contra Card.

48. Non tamen ideo sequitur, veritatem articuli Trinitatis repugnare formis syllogisticis. Contra eosdem Card. Ca.

49. Si forma syllogistica tenet in diuinis, articulus Trinitatis erit scitus & non creditus.

50. Breuiter, Totus Aristoteles ad Theologiam, est tenebra ad lucem. Contra Scholasticos.

51. Dubium est vehemens, An sententia Aristotelis sit apud Latinos.

52. Bonum erat Ecclesiæ, si Theologis natus non fuisset Porphyrius cum suis Vniuersalibus.

53. Vsitatiores definitiones Aristotelis, uidentur petere principium.

54. Ad actum meritorium satis est coexistentia gratiæ, aut coexistentia nihil est, contra Gab.

55. Gratia Dei nunquam sic coexistit vt ociosa, sed est viuus, mobilis & operosus spiritus.

56. Nec per Dei absolutam potentiam fieri potest, vt actus amicitiæ sit, & gratia Dei præsens non sit. Contra Gab.

57. Non potest Deus acceptare hominem sine gratia Dei iustificante. Contra Occam.

58. Periculosa est hæc oratio: Lex præcipit, quod actus præcepti fiat in gratia Dei. Contra Card. & Gab.

59. Sequitur ex ea, Quod gratiam Dei habere, sit iam noua vltra Legem exactio.

60. Ex eadem sequitur, Quod actus præcepti possit fieri sine gratia Dei.

Item

Item sequitur, Quod odiosior fiat gratia Dei, quam fuit Lex ipsa. 61.

Non sequitur, Lex debet seruari & impleri in gratia Dei. Contra Gab. 62.

Ergo assidue peccat, qui extra gratiam Dei est, non occidendo, non mœchando, non furando. 63.

Sed sequitur, peccat, non spiritualiter Legem implendo. 64.

Spiritualiter, non occidit, non mœchatur, non furatur, qui nec irascitur, nec concupiscit. 65

Extra gratiam Dei, adeo impossibile est, non irasci, non concupiscere, ut nec in gratia satis id fieri possit ad Legis perfectionem. 66.

Hypocritarum est iusticia, opere & foris non occidere, non mœchari &c. 67.

Gratiæ Dei est, nec concupiscere, nec irasci. 68.

Impossibile est itaque Legem impleri sine gratia Dei vllo modo. 69.

Quin etiam magis destruitur per naturam sine gratia Dei. 70.

Lex bona, necessario fit mala, voluntate naturali. 71.

Lex & uoluntas sunt aduersarij duo, sine gratia Dei implacabiles 72.

Quod Lex vult, semper voluntas non vult, nisi timore vel amore simulet se uelle. 73.

Lex est exactor voluntatis, qui non superatur, nisi per paruulum, qui natus est nobis. 74. Esai. 9.

Lex facit abundare peccatum, quia irritat & retrahit voluntatem a seipsa. 75. Rom. 7.

Gratia autem Dei facit abundare iusticiam, per Ihesum Christum, qui facit placere Legem. 76.

Omne opus Legis sine gratia Dei, foris apparet bonum, sed intus est peccatum. Contra Scholasticos. 77.

Semper auersa voluntas, & conuersa manus, sunt in lege Domini sine gratia Dei. 78.

Conuersa voluntas ad Legem sine gratia Dei, est affectu commodi sui talis. 79.

Maledicti sunt omnes, qui operantur opera Legis. 80.

Benedicti sunt omnes, qui operantur opera gratiæ Dei. 81.

Cap. Falsas, de pe. dis. V. confirmat opera extra gratiam non esse bona, si non falsе intelligatur. 82.

Non tantum ceremonialia sunt lex non bona, & præcepta in quibus non viuitur. Contra multos doctores. 83.

Sed & ipse Decalogus, & quicquid doceri dictarique intus & foris potest. 84.

Lex bona & in qua viuitur, charitas Dei est, Spiritu sancto diffusa in cordibus nostris. 85.

Voluntas cuiuslibet mallet, si fieri posset, esse nullam Legem, & se omnino liberam. 86.

Voluntas

87. Voluntas cuiuslibet, odit sibi Legem poni, aut amore sui cupit poni.

88. Cum Lex sit bona, non potest voluntas eius inimica, esse bona.

89. Et ex illa clare patet, ꝙ omnis voluntas naturalis est iniqua & mala.

90. Necessaria est mediatrix Gratia, quæ conciliet Legem voluntati.

91. Gratia Dei datur, ad dirigendum voluntatem, ne erret, etiam in amando Deum. Contra Gab.

92. Nec datur, vt frequentius & facilius eliciatur actus, sed quia sine ea non elicitur actus amoris. Contra Gab.

93. Insolubile est argumentum, Superfluam esse charitatem, si homo naturaliter potest in actum amicitiæ. Contra Gab.

94. Subtile malum est dicere, eundem actum esse, fruitionem & vsum. Contra Occam, Card. Gab.

95. Item, ꝙ amor Dei stet cum dilectione creaturæ, etiam intensa.

96. Diligere Deum, est seipsum odisse, & præter Deum nihil nouisse.

97. Tenemur velle nostrum omnino conformare diuinæ voluntati. Contra Card.

98. Non tantum, quod vult nos velle, Sed prorsus quocunqꝫ Deus vult, debemus.

99. IN his nihil dicere volumus, nec dixisse nos credimus, quod non sit catholicæ Ecclesiæ, & ecclesiasticis Doctoribus consentaneum.

ANNVS CHRISTI
M. D. XVIII.

SEQVVNTVR DVAE CONCIONES REVERENDI PATRIS, THEOLOGIÆ Doctoris, Martini Lutheri, quas initio negocij Euangelici edidit, In latinam linguam e germanica versæ.

I. DE INDVLGENTIIS.

Tres partes pœnitentiæ.

Sciendum primo, ꝙ noui autores, vt M. Sententiarum, S. Thomas, & horum imitatores, tres partes faciunt pœnitentiæ, nempe Contritionem, Cõfessionem & Satisfactionem. Et quamuis hæc distinctio, vt ipsi eam proponunt, difficulter, aut certe neutiquam deduci queat ex Scriptura, neque etiam ex antiquis Christianæ religionis autoribus, Nos tamen id inconuulsum relinquemus in præsentiarum, & ipsorum more loqui conabimur.

Secundo

Secundo dicunt, Venias, neq; contritionem, neque confessionem adimere, sed tantum satisfactionem. *Veniæ.*

Tertio, Satisfactio diuiditur, in orationem, ieiunium, & eleemosynam, ubi oratio, omnem animi motum, & actionem in se complectitur ad animam proprie attinentem, ut lectionem, meditationem, auditionem uerbi diuini, declamationem ad populum, doctrinam, & id genus. Ieiunium continet omnia opera afflictiua carnis, ut uigilias, labores, duritiem in uestitu, in lectisternijs &c. Eleemosyna est operum amoris & misericordiæ erga proximum, exhibitio. *Satisfactio. Oratio. Ieiunium. Eleemosyna.*

Quarto, Apud omnes Theologos est persuasissimum, quod indulgentiæ auferant huiusmodi opera satisfactionis pro peccatis debita uel imposita, nam si absolute omnia opera satisfactionis adimeret, nihil boni super esset a nobis agendum. *Indulgentiæ auferunt opera satisfactionis.*

Quinto, Multis fuit magna quæstio, sed nondum satis excussa atque definita, imo adhuc controuersa, An uidelicet ultra iniuncta opera satisfactionis, quippiam adimant indulgentiæ? an ne pœnam a Deo pro peccatis, aut inflictam, aut infligendam?

Sexto, Eam quæstionem intactam prætergredior, sed affirmare possum, quod ex nulla Scriptura colligi queat, diuinam iusticiam, siue pœnam, siue satisfactionem exigere de peccatore, Quin ueram tantum & ex corde profectam pœnitentiam aut resipiscentiam, cum uoluntate ad crucem Christi ferendam, prædictaq; opera satisfactionis exercendi, etiamsi nemo impo- *Deus nullam pœnam siue satisfactionem exigit a peccatore.*
Ezech. 18. nat, quia per Ezechielem dictum est. Quicunque peccator conuersus fuerit, & bene egerit, peccatorum suorum amplius non recordabor. Item hoc modo
Luce. 7. ipse omnes absoluit, Mariam Magdalenam, paralyticum, mulierem in adul- *Maria Mag.*
Matth. 9. terio deprehensam &c. Et audire liberet, quisnam aliter ualeat astruere, tam- *Paralyticus.*
Iohan. 8. etsi aliqui ex Doctoribus in eam partem opinati sunt. *Adultera.*

Septimo, Bene fateor inueniri posse, quod Deus iuxta diuinam iusti- *Castigat Deus, ut ad pœnitentiam inuitet.*
Psalm. 89. ciam aliquos castiget, aut per flagella urgeat ad pœnitentiam, ut Psal. 89. Si dereliquerint filij eius legem meam, si iusticias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, Visitabo in uirga iniquitates eorũ, & in uerberib. peccata eorum, Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Sed hanc pœnam amouere aut ignoscere, Deo tantum in manu est, nulli hominum, neque eam ipse omittere uult, sed eam sedulo pollicetur sese inflicturum.

Octauo, Propterea illius imaginariæ pœnæ nomen, quam indulgentiæ excludunt, nemo explicare potest, neque quisquam nouit, quidnam sit, si non est neque flagellum modo expositum, neque bona opera, quæ satisfactionis nominantur.

Nono, Finge, quod ecclesia vel hac tempestate decernat, & aperte declaret, aliquid remitti per indulgentias ultra prædicta opera satisfactionis, nihilominus præstaret infinitis modis, quod nemo Christianus indulgentias redimeret, imo ne peteret quidem, quin potius præoptent, tum facta bona, tum illius pœnæ tolerantiam. Quia indulgentiæ nihil sunt aliud, neque aliud fieri possunt, quam remissio bonorum operum & salutaris pœnæ, Hæc autem amplecti quam refugere, multo æquius est atque honestius, tametsi ex Concionatoribus recentiores quidam commenti sunt pœnas duplices, medicatiuas, ut uocant, & satisfactorias, etenim has ad diluendum commissum, illas ad sanandum, & uitam in melius commutandam prodesse pronunciant. Verum nobis maior facultas est istiusmodi nugamenta contemnendi, quam istis excogitandi, nam quicquid Deus imponit, in emendationem est, & compendium Christianis. *Indulgentiæ non redimendæ. Indulgentia quid sint. Pœnæ medicatiuæ & satisfactoriæ.*

Decimo,

Decimo, Friuolum est, quod dicunt, numerum pœnarum & operum, quibus satisfaciendum pro peccatis, esse maiorem, quam homo in omnem vitam, tum facere, tum perferre queat, ob exiguum vitæ spacium, eoque necessarias indulgentias. Respondeo, quod totum hoc inane, est fictitium, nulloque fundamento nititur. Nam Deus & ecclesia, neminem grauant vltra vires, quod Paulus ipse astruit. Deus, inquit, vos non permittit tentari supra id quod potestis, Neque exigua est contumelia Christianismo, dicere, quod nobis importabilia onera imponat. 1.Cor.10

Canones antiquati.

Vndecimo, Quod si pœnitentiæ per canones antiquatos iniunctæ adhuc essent efficaces, vt pro quolibet peccato mortali, septem annorum pœnitentia exigeretur, oporteret ab eiusmodi constitutionibus Christianitatem abscedere, neque amplius imponere, quam quisque ferre sufficeret, quanto minus putandum est, illis pridem obliteratis plus pijs obtrudi, quam pro viribus expediat.

Duodecimo, Dicitur magno consensu, peccatorem cum reliqua pœna post contritionem & absolutionem, debita, remittendum aut in purgatorium, aut ad indulgentias, verum multa etiam alia temere & supra veri fidem asseruntur.

Decimotertio, Fœdus est error, quod quispiam de peccatis se putet satisfacturum, quæ ex inæstimabili clementia Deus & semper & gratis remittit, atque condonat, nihil a nobis inuicem requirens, quam vt in posterum bene viuamus. Christianitas, bene verum est, aliqua exposcit, quæ potest & debet remittere, & nihil imperare ferendum, quod ferri nequit, neque quicquam molestius.

Ecclesia.

Indulgentiæ obsunt, non prosunt.

Decimoquarto, Indulgentiæ admittuntur, propter inertes & pigros Christianos, qui nolunt animose, neque bona facere, neque mala sustinere, nam indulgentiæ nihil promouent in melius, sed illorum imperfectionem duntaxat tolerant, veluti conniuendo, ideoque ab indulgentijs dehortari non licet, atqui neque licitum est ad eas adhortari.

Fabrica S. Petri.

Decimoquinto, Tutius & vtilius est, dare pure propter Deum ad fabricam S. Petri, aut ad alia, quæ nominantur in indulgentijs, quam pro munere vicissim accipere indulgentias, nam periculum est, ne munus propter indulgentias, & non propter Deum impendat.

Melius dare egentibus, quam redimere indulgentias.

Decimosexto, Multis nominibus est conducibilius largum & munificum animum ostendisse pauperi & egeno, quam sic ad structuram profundere spe indulgentiarum consequendarum, nam plus momenti habet pium opus absoluisse, quam remisisse, & indulgentiæ plurima bona, quæ fieri deberent, condonant, aut certe nihil condonant.

Atqui, vt vere te instruam, animum aduertas. Præcipue dederis, inquam, egenti proximo, si quid es daturus, neque fabrica S. Petri, neque indulgentiæ ab hoc euangelico instituto te dimoueant, nemine vero oppidi tui (profligata inopia rerũ) opus habente auxilio tuo, quod fortasis nunquam futurum est, ad templa, ad altaria, ad ornamenta, calices, clinodia tui oppidi, tunc licet exponere, si lubet, Quo facto, si animus te solicitat, potes impune aut Romam aut alio mittere, tantæ liberalitatis argumenta nemo vetat, modo ne indulgentiarum respectu miseris. Quandoquidem Paulus dicit. Qui domesticis suis non benefecerit, non est Christianus, & peior quouis ethnico, ita libere & constanter sentiendum. Qui aliter docet, seductor est, & animam in crumena tua querit, inuentosque numos omnibus animabus anteponit, & plus amat. Quispiam forte respondet. Sic nunquam indulgentias redimerem. 1.Tim.5.

Prius

Prius, inquam, ita contendebam, ita expetiui, oraui, cõsului, ne indulgentias compares, ea facultate somniculosis permissa, tibi recta pergendum est.

Decimo septimo, Indulgentiæ neque præcepti, neque consilij sunt, sed ex illarum rerum numero, quæ permittuntur, & sub permissionem cadunt, ideoq; non sunt factum aliquod obedientiæ, neque etiam ullo modo meritoriæ, sed tantum excussio quædam obedientiæ. Vnde consequitur, q indulgentiæ, quamuis interdicendæ non sunt, amoti tamen & subtracti ab eis Christiani, ad opera & pœnas, quæ remittuntur, excitari debent. *Indulgentiæ neq; præcepti neq; consilij sunt.*

Decimo octauo, Quod animæ per indulgentias ex purgatorio liberentur, nondum exploratum habeo, neque credo, tametsi Recentiores id asseuerant, sed probandi facultatem non habent, neq; ab Ecclesia sancitum est. Quare securius est, ut pro animabus ipse preceris, & exerceas opera pietatis, id quidem remedij receptius atq; certius habetur. *Animæ è Purgatorio non liberantur.*

Decimo nono, In prædictis nihil dubito, quæ idoneis argumentis omnia nituntur, & Scriptura, & euangelicis Decretis, longum ualere dicto doctoribus Scholasticis, qui uniuersi neutiquam sufficiunt, unam ad populum concionem sacram confirmare, eadem mecum amplectamini sine dubitatione, sine formidine oppositi. *Doctores Scholastici.*

Vicesimo, Si qui de hæreseos crimine me traducunt, quorum scrinijs potissimum aperta Veritas uehementer officit, non magnopere curo. Neque istorum clamosas contumelias magnopere reformido, obscuri sunt, cerebri tenebricosi, Bibliæ gustus inexperti, neq; Christi doctrinam unquam legerũt, neque proprios autores, quos adorant, intellexerunt, Quinimo laceris & cariosis opinionibus fere detriti sunt, etenim suis assertionibus perspectis cognouissent, nequaq; condemnandum eum, qui non solum nõ peractus est reus, sed ne reus quidem factus. Verum ipsis ac nobis, Deus mentem largiri dignetur sanam ac rectam. *Sycophantas non curat.*

II. DE POENITENTIA.

DE Indulgentijs sæpe locutus sum uobis, donec id meruerim, ut Hæreticus accuser. Vt autem rem ipsam teneatis, possitisq; uosipsi cum illis conferre, ecce procedã iuxta eorũ sententiam, nisi ubi locus fuerit mea interserendi.

Igitur eorum sententia, Pœnitentia diuiditur in tres partes, quæ sunt, contritio, confessio, satisfactio. *Tres partes pœnitentiæ, secundum Scholasticos.*

PRIma, Contritio (sic enim cœpit uocari uera pœnitentia interior) duplici uia paratur. Primo per discussionem, collectionem, detestationem peccatorum, qua quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ; ponderando peccatorum grauitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deinde amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, quæ possunt tristiciam & dolorem excitare spe satisfaciendi per opera bona. *Contritio.*

Hæc autem contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem, quia solum timore præcepti, & dolore damni id facit. Et tales omnes indigne absoluuntur & communicantur, & si libere deberent (remoto præcepto, & minis pœnarum) confiteri, certe dicerent sibi non displicere eam uitam præteritam, quam sic coguntur displicere confiteri, imo quo magis timore pœnæ, & dolore damni sic conterũtur, eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem uolunt odisse, siquidem Lex & cognitio peccati, magis abundare facit peccatum, ut Apostolus ait Roma. 5. Et hæc est illa contritio, quam ipsi uocant extra charitatem non meritoriam. Alij uocant attritionem proxime disponentem ad contritionem, sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego iudico. *Contritio, quam docent Scholastici, facit hypocritam.* *Lex.* *Rom. 8.* *Attritio disponit ad contritionem.*

 Secundo

Error Thomæ. Secundo paratur per intuitum & contemplationem speciosissimæ iusticiæ, qua quis in pulchritudine, & specie iusticiæ meditatus in eam ardescit & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator sapientiæ, cuius pulchritudinem uiderat, hæc facit uere pœnitentē, quia amore iusticiæ id facit, & hi sunt digni absolutione. Exempli gratia, Si uis pœnitere de luxuria, non incipias numerare uicia, fœditates, damna eius, nam hæc nō diu tibi durabunt, quum sit uiolenta contritio, ex ui præcepti facta, sed intende in speciem castitatis, atque ad commoda eius pulcherrima, ut ipsa tibi intime placeat. Sic de omnibus alijs uirtutibus. Sapien. 7.

Regula. Sed hic Regula talis notanda est, quod intuitus uirtutum fit dupliciter abstractiue, seu per se, & sic carnalem hominem parum mouent, quomodo traditur per uerbum prædicationis, sic enim non nisi speculatiue uidetur. Concretiue, siue per aliud, hoc est, exempli gratia, ut intuearis homines, qui tali uirtute lucent, quorum omnium speculum primum est Christus, deinde Sancti in cœlo. Verum rudem & incipientem maxime mouent exempla præsentia, & sui seculi.

Christus exemplar recte uiuendi.

Ideo uirginitatem in uirginibus, & innocentibus pueris intuere, usque dum gemas à facie pulchritudinis eius, Sic & castitatem, charitatem, patientiam, reliquasque omnes.

Anshelmus. Augustinus. Sic enim B. Anshelmus docet ascendere ad amorem Dei, ex amore hominis boni. Sic B. Augustinus suam contritionem hausit ex intuitu illorum, quos ex Pontiano audiuit, & ipse confitetur Ecclesiam sibi ostendisse plenis manibus exempla uirginū & continentium, & sic odore illo optimo allectū. Sic & Apostolus se esse bonum odorem alijs in uitam, alijs in mortem. Signum est enim ueræ contritionis, si inspecto homine casto, humili, benigno, suspires ex corde, quia non est talis. Sic & Ecclesia orat, ut Deus nos per exempla Sanctorum suorum restauret. Et B. Augustinus lib. 8. Confess. Psalm. 120. sic exponit: Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus uastatoribus, Sagittas interpretans uerba uirtutes prædicantia ad abstractiuam cognitionem, & carbones uastatores, exempla Sanctorum, uastantia omnem linguam dolosam, imo malam cupiditatem. 2. Cor. 2. Psal. 120.

Signum ueræ contritionis.

Boni imprudentes aliquando prosunt. Sic admirabili sapientia Dei fit, ut nullus sibi bene uiuat. Et sæpius fit, ut boni alijs prosint dum nesciunt, imo fere semper nesciunt, qui dum incedunt simpliciter, alij eorum uerbis & uita mouentur miro affectu. Denique & pueri infantes ita nobis uiuunt, ut nobis innocentiæ speciem suauissime commendent, atque ad pœnitentiam prouocent. Sunt enim uiua monitoria. Non est itaque quod queraris tibi deesse uirtutum exempla uiua, pueros intende, sicut Christus docuit, exhibens paruulum discipulis suis, Hæc est pœnitentia iucunda, uera, stabilis, & ex spiritu nata.

Pueri innocentes sunt uiua monitoria.

Pœnitentia uera.

Amor. Odium. Zelus. Ratio omnium prædictorum est. Impossibile est, ut odias aliquid uero odio & perfecto, cuius contrariū non prius dilexeris. Amor semper est prior odio, & odium natura & sponte fluit ex amore, & sic nascitur zelus, qui est iratus amor, id est, odium mali propter bonum, Sic odium peccati & detestatio uitæ præteritæ, nulla cura, nullo labore quæsita, ueniunt sua sponte, alioqui peruersissimo ordine, & nunquam profuturo studio quæritur amor iusticiæ, per odium peccati, imo machina desperationis, & deijciendi animi est talis peruersitas. Pœnitentia enim debet esse dulcis, & ex dulcedine in iram descendere ad odium peccati, Amor enim est uinculum perpetuum, quia uoluntarium, odium temporale, quia uiolentum. Igitur persuade homini, primum, ut diligat iusticiam, & sine magisterio tuo conteretur de peccato, diligat Christum, & statim sui prodigus odio habebit seipsum. Sic Psal. 45. Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem, prius inquit, dilexisti iusticiam, & sic odisti iniquitatem &c. Psal. 45.

Pœnitentia qualis.

CORO.

COROLLARIVM.

PLus tibi discutiendum est confessuro, quantum diligas iusticiam, quam quantum odias peccatum, multoque maiore, imo solo hoc labore tibi cogitandum est, quomodo futuram uitam agas bonam, quam quomodo deseras aut odias præteritam malam. Verissimum est enim Prouerbium, & omni doctrina de contritionibus hucusque data præstantius, quo dicitur germanice: Nimmer thun/ die höheste Busse. Optima pœnitentia noua uita. Sicut & Apostolus sonat ad Galat. 6. In Christo neque circumcisio, neque præputium aliquid ualet, sed noua creatura. *Optima pœnitentia noua uita.* *Gala. 6.*

Proinde confessurus id potissimum & ante omnia tecum cogita, quid faceres, si non esset præceptum confitendi, si nulla esset Quadragesima, si nulli confiterentur, si nullus esset pudor, sed omnis omnium plenaque libertas? An etiam sic uelles confiteri, conteri, pœnitere? Quod si te non ita inuenis, iam scito te non ex amore iusticiæ, sed consuetudine & timore præcepti pœnitere, atque malle sequi turbam, si omnibus liceret non pœnitere. Si autem uelles, etiamsi nullus pœniteret, cōfiteretur, contereretur, atque adeo si totus mūdus aliter ageret, nec præcepti habita ratione pœnitere, sed amore nouæ uitæ & melioris, iam uere pœnites. Ecce hoc est, quod illi solent dicere, quod contritio in charitate facta, facit remitti peccata, Quod uerbum nescio, si omnes intelligunt, qui tam frequenter ipsum in ore uersant, hoc scio, obscurissimum esse, nec à me aliquando intellectum. *Confessuro quid cogitandum.* *Contritio in charitate facta.*

Hic uero inuenies, si non uis mentiri, te non esse talem, sed potius uelles, ut prior uita liceret, quia sentis te omnino adhuc inclinari ad uitam priorem. Sic enim & B. Augustinus confitetur in contritione sua, se fuisse sollicitatum de uita præterita. Imo si recte perpendas hæc dicta, facile dices, nullum hominem esse in mundo, qui hanc contritionem habeat, uel saltem paucissimos, Et de meipso confiteor similia omnino. Et si uere ac libere uelis confiteri, remoto Deo, præcepto, pœna, gaudio, scio dices: Si nullus esset Deus, nullus infernus, certe uix pœniterem, scio, inquam, talem esse tuam cogitationem, quantumlibet foris contritionem ostendas. *Augustin.* *Perfectam contritionem nullus habet.*

Quid ergo hic faciemus? Oportet nos esse tales, & non possumus esse tales, omnes ergo damnabimur? Absit. Sed respondeamus: Oportet, ut cognito te tali, non neges te talem, sed in angulum uadas, & iuxta consilium Christi, in abscondito ores Patrem tuum in cœlis, dicens sine fictione: Ecce optime Deus, pœnitendum mihi præcipis, sed talis sum ego miser, quod sentio me nolle, neque posse, Quare tuis prostratus pedibus, oro misericordiam & gratiam, fac pœnitentem, quem iubes pœnitere. Et sic cum B. Augustino ores: Domine, da quod iubes, & iube quod uis. Et cum Ecclesia: Cor pœnitens tribue. Hæc, inquam, oratio & agnitio atque confessio, impœnitentiæ tuæ (si ficta nō fuerit) eo ipso faciet, ut Deus te pœnitentem uerum reputet. Et licet multum adhuc sentias te ad malum inclinatum, noli timere, Hæc confessio & oratio faciet, ut Christus suppleat de suo, quod deest de tuo. *Obiectio.* *Responsio.* *Matth. 6.* *Augustini dictum.* *Confessio impœnitentiæ.*

Atque vt hanc orationem facias, non te retrahat indignitas & impuritas tua, accede confidenter, Quia si nō ante uis orare Deum (ut multi stultissime agunt) quam fueris mundus, nunquam orabis. Et crede firmiter, Qui dedit tibi hanc tui cognitionem peccati, te non rogante, dabit etiam gratiam oranti, imo ideo dedit cognitionem peccati et iusticiæ, ut rogares gratiam. Sic B. Augustinus cum Apostolo dicit: Per legem cognitio peccati, ut gratia donetur & impetretur. Accipe simile. Gentiles olim idola sua rogabant, & fiebat quod petebatur, Et auarus confidit in diuitias suas, & fit sicut uult, Quanto magis ille uerus & bonus Deus non sinit se frustra rogari, & in se confidi. *Etiam indigni ac immundi orent.* *Simile.*

COROLLARIVM I.

Contritio uera.

CONtritio vera non est ex nobis, sed ex gratia Dei, ideo desperādum de nobis, & ad misericordiam eius confugiendum.

COROLLARIVM II.

Contritio per totam uitam durat. *Pœnitentia in charitate facta.*

CONtritio incipit in pœnitente, sed non cessat per totam vitam usq; ad mortem, & non (ut multi putant) durat per horam confessionis duntaxat. Ecce sic habes, quomodo intelligas quod illi dicunt, Oportere pœnitere in charitate, & cum bono proposito, quantum Deus auxilium gratiæ dederit. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere, nisi q; potest dicere: Nescio an sim contritus, rogo tamen Dominum atque confido, me sua gratia contritum, & quotidie magis conterendum. Hæc de prima parte.

Confiteri omnia mortalia impossibile.

SEcunda pars est confessio sacramentalis. Et hic duo sunt notanda. Primum, ut nullo modo præsumas confiteri peccata uenialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas, ad impossibile autem nemo obligatur. Vnde in primitiua Ecclesia solum manifeste mortalia confitebantur, ut patet 1. Corint. 5. Si quis inter uos est fornicator, aut auarus, aut idolatra, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusce modi nec cibum sumite. Et illud Gal. 5. cap. Manifesta sunt opera carnis &c. Vnde multi confitentur, in quinq; sensibus, septem donis, septem sacramentis, octo beatitudinibus, & alijs multis distinctionibus peccatorum, uelut id curantes, ut nullum peccatum non confiteantur, cum tamen inter ea quandoque nullum uel uix ueniale sit peccatum, & fatigant frustra sacerdotem, perduntq; tempus, ac alijs sunt impedimento.

Primitiuæ Ecclesiæ confessio. *1. Cor. 5.* *Galat. 5.* *Scrupulose confitentes.*

Duplex confitendi modus. *Peccata non manifeste mortalia, sunt Deo, non sacerdoti, confitenda*

Ideo duplici sis confitendi modo instructus. Vno, quo sacerdoti omnia manifesta mortalia confitearis, quanquam difficile sit discerni mortalia à uenialibus, nisi sint in opere manifesto, aut euidenti consensu cordis, ut maledictio, furtum, homicidium, luxuria, detractio, ira, amaritudo &c. Alio, quo Deo confitearis reliqua omnia, imo cum B. Hiob. dicas: Verebar omnia opera mea, sciens quoniam non parcis delinquenti. Et Psal. 19. Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine, nam nulla sunt opera nostra etiam bona, quin sint peccata damnabilia, si Deus in iudicium intret nobiscum. Sic dicit Psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item: Omnis homo mendax &c. Sola uero ista confessione humili & oratione nobis ignoscuntur, & fiunt meritoria. Vnde & iussit nobis, ut oremus: Dimitte nobis debita nostra.

Hiob. 9. *Psal. 19.* *Psal. 143.* *Psal. 116.*

Quocirca, dum uolumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, q̄ q; misericordiæ Dei nihil uolumus relinquere ignoscendum, nec confidere in eum, sed in confessionem nostram cupimus, ac per hoc uolumus securi esse, nec iudicium eius timere, Cum tamen ei sit beneplacitum super timentes eū, & in eis, qui sperant super misericordiam eius. *Psal. 144*

Hæc ideo dixi, vt sitis præmoniti atque præmuniti in hora mortis, ubi Diabolus non solum mortalia occulta opponet & magnificabit, sed ex uenialibus, imo ex bonis operibus, faciet non nisi horrenda peccata, & totam uitam perditissimam ac damnabilem ostendet, ut scias quid facias, scilicet, ne tunc dicas: Heu, utinam essem confessus, aut tempus haberem confitendi, ne forte desperes, quod ipse cupit, sed confide, & dicas: Scio, q; omnis uita mea est damnabilis, si iudicetur, Sed Dominus iussit, non in mea uita, sed in sua misericordia confidere, sicut ait: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Psal. 63. Quoniam melior est misericordia tua super uitas. Sic enim B. Bernhardus, Cum aliquando moriturum se crederet, perdidi tempus meū, quia perdite uixi, nec habeo, nisi, quod cor contritum & humiliatum

Confidendum in misericordia Dei. *Matth. 9.* *Psal. 63.* *B. Bernhardus.*

Deus

Deus non despicies. Sic sic timor iudicij humiliabit te, sed spes misericordiæ exaltabit humiliatum. *Timor iudicij. Spes misericordiæ.*

Secundum, uide, ne vllo modo te confidas absolui propter tuam contritionem, sic enim super te & tua opera confides, id est, pessime præsumes, Sed propter uerbum Christi, qui dixit Petro: Quodcunque solueris super terram, solutum erit et in cœlis. Hic, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris solutionem, & crede fortiter, te absolutum, & absolutus uere eris, quia illa nõ mentitur, quicquid sit de tua contritione. Nam sic non crederes sententiæ pronunciatæ super te à Deo, qui mentiri non potest, ac sic te ueracem, & ipsum mendacem faceres, nam sententia illa debet esse rata & certa. *Absolutionis uerus usus.* *Fides confitentis necessaria.*

Ideo multo magis tibi hic uidendum, quomodo nihil huic fidei desit, quam cæteris omnibus. Imo esto per impossibile, quod confessus non sit contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absoluat, si tamen credat sese absolutum, uerissime est absolutus, tanta res est fides, & tam potens uerbum Christi. Damnantur itaque qui nolunt confidere sese absolutos, donec certi sint, se satis contritos, & super arenam, non super petram, uolunt domum conscientiæ suæ ædificare. *Fides.*

Sic legitur in Ecclesiastica Historia, libro decimo, capite decimoquarto, quod B. Athanasius ludens cum pueris, baptizauit eos, sicut uiderat fieri a sacerdotibus, et baptizatos iudicauit B. Alexander episcopus. Item, quidam Mimus illudens, baptizari uoluit, ad placendum Imperatori, & inter ludendum, uiso angelo cum libro, credidit, & eo ipso ludicro baptismo uere est baptizatus. Quare plus est a confitente requirendum, an credat sese absolui, quam an sit uere contritus, Sicut Christus a cæcis quæsiuit: Creditis me posse uobis hoc facere? Et merito, quia contritio nunquam est uera satis, quod si esset uera, non est tamen certa, etsi esset certa, non tamen esset satis. Fides autem & uerbum Christi sunt uerissima, certissima, sufficientissima. *B. Athanasius. lib. 10. Eccle: Histo; cap. 14.*

Ruit ergo hic error illorum, qui dicunt, quod sacramenta nouæ Legis sic sunt efficacia gratiæ signa, quod si quis etiam non sit contritus, sed attritus, modo non ponat obicem actualis peccati uel propositi mali, gratiã cõsequatur. *Error Scholasticorum.*

Ego autem dico tibi, quod si etiam contritus accesseris, & non credideris in absolutionem, sunt tibi Sacramenta in mortem & damnationem. Fides enim necessaria est, quanto minus attritio vel non positio obicis sufficit, Denique talis nullus est in mundo, qui non ponat obicem, nisi solus is, qui credit, cum sola fides iustificet, & accedentem ad Deum oporteat credere. Verissimum est enim dictum illud commune: Non Sacramentum, sed fides sacramenti iustificat. Et B. Augustinus: Abluit sacramentum, nõ quia fit, sed quia creditur. Quod si Sacramentum non iustificat, sed fides sacramenti, quanto minus contritio, aut non positio obicis iustificat, sed fides &c. *Ebre. 11.* *Fides sacramenti iustificat.*

At hic tum Quæstio resurget: Quomodo ergo differunt Sacramenta ueteris & nouæ legis, si hæc æque non dant gratiam sicut illa? Hæc ad aliud pertinent tempus. Satis sit, quod Sacramenta nouæ legis sunt efficacia signa gratiæ, si credis, & non amplius. Hæc de secunda parte.

TErtia est satisfactio, de qua quidem nihil legitur in Scripturis. dicunt tamen eam duobus modis fieri. Vno modo per impletionem operum, que sunt eleemosynæ, ieiunia, orationes. Alio modo per indulgentias. Sed de his habetis uulgarem Sermonem nuper impressum, ideo ad præsens omitto, legite ibidem. *De satisfactione nihil legitur in Scripturis.*

FINIS.

PIO LECTORI.

HVius Siluestri, & aliorum similium defensorum Antichristi scripta, praecedentia & sequentia hoc consilio, pie Lector, inserimus huic operi, ut extet ad omnem posteritatem, doctrinae testimonium, quae in Papatu, neglecto ac prorsus obruto Christi Euangelio, infoelici populo proposita est, Vtq; uideas iustissimis & necessarijs causis Lutherum diuinitus excitatum & impulsum esse, ut omnium primus nostra aetate detestabiles ac execrandas abominationes Papatus taxaret, ueteremq; ac puram Ecclesiae doctrinam, quantum Deus concessit, illustraret, Pro quo summo beneficio sit Deo, ac patri Domini nostri Ihesu Christi, laus & gloria in aeuum, Amen.

REVERENDI PATRIS:

FRATRIS SILVESTRI PRIERIATIS, ORDINIS PRAEDICATORVM, ET SACRAE Theologiae Professoris celeberrimi, sacriq; Palatij Apostolici Magistri, In praesumptuosas Martini Lutheri Conclusiones, de potestate Papae, Dialogus.

BEATISSIMO PATRI LEONI X. PONTIFICI MAXIMO, FRATER SILuester Prierias, Ordinis Praedicatorum, sacriq; Palatij Magister, aeternam Salutem.

Escio, Pater beatissime, an vllo sim tempore laetior, q; cum tuae Beatitudinis contemplatione, & gratia aliquid efficio. Quo actum putarim, ut Commentarijs in primum secundi conflatis ex D. Thoma immersus potius q; implicitus cùm aedendis, tum exornandis & consumandis, non potuerim tanta voluptate detineri, quin reiectis, ac postergatis studijs & contemplationibus proprijs, Martino nescio cui Luther, qui in ueritatem ipsam, & sanctam hanc Sedem ceruicem eleuatam ostentat, me scutum opponerem, pro Sedis huius, proque ueritatis honore, ac maiestate pugnaturus, Deniq; tridui laborem in opus istud absumpsi, tanta laeticia & animi iucunditate, vt amor ipse mihi sensim veritatem inferret, illaq; iugiter ac celerrime animo illaberetur.

Oro vero, Beatitudo tua, pauca ista, quae elucubraui, in tantis & tam infestis laboribus, item & curis, percurrere non dedignetur, & sua beneuola censura, inepte dicta aut elimare aut eliminare, Ita enim fiet, vt tanta sim posthac fiducia, ac si fida lorica instructus, vt etiam Satanam ipsum in futuro certamine non extimescam, imo auidus experiri cupiam, an ferreum nasum, aut caput aeneum gerat iste Martinus, vt effringi non possit. Vbi vero is sua fundamenta in lucem extulerit, sua

probaturus

probaturus, aut improbaturus nostra, quiddam (volente Deo) moliar, & maius, & accuratius expolitum. Aeternum vale, benignissime Pastor.

SACRARVM LITERARVM PROFESSORI, Martino Luther, Frater Siluester, de Prierio, ordinis Prædicatorum, spiritum humilitatis & ueritatis.

ETsi longa mora intercedente, Martine mi, literarias manus conferre desueuerim, eo vel maxime, quod tarda senecta iam frigeant effetæ uires, Tuis tamen verbis excitus, ac pene impulsus, quibus vndique Athletas, quasi alter Dares, in certamina vocas, desuetas palestras pro S. Apostolica sede, item pro veritate tuenda denuo aggredi statui.

Quoniam vero codicis abs te (vt fertur) editi, fundamenta cernere non datur, nec tu conclusionibus tuis probationem vllam attulisti, earumque complures sensus cum veros, tum etiam falsos præ se ferant, Non aliter in primis tecum congredi velim, quam tuarum falsarum Positionum opposita sustinendo, & defensando, vt quibus innitaris fundamentis, edoceas, Quasque ergo tuas sententias percurrens, ac trutinans, Dialogo, nobis ipsis, qui certaturi sumus, Interlocutoribus (Deo maximo optimo inuocato) futuro certamini iam principiũ affero. Vale, & melius sentias.

RESPONSIO MAGISTRI SILVESTRI DE Prierio, ordinis Prædicatorum, sacri Palatij Magistri, ad Conclusiones Magistri Matini Lutheri.

Lutherus ad Spalatinum in Epistola, cuius initiũ est. Quod me in Dresden aliqui asserant &c. indicat quo tẽpore editus sit is Dialogus, his uerbis. Miror Siluestres nugas non fuisse tibi redditas à Priore Grimmensi. Anno M. D. XVIII. die 14. Ianuarij.

TVum dogma ad examussim cribraturus, Martine mi, normas & fundamenta iaciam, necesse est.

Fundamentum primum.

Ecclesia vniuersalis essentialiter est conuocatio in diuinum cultum omnium credentium in Christum. Ecclesia uero uniuersalis uirtualiter est Ecclesia Romana, Ecclesiarum omnium caput, & Pontifex maximus. Ecclesia Romana representatiue est collegium Cardinalium, Virtualiter autem est Pontifex summus, qui est Ecclesiæ caput, aliter tamen, quam Christus.

Fundamentum secundum.

Sicut Ecclesia uniuersalis non potest errare determinando de fide, aut moribus, Ita & uerum Conciliũ, faciens quod in se est (ut intelligat Veritatem) errare non potest, quod intelligo incluso Capite, aut tandem ac finaliter, licet forte prima facie fallatur, quousque durat motus inquirendæ ueritatis, imo etiam aliquando errauit, licet tandem per spiritum Sanctum intellexerit ueritatem, & similiter nec Ecclesia Romana, nec Pontifex summus determinans ea ratione, qua Pontifex, id est, ex officio suo pronuncians, & faciens quod in se est, ut intelligat ueritatem.

Fundamentum tertium.

Quicunque non innititur doctrinæ Romanæ Ecclesiæ, ac Romani Pontificis,

tificis, tanquam Regulæ fidei infallibili, à qua etiam sacra Scriptura robur trahit & autoritatem, hæreticus est.

Fundamentum quartum.

Ecclesia Romana, sicut uerbo ita & facto potest circa fidem & mores aliquid decernere. Nec in hoc differentia ulla est, præter id quod uerba sunt accommodatiora quam facta. Vnde hac ratione consuetudo uim Legis obtinet, quia uoluntas principis factis permissiue aut effectiue exprimitur. Et consequenter, quemadmodum hæreticus est male sentiens circa scripturarum ueritatem. Ita & male sentiens circa doctrinam & facta Ecclesiæ in spectantibus ad fidem, & mores, hæreticus est.

COROLLA.

Qui circa Indulgentias dicit, Ecclesiam Romanam non posse facere id quod de facto facit, hæreticus est. Age nunc Martine & tuas Conclusiones in medium afferas.

LVTHERVS.

1. Ominus & magister noster Ihesus Christus dicens: Pœnitentiam agite, omnem uitam fidelium pœniten-
2. tiam esse voluit. Quod verbum de pœnitentia sacramentali, id est, confessionis & satisfactionis, quæ sacerdotum ministerio celebratur, non potest intelli-
3. gi. Non tamen solam intendit interiorem, imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

SIL. His uerbis tres conclusiones, Luthere, comprehendis, & uerbaliter saltem quatuor falsitates. Prima falsitas est, quod Saluator impossibile iusserit, scilicet fideles omni tempore habere actum pœnitentiæ interioris uel exterioris. Cum enim dicit: Agite, non loquitur de habituali interiori pœnitentia, quæ sola perpetua est, & cõsequenter loquitur de actuali interiori uel exteriori, Agere enim uel actus uel non sine actu est.

SEcunda, Verbum Christi dicentis: Pœnitentiam agite, non potest intelligi de sacramentali pœnitentia. Tripliciter enim pœnitentia dici consueuit, Primo scilicet, ut est uirtus quædam, cuius obiectum est, peccatum sub ratione emendabilis, actus uero eius est dolor uoluntatis de peccato, ipsa uero est habitus moralis, eliciens dictum actum respectu prædicti obiecti. Secundo uero pœnitentia est Sacramentum, cuius partes sunt contritio, confessio & satisfactio. Tertio accipitur uulgariter pro satisfactione iniuncta à sacerdote, & omni carnis mortificatione. De qualibet autem harum trium, dico prædictum uerbum Christi non solum posse, uerum etiam & debere intelligi, cum ipse sufficienter mandarit de bono opere efficiendo.

TErtia falsitas est ad hominem, id est, ad te, quod scilicet Christus non intendit loqui solum de interiori pœnitentia, hoc enim in se quidem uerum est, sed tibi, qui uis Christum his uerbis indicere pœnitentiam in omni uita, de exteriori non potest intelligi, quam oportet intercidere somno & gaudio, gaudendo cum gaudentibus, & huiusmodi. Vnde tibi solum de interiori potest intelligi, non omni, sed habituali, quia etiam interiorem actum liberi arbitrij dormientes necessario intercidimus.

QVArta uero falsitas est, quod interior pœnitentia nulla est, nisi foris operetur uarias carnis mortificationes, imo dico, quod exterior sine interiori nulla est, interior autem sola potest hominem saluare. Potest tamen huc tuum dictum uerum, & à Saluatore intentum, habere sensum, scilicet, quod omnis in-

terior

terior pœnitentia operatur uarias carnis mortificationes exterius, id est, pro loco, & tempore, id est, quando, ubi, & quomodo oportet, sed hic sensus tibi uidetur impossibilis.

LVT. Manet itaque pœna, donec manet odium sui (id est, pœnitentia vera intus) scilicet usque ad introitum Regni cœlorum. 4.

SIL. Si per pœnam interiorem mortificationem, Martine, intelligis, quid inde conijcitur, ꝙ pœnam contra odium sui, & interiorem pœnitentiam diuidis, intelligi non potest, nisi ut dictū est, id est, pro loco & tempore, aliter hæc doctrina falsa, impossibilis & erronea est. Præterea improprie dictum est odium sui, quantum ad uere pœnitentes attinet, nullus enim imbutus gratia diuina odit se, sicut nec proximum, quem ad instar sui diligit.

LVT. Papa non vult, nec potest vllas pœnas remittere, præter eas, quas arbitrio vel suo vel Canonum imposuit. 5.

SIL. Supposito, ꝙ Ecclesia per Indulgentiarum usum concedat liberationem unius animæ, uel plurium à Purgatorio, quod facere nequit, nisi relaxando pœnam inflictam a Deo, supposito etiam, ꝙ Ecclesia faciat Indulgentias plenarias simpliciter, relaxando uidelicet omnem pœnam, nulla habita mentione de iniuncta, ita, ꝙ tali Indulgentia rite assecuta, anima statim è corpore soluta euolaret, iuxta Sanctorum interpretationem, Dico Luthere, ꝙ male sentis de facto Ecclesiæ circa fidem, aut mores, Quia posito casu possibili, quod peccator teneatur ad pœnam iniunctam a sacerdote. Item ad iniunctam a Canone, & ulterius istis non sufficienter expurgantibus. Tertio teneatur ad pœnam iniungendam a Deo, tali casu (secundum te) rite assequens Indulgentiam plenariam, decedens statim non euolaret, etsi daretur ei Indulgentia liberationis a Purgatorio, si ibi non esset, nō liberaretur, & ita circa factum Ecclesiæ male sentis, & a Sanctis dissentis. Et ideo meo iudicio ista Conclusio est hæretica.

Vnde & S. Thomas in quarto, distin. xx. dicit, ꝙ ista opinio, scilicet, ꝙ Indulgentiæ ualeant solum ad remissionem pœnę iniunctæ a sacerdote, uel Canone, est contra priuilegium datum Petro, ut quod in terra remitteret, etiam in cœlo remitteretur. Et Præterea secundum istam opinionem, inquit S. Thomas, Ecclesia huiusmodi Indulgentias faciens, magis damnificaret homines, ꝙ iuuaret, quia absoluendo a pœnitentijs iniunctis remitteret ad grauiores, id est, purgatorias, Hæc S. Thomas. Cum tamen Indulgentia non est plenaria, nec fit secundum aliquam partem quotam reatus, puta remittendo tertiam partem pœnarum, nec conceditur liberatio alicuius animæ a Purgatorio, aliquem colorem habere posset ista Positio, quantum ad id quod dicit, ꝙ Papa non uult, quia communiter dicit: De iniunctis pœnitentijs relaxamus. Sed quia subditur: Nec potest, quo ad hoc Positio hæretica est, auferens aut truncans priuilegium Christi ad Ecclesiam.

LVT. Papa non potest remittere vllam culpam, nisi declarando & approbando remissam a Deo, aut certe remittendo Casus reseruatos sibi, quibus contemptis, culpa prorsus remaneret. 6.

SIL. Etsi Conclusio ista quoquo modo habeat apparentiam in his, qui clauibus Ecclesiæ se contriti subijciunt, & consequenter iustificati a culpa, In attritis tamen, qui uirtute clauium (iuxta Sanctorum interpretationem) fiunt contriti, non Papa modo, uerum sacerdos quisq; peccata dimittit dispositiue & ministerialiter, id est, applicando claues & sacramenta istis, non autem ea remittunt autoritatiue, sed hoc excellentioris est potestatis. Vnde hanc Conclusionem dico falsam, & gratia disputandi substineo ꝙ sit hæretica, esto ꝙ hæretici non sint eius positores.

LVT. Nulli

7. LVT. Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul eum subijciat humiliatum in omnibus sacerdoti suo Vicario.

SIL. Leprosus (spiritualiter) Luthere es, gestas enim cutem uariam, & maculosam ueris falsisq; coloribus, dum multis falsis pauca uera cõmisces, uerumq; reddis dictum illud Bedæ, Quod nulla tam falsa doctrina sit, quæ aliqua uera non intermisceat.

8. LVT. Canones pœnitentiales solum uiuentibus sunt impositi, nihilq; morituris secundum eosdem debet imponi.

SIL. Dico ad hoc dictum, ut ad præcedens proxime.

9. LVT. Inde nobis benefacit spiritus Sanctus in Papa, excipiendo in suis Decretis, semper articulum mortis & necessitatis.

SIL Recte quidem loqueris, sed quæ dicis, nihil proposito attinent, cum non excipiat Pontifex articulum mortis, quo ad impositionem pœnitentiæ, sed quo ad reseruationem absolutionis.

10. LVT. Indocte & male faciunt Sacerdotes hi, qui morituris pœnitentias canonicas in Purgatorium reseruant.

SIL. Recte doces, sed tamen, quod in alijs culpas, admittis. Cum enim doces, q; Pontifex solum illas pœnas donat, quæ arbitrio suo uel Canonum sunt iniunctæ, teste D. Thoma, absoluis ab his, & ad purgatorias grauiores animas adducis.

11. LVT. Zizania illa de mutanda pœna canonica in pœnam purgatoriam videtur certe dormientibus Episcopis seminata.

SIL. Dico ut proxime.

12. LVT. Olim canonicæ pœnæ non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta ueræ contritionis.

SIL. Nunc quoq; nostra tempestate, quando pœnæ sunt arbitrariæ, idem in omni pœnitentia seruandum dico per Cle. dudum de sep. ubi & Iohan. And. nisi forte nullum sit dubium, quin pœnitens pœnitentiam iniungendam sit acceptaturus & expleturus.

13. LVT. Morituri per mortem omnia soluunt, & legibus canonum mortui iam sunt, habentes iure earum relaxationem.

SIL. Quod astruis uerum est, ubi pœna ex canone tantum debetur, quod si eam, quam imponit Canon, etiam diuina iusticia exigat, Purgatorium neges, necesse est.

14. LVT. Imperfecta sanitas seu charitas morituri necessario secum fert magnum timorem, tantoque maiorem, quanto minor fuerit ipsa.

15. Hic timor & horror satis est se solo (vt alia taceam) facere pœnam Purgatorij, cum sit proximus desperationis horrori.

SIL. His dictis, Luthere, duas Conclusiones & tres falsitates comprehendis, & quidem temere, Temeritas enim est in his, ad quæ nobis naturalis ratio non suppetit, uelle aliquid nostra autoritate definire, præter & à fortiori, contra ea quæ in doctrina fidei sunt, uel Sanctorũ, qui eodem spiritu Scripturas interpretati sunt, quo editæ fuere. In his præcipue, quæ fidei & morum sunt, in quibus concorditer docuere, imo non solum temerarium, sed erroneum est, nec dicam hæreticum, ut ex quarto fundamento liquet.

PRima

PRIma autem falsitas est, quam aperte innuis, ꝙ hi, qui in Purgatorio continentur, nesciant se saluandos, quod apertius etiam innuis infra Conclusione tua 19. Ego uero cum D. Thoma, cuius doctrina, quantum ad fidem & mores attinet, per regulam fidei ecclesiam Romanam, & discussa & probata est, dico, ꝙ qui purgantur, sciunt se liberandos, alioqui à nobis suffragia non expeterent, quod crebro faciunt, ut liquet ex lib. dialog. Gregorij.

SEcunda uero falsitas est, ꝙ qui purgantur, timeant, præterquam filialiter, quæ enim iam sustinent in præsenti, non timent, quia timor de futuro est malo, alia autem mala, præter ea, quæ sibi inter purgandum hærent, non timent, cum sciant se ab his malis ad gloriam transituros, ut dictum est.

TErtia falsitas est, ꝙ hic timor se solo satis sit facere pœnam purgatoriam, quod utiq; falsum affirmo, quia nec facere potest cum non sit, nec se solo, alioqui impius esset Deus, quippe qui prẹter istam sufficientem (ut astruis) pœnam alias apponat, puta assistentiæ dæmonum, ligationis ad certum locum, dilationis optatæ gloriæ, & eiusmodi.

LVT. Videntur infernus, purgatorium & Cœlum differre, sicut desperatio, prope desperatio, & securitas differunt. 16.

SIL. HOc uidetur quidem forte tibi, mihi autem cum D. Thoma uidetur, ꝙ qui purgantur, habent spem certam salutis, & consequenter non sunt desperati, uel quasi siue prope desperati. Differunt autem prẹdicta, sicut pœna perpetua cum desperatione euadendi, & uoluntate perpetuo adhærendi peccato, quod inferno congruit, & sicuti pœna temporalis cum spe euadendi, & uoluntate adhærendi Deo perpetuo, quod purgatorij est, & sicut priuatio omnis pœnæ, & impletio omnis naturalis appetitus & gaudij, ut in cœlo est.

LVT. Necessarium videtur animabus in Purgatorio, sicut minui horrorem, ita augeri charitatem. 17.

SIL. Vno inconuenienti dato plura contingunt, apud Aristotelem. Vnde posito seruili timore, qui charitati aduersatur, necessariũ tibi fuit, Luthere, modum inuenire, quo pelleretur, quod esse non potuit congruentius, ꝙ per augmentum eius, quod timori repugnat. Ego uero Sanctorum uestigia sequens, & non uocum nouitates, cum D. Thoma dico, ꝙ qui Purgatorium patitur, est uiator secundum quid, in quantum à beatitudine retardatur, non autem simpliciter, unde in charitate non proficit, alioqui bonum esset eis diu esse in Purgatorio, ut perfectiores & consummatiores euaderent.

LVT. Nec probatum videtur vllis Scripturis, aut rationibus, ꝙ sint extra statum meriti, aut augendæ charitatis: 18.

SIL. Esto, ꝙ ista non probentur autoritate Scripturæ uel Ecclesiæ, quẹ necessario cõuincit (quod ad præsens nec astruo, nec destruo, cum tibi repente & ex his solum, quæ memoriæ succurrunt, respondeam) est tamen probatum autoritate Sanctorum, quæ argumentum probabile facit, Tu uero eiusmodi tua autoritate firmans, uide ne præsumas.

LVT. Nec hoc probatum videtur, ꝙ sint de sua beatitudine certæ & securæ, saltem omnes, licet nos certissimi simus. 19.

SIL. Hoc, sicut iam dictum est, probatum est saltem probabiliter, tum ex autoritate Sanctorum, tum ex experientia, Quia frequenter suffragia petunt, sicut multipliciter patet per B. Gregorium in lib. dialog.

LVT. Igitur Papa per remissionem plenariam omnium pœnarum non simpliciter omnium intelligit, sed à seipso tantummodo impositarum.

SIL.

SIL. Quid Pontifex intendat, uel non intendat omittens, dico, Quod si de posse sit sermo, Papa ex rationabili causa potest remittere omnem pœnam, siue impositam siue non impositam, ut D. Thomas edocet, Oppositum autem dicere, hæreticum est, & contra priuilegium datum Petro à Domino, ut dictum est.

21. LVTH. Errant itaq; Indulgentiarum commissarij hi, qui dicunt, per Papæ indulgentias hominem ab omni Pœna solui & saluari.

SIL. Dico, ut supra proxime, & q tu Luthere, uulneratum & cæcatum habens oculum, falsitatis trabe prægrandi, alienam festucam contemplaris.

22. LVT. Papa nullam pœnam remittit animabus in Purgatorio, q in hac uita debuissent secundum Canones soluere.

SIL. Negare potestatem Papæ, non se extendere ad relaxandum pœnas in Purgatorio per uiam Indulgentiæ, est male sentire de facto & doctrina Ecclesiæ circa fidem aut mores, ideo hæreticum est.

23. LVT. Si remissio ulla omnium omnino pœnarum potest alicui dari, certum est eam non, nisi paucissimis, id est, perfectissimis dari.

SIL. Quod asseris certum, Luthere, utiq; certum est, non quidem in ueritate, ut reris, sed in falsitate, Datur enim uenia non solum perfectissimis, sed etiam imperfectissimis, modo habeant gratiam Dei & charitatem, per quam sunt ueniarum capaces, & seruent Indulgentiæ tenorem, siue isti multi sint siue pauci, quod soli Deo notum est. Si tamen de multiplicitate saluandorum aut assequentiũ Indulgentias ex cõiecturis & suasiuis Rationibus uolumus definire, dico probabiliter, & salua rei ueritate, q sunt ualde multi, ad quod arguo ex fundamento theologico, scilicet.

Quod claues Ecclesiæ de attrito faciunt contritum. Vnde omnis, qui cum attritione confitetur, consequitur contritionem & gratiam, & consequenter Indulgentiam & salutem, si perseuerat. Sunt autem ualde multi, qui Indulgentiarum tempore confitentur, si credunt se mortali peccato detineri, et cum attritione, id est, dolore imperfecto, qui tunc est, quando homo uellet habere dolorem & gratiam à Deo, nunquam de cætero peccandi. Vnde omnes tales consequuntur gratiam & consequenter Indulgentiam, nisi post cõfessionem, ante ueniæ acceptionem relabantur, Et si plene nõ efficiunt, quod mandatur, consequuntur partem proportionalem ueniæ, ut docet D. Thomas. Et ex eodem fundamento probabiliter teneo, q etsi maior pars Christianorum non uiuat in gratia Dei, maior tamen pars Dei gratiam in morte consequitur confitendo cum attritione, consequenter autem etiam saluatur, si perseuerat. Et quod Saluator dicit: Multos esse uocatos, sic intelligendum est dictũ, quia totus mundus est uocatus.

Attritio.

24. LVT. Falli ob id necesse est maiorem partem populi per indifferentem illam & magnificam pœnæ solutæ promissionem.

SIL. Non fallitur maior pars populi, si attriti confitentur, & reliqua obseruant, eo uel maxime Declamatores crebro docent propter uenias, alia pia opera non esse relinquenda, cum nullus pro certo sciat, se ueniam assequuturum, Item, quia etsi illi ueniam non assequantur, pium tamen opus faciunt, quod eos in salutem disponit.

LVTH.

LVT. Qualem potestatem habet Papa in Purgatorium generaliter, talem habet quilibet Episcopus & Curatus in sua Diocoesi & Parochia specialiter 25.

SIL. Quantum ad propositum de themate, super quo disceptamus, idem quantum ad applicationem satisfactionis unius ad alterum, est multiplex differentia inter Papam in Ecclesia tota, & Episcopum in Diocoesi, & Curatum in parochia. Harum prima est secundum illam opinionem, quae sentit Indulgentias fieri ex thesauro satisfactionis Christi, non autem Sanctorum, quia iuxta eam solus Papa posset Indulgentias facere, sicut solus dispensat communia toti Ecclesiae, cuiusmodi est dictus thesaurus. Sed quia istam opinionem falsam existimo, dico, ꝙ alia differentia est, Quia Papa dispensator est thesauri infiniti, cum dispenset satisfactionem Christi, non autem alij, sed merita subditorum suorum duntaxat. Ex hac autem sequitur alia, Quia solus Papa facit Indulgentiam plenariam, cum solus sit certus, ꝙ thesaurus per eum dispensabilis sufficiens sit ad poenas omnes diluendas. Alia etiam est, Quia Papa dispensat bona, quae alij dispensant, nõ econtra, unde & aliorum potestatem limitat & restringit, non econtra. Vtrum autem Curatus Indulgentias aedere posiit, modo non discutio.

LVT. Optime facit Papa, ꝙ non potestate clauis, quam nullam habet, sed per modum suffragij, dat animabus remissionem. 26.

SIL. Quantum ad Indulgentias attinet, Papa habet clauem iurisdictionis secundum Sanctos, etiam in Purgatorium applicatiue, Animas tamen à debito seu reatu poenarum non absoluit, sed eis tribuit, unde poenam uel debitum soluant, applicans & adijciens eis satisfactionem Christi uel aliorum.

LVT. Hominem praedicant, qui statim vt iactus numus in cistam tinnierit, euolare dicunt animam. 27.

SIL. Praedicator, animam quae in Purgatorio detinetur, astruens, euolare in eo instanti, in quo plene factum est illud, gratia cuius plena uenia datur, puta deiectus est aureus in peluim, non hominem, sed meram & catholicam ueritatem praedicat, Tu uero oppositum dogmatizans, si pertinaciam addideris, uide iuxta praedicta, quid inde merearis, factum & doctrinam S. Romanae Ecclesiae reprehendens, Nec plus est reprehensibilis Declamator sic docens, ꝙ̃ coquus fastidienti stomacho substantiales cibos accidentalibus saporibus exacuens.

LVT. Certum est, numo in cista tinniente augeri questum & auaritiam posse, suffragium autem Ecclesiae est in arbitrio Dei solius. 28.

SIL. Certum est etiam, Luthere, istam Conclusionem esse detractoriam, & uiri ponentis os in coelum, nec minus certum est, erroneum & haereticum est dicere, ꝙ extante rationabili causa Papa non potest pro uoluntate plus & minus dare de suffragio unius alteri, cum Deus hoc sibi concesserit.

LVT. Quis scit, si omnes animae in Purgatorio vellent redimi, sicut de S. Seuerino & Paschali fastum narratur. 29.

SIL. Quicquid sit de somnijs, propter quae nunꝙ̃ a sana doctrina recedendum est, Doctor Angelicus in xxi. distin. iiij. querens, An poena Purgatorij sit uoluntaria, & multipliciter de poena distinguens, sic concludit: Ab-

ſolute nulla pœna eſt uoluntaria,quia ex hoc eſt ratio pœnę,ꝙ uoluntati contrariatur,ſed conditionate,ſiue ex ſuppoſitione alicuius finis pœna eſt uoluntaria,ſicut uult quis pati uſtionem,ut ſanetur,Et hoc dupliciter contingit.

Aliquando enim per pœnam aliquod bonum acquirimus, ut patet in uſtione,& ſic ipſa uoluntas aſſumit pœnam,ut in ſatisfactione patet, quę ſcilicet in hac uita eſt meritoria. Aliquando uero per pœnam nullum bonum nobis accreſcit, tamen ſine pœna ad bonum peruenire non poſſumus, Sicut patet de morte naturali,ſine qua ſcilicet non uenitur ad regnum, & tunc uoluntas pœnam non aſſumit, ſed tolerat, & quantum ad hoc uoluntaria dicitur,& ſic pœna,inquit,Purgatorij eſt uoluntaria.

Ex quibus uerbis D. Thomæ patet,ꝙ qui in Purgatorio ſunt,illam pœnam non eligunt,ſed illatam patienter tollerant, & uellent libenter ea carere,ſi poſſent. Adde, ꝙ anima ſeparata grata Deo, nullum habet maius deſiderium,ꝙ̃ uidendi Deum, cum ad hoc omne ſuum uelle ſicut ad finem ordinetur,licet pro Dei uoluntate patienter toleret,unde ſi cum Dei uoluntate poſſit carere pœna,impediente uiſionem,in hoc maxime lætatur, plus ꝙ̃ gaudium aliquod in hoc mundo nobis poſsit obtingere. Dicere autem oppoſitum, ridiculum & ſtultum eſt.

30. LVT. Nullus ſecurus eſt de ueritate ſuæ contritionis,multo minus de conſequutione plenariæ remiſsionis.

SIL. Hoc de uiuentibus uerum eſt, Animæ uero quæ purgantur, certæ ſunt ſe Dei gratiam habere, & conſequenter ſe indulgentias aſſequi, ſi rite conferantur, maxime plenarias, quibus ſtatim à tormentis ad gaudia deducuntur.

31. LVT. Quam rarus eſt vere pœnitens,tam rarus eſt vere Indulgentias redimens, id eſt,rariſsimus.

SIL. Eſto,ꝙ recte doceas, Tamen ſuperflue doces, cum iam idem ſupra uirtualiter poſueris,imo plus,quia dixiſti,non aſſequi niſi perfectiſsimos;qui rariores ſunt,ꝙ̃ ueri pœnitentes,cum inter hos quidam ſint,alijs minus perfecti. Dico etiam,ꝙ uere pœnitentes tot ſunt, quot attriti confitentes, cum omnes tales Dei gratiam aſſequantur, niſi obicem ponant.

32. LVT. Damnabuntur in æternum cum ſuis Magiſtris, qui per literas veniarum ſecuros ſeſe credunt de ſua ſalute.

SIL. Qui per dictas literas ſine bonis operibus tutos ſe putant, fatui ſunt, Qui uero ex ſpirituali commodo eiuſmodi literarum concipiunt ſpem, melius uiuendi & moriendi & purgatorias pœnas citius euadendi,recte ſentiunt. & ſic docentes recte docent. Time autem tibi magis,Luthere, ne uana eruditione inflatus,nunquam reſipiſcas,æternoq; pereas & damneris.

33. LVT. Cauendi ſunt nimis,qui dicunt venias illas Papæ donum eſſe illud Dei inæſtimabile, quo reconciliatur homo Deo.

SIL. Cauendi ſunt magis detrahentes Dei uicario, cum iniuſte,tum etiam falſe & erronee. Qui uero dicunt(ut refers) uere dicunt, modo reconciliatio illa intelligatur improprie,per amotionem reatus, qui animam à Dei contemplatione clara ſecludebat.

34. LVT. Gratiæ enim illæ ueniales tantum reſpiciunt pœnas ſatisfactionis ſacramentalis, ab homine conſtitutas.

SIL.

SIL. Iam liquet ex dictis, quantum falsa & erronea sit ista sententia, etsi de posse Pontificis maximi sermo sit, Est etiam hæretica, quasi Papa non possit omnem pœnam per Indulgentias abolere.

LVT. Non Christiana prædicant, qui docent, ꝙ redempturis animas per confessionalia, non sit necessaria contritio. 35.

SIL. Nullum esse Declamatorem reor, qui tam stulte docuerit, qua uero intentione tales Positiones in medium afferas, ipse uideris. Si qui tamen docerent, ꝙ non contriti non uane Indulgentias prosequuntur, quia proderunt contritione, ex post facto accedente, non male docent apud complures peritos, quia sicut Papa potest constitutionem facere aut inficere ut ex tunc, ita etiam posset Indulgentias largiri, ut ex nunc suo tempore ualituras.

LVT. Quilibet Christianus vere compunctus habet remissionem plenariam a pœna & a culpa, etiam sine literis ueniarum sibi debitam. 36.

SIL. Si sentis, ꝙ omnis cui plena remissio pœnæ debetur, eam assequitur, non obstante, ꝙ ueniarum literis careat. Esto, ꝙ uerum doceas, tamen nihil dicis, Quia Deum dare omnibus, quæ eis apud ipsum debentur ex congruo, uel condigno, dubitauit nullus. Si uero sentis (ut uerba tua præ se ferunt) ꝙ sine dictis literis omnibus uere cōtritis debita sit plena remissio pœnarum, hæreticum est, & Canones omnes pœnitentiales euacuas & euertis, & tertiam partē sacramenti pœnitentiæ, id est, satisfactionem, & omnia iura loquentia de pœnitentia salutari imponenda, & Purgatorium, Nisi forte dicas, ꝙ pœnam omnem remitti, & pœnam omnem exoluere, idem sit, quod absurdum est. 37.

LVT. Quilibet verus Christianus, siue viuus, siue mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi & Ecclesiæ, etiam sine literis veniarum, a Deo sibi datam.

SIL. In opere bono, quo reatus pœnæ deletur, puta ieiunio, oratione & eleemosyna, duo sunt secundum doctrinam Sanctorum. Vnum est meritum, quod nullius esse potest, nisi operantis, qui solus pro opere proprio prēmio donatur. Alterum est satisfactio, quæ aliud a merito est, unde is, qui eleemosynam largitur pro anima parentis, sibi quidem meretur, pro amico autem satisfacit, ad abolendum pœnæ reatum, Quis enim ausit negare, eleemosynam horum utriꝗ ualere? Si ergo de bonis operibus Christi & Ecclesiæ loquaris, quantum ad meritum, licet pro alterius merito nullus muneretur, quilibet tamen Deo gratus, ex aliorum meritis aliquid boni percipit, puta protectionem Dei, sicut Deus recordatus Abrahæ, liberauit Lot tempore euersionis Sodomæ, uel saltem ipsum gaudium, quod quisꝗ bonus habet de bono alieno; secundum illud Psal. Participem me fac Deus omnium timentium te &c. Sed quia hoc participium paucis non potest plene absolui, dimittatur. Si uero loquaris de eisdem Christi & Ecclesiæ operibus, gratia satisfactionis, dico cum D. Thoma, ꝙ in absolutione a peccatis ex bonitate Dei interueniente Christi martyrio, semper aliquid relaxatur de pœna, non autem pœna tota, alioqui plene implens iniunctum a sacerdote uel Canone, etiamsi non plene satisfecerit Deo, euolaret, quod est hæreticum, imo non oporteret sacerdotem quicꝗ imponere, nisi forte per uiam medicinæ ad prēcauendum in posterum.

Psal. 119.

LVT. Remissio tamen & participatio Papæ nullo modo est contemnenda, quia (vt dixi) est declaratio remissionis diuinæ. 38.

SIL. Siue de culpa, siue de pœna intelligas, utrobiq; damnabiliter erras, Quia et culpam relaxat dispositiue & ministerialiter, & similiter pœnam per uenias, ut crebro iam dictum est.

39. LVT. Difficilimum est, etiam doctissimis Theologis, simul extollere veniarum largitatem, & contritionis veritatem corā populo.

SIL. Postq; Luthere, peruerse docuisti, iam nunc detrahere incipis, & ueniarum declamatoribus & Pontifici consequenter. Quod autem difficile astruis, ego impossibile astruo tibi, tuiq; similibus, qui non es (pace tua dixerim) bonarum disciplinarum præceptis institutus, qui duo falsa præcepta tenes, quæ uenias euertunt. Vnum quidem, q; uera contritio aboleat omnem pœnam, ut supra uideris innuere. Aliud, q; uera contritio pœnas uenijs præeligat semper, ut sequenti Conclusione patebit.

Theologi autem bene instituti facile efficiunt, quod tu difficile prædicas, dicentes, q; sicut in humanis offendens quemq; cum iactura honoris aut rerum, etsi ex bono animo offensi restituatur ad amiciciam abolita culpa, non tamen semper abolita emenda, imo nec actione iniuriarum plerūq;. Ita etiam & Deus abolita culpa lege communi uult, q; peccatorum emendam præstet, ut qui peccando suæ uoluntati plus q̃ debuisset, indulsit aliquid contra suam naturalem uoluntatem, ex uoluntate electiua patiatur, quod est pœnas dare pro culpis.

40. LVT. Contritionis veritas pœnas quærit & amat, Veniarum autem largitas relaxat & odisse facit, saltem occasione.

SIL. Hæc est tua potissima ratio, quare difficile dixeris utraq; posse saluare. Dico uero cum S. Thoma, q; q̃diu pœnas dare pro scelerib. est alicuius boni allatiuum, ut in præsenti uita, quando meritorium est, uera contritio amat pœnas, ad merendum & præcauendum a peccatis, sine tamen contemptu ueniarum, quia utrunq; melius est q̃ alterū, Vbi uero pœnæ nullum bonum afferunt, sed retardant à bono gloriæ, quod eis ex non solutis haberi nequit, pœnæ non assumuntur, sed tolerantur, dulcissimumq; est animabus ab eis misericorditer absolui, & ita in Purgatorio est.

41. LVT. Caute sunt veniæ Apostolicæ prædicandæ, ne populus false intelligat eas præferri cæteris bonis operibus charitatis.

SIL. Verum utiq; doces, sed non minus caute sunt improbandæ & restringendæ in præiudicium Apostolicæ facultatis, & priuilegij concessi à Deo B. Petro.

42. LVT Docendi sunt Christiani, q; Papæ mens non est, redemptionem veniarum vlla ex parte comparandam esse operibus misericordiæ.

SIL. Docendi sunt etiam, q; mens Pontificis est, per uenias prouocare fideles ad opera pietatis siue diuini cultus & misericordiæ, & quod melius est, benefacere, & uenias assequi, q̃ horum neutrum uel alterum moliri.

43. LVT. Docendi sunt Christiani, q; dans pauperi, aut mutuans
44. egenti, melius facit, q̃ si uenias redimeret, Quia per opus charitatis crescit charitas, & fit homo melior, sed per uenias non fit melior, sed tantummodo a pœna liberior.

SIL. Docendi sunt etiam, q; qui utrunq; potest, melius est. Docendi sunt etiam, q; per uenias non fit homo melior essentialiter, fit tamen melior concomitanter, Quia erogare in opus pium aut alias bonū pro assequutione ueniarum meritorium est, unde cęteris paribus melius est dare eleemosynam

gratia

gratia ueniarum, quam gratia meriti praecise, Quia ibi duo bona sunt, scilicet meritum, & sublatio impedientis ac retardantis à gloria, id est, reatus poenarum, hic uero unicum est.

LVT. Docendi sunt Christiani, quod qui uidet egenum, & neglecto eo, dat pro uenijs, non indulgentias Papę, sed indignationem Dei sibi uendicat. 45.

SIL. Docendi sunt etiam Scriptores castigatius scribere, quam tu scribas, quia quod scribis, non est uerum, Vbi quis petenti pauperi potest eleemosynam sine peccato negare, quod creberrime accidit, neque ubi negatur, cum peccato quidem ueniali, sed sine mortali, quia pro ueniali solo non uendicat sibi homo indignationē Dei, cum gratiae & charitati ueniale non repugnat, & consequenter nec amicitiae, quam ad Deum habemus.

LVT. Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis abundent, necessaria tenentur domui suae retinere, & nequaquam propter uenias effundere. 46.

SIL. Docendus es & tu sufficientius diuidere, quia temporalis hominum facultas insufficienter diuiditur per necessaria, quae quis domui suae tenetur retinere, quae scilicet sunt necessaria, sine quibus non & superflua, Sed haec est diuisio sufficiens iuxta D. Thomam: Bonorum enim temporalium hominis quaedam sunt necessaria ad uitam suam, & suorum, quae dicuntur necessaria sine quibus non, supple, uiuitur, quaedam uero sunt necessaria ad uitam decentē, quae dicuntur necessaria, sine quibus nō bene, & quaedam nec sic nec sic, quę dicuntur superflua simpliciter. De primo necessario nec ueniae sunt redimendae, nec eleemosyna danda, nisi quis eligat mori dando pro bono reipublicae. De secundo tenentur homines eleemosynam dare solum in necessitate extrema, Potest autem & debet homo dare de consilio extra dictum casum partem huius necessarij cum indiuisibili non consistat, non autem totum. Sic ergo patet, quod etiam non habens superflua potest redimere uenias, ex parte eius, quod est necessarium, sine quo non bene.

Eleemosyna danda est, cum amplius prodesse non potest.

LVT. Docendi sunt Christiani, quod redemptio ueniarum est libera, non praecepta. 47.

SIL. Docendi sunt etiam, & docere debent boni filij Ecclesiae Romanae, & consequenter Dei, quod Princeps pro cōmuni bono posset coactiue exigere bona à subditis, sed Pontifex Romanus utriusque potestatis apicem tenens, pro fabrica Basilicae S. Petri, quae est totius Christiani populi bonum, petit quod iubere posset, & petendo muneratur ex thesauro sibi tradito.

Pontifex Ro. utriusque potestatis apicem tenens.

LVT. Docendi sunt Christiani, quod Papa sicut magis eget, ita magis optat in uenijs dandis pro se deuotam orationem, quam promptā pecuniam. 48.

SIL. Imo non sunt sic docendi, quia hoc esset eos à multis bonis, quae ueniarum gratia faciunt, dimouere, Sed potius sunt docendi, quod omnes fideles ex debito charitatis tenentur pro summo Pastore, etiam sine uenijs orare, & quod Papa multoties dat uenias, ut fideles prouocet ad orandum pro se, ut semper facit in sua Capella. Quando uero ultra orationes etiā pecunijs indiget, Venias largitur, non gratia pecuniarū, sed eius rei, ad quā pecunia ordinatur, puta ad instaurationem hospitaliū, & ecclesiarum. Et hoc cum facit, omnes quorum interest, laetantur & gratulantur omnes, nisi quod tu Luthere, id

quod in alijs Ecclesijs instaurandis laudatur, in Fabrica prima totius reipublicæ Christianæ uituperas, qui si à Domino nostro habuisses bonum Episcopatum cum plenaria indulgentia ad Ecclesiæ tuæ reparationem, forte dulcioribus uerbis abundasses, & quibus detrahis, uenias extulisses.

49. LVT. Docendi sunt Christiani, q venìæ Papæ sunt vtiles, si non in eas confidant, sed nocentissimæ, si timorem Dei per eas amittant.

SIL. Docendi sunt etiam, q confidentia ueniarum ab alijs bonis operibus nō retardans nihil obest, sed occasionaliter prodest, dum anima ex hoc in gratiarumactiones assurgit. Docendus etiam es tu, ut cautius obserues, ne paucis uerbis tibijpsi contradicas, qui interdum uenias dicis esse utiles, interdum solum signa diuinæ relaxationis, quæ signa etiam apud te sunt fallacia, cum scribas nullum esse certum, q relaxationem pœnarum sit assecutus.

50. LVT. Docendi sunt Christiani, q si Papa nosset exactiones venialium prædicatorum, mallet Basilicam B. Petri in cineres ire, q̄ ædificari, cute, carne & ossibus ouium suarum.

SIL. Docendi sunt potius Christiani, q tu iniuste Prædicatoribus detraxeris, contra ordinem fraternæ correctionis talia secreta, si qua sunt (quod uix credo) in publicum per uniuersum orbem seminando, qui talia si noueras, debuisti fraternæ correctionis normam obseruare, eo uel maxime, q talis sit huius innocentissimi Pontificis mens, ut nullus non inique modo, uerum etiam nec indecenter operetur aut uiuat.

51. LVT. Docendi sunt Christiani, q si Papa, sicut debet, ita vellet, etiam vendita (si opus sit) Basilica S. Petri, de suis pecunijs daret illis, a quorum plurimis quidam Concionatores veniarum pecuniam eliciunt.

SIL. Docendi non essent ista populi, quia esset contra fraternam charitatem, sed si non speratur declamantium correctio per secretam monitionem (ista enim non fiunt in ambone) docendus esset is Prælatus, cuius interest, & singulariter Dominus noster Papa, si tamen aliqui tales sint, quod ut credam, uix adduci possum, quia esto, q declamatores forent rapaces, per uim tamen nō extorquent, sponte uero nullus est adeo stultus, ut si usq adeo sit egens, ut pro eius suffragio Basilica S. Petri uendenda foret, uelit pro Indulgentijs pecunias effundere, unde potius credo, q loquaris per talenta, & talia aut excogitas aut exornas.

52. LVT. Vana est fiducia salutis per literas veniarum, etiam si Commissarius, imo Papa ipse, animam suam pro illis impignoraret.

SIL. Vana est ista tua Conclusio, & similes, quia nullus est tam stultus, ut salutem suam talibus literis committat sine uoluntate pœnitendi uel statim, uel tandem, sed tu uideris loqui non theologice, sed tragœdice, ad aures populorum exhauriendas, Vide autem, ne diuino iudicio inde exhaurias maledicta irrisiones & censuras.

53. LVT. Hostes Christi & Papæ sunt hi, qui propter venias prædicandas verbum Dei in alijs Ecclesijs penitus silere iubent.

SIL. Raris

SIL. Raris crebra cedere consueuerunt, sic celebrius colitur annalis solennitas Sanctorũ, q̃ sabbatina Dei matris, aut pene quotidiana Trinitatis. Sic ex causa Pontifex cuiq; Declamatori pro loco & tempore indulget, ut alijs silentium indicat, quo populum habeat frequentiorem, ut inquisitori, utq; ordinario, quod potest commendari. Astruere uero Papę hostes esse, qui cum sua gratia & beneplacito operantur, aut etiam Dei, stultum & ridiculum est.

LVT. Iniuria fit verbo Dei, dum in eodem Sermone aequale vel longius tempus impenditur venijs, q̃ illi. 54.

SIL. Dico ut supra proxime, & ulterius, q̧ ita loqueris, ac si publicatio ueniarum cum his, quae illam comitantur, declaratoria & hortatoria, non sit seminatio uerbi Dei, quod nego.

LVT. Mens Papae necessario est, q̧ si veniae (quod minimum est) vna campana, vnis pompis & ceremonijs celebrantur, Euangelium (quod maximum est) centum campanis, centum pompis, centum ceremonijs praedicetur. 55.

SIL. Dico ut supra proxime, & ulterius, q̧ consimiles Conclusiones nõ decent grauem Theologum, sunt enim pueriles, & uidentur esse uiri stomachati, & inferentis os in coelum, & contra stimulum calcitrantis.

LVT. Thesauri Ecclesiae, vnde Papa dat Indulgentias, neq; satis nominati sunt, neq; cogniti apud populum Christi. 56.

SIL. Non est mirum, si uulgus ista non nouit, cum tu, qui cum orbe uniuerso te disputaturum obtulisti, ista aut non intellexeris, aut fingas, ut patebit. Sunt enim isti thesauri noti & nominati, nõ quidem lumine nostrę rationis, sed Spiritus sancti, qui per Sanctos suos nos edocet, quibus tu nõ assentiens, autoritate tua, aut tui similiũ, alios thesauros effingis. Veniae ergo, siue Indulgentiae autoritate Scripturae nobis non innotuere, sed autoritate Ecclesiae Romanae, Romanorumq; Pontificum, quae maior est, inter quos S. Gregorius primus (teste D. Thoma) indulgentias dedit Romae in stationibus, caeteriq; sunt sequuti. Thesaurus ergo iste secundum Sanctos, cum Theologos, tum etiam Canonistas, sunt merita Christi & Sanctorum, non ea ratione, qua merita, sed qua satisfactiones.

LVT. Thesauros certe, vnde Indulgentiae dantur, non esse temporales, patet, quia non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi Concionatorum. 57.

SIL. Non doces Luthere, sed detrahis, non concionatoribus tantum, quos scis rem suam non promouere, sed innocentissimo Pontifici, & quidem iniuste, quippe, qui nil uellet aut inique aut etiam indecenter agi, maxime uero praetextu suae autoritatis.

LVT. Nec sunt isti thesauri merita Christi & Sanctorum, quia haec semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem, mortem, infernumq; exterioris. 58.

SIL. Imo secundum Sanctos, tam Theologos q̃ Canonistas celebriores, sunt praedicta merita Christi & Sanctorum, non ea ratione, qua merita, sed qua satisfactiones Christo superuacaneae, Sanctis autem superabundantes. Quarum satisfactionum ualorem uerum est quidem in nobis operari, &

nobis applicari, sed non sic, ut plene per eas liberemur ab omni reatu, nisi in casu duplici, Primo quidem, si nos per satisfactionem plenam eis coniungamur. Secundo uero, si Pontifex eas nobis plene per indulgentias applicet. Si aliter sentis, aberras à fide, nec Indulgentiarum thesaurum intelligis.

59. LVT. Thesauros Ecclesiæ S. Laurentius dixit esse pauperes Ecclesiæ, sed loquutus est vsu vocabuli suo tempore.

SIL. Etiam nunc latenter mordes potius quam doces, quasi temporibus nostris pauperes non sint Pontificis hominumque thesauri, Puto autem quod licet Romanus clerus à perfectione primæua declinarit, quod non inficior, tu tamen non sis talis, qui possis irreprehensibiliter reprehendere, & qui à primæua Patrum religiositate non declinaris, quod equidem uel hinc conijcio, quia nullus sapiens est (ut reor) qui te esse detractorem iniustum nō astruxerit, quanquam etiam utinam sic Romæ essent bona cætera, sicut eleemosynæ piæ, quod ut reliqua taceam, etiam pauperum numerus sine numero indicio sit, maxime uero in pio Pontifice, qui nulli quantumuis extero aut ingrato uiro, scit petita denegare.

60. LVT. Sine temeritate dicimus, claues Ecclesiæ, merito Christi donatas, esse thesaurum istum.

61. Clarum est enim, quod ad remissionem pœnarum & casuum, sola sufficit potestas Papæ.

SIL. Si cuiusquam Sancti testimonium citaueris, tecum in hoc sentientis, temere te sic docuisse negabo, quod puto non facies, Et quidem fateor, ad id sufficere potestatem Pontificis maximi eo modo, quo potestas Regis ad arcem fabricandam, uidelicet mediante thesauro, qui non sit potestas, sed materia potestatis, Cū enim Ecclesia ex thesauro isto faciat indulgentias plenarias, si thesaurus iste sit claues Ecclesiæ, aut claues admotæ peccatoribus, operabuntur cum electione. Sic, quod in sacramentali pœnitentia non operabuntur, quantum possunt absoluendo ab omni pœna, sicut ab omni culpa, aut semper pœnam totaliter abolebunt, quorum utrunque falsum est. Primum quidem, quia nullus sacerdos sic absoluendo intendit, sed intendit peccatori benefacere, quantum potest. Secundo uero, quia Purgatorium tollit, unde
D. Angelicus. Doctor Angelicus docet per clauem remitti partem pœnæ, non totam. Iste ergo thesaurus materialiter est satisfactio Christi & Sanctorum, effectiue autem est clauis iurisdictionis, qua dispensatur, Igitur potestas Pontificis per clauem ordinis, omnem culpam, & per clauem iurisdictionis, cuius est indulgere omnem pœnam, ex causa potest abolere.

Clauis ordinis iurisdictionis.

62. LVT. Verus thesaurus Ecclesiæ est sacrosanctum Euangelium gloriæ & gratiæ Dei.

SIL. Verum quidem, Luthere, dicis, sed tamen æquiuoce loqueris de thesauro, & hoc ipsum uerum quod dixisti, ad malum finem ordinas, ut uidetur, ut etiam statim patebit.

63. LVT. Thesaurus Euangelij est merito odiosissimus, quia ex pri-
64. mis facit nouissimos. Thesaurus indulgentiarum merito est gra-
65. tissimus, quia ex nouissimis facit primos. Igitur thesauri Euangeli-
66. ci retia sunt, quibus olim piscabantur viros diuitiarum. Thesauri Indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur diuitias uirorum.

SIL. Si

SIL. Si mordere canum est proprium, uereor, ne tibi pater canis fueris, qui ad hoc uideris natus, ut mordeas, uereor insuper, ne propter tuam dicacitatem & illationem tui oris in cœlum, aliquid tibi mali contingat, nec uideo, quomodo uenias excusandus ab anathemate ex capite multiplici, nec puto ꝙ uir sis mentis cōpositæ, qui talia characteribus formanda tradideris.

LVT. Indulgentiæ, quas Concionatores vociferantur maximas gratias, intelliguntur vere tales, quo ad quęstum promouendum. 67.

SIL. Iam Pontifice deserto, Spiritus sancti muneribus detrahis, quasi ipse Indulgentiæ non animæ, sed bursæ perutiles sint, quod blasphemiam dixerim.

LVT. Sunt tamen reuera minimæ ad gratiam Dei, & crucis pietatem comparatæ. 68.

SIL. Hi, qui uenias gratias maximas astruunt, nulli comparantes, excusandi ueniunt per Hyperbolen, Tu uero, qui eas comparas gratiæ Christi, uide, quo nam pacto excusabere, dicens eas minimas, cū etiam sint gratiæ aliç, & alia dona minora, puta ipsa dona fortunæ, nec reor poteris aliquam excusationem prætendere, quæ ueniarum Declamatoribus æque non congruat, consequenter autem iniuste mordes.

LVT. Tenentur Episcopi & Curati, veniarum Apostolicarum Commissarios cum omni reuerentia admittere. Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus aduertere, ne pro commissione Papæ sua illi somnia prædicent. 69. 70.

SIL. Si tibi talia dicenti animus inesset æquus & bonus, tacendum esset, Sed sicut diabolus in omni suo opere suam superbiam, ita tu quoque in omni pene tua Conclusione tuam maleuolentiam redoles.

LVT. Contra veniarum Apostolicarum veritatem qui loquitur, sit ille anathema & maledictus. 71.

SIL. Effigiem geris eius, qui consignare se putans, in lumen proprium impingit. Veritati enim ueniarum aut ignorantia, aut malicia multum detraxisti, ut liquet ex dictis.

LVT. Qui uero contra libidinem & licentiam verborum Concionatoris veniarum curam agit, sit ille benedictus. 72.

SIL. Sit, inquam, benedictus, si charitate, si iusticia, si pietate mouetur, Qui uero contra licentiosum in dicendo, licentiosior est in scribendo, a Deo quidem bonus efficiatur, ab hominibus uero ad aliorum monimentum castigetur.

LVT. Sicut Papa iuste fulminat eos, qui in fraudem negocij indulgentiarum quacunque arte machinantur, Multo magis fulminare intendit eos, qui per veniarum prætextum in fraudem sanctæ charitatis & veritatis machinantur. 73.

SIL. Dominus noster Papa tantæ uirtutis creditur, ut per suos ministros nil indecens fieri uelit, An uero in eos delinquentes intendat animaduertere per anathema, ut dicis, puto nescias.

LVT. Opinari venias papales tantas esse, vt soluere possint hominem, etiam si quis per impossibile Dei genitricem violasset, est insanire. 74.

SIL. Astrue.

SIL. Astruere, ꝙ habens plenitudinem potestatis a Papa ad uenias possit absoluere a culpa in dicto casu per ordinis clauem, & a pœna per clauem iurisdictionis, non est insanire, sed sane sentire, cum etiam idem posset in Iudam, & in eos, qui aut uirginem, aut Christum interemissent, modo essent uiatores, Videris autem loqui tragœdice.

75. LVT. Dicimus contra, ꝙ ueniæ Papales nec minimum peccatorum uenialium tollere possunt, quo ad culpam.

SIL. Imo tibi tollere non possunt ueniale, etiam quo ad pœnam, quippe quoniam secundum te sunt solum signa & non causa remissionis. Quod uero per uenias culpa remittatur, Prædicatorem ueniarum docuisse credo nullum, quippe cum etiam rudioribus liqueat, assecutionem ueniarum præexigere culparum abolitionem, cum huius rei gratia etiam rustici sua crimina fateantur.

76. LVT. Quod dicitur, Nec si S. Petrus modo Papa esset, maiores gratias dare posset, est blasphemia in S. Petrum & Papam.

SIL. Etsi S. Petrus credatur sanctior fuisse omni post futuro Pontifice, & in gratijs personalibus copiosior, quantum tamen attinet ad clauem iurisdictionis & ordinis, erroneum est, ne hæreticum dicam, dicere Leonem X. Petro primo minorem, & non posse de iure quæcunque ille potuit.

77. LVT. Dicimus contra, ꝙ etiam iste, & quilibet Papa, maiores habet, scilicet Euangelium, uirtutes, gratias curationum &c. vt 1. Corinth. 12.

SIL. Timeo, ne Dei iudicium super tuum caput portes, qui per Ironiam ita irrisorie loqueris uniuerso orbi de tanto Pontifice. Vtinam autem tibi sint illæ uirtutes, quæ in Domino nostro prædicantur.

78. LVT. Dicere crucem armis papalibus insigniter erectam, cruci Christi æquiualere, blasphemia est.

SIL. Tibi non credere quoniam iam cœpi, neque hoc puto ab aliquo ueniarum Declamatore prædicatum ita nude, ut recitas, Quanquam quælibet crux in qualibet materia æque representet imaginem Christi, & æque adoranda sit, seclusa ratione contactus, de qua ad præsens breuitatis gratia supersedeo.

79. LVT. Rationem reddent Episcopi, Curati & Theologi, qui tales sermones in populum licere sinunt.

SIL. Videris, Luthere, uelle te per hæc iustificare, quasi recte feceris, detrahendo uenijs contra præceptum Domini nostri Papæ, & detrahendo ueniarum Concionatoribus, & Pontifici contra præceptũ Dei, sed nequaquam propterea, ꝙ Thologus sis, uenis in prædictis excusandus, sed arguendus, plectendus, & ad omnem hæresim abiurandam cogendus.

80. LVT. Facit hæc licentiosa ueniarum prædicatio, vt nec reuerentiam Papæ facile sit, etiam doctis viris, redimere a calumnijs, aut certe argutis quæstionibus Laicorum.

SIL. Pulchre

SIL. Pulchre sub colore excessuum eorum, qui declamant, iterum impingere uis Pontificem, quęstiones secularibus asscribens, Sed age, en reuerentia & amor ad Pontificem, docebit me soluere insolubilia tua, incipe:

LVT. Scilicet cur Papa non euacuat Purgatorium propter sanctissimam charitatem, & summam animarum necessitatem, ut causam omnium iustissimam, infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam, ad structuram Basilicæ, vt causam leuissimam. 82.

SIL. Deus, qui tanquam agens supremum, omnia uertit ac dirigit in finem postremum. Vnde & omnes homines uult saluos fieri, nulli uoluit gratiam, qua in finem illum dirigatur & saluetur, elargiri, nisi ex parte eius, qui gratiam erat accepturus, esset præparatio quædam, & meritum congruitatis, quem apparatum qui habere nequeunt, ut infantes, his uult suffragari per alios. Christus quoque qui pro nobis infinitæ satisfactionis passionem tulit, non uult illam nobis suffragari, nisi nos per nostram satisfactionem insufficientem eius satisfactioni sufficienti & superabundanti iungamur. Cum ergo Deus post pœnam animæ ex contritione & clauibus misericorditer obolitam, ex sua simul misericordia & iusticia talem animam addixerit tali pœnæ exoluendæ, puta annorum centum, qua ratione debet Pontifex totam illam pœnam, uel etiam partem relaxare, cum tanto præiudicio iusticiæ diuinæ, nisi ex parte talis animæ aliquod meritum afferatur, puta eleemosyna, aut ieiunium, aut oratio a se, aut ab alio pro se oblatum? Inde est, quod clamant omnes Sancti, cum Theologi, tum Canonistæ, in ueniarum largitione causam aliquã oportere interuenire, quæ causa est, quicquid est in Dei gloriam, uel promotionem boni communis, & huiusmodi. Patuerit ergo cur Papa Purgatorium non euacuat, quia uidelicet non subest rationabilis causa relaxandi rigorem iusticiæ diuinæ in omnibus animabus Purgatorij. Quæ si subesset, utique posset illud euacuare, puta si daretur plena Indulgentia, etiam defunctis porrigentibus adiutrices manus ad expeditionem in Turcas, & quælibet anima purgatorij amicum haberet, sibi debite & complete suffragantem. Charitas autem Pontificis & necessitas animarum non est ratio efficax sic relaxandi iusticiam diuinam, quam Deus talis necessitatis conscius, & infinitæ charitatis ac misericordiæ uisceribus plenus, sanxit & inuiolabiliter seruat. Age nunc, Martine, & alia quæsita multiplica.

Sophistæ & Canonistæ Papæ Sancti.

LVT. Cur permanent exequiæ & anniuersaria defunctorum, & non reddit, aut recipi permittit beneficia pro illis instituta, cum iam sit iniuria pro redemptis orare. 83.

SIL. Duæ huius causæ sunt. Prima quidem, quod incertum sit, an is, qui porrigit manus adiutrices, ut animæ cuipiam plenam ueniam obtineat, secundum propriam facultatem porrexerit, Quod necesse est, potest enim aliquando porrigere nimium parce, quo casu anima non assequitur Indulgentiam plenam, sed secundum proportionem exhibiti ad id totum, quod fuerat exhibendum, ut docuit D. Thomas. Alia uero causa est, quia etsi suffragia non prosint iam redemptis, alijs tamen prosunt, & hoc ipsum morituri intendebant, qui sibi Anniuersaria perpetua ordinarunt, cum non sit uersimile, quod crederent se in Purgatorio perpetuo futuros, donec cœli cum terra mouendi forent.

LVT. Item,

84. LVT. Item, quæ noua illa pietas Dei & Papæ, ꝙ impio & inimico propter pecuniam concedunt animam piam & amicam Dei redimere, & tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ & dilectæ animę non redimunt eam gratuita charitate.

SIL. Quæ est ista noua ignorantia tua (ut cum stomacho loquar) ut putes, ꝙ Deus infinita charitate sua (iusticia sic exigente) animam conscius in tali necessitate constituerit, & deinde nulla facta mutatione ex parte Dei uel animæ debeat eam ex tali necessitate educere? Interueniat ergo causa aliqua necesse est, ut clamant Sancti uniuersi, si Dei iusticia aut relaxanda penitus, aut certe mitiganda est, quæ causa non ex parte Dei (inuariabilis enim est) sed ex parte animæ pensanda est.

85. LVT. Item, cur Canones pœnitentiales reipsa, & non vsu iam diu in semet abrogati & mortui, adhuc tamen pecunijs redimuntur per concessionem Indulgentiarum, tanquam uiuacissimi.

SIL. Visis Conclusionibus tuis, Luthere, doctus mihi primo aspectu uisus es, dicta uera tua exactius perscrutanti, mihi uideris satis grossus, quippe, qui non uideas, ꝙ licet Canones eiusmodi, quo ad id sint abrogati, ꝙ secundum illos pœnitentiæ non sunt necessario imponendæ peccatoribus, cum hodie sint omnes arbitrariæ, non tamen abrogati sunt, quantum ad hoc, ut reatus ad pœnam iuxta eos taxandam non maneat, nisi forte alicubi diuinæ iusticię mensuram excedant, plus iusto imponentes, & quantum ad istum reatum pœnæ uiuentem & ligantem redimuntur. Vnde tibi pro Regula obseruandum est, ꝙ Ecclesia Romana sicut in dicto, ita & in facto suo non fallitur in fide, aut moribus, alioqui a uia salutis aberras.

86. LVT. Item, cur Papa, cuius opes hodie sunt opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecunijs magis, ꝙ pauperum fidelium struit vnam Basilicam S. Petri tantummodo?

SIL. Vbi multæ diuitiæ, ibi (diuina Scriptura teste) multi sunt, qui comedunt illas, & forte S. Dominus noster pro suo gradu & maiestate est pauperior te, cui si census esset exiguus, forte non uacaret ista conscribere. Quid uero latenter reprehĕdis ex Laicorum persona Pontificem, qui pecunias excipiat a sponte offerentibus, qui pro hoc communi, & quidem celeberrimo bono, iuste tanquam summus in mundo gemina potestate Rex imperare eas & indicere posset?

87. LVT. Item, Quid remittit aut participat Papa ijs, qui per contritionem perfectam ius habent plenariæ remissionis & participationis.

SIL. Si quis tanta contritione torquetur, ut omnium peccatorum suorum reatum aboleat, huic Papa nihil pœnarum remittit, Sed si reris omnes contritos esse eiusmodi, euertis Purgatorium, & non modo hæreticus, uerum Heresiarcha es, quantum ego sentio, qui hactenus nullum relegerim ista nefanda docuisse.

88. LVT. Item, quid adderetur Ecclesiæ boni maioris, si Papa sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium has remissiones & participationes tribueret?

SIL. Duo

SIL. Duo bona adijcerentur, Vnum, quod necesse esset fideles toties repetere causam, gratia cuius dantur ueniȩ, puta eleemosynam, aut orationem, Aliud, quia remitteretur omnis nouus pœnarum reatus, si quis post ueniam incidisset.

LVT. Ex quo Papa salutem querit animarum per uenias magis, quam pecunias, cur suspendit venias & literas iam olim concessas, cum sint æque efficaces? 89.

SIL. Ideo facit, ut sicut olim Prædecessores sui uenias dederunt pro structuris minoris momenti, & quæ iam forte uel ex toto, uel ex parte expletæ sunt, Ita ipse pro ista structura largiatur omnium præclara, & in hanc fidelium pia uota colligantur.

LVT. Hæc scrupulosissima Laicorum argumenta, sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam & Papam hostibus ridendos exponere & infœlices Christianos facere. 90.

SIL. Ecclesia Romana, quæ in Romano Pontifice uirtualiter inclusa est, temporalis & spiritualis potestatis summum in Papa apicem tenet, & seculari brachio (pro ut iura decernunt) potest eos, qui fide primo suscepta, deinde male sentiunt, compescere, nec tenetur Rationib. certare ad uincendos proteruientes, Etsi maxime ueritas in aperto est, ego tamen uolo tecum rationib. agere, & experiri, quid scribendo possis, Hostes autem se irridentes & corporales & spirituales, solet Ecclesia ad nihilum (deo iuuante) deducere. *Papæ potestas spiritualis & corporalis.*

LVT. Si ergo veniæ secundum spiritum & mentem Papæ prædicarentur, facile omnia illa soluerentur, imo non essent. 91.

SIL. Si mens Pontificis esset illa, quam tu scripsisti, esset mens male docta, & longe a ueritate aberrans, ut patuit, & clarius patebit, cum iam nō Conclusionibus, sed argotizationibus agemus.

LVT. Exhortandi sunt Christiani, vt caput suum Christum, per pœnas, mortes, infernosque sequi studeant, ac sic magis per multas tribulationes intrare coelum, quam per securitatem pacis confidant. 92.

SIL. Exhortandi etiam sunt, ut caueant a doctrina tua tuique similium, quæ nec sana, nec charitatiua est, sed detractoria & sugillatiua. Tribulationes uero in hac quidem uita à uiris perfectis eliguntur, quando sunt alicuius boni allatiuæ, in futuro autem secus, ut supra ex D. Thoma deductum est. Hæc ergo sunt, Luthere, quæ ad Conclusiones tuas respondenda occurrerunt, posthabitis in fine quibusdam uanis, quæ loqueris. Eia, nunc age, aut improba mea, aut tua proba. Ego quoque imposterum itidem faciam. Et ut latior tibi campus certaminis adsit, etiam ea, quæ in Siluestrina scripsi, substinenda propono.

FINIS.

PRO VERITATE INQVIRENDA ET ONERATIS CONSCIENTIJS CONSOLANDIS, Hæc sub R.P. Martino Luthero Augustiniano disputabuntur, per uices circulares, pro nostro more. M. D. XVIII.

1. INter duas ecclesiasticas illas Remissiones pœnæ & culpæ, præcellit remissio culpæ.

2. Remissio culpæ quietat cor, & maximam omnium pœnarum, scilicet conscientiam peccati, tollit.

3. Remissio pœnę, quandoque auget conscientiā malam, quandoq; peiorem nutrit præsumptionem.

4. Remissio culpæ reconciliat hominem Deo, remissio pœnæ reconciliat hominem homini, id est Ecclesiæ.

5. Remissa culpa & conscientia, nulla pœna est in pœna, sed gaudium in tribulationibus.

6. Sine remissione pœnę potest homo saluus fieri. sed nequaquam sine remissione culpæ.

7. Magis prodest ad salutem, si absolutus a culpa, omittat redemptionem pœnarum.

8. Remissio culpæ non innititur contritioni peccatoris, nec officio aut potestati sacerdotis.

9. Innititur potius fidei, id est, quæ est in uerbum Christi dicentis, Quodcunque solueris &c.

10. Verum est enim, quod non Sacramentum fidei, sed fides sacramenti, id est, non quia fit, sed quia creditur, iustificat.

11. Non uoluit Christus in manu uel arbitrio hominis consistere salutem hominum:

12. Sed sicut scriptum est: Portans omnia uerbo uirtutis suę, &: Fide purificans corda eorum.

13. Vsque ad infidelitatem errant, qui remissionem culpæ incertam asserunt, propter incertitudinem contritionis.

14. Quantumlibet incertus sit, tam sacerdos, quam peccator de contritione, rata est absolutio, si credit sese absolutum.

15. Certum est ergo, remissa esse peccata, si credis remissa. quia certa est Christi saluatoris promissio.

16. Absolutus per clauem, potius debet mori, & omnem creaturam negare, quam de sua absolutione dubitare.

17. Dubitans absolutionem suam Deo gratam esse, dubitat simul Christum fuisse ueracem dicendo, Quodcunque &c.

18. Super contritionem ædificantes remissionem, super arenam, id est, super opus hominis, fidem Dei ædificant.

Iniuria

Iniuria est sacramenti,& desperationis machina,non credere absolutionem,donec certa sit contritio. 19.

Imo sic uelle fiduciam conscientiæ ædificare,super contritionem, est Deum mendacem,se veracem constituere. 20.

Tales non de misericordia & verbo Christi, sed de suis operibus & uiribus, perditissime præsumunt. 21.

Imo peruersissime volunt Verbum & fidem firmare ipsi, & non potius firmari uerbo & fide. 22.

Sacerdotes non sunt autores remissionis, sed ministratores verbi,ad fidem remissionis. 23.

Potestas clauium operatur verbo & mandato Dei, firmum & infallibile opus,nisi sis dolosus. 24.

Euidentia contritionis signa satis habet sacerdos, si peccatorem sentit petere & credere absolutionem. 25.

Imo longe magis exquirendum est ab eo, An credat sese absolui, quam an digne doleat. 26.

Cauendum quoque sacerdoti, ne adeo exploret solam contritionem,vt homo credat propter ipsam sese absoluendum. 27.

Illud Christi potius est inculcandum ei: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua, quam dignitas eius exquirenda. 28.

Consequens est, quod verbum illud Christi: Quorum remiseritis peccata &c. non de pœnis,sed culpa intelligitur. 29.

Sicut sacerdos docet,baptizat, communicat vere, & tamen hæc solius sunt spiritus intus operantis. 30.

Ita vere peccata remittit,& absoluit a culpa, Et tamen hoc solius est Spiritus intus operantis. 31.

In ijs omnibus,dum ministrat verbum Christi,simul fidem exercet, qua intus iustificatur peccator. 32.

Nihil enim iustificat, nisi sola fides Christi, ad quam necessaria est verbi per sacerdotem ministratio. 33.

Sine qua fide, contritio peccatorum est desperationis operatio, & plus Deum offendens quam reconcilians. 34.

Potest sacerdos abuti claue, & peccare, absoluendo quem non debuit, vtpote restrictus. 35.

Sed non ideo absolutio est nulla, nisi fides simul absoluti esset nulla. 36.

Sicut in Baptismo & Synaxi, etiam restricta clauis & prohibita, vere baptizat & communicat. 37.

Ita in pœnitentia, quantumlibet prohibita,vere absoluit, modo absit dolus absoluti. 38.

Sacerdos etiam leuis ac ludens,seu scienter contra restrictionem agens,vere tamen baptizat & absoluit. 39.

40. Finge casum per impossibile, sit absoluendus non contritus, credens tamen sese absolui, hic est uere absolutus.

41. Nec potest hic obstare vlla reseruatio casuum aut restrictio, si tamen fuerit & manserit ignorata.

42. Sacramenta nouæ legis, non sic sunt efficacia gratiæ signa, quod satis sit in percipiendis non ponere obicem.

43. Quisquis sine fide ad quodcunque accedit, ficte, ac per hoc in iudicium suum accedit.

44. Sacramenta veteris legis & nouæ sic differunt, quod illa erant carnis, ista vero sunt spiritus iustificationes.

45. In nouis adest, in ueteribus defuit verbum promittens, ideoque & fides recipientis remissionem.

46. Sicut venialia peccata non pertinent ad confessionem & absolutionem clauium, ita nec omnia mortalia.

47. Si homo teneretur omnia mortalia confiteri, & ab eis absolui, teneretur ad simpliciter impossibile.

48. Nullus hominum nouit, quoties peccet mortaliter, etiam in bonis operibus, propter vanam gloriam.

49. Ea tantum debet confiteri, quæ vel sibi vel alijs certa sunt esse mortalia, id est, crimina.

50. De reliquis desperando, seipsum cum fiducia in abyssum misericordiæ Dei fideliter promittentis, proijcere.

Summa summarum.

Iustus non ex operibus, neque ex lege, sed ex fide uiuet, Ro. 1.

DISPVTATIO D. MARTINI LVTHERI DE Circumcisione.

1. CIRcumcisionem valuisse in remissionem peccati originalis, propter institutionem Dei, & fidem Abrahæ in Christum, libenter concedimus.

2. Circumcisio sine fide, vel propria vel aliena, adeo non profuit, vt nec Abrahæ principi eius sine fide profuisset.

3. Rectius, per fidem Circumcisio, sicut & omnia, profuisse dicitur, Non autem fides per Circumcisionem, aut vllum aliud opus.

4. Consentaneum est, fœminas in Lege, sine Circumcisione, per fidem Abrahæ circumcisi, fuisse iustificatas.

5. Et paruulos eiusdem pacti fide aliena, non autem propria circumcisione fuisse iustificatos.

Non

Non ergo Circumcisio aliquid valuit, sed communicatio fidei Abrahæ in Christum sibi promissum iustificauit. 6.

Circumcisio fuit signum seu monitorium, quod accipiens, ad fidem Abrahæ in Christum futurum, Spiritu sancto exercebatur. 7.

Idem signum erat, ante Legem Patribus, siue in oblationibus, siue orationibus. 8.

Non ergo virtute Sacrificiorum, vt Magister ait, quam intelligebant spiritualiter, sunt iustificati, nisi intelligentiam istam dicas fuisse fidem Christi futuri. 9.

F. MARTINVS LVTHERVS S. THEOLOGIAE MAGIster præsidebit, F. Leonardus Beier artium & Philosophiæ Magister respondebit, apud Augustinianos huius inclytæ ciuitatis Heidelbergensis, loco solito, VI. Cal. Maij, M. D. XVIII.

EX THEOLOGIA.

Issidentes nobis ipsis prorsus, iuxta illud spiritus cõsilium: Ne innitaris prudentiæ tuæ, humiliter offerimus omnium, qui adesse voluerint, iudicio, hęc theologica Paradoxa, vt vel sic appareat, bene an male elicita sint, ex diuo Paulo, vase & organo Christi electißimo, deinde & ex S. Augustino interprete eiusdem fidelissimo.

LEX Dei saluberrima vitæ doctrina, non potest hominem ad iusticiam promouere, sed magis obest. 1.

Multo minus opera hominum, naturalis dictaminis auxilio, frequenter, vt dicitur, iterata possunt promouere. 2.

Opera hominum, vt semper sint speciosa bonaq́ uideantur, probabile tamen est ea esse peccata mortalia. 3.

Opera Dei, vt semper sint deformia, malaque videantur, uere tamen sunt merita immortalia. 4.

Non sic sunt opera hominum mortalia, de bonis, vt apparent, loquimur, vt eadem sint crimina. 5.

Non sic sunt opera Dei merita, de ijs, quæ per hominem fiunt, loquimur, vt eadem non sint peccata. 6.

Iustorum opera essent mortalia, nisi pio Dei timore, ab ipsismet iustis, vt mortalia, timerentur. 7.

Multo magis hominum opera sunt mortalia, cum & sine timore fiant, in mera & mala securitate. 8.

9. Dicere, quod opera sine Christo, sint quidem mortua, sed non mortalia, uidetur periculosa timoris Dei remissio.

10. Imo difficillimum est intelligere, quo nam modo sit opus mortuum, nec tamen noxium mortaleue peccatum.

11. Non potest uitari præsumptio, nec adesse vera spes, nisi in omni opere timeatur iudicium damnationis.

12. Tunc vere sunt peccata apud Deum uenialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia.

13. Liberum arbitrium post peccatum, res est de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

14. Liberum arbitrium post peccatum, potest in bonum, potentia subiectiua, in malum vero actiua semper.

15. Nec in statu innocentiæ potuit stare actiua, sed subiectiua potentia, nedum in bonum proficere.

16. Homo putans se ad gratiam velle peruenire, faciendo, quod est in se, peccatum addit peccato, ut duplo reus fiat.

17. Nec sic dicere, est desperandi causam dare, sed humiliandi, & quærendæ gratiæ Christi studium excitare.

18. Certum est, hominem de se penitus oportere desperare, vt aptus fiat ad consequendam gratiam Christi.

19. Non ille digne Theologus dicitur, qui inuisibilia Dei, per ea, quę facta sunt intellecta, conspicit.

20. Sed qui visibilia & posteriora Dei, per passiones & crucem conspecta intelligit.

21. Theologus gloriæ dicit malum bonum, & bonum malum, Theologus crucis, dicit id quod res est.

22. Sapientia illa, quæ inuisibilia Dei ex operibus intellecta conspicit, omnino inflat, excęcat, & indurat.

32. Et lex iram Dei operatur, occidit, maledicit, reum facit, iudicat, damnat, quicquid non est in Christo.

24. Non tamen sapientia illa mala, nec lex fugienda, Sed homo sine Theologia crucis, optimis pessime abutitur.

25. Non ille iustus est, qui multum operatur, Sed qui sine opere multum credit in Christum.

26. Lex dicit, Fac hoc, & nunquam fit. Gratia dicit, Crede in hunc, & iam facta sunt omnia.

27. Recte opus Christi diceretur, operans, & nostrum operatum, ac sic operatum placere Deo, gratia operis operantis.

28. Amor Dei non inuenit, sed creat suum diligibile, Amor hominis fit a suo diligibili.

EX PHILOSOPHIA.

29. Qui sine periculo volet in Aristotele philosophari, necesse est, vt ante bene stultificetur in Christo.

Sicut

Sicut libidinis malo non vtitur bene, nisi coniugatus, Ita nemo philosophatur bene, nisi stultus, id est, Christianus. 30.

Facile fuit Aristoteli, mundum æternum opinari, quando anima humana mortalis est eius sententia. 31.

Postquam receptum est, tot esse formas substantiales, quot composita, necessario & tot esse materias, fuerat recipiendum. 32.

Ex nulla re mundi, aliquid fit necessario, Ex materia tamen necessario fit, quicquid fit naturaliter. 33.

Si Aristoteles absolutam cognouisset potentiam Dei, adhuc impossibile asseruisset, materiam stare nudam. 34.

Infinitum actu nullum est, potentia tamen & materia tot sunt, quot in rebus composita, iuxta Aristotelem. 35.

Aristoteles male reprehendit ac ridet Platonicarum idearum meliorem sua Philosophiam. 36.

Imitatio numerorum in rebus ingeniose asseritur a Pythagora, sed ingeniosius participatio idearum a Platone, 37.

Disputatio Aristotelis aduersus vnum illud Parmenidis, verberat, Christiano venia sit, aera pugnis. 38.

Si Anaxagoras, infinitum forma posuit, vt videtur, optimus Philosophorum fuit inuito etiam Aristotele. 39.

Apud Aristotelem videntur idem esse priuatio, materia, forma, mobile, immobile, actus, potentia &c. 40.

PROBATIONES CONCLVSIONVM: QVAE IN CAPITVLO Heidelbergensi disputatæ sunt, Anno salutis nostræ, M. D. XVIII. VI. Calendas Maij.

CONCLVSIO I.

LEX Dei saluberrima uitæ doctrina, non potest hominem ad iusticiam promouere, sed magis obest.

Roma. 3. PAtet per Apostolum ad Romanos 3. Sine Lege iusticia Dei manifestata est. Quod B. Augustinus libro de spiritu & litera exponit; Sine Lege, scilicet adiuuante. Et Roma. 5. Lex subintrauit, ut peccatum abundaret. Et 7. Cum uenisset mandatum, reuixit peccatum, Vnde capite 8. appellat Legem, legem mortis, & legem peccati. Imo 2. Corint. 3. Litera occidit. Quod B. Augustinus per totum Librum de spiritu & litera intelligit, de qualibet etiam sanctissima lege Dei. (Roma. 5. & 7. Roma. 8. 2. Cor. 3.)

II.

Multo minus opera hominum, naturalis dictaminis auxilio frequenter (vt dicitur) iterata, possunt promouere.

QVia cum lex Dei sancta & immaculata, vera, iusta &c. homini sit in auxilium à Deo data, ultra uires suas naturales, ut illuminet ac moneat ad bonum, & tamen contrarium fit, ut magis fiat malus, Quomodo suis relictus uiribus, sine tali auxilio, ad bonum potest promoueri? Minus facit ex suo proprio, qui non facit bonum alterius auxilio. Vnde Apostolus ad Rom. 3. Omnes homines corruptos & inutiles, nec Deum intelligentes, nec requirentes, sed omnes dicit declinantes. *Rom. 3.*

III.

Opera hominum, vt semper speciosa sint, bonaque videantur, probabile tamen est, ea esse peccata mortalia.

OPera hominum videntur speciosa, sed intus sunt fœda, vt Christus de Pharisæis Matth. 23. dicit. Videntur enim sibi & alijs bona & pulchra, Sed Deus est, qui non iudicat secundum faciem, sed scrutatur renes & corda. At sine gratia & fide impossibile est mundum haberi cor. Acto. 15. Fide purificans corda eorum. *Matth. 23.* *Psal. 7.* *Acto. 15.*

Probatur itaque Conclusio, Si opera hominum iustorum sunt peccata, ut Conclusio vij. dicit, multo magis hominum nondum iustorum. At iusti pro suis operibus dicunt: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item Apostolus Galat. 3. Qui sunt ex operibus Legis, sub maledicto sunt. Sed opera hominum sunt opera Legis, Et maledictio non uenialibus attribuitur peccatis, ergo mortalia sunt. Tertio Rom. 2. Qui doces non furandum, furaris. Quod B. Augustinus exponit, scilicet rea uoluntate sunt fures, etsi foris iudicent, ac doceant alios fures. *Psal. 143.* *Galat. 3.* *Rom. 2.*

IIII.

Opera Dei, vt semper sint deformia, malaque videantur, vere tamen sunt merita immortalia.

OPera Dei esse deformia, patet per illud Esa. 53. Non est ei species neque decor. Et 1. Reg. 2. Dominus mortificat & uiuificat, deducit ad inferos & reducit. Hoc sic intelligitur, quod Dominus humiliat & perterrefacit nos Lege & conspectu peccatorum nostrorum, ut tam coram hominibus, quam coram nobis uideamur esse nihil, stulti, mali, imo uere tales sumus. Quod cum agnoscimus atque confitemur, nulla in nobis est species neque decor, sed uiuimus in abscondito Dei (id est, in nuda fiducia misericordiæ eius) in nobis habentes responsum peccati, stulticiæ, mortis & inferni, Iuxta illud Apostoli, 2. Corinth. 6. Quasi tristes, semper autem gaudentes, quasi mortui, & ecce uiuimus. Et hoc est, quod Esaias cap. 28. uocat, opus alienum Dei, ut operetur opus suum (id est, nos humiliat in nobis, desperantes faciens, ut exaltet in sua misericordia, sperantes faciens) Sicut Hab. 3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Talis ergo homo sibi displicet in omnibus operibus suis, nullum decorem, sed solam suam deformitatem uidet. Imo iam foris facit, quæ alijs stulta & deformia uidentur. *Esai. 53.* *1. Reg. 2.* *Opus alienum Dei.* *2. Cor. 6.* *Esai. 28.* *Habac. 3.*

Fit autem deformitas illa in nobis, uel à Deo flagellante, uel à nobis ipsis accusando, Iuxta illud. 1. Corinth. 11. Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur a Domino. Hoc est, quod Deut. 32. Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis deprecabitur. Sic itaque opera deformia, quæ Deus in nobis operatur (id est, humilia & timorata sunt uere immortalia) quia humilitas & timor Dei est totum meritum. *1. Cor. 11* *Deut. 32.*

v. Non

V.

Non sic sunt opera hominum mortalia (de bonis, vt apparent, loquimur) vt eadem sint crimina.

CRimina enim sunt, quæ accusari possunt, etiam coram hominibus, ut adulteria, furta, homicidia, obloquutiões &c. Sed mortalia sunt, quæ apparent bona, & tamen intus sunt malæ radicis & malæ arboris fructus. Augustinus libro 4. contra Iulianum. *Crimina. Mortalia.*

VI.

Non sic sunt opera Dei merita (de his, quæ per hominem fiunt, loquimur) vt eadem non sint peccata.

Eccle. 7. ECclesiastes 7. Non est iustus in terra, qui faciat bene, & non peccet. Hic autem ab alijs dicitur, ꝙ iustus quidem peccet, sed non quando benefacit. Quibus respondetur: Si id uellet hæc Autoritas, quid superfluit uerbis? An Spiritus sanctus delectatur multiloquio & nugatione? Nam iste sensus fuisset abunde sic expressus: Non est iustus in terra, qui non peccet, ut quid addit, qui benefacit? Quasi alius sit iustus, qui faciat male. Non enim nisi iustus facit bene. At ubi de peccatis extra benefacta loquitur, sic dicit: Septies in die cadit iustus. Hic non dicit: Septies in die cadit iustus, quando benefacit. Est enim simile, sicut si quis cum securi corrosa & dentata secet, licet operator sit bonus faber, tamen securis facit malas & difficiles ac deformes incisiones, Sic Deus per nos operans.

VII.

Iustorum opera essent mortalia, nisi pio Dei timore ab ipsismet iustis, vt mortalia, timerentur.

PAtet ex iiij. Conclusione, Quia confidere in opus, de quo debuit timere, est sibi gloriam dare, & Deo auferre, cui timor debetur in omni opere. Hæc autem tota est peruersitas, scilicet, sibi placere, fruiꝙ seipso, in operibus suis, seꝙ idolum adorare. Taliter autem omnino facit, qui securus & sine timore Dei est, Si enim timeret, non esset securus, ideoꝙ nec sibi placeret, sed in Deo sibi placeret. *4. Conclu.*

Psal. 143. Secundo, Ex illo Psalmi dicto: Non intres in iudicium cum seruo tuo.
Psal. 32. Et Psal. 32. Dixi, confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino &c. Quod autem hæc non sint uenialia, patet, quia illi dicunt, pro uenialibus nõ necessariam confessionem & pœnitentiam. Si ergo sunt mortalia, & omnes Sancti pro eis orant, ut ibidem dicit, Ergo Sanctorum opera sunt peccata mortalia, Sed Sanctorum opera sunt bona opera, quare non nisi per timorem humilis confessionis sunt eis meritoria.

Tertio, Ex oratione Dominica: Dimitte nobis debita nostra. Hæc est oratio Sanctorum, ergo debita illa sunt bona opera, pro quibus orant. At ꝙ illa sint mortalia, patet ex sequentibus: Si non remiseritis peccata hominibus, nec pater uester cœlestis remittet uobis peccata uestra. Ecce talia sunt, quæ damnarent non remissa, nisi orarent uere hanc orationem, & remitterent alijs. *Oratio Sanctorum.*

Apoc. 21. Quarto, Apoc. 21. Nihil inquinatum intrabit in regnum cœlorum, Sed omne impediens introitum regni est mortale (aut aliter definiendũ est mortale) Peccatum autem ueniale impedit, quia inquinat animam, & non stat in regno cœlorum, ergo &c.

viij. Multo

VIII.

Multo magis hominum opera sunt mortalia, cum & sine timore fiant, in mera & mala securitate.

PAtet necessaria consequentia ex præcedente, Nam vbi non est timor, ibi nulla humilitas, ubi nulla humilitas, ibi superbia, ibi ira & iudicium Dei, Deus enim superbis resistit, Imo cesset superbia, & nullum peccatum uspiam erit. 1. Pet. 5.

IX.

Dicere, ꝙ opera extra Christum sint quidem mortua, sed non mortalia, videtur periculosa timoris Dei remissio.

QVIA sic homines fiunt securi, ac per hoc superbi, quod est periculosum. Quia sic Deo assidue aufertur & differtur sibi debita gloria, cum omni studio sit eo festinandum, ut quantocius ei sua reddatur gloria. Ideo consulit Scriptura: Ne tardes conuerti ad Dominum. Si enim offendit, qui subtrahit gloriam, quanto magis offendit, qui subtractam continuat, & in hoc ipso securus agit. At qui non est in Christo, aut recedit ab eo, subtrahit ei gloriam, ut notum est.

X.

Imo difficilimum est intelligere, quo nam modo sit opus mortuum, nec tamen noxium mortaleue peccatum.

PRobo, Quia Scriptura non habet istum de mortuis loquendi modum, ꝙ aliquid sit non mortale, quod tamen sit mortuum, Imo nec Grammatica, quæ mortuum plus esse dicit, ꝙ mortale. Mortale enim opus, quod occidit, ipsi dicunt, Mortuum, uero non occisum, sed non uiuum. At non uiuum Deo displicet, ut Prouerb. 15. scribitur: Victimæ impiorum abominabiles. *Mortale. Mortuum.* *Prouer. 15.*

Secundo, Oportet omnino circa talem actum mortuum uoluntatem aliquid agere, scilicet uel amando uel odiendo eum, Odisse non potest, cum sit mala. Amat ergo, ergo amat mortuum. Ac sic in eo ipso elicit malum actum uoluntatis, contra Deum, quem amare debuit, & glorificare in eo, & in omni opere.

XI.

Non potest vitari præsumptio, nec adesse uera spes, nisi in omni opere timeatur iudicium damnationis.

4. Conclu. PAtet supra ex iiij. Conclusione, Quia impossibile est in Deum sperare, nisi de omnibus creaturis desperetur, sciatꝙ sibi nihil prodesse citra Deum posse. At cum nullus sit, qui hanc puram spem habeat, ut supra diximus, ac sic nonnihil in creaturam confidamus, patet, ꝙ propter immundiciam in omnibus timendum est Dei iudicium. Et sic præsumptio uitetur, non re, sed affectu, id est, quod displicet nobis adhuc esse in fiducia creaturæ.

XII.

Tunc uere sunt peccata apud Deum uenialia, quando timentur ab hominibus esse mortalia.

PAtet satis ex dictis, quia quantum nos accusamus, tantum Deus excusat, Iuxta illud: Dic iniquitates tuas, ut iustificeris. Et illud: Vt non declinet cor meum in uerba maliciȩ, ad excusandas excusationes in peccatis.

XIII.

Liberum arbitrium post peccatum, res est de solo titulo, & dum facit, quod in se est, peccat mortaliter.

PRima pars patet, quia est captiuum & seruum peccato, non quod sit nihil, sed quod non sit liberum, nisi ad malum. Iohan. 8. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Si Filius uos liberauerit, uere liberi estis. Inde B. August. Libro de spiritu & litera dicit: Liberum arbitrium sine gratia non nisi ad peccandum ualet. Et libro 2. contra Iulianum: Liberum uos uocatis, imo seruum arbitrium &c. Et innumeris alijs locis. *Liberum arbitrium sine gratia &c.*

Secunda pars patet ex supradictis. Et illo Hose. 13. Perditio tua ex te Israel, ex me tantummodo auxilium tuum &c.

XIIII.

Liberum arbitrium post peccatum potest in bonum potentia subiectiua, in malum vero semper actiua.

QVia sicut homo mortuus potest in vitam solum subiectiue, in mortem uero etiam actiue, dum uiuit. Liberum autem arbitrium est mortuum, significatum per mortuos illos, quos Dominus suscitauit, ut dicunt Doctores sancti. Probat insuper B. Augustinus in diuersis locis contra Pelagianos eandem Conclusionem.

XV.

Nec in statu innocentiæ potuit stare actiua, sed subiectiua potentia, nedum in bonum proficere.

MAgister Sententiarum, lib. 2. dist. 24. cap. 1. allegans Augustinum, in fine sic dicit: His testimonijs euidenter monstratur, quod homo rectitudinem & bonam uoluntatem in creatione accepit, atque auxilium, quo stare poterat, alioqui non sua culpa uideretur cecidisse. Loquitur de potentia actiua, quod aperte est contra Agustinum in Libro de cor. & gra. ubi sic dicit: Acceperat posse, si uellet, sed non habuit uelle, quo posset. Per posse intelligens potentiam subiectiuam, & per uelle quo posset, potentiam actiuam.

Secunda autem pars satis patet ex Magistro in eadem distinctione.

XVI.

Homo putans se ad gratiam velle peruenire, faciendo quod in se est, peccatum addit peccato, vt duplo reus fiat.

QVia ex dictis patet, dum facit quod est in se, peccat, & sua quærit omnino. At si per peccatum putet se dignum fieri gratia, aut aptum ad gratiam, iam superbam addit præsumptionem, & peccatum non peccatum, & malum non malum credit, quod est nimis grande peccatum. Sic Iere. 2. Peccatum duplex peccauit populus meus, me dereliquerunt fontem uiuum, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ non ualent aquas continere, id est, per peccatum sunt longe a me, & tamen præsumunt bonũ facere ex se.

Dicit

Dicis ergo: Quid igitur faciemus? Vacabimus ocio, quia nihil nisi peccatum facimus? Respondeo: Non, Sed his auditis, procide, & ora gratiam, spemq; tuam in Christum transfer, in quo est salus, uita & resurrectio nostra. Quia ideo hæc docemur, ideo Lex notum facit peccatum, ut cognito peccato, gratia quęratur & impetretur. Sic sic humilibus dat gratiam, & qui humiliatur, exaltatur. Lex humiliat, gratia exaltat. Lex timorem & iram, gratia spem & misericordiam operatur. Per Legem enim cognitio peccati, per cognitionem autem peccati humilitas, per humilitatem gratia acquiritur. Sic opus alienum Dei inducit tandem opus eius proprium, dum facit peccatorem, ut iustum faciat.

Est uero humilitas, quæ de se omnino desperat, & tota fiducia recurrit in Christum. Hæc est fides, quæ saluat. Hæc omne meritũ ambit præceditq;. Ea fides est humilitas sensui cedens proprio & uiribus.

XVII.

Nec sic dicere, est desperandi causam dare, sed humiliandi & quęrendæ gratiæ Christi studium excitare.

PAtet ex dictis, quia cum secundum Euangelium paruulis & humilibus datum sit regnum cœlorum, & Christus eos amet. Humiles autem esse non possunt, qui non intelligunt se peccatores damnabiles & fœtidos. Peccatum autem non agnoscitur, nisi per Legem, Patet q; non desperatio, sed spes potius prædicatur, quando nos esse peccatores prædicatur. Illa enim prædicatio peccati, est præparatio ad gratiam, seu potius agnitio peccati, & fides talis prædicationis. Tunc enim surgit desiderium gratiæ, quando orta est peccati cognitio, Tunc æger quęrit medicinam, quando intelligit malum sui morbi. Sicut itaque non est causam desperationis uel mortis dare, quando ægroto dicitur periculum sui morbi, sed potius est eum prouocare ad curam medicinæ quęrendæ. Ita dicere, q; nihil sumus, & semper peccamus, quando facimus quod in nobis est, non est desperatos (nisi sint stulti) sed sollicitos ad gratiam Domini nostri Ihesu Christi facere.

Vide Augustinum de litera & spiritu.

XVIII.

Certum est, hominem de se penitus oportere desperare, ut aptus fiat ad consequendam gratiam Christi.

ID enim Lex vult, vt homo de se desperet, dum eum deducit ad Inferos, & pauperem facit, & peccatorem ostendit, in omnibus suis operibus, ut Roma. 2. & 3. facit Apostolus, dicens: Causati sumus omnes esse sub peccato. Qui autem facit quod in se est, & credit se aliquid boni facere, non omnino sibi nihil uidetur, nec de suis uiribus desperat, imo tantum præsumit, q; ad gratiam suis uiribus nititur. *Rom. 2.*

XIX.

Non ille digne Theologus dicitur, qui inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicit. *Rom. 1.*

PAtet per eos, qui tales fuerunt, Et tamen ab Apostolo Roma. 1. stulti uocantur. Porro inuisibilia Dei sunt, uirtus, diuinitas, sapientia, iusticia, bonitas &c. hęc omnia cognita non faciunt dignũ, nec sapientem.

XX.

Sed qui uisibilia & posteriora Dei, per passiones & crucem conspecta intelligit.

Posteriora

1.Cor.1. POsteriora & visibilia Dei sunt opposita inuisibilium, id est, humanitas, infirmitas, stulticia. Sicut 1. Corinth. 1. uocat infirmum & stultum Dei, Quia enim homines cognitione Dei ex operibus abusi sunt, uoluit rursus Deus ex passionibus cognosci & reprobare illam sapientiam inuisibilium, per sapientiam uisibilium, ut sic, qui Deum non coluerunt manifestum ex operibus, colerent absconditum in passionibus. Sicut ait 1. Corin. 1. Quia in Dei sapientia non cognouit mundus Deum per sapientiam, placuit Deo per stulticiam prædicationis saluos facere credentes. Ita, ut nulli iam satis sit ac prosit, qui cognoscit Deum in gloria & maiestate, nisi cognoscat eundem in humilitate & ignominia crucis. Sic perdit sapientiam sapientum &c. sicut Esaias dicit: Vere absconditus tu es Deus. *Posteriora & uisibilia Dei.* (1. Cor. 1.)

Iohan.14. Sic Iohan. 14. Cum Philippus iuxta Theologiam gloriæ diceret: Ostende nobis Patrem, Mox Christus retraxit & in seipsum reduxit eius uolatilem cogitatum quærendi Deum alibi, dicens: Philippe, qui uidet me, uidet & Patrem meum, Ergo in Christo crucifixo est uera Theologia & cognitio Dei. Et Ioh. 10. Nemo uenit ad Patrem, nisi per me. Ego sum ostium &c. (Iohan.20.)

XXI.

Theologus gloriæ dicit, Malum bonum, & bonum malum, Theologus crucis dicit, id quod res est.

PAtet, quia dum ignorat Christum, ignorat Deum absconditum in passionibus, Ideo præfert opera passionibus, & gloriam cruci, potentiam infirmitati, sapientiam stulticiæ, & uniuersaliter bonum malo. Tales sunt, quos Apostolus uocat Inimicos crucis Christi. Vtiq; quia odiunt crucem & passiones, Amant uero opera & gloriam illorum, Ac sic bonum crucis dicunt malum, & malum operis dicunt bonum. At Deum non inueniri, nisi in passionibus & cruce, iam dictum est. Ideo amici crucis dicunt crucem esse bonam, & opera mala, quia per crucem destruuntur opera, & crucifigitur Adam, qui per opera potius ædificatur. Impossibile est enim, ut non inflletur operibus suis bonis, qui nō prius exinanitus & destructus est passionibus & malis, donec sciat seipsum esse nihil, & opera non sua, sed Dei esse. (Philip. 3.) *Inimici crucis Christi.* *Amici crucis Christi.*

XXII.

Sapientia illa, quæ inuisibilia Dei, operibus intellecta conspicit, omnino inflat, excæcat & indurat.

ID iam dictum est, Quia ex quo crucem ignorant atque odiunt, necessario contraria diligunt, scilicet, sapientiam, gloriam & potentiam &c. Ideo tali amore magis excæcantur & indurantur. Impossibile est enim, quod cupiditas satietur his, quæ cupit, acquisitis. Sicut enim crescit amor numi, quantum ipsa pecunia crescit. Sic Hydropisis animæ, quo plus bibit, plus sitit, ut Poeta: Quo plus potantur, plus sitiuntur aquæ. Sic Eccle. 1. cap. Non saturatur oculus uisu, nec auditu auris. Sic de omnibus cupiditatibus. (Eccle.1.)

Quare & curiositas sciendi non saturatur acquisita sapientia, sed magis accenditur. Sic cupiditas gloriæ non saturatur acquisita gloria, Nec cupido dominandi saturatur potestate & imperio, Nec cupido laudis saturatur laude &c. ut Iohan. 7. Christus significat dicens: Qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum. (Iohan.7.)

Restat ergo remedium, ut non explendo curetur, sed extinguendo, id est, ut qui uult fieri sapiens, non quærat sapientiam procedendo, sed fiat stultus quęrendo stulticiam retrocedendo. Sic qui uult fieri potens, gloriosus, uoluptuosus, satur omnium rerum, fugiat potius, quam quęrat potentiam, gloriam, uoluptatem, omniumque rerum saturitatem. Hæc sapientia illa est, quæ mundo est stulticia.

XXIII.

Et Lex iram Dei operatur, occidit, maledicit, reum facit, iudicat, damnat, quicquid non est in Christo.

Galat. 3. SIC ad Galatas 3. Christus liberauit nos de maledicto Legis. Et ibi-
Roma. 4. dem: Qui sunt ex operibus Legis, sub maledicto sunt. Et Roma. 4. Lex
Rom. 7. iram operatur. Et Rom, 7. Quod erat ad uitam, inuentū est mihi esse ad mor
Roma. 2. tem. Roma. 2. Qui in Lege peccauerunt, per Legem iudicabuntur. Igitur qui gloriatur in Lege, tanquam sapiens & doctus, gloriatur in confusione sua, in
Roma. 2. maledicto suo, in ira Dei, in morte, ut illi Roma. 2. Quid gloriaris in Lege?

XXIIII.

Non tamen sapientia illa mala, nec Lex fugienda, sed homo sine Theologia crucis, optimis pessime abutitur.

QVia Lex sancta, & omne donum Dei bonum, omnis creatura
Gene. 1. bona ualde Gene. 1. Sed sicut supra dictum est, qui nondum est destructus, ad nihilum redactus per crucem & passionem, sibi tribuit opera & sapientiam, non autem Deo, & sic abutitur donis Dei, eaque polluit.

Qui uero est per passiones exinanitus, iam non operatur, sed Deum in se operari & omnia agere nouit. Ideo siuę operetur, siue non, idem sibi est, nec gloriatur si operetur, nec confunditur, si non operetur Deus in eo, sibi scit satis esse, si patitur & destruitur per crucem, ut magis annihiletur, Sed hoc est,
Iohan. 3. quod Christus ait Iohan. 3. Oportet uos renasci denuo, Si renasci, ergo prius mori, & exaltari cum filio hominis, Mori inquam, id est, mortem præsentem sentire.

XXV.

Non ille iustus est, qui multum operatur, sed qui sine opere multum credit in Christum.

QVia iusticia Dei non acquiritur ex actibus frequenter iteratis, ut Aristoteles docuit, sed infunditur per fidem. Iustus enim ex fide
Roma. 1. uiuit Roma. 1. & 10. Corde creditur ad iusticiam. Vnde illud (sine opere) sic
Roma. 10. uolo intelligi, Non quod iustus nihil operetur, sed quod opera eius non faciunt eius iusticiam, sed potius iusticia eius facit opera. Sine enim opere nostro gra
Roma. 3. tia & fides infunditur, qua infusa iam sequuntur opera. Sic Ro. 3. dicitur: Ex
Roma. 14. operibus Legis nō iustificabitur omnis homo. Et iterum, Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus Legis, id est, ad iustificationem nihil faciunt opera. Deinde, quia opera, quæ ex tali fide facit, non sua, sed Dei esse nouit. Ideo nō se per illa iustificari aut glorificari quęrit, sed Deum quęrit, sua sibi sufficit iusticia ex fide Christi, id est, ut Christus sit eius sapientia, iusticia &c. ut 1. Cor. 1. dicitur, ipse uero sit Christi operatio seu instrumentū.

XXVI.

Lex dicit: Fac hoc, & nunquam fit, Gratia dicit: Crede in hunc, & iam facta sunt omnia.

PRImum patet per Apostolum, & interpretem eius B. Augustinum, in multis locis, Et supra satis dictum est, ꝙ Lex potius iram operatur, & sub maledicto tenet omnes. Secundum patet per eosdem, quia fides iustificat. Et Lex (ait B. Augustinus) imperat, quod fides impetrat. Sic enim per fidem Christus in nobis, imo unum cum nobis est. At Christus est iustus, & omnia implens Dei mandata, quare & nos per ipsum omnia implemus, dum noster factus est per fidem. *Fides impetrat, quod Lex imperat.*

XXVII.

Recte, opus Christi diceretur operans, & nostrum operatum, ac sic operatum placere Deo, gratia operis operantis.

QVia dum Christus in nobis habitat per fidem, iam mouet nos ad opera per uiuam illam fidem operum suorum. Opera enim, quæ ipse facit, sunt impletiones mandatorum Dei, nobis data per fidem, quę cum intuemur, mouemur ad imitationem eorum. Ideo ait Apostolus: Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi. Quare misericordię opera excitãtur, ab operibus eius, quibus saluauit nos. Sicut ait B. Gregorius: Omnis Christi actio *Dictum Gregorij.* est nostra instructio, imo commotio. Si actio eius in nobis uiuit per fidem, uehementer enim allicit, Iuxta illud: Trahe me post te, in odorem unguento- *Cant. 1.* rum tuorum currimus, id est, operum tuorum.

XXVIII.

Amor Dei non inuenit, sed creat suum diligibile, Amor hominis fit a suo diligibili.

SEcunda pars patet, & est omnium Philosophorum & Theologorum, Quia obiectũ est causa amoris, ponendo iuxta Aristotelem omnem potentiam animæ esse passiuam & materiam, & recipiendo agere, ut sic etiam suam philosophiam testetur, contrariam esse Theologiæ, dum in omnibus quęrit quæ sua sunt, & accipit potius bonum ꝗ tribuit. Prima pars patet, quia amor Dei in homine uiuens, diligit peccatores, malos, stultos, infirmos, ut faciat iustos, bonos, sapientes, robustos, & sic effluit potius, & bonum tribuit. Ideo enim peccatores sunt pulchri, quia diliguntur, non ideo diliguntur, quia sunt pulchri, Ideo amor hominis fugit peccatores, malos, Sic Christus: Non ueni uocare iustos, sed peccatores. Et iste est amor crucis ex cruce natus, qui illuc sese transfert, non ubi inuenit bonum quo fruatur, sed ubi bonum conferat malo & egeno. Beatius est enim dare, ꝗ accipere, ait Apostolus. Vnde Psal. 41. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, Cum tamen obiectum intellectus naturaliter esse non possit, id quod nihil est, id est, pauper, uel egenum, sed entis, ueri, boni. Ideo iudicat secundum faciem, & accipit personam hominum, & iudicat secundum ea quæ patent &c.

Amor Dei in homine uiuens. *Amor hominis.* *Matth. 9.* *Acto. 20.* *Psal. 41.*

FINIS.

ASTERISCI LVTHERI ADVERSVS OBELISCOS ECCII.

Hos scripsit Lutherus ante Resolutiones suarum Propositionum de uirtute Indulgentiarum, contra Eccij obeliscos, ut ipse testatur, Infra fol. 34. b. Parag. 6. uersu 3. ubi inquit. Quid autem de hac re sentiam in probationibus meis declarabo.

MARTINVS LVTHERVS VENCILAO Linco, Ecclesiasti Nurnberg. Ecclesiæ, uere Theologo, suo in Domino fratri.

QVOS uero ad me dedisti obeliscos Eccij nostri, aduersus meas Disputationes fabrefactos, uisum est singulatim percurrere, & meis Disputationibus vel obscuriusculis, Asteriscos addere, Quibus tum clare lucentibus, tu si voles, eum participem facere, etiam ipse facile intelliget, quam temerarium sit, aliena, præsertim non intellecta, damnare, tum longe insidiosissimũ iniquissimumque felle tanto amaricare, amici non præmoniti, omniaque meliora præsumentis de amico, placita, imo quæsita. Sed vera est scriptura: Omnis homo mendax. Homines sumus, homines manemus. Dicit itaque:

ECCIVS.

NOLO minuta prosequi, aut ea quæ scholastice oppugnari possunt, in præsenti Disputationis materia de Indulgentijs, Quoniam sic primam oppugnarem Conclusionem.

LVTHERVS.

VT generoso (non enim dicam superbo) rem aggreditur procemio, nisi quod modeste oppugnare potius, quam expugnare dixit, scilicet minuta & scholastica, nam maiora fortassis expugnabit. Quis non timeat à crepitu istius buccæ? Ego uero recordatus illius Horatiani: Quid feret hic dignum tanto promissor hiatu? Vix risum tenui, Non uult scholastice disputare & pugnare, ex quo uerbo satis intelligo, Eccium nostrum istos obeliscos in diebus (quos uocant) Carnispriuij, larua indutus ingenium, conflasse, Nam per totum illud obeliscorum cahos, nihil sacrarum literarum, nihil ecclesiasticorum Patrum, nihil Canonum, sed omnia scholasticissima, opiniosissima, merˑaque somnia comminiscitur, & prorsus ea ipsa, contra quæ ego disputo. Ita ut si uellem & ego peripateticari, uno flatu hos omnes eius pappos dispergerem, diceremque illud magistri sui decretum: Petitio principij uicium est disputationis seu argumentationis. Sperabam enim quod ex Biblijs, uel ecclesiasticis Patribus, aut Canonibus, contra me pugnaret, at ipse furfures & siliquas Scoti, Gabrielis, cæterorumque Scholasticorum (quibus est uentrem refertissimus) mihi nunc demum neganti opponit. Sed audiamus tamen, quomodo homo rhetoricus, dissimulans oppugnare, primamConclusionem, nihilominus tamen oppugnat. Dicit enim.

Petitio principij.

EC. Cum enim Regnum cœlorum in verbis Christi, præsentem significare videatur Ecclesiam, ac tempus plenitudinis euangelicæ tunc aduentantis, Non videtur, quomodo pœnitentia omnium fidelium vitam exprimat.

LVT.Hoc

LVT. Hoc est scholasticum, id est, ludicrum & seipsum illudens Argumentum. Hanc consequentiam an ex logica rationis, uel logica fidei didicerit, nescio, Videlicet, quia nunc est regnum cœlorum, ergo non omnis uita fidelium est pœnitentia, quasi ullus sit hominum in isto regno, qui non assidue peccet, ac sic non assidue pœnitentia opus habeat. De hac enim pœnitentia me loqui sequens docet Conclusio. Eccius uero de sacramentali uel solenni forte fabulas agit. Dicere autem esse hominẽ aliquando sine peccato, & sic non egere pœnitentia (licet id B. Bonauentura aliquando lapsus scripserit) ad partem Donati hæretici B. Augustinus in multis locis dicit pertinere, Quin pœnitentiam non agunt nisi fideles. Sed omitto illa. Infra latius:

EC. At huic similia nolumus prosequi, Solum subitaneo motu sine librorum adminiculo, pauca adnotabimus, & (vt dici solet) Obelisco signabimus.

LVT. Quàm arrogans ingenij ostentatio, Sed vbi fuerit librorum copia instructus, & morose præmeditatus, tum non obeliscos, sed phalaricas, arietes, & bombardas quoq;, nihil forte bellici apparatus omittens, instituet. Quid mihi reliquum est, quæso, nisi pauor & horror? Sed bene mihi interim, ꝙ obeliscos scribit non ferreos, non ligneos, sed papyraceos & pictos. Simul id admiror, cur non asteriscos maluerit? nisi forte lux & candor asteriscorum displicuit, sed liuor & ferrugo obeliscorum placuit, Quippe non ea fraternæ pietatis cura subijt, ut fratris errorem uellet monere & illustrare, meliora q; addere candidus, Sed inuidia incessit, ut uellet fraterna studia calumniari, obscurare, bonaq; detrahere liuidus.

I. Obeliscus.

Contra 3. Conclu. Lutheri. EC. Interiorem pœnitentiam magnam esse, Christus & omnes Christiani docuerunt, Siquidem Christus cor aspicit & voluntatem. Vidua hoc docet, quæ æra minuta duo in gazophylacium posuit, & plus omnibus misit, Ihesu teste, Est etenim voluntas in anima, sicut Rex in regno.

LVT. Iste est obeliscus, confossor tertiæ meæ Propositionis, qui quid uelit, aut quomodo contra me sit, ego non intelligo, Diuinabo tamen (licet inuitus) quia timeo nouorum obeliscorum occasionem dare.

Id fortassis homini displicuit, ꝙ ego dixi, Interiorem pœnitentiam esse nullam nisi foris operetur &c. Cui obeliscus contradicit, Imo, inquit, non modo aliquam, sed magnam esse, omnes docuerunt. Hic ego addo, dicoq;, ꝙ sit maxima, maximamq; ab eis doctam. Verum si solam, & sine opere foris eam esse uult Eccius, spero, ꝙ suis scholasticis Magistris satis erit inuisus. Non enim est magna nec uera, nisi efficaciter uelit in opus foris, ut omnes dicunt, Sed Eccius cum nollet tacere, nihil tamen haberet, quod diceret, hoc saltem dixit.

Deinde illud: Est enim uoluntas in anima, sicut Rex in regno, sic puto intelligendum, Sicut Lena in prostibulo. Christus est in anima per fidem, ut Rex, uoluntas ut serua, uoluntas uero se sola, semper est meretrix, & omnes uires habet meretricis, Atq; etiam, si id suum figmentum ita esset, nõ uideo, quid hoc ad rem facit, ut interior pœnitentia sit magna, quia uoluntas est maxima, & regina uirium.

II. Obeliscus.

Aduersus 5. Conm. Lutheri.

EC. Erronea apparet propositio, Nam si Canonum pœnas solum accumulatiue vult ad pœnas a Deo impositas concurrere, Iam laqueus esset, non salus in Canonibus pœnitentialibus, Aut si vult eos esse declaratorios (sicut in veritate sunt, quod Marti. Luthe. non attendit) profecto remittendo pœnam Canonum, aliquas pœnas remittit.

LVT, Primum, Eccius noster nihil scholastice dicit (sic enim promisit supra) Ideo mihi grandis stupor est, tantum ingenium, tantumque studium esse posse, ut istas res (id est, apud me nugas) in sacris literis, in ecclesiasticis Patribus & Canonibus inuenerit, quas ibidem nullus homo totius mundi adhuc inuenit.

Secundo quamuis uerba ista uaniloqui nostri sonent, ac si me intelligat negasse, ullas pœnas remitti, dum dicit, remittendo pœnas Canonum, aliquas pœnas remittit. Tamen uolo credere, mihi non id falso ab eo imponi. Sed hunc eius sensum esse, quod Papa remittendo pœnam Canonum, remittit utique pœnas à Deo impositas, quia remittit pœnas à se declaratas, à Deo autem impositas (quod Martinus Lutherus non attendit, Eccius autem ultra quam uerum est, attendit) ac per hoc non remittit accumulatas ad pœnas à Deo impositas, hoc est, simplices & non duplas pœnas remittit.

Tertio, Ego quidem in ista Conclusione, sicut in omnibus alijs, nihil statuo, sed disputo, Quanquam apud me uera esse credo plurima, tamen homo sum, & nihil habens in hac re potestatis, præter disputandi facultatem, Ideo ad istum obeliscum dico, Me non uelle pœnas Canonum esse accumulatas, sed solas, quæ pro peccatis imponuntur. Deum autem imponere pœnas peccatori confitenti nego, nec potest probari à nostro obeliscographo, nec ab uniuersis suis Theologastris scholasticis, Imo Deus remittens peccatum, simul culpam & pœnã remittit, sciens sat pœnarum esse peccatori, si bene uiuat, ac cum uicijs prauisque moribus, præsertim inolitis, pugnet. Vnde Ezech. 18. Si conuersus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet, & non morietur, peccatorum eius non recordabor. Hic nulla pœna, nisi opus iudicij & iusticiæ requiritur, Impium autem est plus impositum fingere, quam Deus imponit. Imo in Ioele dicit: Scindite corda uestra, & non uestimenta uestra. Et illud Psal. 51. Peccatum meum contra me est semper. Quibus uerbis probatur, Deum esse contentum odio peccati & amore iusticiæ. Et talis per omnem uitam debet esse fidelis. Quare sibi suum scholasticum sit illud commentum, quod Canones declarent pœnas diuinæ sententiæ, Nolo illud acceptare, donec non scholastice, sed ecclesiastice (sicut promisit) docuerit.

Deus remittens peccatum, simul culpam & pœnam remittit.

Ezech. 18

Iœl. 2.

Psal. 51.

Deus contentus odio peccati & amore iusticiæ.

Quod uero Canones sint laquei, & non salus, si accumulatas (ut uocat) pœnas imponunt. Iterum nescio quid dicat, ipsum quoque nescire quid dicat, credo. Nam si etiam ultra quam Deus requirit, imponat Sacerdos, certe ferendum est, & salutare ferenti, propter reuerentiam & obedientiam clauium. Si autem ita uult, quod remittens pœnas canonicas fallit absolutum, si non simul remittantur pœnæ à Deo impositæ, & sic illaqueetur pœnis diuinis, dum soluitur ab humanis. Hoc certe eatenus est uerum, quatenus uerum est, pœnas a Deo imponi, id est, falsissimum, Ideo non Canones sunt laquei, sed indocti & insulsi Theologi, qui somniant pœnas a Deo imponi, aut per Canones declarari a Deo impositas.

Quod si

Quod si Obeliscophrastus noster tam esset Theologus, quam est (Philosophus pene dixissem) Sophista, non debuit mirari, Canones esse laqueos mortis, quando etiam lex Dei est mortis, iræ, peccatique ministra, & plane rete illud, quo Deus omnia conclusit sub peccato. Atque ut meam sententiam reuelem, In hac Propositione id uolui, quod cum Deus semper affligat suos, ut ad pœnitentiam humiliet, sicut in Ieremia dicit: Castigabo te in iudicio, ne tibi uidearis innocens. Et illud Psal. 89. Si dereliquerint filij eius legem meã, uisitabo in uirga &c. Hanc præcedentem pœnam ego uolui, non posse a Papa remitti, sed sequentem & satisfactoriam, id est, ab Ecclesia impositam, Nam sequentem Deus nunquam imponit, cõtentus quod hominem eo perduxerit, ut seipsum iudicet, ne a Deo iudicetur, iuxta Paulum, 1. Corinth. 11. dicatque: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Imo ut dicam quod Aristotelicotatos Eccius miretur forsan, Nec Ecclesia requirit ullam pœnam sequentem & satisfactoriã post absolutionem, ut Propositio xij. nostra dicit, Licet enim nunc usus sit, pœnas ferre post absolutionem, tamen olim non ita erat moris, cuius uel id unicum adhuc restat uestigium, quod nullus absoluitur nisi prius imposita & acceptata pœna, euidenti scilicet argumento, quod remissio peccatorum ad imitationem Dei, etiam ab Ecclesia post pœnam impenditur, hoc est, ut etsi non re, tamen uoto iam sit soluta. An autem iste mos nostri seculi sit salutaris, iudicent alij, Meum est solum disputatiue dicere, scilicet quod sit pessimus, meliusque esse, si quis etiam in die Paschæ omittat communionem, priusquam omni modo satisfecerit re ipsa, & in effectu, sicut olim fiebat.

Canones sunt laquei mortis.

Psal. 89.

Cur Deus suos affligat.

1. Cor. 11.

Addit huic Obelisco.

EC. Quod si obturaueris, iam nulla pœna vi clauium remitteretur, quod dignitati Sacramenti pœnitentiæ repugnat.

LVT. Hoc quid sit, iterum non capio, Nec mirum, ueniam enim mereor, quod nõ claros & lucidos Asteriscos, sed ferrugineos, nigros, tenebrisque simillimos, cogor obeliscos legere. Diuinandum est ergo & hoc loco, scilicet, uideri Eccio nostro, nullam pœnam remitti, nisi diuina iustitia (ut uocant) inflictam remitti concedam, siquidem Canones abrogati sunt cum suis pœnis.

Hic dico, remitti uel arbitrio impositas, ut hodie fit, uel Canones nondum esse sub præcepto abrogatos, Quod si id nimis uile uidetur, Respondeo: Melius est in re nõ necessaria ad salutem uile, quam mendacium, expectoque uel contrarium probari, uel Ecclesiam determinare, Interim opinionibus hominum uolo uti & abuti pro mea libertate, siquidem Eccio quoque non cogor credere, nisi ecclesiastice, non autem scholastice, loquatur.

Ad illud uero, repugnare dignitati sacramenti pœnitentiæ, nullas remitti pœnas, dico: Quanquam nec Canonistæ nec Theologi certi sint (præter solum Eccium) quid remittant claues in forma consueta, Mihi tamen fuit huius Positionis ea uel prima causa, quod nimis uilis sit clauium dignitas, si non nisi temporales pœnas remittant, Cum sint non ad salutem seu pacem temporalem, sed æternam acquirendam donatæ, Pœna enim temporalis res est uilissima, longeque inferior, quam ut digna sic clauibus remitti, meo saltem iudicio, ut dicam infra. Vanissimum itaque mihi hoc obelisci uerbum uidetur, quod sacramenti sit indignitas non remittere pœnas, cum id sit potius eius indignitas, si remittat pœnas saltem principaliter. Sed audiamus, quomodo probet indignitatem illam, non scholastice, sed theologice disputans.

EC. Nam Sacramenta nouæ legis efficiunt quod figurant, in quo à ueteris Testamenti sacramentis separantur.

LVT. Vide, hæc non sunt scholastica, Quis hæc dicit, nisi qui in scholasticis nugis sit mortuus? Quis dicit, ꝙ sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant, nisi Magister Sententiarum in 4. cum Hugonis definitione, & qui eos sequuntur. Latior est hæc materia, ꝗ sinat temporis angustia prosequi. Id solum queror, ꝙ Eccius non tacuerit primo, quando promisit se non scholastice acturum.

Sacramenta nouæ legis. Dico tamen breuissime, Sacramenta nouæ legis non efficiunt gratiam, quam signant, sed requiritur fides ante omne sacramentum. Fides autem est gratia. Ideo gratia semper præcedit sacramentum, iuxta dictum illud communissimum: Non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat. Et B. Augustinus: Non quia fit, sed quia creditur.

Obicem ponere &c. Eccius uero obelisticus Theologus ex illo Scotico procedit somnio, Quod sacramenta efficiunt gratiam sine opere hominis accipientis, modo non ponat obicem. Quæ sententia horrendissima est hæresis, ac iam non Bohemicum uirus, sed infernale aconitum est, omnia sacramenta Ecclesiæ illudens & subuertens, ut suo tempore ostendemus.

Quod uero dicit, Nouæ legis sacramenta eo separari à ueteris legis sacramentis, ꝙ hæc non efficiebant gratiam, æque est scholasticum, ac prope hæreticum. Hoc potius differebant, ꝙ nostra sunt pauciora & faciliora, Illa uero plurima & grauissima. Vel certe, ꝙ illa solum carnis erant baptismata & iustificationes in cibis, potibus, uestibus, festis, sacrificijs, purificationibus lepræ &. quæ figurabant baptisma unum, & unam iustificationem fidei, quæ nunc impletur. Sic enim non Scholastici, sed Ecclesiastici, imo cœlestis Paulus loquitur.

Conclu. 6. EC. Et quoniam Pœnitentia non potest in culpam apud te, per Conclusionem 6. dabis ergo, ꝙ possit in pœnam & reatum.

LVT. Per pœnitentiam hic intelligit sacramentum pœnitentię, & officium clauium (sic enim loquitur, ut semper sit diuinandum de sua sententia) alioqui pœnitentia nec in culpam, nec in pœnam potest. Quid autem de hac re sentiam, [a] in Probationibus meis declarabo. Nam hanc sextam meam Positionem non ex animo posui, sed propter usum aliorum. Nam sicut dixi, utilissimum mihi uidetur, si claues remittant pœnas solas. Ideo quomodo remittant culpas, ut est omnibus dubitatum, ita & ego meum ponam dubium in Probationibus.

a Vides hic, Lector, Asteriscos a Luthero scriptos ante Resolutiones propositionum de uirtute Indulgentiarum.

Interim id ab obelisco nostro peto. Si dignitati sacramenti repugnat nullius pœnæ remissio, conuenit autem pœnæ remissio, maxime ea causa, quia sacramenta nouæ legis efficiunt quod figurant, Ergo figurant remissionem pœnarum duntaxat, quod non solum in ecclesiasticos, sed etiam in scholasticos Doctores hæreticum est, ac semel omnium sacramentorum Ecclesiæ euersio. Quod rursus non Bohemicum uirus tantum (ut mihi imponit) sed plus ꝗ omnium hæreticorum, qui unquam fuerunt, aut futuri sunt, pestilentia est. Non enim pœnarum, sed culparum remissionem figurant. Quod si culparum figurant remissionem, & Sacerdos id non facit declarando, rogo Eccium meum, dignetur interim mecum esse discipulus & disputator, donec in hac re ambo inueniamus magistrum & declaratorem. Vides ne tandem, quid sit alienum ingenium sine timore atq; cum inuidia damnare.

III. Obe-

III. Obliscus.

Aduersus 10. et 11. Conclu. Lutheri. EC. Male incusantur Sacerdotes & Episcopi, quoniam sicut in 6. Conclusione voluit Papam remittere culpam, declarando remissam a Deo & approbando (q̃uis friuolum videatur inferiorem approbare facta superioris) Ita Sacerdos potest declarare morituro pœnas canonicas diuinæ sententiæ conformes, in Purgatorium reseruari. Non quidem satis agendo, sed satis patiendo, Quod si norunt Episcopi, non dormitasse, sed vltra Lutherum vigilasse dicendi sunt. Conclu. 6.

LVT.. Friuolum est, inquit, inferiorem approbare facta superioris. At in priore obelisco, imo basilisco, non erat friuolum sed religiosissimū (ita ut & Martinus Lutherus id non attenderet, impius uidelicet & rudis) Papam per Canones declarare pœnitentias à Deo impositas. Et in hoc Sacerdotem declarare pœnas diuinæ iusticiæ conformes, reseruari in Purgatorium. Nisi forte Obeliscographus id habet libertatis, ut cum pro se loquitur, Deus sit inferior Papa & Sacerdote, sine hæresis ulla suspitione. Cum autem cōtra me loquitur, tum primum Deus est superior, & declarationem suæ sententiæ ab inferiori non patitur, ac sic iniquitas mentiatur sibi, uera autem loquatur mihi.

Omitto hic, ꝙ omnium sententia, Apostoli in extremo etiam iudicio dicantur approbare iudicium Christi, nisi Christum Eccius neget eis superiorem, aut eos dicat friuolos esse.

Primum autem quęro (quia nihil scholastice loquitur) ex quibusnam Ecclesiasticis probetur, Sacerdotem posse declarare pœnas reseruari in Purgatorium? Nonne id est, quod ego impugnaui, & mihi plane redditur per petitionem principij a tanto Dialectico, & quod amplius non Stoico, sed Peripatetico Dialectico? Iam supra dixi, Nullas esse pœnas diuinæ sententiæ, multo minus ei conformes. Non enim dixit: Quodcunq; uel quantum ego ligauero in cœlis, ligatum erit & in terra. Sed econtra: Quodcunq; tu ligaueris &c. quæ uerba potius significant Deum approbare facta inferioris, Et ideo dixi me 6. Conclusionem, non ex animo posuisse, sed ut audirem alios. Conclu. 6.

Secundo quæro, Quomodo uerum sit, omnem sacerdotem esse Papam in articulo mortis, si non remittit aut remittere potest omnem pœnam? Si potest & non facit, quomodo manet charitas in eo? Iusticia diuina, inquis, non finit. Cur ergo finit in Papa, quoties uoluerit Papa, cuius tunc sacerdos omnis uices plenissime gerit?

Iam illud pulcherrimum (quia scotisticum, non tamen scholasticum) ꝙ animæ non satis agendo, sed satis patiendo soluunt pœnas in Purgatorio. Gratias Scoto, qui etsi scholasticissimus, nihilq; sapiat ecclesiasticum, Eccium tamen fecit (mirum dictu) ecclesiasticissimum. Quasi ullus tam rudis esse possit rusticus, qui non sciat pœnas non ferri nisi à uolente (modo sint non infernales & impiorum) ac sic non tantum satis patiendo, sed satis uolendo soluere dici possent pœnas.

Verum ego tutius astinuerim à disputando, cum subtilitatibus scoticis uereq; scotinis, ne mihi aliqua formalitate noue conficta elabantur. Gloria tamen est Episcoporum (ait Obeliscus ille) ꝙ Episcopi hæc non ignorarint. Ideo non dormitasse, sed ultra Lutherum uigilasse dicendi sunt. Fœlicem Ecclesiam certe, cuius Episcopi sunt omnes Scotistæ, aut (quod magis ad rem facit) Eccianistæ, per cuius Scotum fit, ut nunquam dormitasse defendantur, forte ꝙ Eccius semper pro eis dormitare uoluit. Subtilitates scoticæ.

EC. Addo,

EC. Addo, quod mortuus ab excommunicatione absolui non posset, de quo sunt vulgata iura.

LVT. Hui, quam sobrie & strenue vigilat hic Eccius. Fateor, sunt vulgata iura. Sed desunt Ecciani noui apparatus, Ideo credimus interim receptis & usitatis, donec ille conflet meliores. Est lib. 5. de sen. excom. ca. A nobis, Vbi Papa decernit excõmunicatos etiam mortuos absoluendos. Quod Panormitanus & alij intelligunt, quo ad nos seu in facie Ecclesiæ, cum ille, quo ad se, de facto per mortem sit absolutus, citra Ecclesiæ adsolutionem, Nec aliquid ei obest excommunicatio post mortem relicta, nisi quod non publice pro eo oratur in Ecclesia, priuatim autem orent qui uolent, ut ex his intelligatur omnem ligationem Ecclesiæ cessare in morte, solumque in hac uita ualere, Quare & pœnas Canonum quoque huius uitæ pœnas esse dixi.

Verum, Dialectici nostri syllogismum uide. Nisi sacerdos posset pœnas in Purgatorium declarare reseruatas morituro, non posset etiam excommunicatus absolui mortuus. Quis, non dico scholasticorum Doctorum, sed primi anni discipulus Scholasticorum, hanc nõ rideat consequentiam? Quasi idem sit absolui ab opinione hominum in Ecclesia, & relegare pœnas in Purgatorium, Cum illic culpæ & pœnæ remissio declaretur Ecclesiæ, non autem ipse absoluatur proprie, hic uero ligetur ad pœnas uere & proprie, denique quasi idem sit Indulgentia, & absolutio ab excommunicatione.

IIII. Obeliscus.

EC. Relaxari legum Canones morte, non apparet ex cauda prioris. *Aduersus 13. Concl. Lutheri.*

LVT. An prioris dicat sui obelisci, aut Positionis meæ, incertum est. Sed quia uelut e Tripode pronunciat, sine rationibus adductis, relinquo & ego eum ex præcedentibus satis confutatum, donec probet ex Ecclesiasticis, iuxta suum promissum.

V. Obeliscus.

Aduersus 14. Concl. Lutheri. EC. Friuola apparet illa Propositio, Nam infans baptizatus (cum alieno tamen gaudeat merito) minorem habet charitatem, adulto rationis capace decedente, Et tamen imperfecta charitas pueri non immittit ei horrorem, qui se solo faceret Purgatorium. Quis enim sanæ *S. Seuerinus.* mentis diceret S. Seuerinum minorem habere gratiam, quam bimum puerum? Vnde perfectior aut imperfectior gratia nihil facit ad Purgatorium, sed pœna pro peccatis debita nondum soluta.

LVT. Hic tandem non scholastice, nec tumultuarie, sed e cœlo forsan sonat oraculum. Primum, Valde erat decorum Eccio hanc meam Propositionem cum sex sequentibus intactam relinquere, Profundiores sunt enim quam ut ex scholasticis opinionibus ullo modo capiantur, sapiunt. n. ex- *II.* perientiam illius uerbi, Deducit ad Inferos & reducit, de quo latius in Probationibus Interim fabulas huius obelisci uideamus.

Infans gaudet alieno merito, Esto sane. At quis gaudet proprio? Adultus, inquit, in gratia. At cur dicit: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens? Sed hæc *Psal. 143.* sunt Ecclesiastica, & per bis diapason ab Eccio remota. Deinde quia, gaudere hoc loco (ut est elegans) pro possidere dixisse uideri potest, omitto:

id magis

Id magis est curandum, ꝙ infans minorem habet charitatem, & tamen non habet horrorem Purgatorij, Fateor, sed quid hic, rogo, dicemus? Adultus maiori tentatione urgetur ac uehementius turbatur timore mortis atque iudicij, ꝙ paruulus, qui nihil sentit nec capax est. Adulto autem addita scientia, additur & dolor, Ideo non est mirum, ꝙ adultus, magna charitate indutus, potest citius ac facilius cadere in peccatum ac magis dolere, ꝙ paruulus cum parua charitate. Potest ergo etiam dicere Eccius, ꝙ sicut paruulus minoris charitatis non timet neq; horret ignem, aquam, ferrum, deniq; mortem, Ita multo minus adultus maximę charitatis timet talia, Cuius contrarium, quis est qui non uideat? Atq; utinam adultus eo perueniat, ut sicut paruulus, neq; cognosceret pœnas, neq; timeret, tum ego quoq; dicerem, ꝙ statim sicut paruulus euolaret. Nunc uero, quando cognoscit & horret, opus est ei, non illa parua, sed perfecta charitate, quę foras mittit timorem, atq; triumphet, ne Deum offendat rebellione sua, dum magis timet mortem ꝙ Deum, imo magis diligit uitam ꝙ Deum. *1. Iohan. 4*

Deinde incertissimum est, an paruulus minorem habeat charitatem, ꝙ adultus? nisi adultus sit perfectæ charitatis, qui conuersus, factus ut paruulus iuxta Euangelium, Ipse quoq; mortem nesciat timere. *Matth. 18*

Vltimo dicit charitatis perfectionem uel imperfectionem non facere Purgatorium, sed pœnam nondum solutam. Hoc ex prædictis somnijs dicit, ꝙ pœna satisfactionis requiritur à Deo, iuxta Scholasticos, Cũ tamen sacerdotem quemlibet asserant in morituro totum posse & facere, quod Papa potest & facit. Amplius, si sacerdotem habere non potest, uotum habendi dicunt sufficere. Quid ergo tali restat soluendũ, cum sit ab omnibus absolutus?

Dicam latius, ꝙ sententia communis est, Purgatorium deberi peccatis, non pœnis, scilicet, uenialibus, ut expresse habet Canon distin. 35. ca. Qualis. Et ad id multa similiter exempla habentur. Quale peccatum ego quoque dico esse illam imperfectam charitatem, qua inuiti moriuntur, nimio uitæ affectu immundi, ac per hoc Deum non super omnia diligentes. De his in probationibus. III.

VI. Obliscus.

Aduersus 16. Concl. Lutheri.

EC. Procax Propositio, Soluti enim corpore, purgandi amici Dei, certo sciunt se saluandos, sed quasi per ignem.

LVT. Vnde sciunt certo? quia Eccius dicit: Et tenet consequentia iuxta suum Magistrum ab autoritate affirmatiue. Adeo ignarus est Theologiæ crucis, ut credat ideo illis certum esse, an sint saluandi, quia amici Dei sunt, & corpore soluti.

Ego etsi insignes uiros legerim (non Scotum aut Thomam loquor, neq; Eccium) qui asserant, animas quasdam ita suspendi usq; ad diem iudicij, ut nesciant an sint saluandæ uel damnandæ. Et quia expertis & exemplis in hac re plus est credendum, ꝙ omnibus obeliscis omnium Fabrorũ, non magni refert quid Ecciana temeritas blateret, aut procacitatem nominet. Legimus de multis, qui apparuerunt tanquam ducti ad iudicium & diu suspensi. Et quidquid sit, liberum saltem est disputare propter unum exemplum & unum dictum, & cõtradicere nudis inermibusq; Theologorum opinionibus. Addo, ꝙ horror animæ natura sua facit incertum hominem, quem iam dixi inesse animabus defectu charitatis, & mox magis dicam.

EC. Vnde cum probabile sit, eos Angelorum habere commertia, quomodo prope desperationem (quod perfidorum est) locari possunt?

LVT. Iterum

LVT. Iterum olet suum hircum Aristotelem, vel hircoceruum potius, nihilq; nisi probabile, id est, petitiones principij, effutit. Sciebam ista omnia & legeram, sciensq; ac prudens contra ea posui, quæ me nunc docet optimus Polydoxus. Totus est Eccius opinio, & hanc tamen uelut cortinam Phœbi ubique statuit.

Eadem purgatorij pœna cum inferno. Causa meæ huius Positionis fuit hæc, Quia cum omnes Doctores dicant eandam esse pœnã Purgatorij cum Inferno, excepta desperatione, Horror autem sit uel una summarum pœnarum inferni, Horror deniq; sit uel frater uel similis & proximus desperationi, ut patet experientia, Qui timet, incipit diffidere, uetesimile uisum est, Purgatorium præ nimio horrore prope esse & iuxta esse desperationem. Nec uideo quid Eccius contra hæc nisi inania uerba uomat. Non ergo perfidorum est, prope desperare, alioqui qui tentantur in fide & spe (de quibus ut Scholasticus merito nihil nouit Obeliscographus) essent perfidi, cum sibi uideantur omnino desperati, quod non esset aliud, q̃ spiriticidia (ut sic dicam) facere & docere.

VII. Obeliscus.

Aduersus 17. Con. Lutheri. EC. Priori non est dissimilis, Lignum enim vbi ceciderit, ibi erit, quo ad meritum & demeritum, Et hoc est in hominibus mors, quod in Angelis casus.

LVT. Rogo te, mi Ecci, Si deinceps aduersus me voles scribere, tantum prudentiæ tibi pares, ut satis sit tibi ter aut quater in uno opere, non autem per singulas ferme orationes, te ridiculum facere, sicut in hoc facis. Id autem præstabis, si certa fide credideris me legisse examina illa quæstionum & opinionũ, quibus frustra & cum laruis pugnas. Nolo, inquã (ut sis sciens) scholasticam Theologiam audire, nisi fultam Ecclesiastica, & iam non scholasticam. An nihil aliud uis me facere, q̃ ut te rideam, dum nihil aliud affers, q̃ quod ego legens dubitabam esse uerum, & nunc disputans impugno?

Tale nunc est festiua tua Glosa (quo ad meritum & demeritum) scilicet, ne cum Pighardis, Bohemis, illa Ecclesiastis autoritas cogeret ad negandum *Pighardi.* Purgatorium fingis, imo fictum ex tuis deblateras, esse casum ligni, ut nec mereatur, nec demereatur.

Omitto quidem hoc loco negocium illud meriti & demeriti, quæ an intelligant Scholastici, uehementer dubito, cum non possint negare hominem impium post mortem statim in odium & blesphemiam Dei ruere, ac sic peiorem fieri, q̃ fuit. Sed omitto, inquam, quia cum Sophistis callosisq; ac inueteratis Vitilitigatoribus res ista tractari non potest, cum stultus non recipiat uerba, nisi dixeris ea, quæ in corde suo sunt. Et iterum: Melius expedit occurrere ursæ raptis catulis, q̃ stulto confidenti in stulticia sua.

Id interim dico, ac peto erudiri (Ideo enim quæsiui ac disputaui) cum B. Gregorius distin. 35. Qualis, asserat, peccata uenialia in Purgatorio deleri, quomodo intelligam non fieri purgatum meliorem? Quod si meliorem, quomodo non proficere ac mereri? Nisi peccata uenialia adeo sint nihil æstimanda, ut Scholastici æstimant, Deus autem in tantum æstimat, ut tam intolerabilem pœnam ad eorum purgationem inferat.

Si ergo illa autoritas Ecclesiastis non tollit purgatorium, quod uehementer impugnat, quanto minus tollit, ne sit augmentum boni uel mali in purgatorio? Potest fieri, ut ubi ceciderint, ibi sint, ita ut non peccent amplius mortaliter, uel alio modo fiat nobis ignoto. *Eccle. 11.*

Quod

Quod uero Iohannes Damascenus ait, Quod in hominibus mors, in Angelis est casus, Spero quod non de omnium hominum morte loquatur, cum multi sint mortui, & denuo reuocati, Vbi illorum ergo animæ fuerunt? Ceciderunt, sed non sicut Angeli, nec manserunt ubi ceciderunt. Quis ergo scit an ita cum animabus in purgatorio agatur. Nos autem quidquid uel per febrem somniamus, statim oraculum iactamus, tam audaces rerum obstrusissimarum censores sumus, nec uel contra dubitare permittimus. *Iohannes Damascenus.*

VIII. Obeliscus.

Aduersus 18. Concl. Lutheri. EC. Par temeritas, vt ex prioribus liquet, Quoniam sic dicere, esset terminum uiæ cōfundere, pœnitentiæ & omnium aliorum, Nam in statu sunt soluendi, non merendi. Ideo charitas, qua datur vnicuiq; secundum quod gessit in corpore, in vita non in Purgatorio, est merenda, alioqui supplendus esset Apostolus, vnumquemq; recipere, prout gessit in corpore, vel Purgatorio. *2. Cor. 5.*

LVT. Vinum semper bibere, tandem est molestum, & omnis voluptas assiduitate parit sui fastidium. Quanto magis molestissimum est, semper audire has male olentes & temerarias hominum opiniones, Quas tamen ita garriunt, ut non nisi temeritatem pronuncient, quicquid non eiusdem fecis fuerit, Toties mihi Eccio scilicet dicendum est, q̄ non ecclesiastice loquitur, sed scholastice, id est, futiliter & inutiliter fabulatur.

Ego disputaui, & posse teneri dixi, Animas esse in statu merendi (quanq; in his ut dixi, nihil uspiam statuo) Hanc disputationem sic soluit, ut dicat: Nō sunt in statu merendi. Plane illud idem inerme figmentum allegans, quod ipse impugnaui. Talis est disputatio, imo contentio mulierculарum & puerorum. Est. Non est. Ita, Non. Ita, non, & sunt tamen in his acutissimi Theologi, sed sat supra, & in probationibus.

2. Cor. 5. Illud Apostoli, quod inducit, q̄ docte ad rem applicat. Apostolus ibi loquitur de tribunali nouissimi iudicij, ubi cessabit mors & Purgatorium, At ipse trahit ad Purgatorium & mortem hominis in tempore, ut quod Apostolus dicit recepturos in iudicio, hic intelligat recepturos in morte. Iste est enim mos interpretandi sacram Scripturam apud Scholasticos (pene illusores dixissem) celeberrimus ac laudatissimus, si mos uocari posset tam euidens furor. Hos Psal. 1. describit: Et in cathedra pestilentiæ non sedit. Loco pestilentiæ in Ebreo est Lezim, id est, derisorum, illusorum interpretum, id est, qui uerba Scripturæ sic docent & interpretantur, ut illudant animas sitientes ueritatem, Ideo nomen eorum tam prope consonat ad nomen, q̄ ipsi non sunt longe à re, Quid enim Scholasticus nisi lusorius uocatur? *Mos Scholasticorum interpretandi scripturas.* *Psal. 1.* *Scholasticus.*

Terminum uiæ, inquit, confundit. Vtinam principium, medium, finem, atq; omnia tam uiæ, q̄ erroris Scholasticorum possem confundere, sperarem enim & Eccio quoq; placiturum, qui se non scholasticam Theologiam promisit tractaturum, nisi q̄ hæc obiter parerga, nescio quo Numine correptus, dilata paululum reipsa depinxit.

IX. Obeliscus.

Aduersus 19. Concl. Lutheri. EC. Falsitas huius ex prioribus proditur, Nam non pauciora, imo plura sciunt, q̄ nos in corpore, quod aggrauat animam, existente, Sciunt ergo se mortuos, & non desperare, nec frui Deo, Ergo sciunt se esse in Purgatorio, quo cognito, sciunt se iam esse de saluandis.

LVT. Dulcis ille Ihesus, mi Ecci, misereatur tui, ne aliquando prę inuidia mei insanias, uel pro tuorum studiorum affectu moriaris, Quid tandem dicam miser? Indignor rei, & misereor hominis.

XIX. Positio. Ego in xix. Positione dixi, esse posse, ut non omnes sint certi in Purgatorio de sua beatitudine, & ad id Exemplum habeo, ut supra dixi, deinde quorundam opinionem. Et ideo id solum uolui (non quod mea Positio esset certa) sed quod nec opinionem Scholasticorum necesse sit ut certam haberi, Temeritatem solum arguo eorum, qui certa esse clamant, quæ sunt dubiosissima. unde non nego aliquos esse certos, sed non omnes esse.

Sicut in tentatione fidei, tentatus est incertus, an credat, Sed is qui consulit ei, certus est, ꝙ credit, si modo sit spirituum discretio in illo. Si enim nō crederet, non doleret, non querularetur, non ploraret suam infidelitatem, At is sensus infidelitatis & dolor, euidens est argumentum fidei uiuentis in eo. Mortuus in fide, non dolet se non credere, ita in desperatione & in omni tentatione agitur.

Ita dixi posse animas esse incertas aliquas (ut sunt Exempla multa) cum tamen nos simus certissimi, ꝙ purgandæ sint saluandæ. Sic ego, inquam, disputaui, & dubitaui.

At obeliscus noster nihil noui adducens, nisi a me impugnatum, Non disputat, sed ex oraculo pronunciat prærancidas peripateticorum Theologorum opiniones, dicens, eos plura scire, ꝙ̄ nos. Deinde quæ sint illa plura, quę sciunt, subiungit: Sciunt se mortuos, nō desperare &c. Hic ego subinfero: Ergo nos non scimus eos esse mortuos, non scimus eos non desperare, nō scimus eos non frui Deo, non scimus eos esse in Purgatorio, non scimus eos esse saluandos, non scimus, inquam, hæc, corpore uidelicet aggrauati. Hoc est nihil aliud dicere, ꝙ̄ nos omnes sumus hęretici, autore Eccio nostro. Non ꝙ ignorē sensum eius non esse istum, aliterq̃ posse uerba eius (si tamen uim feceris) intelligi.

Sed ut uideret Obeliscophrastus aliquando, ꝙ̄ facile sit aliena deprauare, nedum uicia aperta notare, & ꝙ̄ difficile sit alios confodere, sine sua ipsius maiore ignominia. Inuidia ut semper est imprudens & insipiens, ita dum mendacia conatur imponere, seipsam potius mendacissimam cum ignominia ostendit. Disce ergo, mi Ecci, aliud esse Scripta iudicare, & iudicanda scribere, Illud & Moriones, hoc ne Socrates quidem satis possit, Tu uero ne sis, rogo, Morio.

X. Obeliscus.

EC. Illatio Propositionis est nulla, Illatum tamen non admittimus, cum ui clauium datarum pœnam remittat Sacerdos, etiam Deo debitam, ne nobile legis euangelicæ Sacramentum sit de uento. Aduersus 20. Concl. Lutheri.

LVT. Antecedens negauit nec improbauit, Ideo eadem prudentia & consequentiam negat, tantum est autoritatis huius scholasticæ Tripodis. Negant, negandum est, Affirmant, affirmandum est, idem quoq; rursus si negant, negandum est. Non tamen ideo credas, Lector, eos esse Gnatones quosdam Terentianos, Theologi sunt, id est, Deum loquentes, eum scilicet, qui magnum inspirat Vatibus furorem, ut nosti ex Virgilio.

Age uero, hanc meam Conclusionem illatam ideo non admittit speciosus hic obeliscus, ne sit Sacramentū de uento. Gratias agimus. Tum scilicet non est de uento, tum est nobile sacramentum plane Euangelicum, quando non culpam & conscientiam, sed pœnam, id est, uilissimam & omnibus Christianis contemptibilem rem, remittit. O Theologos, qui ita magnificant pœnas, ut faciant pusillanimes Christianos, fœliciores gentes, qui suos ad mortem

tem solebant animare. Nos per horrorem pœnarum nostros usq; ad puerilem formidinem perducimus. Sed supra satis dictum est, non esse uerum, remitti pœnam debitam Deo per Sacramentum.

Doleo autem Sacramenta nouæ legis eo uenisse, ut sint ministeria rerum temporalium, scilicet pœnarum, cum sint data in acquisitionem rerum æternarum. Sed sicut Theologi non sunt nisi uentosi, & uentis opinionum sicut uesica suilla distenti. Ita non de uento, sed in uentum transmutant nobile sacramentum Euangelij. Siquidem omnium etiam ipsorum iudicio, sacramenta uocantur uasa gratiæ, Excepto uno Eccio, qui uocat uasa pœnarum non effundendarum, sed auferendarum, Quod tamen ideo credo eum facere, meritoq; eis dissentire, quia in his obeliscis nihil scholasticum uoluit ponere. *Sacramenta nouæ legis.* *Sacramenta uasa gratiæ.*

XI. Obeliscus.

Aduersus 25. Conc. Lutheri.

EC. Friuola Propositio, totum ordinem Hierarchiæ ecclesiasticæ confundens, quæ ex multis Fundamentis reprobari posset.

LVT. Sic tamen, vt fundamenta sint Ecciana, id est, non scholastica. Quis uero tam pertinacem & assiduam temeritatem ferat tam insignis inertiæ & inscitiæ? Vincit paciențiam diuturna insolentia & præsumptio. Omnia iudicat, intelligit nulla. Ego cũ uniuersa Ecclesia nego esse clauibus in Purgatorium potestatem, sicut ex præcedentibus & clare ex proxima sequenti Positione patet, quod debuit obeliscus ille aduertere. Quomodo ergo fieri posset, ut mihijpsi contradicerem in tam propinquis, imo proximis Conclusionibus, presertim in re tam diligenter cogitata apud me. Nisi essem, iuxta Cratyli Philosophiam, equus ille non potens eundem fluuium nisi semel ingredi, Ita ut nunc nõ solum Papæ, sed infimo Curato quoq; eam tribuerem potestatem omnibus Conclusionibus antea & postea a me negatam. *Cratyli Philosophia.*

Sed Eccius furiosa mente mihi malum cogitans, uellet, ut totam Ecclesiam in odium mei concitare posset, atq; id nõ nisi falsis & a se conceptis mendacijs. Quis crederet esse tantam uirulentiam in Theologo. Igitur ego dixi similem esse potestatem, non dixi tantam Episcopo & Curato cum Papa in Purgatorium, Non q; Iurisdictionem clauium ibi habeant aut potestatem Iurium, sed potestatem uirium potius, non imperandi, sed operandi, Hoc est, quod Papa potest generali totius Ecclesiæ suffragio & oratione pro eis intercedere, hoc Episcopus potest speciali suæ diocœsis, & Curatus suæ parochiæ, sicut fit in die animarum, in diebus communibus, & in depositionibus. Et non erat quidem uotum meum, ut isto uerbo, potestas, in hac Positione mea illi luderentur, Placet tamen ita cõtigisse temerarijs iudicibus, ut seipsos irriserint, ut discant deinceps cum timore, ac sine supercilio, aliena tractare, & discere antequam docere, audire antequam iudicent.

XII. Obeliscus.

Aduersus 26. Conc. Lutheri.

EC. Propositio ista videtur declarare, ponentem non intelligere, quid in bullis apostolicis velit hæc particula (per modum suffragij). cum illa non diminuat (vt vult positor) sed potius addat, & modum communicandi explanet, vt hęc pulchre declarari possunt, & dati Apostolici interpretes exposuerunt.

LVT. Fateor ingenue, me non intelligere modum illum suffragij, Ideoq; disputaui, ut docerer. Verba illa & ego recitare noui, quę Eccius recitat, scilicet, Non diminuit, sed addit, non autem intelligo.

Quod uero dicit esse declarata ab apostolicis interpretibus, Ego prǽter Gabrielem Biel nullum legi, & nunc audio hunc Eccium eadem posse pulchre declarare? Sed ꝙ amborum declarationem ne flocci quidem facio, autor mihi est ipse Eccius, qui supra in quodam Obelisco dixit, friuolum esse, facta superioris declarari & approbari ab inferiore. Cum autem Gabriel & Eccius sint inferiores Papa, ut friuolos declaratores oportet uilipendere. Addo, ꝙ Iuristæ omnes dicunt, eiusdem esse declarare, cuius fuit cödere. Sed expecto Eccium pulchrum declaratorem, qui omnia intelligit, forte docebit & me intelligere modum suffragij, modo non loquatur mihi scholastice. Sed plura in Probationibus.

Gabriel Biel.

IIII.

XIII. Obeliscus.

Quæ est in ordine 28.

EC. Procax Propositio, & quæ tumultum & seditionem ac schismata in ecclesia Dei facere posset, non charitatem augere.

LVT. Vide, quæso, Theologum, ꝙ anhelet in meam perniciem, sua solummodo augent charitatem. Videtur & mihi Eccius de numero eorum esse, qui sua uicia ne tangi quidem uolunt, & mera tyrannide regnare uolunt super populum Christi. Omnia licent, nisi ut abstineas, ne ulcus hoc tangas, id est, auariciam Pontificum, sacerdotum, monachorum.

Vicia Pontificum.

Miror tamen, cum non tantum Eccius, sed omnes Scholastici, non solum auariciam, sed etiam Simoniam in suis Positionibus aliquando mordeant. Deinde plena sunt omnia Decreta & Libri uicijs Pontificum, & tot tamen Libri, tot uicia mordentes nondum fecerunt seditiones & schismata. Mea unica & paruula unius uicij nota, has tragędias miscebit? Aut Eccius mercenarius est, & subornatus quorundam Melaniorum Mandatarius, sicut aliquando aduersus Iohannem Reuchlin factum meminimus, aut totus abijt in palyngenesiam Pythagoræ. Adeo ne incircumspecte & imprudenter (ne dicam maliciose) loqui decet Theologum?

Iohannes Reuchlin.

EC. At tamen cauda mixta ueneno, Si enim suffragium Ecclesiæ esset in solo Dei arbitrio, adeo ꝙ applicationem sacerdolalem negligere uellet & improbare, iam nullus Sacerdotum peculiariter posset Missam applicare vni plus ꝙ alteri, nullus esset fundandus Anniuersarius, nulla peculiaris Missa procuranda, cum æque aut plus alteri prodesset pro Dei arbitrio, neque in Canone opus esset facere viuorum vel mortuorum memoriam.

LVT. Fateor, tota est uenenata cauda, non sua natiuitate, sed arte Ecciana intoxicata, nec iam mea est, sed Ecciani obelisci imo basilisci, Quidquid enim ille intuetur, statim mors est.

Quicquid Basiliscus intuetur statim mors est.

De applicatione sacerdotali omitto hic loqui, alij uiderint, ꝙ recte fiat, Neq; enim de ea locutus sum in Positionibus meis usquam. Sed Eccius, qui omnia in omnibus, id est, nihil intelligit, etiam sic meas uoluit uenenare puras & innoxias sententias. Dico tamen unum: Si Eccius ex animo diceret, Applicationes sacerdotales non esse in arbitrio solius Dei, ut ipse distribuat eas meritis, sicut B. Augustinus de defunctis docet, Iam non cauda eius, sed caput, pedes & totus quidquid est, uenenum est. Horror mihi est audire, non à Iudęo, non à Turco, non à Bohemo hæretico, sed à Theologo catholico, suffragia Ecclesię non esse in arbitrio Dei solius, tu si sic doces populum, non concionator, sed tractator es Ecclesiæ.

Ego uero libere contra talem tam impurum hæreticum clamo & dico: Maledicta sit omnis applicatio cuiuscunq; sacerdotis, si non eam prius pure & reue-

& reuerenter in arbitrium Dei solius reposuerit, & applicationem Dei suæ longissime prætulerit, suamq; conditionaliter appoluerit. Ita ne tandem Theologi Deum captiuum reddent, ut non faciat quod uult?

Sed omitto ista, Non enim de applicatione ego locutus sum, sed de acceptatione, quod Eccius ex præcedentibus, si ullum haberet nasum, olfacere potuisset Nam aduersus eos posui, qui per illum suffragij modum dicunt animam euolare, cum tamen suffragium sit intercessio. Intercessionis autem ualor nõ in offerentis, sed accipientis arbitrio consistit. Ideo cum Indulgentia, non ut Indulgentia per clauem, sed ut suffragium pro illis offeratur, negaui per ipsum animam redimi, nisi Deo sic placuerit, quę res à me quidem disputatur, non asseritur. Expecto declarationem, sed non illam friuolam, id est, inferiorum. Quid autem ad dictum Sixti quarti dicam, in Probationibus uidebitur. V.

XIIII. Obeliscus.

Aduersus 19. Con:. Lutheri. EC. Scimus per scripturam, clamantibus ad nos animabus: Miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me, Et cum charitatem Dei habeant & amorem, vellent q̃ primum copulari & vniri Deo, vltimo fini ordinate. Hoc non fit nisi pœna soluta aut compensata. *Non animarum in Purgatorio, sed Sancti Iob ad amicos suos, hæc uox est.*

LVT. Ego nisi hic legissem, non sciuissem animas ad nos clamare, & cupere ad Deum uenire, adeo nouas & inauditas profert Eccius sacer Doctor doctrinas, Et ideo mirum mihi est, contra quos nam posuerim, Facessat Ironia, miseratione potius opus est.

Peto itaq; quomodo intelligat Eccius sua uerba? Quid est enim Deo uelle copulari ordinate? An non est ita, ut non quæ sua sunt, quærant, nec propter se, sed propter Dei gloriam & uoluntatem uelint Deo copulari? Quid si nunc Deus uelit eas nõ cito sibi copulari? an nõ & ipsæ uelint idem?

Sed quid tam Ecclesiastica cum Scholastico loquor? Mea ergo causa disputandi fuit hæc, q; non uideretur impossibile aliquas animas nolle de pœnis redimi, Sicut legitur in Sermonibus Tauleri exemplum insigne, de quadam uirgine, etiam ad Inferni pœnas sese tradente, pro uoluntate Dei. Et *Sermones Tauleri.*
Exod. 32. Moses atq; Apostolus uoluerunt Deo carere in ęternum, pro uoluntate eius.
Roma. 9. Sicut & sponsa in Canticis audet & dicit, Fortis ut mors, dilectio, & dura si-
Cant. 8. cut Infernus, æmulatio. Et illud 1. Samuelis 2. Deducit ad Inferos & reducit.
1. Sam. 2. Verum scholastici Doctores fabulantur non de forti, sed de molli charitate, non quæ mala ferat, sed bona tantum quęrat, id est, concupiscentiam sui commodi, Ideo sic nugantur.

EC. De Seuerino iuxta hoc vltimum dicendum est. Historia mihi non occurrit, sed puellus adhuc vndecim annorum memini legisse, Patruo Seuerinum apparuisse, & purgationem suam cum causa reuelasse, ac Sacellani sui preces implorasse. Quod conclusioni Lutheranæ repugnat. At si ita, debebat scire bonus vir, facta Sanctorum præter communem legem, non trahenda in consequentiam.

LVT. Omitto fastidia huius Rhetoris, & velut lusum suum securum in meas contumelias, Mendacia solum persequor. Nunquam dixi, omnes animas nolle redimi, nec feci legem & consequentiam ex uno exemplo Sat autem feci, q; illorum uniuersalem redegi in particularem, ut audacem temeritatem ostenderem.

Exemplum S. Seuerini.

Deinde illud exemplum Seuerini, quod falsum reprehendit, ducto ex puericia sua argumento, ut omnibus stulticiam forte suam testatam faceret. Ego autem non secundum quod legitur, sed, sicut audiui narrantes quosdam doctos uiros, posui. Horum enim erat sermo, S. Paschalem fuisse in Purgatorio, & tamen facta esse miracula ad eius sepulchrum, potuisseq; se suis meritis liberare, sed noluit sibi sua minui prẹmia, ideò maluit ardere. Simile de Seuerino recitabant.

S. Paschalis.

Ego autem hos sermones, sicut non improbo, ita nec ut autoritatem sequor. Sed causa disputandi aliosq; audiendi produxi. Vnde signanter dixi: Narratur, Minus habent apud me fidei tales Libri, quàm talium uirorum sermones, Magis autem, quæ supra iam dixi, de Paulo & Mose.

EC. Augustinus contra orabat: Domine, hic ure, hic seca, vt in æternum parcas.

LVT. Quasi ego prohibuerim, ne vllus oret pro redemptione pœnarum, aut non possit alius uelle pœnam, quam alius deprecetur. Sed ualeat contentiosus Sophista.

XV. Obeliscus.

EC. Cum communis ferat opinio, posse aliquem satisfacere in peccato mortali, puta Sacerdos in quadragesima, imponit huic emendam, usq; ad festum Pentecostes, vt oret quotidie quinquies orationem dominicam, & sextis ferijs ieiunet. Sacerdos uerisimiliter scit illum non tam diu futurum in gratia, Si non perficit emendam iniunctam, peccat. Si perficit, cur in nihilo satisfaceret? modo Indulgentiæ solum sunt satisfactoriæ &c. Ergo in peccatis posse consequi, non esset improbabile, sicut ego de facto teneo & tenui.

Aduersus 30. & 32. Conclu. Lutheri.

LVT. Hunc obeliscum oblitus, in fine omnium apposuit Eccius, necessarium ratus, ut ego agnoscerem, quàm tenebricosis, scoticisq; ipse uersaretur in tenebris.

LVT. Multis modis mihi displicet corrosus hic & inutilis obeliscus. Breuiter facerem, si totum quod lallat, negarem, Ex media scilicet fece scholarium opinionum has profert nebulas.

Dico itaq;, quòd existens in peccato mortali, si orat orationem Dominicam, non orat, sed maledicit sibijpsi, eo quòd talis in animo sit auersus ab omnibus quæ petit, imo contrariatur omnibus petitis, Non ergo satisfacit Deo, sed magis reus fit.

Si Eccius uel unicum illum de spiritu & litera libellum B. Augustini legisset, fortiter mihi persuaderem, quòd non solum hunc, sed omnes obeliscos, imo studium suum scholasticum totum damnaret & deploraret.

Libellus B. Augustini: de Litera & Spiritu.

Id sane admitto, quòd sic orans satisfaciat Ecclesiæ, quæ ei imposuit, nō autem Deo Imo firmiter credo, non esse mentem Ecclesiæ, quòd pœnitentia iniuncta debeat durare ultra quàm ille sit aptus implere, scilicet donec fuerit in gratia. Nam non est præsumendum de pia Matre, quòd uelit inutilia præcipere, aut imponere non salutaria. Imo ipsa præsupponit omnino esse, & actum primū, antequam imponat actum secundum. Sic igitur sapio, nihil curans, quicquid contra opinentur Scholastici, quicquid contra nitatur usus, imo abusus indoctorum, in quo si erro, cupio doceri.

Et ali-

Et aliquando latius ista agam. Infinitos enim Conscientiarum laqueos nobis indocti opinatores, & humanarum legum ponderatores in Ecclesiam introduxerunt. Ideo relapso in peccatum, remittendæ sunt omnes iniunctæ pœnitentiæ, nec longius iniungendæ, quam donec sit in gratia. Si enim corporis laborem non potes imponere, nisi donec ualeat corpus, quanto magis animæ labor non longius intelligitur impositus, quam sit ualetudo animæ? Mortuis nihil imponendum est.

Laquei conscientiarum in Ecclesiam inuecti per Scholasticos.

Porro ego non dissentio, Quod Indulgentiæ possunt dari etiam non contritis, non necessario fundamento Eccij, sed quod remissio pœnæ, ut est uilissimum donum Ecclesiæ, potest etiam indignis donari, dignis enim potius etiam imponitur a Deo. Quæ omnia ex eo fundamento dico, quod nullæ sunt satisfactoriæ pœnæ, nisi per Ecclesiam libere institutæ, & olim ante absolutionẽ imponi solitę, nunc quare imponantur post absolutionem, ignoro.

XVI. Obeliscus.

Aduersus 34. Conc. Lutheri.

EC. Appendicem Conclusionis non recipimus, alioqui absolutus post pœnitentiam iniunctam deberet dicere, Quod minus iniunxi, suppleat uoluntas Papæ, cum dicat. Quod minus iniunxi, suppleat amara passio Christi, Neque aliquis sacerdos esset dicendus, vicarius Dei, sed Papæ & Episcopi.

LVT. Et ista fabula est eadem, qua supra dixit, Per sacramentum remitti pœnas à Deo impositas. Quod negaui & nego, nec ipse probare potest. Deinde iterum inculcat, Quod passio Christi seu sacramentum solum remittat pœnas, sic enim solet dignificare sacramentum & passionem Christi in sacramento operantis, ut non culpas, sed pœnas remittat, nec has nisi temporales tantum, Vere grandis gloria passionis Christi, quod pœnas temporales remittit, quas etiam Gentes contemnunt.

Porro illud acutissimum acumen admiror, quo ex triuio etiam inuenit aduersus me argumentum, scilicet quod sacerdos absoluens dicit: Quod minus est, suppleat amara passio Christi. Hic forte non fuerit mihi tutum dicere, quod iste usus sacerdotum mihi non placeat, ne iterum dicat, Bohemicum uirus me seminare. Verum uror tam indigne passionem Christi haberi, ut ipsa sit supplementum, & uelut cauda nostrarum operationum. Denique cum ipsa ad pœnas potius inflammet quam remittat, ad remissionem uero pœnarum sufficiat uoluntas hominis Papæ. Sed hæc latius suo tempore.

Passio Christi.

Id ridiculum debere dici: suppleat uoluntas Papæ. Semper somniat necesse esse supplere & satisfieri Deo per pœnas, ac remissionem non posse fieri nisi per aliam compensationem, ut sic nulla sit remissio uera, sed solũ permutatio legitimaque satisfactio per alium, Quod & Canonistæ damnant, & uocabulo Indulgentiæ repugnat. Si enim est uera remissio, nihil oportet cõpensare alibi, Si fit compensatio, non est remissio, sed satisfactio. Quid ergo nos ludunt simulatis uerbis, & rem non appellant suo nomine, ut Indulgentias non indulgentias, sed compensationes uocent. Imo ueriores sunt satisfactiones, si Christi passio supplet, quam si nos ipsi satisfactiones soluamus, Quis enim tam horrenda hæresi laboret, ut passionem Christi non præferat suis pœnis & operibus? Sed hoc in Probationibus diffuse. VI.

XVII. Obeliscus.

Aduersus 36. Conc. Lutheri.

EC. Erronea prorsus Propositio, cum stet plures esse uere compunctos sine plenaria remissione, Accipio enim morientem purgandum, ille est vere cõpunctus, alioqui sacramenti gratiam & remissionem peccatorũ nõ acciperet, & tamen non habet remissionem plena-

riam pœnæ, alioqui non esset purgandus. Vnde multum periculose posuit vniuersalem, quod particulariter probatum nullam haberet difficultatem.

LVT. Si Eccius tam promptus esset quærere & audire, quam est iudicare & condemnare, nō tam insulsus fieret tot delirijs & nugis. Ecce unum aduerbium, scilicet uere, fecit eum tam pudendo errore labi. Ego compunctum uere accipio, plene cōpunctum, quem etiam euolare sine Sacramentis dicunt omnes, & qui negat, est hæreticus & in Deum blasphemus, Ideo uniuersalis mea stat firmiter.

Vltra dico, etiam semiplene compunctum, & quem ipse accipit, similiter habere remissionem plenariam, a pœnis ecclesiasticis sibi debitam, quia sacerdos debet ei remittere, quando uidet compunctum. Nec requiritur pœna satisfactoria, ex cuius somnio omnia Ecciana ista procedunt.

XVIII. Obeliscus.

Aduersus 37. Conc. Lutheri.

EC. Vera Propositio. Ac (vt ex sequentibus patet) cum uaria sit Sanctorum communio, bonorum & meritorum participatio, Lutherus mirabiliter illas vbique confundit, Alioqui si similis esset, & solum generalis participatio existentium in charitate (sicut ait Dauid: Particeps ego sum omnium timentium te) iam frustra essent omnes Fraternitates, omnes Congregationes, quod nihil aliud est, quam Bohemicum virus effundere.

LVT. Duas istas insignes contumelias, quod me & hæreticum & virulentum uocat mea quidem ex causa propter Euangeliū ferendas puto, solū illud Christi exemplum secutus, dicendo: Dæmonium non habeo, Tamen quia in insigni Academia, in approbata religione, in illustriss. ducatu Saxoniæ, in amplissimo Episcopatu, & his omnib. Catholicis. Deinde ego ipse nihil asserens, sed disputans, ac Catholicus esse quærens, cum hæreticum non faciat nisi pertinacia erroris in fide, hic autem error solus est, si tamen est error. Deinde non in fide, sed in opinionibus scholasticis, opus erit, ut super hac re Eccium iniuriarum conueniam, & os eius mendacijs & blasphemijs abundans, eo aliquando perducam, ut mendacijs suis fidem faciat, aut probet simplicem errorem, esse uirulentam hæresim.

Quid hæreticum faciat.

Si disputare est hæreticum sapere, iam Eccius omnium, quos uidit Ecclesia, est hæreticissimus, quippe qui in quatuor illustrissimis Academijs, uenenis, id est, disputationibus, omnia intoxicauit. Miror hominem, quod non ad ungues pedum usque friget, quando ad Sacramentum altaris accedit, si tamen memor est tantæ in Fratrem suum crudelitatis. Per omnia mihi Eccius facit, sicut Iohanni Reuchlin fecit ille suus Satan, Vterque id studij habet, ut si posset omnes lernas, omnes sentinas, omnia barathra errorum, hæresium, malorum irriuare, tum suo uterque frueretur gaudio.

Iohannes Reuchlin.

SEd ad Positionem, omitto uariam illam participationem bonorum, de qua gloriatur Eccius, Quid illa sit aut faciat, iudicent alij, Mihi multū uidetur in ea foueri carnalitatis, Quin libere proclamo, eam esse noxiam multis modis, nisi generalem illam, ueram, germanam, ecclesiasticam, tum Euangelio tum oratione Dominica commendatam, longe sibi prætulerit. Nec est hæreticus, qui eas contempserit, multoque melius facit, qui eas in unum confundit, quam qui eas distinguit. Sic enim Apostoli docent, quantumuis Scholastici Morphei aliter sapiant.

Tamen

Tamen utcunque illa sint, ego dico de generali illa & uera participatione bonorum Ecclesiæ, hanc, inquam, habet quilibet Christianus, sine literis ueniarum, quæ sola sibi sufficit, de qua toties B. Augustinus loquitur contra Donatistas, unitati Ecclesiæ prorsus omnia tribuens. Nec credo aliam conferri per literas ueniarum, aut probetur. Latret ergo Hecuba ista, donec canis fiat, opinionibus hominum nihil moueor.

XIX. Obeliscus.

Aduersus 39. Concl. Lutheri.

EC. Non apparet adeo difficile, cum contritio respiciat culpam, & Indulgentia pœnam pro culpa debitam. Et iuxta hæc emendetur sequens, scilicet, Quoniam contritionis veritas pœnas quærit, vt satisfaciat in se vel equiualenti, quo ad satisfactionem.

LVT. Fateor hæc omnia esse vera, si scholastica sunt uera, Quod Eccius asserit, ego nego. Et sic est petitio principij.

XX. Obeliscus.

Aduersus 42. Conc. Lutheri.

EC. Vera Propositio, quo ad merendum, falsa, si intelligatur ad satisfaciendum.

LVT. Iterum illud figmentum prodit, quod pœnæ sint satisfactoriæ tantum, non autem meritoriæ, cum tamen Paulus dicat, Omnia electis cooperari in bonum. Et ipsimet Scholastici fatentur, satisfactiones simul esse & meritorias. Ex quo eque sequitur, Indulgentias esse uiliores, quam satisfactiones, melius est enim satisfacere simul & mereri, quam ociosa satisfactione tantummodo gaudere. Vltra sequitur, quod Indulgentiæ sunt noxiæ, Quia remissiones & omissiones meritorum, sic enim ex eorum proprio sequitur commento.

Rom. 8.

Ego autem, ut supra, nego istam duplicem pœnam, Quia Iohannes Baptista, qui certe missus ad hoc ipsum fuit, ut pœnitentiam doceret, nihil prorsus imposuit satisfactionis, sed militibus alijsque non nisi præcepta uitæ præscripsit. Detestanda autem sit blasphemia, si quis dicat, eum non docuisse plenam & integram pœnitentiam, ut necesse sit, à Scholasticis satisfactionem, uelut tertiam partem addere (quam Iohannes ignorauerit) & id iuxta diuinam sententiam uolentibus requiri, non tantum ecclesiastica potestate, tunc certe Iohannes Baptista in laqueum & seductionem uenisset, cum nullos docuerit satisfacere. *Iohannes Baptista pœnitentiam docuit.*

At dicunt: Iohannes docuit: Facite dignos fructus pœnitentiæ, ergo satisfactionem uoluit. Respondeo: Vera est Glosa, si licet scripturam nostris somnijs contaminare. Fructus istos pœnitentiæ dignos ipsemet exposuit, quando turbæ querenti, quid facerent, respondit: Qui habet duas tunicas &c. id est, ut bene uiuerent, Sic enim satisfit Deo. *Fructus digni pœnitentiæ.*

Ego tamen hic scholasticis Doctoribus simul & Eccio, consuluerim, ut omisso Christo & Iohanne Baptista (quia non sunt Scholastici) ad patrem suum Aristotelem confugiant, & eo Doctore freti, mihi ogganniant illud sacerrimum oraculum: Ab autoritate negatiue non ualet consequentia. Sed mittamus scholastica illa nugacissima, Eccius non loquitur scholastice.

XXI. Obeliscus.

Aduersus 43. Conc. Lutheri.

EC. Melius facit meritorie non satisfactorie, vt ipse declarat Conclusione sequenti.

LVT. Ite-

LVT. Iterum ex Caho opinionum somniat aliud satisfactionem, aliud meritum, quod supra satis est improbatum.

XXII. Obeliscus.

EC. Scimus omnes, quoniam egeno, in extremis vel quasi constituto sit subueniendum sub præcepto, eodem modo intelligatur de habente solum necessaria domi. *Aduersus 45. Conc. Lutheri.*

LVT. Hæc est illa fœlix Theologia Scholastica, ob quam vel solam omnes Scholastici digni essent fauore, quem olim Romani Philosophis, & Plato Poetis in Repub. decernebant. O non Theologi, sed Plutologi, scilicet necessitatem nobis interpretantur extremam, uel quasi, Obsecro te, quis Angelorum permitteretur hanc seminare glosam? *Plutologi.*

Ergo non est mutuandum egenti, nec cõmodandum utenti, nec uestiendus nudus, nec uisitandus infirmus. Denique nullum opus pietatis aut charitatis faciendum, nisi dum eo peruenerit proximus, ut iam sit spiritũ exhalaturus, alias quando erit necessitas extrema? Videlicet, quasi Spiritus sanctus sit adeo indoctus, Vt cum simpliciter necessitatem dixerit, non intellexit, seu oblitus est addere extremam, uel quasi, quod nostris Scholasticis erat relinquendum, ne frustra ipsi quoque uixissent aut docuissent, Cur, quæso, ipsa humanitas naturalis tantam habet bonitatem, ut gratis se offerat, nullam expectet necessitatem, Imo sollicita est, ne sit necessitas. Et charitas Dei comparabiliter benignior nullum illorum facit? Vides ne iterum, contaminatores esse scripturæ Doctores scholasticos?

EC. Plura possent dici de sequentibus Propositionibus, quarum plures sunt incoctæ & insipidæ, nisi dicas quod Bohemiam sapiant.

LVT. Ecce os effrene & plenum maledictione & amaritudine. Propositiones illæ, quia non nisi charitatem & pietatem proximi fructuosam continent, ideo sterilium Indulgentiarum, & nulli nisi suo commodo utilium amator, Bohemicas uocat. Et quomodo potest inuidia aliud nomen dare charitati, quam pessimum? Ego, etiamsi Eccius esset angelus, in medio Seraphim, adhuc dico ipsum esse impijssimum hostem charitatis, seductoremque simplicis populi, dum docet, steriles Indulgentias populo bonas esse, ac charitatis prædicationem esse Bohemicum saporem.

EC. At irreuerentia in eis ponderanda est summi Pontificis sancta.

LVT. Prius fui hæreticus, Bohemus, uirulentus, denique quid non? Nunc, ne nihil mali non fecerim, irreuerens sum summo Pontifici. Eccius iuratus, ut me obruat maledictione, Timõ aliquis factus est, aut dignus, qui Lyndio Herculi summo fungeretur sacerdotio. Deus bone, Nihil ne aliud nouit homo iste, quam maledicere, contumeliari, calumniari, blasphemare? & interim tamen est reuerendissimus summo Pontifici, & Theologus, id est, Deum loquens, si Deus est blasphemia & maledictio. *Lyndius Hercules.*

Ego ne irreuerens sum summo Pontifici, qui homini, eo miseriore quo maiore, necessarias assero multorum orationes, plus quam pecunias? An potius ille in Deum & Pontificem est contumeliosus, qui id falsum asserit, uolens potius pecunias esse necessarias, quam orationes? Si contumelia id duntaxat est, ac non potius impijssima perfidia? Verum adulatoribus nullum

uicium,

uicium, nullum crimen est magnum, quin adeo sibi fingunt Christum abesse ab Ecclesia & Pontifice, ut uelut hominem purum ac solum citissime posse circumueniri suis pestiferis adulationibus confidant, ac eo magis se uera dicere, quo insidiosius adulantur, Imo non aduertunt, per Dei admirabilem sapientiam id relictum) sit sane unicum) Ecclesiæ præsidium, ut etsi Papa cum uniuersa Roma uellet adulatoribus consentire, ac ueritati dissentire (quod Deus auertat) non tamen id auderet, tum multitudine eruditorum & ingeniorum (Christo fauente) prospere agentium, tum potentia regum ac principum illis impense fauentium, tum certe multis in Curia proceribus, plus his omnibus sinceram pietatem fouētib. territus ac prohibitus. Quid.n. audebit uel ipse Diabolus, nedum malus homo, cum uniuersis adulatoribus, si Biblia & ecclesiasticos Doctores, contemptis illis opiniosis Sophistis, sibi uiderint opponi? Adeo ne præsumit crudelis, sed cicur illa tyrannis adulatio, ut etiam uerbis Dei audeat occurrere? Sit Christus mecum, & uerbum suum, & & non timebo, quid faciat mihi uel totus mundus. *Psal. 27.*

Adulatores Papæ.

Hæc dico, ne illi picti Nerones ac umbarum imagines suis terroribus, id est, adulationib. sese ideo recte dixisse ac uicisse credant, quia summi Pontificis maiestatem suis mendacijs sese corrupturos sperant. Homo est summus Pontifex, falli potest, præsertim à tam astutis & speciosis Gnatonibus. Sed ueritas est Deus, qui falli non potest. Quocirca rogo meos amicissimos hostes, ut dignentur me deinceps, non adulatione Papæ, nec Magistris nostris eximijs, terrere, sed solidis Scripturę & Patrum decretis docere, uel uincere, si omnino placet uictoria.

Homo uanitas. Deus est ueritas.

XXII. Obeliscus.

Aduersus 58. Concl. Lutheri.

EC. Indulgentias esse satisfactorias superius fassus est, Et cum iniungendo pœnitentiam sacerdos dicat: Quod minus iniunxi, suppleat amara passio Christi &c. Cur recurrit ad illum thesaurum?

LVT. O vena non publica, & ingenium vere peripateticum, scilicet: Sacerdos ita dicit, ergo ita est. Tenet consequentia ex Dialectica fidei. At dicet mihi: Vsus Ecclesiæ est reuerentia dignus. Si usus est, meritum passionis Christi, & Sacramentum ad remissionem pœnarum tantummodo institutum credere, ac non potius est insania, concedo. Deinde, si id potest probari Ecclesiastice, iterum & magis concedo. Et cum toties illud ecclesiastice (licet inuitus) repetem, spero Eccium tandem moueri se intelligere, ut deinceps non scholastice, contra ueritatem latret. Ita quicquid uel barbarissimus ac superstitiosissimus aliquis inuenit sacerdos, pia (ut uocant) intentione, id etiam Theologis tam doctis pro usu Ecclesiæ censetur habendum.

Compatiendum tamen est sacramento pœnitentiæ, q̄ autoribus his Magistris nostris eximijs, eo peruenerit dignitatis, ut inter omnia solū sit, quod pœnas relaxet, & non sit uas gratiæ, nec signum, nisi pœnarum, Cum baptismus non pœnas, sed peccata remittat, & gratiam conferat. Ita Confirmatio, ita Eucharistia, ita Ordo, ita Matrimonium, ita extrema Vnctio, peccata hæc omnia remittunt, & gratiam conferunt. Solum pœnitentiæ Sacramentum est, quod pœnas remittit ac satisfacit, non autem meretur, nec gratiam infundit, forte adulterum est inter septem & spurium, sicut apud Poetas fingitur de Pleiadibus, iuxta Eccium loquor, Nam cæteri forte negabunt, Indulgentias pertinere ad pœnitentiæ Sacramentum.

Sacramentum pœnitentiæ.

7. Sacramenta.

EC. Porro,

EC. Porro, si omnia mala, pœnas & cruces mundi pateretur homo, merito passionis Christi, frustra diceretur Christus vicisse mortem, redemisse genus humanum, mortem clauis cruci affixisse.

LVT. Nemo mihi persuadebit hanc orationem ab Eccio positam ex animo. Absit, ut homo Theologus contra omnium sensum loquatur. Imo etsi uerba eius sonant, ac si neget hominem moriturum, eo ꝙ Christus mortem uicit, quod omnem furorem excedit.

Volo tamen, credoq; eum id uoluisse (ut sic diuinem) merita Christi non operari mortem, id est, Christi mors non facit, ut homo moriatur, quæ potius uitam operatur. (Veniam mereor, si erro, obscure enim loquitur ferrugo ista obelistica) Si hæc ergo est intelligentia Eccij, Quid hinc ostendit, nisi insignem suam insciciam? qui Aristotelica farragine, imo sartagine uerborum infartus, modū apostolicæ locutionis ad peripateticæ transfert nugacitatis logomachiam. Exponā tamen meipsum, ut inuido calumniatori beneficus sim.

Passio Christi operatrix pœnarum.

Volo, ꝙ merita Christi sint non remissiones mortis, crucis, Inferni, sed potius exhortationes, id est, ꝙ Christianus uere Christum amans, non quærit remissiones pœnarum huiusmodi, sed exemplo & amore Domini sui excitatus, optat eum sequi per easdem, contemnitq; Indulgentias. Hoc uolui, quando dixi, passionem Christi esse operatricem pœnarum, non autem indulgentiarum, ad quod Papa nihil habet potestatis.

Aduersus 37. Conc. Lutheri.

EC. Neq; declaratio eius valet, cum a participatione meritorum Christi vniuersali ad particularem decurrit, ut supra diximus.

LVT. Bene remittit ad superiora somnia, ne committat hic maiora, Vide & tu ibidem illam egregiam, id est, scholasticam distributionem participationis.

EC. Vnde impudentissimus error apparet, merita Christi non esse infinitum Thesaurum, etiam ordinatæ dispensationi Papæ non commissum.

Error.

LVT. Vt Grammaticam etiam in Theologo requiram, si est error, quomodo est impudens, nedum impudentissimus? Error est res digna uenia, non enim impudenter asciscitur, sed ignoranter incurritur, Non ꝙ magnum existimem in Grammatica errare Theologum, sed ut uideas, ꝙ magis furore, ꝙ ratione mouetur.

Impudentissima temeritas in Ecclesiam &c.

Tentabo ego aptius (si possum) dicere. Impudentia quædam est, si quis in Philosophia Aristotelis doceat, quod illius autoritate non putetur probari. Concedis? Longe ergo impudentissima omnium temeritas est, aliquid in Ecclesia asserere & inter Christianos, quod non docuit Christus. At hoc est, quod hic noster Eccius garrit, dum nihil scholastice loquitur, & solus pudentissime ueritatem sequitur, scilicet, ꝙ Thesaurus meritorum Christi est in manu Papæ. Vbi hoc Biblia? ubi Patres? ubi Canones? (excipe Magistros nostros) ubi in toto mundo?

Atq; ut & ego paululum stomacho indulgeam, furor & indignatio Dei est, atq; nihil aliud, ꝙ ianuam & introitum patefacere omnibus hæresibus, erroribus, totiq; prorsus Tartaro, tam libere quicquid libuerit, asserere, Cum spiritus dicat: Omnia probate, quod bonū est tenete. Si enim scholastici Doctores, infœlices Magistri tui, ab hac sibi temperassent licentia asserendi, distinguendi, opinandi, pro pia (ut dicunt) sua intentione, non tot nunc Ecclesia scateret erroribus & furoribus, nec tu tam liuidos & atros inuenisses obeliscos.

Fateor

Fateor quidem in Extrauagante Clementis V. narrationem fieri de Thesauro meritorum Christi, per Indulgentias distribuendorum, sed nunquam lego illud esse approbatum. Aliud est, Papam narrare, aliud statuere, imo longe aliud Papam statuere, & Concilium approbare. Deniq; non sum ego, neq; Eccius, neq; Magistri nostri, apostolicæ Sedis declaratores, nisi friuoli esse uelimus, ut Eccius dixit, non friuolus. *Extrauagans Clementis V.*

EC. Vnde quilibet Christianus potius debet in eum Thesaurum spem suam reponere, quam ex pœnis, crucibus & tormentis remissionem, tanquam ex suis meritis sibi debitam, exponere. Quoniam si omnia fecerimus, congruit, ut dicamus: Quoniam serui inutiles sumus. Et hoc profunde ponderatum destrueret omne fundamentum quasi dictorum illius boni uiri. *Luc. 17.*

LVTH. Si Eccius loqueretur de culpæ remissione in his uerbis, iam totus esset Ecclesiasticus, & me omnino haberet, qui pedes eius, imo uestigia, oscularer, adeo mihi placent uerba. Plane maledictus sit, qui non toto corde confidit in Thesaurum meritorum Christi, Sicut ait Iere. 17. Maledictus, qui confidit in homine. Hoc est quod doceo, scribo, cogito, clamo, & omnibus uiribus cupio, & non destrueret fundamentum meum hoc profunde ponderatum, sed robustissime statueret. *Iere. 17.*

At uero, cum miser Theologus hæc uerba intelligat de remissione pœnæ, & ut est Thesaurus ille in manu Papæ, non solum non profunde ponderat uerbum Christi, sed prorsus pessundat. Nam uult hominem confidere in remissionem pœnarum, & merita Christi ad tam impiam fiduciam supponere.

Ideo, ut me clarius exponam, Finge, quæso, uel nugandi gratia, merita Christi esse thesaurum remissionis pœnarum, ne id omnino pertinaciter negem. Adhuc dico meritum Christi esse incomparabiliter præstantius, dum operatur cruces & passiones, quam dum remittit, Atq; cogor distinguere uel fingere, Meritum Christi potest nobis prodesse tripliciter.

Primo, ut sit nostræ fiduciæ summa, & caput iusticiæ, Iuxta illud Pauli: Qui factus est nobis iusticia à Deo, id est, qui suam iusticiam fecit esse nostram, sicut peccata nostra fecit esse sua: *1. Cor. 1.* *Meritum Christi tripliciter nobis prodest.*

Secundo, quod eadem nobis causa sint similia faciendi, ut & nos ita, tum pro nobis, tum pro alijs faciamus. Hæc sunt opera operata meritorum Christi. De his duobus B. Augustinus lib. 3. Tri. ca. 4. dicit, quod uita Christi, est simul Sacramentum & exemplum. Sacramentum primo modo, dum nos iustificat in spiritu, sine nobis. Exemplum, dum nos similia facere monet, etiam in carne, & operatur cum nobis. *Vita Christi sacramentum & exemplum.*

Tertio, ut remittat (ut uocant) satisfactiones peccatorum. Iste tertius, inquam, modus nullius est autoritatis canonicæ uel ecclesiastiæ. Quod si esset, adhuc tamen uilior esset, quam secundus, sicut secundus uilior, quam primus. Imo non intelligo, quomodo hic tertius modus sit possibilis, ideo disputare uolui.

XXIII. Obeliscus.

EC. Inculta & exoculata Propositio omnino, nam qui dicere potest, eandem esse rem, Thesaurum & clauem, cum clauis ad aperiendum pro Thesauro sit instrumentum aptum, Quin potius hic causa accipitur contra Lutherum. Si Christus claues dedit Ecclesiæ, ab eo *Contra 60. Con. Lutheri.*

petatur. Ad quid? Quis est iste Thesaurus? Quomodo per claues aperiendus? Est ergo Propositio, ensis Aiacis seipsum interimens.

LVT. Videns quam cultus, & uel Argo oculatior sit iste obeliscus. Nonne recte dixi in principio, Videri Eccium in diebus carnispriuij inter pocula bene potum, istos obeliscos fabricasse? Vel certe documento sit unus Eccius, furorem & rationem non simul posse in eodem cerebro habitare.

Primum, ex libro Priorum Aristotelis pugnat, Clauis est instrumentum ad aperiendum thesaurum. Miror, eum non dixisse, ad aperiendam cistam thesauri. Siquidem & cistam esse aliud, quam thesaurum, necesse est, deinde & seram. Atque si Allegoriam uel Metaphoram totam persequaris, totam suppellectilem urbis Romæ forte huc conuehi oportet.

Deinde sibi ex eodem Syllogismo acutissimo perplexus factus, quærit: Quomodo simul clauis aperiat & aperiatur, dum est simul clauis & thesaurus? Insulsissimus Disputator, qui audit me negare thesaurum eum, quem ipse ponit. Ego enim distribuentem (id est, à Christo claues donatas) dico thesaurum, Ipse autem per claues distributum ponit, id est, Ipse distributum à Papa, ego distributum à Christo.

Aiacis ensis. Vltimo, hanc Propositionem ensem Aiacis asserit &c. Nouus, proh, hominum fidem, Aristarchus, imo nouus Homerus. Quis enim unquam finxit, quod ensis Aiacis seipsum, ac non potius, quo se Aiax interemit? Sed dandum est aliquid serotinæ potationi, Voluit enim dicere, Propositionem esse ensem Aiacis, scilicet, qua meipsum, non qua se interimeret, sicut Aiacis ensis non se, sed Aiacem interemit. Forte somnians illam bestiam, quæ seipsam comesset, & pro eadem in Aiacis ensem raptus.

XXIIII. Obeliscus.

EC. EVangelium esse thesaurum doctrinatiuum & instructiuum credendorum, nemo negat, At ex eo thesauro præstari Indulgentias, prorsus est ridiculum, cum neque Papa largiens, neque Sacerdos exequens absoluendo, huius meminerit, Neque aliquis Doctorum in materia Indulgentiarum unquam seminauerit, dempto illo nouo Propheta, qui egreditur terminos, quos constituerunt Patres nostri. *Contra 62. Con. Lutheri.*

LVT: Patres nostros, credo, Aristotelem, Porphyrium suosque sequaces uocat, qui non sunt noui Prophetæ, sed Patriarchis uetustis, Apostolis quoque & (ne nihil omittam honoris) Angelis cœlestibus sunt digniores, quos Eccius colat. Nam ecclesiasticos Patres non ab eo notari hoc loco, etiamsi furat, concedet necessario.

Deinde eadem ebrietate mersus spumat me asserere Indulgentias de thesauro Euangelij dari, quod nullus, inquit, largiens intendit. Ignosco carnispriuialibus disputationibus, quales nisi essent, poterat uel ex suis uerbis supra dictis meminisse, me dicere, Indulgentias non ex Euangelio, sed ex clauibus donari. Has enim à me thesaurum Indulgentiarum positas esse, supra satis intellexit, eumque thesaurum ab euangelico thesauro distinctum, sed clarius infra. Sed uoluit ridiculum habere Theologus pro festiuitate dierum illorum Bacchanalium, quod cum nusquam esset, finxit in meis Positionibus

XXV. Obeliscus.

Contra 67. Con. Lutheri.

EC. Propositio plena ueneno, quæ seditionem excitare nata esset, non charitatem Christi augere. Quod si Lutherus pio afficiebatur amore, non coram pusillis (qui alioqui facilius scandalisantur) sed coram his, quorum interest talia proponere debuerat, & forte quis scit, si Deus incrementum dedisset & profectum.

LVT. Gratias monitori tandem aliquando beneuolo, sed præmissa rabie, Rogo, cur summus Pontifex distin. 5. lib. 6. Cle. De abusionibus quæstorum seuerissime statuens, tam multis uerbis non excitat seditionem, & omnia replet ueneno, cum hæc faciat asserendo, & præcipiendo, quod ego paucis uerbis tango, non nisi disputando? An nulli sunt quæstores, qui abutuntur suis facultatibus? aut de abutentibus nec disputare conceditur? An Eccius solus omnium tandem flagiciorum procedit Patronus? An non est hoc ueneno omnia replere, resistere uiciorum insectatoribus, imo Pontificijs decretis? Theologus id docet & facit, si Theologus dicendus est, qui tanta dæmonia loquitur furibundus & anhelus.

Deinde unum rectissime dicit, me scilicet pusillis scandalum dedisse. Nam cum ego non lingua uulgari ædiderim, nec latius quam circum nos emiserim, adde, solum doctioribus obtulerim, & amicis eruditioribus, non inuenio pusillos, nisi Patres nostros, antiquos Prophetas, id est, scholasticos Magistros nostros eximios, At horum scandalum sciebam futurum, sciensq; ac prudens contempsi, non solum in hac, sed in omnibus alijs meis Positionibus. Recte, inquam, pusillos uocat, nec ad ullum aliud officium idoneos, quam ut scandalizentur.

XXVI. Obeliscus.

Contra 69. Con. Lutheri.

EC. Si hæc uera sunt (Papa dicit thesaurum Indulgentiarum hauriri ex merito Christi) Cur ergo Lutherus superius contradixit?

LVT. Ego ne, mi Ecci, statim admittere tibi uideor, Indulgentiarum thesaurum esse merita Christi, quia suadeo Indulgentias cum reuerentia permitti debere? Adeo ne idem est, Indulgentias admittere, & Indulgentias merita Christi appellare? Nonne & excommunicationis & absolutionis decreta, statuta, rursum abrogationes, declarationes, dispensationes Papæ oportet cum reuerentia suscipere, & nullus tamen hæc uocat merita Christi? Quomodo ergo tu somnias mihi ex logicissima Logica tua me mihijpsi contradixisse, quod superius negaui, indulgentias esse merita Christi, & hic dico eas esse admittendas? An te tuum Petrum Hispanum docere debeo, de Propositionibus utroq; termino participantibus? In qua uero Bulla inuenis Papam dicere, indulgentias hauriri ex merito Christi, nisi in illa extrauagante Cle. V. de qua supra dixi, & suo tempore latius dicam? Extrauagans Clementum V.

EC. Omnem Pœnam debitam relaxandam dicit Papa, Cur ergo Lutherus inuitat ad solas pœnas arbitrio Papæ impositas? Ita per alias pergas Conclusiones superiores.

LVT. Non Papa, sed Eccius dicit, omnem pœnam relaxandam. Cur autem ego id dicam, supra satis dixi, Quia non scholastica, sed ecclesiastica quæsiui, Non friuolos superiorum declaratores, sed approbatos Ecclesiæ autores.

XXVII. Obeliſcus.

EC. Propoſitio ſonat falſa, & capitis Eccleſiaſtici derogatiua. Verum, ſi perſonas priuatas Petri & Papæ aſpicit, uera eſt Propoſitio, ſi uero autoritatem papalem attendit, minime eſt attendenda. *Contra. 77. Con. Lutheri.*

LVT. Quid audio? Ergo Petrus, Papa non habet maiores gratias, quam indulgentias? Forte quo Eccius propius accedit fini, eo inſanit liberius, & loquitur uenenatius.

Ego hanc Concluſionem (ut ſcias Ecci) ita defendo, ut ſi tu ex animo contradixeris, non Bohemicum hæreticum (hic enim Sacramenta omnia admittit) ſed communem totius Eccleſiæ hoſtem te appellabo & probabo. Quis enim uſpiam Chriſtianorum feret, ut Papa ſeu S. Petrus non habeat maiores gratias, quam indulgentias? Ergo Indulgentiæ ſunt plus, quam Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Euangelium, poteſtas iudicandi, & omnia maxima. Vere itaque eſt blaſphemia in S. Petrum & Papam, dicere, quod Indulgentiæ ſint maximæ omnium gratiæ.

Quod ſi hunc ſenſum Eccius non habuit, debuit temeritatem ſuam digerere prius, & non tumultuarie, ſed Theologice contra definire, nec ante quam intellexiſſet. Ego enim contra eos poſui, qui Indulgentias iſtas ſic ebuccinant, ut audeant ſtatuere, non poſſe Papam maiores dare, cuius ſententiæ meæ contrarium (ut uideo) Eccius hauſit, nihil intelligendo, dum nimis intelligit.

XXVIII. Obeliſcus.

EC. Contra facit hæc diſputatio, & temeraria Indulgentiarum uilipenſio, ut non à calumnijs tantum, ſed uix a gladijs argutorum Laicorum Eccleſiaſtici defendi poſſint. *Contra. 81. Con. Lutheri.*

LVT. Sicut præcedens, ita & iſte obeliſcus ualet multum, imo totum ab adulatione ſummi Pontificis. Sic enim ſolent indocti aſini (id eſt Scholaſtici) diſputare, ut quod nec ſcripturis, nec autoritate, nec ratione poſſint conuellere, id adulatione Pontificis impugnent. Nihil ſolliciti, quam uere, ſed quam placite dicant, modo triumphi ſpes uel falſa arrideat.

Id tamen ſpero, uel ſcholaſticæ ſuæ Theologiæ gratia, mihi concedet fabulator noſter, quod Indulgentiæ non ſint meritoriæ, nec ad ſalutem neceſſariæ. Quod ſi ita eſt, ſpero mihi licere eas omittere, nec me cogi ut redimam. Ideo non eſſe uilipenſionem earum in me temerariam, ſed uecordem & contumelioſam Eccij inuidiam, quę licentiã pro temeritate interpretetur. Dico denique (etiamſi rumpantur ilia Codro) uelle me, ut nullæ eſſent uſquam Indulgentiæ, & expecto declaratorem non friuolum, an ſic ſim hæreticus.

Porro id quod ait, Eccleſiaſticos uix defendi a gladijs Laicorum, Iſte eſt alter neruus, & communis locus omnium argumentorum ſcholaſticorum. Eccleſiaſticos quidem defendi facillimum eſt. Chriſtus enim eis præſens eſt. Scholaſticos autem periclitari nihil mirum eſt, quando ſolo Ariſtotele duce tuti ſunt. Deinde nihil aliud moliuntur, quam tyrannidem, id eſt, ut Theologia in noua uocabula effuſa à populo non intelligatur. Deinde negocium indulgentiarum ita abſcondatur, ut nec ipſi intelligant, quid ualeant, ſatis habentes, quod populo non licet hæc noſſe, nec nos quærere, ne forte lucrum minuatur, Cuius id eſt euidens argumentum, quod in re non neceſſaria nec meritoria tantum impenditur ſtudij & laboris, in neceſſaria uero nihil omnino.

xxix. Obe-

XXIX. Obeliscus.

contra 92. Con. Lutheri. EC. Respondere ad has quæstiones facilimum, Verum hæc breuitas subitariæ scriptionis non patitur. Tamen possunt omnes quæstiones hæ sufficienter & uere solui Ratione, non sola potestate, ut ille diuinat.

LV. Possunt solui ratione, Cur ergo soluunt Commissarij sola potestate, nil nisi fulmina & ignes trementi populo intentantes, si quis uel mutierit contra eiusmodi quæstiones, credo solui posse sufficienter, id est, scholastice, & non friuole, hoc est, uerba possunt garriri, & non intelligi. Sed in Probationibus latius.

XXX. Obeliscus.

contra 92. Con. Lutheri. EC. Christum imitari per tribulationes, perfectionis est. At pro pace & tranquillitate orare, illam petere & quærere, sacra Scriptura clamat & docet, quod & docuit Christus, Cum orare debeamus: Libera nos a malo, quod mille autoritatibus Scripturæ possem ostendere, nisi in ueteri Testamento ubique foret testatissimum.

LVT. Turris, scilicet, Dauid, est Eccius, ex qua mille clypei autoritatum pendent, non contra bellum, sed pro pace. Sit ergo finis crucis, & nemo aliquid patiatur, atq; cum pace & uoluptate, id est, remissione pœnarum, intremus in Regnum cœlorum securi. Melius forte fuerit ut mentiatur Deus, quando dixit: Ego quos amo, castigo, quam ut Patres nostri Aristotelici non maneant in limitibus suis, quos constituerunt nobis.

Pudet me tam insulsæ & ineptæ fabulæ. Theologus est Eccius, & nescire studio nititur, quod Christianorum pax est gloria conscientiæ, quam nullæ dare possunt Indulgentiæ, sed remissio culpæ, sola per gratiam. Pax uero exterior & illa quoq;, quam Indulgentiæ conferunt, mors est & litera occidens. Verum noster acutissimus obelophrastus persecutiones externas solum somniat. At sit aliquando finis cum temerario, ignaro, inexperto, id est, scholastico Theologo loquendi. Finis. X. Augusti Anno M. D. XVIII. *Christianorum pax &c.*

RESPONSIO F. MARTINI LVTHERI AD DIALOGVM SILVESTRI PRIERIATIS &c.

REVERENDO IN CHRITO PATRI SILVESTRO PRIERIATI, ORDINIS Prædicatorum, S. Theologiæ Professori celeberrimo, sacriq; Palatij Apostolici Magistro, F. Martinus Lutherus Augustinianus, æternam in Christo Salutem.

Lutherus Georgio Spalatino, in Epistola cuius initium est, Opera tua nunc &c. Dialogo Siluestrino, uere siluestro & inculto, iam respondeo, quem mox habebis, ut paratus fuerit, Die S. Cyriaci. Anno XVIII.

PERuenit ad me, reuerende Pater, Dialogus ille tuus satis superciliosus, & plane totus Italicus & Thomisticus, in quo etsi causaris, te iam senem armisq; desuetum, denuo meis uerbis ad certamen impelli, tamen uelut Entellus ille de me Darete (ut ais) referre paras uictoriam insperato, nisi quod eo ipso Dareta magis quam Entellum exhibes, quod rumores ponis ante salutem, & (ut dicitur) Encomium ante uictoriam. Age igitur, fac quod facis, fiat uoluntas Domini, Vale.

OMitto Fundamenta tua, quorum intelligentiam magis suspicor, quam capio. Et more exemploq; tuo, mihi quoq; Fundamenta iaciam, necesse est.

Fundamenta Lutheri.

Primum est illud B. Pauli: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et Gala 1. Si Angelus de cœlo aliud uobis euangelizauerit, quam accepistis, anathema sit. *1. Thess. 5 Gala. 1.*

Augustinus.

Secundum est illud B. Augustini ad Hieronymum. Ego solis eis libris, qui Canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, ut nullum Scriptorem eorum errasse, firmissime credam. Cæteros autem quantalibet doctrina, sanctitateq; polleant, non ideo uerum esse credo, quia illi sic senserunt &c.

Tertium illud Cle. de pœ. & re. Ca. abusionibus. quæstoribus nihil licere in uenijs prædicandis, proponere populo, quam quod in eorum literis continetur, hoc est, quod tu dicis, ea, quæ Ecclesia de facto facit.

Opiniones Thomæ sine Scriptura

HIS Fundamentis, si me intelligis, simul intelligis, totum tuum Dialogum funditus euersum. Nam tu perpetuo pro uerborum textu, non nisi nuda uerba ponis, aut solas opiniones D. Thomæ mihi nunc demum decantas, qui æque (ut tu) nudis uerbis incedit, sine Scriptura, sine Patribus, sine Canonibus, deniq; sine ullis Rationibus. Ideoq; meo iure, id est, Christiana libertate, te & illum simul reijcio & nego. Imo ita cogit me autoritas Fundamenti primi & tertij, & suadet exemplum Augustini in Fundamento secundo. Nam si apud Iureconsultos prouerbium recipitur: Turpe est Iuristam loqui sine textu, Tu uide, quam sit honorificum, Theologum (qui maxime omnium debet) loqui sine textu, quem Apostolus iubet calceatum esse pedibus in præparatione Euangelij, & Episcopum potentem, non in Syllogismis & opinionibus hominum, sed in doctrina sana, nimirum *Ephe. 6. 2. Tim. 3.*

mirum ea, quam alibi diuinitus inspiratam uocat. Hoc enim consilium si fuisset seruatum, minus nunc Ecclesia haberet inutilium quæstionum & opinionum, & plus Euangelij & Christianæ ueritatis. *Inutilium quæstionum & opinionum origo.*

Iam accedamus, & iudicemur simul.

PRimo, Quatuor falsitates in tribus primis Conclusionibus a me comprehensas pronuncias. Primam. quod Saluator impossibile iussent, scilicet fideles omni tempore habere actum pœnitentiæ interioris uel exterioris. Cum enim dicat: Agite, non loquitur de habituali interiore pœnitentia, quæ sola perpetua est, & consequenter loquitur de actuali interiori uel exteriori, Agere enim, uel actus, uel non sine actu est. Hæc tua. Vere tua sunt, id est, adeo scholastica & thomistica, imo aristotelica, ut me pigeat & tedeat ea refutare. Rogo, ubi hic scriptura, Patres aut Canones sonant? *Refutatio primæ falsitatis.*

Deinde miror, quod iuxta peripateticam istam Theologiam, uerbum illud, agite, non ad solam internam actionem retulisti. Item, Quod si & ego tua industria usus, te calumniarer & dicerem, Omnem uitam (quod ego posui) non esse idem, quod omni tempore (quod tu interpretaris) Sed tamen admitto, nec duriter agam tecum, reuerebor canos tuos, & dignitatem tuam. Rem ipsam tueri conabor, Ideo paulo fusius hic tecum fabulabor, ut iam secundo totum tuum Dialogum subuertam. *Peripatetica Theologia.*

PRimum, falleris, reuerende Pater, in uerbo, agite, quasi id actum importet, quem contra habitum distinguas, Idem est enim, agite pœnitentiam, quod pœniteat uos, seu, ut ausus est Interpres latinus Act. 2. Pœnitemini & saluamini &c. Nam & Græci μετανοεῖτε (quod pœnitentiam agite, transferunt) resipiscite, seu ad mentem & cor redite, significat. *Agite.* *Act. 2.*

Secundum, habitualis illa pœnitentia, nec à uobis intelligibilis, nec uulgo tradibilis, nulla est apud me, sed à uobis conficta ex Aristotele, præsertim si qualitatem quandam in anima perpetuam & ociosam intelligitis. Aut doce eam ex Scriptura, Patribus, Canonibus, Rationibus. Nolo (ut scias) te, aut S. Thomam nudos habere magistros, in his rebus, quæ ad animam pertinent, quæ solo uerbo Dei uiuit & pascitur, ideoq; unus est eius magister Christus, Hunc autem in te loquentem non audio, sed Aristotelem & hominem. *Pœnitentia habitualis, à Scholasticis conficta.*

TErtium, pessime facis, quod negas Saluatorem impossibilia iussisse, plus q̃ pessime facis, quod hoc falsitatẽ audes appellare. Ideo enim semper orare oportet: Dimitte nobis debita nostra, quia nunquam facimus aut implemus mandata Dei. Nec possumus in hac uita implere, Sicut B. Augustinus locuplessitime contra Donatistas & Pelagianos testatur. Sed & Paulus Roma. 7. queritur, se captiuari in legem peccati, & non facere bonum quod uult, Similiter & Gala. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, Hæc enim sibi aduersantur, ut non ea, quæ uultis, faciatis. Istæ sunt inimiciciæ, quas posuit Deus inter semen serpentis & semen mulieris, id est, inter carnem & spiritum, inter concupiscentiam & charitatem. Quod ergo non omni tempore pœnitemus & resipiscimus, uicium est, licet impossibile sit fieri, Conclusit enim Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. *Nunquam implemus mandata Dei.* *Roma. 7.* *Gala. 5.* *Gene. 3.* *Roma. 11.* *Gala. 3.*

Quartum, Omnes Doctores ecclesiastici sentiunt mecum, nullus autem tecum. Sicut enim B. Augustinus totam fideliũ uitam, crucem & martyrium esse pronunciat. Quemadmodum & Hiob 7. militiam seu tentationem uocat, uitam hominis super terram. Et B. Bernardus: Stare in uia Dei, & non proficere, est deficere. Et alibi: Vbi incipis nolle fieri melior, desinis esse bonus. Et hoc est, quod in Psal. Vita iusti uocatur uia, semita, non domus aut status, ut uitam eius quendam cursum & non statum esse doceat. Sicut de Christo omnium iustorum archetypo dicit: Exultauit ut Gygas *August. Vita fidelium crux est.* *Hiob 7.* *Bernardus.* *Vita iusti uia &c.*

 adcur-

ad currendam uiam. Sed hanc uiam semper currere non potest homo, nisi Psal. 19.
dilatetur cor eius. Iuxta illud: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum di- 119.
latasti cor meum. Hæc est illa renouatio mentis, quam Apostolus Paulus (non ut tu) intermittendam, sed de die in diem, de claritate in claritatem, in eandem, quæ in Christo est, formam promouendam docet. Sed non ex 2. Cor. 3.
nobis, imo sicut à spiritu Domini &c. quia præceptum est impossibile &c.

Renouatio mentis.

Quintum, In omni bono opere potius aguntur, quam agunt filij Dei, sicut Rom. 8. dicit: Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Et ea opera Rom. 8.
(omnium, qui remotiorem Theologiam gustauerunt iudicio) sunt optima, quæ sine nobis, in nobis operatur Christus, & ea fere pessima, quæ iuxta Aristotelis pessimam doctrinam, nobis eligentibus & (ut uocant) libero arbitrio mediante, operamur. Sic enim fit, ut optime ieiunet, qui alia meliora meditatus, ne cogitat quidem an ieiunet, Hic enim longissime omnium ab edendi cupiditate separatur, Non autem ita, qui se sentit, & proponit ieiunare. Ita qui sancta meditatur, aut ea quæ suæ sunt uocationis, operatur intentus, quibus cum se à uitijs abstrahit, uel abstractum conseruat, sine dubio uerissime pœnitet, si tamen id amore Dei, non sui causa faciat, Quia id demum est uiuam & ueran pœnitentiam agere, animam à uicijs propter Deum separare, & separatam seruare, magisque separare. Tu uero, qui sacramentalem illam & initialem pœnitentiam ob oculos tantum uersas, cuius feruor & tumultus durare non potest sine miraculo, inuenisti impossibilitatem.

Remotior Theologia.

Agere ueram pœnitentiam.

SEcundam falsitatem meam ita pronuncias, Verbum Christi dicentis: Pœnitentiam agite, non potest intelligi de sacramentali pœnitentia. Hanc falsitatem esse sic ostendis. Tripliciter, inquis, pœnitentia dici consueuit. Primo est uirtus quædam, cuius obiectum est peccatum sub ratione emendabilis, actus uero eius est dolor uoluntatis de peccato. Ipsa uero est habitus moralis, eliciens dictum actum respectu prædicti obiecti. Secundo pœnitentia est Sacramentum, cuius partes sunt, contritio, confessio, satisfactio. Tertio accipitur uulgariter pro satisfactione iniuncta à sacerdote, & omni carnis mortificatione &c. Hæc Siluester.

LVtherus. Iste ne est, quæso, cæstus ille immani corpore Entellinus, quo audaculum hunc Dareta cruentabis? Doleo & iam pœniteo, me adeo contempsisse quendam tuæ sectæ fratrem in nostra Germania, qui contra meas easdē Positiones & ridicule & inepte pugnauit, Longe tamen acutius & doctius, quam tu. Et nisi canos tuos uererer (sicut me decet) profecto hanc tuam distinctionem pro dignitate tractarem.

Entellinus.

Primo, Quis dedit tibi, aut D. Thomæ hanc potestatem, ut uerbum simplicissimum, simplicissimi & unici Doctoris Christi, in tres diuideres sectas? Hoccine est Scripturam interpretari, an potius dilacerare? Qua scriptura, quibus Patribus, quibus Rationibus hanc distinctionem stabilies, quæso? Thomæ, non credo, Siluestrum, etsi Palatij magistrum, nego.

Syluestri temeritas.

Secundum, Iterum ructuas Aristotelicam philosophiam de uirtute morali, de obiecto, de actu elicito. Quasi ego talia nunquam audierim, deinde quæ talia sunt, ut in populo doceri non possint, nec ad Scripturæ intelligentiam utilia, portenta duntaxat uerborum, non nisi ad contentiones fouendas conficta.

Tertio, Pœnitentiam, uirtutem, dolorem uoluntatis definis. Qua, rogo, autoritate? Tua? Quid hæc ad Lutherum?

Quarto, Quod est omnium acutissimum, imo immanissimus cœstus Entelli, quod pœnitentiam primo modo uirtutem, distinguis à pœnitentia tertio modo, quam uocas omnem carnis mortificationem. Ergo pœnitentia uir-

..a uirtus non mortificat carnem ? Quid ergo facit ? Viuificat carnem, uel sinit uiuere carnem ? Quod autem non mortificet carnem, tua illa probat acutissima distinctio, quia pœnitentia primo modo non est pœnitentia tertio modo. Hoc sic intelligo: Pœnitentia dolor uoluntatis, qui uere mortificator carnis est; non mortificat carnem. Si hæc Germanus diceret, frigidum cœlum culparem, Nunc quia Italus hæc dicit, sub ardenti cœlo degens, quid prætendam, non inuenio, Nisi quod uerum te in Epistola dicere credo, scilicet te & senem esse, & in commentarijs Thomæ non tam implicitum, quam immersum, imo submersum credo.

Quinto, Pœnitentiam secundo modo satisfactionem etiam esse dicis. Item tertio modo satisfactionem esse dicis. Et primo modo, si est dolor, uoluntatis, non potest fieri, quin & ipse dolor satisfactionem operetur: Rogo, quot nobis tandem distingues satisfactiones ? Hæc ideo impugno, ut hanc tuam distinctionem denuo septem alijs noue confictis distinctionibus defendas, more sacræ scholasticæ Theologiæ. Et tum dicas, omnes nihilominus in uerbo Christi intellectas, ut persuadeas mihi doctrinam Christi sine Thomæ & Syluestri distinctionibus intelligi non posse, Id enim opus est, ut persuadear, qui Christum, nisi sine Thoma intelligi uix credo.

Sexto, Libera me, quæso, ex his angustijs meis. Si uerbum Christi potest intelligi de sacramentali pœnitentia, præsertim tertia eius parte, id est, satisfactione, uerbum autem Christi est præceptum immutabile, Quomodo fit, ut sacerdotalis potestas, sacramentalem satisfactione mutet, dando indulgentias & remissiones satisfactionis ? Nonne uides uel aliam esse satisfactionem sacramentalem, quam Papa remittit, scilicet ecclesiasticam, Vel si eadem est, nullas esse prorsus remissiones, & indulgentias esse meras illusiones, & simulatas remissiones ? Non enim remittere potest homo, quod Deus præcepit & ligauit.

Verbum Christi immutabile præceptum.

Septimo, Si satisfactio comprehenditur in pœnitentia secundo & tertio modo, utraque autem est, quæ a Sacerdote iniungitur. Rogo quomodo stabit hæc distinctio ? Sacramentalis enim satisfactio non est, nisi quæ a Sacerdote imponitur, & eadem est (te autore) quæ tertio modo accipitur. Iure mihi ueniam dabis, si hæc non capio. Aeneum enim caput, et nasum ferreum habeo, id est, indocile & incapax tantæ tuæ Theologiæ ingenium, si ita placet.

Tu nunc uide, quomodo uerbum Christi non solum posse, sed debere etiam intelligi de qualibet harum trium pœnitentiarum, contendas.

TErtiam falsitatem meam persequutus dicis: Tertia falsitas est ad hominem, id est, ad te. Quod scilicet Christus non intendit loqui solum de interiore pœnitentia, Hoc enim in se quidem uerum est, Sed tibi, qui uis Christum his uerbis indicere pœnitentiam in omni uita, de exteriori non potest intelligi, quam oportet intercidere somno & gaudio, gaudendo cum gaudentibus, & huiusmodi, Vnde tibi solum de interiori potest intelligi, non omni, sed habituali, quia etiam interiorem actum liberi arbitrij dormientes necessario intercidimus. Hæc Siluester.

LVTH. Credo hæc tibi acuta & firma uideri. Placet autem, quod dicis falsitatem esse ad hominem (id est, ad faciem & apparentiam) reuera autem ualidissimam ueritatem. De habituali pœnitentia, & omni uita agenda, supra satis dixi, quæ etsi non fit omni uita, debet tamen fieri omni uita, ideo enim peccamus. Quanquam hi, qui sunt in gratia, nullo momento sunt sine pœnitentia, tam exteriori quam interiori, quia sanctificant se ab omni inquinamento carnis & spiritus, licet carnificinam illam confictamque hypocrisin non faciant.

Falsitas ad hominem.

Homines in gratia existentes non sunt sine pœnitentia.

Id non

Pœnitentia hilaris. Id non satis admirari possum, quod aperte negas pœnitentiam in gaudio agi posse, cum pœnitentia eo sit purior, quo fuerit hilarior & iucundior, Hilarem datorem diligit Deus. Sed Apostolum, quæso, reprehende, qui Thessalonicensibus præcipit: Semper gaudete in Domino. Et Psal. Semper laus eius in ore meo. Dic, rogo, ut aliquando etiam plorent, & maledicant in Domino. Igitur semper in Domino gaudendum, semper in nobis plorandum. In Deo habemus, unde gaudeamus, In nobis, unde lugeamus. Ideo sit gaudium in luctu, & luctus in gaudio, Gaudium in abscondito, luctus in cognito, Sed hæc non sunt scholastica, ideo differo in aliud tempus. *1. Thess. 4. Psal. 34. Luctus in gaudio.*

Quod uero dicis: Vel in somno intercidere necessario actus pœnitentiæ. Agnosco egregium Aristotelem in te ex Ethicis suis fabulantem, ubi dicit, quod miser & fœlix dimidio uitæ nihil differunt, uterq; enim dormiunt nocte, id est, nihil agunt uel fœlicitatis, uel infœlicitatis: Quomodo potest tibi uera Theologia placere, cui placet tam insipiens Philosophus? Audi Apostolum Paulum ad Roma. 14. Qui manducat, Domino manducat. Qui non manducat, Domino non manducat. Et iterum: Qui uiuit, Domino uiuit. Qui moritur, Domino moritur. Sic & ad Corin. 6. Non estis uestri, Empti enim estis precio magno. Hunc, rogo, liceat imitari & dicere: Qui dormit, Domino dormit, qui uigilat, Domino uigilat. Et alibi: Siue comeditis, siue bibitis, omnia in nomine Domini nostri Ihesu Christi facite. Domino autem dormire, credo, non negabis esse Dei uoluntati parere, Voluntati autem Dei parere, optima certe pœnitentia & à uicijs purgatio est, Puto etiam, quod dormiens uiuat, si uiuit, certe Domino uiuit, ut hic dicit Apostolus. *Roma. 14. 1. Cor. 6. Domino dormire.*

Item quomodo audes dicere, dormientem fidelem, esse uacuum actibus bonis, qui tum maxime bonis actibus plenus est, quando Deum in se quieto agere patitur, & sabbatum Domini celebrat? Sed sisto, Nescio enim an thomistica Theologia hanc Theologiam unquam senserit, Paulina est enim, non Peripatetica. *Thomistica Theologia.*

QVartam falsitatem meam tandem hanc ponis. Quod pœnitentia interior nulla est, nisi foris operetur uarias carnis mortificationes. Sic enim ego posui. Imo, inquis, exterior pœnitentia nulla est sine interiore, interior autem sola potest hominem saluare. Sed hanc falsitatem meam tu ipse tollis & dicis, potest tamen hoc dictum tuum uerum, & à Saluatore intentum habere sensum, scilicet quod omnis interior pœnitentia operatur uarias carnis mortificationes exterius, id est, pro loco & tempore &c. Gratias ago tandem, quia defendis me.

Hic concordamus aliquantum, sed rursum repente dissentis, dicens: Hic autem sensus tibi uidetur impossibilis. Hic ego: Tibi uidetur impossibilis, mihi uero est non tantum possibilis, sed & inesse semper, ut peripatetice tecum loquar, Quia omnia iusti opera sunt pœnitentiæ, id est, mutationes & renouationes de die in diem, Hæc autem non possibilia modo, sed necessaria quoq; sunt, nisi sis de nonaginta noue iustis, qui pœnitentia non indigent, Aut socius Pharisæi, qui non est sicut cæteri hominum. Nam nos cum Ecclesia congemimus assidue: Erraui sicut ouis quæ perijt, quære seruum tuum. Et cum Publicano, uocem turturis sonamus: Deus, propicius esto mihi peccatori. Et cum Hiob, ueremur omnia opera nostra. Et: Dimitte nobis debita nostra, cum omnibus Sanctis dicimus, non solum uerbo, sed corde & opere. Semper enim in timore Dei agimus, Timor autem principium est sapientiæ, id est, mutatio de insipientia ad sapientiam, quę est uerissima pœnitentia. Factis ostendit se non egere pœnitētia, (ait Bernardus) qui non assidue ad pœnitentiam festinat, Tuam tamen sententiam non damno *Omnia iusti opera sunt pœnitentiæ. Psal. 119. ☞ Luc. 17. Hiob 9. Timor Dei. Psal. 111. Bernardus.*

damno, qui non nouisti aliam, quam sacramentalem illam, & nescio quanto tempore duntaxat durantem, Nos nec continuam istam semper agi à nobis pro debito dolemus & confitemur, ideo & pœnitemus simul & non pœnitemus satis.

Hæc, rogo, uerbosissime à me tractata boni consulas, quia necessarium fuit ostendere tibi, quam nihil meas Positiones caperes, & quam frustra ex tam infirmis principijs totum hunc Dialogum deduxeris. Nihil uideo relictum in Dialogo, quod non ex his abunde confutatum iam sit, Sed sponte mea latius tecum agam.

Quoniam ad Propositionem meam quartam dicis, Doctrinam hanc esse falsam, impossibilem & erroneam, nisi pœna intelligatur pro exteriore mortificatione, pro loco & tempore. Satis iam dictum est, Exteriorem pœnitentiam esse debere assiduam, & si fieri non potest, quo ad actus pœnitentiæ à te intellectos, fieri autē potest, quo ad actus à Christo doctos, id est, quos Ecclesia remittere non possit, hi sunt renouatio mentis de die in diem. Vera ergo pro tua opinione dicis, Sed non probas meam sententiam falsam & impossibilem. *Exterior pœnitentia assidua.*

Illud uero non possum tolerare, quod dicis, improprie à me dici, odium sui, quantum ad uere pœnitentes attinet, Nullus enim imbutus gratia diuina, inquis, odit se, sicut nec proximum, quem ad instar sui diligit. Libens permitto, ut cum tuis de odio sui, proprijssime loquaris, modo permittas mihi, ut cum Domino Ihesu Christo improprie loquar, quando dicit: Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam. Et cum Apostolo Rom. 15. non debemus nobis placere. Et iterum: Non qui seipsum commendat, ille probatus est. Tu uero cum persuadeas, uere pœnitentes sese diligere, necessario concedes, ut & commendent sese tanquam uere diligibiles, bonos, iustos, sapientes, & sic sibi placeant, id autem nihil aliud est, quam cum Pharisæo horrenda superbia, non pœnitere, sed irridere Deum, Sic enim docetis infœlices discipulos scholastici Theologi, superbire scilicet, & perire. Sed latior est ista materia, quam nunc patiatur negocium tractare, Error enim & ignorantia dilectionis, longe lateq; nimis persuasit, doctiores maxime. *Odium sui.* *Matth. 16* *Roma. 15.* *Scholastici Doctores.* *Error & ignorantia dilectionis.*

Ego sic sapio, quod homo Christianus seipsum non diligat, nisi in Deo, in seipso uero, non nisi odiat, hoc est, quod cum ipse sit mendax & uanus, Deus autem uerax, nihil eorum, quæ ipse cupit aut nouit, diligat. Sed omnia, quæ sibi contraria sunt, quærat, Nihil autem est contrarium mendacio & uanitati, quam ueritas, ita fit, ut dum se odit, & sibi semper contraria amat, uerissime se diligat, non in seipso, sed in ueritate, quæ mendaci sibi est contraria. Sic Sancti crucem, mortē, stulticiam, ignominiam dilexerunt & cupierunt, quibus tamen ipsi non nisi perdebantur, quia seipsos in nihilum redegerunt, ut esset Deus omnia in omnibus. Et hoc habent uerba Christi, Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam.

Proinde, quando Christus dicit, proximum diligendum ad instar sui, meo iudicio, de peruerso & incuruo amore loquitur, quo homo quærit non nisi quæ sua sunt, qui amor non rectificatur, nisi omittat quærere quæ sua sunt, & ea, quæ sunt alterius, quærat. Hæc sententia est B. Pauli Philip. 2. Non quæ sua sunt, considerantes, sed quæ aliorum. Et 1. Corin. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt. His uerbis manifeste prohibet amorem sui, Ideo sensus præcepti esse uidetur: Diliges proximum tuum sicut teipsum, id est, diliges te solum & peruerse. Si autem amorem eiusmodi in proixmū tuum dirigeres, iam uere diligeres. Quod ex eo patet. quia non præcipit, ut homo diligat se, quod utiq; fecisset si bonus esset sui amor, sed inuenit amorem sui, & alio transfert, & ita rectificat. Et heu rem fontibus lachrymarum *Philip. 2.* *1. Cor. 13* *Amor sui prohibitus.*

marum dignissimam, quod hac amoris scientia, tam uacui sunt omnes ferme Doctores scholastici, ut pro sancta charitate, fœdissimam cupiditatem doceant, nec altius incedunt, quam ille Paganus, qui dixit: Proximus esto tibi, Quod tamen alius rursus gentilis Terentius damnauit.

Cato. Terentius.

Illud quod ais: Nullus imbutus gratia & uere pœnitens odit se, uidetur inferre, quod uacuus gratia odiat se, quod tamen contra omnes Scripturas est, quæ ubiq; detestantur, eos, qui seipsos amant, ut 2. Tim. 3. Et illud: Omnes quæ sua sunt, quærunt. Inde etiam apud tuos Magistros damnantur affectus commodi. Item fruitio creaturæ, usus Dei, & abusus rerum, amor male accendens &c. Nisi illud Psal. 11. te mouet, quod dicitur. Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Licet in Ebræo sit, odit anima eius, scilicet Dei, tamen permitto, quod odit animam suam. Sed hoc facit pessime diligendo animam suam, ut B. Augustinus Iohan. 12. interpretatur. Amor ut pereat, odium ne pereat, Sed fortasse uoce tantummodo hic dissentimus, nisi quod scio uoces has raro pro ueritate intelligi.

Affectus commodi. 2. Tim. 3. Psalm 11. August. Iohan. 12.

CONtra quintam Propositionem meam, ubi dixi, Per indulgentias non remitti pœnas, nisi arbitrio Sacerdotis uel Canonum impositas. Dicis me circa factum Ecclesiæ male sentire, & Sanctis dissentire, ideo Conclusionem meam, tuo iudicio hæreticam esse.

5. Concl. Lutheri.

Hîc si te interrogem, qui sint illi Sancti, & quod factum Ecclesiæ. Non uideo quid dicas, nisi quod S. Thomam nomines, cum quo te remitto ad Fundamentum meum primum & secundum. Nam ego non capio, quomodo in isto uerbo Christi: Quodcunq; solueris &c. Petro sit datum Priuilegium. Non enim priuilegium, sed lex generalis & irrefragabilis data est, non Petro tantum, sed omnibus prorsus sacerdotibus & toti Ecclesiæ. Cur ergo tu cum Thoma tuo id soli Petro arrogas, & ita arrogas, ut priuilegium appelles? Aut si Petrus potest huius uerbi uirtute soluere pœnas Purgatorij, cur non & quilibet sacerdos? Est iste modus interpretandi Euangelij?

Quos Syluester Sanctos appellet.

SEcundo, Quod duo supposita facis, Primum, quod Ecclesia per Indulgentias concedat liberationem unius animæ. Secundum, quod Ecclesia facit Indulgentias simpliciter plenarias, ita quod anima euolaret soluta à corpore &c.

Supposita Syluestri satis friuola.

Respondeo, uide tu reuerende Pater, ne supposita illa tua, sint apposita per te & humanum diem. Redde rationem huius fidei & spei, Vtinam uera diceres, imo absit, ut uera dicas, quasi in manu Ecclesiæ sit, animas liberare, quando & quomodo uoluerit.

TErtio, Doce me unum factum Ecclesiæ, in quo dedit liberationem unius uel plurium animarum, nisi Cryptas forte S. Sebastiani & Laurentij ac Prudentianæ, aliaq; Romana loca mihi recitabis. Sed tu uide, quid ipsi uos Romani de his locis sentiatis, Deinde, quot fabulis saltem aucta sunt ista loca, utcunq; ceperint. Sed de his latius in Declarationibus meis, Interim ego fateor, me usq; hodie, in hac re dubitare, Nec sum hæreticus, si negatiuam teneo, donec determinetur à Concilio.

Crypta S. Sebastiani & Laurentij in urbe. Concilium.

Quarto, Clé. de poe. & re. ca. Abusionibus manifeste dicit glosa in uerbo, mendaciter, ideo non extrahi animas per Indulgentias, quia sunt iam iudicio Dei subiectæ. Hunc interim textum decretalis (id est, Papæ) id est, factum Ecclesiæ (ut tu dicis) sequar, cui consonat Euangelium. Quodcunq; solueris super terram, non sub terra non obstante quorundam uiolenta adulanteq; glosa contraria. Nec uidi aliquam Bullam, quæ aliter habeat, nisi quod per modum suffragij, animas redimi passim dicitur, de quo supra.

Decretalis. Adulans glosa quorundam

Sed

Sed tu, qui contra me disputas tanta alacritate, ut ipsa laeticia tibi influat ueritatem, tanta fiducia quoque, ut Satanam ipsum non extimescas, eo maxime scilicet inuicto robore fretus, quod de facto Ecclesiae non licet male sentire. Vnum id responde, cum qua Ecclesia, & tu, & Thomastri tui sentitis in facto Ecclesiae, de conceptione B. Virginis ? Num cum uirtuali ? num cum repraesentatiua ? num cum essentiali ? num cum exule illa & à te proscripta, quae est Concilium generale ? Si ergo licet tibi non modo non bene, sed contra sentire in facto Ecclesiae, quia opinionem tenes nondum reprobatam, Cur ego non permittor tibi dissentire in opinione, neque determinata, neque approbata ? praesertim cum tu nihil pro te habeas, nisi nudam S. Thomae narrationem. Ego autem clarum textum Cle. & aperta uerba Euangelij, deinde Gersonem, qui multis annis posterior Thoma, dicit, opiniones esse ad utranque partem probabiles in hac re. Deinde penes me aliquot eruditos & acutos tractatus quorundam in Germania, qui etiam damnant tuam & S. Thomae sententiam.

Sic scribit Sylvester in Epi. ad Leonem X.

Conceptio B. Virginis.

Gerson.

Quinto, Quod ponis casum, Si peccator teneatur ad poenam, a sacerdote iniunctam, item à Canone iniunctam, item à Deo iniunctam, tunc sequi ex mea Propositione, talem percepta plenaria Indulgentia non euolare, aut non liberari à Purgatorio, & ita de facto Ecclesiae male sentio, & haereticum sapio.

Respondeo, Tu quoque uide, ne de facto Ecclesiae tam bene sentias, ut factum Dei pessundes, Idcirco pono tibi rursum casum: Si peccator sit plene & uere contritus, cui de facto Dei omnes poenae sunt remissae, quid confert huic remissio plenaria ? Si autem non est plene contritus, quid proficit ei remissio plenaria, cum maneat imperfecta ibi charitas iusticiae, imperfectum odium peccati ? Sed latius ista in Declarationibus. Totus enim es Thomista, nihil probans, neque allegans, De poenis tantummodo multiplicas uerba, quas contemnit Charitas, de contritione, pene nihil dicis, quae diligit poenas.

Sexto, Non credo usque hodie per claues remitti poenas a Deo inflictas, & rationes meas uidebis in Declarationibus, nec tu unquam id poteris probare, Sine probatione autem tibi nihil prorsus credo. Et ut animum meum scias, Mihi uidetur id in grauissimum Ecclesiae ludibrium uergere, si ea doceamus, de quibus nullam prorsus rationem reddere possumus, Nec satis ibi esse credo, etiam factum Ecclesiae (quanquam hic non sit factum Ecclesiae) quia tam Papa quam Concilium potest errare, ut habes Panormitanum egregie haec tractantē lib. I. de consti. ca. Significasti. Ideo Fundamenta tua, ubi distinxisti Ecclesiam in essentialem, repraesentatiuam, uirtualem. ut iacet in uerbis, nego, & pro nihilo habeo. Tua enim sunt, id est, sine Scriptura & autoritate ulla prolata.

Panormitanus.

Ego Ecclesiam uirtualiter non scio nisi in Christo, repraesentatiue non nisi in Concilio. Alioqui, si quicquid facit Ecclesia uirtualis, id est, Papa, factum Ecclesiae dicitur, obsecro, quanta monstra in Ecclesia pro benefactis numerabimus ? Nonne Iulij secundi horrendas Christiani sanguinis effusiones ? Nonne Bonifacij octaui tyrannides, in toto orbe abominabiles, & per omnes Chronicas pulsatas ? De quo extat Prouerbium: Intrauit ut uulpes, regnauit ut leo, mortuus est ut canis. Non eo nobis tandem persuadeas, ut sub nomine repraesentatiuae & uirtualis Ecclesiae, omnia illa iam diu intolerabilia portenta in Ecclesia, pro factis sanctissimis Ecclesiae colamus,

Iulius II.

Bonifacius VIII.

Ne uerum facias, quod nostri Germani de tuo Dialogo sentiunt, scilicet, te hoc Dialogo, non tam Lutherum reuellere, quam Pontifici & collegio Cardinalium adulari uoluisse. Si autem Papa est uirtualis Ecclesia, Cardinales representatiua, collectio fidelium essentialis, Quid uocabis Concilium generale Ecclesiæ? Non est uirtualis? non representatiua? non essentialis? Quid tum? fortasse accidentalis, nominalis & uerbalis Ecclesia.

Noua Thomæ intelligentia. Septimo, Nouam hanc Thomæ tui intelligentiam reijcio, qua illud uerbum Christi: Quodcunq; solueris &c. sic intelligendum proponis, ut Petrus soluere possit, etiam à Deo inflictas pœnas, Iterum quæro, Qua autoritate, qua industria hanc intelligentiam, ex istis uerbis trahes? Cur non B. Thomas tuus tecum relinquit eum sensum, quem ecclesiastici Patres, præsertim Chrysostomus ad Ebræos, tenuerunt, ut his uerbis nihil aliud Christus uoluerit, quam quod ligationem & solutionem Petri, fideles non secus habeant, ac si Christus ipse ligaret & solueret, hoc est, ratificauit ligationem & solutionem eius in terra, Quo non fit, ut aliquid Petrus soluat in cœlo uel extra terram. *Iohan. chrysostomus.*

Aut cur non astruis etiam ligare posse Petrum, & pœnas à Deo inflictas infligere, cum sit utraque potestas una & æqualis? Corrige ergo uerbum Christi, & ita doce: Quodcunq; ego ligauero in cœlis, tu solue super terram. Hanc enim tuam esse intelligentiam in uerbis Christi, euidens est. Sed quam absurda & impia eadem sit, credo uel palpare possis. Igitur facias quod facis, Ex istis uerbis Christi nunquam aliud probabis, quam quicquid Petrus non potest ligare, id nec soluere potest, quamuis quicquid ligauerit & soluerit, tanquam Deo ligante & soluente obedire teneamur, Vt salua sit unitas Ecclesiæ suæ, quam ijs uerbis constituit. *Quodcunq; ego ligauero in cœlis &c.*

Octauo, Inducis S. Thomam, quod secundum meam opinionem Ecclesia huiusmodi faciens Indulgentias, magis damnificaret homines, quam iuuaret, quia absoluendo ab iniunctis pœnitentijs, remitteret ad grauiores, id est, purgatorias. Hæc S. Thomas.

REspondeo, siue hæc S. Thomas, siue alius dicat, nihil ad me, per fundamentum meum primum, secundum & tertium. Opinio est tantum, nondum decreta ueritas, cui si interim contradixero, non ero hæreticus.

Secundo, uellem à B. Thoma doceri, qua dialectica stet ista consequentia: Ecclesia remittit solum iniunctas pœnitentias, ergo remittit ad grauiores, id est, purgatorias. Vos Thomistæ grauiter estis reprehendendi, qui sancti huius uiri opiniones, & sæpius falsas meditationes nobis pro articulis fidei audetis obtrudere. Et id unice curatis, ut sicut nihil præter Thomam dignamini uestra lectione, ita nihil uultis in eo falsum uideri, in qua sententia iam diu contra omnes Academias & totum fere mundum contenditis. *Thomistæ.*

Fundamentum Thomæ. Tertio, fundamentum Thomæ falsum iudico, scilicet, quod Deus requirat pœnas à peccatore, nec remittat, nisi requisita satisfactione. Contra, uerum est quod spiritum contribulatum & contritum non despicit. Et quod remittit, totum remittit, nisi forte flagella adhuc pro suo arbitrio inferat, quæ nec Ecclesia, nec cœlum relaxare potest. Ideo quando Ecclesia remittit iniunctas pœnitentias, non ad grauiores remittit. Quia non habet potestatem remittere ad alias pœnas, uel non remittere. Sed de his in Probationibus meis. Inique itaq; mihi imponis, quod detruncem priuilegium Ecclesiæ, & hæresim sapiat ea Propositio. Tu potius uide, an non in Deum sis impius, qui ut potestatem Ecclesiæ uana adulatione extollas, in præiudicium diuinæ potestatis extollis, id ei tribuens, quod solius Dei est. Quare mihi ignosce, quæso, si tam sollicitus sum pro Dei honore & potestate defendenda, *Psal. 51.* *Ecclesia*

quam

quam tu es pro Ecclesiæ potestate eleuanda, & expectemus uterque in hac re sententiam & determinationem Ecclesiæ seu Concilij.

Miror autem, cur hanc potestatem Ecclesiæ te appellare priuilegium delectet, nisi quod titillare uideris eos, qui magis de potestate dominante, quam de charitate seruiente gloriantur, Siquidem priuilegium non ad communitatis ministerium, sed ad proprietatis commodum pertinet. Et hanc gratiam debemus scholasticæ uestræ Theologiæ, quod commune bonum Ecclesiæ (potestatem clauium) non ministerium multorum, sed dominium feceritis paucorum, tyrannidem ethnicam, non seruitutem Christianam spectantes. *Potestas dominans. Charitas seruiens.*

Nono, Idem dico ad illud, Quod sequeretur animas magis damnificari, quam iuuari per Indulgentias plenarias, quia remitterentur ad grauiores. Obsecro te, Quid Ecclesia ad hoc facere potest, quod anima uadit ad Purgatorium? Ipsa absoluit eam à suis pœnis, non remittit ad Purgatorium, facit quod potest. Si hoc non sufficit, defectus est animæ migrantis, non Ecclesiæ absoluentis, non enim potestas Ecclesiæ, sed fides purificat, saluat, liberat animam ab omnibus malis, Quæ fides ab Ecclesia dari non potest. *Fides.*

Decimo, Illi damnificant animas, qui omittunt eis persuadere plenam fiduciam in Christo, & contemptum pænarum, Et non nisi magnitudine pœnarum terrent, & pusillanimes faciunt, quatenus uirtutem potestatis magnificent, quæ tanta mala possit tollere. Da animam imbutam charitate, & erit dura sicut infernus æmulatio eius. *Daminificantes animas.*

6. Concl. Lutheri. Contra Conclusionem meam sextam, ubi dixi, culpam non posse remitti potestate clauis, nisi declarando uel approbando &c. latissime resolui meipsum in hac materia, ut uidebis in Declarationibus, quia & ipse hanc Conclusionem aliorum sententia, non mea, sic posui. Tua autem confutatio prorsus nihil est, Dicis enim, quod attriti uirtute clauium (iuxta Sanctorum interpretationem, forte S. Thomæ) fiunt contriti. Et ideo non modo Papa, sed quisque Sacerdos dimittit dispositiue & ministerialiter. *Vt uidebis in Resolutionibus.*

Respondeo primum, siue Sancti sint, siue peccatores, qui sic loquuntur, nihil moror, hoc scio, quod errant, Error, inquam, est, quod attritus fiat contritus uirtute clauium. Quia ut ait Apostolus: Oportet accedentem credere. Fides autem non solum conterit, sed etiam iustificat, Impossibile est *Ebre. 11.* enim, quod digne accedat ad Sacramentum, nisi iam iustificatus & uere contritus. Vnde illud commentum de attritione satis late uagans, figmentum est, & nihil in rerum natura, nisi simulationem forte uolueris eam intelligere, quæ magis indignum faciat Sacramento. Quid dicam? Etiam iste tuus Dialogus confirmat sententiam meam, iam diu mecum moratam, Quod uidelicet, Theologia illa scholastica, exulem nobis fecit ueram & sinceram Theologiam, Nam uides, quod perpetuo hoc Dialogo nihil ago, nisi quod resisto & redarguo scholasticam Theologiam, id est, falsam Scripturæ & Sacramentorum intelligentiam. *Fides. Commentum de attritione. Scholastica Theologia.*

Secundo, Tu ipse cogeris dicere, quod omnes omnium Facultatum dicunt, scilicet à solo Deo remitti culpam, Quomodo ergo uirtute clauium uenit contritio, quæ sola uirtute gratiæ Dei uenire ab omnibus dicitur? Vide, ne tua confutatio magis sit hæretica, quam mea Propositio, licet confutator forte non sit hæreticus. Si autem sola gratia dat contritionem, Quid faciunt Ecclesiæ claues, si non declarant uel approbant gratiam, quæ eas iam præuenit? Imo nullus uenit ad Sacramentum sine fictione, nisi gratia eum mouente ad Sacramentum. *A solo Deo remittitur culpa.*

Aut responde, reuerende Pater, Cur ante & non post Baptismum quæritur baptizandus, an credat? Cur absoluendus quæritur an doleat digne

de peccatis, antequam absoluatur? An noua iterum Theologia, materiam sacramenti pœnitentiæ non contritum sed attritum pones? Ergo contritio non est prima pars pœnitentiæ, sed posterior confessione, Et tamen omnes dicunt, quod confessio sine contritione nulla sit. An forte, postquam fuerit absolutus, id est, Sacramentum consequutus, & uirtute clauium contritus, tum demum incipiat repetere confessionem?

Noua Theologia.

Quod si hæc Theologia uera est, meum fuerit consilium, ut quilibet peccator prius absoluatur, quam confiteri permittatur. Et ita omnia peruerso ordine (ita uult scholastica Theologia) agamus, absoluendo etiam quod nescimus. Deo gratias, imo uæ nobis miseris, qui tantam fiduciam in creaturam ponimus, & clauibus tantam uirtutem tribuimus. Sed non permittit dolor & negocium omnes errores in hoc Sacramentum inuectos per traditiones hominum, percensere, occasionem dedisse, meliora ualentibus sufficit. Igitur nunc quatuor sunt partes pœnitentiæ, scilicet Attritio, Confessio, Contritio & Satisfactio, adeo profecit Theologia, adiutorio Philosophiæ.

Errores in sacramentum pœnitentiæ inuecti per traditiones hominum.

Contra Conclusionem septimam, ubi dixi, Nulli remitti culpam nisi subiecto Sacerdoti, quam cum ueram assereres, & tamen inculpatam dimittere non uelles, eo me saltem uituperio fœdasti, quod leprosum appellasti, quia miscerem aliquas ueritates falsitatibus.

7. Con. Lutheri.

Gratias ago, quod aliquando (licet cum opprobrio) ueracem me confiteris. Sed id admiror, quid acciderit uobis Thomistis, ut tam diuersum sentiatis. Hanc enim meam Conclusionem Thomistæ & tuæ sectæ fratres in Germania miro zelo detestantur. An alium habeatis Thomam in Italia, & alium in Germania, ignoro, Nisi forte mihi suspicionem facere uultis, quod nec Thomistæ Thomam, nec Thomas Thomistas intelligat.

Thomistæ.

Ad octauam dicis, sicut ad septimam, id est, esse ueram, sed mixtam alijs falsis, ideo me leprosum & maculosum. Dico & ego, sicut ad præcedentem. Conueniat primum Thomistis inter seipsos, & tunc pugnent contra me. Quanquam miror hanc Conclusionem te non reprobare, cum tam multis persuasum sit, eam esse falsam.

8. Con. Lutheri.

Ad nonam, ubi dixi, Excipi articulum mortis & necessitatis in decretis Papæ, Recte me dixisse sentis, sed non apte seu apposite, quod illa exceptio intelligatur, non quo ad impositionem pœnitentiæ, sed quo ad reseruationem casuum.

9. Con. Lutheri.

Primo, Manhu? quid hic audio? supra me sunt quæ dicis, ideo non possum ad ea respondere. Si Papa etiam in morte reseruat impositas pœnitentias, fateor me non intelligere, quomodo alias, quam iuxta Canones imponendas asseras, Præcedente enim Conclusione admisisti, morituris pœnitentias Canonicas non imponi, Hic rursum dicis: Papam non remittere pœnitentias, nisi forte intelligas (ut inferius) pœnitentias à sacerdote, uel à Deo inflictas, non excipi articulo necessitatis. Sed de his iam supra dictum est, quod pœnas à Deo inflictas, non sit Ecclesiæ uel reseruare, uel relaxare, Et Sacerdotis impositio mere est arbitraria. Verum si ita sapis, figmenta illa communia sequeris, quod quia Sacerdos incertus est de quantitate pœnæ infligendæ, ideo morituro non potest omnia soluere, sed relinquit hoc Papæ.

Figmenta communia.

Primum, Quis credat, quod Deus à morituro requirat aliam, quam mortis, pœnam? quam solam sufficere dicunt ad plenariam remissionem omnium peccatorum & pœnarum, si uolenter fuerit suscepta, quod uerissimum est, quia: Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. *Psal. 116.*

SEcun-

Secundum, Si ignorat Sacerdos quantitatem infligendæ pœnæ, quis tam certam facit summo Pontifici? At inquis, huic dictum est: Quodcunque solueris &c. Respondeo: Nunquid non & quilibet Sacerdos eiusdem uerbi uirtute soluit? Hæc & his similia, non nisi ex opinionibus dicitis, & in Ecclesia Dei docetis, quæ probare prorsus non potestis.

10. Con. Lutheri. AD decimam, Arguis me admittere, quod in alijs damno, nempe, quod animas ad Purgatorium addico, dum solum iniunctas dico remitti pœnitentias.

Respondeo ut supra. Non remitto eas ad Purgatorium, sed iusticia uel rigor Dei, quem potestas Ecclesiæ tollere non potest, nisi oratione, non potestate clauis. Deinde suadeo, ut fortiter moriantur, quod eos tutiores faciet à Purgatorio, quam omnes omnium Indulgentiæ.

11. Con. Lutheri. VNdecimam præteris. Ad duodecimam dicis, etiam nunc ante absolutionem pœnitentias imponi, ut c. dudum.

Respondeo: Non tenes quod uolui, quæ & culpa mea est, quia non satis me expressi. Sed nec oportuit, cum Disputationem proponerem. Sensus meus est & fuit, quod olim non absoluebantur ante pœnitentiam expletam. Quod ex eo poteras intelligere, quod subiunxi, tanquam tentamenta ueræ contritionis. Nostro enim seculo, ubi solum imponitur, non autem impletur ante absolutionem, non potest explorari, an uera sit contritio, Et utinam ille uetus mos reuocaretur. *Olim non absoluebantur ante pœnitentiam expletam.*

13. Co. Lutheri. AD tertiam decimam, Concedis uerum esse, per mortem omnia solui, ubi ex Canone tantum pœna debetur. Quod si eam, quam imponit Canon, etiam diuina iusticia exigat, Purgatorium neges, necesse est.

Respondeo: Siue iusticia exigat, siue non, nihil hoc ad claues Ecclesiæ, sed ad orationes duntaxat. Sicut Iacobus dicit, quod oratio fidei Ecclesiæ saluabit infirmum, & si in peccatis fuerit, remittentur ei. *Iacob. 5*

Secundo, fieret tunc ministerium clauium aliud nihil, quam negocium perambulans in tenebris, quia solueret, nesciens quid & quantum solueret, quod mihi certe satis absurdum uidetur. Nam iudicium ferri non debet super re prorsus incognita, Claues enim rem certam & solidam operari debent. Sed iam satis supra & alibi.

Tertio, non sequitur, ideo Purgatorium à me negari. Sed solum, quod Purgatorium uirtute clauium non possit solui, ut infra.

14. & 15 Con. Lut. AD quartam decimam, & quintamdecimam, ubi disputaui, quæ mihi uideretur esse pœna Purgatorij, scilicet horror & timor, ac prope desperatio, Tres mihi falsitates imponis & temeritatem.

Respondeo ad temeritatem prius: Eiusdem criminis reus mecum es & tu, & S. Thomas, imo Thomas omnium maxime, qui per omnia ferme sua scripta aliud nihil fuit, quam disputat, & quod grande est, etiam ea quæ fidei sunt, in quæstiones uocat, & fidem uertit in Vtrum? ut nosti. Cur ergo, mihi, quæso, non permittis disputare de ijs rebus, quæ sunt dubiosissimæ, & non determinatæ? Nunquid ego Ecclesia sum, imo plus quam Ecclesia, ut meæ disputationes pro definitionibus accipiantur? Sed consuetudo ista est thomistica, qua omnia asserere soletis, etiam quæ disputatiue proponitis, aut in Thoma legitis. Ideo & me assertorem credis, non disputatorem. Verum ut uidebis in Declarationibus, si in ulla mearum Propositionum parte disputo, hac parte maxime disputo, & ita disputo, ut meam sententiam firmius probare mihi uidear, quam tua opinio sit probata, non tamen definio, sed *Thomas fidem uertit in Vtrum.* *Thomistica consuetudo.*

Thomistis hæreticus est, non sentiens cum Thoma.

Iudicium Ecclesię expecto. Ideo ignosco tibi, quod me hæreticum uocas, sciens hunc esse morem Thomistarum, ut hæreticus esse, uelit, nolit, cogatur, duntaxat apud Thomistas, qui opiniones Thomę non fuerit secutus. Nunc reliqua.

PRIma, inquis, falsitas est, quod aperte innuo, eos qui in Purgatorio sunt, nescire, sese saluandos esse, ut & 19. Propositione dixi. Tu uero cum D. Thoma, cuius doctrina per regulam fidei Ecclesiam Romanam, & discussam & probatam dicis, ponis, quod sciunt se liberandos, alioqui suffragia non expeterent.

Respondeo: Rem ipsam omitto, quia disputo, & infra 19. Conclusione non omnes esse certas dixi, licet aliquæ forte cognoscant, de quibus late in Declarationibus, si peruenerunt, aut peruenient in manus tuas. Nam id credo me probare & probasse, quod non omnes sciant se esse saluandas, ut testantur Exempla multa de animabus euntibus ad iudicium &c.

Nihil præter Thomam allegat Siluester.

Probationes tuas tantum uideamus. Primo autoritatem B. Thomæ inducis, cuius sententiam, Sanctorum uocas numero plurali, forte reuerentię causa. Et ut huic credam, dicis à Romana Ecclesia, Regula fidei probatum. Miror, quod inter tot Ecclesiæ Doctores, non aliquando alium quoque, aut textum Scripturæ inducas, ideo per Fundamentum secundum, iterum tam te, quam Thomam, reijcio, Quia & Augustinus receptus est ab Ecclesia magis quam S. Thomas. Paulus autem maxime, qui Fundamentum meum primum est.

Ecclesia Romana fidei Regula, autore Siluestro.

Ecclesia Romana discipula fidei.

Secundo miror, Quid uelis, quod Ecclesiam Romanam fidei Regulam uocas. Ego credidi semper, quod fides esset regula Romanæ Ecclesiæ, & omnium Ecclesiarum, Vt Apostolus Gala. 6. Et quicunque hanc Regulam sequuti fuerint, pax super eos &c. Rogo eousque digneris adulari Romanæ Ecclesię, ut eam permittas Discipulam esse fidei, quæ reguletur fide, non reguletur fidem. *Gala. 6.*

Ecclesia in terris à Christo seruatur.

Barathra pessimorum morum Romæ.

Sed forte hæc uerbi est controuersia, Quia regulam fidei improprie loquutus, uocas, quod ad eam fidem, quam Romana Ecclesia profitetur, omnium fides debet conformari, Et placet mirifice. Nam & ego gratias ago Christo, quod hanc unam Ecclesiam in terris ita seruat, ingenti, & quod solum possit probare fidem nostram esse ueram, miraculo, ut nunquam à uera fide, ullo suo decreto recesserit, nec tot barathris pessimorũ morũ, Diabolus tantũ efficere potuit, ut penes hanc non maneret ab origine sua canonicorũ Bibliæ librorum, & ecclesiasticorum Patrum & Interpretum autoritas, & autoritatis sincera professio, licet multi forte sunt nimis, qui priuatim his libris prorsus nullam habeant fidem, nec eos curent, aut legere aut intelligere.

Tertio, Illam Consequentiam tu ipse, quæso, perpende. Animæ expetunt suffragia, ergo sciunt se esse saluandas. Fuisti ne tu ipse aliquando in periculo, uel mortis uel alterius necessitatis, in quo nesciebas, an tibi esset pereundum uel emergendum? Si fuisti, recordare quæso, quam anxie quæsieris auxilium & consilium eo maxime, quo ignarus fuisti auxlij & consilij. Et (ut ille ait) Vna salus tibi fuit, nullam sperare salutem, Si non fuisti, obsecro, uelis credere his, qui fuerunt. Vbi est ergo Argumentum tuum, Petunt suffragia, ergo sciunt se saluandas. Quid si contrarium uerius sit, petunt suffragium, ergo ignorant se saluandas?

Sic, inquam, potest fieri, ut à facie æternæ iræ horrentes timeant perire, & in lacũ ire sempiternũ, & ne intrent orare, & suffragium quęrere. Hoc Ecclesia uidetur sentire, quando pro eis orat: Ne absorbeat eas tartarus. Item, Libera eas de ore Leonis. Ecce in ore leonis, iam iam deglutientis, & in absorptione tartari eas esse Ecclesia protestatur. Sed latius, ubi dixi.

SEcun-

SEcunda, inquis, falsitas est, Quod qui purgantur, timeant, præterquam filialiter, quia timor de futuro malo &c.

Respondeo: Tuo te gladio peto. Temeritas est in his, quæ nos ratio naturalis non docet, uelle aliquid definire nostra autoritate. Elue hanc temeritatem tuam, qui sine autoritate tanta fiducia pronuntias, non esse in Purgatorio, nisi filialem timorem, Thomam enim non audio. *Temeritas Siluestri.*

SEcundo, Video te eo errore laborare, quasi possit esse filialis timor in uia tam purus, ut nullus cum eo mixtus sit timor seruilis pœnarum, quod iuxta Scripturam & ecclesiasticos Patres non est possibile, cum nulla uirtus perficiatur, nisi in Patria. Et hæc meæ Positionis causa est, quia animæ sunt imperfectæ charitatis, habentes mixtum timorem pœnarum, id est, seruilem. Aut doce me, quomodo, de pœna doleant, si non timent eam, si non dissentiunt ab ea, nisi definitio doloris B. Augustini alia est in Purgatorio, alia super terram, qua dicit, Dolor est dissensio animi ab ijs rebus, quæ nolentibus nobis accidunt, dolent ergo? Sed hoc fit, quia nolunt, Si nolunt, seruiliter timent pœnam. Tu cape, ego nec fingere possum, quod quis doleat de pœna, quam non timeat aut horreat. *Definitio doloris Autore Augustino.*

Tertio, Id uero quam acute dixisti, quia timor sit de futuro malo, Animæ autem sunt in præsentibus malis, Si cogitare posses, uel gustasses uitæ futuræ unam guttulam, non ista diceres, Omnia sunt illic præterita, omnia præsentia, omnia futura. Breuiter, quia hæc sunt ignota tibi, hoc est quod dico, quia pœna Purgatorij est timor futuri mali, id est, horror damnationis, Sicut supra exemplum dedi, de his, qui in periculo sunt constituti. *Futura uita.* *Pœna Purgatorij.*

Quarto, Quod si solus iste horror satis esset pœnarum, impius esset Deus, quia alias pœnas adderet.

Obsecro, Creatorem tuum modestius nominare uelis misera Creatura, Nunquid ideo Deus impius esset, quia non secundum caput tuum opinionibus Thomisticis differtum ageret?

Deinde, Nec me intelligis, Non dixi hanc pœnam esse sufficientem, id est, omnem quam patiuntur animæ, nec de alijs pœnis disputaui. Sed hanc solam aio tantam esse, tam uehementem, ut sola possit uice Purgatorij esse, cum in ea sit omnis pœna, imo aliæ pœnæ seorsum nihil sunt ad istam, ut dixi in Declarationibus.

16. Conc. Lutheri. AD 16. Conclusionem, Vbi Purgatorium dixi uideri prope desperationem, Tu contra certam spem salutis in Purgatorium ponis, & hoc non, nisi nuda Thomæ autoritate, quod remitto ad Fundamentum meum secundum.

Secundo, uehementer dubito, An scias, quid sit certa spes, cum tua ipsius sententia sit, quod homo nescit, an amore dignus sit. *Certa spes.* *Eccle. 9.*

Tertio; Hanc Conclusionem ex supradictis apertam relinquo, Quod morituris & periculo pressis, licet nondum sit desperata, prope tamen, ac uelut similis est desperatæ, salus, Omnis enim timor, pars quædam est desperationis.

17. Cont. Lutheri. AD 17. Vbi ex consequenti animabus augeri necessario charitatem dixi, Tu pulcherrimo Aristotele mihi occurris, Quod uno inconuenienti dato, plura mihi contingerent, scilicet non minus absurdum esse, quod timorem seruilem in animabus posui, quam charitatis augmentum. Deinde tu, quam optimas tuas conuenientias prosecutus cum B. Thoma, contrariam asseris, nihil allegans aliud, pro more tuo, nisi noua uocabula. scilicet, quod animæ secundum Thomam, sunt uiatores secundum quid, non simpliciter. Quis dixit tibi & Thomæ, esse eas uiatores secundum quid, non simpliciter? An Aristoteles in Elenchis suis? Quis temeritatem, ut *Animæ uiatores sunt secundum quid, autore Tho.*

 tem, ut

tem, ut tu uocas, tibi permisit, scrutandi eius, ad quod nulla suppetit nobis ratio, naturalis præsertim, cum non disputes, sed definias? An illa tua fortissima Ratio, qua dicis, Alioqui bonum esset eis, diu esse in Purgatorio, ut perfectiores & consummatiores euaderent?

Argumentum Siluestri ridiculum. Hoc argumentum credo non posse fieri, nisi à Thomista, tantum habet acuminis. Nam ex eo etiam sequeretur, Bonum esse, ut nullus Sanctorum moreretur, Et ut Martyres usq; in diem iudicij, carceres & ungulas sustinerent. Quia si charitas potest augeri in statu, in quo sunt, bonum est ut diu in illo maneant, hoc est, semper moriantur pro Christo, quo perfectiores euadant. Hæc tu, ut dicis, non sequens uocum nouitates, sed uestigia Sanctorum.

Decimam octauam, Vbi uidebas me petere autoritatem Scripturæ uel Rationis, omittis, nisi quod autoritate Sanctorum pluraliter, id est, S. Thomæ, dicis fieri argumentum probabile. Concedo esse argumentum probabile, id est, dubium & dialecticum, cui non sit necessarium accedere fide. Et hac tua professione obstrictum te uolo, ut quoties mihi D. Thomam adducis, sine Scriptura, sine Patribus, sine Ecclesia, sine Ratione loquentem, memor sis, te dialecticum, non Theologum agere, id est, probabilia tantummodo tradere, non credibilia. 18. Con. Lutheri. *Argumentum probabile.*

Quid ergo? Hoc pacto iam omnino conuenimus in unum, & finis est disputandi, Quia hoc, quod affirmas tu, ego nego, uis ergo ut sistamus? nam deinceps, præter D. Thomam nihil ponis, nisi quod aliquando me conuitijs insectaris, ubiq; autem inuidiosum Pontifici me facere studes, Sed transiliam breuiter.

Decimam nonam præteriens, dicis idem quod supra ad decimam quartam, & decimam quintam dixisti, quo & ego te remitto. 19. Conc. Lutheri.

Contra uicesimam dicis, Summum Pontificem posse remittere pœnam tam impositam, quam non impositam, ut edocet D. Thomas, Oppositum autem dicere, est hæreticum, & contra Priuilegium datum Petro. 20. Conc. Lutheri.

Respondeo: Nego, & ratio negandi dicta supra Conclusione quinta. Hæreticus autem ero, si postquam Ecclesia determinauerit, non tenuero.

Ad uicesimam primam, Me conuicio pungis, ideo transeo. 21. Conc. Lutheri.

Ad uicesimam secundam, ea dicis, quæ supra Conclusione quinta sunt confutata. Nego esse factum & doctrinam Ecclesiæ, relaxari pœnas Purgatorij per uiam Indulgentiæ. Quanquam admiror, quod hanc Propositionem non approbaueris, qui superius docuisti & admisisti, animas in Purgatorio non soluere canonicas pœnas, ut dicit mea hæc Propositio. 22. Conc. Lutheri.

Ad uicesimam tertiam, Longo uerborum tractu repetis id, quod supra tractatum est Propositione sexta, de attritione & contritione, quod ibi dixi, hic dictum puta. Non est enim fundamentum theologicum, ex attrito fieri contritum uirtute clauium, sed erroneum. Deinde attritio seu dolor ille imperfectus non est idem, quod uelle habere dolorem & gratiam Dei, Sed uel est simulatio fallax, uel est initium gratiæ uerissimum, Sicut B. Augustin. ait: Desiderium gratiæ est initium gratiæ. Et alibi: Velle esse iustum, est magna pars iusticiæ. Imo Apostoli in eo gradu permanserunt. Roma. 7. Velle mihi adiecet, perficere non inuenio. Non ergo attritionis, nec liberi arbitrij, sed gratiæ, est tale desiderium, ante omnem uirtutem clauium. 23. Conc. Lutheri. *Attritio, dolor imperfectus.* *Desiderium gratiæ.* Roma. 7.

Secun-

Secundo, Facillime admitto, quod dicis, Indulgentias conferri posse etiam imperfectissimis, nec hoc negat mea Propositio, Imo ego credo, quod remissio pœnæ sacerdotalis potest conferri indignis & non contritis. Sensus autem meus est, quod nulla omnium omnino pœnarum, tam à Deo impositarum, quam ab homine, nisi perfectissimis potest dari, imo nullis in hac uita, manet enim pœna mortis, dolor cordis &c. Et nullum est dubium in hac Propositione, experientia teste, & omnium sententia.

24. Conc. Lutheri. AD uicesimam quartam, Negas falli populum, si modo attriti confiteantur &c. quod, ut supra de attritione dictum est, reijcio.

Primo, Quod addis, Alia bona opera non esse relinquenda propter uenias, cum nullus pro certo sciat, se uenias assequutum. Item, quia etsi illi ueniam non consequuntur, pium tamē opus faciunt, quod eos in salutē disponit.

Respondeo: O miserum patrocinium ueniarum, obsecro, si incertum est, 1. Cor. 9. consequi nos uenias, quid facimus? quid doces? Apostolus prohibet, ne in incertum curramus.

Hæc tua apud me uerissima sunt, imo apud omnes. Hinc est, quod ego tota fiducia suadeo hominibus, ut relictis uenijs, inuicem benefaciant, Quia hic sunt certi, sese gratiam Dei consequi, illic uero incerti, an gratiam hominis consequantur. Hic tandem dicis & sentis ad omnia uota mea, imo plus quam uolui. Ego qui hæreticus, perfidus, erroneus accusor, nunquam tam uiliter de Indulgentijs loquutus sum, nec loqui uolo. Quid est, quæso, donum incertum, nisi nullum donum? Quare ergo tot pompis irritatur uulgus, ad incertum suum bonum, quod ad certissimum bonum sine pompa potuit induci? Hoc modo peius fallitur, non maior pars populi, sed totus populus, Quid si ego ista dixissem. Consilium Lutheri. Donum incertum.

Secundo, Vbi nunc est potestas Papæ, Vbi uirtus clauium, si non nisi incertum operantur? Iam Christus nihil dedisse uidetur Ecclesiæ, qui nihil certum ei dedit, Eò scilicet peruenit res Ecclesiæ studio scholasticæ Theologiæ, ut quæ donata sint nobis, nesciamus, Et id profitemur nos nescire, 1. Cor. 3. contra Apostolum, 1. Corin. 3. Sed uide meas Declarationes. Credo me id effecisse, ut intelligi possit, quid claues, & quid non operentur, idq; non incerte, sed certe. Scholastica Theologia.

Tertio, Altera lacinia frigidi huius patrocinij tui miserarum ueniarum est hæc, Quod etsi illi uenias non consequantur, tamen pium opus faciunt &c. Volo premere, quæ hic cogito, tu quæso, uide quid dicas, & quid inde sequatur. Hoc dico interim, non potest populus ad pium opus induci, nisi spe incerta ueniarum? Dic hoc populo, & uide, si unum obulum pro tali ueritate consequaris. Quis enim pro incerto, certum laboret? Ideo necesse est Præconibus ueniarum, hanc ueritatem non docere. Et tamen non fallitur maior pars populi. Ad has impias fabulas peruenimus, dum docemus populos non in certissimam & nudissimam misericordiam Dei, sed in proprias iusticias incertissimas, imo nullas confidere. Indulgentiariorum impiæ fabulæ.

Quarto, Sic ueniæ essent pro mortuis solidiores quam pro uiuis, quia tua sententia prosunt defunctis certissime, uiuis autem incerte, & tamen pro uiuis sunt principaliter & directe institutæ. Quod si directe non sunt nisi incertæ, quomodo, quæso, certæ fiunt, quando sunt indirectæ? Fateor hæc etiam in Glo. li. 5. c. Quod autem, posita, primo me mouerunt, ut de Indulgentijs dubitarem, Et quomodo non dubitarem, cum dubitare iubear, à tantis ueniarum tutoribus, doctoribus, præconibus?

Quinto, Vide, ne populus pium opus pro uenijs facere doctus, non faciat eo ipso, nisi malum opus, scilicet, si opus huiusmodi alias non faceret, nisi uenias speraret. Hic patet, quod non Deum pro fine, sed creaturā, scilicet remissio-

remissionem pœnæ in opere suo habet, Nisi uerum sit, quod aliqui dicunt, Indulgentias esse pias fraudes, quod populus bonum opus facit propter Deum, & spe placendi Deo, prouocatus ad hoc per uenias.

Indulgentiæ piæ fraudes sunt.

AD uicesimam quintam, Ea quæ dicis, nihil curo, non enim sunt ad propositum, Tu intelligis Propositionem meam loqui de potestate iurisdictionis, quam tamen negaui superius & inferius in Purgatorium ualere. Ego loquor de potestate operandi, & quidem non fuit mens mea, ut sic fallerentur legentes, sed tunc, sicut occurrebat, ita ponebam. Potestas itaque hæc est, quia Papa generali intercessione orat pro defunctis cum tota Ecclesia, Episcopus speciali, ut in diebus communibus, Curatus, in singulis ferijs, Ergo est potestas orandi & intercedendi, de quo alias. *25. Conc. Lutheri.*

Papa. Episcopus. Curatus.

AD uicesimam sextam, Dicis Ecclesiam habere potestatem in Purgatorium, secundum Sanctos (id est, S. Thomam) & hoc per applicationem meritorum Christi. *26. Conc. Lutheri.*

Respondeo ut supra, S. Thomam nego.

AD uicesimam septimam, Ardens in defensionem tuorum, dicis, Non hominem, sed meram ueritatem & catholicam prædicari ab his, qui animam eo instanti, quo plene factum est illud, gratia cuius plena uenia datur, puta, quando deiectus est aureus in peluim, euolare. *27. Conc. Lutheri.*

Respondeo: O suauissimam glosam, Quis hæc ignorat, quod anima, quando satisfactum est pro ea, in instanti euolet? Nunquid hoc impugnaui? quis ista non credit? Sed & hanc glosam tuam dederunt postea tui quoque fratres Germaniæ.

Fratres Prædicatores.

Secundo, Huc attende, & hic responde, ubi urgeris & nodus hæret, An sit hominem prædicari uel Deum, dicere, quod anima per Indulgentias euolat, Hoc tu iam iterum, facto & doctrina Ecclesiæ, id est, opinione tua & S. Thomæ, probas. & non aliter. Quanquam tu non tam uiliter pendis animas, quam hi nostri, Siquidem tu aureum in peluim, nostri duodecim quatrinos satis esse dicunt.

Tertio, Quod si etiam uerum esset, per Indulgentias redimi animas, Qua Dialectica didicisti, eodem momento satisfactũ pro anima, quo factũ est id, gratia cuius donatur uenia? Ita diuinatis de his rebus abstrusissimis, ac si præsentes omnia uideretis. Nonne posset fieri, ut dum ille numum iactat, interim Angelus, sicut Tobiæ fecit, offerat Deo memoriam huius facti, & deinde animam uisitet, & aliqua mora intercedente redimat Aut, aliud fieri, quod nos ignoramus.

Similitudo Siluestri.

Quarto, Aptissimam adducis similitudinem, Quod talis Prædicator sit similis coquo, qui substantiales cibos, accidentalibus saporibus exacuit. Imo, hoc dolemus, quod comestores illi, nimis accidentalibus & alienis uerbis adulterant uerbum Dei. Denique iube, ut Prædicatores illi hoc modo sua uerba intelligenda doceant, & uidebis eos omni populo sibilum & fabulam fieri, nullus enim ita intellexit, Quare satis uideo, quantum solicitauerint apud te, ut hanc eorum conscientiam utcunque excusares & leuares, sed frustra.

Concionatores Indulgentiarij

AD uicesimam octauam, Me detractorem uocas, & eum, qui posuit in cœlum os suum, quia Deus, inquis, concessit Papę dare de suffragio pro uoluntate sua. *28. Conc. Lutheri.*

Respondeo: Nolo tecum conuitijs agere, mi Pater, Scio quod omnia facilius sustinemus, quam ueritatem, Tuis uerbis non potest offendi auaricia, quia non tangis eam, sed tingis & pingis. Nam quod Papa possit dare suffragium, non nego, Sed quod suffragium faciat animam euolare, hoc interim nego, donec tu aliud probaueris.

Veritas odium parit. Suffragium non facit animam euolare.

29. Con. Lutheri. AD uicesimam nonam, Primum somnia mea uocas. Deinde ex S. Thoma de pœna uoluntaria longum trahis sermonem, Et in fine dicis, Contrarium si quis asserat, stultus & ridiculus sit.

Respondeo: Sum optime contentus, ut tu sapias & rideas, usquequo uoles, Sim ego stultus & ridiculus.

Secundo, Ego quæstionem duntaxat posui, Tu, sicut egregius Thomista, (pro more uestro) nec nutum uestris opinionibus contrarium ferre potes, nihil tamen prorsus probas. *Syluester Thomista.*

Tertio, ista distinctio B. Thomæ est falsissima, meo iudicio, scilicet, quod aliqua pœna est, per quam bonum acquirimus, ut quæ est in hac uita. Alia autem, per quam nullum bonum nobis accrescit, sicut est mors naturalis & pœna Purgatorij, quia licet sine ea (ut ais) non peruenitur ad bonum, tamen bonum non per eam accrescit. *Distinctio Thomæ falsissima.*

Respondeo: Ita loqueris sine iudicio, ac si necesse sit uerbum B. Thomæ oraculum haberi. Cur ergo Apostolus errat, quando dicit: Omnia cooperantur in bonum Sanctis? Sed forte, ut estis prompti ad distinctiones (id est, Scripturæ discerptiones) dices, quod omnia cooperantur, scilicet huius uitæ, sic enim soletis elabi. Contra, Rom. 14. Qui moritur, Domino moritur. Et Psal. 116. Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Doleo ego sanctum uirum eo prolapsum, ut neget per mortem, bonum accrescere, cum sancti Martyres martyrio & morte summum præmium & aureolam obtinuerint. Igitur, siue hæc dicat angelicus, siue humanus Doctor, insulsissimum errorem dici, cum fiducia proclamo. *Roma. 8. Roma. 14 Psal. 116. Verba Thomæ sunt oracula. Distinctiones scholasticorum Theologorum, Scripturæ discerptiones sunt.*

Quarto, Eodem sensu, probabiliter nihil asserendo, dixi, Animas quoque uoluntaria passione pœnarum Purgatorij perfici in charitate, Quia necesse est, ut ament & eligant pœnas, quas sentiunt Deum eis infligere, Hæc enim uoluntas Dei est, quam super omnia diligunt, aut certe diligere laborant. *Animæ in Purgatorio perficiuntur in charitate.*

30. Conc. Lutheri. AD tricesimam, Repetis eandem tuam cantilenam, Quod animæ certæ sunt de gratia Dei & salute &c. Quibus supra respondi.

31. Conc. Lutheri. AD tricesimam primam, Dicis me superfluum dicere, eo quod supra posuerim perfectissimas consequi uenias, Hic autem uere pœnitentes, qui tamen minus rari sunt.

Respondeo: Recte fecisses si meas Propositiones intactas reliquisses. Tu incedis ad Aquilonem, & illæ ad Austrum, adeo conuenit tibi cum intelligentia earum. Tu audes egregie, mi Pater, perfectissimos discernere à uere pœnitentibus, deinde, quod absurdius est, pœnitentes & attritos facis eosdem, nisi obicem ponant.

Ista figmenta obicis & attritionis, supra quoque reieci, & nunc reijcio. Humana sunt commenta, nuper inuenta, sine autoritate ulla & ratione. Nemine pœnitet uitæ suæ, nisi gratia fidei præuentū, ut tenet una sententia totius Ecclesiæ. Quid mihi ergo de fictitia illa pœnitentia, quam tu attritionem fingis? nec est ullus tam perfectus in hac uita, qui non egeat pœnitentia, ut supra dixi, Tu autem pœnitentiam extra Ecclesiam uideris ponere, inter attritos duntaxat, quod est euidens error. *Hominum figmenta de obice &c. Attritio fictitia pœnitentia.*

32. Con. Lutheri. AD tricesimam secundam, Vbi ego docui, ne ullus fideret in literas ueniarum, quippe cum dicat Scriptura: Maledictus qui confidit in homine, Tu acutissime uolens unum malum uincere, gemino te perdis, Primum fatuos eos asseris, qui sine operibus bonis tutos se putant.

Quid

Quid ergo supra dixisti, quod attritus consequens Sacramentum & Indulgentias euolaret, si moreretur? cum talis omnino sit sine bonis operibus? Deinde uideris admittere, quod cum bonis operibus possint esse tuti, hoc secundum te Christianum est, secundum Augustinum & Paulum Pelagianum est, Cum talia opera reuera nulla sint, quibus tuti esse possumus, sed nuda misericordia salui erimus, Vt Apostolus Tit. 3. Non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos. Sed secundũ misericordiam suam saluos nos fecit. Ita & alibi: sola fidei iusticia gloriatur. Tit. 3.

Nuda misericordia Dei saluamur.

Secundum, Qui uero ex spirituali commodo eiusmodi literarum concipiunt spem melius uiuendi & moriendi &c. recte sentiunt, Et sic docentes recte docent.

Respondeo: Remissio pœnarum tantum confertur per literas & Indulgentias, dignum ne ergo iudicas hanc, spirituale commodum uocare? Quid anima inde boni consequitur? Nihil prorsus, & tamen est spirituale commodum. Ita luditis uerborum & nominum licentia, donec omnia confuderitis.

Theologi scholastici ludunt.

Secundo, Quomodo spes melius uiuendi nascitur ex remissione pœnarum? id est, uita ex morte? Mortua res est pœnarum remissio, & ita mortua, ut etiam tuis Magistris testibus, melius sit satisfacere per se, quam satisfactionem remitti per Indulgentias. Sed quid ego cum tuis nudis uerbis pugno, Spes uitæ melioris ex Deo per gratiam eius uenit, Gratia autem non in remissionibus, sed in inflictionibus pœnarum potissimum operatur, ut ad Corinthios: Virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12.

Remissio pœnarum.
Spes uitæ melioris.

AD tricesimam tertiam, Vbi nihil habuisti quod diceres, id uoluisti conari, ut me Pontifici odiosissimum faceres, cuius me detractorem iniustum, falsum, erroneumque deblateras, Euidens signum est destituti à ueritate furor & indignatio. 33. Con. Lutheri

Respondeo tibi semel pro omnibus: Summi Pontificis potestatem honoro, sicut decet, Vestras autem, uel opiniones, uel adulationes contemno. Ideo huius Conclusionis meæ (hanc enim non disputo) contrarium, libera fronte hæresim pronuncio. Non est in manu hominis reconciliari hominem Deo, nec Papa potest gratiam Dei iustificantem donare, ut tota sentit Ecclesia, cuius contrarium, nullus fuit tam fœdus hæreticus, qui doceret.

Secundo, Vt tuis Præconibus utcunque succurras, iterum fingis distinctionem, pro Thomistarum laudabili more, dicens: Qui uero dicunt (ut refers) uere dicunt, modo reconciliatio illa intelligatur improprie, per amotionem reatus, qui animam à Dei contemplatione clare secludebat.

Respondeo, Miror quod non eadem opera, reconciliationem illam intelligi doces, Alphabetum græcum uel ebræum, aut aliquid aliud, quod non significatur literis & syllabis istis. Si ista licentia improprie loquendi permittitur, quid me impugnas? Cur non aliquo sensu improprio, me uera dixisse fingis? Cur non omniũ hæresium insanias uno sinu suscipimus, cum possint eorum uerba uera fieri, si improprie accipiantur? Vbi manet Regula illa, quod doctori Ecclesiæ omnis improprietas (quantum fieri potest) uitanda est? Et illud Sapientis: Qui loquitur sophistice, odibilis est? Rogo, dent mihi tui Impropriistæ tecum ueniam, si uerba uestra non intelligimus, ego & populus. Credimus enim uos uti uerbis pro intellectu, non pro illusione nostra. Nisi iterum rediit, quod B. Hieronymus in Iohanne Hierosolymitano arguit, scilicet, Quod aliud loquuntur sacerdotes, aliud audiunt populi. Vos autem dedita opera, ad improprietatem uertatis uerba, & hoc etiam ita defenditis, ut gloriam uelitis meruisse.

Improprietas omnis uitanda Doctori Ecclesiæ.

AD

34. Conc. Lutheri. AD tricesimam quartam, dicis, quod sit hæretica, quia negat, quod Papa possit omnem pœnam abolere.

Respondeo & ego per distinctionem: Hæresis accipitur uno modo, prout est contra opiniones nudas Thomistarum, & sic est hæretica. Alio modo, prout est contra doctrinam fidei & Ecclesiæ, & sic est catholica.

Secundo, Spero quod mihi, etiam non rogatus concedes, Per Indulgentias non aboleri mortem, & mortis tot pericula, & infinitas passiones huius uitæ. Istis autem manentibus, obsecro, quid magni remittunt ueniæ, quando relicta mortis pœna satisfactiunculas temporales remittunt? Sed ex musca Elephantem facere placuit, utinam non amore Amorrei.

35. Conc. Lutheri. AD tricesimamquintam dicis: Nullum esse declamatorem reor, qui tam stulte docuerit.

Respondeo: Ego non reor, sed scio. Extant enim libelli Positionum, quibus id non solum docent, sed ita defendunt, ut contrarium asserant errorem. Idcirco iterum rogo Dominum, ut Thomam Italicum & Germanicum sibi discordem, primo concordet, ut sciam, utri pugnem uel cedam. *Thomas sibi discors.*

Sed iterum ad solitum refugium uenis, id est, ad improprietatem forte dicens: Si qui tamen docerent, quod non contriti, non uane Indulgentias consequuntur (quia proderunt contritione, ex post facto accedente) non male docent apud complures peritos.

Ergo id Christianum est prædicare? Cur ergo Scriptura nos hortatur, ut quantocyus conuertamus & conuertamur, Et nullam dat fiduciam futuræ pœnitentiæ, interim secure dilatæ? Sed omni hora uigilandum docet, siue ualeant Indulgentiæ in futurum, siue non, nihil curo. Id curo, quod pro re leuissima, id est, uenijs, rem illam grauissimam, & solam necessariam, id est, contritionem, tam uiliter æstimamus, tam frigide curamus, ut non ad nos pertinere uideatur, quo tempore peccator eam obtineat, modo præsentes uenias redimat, quas cum sine periculo non solum differre, sed etiam nunquam redimere liceat, sedulo tamen agimus, ne differat. Si id amore pecuniæ non fit, Cur non tam sedulo agimus ne contritionem differat? Proprietas hic ne obstat? omnia tam acute pro ueniarum gloria excogitantur, Et impius sum, qui pro gratia Dei, uel stupide disputo. *Contritio uilescit.*

36. Con. Lutheri. AD tricesimam sextam dicis, Quod sit hæretica, deinde pœnitentiales Canones euacuet, euertat, & tertiam partem pœnitentiæ satisfactionem, & omnia iura loquentia de Pœnitentia, & Purgatorium. Adde, quæso, & cœlum & terram, ut omnia comprehendas.

Respondeo: Spero, dabis mihi uerum esse, quod per totam Ecclesiam dicitur, scilicet posse contritionem hominis tantam esse, ut deleret omnem culpam & pœnam. Secundo dabis, quod uoluntarie morientes omnia soluunt, & satisfaciunt plenissime. His credo sine indulgentijs & literis adesse remissionem plenariam, & tamen me in hoc non esse hæreticum, nisi apud Thomistas forte. *Voluntarie morientes.*

Secundo, Debitum ideo dixi etiam his, qui tam perfecti non sunt, quia Papa minister est Ecclesiæ, quicquid potest facere fidelibus in salutem, debet sub necessitate salutis, etiam gratis. Quod si non fecerit, Deus supplebit: spero per misericordiam suam, quod homo neglexit per incuriam suam. *Papa minister Ecclesiæ.*

37 Conc. Lutheri. AD tricesimamseptimam. Postquam dimissa disputatione, quam de participatione bonorum Ecclesiæ cœperas. Dicis tandem hæreticum me esse, si dicerem sufficere impleri iniunctam pœnitentam à Sacerdote sine impletione eius, quę à Deo imponitur, & sic euolare peccatorem non satisfacto prius Deo.

Thomistæ. Sicut dixi, Vester iste mos est, si mos uocari posset, tanta cholera æstuare, ut altera pene syllaba hæreticum dicatis, Nil nisi hæreticum, hæreticum, hæreticum Thomistæ loqui didicerunt, & tamen nihil prorsus efficitis, nisi quod contra uestras frigidissimas & nudissimas opiniones dictum aliquid esse probatis. *Nudissimæ Thomistarum opiniones.* Ideo mihi de uobis Isaias uidetur dicere: Concipietis ardorem, & parietis stipulam. *Isa. 59.* Et illud Gentilis: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Primum, Ex prædictis uidisti, quod de pœna, quam Deus infligit, omnibus partibus à te diuersus sum, alijs nixus principijs, Ideo totum, quod contra me machinaris, frustra machinaris. Nego principia tua, & te totum à planta pedis usque ad uerticem, sicut habes Fundamenta mea superius posita.

Secundum, Nolo ego docere uel doceri in Ecclesia, quod requisitus, non possim defendere, nisi dicendo,: S. Thomas sic dixit: Christianus sum, non Pythagoricus. *Christianus sum, non Pythagoricus.*

AD tricesimamoctauam, Vtrobique damnabiliter me errare dicis, siue de culpa, siue de pœna intelligam, Quia Papa non declaratiue, sed ministerialiter & dispositiue culpam & pœnam relaxat. *38. Con. Lutheri.*

Respondeo: Hæc supra confutata satis sunt, quia ante ministerium Papæ, & ante eius dispositionem, oportet remissam esse culpam, nihil enim ualet tua fictitia attritio. *Attritio fictitia.*

Secundo, Quo ad pœnam à Deo inflictam, Papa nec dispositiue, nec ministerialiter se habet, ut remittatur, hoc enim pertinet ad forum Dei, in quo Papa, præter intercessionem, nihil iuris habet, Vt satis dictum est, nec contrarium est determinatum ab Ecclesia. *In foro Dei, Papa, præter intercessionem, nihil iuris habet.*

AD tricesimam nonam, Tandem plenus fiducia, primo peruersum Doctorem, Deinde detractorem uenialium (ne dicam) uenalium prædicatorum & Pontificis, proclamas. Deinde negas bonarum disciplinarum præceptis institutum. *39. Con. Lutheri.*

Oportet me tandem animum meum & Lectoris mei instituere, ut sciamus cum Thomastris neminem posse loqui, nisi paratum, altero uerbo conuicium, crimen, blasphemiam, audire, Diligitis enim opinionis uestræ sensum plus, quam onager suum fœtum. Audiamus ergo istam magnificam tuæ disputationis Bullam.

Duo, inquis, præcepta tenes falsa, quæ uenias euertunt. Vnum, quod uera contritio aboleat omnem pœnam. Alterum, quod uera contritio pœnas præeligat semper. Primum impugnas, & id non nisi bene institutorum Theologorum paradigmate, scilicet, ubi offendens hominem, restituitur in amicitiam, non sine emenda, Ita Deus lege communi, abolita culpa, uult peccatorum emendam præstari &c.

Primum, si esses bene institutus Theologus, ut gloriaris, scires iudicium diuinum & humanum, dissimillima & contraria esse, Et Deum, si remittit, totum remittere, quod homo, quia non est tam bonus quam Deus, non facit. *Iudicium diuinum, humanum.* Denique sic Christus docuit, Vt filij essemus Patris, non reddentes, nec requirentes malum pro malo, sed benefacientes malis. Si filios oportet esse tales, quanto magis ipse Pater talis est?

Ideo lex ista communis, quam tu (pace tua dico) fingis, non habet locum, nisi in opinionibus tuis. Nec unquam legis à Deo peccatū remissum, reseruata pœna, præsertim ea quam Papa remittere possit. Legis autem semper contrarium, quod omnino pœnam & culpam remisit, sat habens uindictæ, si homo noua uita totus ei seruiat. Igitur legem illam communem, qua utitur Deus remittendo peccatum, ille doctius & uerius tradit, qui dixit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus *Lex Dei communis, secundum quam Deus remittit peccatum.*

non

non despicies. Imo de industria præueniens, damnat uestram sententiam & legem, dicens: Quoniam si uoluisses sacrificium, dedissem, holocaustis non delectaberis. Ad idem est Isa. 1 Psal. 50. & Mich. 6. & multa alia loca Scripturæ, ad uestram sententiam autem nulla prorsus.

Isa. 1. Psal. 50. Mich. 6.

Secundo, Iterum inuidiam mihi conflare anhelas, quando me accusas, quod eneruem & euacuem uenias. Hoc (salua tua reuerentia) non uerum dicis. Ista enim est sententia mea, quod cum satisfactio sit (omnium sententia) melior, quam Indulgentia, Dico, quod bona opera, quæ pertinent ad satisfactionem, sint præferenda uenijs, præsertim cum ueniæ sint nec præceptæ nec consultæ, ideoq; nec meritoriæ, nec utiles ad salutem. Quia ubi non præceptum, ibi nec obedientia, Vbi non obedientia, ibi nec meritum, Vbi non meritū nec salus. Sunt enim licentiæ ac permissiones quædam, ut olim libellus repudij, & nunc permissio litium & iurgiorū forensiū. Ideo dolere me confiteor, quod has res leues tanto boatu ardemus uulgo persuadere. Quod cum sine exhortatione pronū est ad permissiones, summis uirib. persuadendum fuit ad meliora, id est, ipsam satisfactionem. At hoc modo, cum uideant Præcones ueniarum, quæstum funditus periturum, prudentissime hanc melioris persuasionem, non modo omittunt, sed omni studio cælant quoq;.

Opera bona, quæ pertinent ad satisfactionem, sunt præferenda uenijs.

Nec multum prodest, quod dicitur (causa uerbi) uenias quidem non ualere ad meritum seu salutem, ualere tamen ad celerem satisfactionem & pœnarū extinctionem. Sit sane ita, sed nihilominus redit id quod prius dictum est, quod adhuc melius sit etiam pœnas & satisfactiones non extingui aut remitti, cum in hoc non nisi optima opera remittantur, scilicet oratio, ieiunium, eleemosyna. Hæ enim sunt partes satisfactionis, quas remitti, si audes bonum asserere, audebis etiam, id, quod nihil est, optimum dicere.

Igitur uenias quærant, qui uolunt. Sed exhortentur plus ad meliora, id est, ad ipsa optima satisfactionis opera. Sicut uirgini permittit Apostolus nubere, hortatur autem magis, ut uirgo maneat. Tales & tam discretos ueniarum buccinatores, qui separent preciosum à uili, si dederis, nihil est, quo dissentiemus, Paucos autem dabis, aut aliquot ex ipsis, mendicos facies.

1. Cor. 7.

40. Conc. Lutheri.

AD quadragesimam, cum S. Thoma (timui enim, ne cum S. Paulo uel Augustino) confutare conaris, alterum meum (ut dixisti) falsum præceptū, scilicet quod uera contritio, pœnas quærit & amat. Et distinguis duplices pœnas (sicut & supra fecisti) Primo, quam diu pœnas dare pro sceleribus, est alicuius boni allatiuum, ut in præsenti uita, quando meritorium est, uera contritio amat pœnas, ad merendum & præcauendum à peccatis, sine tamen contemptu ueniarum.

Respondeo: Gratias ago tibi quam maximas, Nunquid ego aliud uolui, quam quod tu hic dicis? Cur ergo supra hoc præceptum falsum asserebas? An idem apud te diuersis locis, & uerum & falsum est? Rogo, si mihi non uis credere, crede aliquando ueritati, ut Augustinus ait, per os tuum loquenti tibi, fortassis ignoranti & inuito, Admitto optimam istam confutationem falsi præcepti mei, qua uerissimum esse astruitur.

Sequeris, quia utrunq; melius est, quam alterum &c. Magne Deus quanta est uis ueritatis, ut omnium se fortissime tueatur, per os detrahentium sibi. Tu qui bonis es disciplinis institutus Theologus, doce me, quæso, quomodo hæc duo simul stare possint, amare & quærere pœnas & satisfactiones, simul etiam remitti & quærere Indulgentias? Quia unum illorum, ut ais, sine altero minus est, utrunq; autem melius est, id est, ut simul satisfacias, & simul omittas satisfactionem, quod est aliud nihil, quam cum ratione, ut ille ait, insanire.

Veritas.

Cum ratione insanire.

Sequeris, Vbi uero pœnæ nullum bonum afferunt, Sed retardant à bono gloriæ, pœnæ non assumuntur &c. De his Conclusio mea nihil dixit, sufficit mihi, quod etiam tuo testimonio sit uerissima, pro hac uita, Nisi quod iterum doleo D. Thomæ uicem, & miseram suæ discordiæ sortem, quia hanc Conclusionem probat in Italia, & damnat in Germania. Secundo, istud figmentum tuum est, quod pœnæ in Purgatorio non afferant bonum, contrarium enim superius tenui & defendi, usq; ad determinationem Concilij.

Iohannes Taulerus Tertio, Ratio tua nihil ualet, quod etiam pœnæ & opera huius uitæ retardant à bono gloriæ, & tamen assumuntur, imo, ut quidam è tua secta, doctissimus Doctor Iohannes Taulerus ait, si cœlum coram te apertum esset, adhuc intrare non deberes, nisi primum uoluntatem Dei super introitu consuleres, ut etiam in gloria, non quæ tua sunt, quæras. Sed hanc sententiam uerissimam & theologicissimam, absit, ut probet scholastica Theologia.

AD 41. Dicis uerum me docere, & gratias ago. Addis tamen, quod non minus caute sunt improbandæ & restringendæ ueniæ, in præiudicium Apostolicæ facultatis. Et tu quoq; uerum hic dicis, imo nec caute, nec incaute sunt improbandæ, sed permittendæ, ut quærat qui uolet, tantum ne magnum quis se consequutum confidat, quin maius potuerit consequi. *41. Conc. Lutheri.*

AD 42. & 43. conaris id persuadere, quod Pontifex per uenias prouocat ad pium opus, Et melius esse opus pium cum uenijs, quam alterum solum. *42. 43 Co. Lutheri.*

Mihi longe alia mens est, Melius prouocaretur fidelis ad ipsam satisfactionem sine uenijs, ut supra coactus es concedere, id est, ad multa bona opera, quàm quod prouocatur ad unum illorum cum uenijs, id est, remissione multorũ, Permitto tamen uenijs ita prouocari, Sed dico, quod sit incomparabiliter minus, ideo mea Conclusio uerissima.

Secundo, Erroneum est, quod opus cum uenijs, uel gratia ueniarum melius sit, quam sine uenijs, quia si satisfactio est multa & optima merita, quomodo opus unum cum tot meritorum remissionibus melius erit, quam ipsa tot merita? Loquamur, quæso, cum iudicio & Christiana libertate, Neq; enim poteris dicere, Indulgentias aliud esse, quam remissiones satisfactionis. Rursum, satisfactionem non potes aliud asserere, quam multa bona opera, ieiunij, orationum, eleemosynarum. Sufficiat ergo, quæsumus, ut permittamus per unum opus bonum, multa bona opera remitti, non etiam eousq; commendemus, ut melius esse unum multis, credatur. *Indulgentiæ. Satisfactio.*

Tertio, Idem est quod deinceps dicis, Quod cæteris paribus melius est dare eleemosynam gratia ueniarum, quam gratia meriti præcise. Id est, melius tibi uidetur, ut homo, uno bono opere & merito, faciat se uacuum multis bonis operibus, erroneum hoc & impium esse, pace tua, credo. Semper tu id conaris, ut ueniæ, non permissiones & licentiæ quædam, sed perfectiones esse uideantur. Scis autem, quod licentia omnis, nullam habet laudem, nec exhortationes, nisi quod non peccatum est, & infirmorum, potius pigrorum, solatium. Imo, ut ille uerissime dixit: Licentia omnes deteriores sumus. Ita in uenijs, quomodo potest melior fieri concomitanter, ut tu dicis, qui per eas tot meritis fit minor? & solum permittitur esse deterior, Tu autem & suadere uis, ut sit deterior.

SEd uideamus tamen probationem tuam, quia ibi, inquis, scilicet in opere pro uenijs, duo bona sunt, scilicet meritum & sublatio impedientis, hic uero unicum est, &c.

Respondeo: Quam studiose claudis oculos, & in aperta luce quæris tenebras. Fateor, duo bona sunt ibi, id est, meritum & remissio multorum meritorum, quod bonum est pigriciæ carnis, & damnum optimum, optimorum bonorum, & sublatio quidem impedientis, scilicet ad peiora.

Secundo, hic, id est, in opere sine uenijs (id est, permanente satisfactione) non unicum est tantum, sed tot, quod sunt in tota satisfactione, quæ est optima & meritoria, sublatio omnium impedimentorum gloriæ. Et quid multa? si tua dicta recte intelligeres, uideres tibi esse causam assumptam uituperandi bona opera, & laudandi remissiones eorundem, quod horrendissimum est in Ecclesia audiri. Ideo cum fiducia mihi sumpsi causam laudandi bona opera, non tamen uituperandi uenias. Abstrahe uocabula hæc, Indulgentias, uenias, & relicta opinione rem intuere, & uidebis, te non bonum, nec bonæ causæ patronum. Quid enim potest etiam ipsa Ecclesia, ex uenijs facere, nisi remissionem satisfactionum? Quid autem potest satisfactiones intelligere, nisi optima opera meritoriasq; pœnas, & ipsa à Deo præcepta? Quid ergo magnifacere præsumimus, quod in se nihil est, nisi permissio deterioris, ne peccetur ab infirmis? *Opus sine uenijs.*

44. Conc. Lutheri. AD 44. Nouus Interpres scripturæ dicis, pauperi posse negari eleemosynam sine peccato mortali, licet non sine ueniali. Ideo Conclusionem meam falsam &c. Gratias tibi agit, ut optimo Patrono, insignis illa belua Phylargiria, quia discit, se posse negare petenti eleemosynam sine mortali peccato. Proh dolor & horror horrendus, quid audimus in Ecclesia? Cur ergo Iohannes dicit, charitatẽ non manere in eo, qui claudit uiscera sua à proximo suo. An charitas etiam recedens, non relinquit peccatum mortale? imo Christus in iudicio, cur damnabit eos qui esurientem non cibauerunt? &c. Sed forte in persona Impropriistarum ista dixisti. Est aliquis sensus uerus, quẽ ex India forte adduces postea, ideo interim expectabo. Quod si dixeris, tunc cum ueniali peccato negari, quando pauper non eget, aut alias iusta est causa. Breuiter, si est iusta negandi causa, sine peccato negatur, sin est nulla, peccatum mortale est negasse, Sic Euangelium, sic Apostoli loquuntur. *Siluester nouam scripturæ expositionem commentus. Phylargiria, amor diuitiarum. 1. Iohan. 3. Matt. 25. Impropriistæ.*

Secundo, Cur non pari, imo maiori studio exquiris, quomodo liceat uenias non redimere, ad salutem inutiles & non necessarias, qui tam periculose & acute exquiris, quomodo bona opera liceat omittere, sola necessaria & utilia ad salutem, deniq; præcepta ab ipso Deo? An obsequium Deo te arbitraris præstare, si calumnieris præcepta Dei & bona opera, tantum ut uenias, nec à Deo, nec ab homine præceptas, efferas immodice? Finge nullas esse uenias in Ecclesia, sed omnes per se satisfacere, sicut olim fiebat. Rogo, utra facies tibi placeret? ueniarum, an satisfactionum? Vel ergo, tu non recte intelligis Indulgentias, uel mala simulatione moliris calumniam bonis operibus. *Olim nullæ ueniæ.*

45. Conc. Lutheri. AD 45. Iterum distinguis, ut uideris tibi, sufficientius, bona temporalia necessaria, & tandem cum Thomistis nostris consentiens, dicis, Necessaria secundo modo danda pro eleemosynis, sed solum in extrema necessitate.

Rogo, ignosce mihi, reuerende Pater, uror enim nimis, quod textum Apostoli Iohannis de necessitate, perditissime trahis ad necessitatem extremam. Quis dedit tibi potestatem, necessitatem illam extremam facere? Sic Diabolus insidiosissimus hostis, etiam sacras literas nobis illudit & perdit.

Det Dominus Ihesus Christus, ut nullus hominum, tibi & omnibus, qui hanc glossam tenent, tribuat, nisi dum perueneritis ad extremam necessitatem, ut discatis, Scripturam sanctam incorruptam relinquere, uel penuria. Istam libidinem & luxuriam corrumpendæ scripturæ, iam ferme trecentis annis patitur Ecclesia incomparabili damno suo, à Doctoribus scholasticis.

Secundo, Conclusionem meam ueram relinquis, uerum non capis quod uolui. Tu in hoc rectè sapis, quod necessaria secundo modo potest homo pro ueniis dare, quod admitto. Sed nostri uenales Præcones, de necessariis primo modo, suadent hominibus dare pro ueniis. Horum enim uox & literæ (exempli gratia) sunt hæ. Si haberes unam tunicam, uendere deberes, ut uenias redimeres. Nec hoc contenti suadent, Vbi quis necessaria primo modo non habuerit, tum alicunde mutuet, aut mendicet, etiamsi sit uxor. Deinde Fratres mendicantes quoque suadent, ut corradant sine licentia pecunias. Hęc sunt, mi Pater, illa portenta, quæ apud nos grassantur, nihil nisi impudentissimæ & rapacissimæ auariciæ negocium hic agitur, in tantum ludibrium Ecclesiæ Romanæ, ut hæc sola esset causa abunde satis, ut uniuersæ ueniæ tollerentur, nec me falsa dicere credas, non tantum uox & fama extat, sed & Libri eorum, in quibus hæc passim leguntur.

Præcones ueniarum.

Fratres mendicantes.

Tertio, omnia quæ suades & dicis, ea opinione uel simulatione dicis, quod ueniæ sint aliquod bonum, de quo satis supra.

AD 47. Cum tibi esset uerissima, tamen quia propositum tibi fuit, nullam non mordere, licet nullos dentes habeas, ad insignem adulationem Papæ uersus, admittis esse ueram, sed ex Papa monstrum faciens, tribuis ei utriusque potestatis apicem, scilicet, ut sit simul Pontifex & Imperator, Ita autem tribuis, ut possit imperio iubere pro fabrica S. Petri, ut pro communi bono. Nunc autem incomparabilem modestiam ei interim appingis, quod petit & remunerat. Hac tua mollissima, sed nocentissima adulatione, id agis, ut futurus aliquis Pontifex, laudem huius modestiæ pertæsus, ius sibi credat esse deglubendi totius orbis Christiani, idque cum imperio & potestate. *47. Conc. Lutheri.*

Mollissima, sed nocentissima adulatio Siluestri.

Secundo dico, quod Basilica S. Petri, est commune bonum urbis Romæ, Nostræ autem Basilicæ sunt nobis utiliores & magis necessariæ, quia non possumus omnes ad Basilicam S. Petri conuenire, uerbū Dei audire, & Sacramenta percipere (qua sola causa ædificantur) meliusque esset, quod Basilica S. Petri non ædificaretur, quam quod Parochiales nostræ Ecclesiæ desolarentur, Id autem agi uidemus & dolemus, dum omnium Ecclesiarum subsidia, per Indulgentias, ad insatiabilem Basilicam S. Petri trahuntur.

Basilica S. Petri insatiabilis.

Quare istas tuas frigidissimas causandi rationes, scilicet, quod Basilica S. Petri est totius Christiani populi bonum, etiam rident Germani, sicut iustum est. Cur non magis Basilicam. S. Iohannis, matrem Ecclesiarum, etiam bonum commune uocas? Sed forte adhuc in futuris annis restat, ut omnes Ecclesias Romanas, deinde & Palatia, nouissime & muros, & plateas, & pontes, nostris piis operibus, gratia ueniarum factis, ædificemus, ut non sit finis exactionum. Quare, mi Pater, ego sic, ut debeo, suadeo hominibus, ut primum uiuis Templis benefaciant, deinde suas Basilicas, nouissime Basilicam S. Petri iuuent. Quia uestræ Ecclesiæ non sunt nobis necessariæ.

AD 48. adeo impingis, ut ueritate confusus, non possis inuenire quid dicas. Tandem ad hanc descendis ineptiam, dicens: Tu Luthere, si habuisses à Domino nostro bonum Episcopatum, cum plenaria Indulgentia ad Ecclesiæ tuæ reparationem, forte dulcioribus uerbis abundasses, & quibus detrahis, uenias extulisses. *48. Conc. Lutheri.*

Respon-

Respondeo, forte & tu spectas me ex animo tuo, quod conijcio, ex eo, quod tam molliter adularis. Si ego ad Episcopatum aspirarem, certe non ea loquerer, quæ tu impatientissime audis. An ignorare me credis, qua uia Episcopatus & sacerdotia in Vrbe obtinentur, quando hanc pueri in omnibus plateis Orbis cantant? Deniq; nunc facta est rerum fœdissima Roma, Omitto reliqua, quę hic uelut tremens & à ueritate fractus, disperdis potius, quam loqueris.

49. Conc. Lutheri.

AD 49. Eadem safiua uenias utiles astruis, sed occasionaliter, scilicet dum anima ex hoc in gratiarum actiones assurgit. Quasi esses Rhetor, tam uarios & exquisitos locos inuenis, Cur non etiam ad balatum ouis dicis assurgere animam occasionaliter ad gratiarum actionem? Aut quæ laus ista ueniarum, quando etiam de pœnis & malis iubemur laudare Deum? Sed piget me pigra ista inania commenta uersare.

Illud uero quã uigil aduertisti, quod mihi ipsi contradixerim, ut qui uenias hic utiles, superius autem aliter uidear asserere. Dico utiles pigris, sicut omnes permissiones sunt utiles, ne peccent si licentiam non haberent. Dico inutiles ad profectum salutis, quod pro tua uigilantia debueras ex eo uerbo intelligere, ubi dixi, si non in eas confidant. *Vtiles pigris ueniæ. Ad profectum salutis inutiles.*

50. Con. Lutheri

AD 50. Assumis causam Prædicatorum uenialium, sed astute, quia non credis talia prædicata. Deinde Pontificem commendas, qui tam innocens sit, ut nullus uiuat aut operetur indecenter. Tertio inueheris, quod fraternam monitionem non præmiserim.

Respondeo: Si non sunt, prædicata talia, aut non credis, quid æstuas ut defendas? sine in uentum me disputasse.

Primo, Scio & ego optimum nos habere Pontificem Leonem X. & uelut Danielem in Babylone, ut cui sua innocentia, uitæ periculum aliquando fecerit. Sed tu, quæso, dic mihi, quis unquam tam innocenter uixit, ut nullus alius non inique modo, sed nec indecenter operatus sit, aut uixerit? uideris (nescio quid) maximum adulari uoluisse, sed inter dicendum & uerba, & sensus te defecerunt. Forte uoluisti dicere, quod Leo X. id agit, ut nullus indecenter uiuat, quod cum uideres impossibile, inter uerba mutas sensum, & orationem sine sensu relinquis. *Leo X.*

Secundo dic mihi, quis à disputatore unquam expostulauit, ut prius eum moneret, contra quem disputat? Cur etiam tu non prius me monuisti, quando tot nominibus criminum me fœdare parabas? Cur Pontifex in Decretis suis non prius monet, quam statuit contra abusum quæstorum? Ego in communi disputaui, neminem nominaui. Si innocentes sunt, quid queruntur sese tangi? Ergo nemo prædicet Euangelium, uicia nemo carpat in publico, nisi prius ostiatim singulos moneat. Mihi miraculum est, eos esse innocentes, & tamen meis uerbis moueri. Sed uerum est illud S. Hieronymi, quando uicia communiter arguuntur, qui irascitur, accusator est sui. Deniq; quomodo monitionem meam recepissent, qui etiam te Patrono usq; hodie perstant innocentes? Noli, quæso, mihi mandare, ut innocentes moneam, Si uis autem, ut moneam, iam alio accusatore non egent, quia tu Patronus eorum nocentes confiteris. *Indulgentiarij.*

Tertio, Quod autem hæc facta sint (licet tu non credas) testis est tota terra, testes & extantes libri, Qui autem id fecerint, ipsi uiderint.

51. Conc. Lutheri.

AD 51. Sicut eadem repetis, ita eadem tibi dicta uolo, nisi quod me per talenta loqui dicis, quod transeo. *Per talenta loqui.*

AD 52. dicis, Vanam esse meam Conclusionem, quod ita probas, Quia nullus tam stultus sit, ut sic faciat. *52. Con. Lutheri.*

Respondeo: Quid ad te, quæso, si nullus est tam stultus? sine me disputare, ut dixi, uel in uentum. Nunquid ideo Decretales Papæ sunt uanæ de abusionibus quęstorum, quia tu nullum quęstorem contra egisse defendis? Sed præ senectute forte, ita & loqueris & phantasiaris. Si nullus est, qui sic confidit in literas, nullum tetigi. Eos qui sunt, uolui tangere, quos ego non unum, sed plurimos noui. Et adeo stultos, ut non solum de animarum redemptione, sed de sua quoque salute certi sibi essent, quia has literas haberent.

Deinde, Cur tuis Clientulis non etiam persuades, ut animam suam impignorent pro contritione & satisfactione? Quoties tibi, rogo, dicendum est, Impium & auariciæ ministerium esse, quod pro uenijs tam exquisitè, tam magnificè omnia tentantur, ac si solæ essent rerum, & pro necessarijs ad salutem prorsus uix mutitur? Tu cogita, an simplex populus non discat confidere in literas, tanto luxu & apparatu commendatas? Magnum enim cogitent, necesse est, quod tam magnifice proponitur. Tu, qui interim doctus es, non fidendum in literas, mox etiam simplicem populum eadem per seipsum discernere & intelligere confidis, contra tot & tantorum persuasiones & irritabula? *Auariciæ ministerium.* *Populo crasso singula crassius dicenda.*

Tandem mihi minaris maledicta, irrisiones, censuras. Quas? & quare? noli minari, mi Pater, Christus uiuit, Non solum uiuit, sed etiam regnat, non solum in cœlo, sed etiam in Roma, quantumlibet ipsa furiat. Si maledicar pro ueritate, benedicam Dominum. Non separabit me censura Ecclesiæ ab Ecclesia, si iungat me ueritas Ecclesiæ. Malo esse à te & similibus (si ita perstes) maledictus & excommunicatus, quam tecum benedictus. Nihil habeo quod possim perdere, Domini ego sum, si perdor, Domino perdor, id est, inuenior, Alium ergo quære, quem terreas.

AD 53. Stultum & ridiculum me uocas, interim tu sapiens dicis, Crebra raris cedere, & annalia festa Sanctorum celebriora esse, quam sabbatum Virginis matris. *53. Conc. Lutheri.*

Respondeo: Quo quo, mi Pater? Aut pluuius describitur arcus, aut flumen Renum. Sed nunc non erat his locus. Primum, non sunt rara apud nos, sed continua Indulgentiarum negocia. Deinde, quæ proportio, ut uerbum Dei, quod instantissime præcepit Christus prædicari, cedat raris Indulgentijs? Si Christus ita non iussisset, staret tua similitudo. Item, non potest Papa iubere silentium uerbi Dei, quod semel emissum, non est alligatum, sed nec factum à Papa unquam legi. *Horatius.*

Per idem respondeo ad sequentis Conclusionis futilem confutationem, ubi tu sermonem ueniarum, esse uerbum Dei contendis, sed impropriè, scilicet cum declaratorijs & hortatorijs. Si uerbum Dei dicitur, quidquid cum uerbo Dei dicitur, omnes hæretici, omnes dæmones, omnes homines non loquuntur nisi uerbum Dei, Quia nihil tam absurde dici potest, quin uerbum Dei misceri possit. Ego dico, quod sit uerbum hominis, & de remissione hominis prolatum, quia uerbum Dei est, quod fide iustificat cor, & gratiam iustificantem confert. Sicut Roma. 1. Virtus Dei est in salutem omni credenti. Verbum autem ueniarum non iustificat, nihilque confert animæ, nisi quod dat licentiam pigritandi in bonis operibus propter infirmos. *54. Conc. Lutheri.* *Non est uerbum Dei, quidquid cum uerbo Dei dicitur.* *Roma. 1.*

AD 55. Dicis hanc & similes esse pueriles, uiri stomachati, & inferentis os in cœlum, & contra stimulum calcitrantis. Respondeo: Verum est apud Siluestrum & Thomistas duntaxat. *55. Conc. Lutheri.*

56. Con. Lutheri AD 56. Autoritate Thomæ dicis, thesauros Ecclesiæ esse merita Christi, in quantum satisfactiones. Et idem per idem probas, & dicis, Quod S. Gregorius dedit aliquando Indulgentias, ut communiter dicitur, non potest probari. Ideo nec S. Thomas aliquid in hac re efficit.

Ego quidem non cum uniuerso orbe me disputaturum obtuli, quia nesciebam, quod Positiones meæ essent tam late uagaturæ, ideo noli mihi arrogantiam hanc asscribere. Casus me in has res perduxit, ex quibus cum silentio me eripere non possum, forte Deus ita uoluit. Ego tamen istam Conclusionem non asserui, sed & adhuc disputo, expectans Concilij determinationem, sicut & omnes alias, quæ dubiæ sunt, aut in controuersia hærent. *Lutherum casus in hanc de Indulgentijs disputationem traxit.*

57. Con. Lutheri. AD 57. Mire quam pungeris, quod auariciam paululum momordi. Nam & tu quoq; patientius ferre potes, si contra Scripturam pugnarem, quam contra auariciam. Ideo & hic Pontifici eximie adulatus, inuidiam mihi conciliare festinas. Quid mihi innocentiam Pontificis obtendis? Nunquid ego eam ignoro? Aut si auariciam taxo, nunquid ideo Pontificis innocentiam mordeo? Tu uide potius, an impius sis in Pontificem, qui auariciam & Pontificis innocentiam in unam rem conflas, dum morsam auariciam, idem astruis quod læsam Pontificis innocentiam, imo sub prætextu innocentiæ pontificalis, irreprehensibilem nobis defendis auariciam? Si sunt innocentes tui Clientuli, non mordentur à me, si nocentes, cur defendis? Det tibi Dominus, ut aliquando rectius iudices, melius uideas, & à calumnijs mei abstineas. *Qui taxat auariciam, innocentiam Papæ non mordet.*

58. Conc. Lutheri. AD 58: Eadem repetis, quæ in ante præcedente dixisti, Tua enim sunt uerba, ideo transeo.

59. Con. Lutheri. AD 59. Iterum totus ardes, adeo in cæteris omnibus patientior es, præterquam ubi auariciam tango, quam tamen uelis nolis, non possis negare Romę uersari, ne dicam dominari, ut mihi tu quoq; prope fias suspectus, quod magis lucra, quam animas cures, Interim innocentissimum Pontificem, ad inuidiam meam commendas, scilicet ut tantum decus innocentiæ, operculum facias nequiciæ. Id enim anhelas, ut mores Romæ arguere neminem sinas, nisi te Interprete, simul optimi Pontificis innocentiam læsisse probetur. Quid uis? Patronum te uocem Romanorum flagitiorum? Cur tu ipse non te quoq; interpretaris læsisse Pontificem, qui aperte scribis, Romanum clerum à primæua perfectione declinasse? Sine me tuis tecum artibus agere. Clerum romanum mordes? At Pontifex est pars, & quidem nobilior, cleri. Væ tibi misero, qui talem ac tantum Pontificem non solum lapsum, sed à tota perfectione declinasse, & in perfidiam & hæresim abijsse, palam asseris. Id enim totum significat declinare scilicet à perfectione. Vides ne, quam pulchre & ego te auxesibus istis possem opprimere, si adulari & calumniari uellem. *Roma.*

60. & 61 Conclu. Lutheri. QVæ ad 60. 61. cum sequente dicis, transeo. Nihil enim dicis, quod non dictum sit prius. Ego probabiliter posui, quod thesaurus Indulgentiarum sint ipsæ claues, ut in Declarationibus. Similiter transeo 61. quia admittis eam esse ueram, non tamen sine calumnia. *Thesaurus Ecclesiæ claues ipsæ.*

62. Con. Lutheri. 63. 64. 65. 66. Con. Lut. AD 63. 64. 65. 66. Cum ueras esse non neges, neque negare possis, miror quod ita excandescis, & totus ignis efficeris. Mirabiliorem disputatorem non uidi, ut quem Propositiones ueræ plus mouent quam falsæ, cum tamen ueritas quæratur disputando. Igitur sim canis, filius

filius canis, dicax, non excusatus ab anathemate, nec mentis composite, & si
Modestia senilis. qua plura pro modestia tua senili, habes, modo uera me saltem momordisse concedas, si negas dixisse. Hanc Satyram merui, non quia falsa, sed quia
Auaricia Romana. uera dixi in auariciam. Non credidissem Romanam auariciam tam teneram & impassibilem esse, imo tam ambitiosam & arrogantē, ut innocentia optimi Pontificis uideri uellet.

AD 67. dicis, Me deserto Pontifice, etiam donis Spiritus sancti *67. Con. Lutheri.* detrahere. Ego miror te senem adeo feruere, ut nec me, nec te intelligere possis. Ego non dixi uenias non esse utiles sed animæ esse utiles, nego, nisi quo modo licentiæ & permissiones utiles sunt, Quod autem tu id blasphemiam dicas, nihil curo.

AD 68. Excusandos censes eos, qui uenias astruxerint maximas *68. Con. Lutheri.* gratias, sed per hyperbolen. Obsecro, cur & me non aliqua figura censes excusandum, qui nihil assero, sed solum disputo? Cur tibi facis, quod mihi non facis? Deinde, si sunt per hyperbolen excusandi, cur non etiam sunt per cyrologiam accusandi? cum ueritas hac figura quam maxime gaudeat,
Veritas proprietatem amat. & ipsa quam optime ueritatis Doctores deceat, illam uero, ubi potest, fugiant, imo id unice queror, quod per hyperbolen sunt loquuti. Si autem uobis permittitis, mi R. P. impropriè & hyperbolice, & quoquo modo libuerit, loqui, cur non & Iohannem Reuchlinum integrum & eruditum uirum,
Iohannes Reuchlin. eadem æquitate tractastis, & aliqua figura eum excusastis? Aut si in hunc tam rigidi fuistis censores, ut in syllabis innoxijs inueniretis uenenum, certe non permittetur uobis tam larga & libera figurandæ locutionis licentia, ut falsa dicta pro libito seminare & interpretari possitis. Aut si qua uenia uobis dabitur, dupla huic debetur, & eo absoluto, uos rei permanebitis.

Secundo, Noua usus distinctione, putas me inexcusabilem, quia uenias appellauerim minimas gratias, cum sint & aliæ gratiæ, & dona minora, scilicet bona fortunæ &c. Si mente fuisses quieta, uidisses, cur hæc addiderim, ad gratiam Dei & crucis pietatem comparatæ. Ego comparationem feci ad crucem, hanc quasi non uideas, nouam comparationem facis ad bona fortu-
Siluester calumniator. næ. Si sic ad iniquitatem & calumniam tantum uigilas, quis poterit tibi uerax uideri.

Transeo, quæ in 69. cum tribus sequentibus, amarulentus euomis. *69. 70. 71. 72. Con. Lut.*

AD 73. Non nego quidem posse omnem casum absolui potestate clauis, Sed insaniam esse dixi, & dico, pro ueniarum magnificentia, *73. Con. Lutheri.* quæ nihil prosunt ad uitam, tam horrenda monstra criminum in exemplum uocare, & pro magnitudine potestatis leuicula facere. Ex qua insanissima
Boni Concionatoris officium. ueniarum commendatione fit, ut uiles fiant contritiones & uera pœnitentia. Boni Prædicatoris est, peccata (ut sunt) magna prædicare, ut misericordia Dei magnificetur. Aut dic, cur non pro contritionis magnificentia simile aliquid dicunt? scilicet quia non pecunias, sed paupertatem hi sermones afferunt. In rebus non necessarijs, nec utilibus ad salutem, sed tantum permissis, honorificum putas, in Ecclesia Dei tot auxesibus tonare, cum nec Christi passionem sic uelit Ecclesia prædicari?

IN 75. Non dixi Papam minorem Petro, imo nolui, ut Papam & *75. Con. Lutheri.* Petrum negarent maiores gratias habere, quam sint ueniæ.

IN 76. Vt nihil omittas, quo me execrabilem facias Pontifici, & *76. Con. Lutheri.* eum tibi uni adulantissimo propitiū, fingis me ironice de tanto Pontifice loqui. Vides ne, quantus sit mihi hic locus inuehendi in te, in tuam pene dixissem,

dixissem, sed reprimo me. Arrige aures & audi, si saltem domi eas habes. Ego dico non ironice, sed plane, quod omnis Papa habet maiores gratias quam ueniæ sint, scilicet Euangelium & gratias curationum, & omnia quæ scribuntur 1. Corint. 12. non in persona sua, sed in potestate sua, id est, eo modo, quo gratias ueniales habet. Nam etsi sedulo dissimulas, non tamen credo adeo stupescis, ut uenias Papam in Persona sua habere dicas, sicut uirtutes personales, nisi dixeris, quod depositus Papa etiam omnia possit, quæ prius.

Papa habet maiores gratias, quam ueniæ sunt.

Igitur quicquid est in Ecclesia, donorum & ministeriorum, dixi in manu Papæ esse, ut ordinet, mittat, ponat, sicut corpori Ecclesiæ expedire uideret. Hæc autem sunt incomparabiliter maiores gratiæ, quam ueniæ. Melius enim facit Papa, si unum bonum Pastorem uni Ecclesiæ præfecerit, quam si omnes simul Indulgentias dederit. Tu autem in personam tantum huius Leonis X. intentus, sicut decet graphicum adulatorem, intelligis in uerbis alienis, quicquid uolueris, & tamen detractor & calumniator esse non uis.

Syluester graphicus adulator.

77. Con. Lutheri. IN 77. Mihi non credis, quid ad me? per hoc nobis non fit satis, omnia illorum optimi consulis, nisi quod respector personarum, mea solius pessimi consulis.

78. Conc. Lutheri. IN 78. Nec excusatione me dignaris. Quod est istud nouum Syluestrinum forum, in quo reo negatur excusatio? Sed obtorto collo, rapitur ad abiurandam hæresim, sit siue non sit hæreticus? Sed ubi uera mea, non potes negare, saltem personam meam omni studio contendis opprimere. Vtinam tecum mihi liceret, & corpusculi permitteret imbecillitas, coram de his rebus conferre. Non dubito me tantum tibi ostensurum, ut saltem modestius deinceps disputares. Hæc sat de Propositionibus. Cætera, credo, uideris, aut uidebis in Declarationibus meis.

Syluestrinum forum.

AD quæstionum uero Laicarum confutationes uolui quiescere, sed incidit & permouit perspectum iam tuum ingenium, & auidum uictoriæ, & impotens pugnæ. Ideo si possum, paucis respondebo.

Quæstiones laicorum

AD primam, Cum longum illud Taratantara induxisses, ubi inter cętera etiam meritum congrui, & pręparationem hominis ad gratiam, necessario præcedere docuisses infusionem gratiæ, Quæ hæresis iam quidem per Ecclesiam præualida, copiosissime confoditur à B. Augustino contra Pelagianos, & in nostra Academia cœpit explodi. Tandem commemoras iusticiam diuinam non permittere euacuari Purgatorium, & hoc probas autoritate Sanctorum (Thomæ) ex ipso enim cæteri Theologi & Canonistæ suxerunt. His itaq; percensitis, cum quæstio ista laica adhuc staret, scilicet, quod charitas & necessitas essent causæ iustissimę euacuandi Purgatorij, & hic totus nodus esset, Hunc sic soluisti fortiter, dicens: Charitas autem Pontificis, & necessitas animarum, non est efficax ratio sic relaxandi iusticiam diuinam, quam Deus talis necessitatis conscius, & infinitæ charitatis ac misericordiæ uisceribus plenus, sanxit.

Mataeologorum quorundam hæresis.

Hæc tua solutio, omni glacie frigidior, & (ut tuis disciplinis utar) petitio principij, tantum effecit, ut si quis uelit tibi credere, sit quietus, qui nolit autem credere, nihil audierit nisi uacua uerba. Quid enim istis uerbis respondisti, nisi quia Deus non uult, charitatem & necessitatem esse causas sufficientes? Et non probas deum id non uelle. Quia si Deus pecuniam, aut quodlibet temporale (nisi forte non sit conscius etiam temporis) efficacem reputat causam, cur non etiam charitatem ipsam, in quam omnia illa ordinari uoluit.

Syluestri solutio omni glacie frigidior.

Nunc

Voluntas Dei.

Nunc si ego quærerem, Cur ergo pecunia aut temporalis res est causa efficax? Eadem principij petitione dices: Deus ita uoluit. Si de uoluntate ergo Dei disputandum est, scimus quod nulla res mundi sic placet, ut charitas. Et quod charitati non donat, non præsumitur ulli alteri causæ donare, Si autem alteri donat, multo maxime charitati. Et sic patet, quod etiam tu mecum succumbis in ista quæstione. Obsecro te, crede mihi, sunt & in Laicis iudicia, & tanta, ut ego me confitear ferme ter in istis quæstionibus succubuisse, & nihil retulisse gloriæ, quam quod sibi uerba à me data dicerent, sicut & tu hic facis mihi.

Nodus quæstionis.

Secunda solutio, multo frigidior & uanior est, nulli nisi tibi soli satisfaciens. Prima, inquis, causa est, quod uel porrigens forte non secundum facultatem propriam porrexit, uel nimis parce porrigit. Tolle ista accidentia, & pone, quod de propria facultate & sufficienter porrexerint. Hæc enim à te dicuntur, tanquam lubrico, qui tempus redimas, & exitum quæras, nihil enim sunt ad propositum. Ergo non est causa, multominus prima causa. Alia quod suffragia si non prosunt iam redemptis, prosunt tamen alijs. Hoc non querebatur, Sed hic est nodus, an omittenda sint officia nominatim pro animabus oblata, an nomina eorum non pronunciari, non in orationibus memorari oporteat? Hic responde, quod si omittenda sunt, omnis deuotio uulgi deficiet, & Sacerdotes fame conficientur, nisi forte dices: Quid ad Romanos, quod Germani moriuntur?

AD 3. iterum dicis, Non esse causam sufficientem. Cui rursum opponitur charitas, ut supra, & permanet quæstio, nisi uelimus nuda uerba Siluestri pro oraculis habere.

Vniuersalis Ecclesia.

AD 4. Mihi pro Regula tradis factum & dictum Ecclesiæ Romanæ. Respondeo: Si de uirtuali & representatiua tua Ecclesia loqueris, nolo tuam Regulam, quia (ut supra dixi) ex c. Significasti, Talis Ecclesia potest errare. Vniuersalis autem Ecclesia non potest errare, ut doctissime etiam probat Card. Came. in primo Sent. Deinde, nec Papa usquam hoc dicit aut facit, quod tu factum & dictum Ecclesiæ uocas. Promptulus es æquiuocator huius nominis Ecclesia, ideo maxime mihi suspectus.

Roma deuoratrix totius pene mundi.

Maximilianus Cæsar.

AD 5. dicis, Vbi multæ sunt diuitiæ, multi qui comedunt eas. Hoc est, quod queruntur, quod Roma quærit saturare pecunijs suos comestores, & totum pene deuorat orbem. Cur non minuuntur comedentes diuitiarum? In fine iterum facis ex Papa Imperatorem in potestate & uiolentia. Sed Maximilianus & Germania id non nouerunt, neq; credunt. Fortissime autem id negant Turcæ & Tartari. Frustra quoq; celeberrimum illud & commune bonum, quod est, lapides & ligna, nobis iactitas, Non enim per hoc soluuntur Laicorum quæstiones.

Perfecte contritis nihil remittitur.

AD 6. Sum tibi Hæresiarcha, quandoquidem potestatem tibi arrogas baptizandi mei, ut uolueris. Ago tamen gratias, quod uerum esse dicis, nihil remitti his, qui perfecte sunt contriti. Et scio non omnes esse tales, Sed non ideo intrant Purgatorium, quia pœnas debent, quas Papa possit soluere, ut probabiliter tenui, & teneo.

AD 7. dicis, quod duo bona adderentur, Vnum, quod necesse esset fideles toties repetere causam, gratia cuius dantur ueniæ, puta Eleemosynam &c. Scimus, mi Pater, quod uos libenter uideretis, causam istam una hora millies repeti, Hoc fere in auariciæ bonum cedit. Nos quærimus de bono dantis, quod si est datio Eleemosynæ, melius id fit sine uenijs,

& gra-

& gratis, quam propter uenias, ut supra dixi. Tu autem semper imaginaris, uenias esse aliquod bonum. Alterum bonum, inquis, remitteretur nouus reatus pœnarum, si quis post ueniam incidisset.

Respondeo, quod iste reatus melius tollitur sine uenijs, quia ueniæ non sunt pro peccatis uenialibus necessariæ. Si autem de mortali reatu intelligis, iam nullum est istud bonum, nisi centies quis in die peccet mortaliter, quod nullus facit uere pœnitens.

AD 8. Quod Papa suspendit uenias & literas, dicis, id fieri pro structura omnium præclarissima. Et hæc tibi uidetur esse iusta suspensionis causa, Nec mirum, non enim nisi quæ Romæ sunt, curas. Ego autem dico, sit illa structura honorabilior omnibus, certe nostræ Ecclesiæ sunt magis necessariæ. Ad pompam mundi solum respicis, quasi tunc Ecclesia sit præclare prouisa, si ligna & lapides in magnum erexerit cumulum. Cum si uelletis, possitis ipsi Romani Pontificem opulentissime iuuare. Sed aliorum sit iudicium de tuis solutionibus, Ego fateor, me nihil ex ijs habere, quod Laicis reddam, nisi maiores quæstiones.

Siluester mundum sapit.

VLtimo, Tribuis Pontifici iterum, ut sit uirtualis Ecclesia, & Imperator & Pontifex, potens & brachio seculari compescere &c. Ista opinione tua stante, uellem doceri, An etiam sitis homicidæ? Cur ergo iura non permittunt Ecclesiæ ad corporalis uitæ periculum, pœnitentiam imponere? Sed hæc alias & ab alijs.

Papa uirtualis Ecclesia & Imperator.

In fine dico, Non me terrebis ampullis, & minaci strepitu uerborum tuorum. Si occidor, uiuit Christus Dominus meus & omnium, qui est benedictus in secula, Amen.

ECce, mi R. P. cursim & duobus diebus, tibi hæc reddidi, quia uisa sunt leuicula, quæ tu opposuisti, ideo ex tempore, & ut in buccam uenit, tibi respondi. Si uolueris deinceps retundere, uide, ut Thomam tuum armatiorem producas in harenam, ne forte tunc non ea modestia excipiaris, qua hac congressione exceptus es. Repressi enim meipsum, ne malum redderem pro malo. Vale.

Annotaciuncula sequens collocanda fuerat supra folio 45. b in margine ad Titulum, Responsio F. Mart. Luth.

R. P. MARTINI LVTHERI AD F. SILVESTRI PRIERIATIS DIALOGVM RESPONSIONIS FINIS.

Lutherus ad Spalatinum. Mitto nugas meas nugacissimas & extemporalissimas, aduersus Siluestrum biduo effusas. Pridie Cal: Septemb: 18.

Siluestri insania sub prælo est. Die 25. Octob: Anno 18.

REPLICA F. SILVESTRI PRIERIATIS, SACRI PALATIJ Apostolici Magistri, ad Martinum Lutherum ordinis Eremitarum.

MARTINVS LVTHERVS OPTIMO Lectori, Salutem.

HAS Siluestri mei Replicas tibi, optime Lector, enixe commendo, commendatione enim mirum in modum indigent, uel hoc nomine, quod minas, nescio quas, parturiunt, Ora, quęso, pro ipsis, ne abortiant, Bene uale, & Theologorum eiusmodi miserere.

SACRARVM LITERARVM PROFESSORI F. Martino Luthero, Ordinis Eeremitarum, Frater Siluester de Prierio Ordinis Prædicatorum, sacri Palatij Apostolici Magister, S.

SAluum te esse optarim, Luthere charissime, Cum Resolutione tuarum Positionum, etiam tuam Responsionem ad nostrum Dialogum excepi. Qua ex re, etsi me acriter, & quidem artificiosissime tangas, item etiam pungas, & quanta clam fieri potuit, eloquentia & ui dehonestare quæsieris. Quia tamen tuum spiritum Pontifici se subijcientem primo oculorum coniectu iucundissime uidi, nec non Conclusionem, quam hæreticam notaram reuocatam, cor meum adeo in te dilatatum est, & amoris dulcedine commolitum, ut aliud exturbare me deinde potuerit nihil, cum tamen hinc me in ea, quæ ad me dedisti, totum contulissem, quæ in me & in mea dicta tela adegeris, & quanta latenter arte tantum sum miratus, ut in me expleri miraculum nequeat, adeo, ut cum omni sis arte & colore Rhetoris usus, ipsam quoq; artem hac arte cælare uolueris, ut te asseueres nolle in loquendo meis artibus uti, cum posses, imo aliquando me effinxisti inepte, ne perfectus fictor haberi posses.

Sed missa sint eiusmodi, Dicamus uero, quod cum dicta mea utcunq; momorderis & pupugeris, in me tamen omnia pene tua tela conferant, me petunt, & quidem contorquente non Theologia, non Philosophia, sed præpolita & astutijs assueta Rhetorica, quæ uerba multum, ueritatem parum curat, modo populares aures inflectat. Ea propter, cum longe plura in me, quã in mea dicta, spicula ieceris, nunc ea, quæ in me, propediem uero ea, quæ in mea dicta iacula uibrasti & contorsisti, ueritatis munimine ceu scuto tectus, reijciam, eo uel maxime, quod uehementer exoptem speculatiue duntaxat tecum agere. Quod equidem mox aggrediar, quam primum scilicet ex Commentarijs illis, in quibus me submersisti, emersero.

Ita

Ita uero optarim hæc mea dicta capias, ut non in spiritu superbiæ, uel iracundiæ, sed excusationis potius edita, & plerunq; etiam ioci gratia, salua semper eminente scientiæ Christi charitate, quæ uisa tua ad Pontificem humalitate, item & obseruantia (modo non fingas) nuper in te mea ex mente pullulauit. Cum enim meum uelle sit Pontificis (ut par est) si Pontifici consentis atq; communicas, itidem tecum faciam, necesse est, Quanquam Theorice bellum ingens, salua, ut dixi, charitate mihi tecū sit. Igitur, ut pretermissis exordijs re ipsa exordiar.

IN primis me taxabas, quod noster ad te Dialogus superciliosus sit, & tractatu tuo prolixo (ne tuis uerbis usus dicam, uerbosissimo) pene continue in me impingis, quod bili & effrenata cholera affectus excanduerim. Quod quam iuste & merito id agas, ex his paucis accipe. Ego enim, quanquam Vrbis & orbis Domini nostri spontaneo munere Inquisitor, ac perinde siue ordinarie, siue delegato iure inspectantibus ad fidem Iudex, ad te responsa dedi, non propter te tantum, quin potius propter alios, uel maxime rudiores, in quibus tuus sermo sensim, ut cancer, serpebat, non secus, quam contra Donatum, aut Faustum, aut Manicheum, Adeo tua uerba Romanam Ecclesiam, item & Romanum Pontificem in primis, omnium iudicio grauiter impetebant, ac si talia in lucem dedisses, quasi mox ad Bohemos commigraturus, aut magnum aliquod ac latens adhuc schisma propalaturus. Ea propter stimulos ac clauos tuos simplicium gratia, & uniuersi populi Christiani, non autem te propter, retundendos existimauerim. Et nihil eo minus cum non ex bili & choleræ feruore (ut astruis) sed Dei zelo in primis, & tuendæ ueritatis gratia, ac demum interuentu fidelitatis, quam Romano Pontifici iureiurando tuli, ad te breuissimum Dialogum, edidissem, In primis eum discutiendum per eos, ad quos attinet, curaui, ne forte grauius, quam par erat, te impetiuissem:

Crimen læsæ maiestatis R. Pontificem taxare.

Adde, quod tui Ordinis nomen, cui (meo & omnium iudicio) plurimum dedecoris eras allaturus (utinam autem faxit Deus, fallar) subticui. Quod utiq; si cholerico humore efferbuissem (ut scribis) non effecissim, Deniq; ubi per uiros graues probata sunt mea, in lucem dedi, Quid ergo maleuolentiæ, uel, ut ita dicam, excandescentis cholerę toties me arguis, qui nihil non discussum, non probatum, non laudatum prius extulerim.

Tu uero, qui uis, ut Christum in te detonantem audiamus, uide, quam modeste, quam humiliter, quam charitatiue, quam reuerenter Magistro sacri Palacij scripseris, qui ad me dehonestandū, ex sententia & ex comparatione, quanta potuisti, arte, calliditate, mendacio usus, tandem cum nihil tibi ultra euomendum superesset, comminatus es, quod me in posterum tanta modestia non excipies (te enim ais cohibuisti) nisi armatior me in harenam contulero. Et quidem interim, quia de armis sermo se intulit, in harenam his telis instructus descendam, Deo duce, & comite ueritate, quod nisi te omnium iudicio strauero & demonstrauero (quod tamen Theologice dictum uolo) demonstrauero, inquam, quod tua dicta hæresim complicant, nolo uiuere. Sed de his nunc satis.

Deinde uero toto pene Libello tuo irriseris, quod nihil probem, quod cum Thoma meo nudis uerbis utar. Quod quā iuste facias, cunctis mea intuentibus liquet, Quippe, qui & in exordio & in calce Dialogi apertissime docui, me nihil aliud tunc efficere uoluisse, nisi Positiones contra tuas Positiones in publicum afferre, simul ut cauere didicissent simplices tuas

falsitates, & à te tua Fundamenta extorquerem, qui itidem nudas tuas Positiones nobis intuleras, & adeo amphibologicas, ut perplures in earum plerisq;, nihil nisi præsumptionem & audaciam, & eiusmodi intueri possent, Hoc autem ex parte feci, quia nullus est tam insanus, qui nostra conferat tuis & non præferat.

Item, etiam tu in Probationem tuorum, maximam farraginem edidisti, in qua liqueat, quid ualeas uere, & quid tecum, in qua etiam diuina eloquia copiosissime quidem, sed tamen more declamatorio, citas, & adeo sapienter, ut pene nihil proposito & instituto tuo attineat. Sed neq; illud miraculo adscripserim, quippe, qui me & Thomastros (ut tuo utar irrisorio uocabulo) & Thomam ipsum irrideas & crimineris, quod distinctionibus assueti, his crebro utimur. O magnum Thomistarum dedecus, imo maximam gloriam. Tu enim, qui tua doctrina Mundum innouaturum putas, & euersurum antiquorum monumenta, dum Scripturas indistincte intelligis, quasi nihil ęquiuocationis aut analogiæ contineant, consequenter autem confuse intelligas & scribas & doceas, necesse est, Quod utiq; ista tua magna Farrago probarit, in qua tuis dictis ita cohærent tua quæ citas, testimonia, sicut catus & simia in culeo, Tibiq; propterea est illud Sophisma, nihil & Chimæra, litigant in sacco, tuæ scilicet confusæ farraginis.

Catus & Simia in culeo.

Iterum, autem atq; iterum, & ad nauseam repetis, quod sim uere Thomista & Aristotelicus, & quod præter Thomam nihil mea uerba redoleant, Quod equidem quando ad te scripsi, oportunum & satis mihi fuisse astruxerim, ad tibi in maledictis contradicendum. Visurus es autem e uestigio, an ego quoq;, & forte longe melius quam tu, manum ferulæ subduxerim, & an sim purus Thomista, uel Iurista, aut Canonista, aut Paulista, aut certe Sophista. Quanquam etiamsi D. Thomam solum familiariter nouissem, non plus asscriberem probro, quod me & quidem uerissime Thomistam uocitas, quam cæcus prius, deinde lumine decoratus à Christo Pharisæorum maledictionem asscripserit, qua Pharisæi, Iohanne Euangelista teste, ei maledixerunt, dicentes: Tu discipulus eius sis, id est, Ihesu Christi, O maledictionem & opprobrium singulare, esse discipulum Christi, aut etiam D. Thomæ, cuius doctrina, uelis nolis, per Ecclesiam Romanam cribrata est & probata, non quasi Canonica, sed tanquam moribus & fidei Catholicæ conformis, & quam summus Pontifex Innocentius, excepta Scriptura canonica, doctrinæ Sanctorum omnium antefert, dicens: Huius S. Doctoris sapientia præ cæteris, excepta Canonica, habet proprietatem uerborum, modum dicendorum, ueritatem Sententiarum, ita ut nunquam, qui eum tenuit, inueniatur à tramite ueritatis deuiasse, & qui eum impugnauit, semper fuit de ueritate suspectus.

Iohan. 9.

Doctrina Thomæ per Ecclesiam Romanam cribrata. &c.

Quid ergo contra Thomam faciunt præsumptuosorum & sciolorum latratus? Vide, an tuus Ordo peritiorem aut sanctiorem habuerit, quem sequaris, cum magnus Bessarion eleganter eructauerit. D. Thomam, inter Sanctos doctissimum, inter Doctos sanctissimum, Imo teste ueritate, quæ Christus est, bene scripserit, nisi forte mihi Augustinus obijciatur, sed oporteret prius uestra iurgia sopiri.

Tu uero postergato, non Thoma modo, sed Doctore alio quolibet, quantauis sanctitate præpolleat, ad probandum, quod Romanus Pontifex decernendo de fide & moribus possit errare, inniteris baculo arundineo tuam manum terebraturo, scilicet Abbati Siculo, uiro olim rebelli & schismatico, qui in Basilea, ubi Basiliscus pullulauit, pileum iniquitatis emeruerit, Qui etiam, quemadmodum Satanas, in omni suo opere suam antiquam superbiam redolet. Ita & ipse in omni sua doctrina redolet suum schisma, Ex qua

Abbas Siculus.

Ex qua re cogitur interdum ineptias docere, cum secum non habeat ueritatem, quæ etiam à te in hac re in tuam tuiq; Ordinis ignominiam proscripta est, Nempe ait, quod Pontifice maximo & Concilio de fide dissidentibus, ei standum esset, cuius rationes essent meliores.

O irrefragabilem uirum cui inniteris, irriso D. Thoma, in re tanti momenti, apud quem Ecclesiam insufficienter institutam dixeris, Quippe cum euenire possit litigium, quod Ecclesia terminare non possit, Quis enim inter Pontificem & Concilium iudicabit, utræ Rationes sint potiores, nisi aut idem sit Iudex in causa propria, aut infideles uel Ecclesiam uniuersalem Iudicem cum tuo Siculo facias, ac perinde ab extremis terræ omnes Vetulas conuocemus, ne illæ desint, apud quas est uera fides, Sed quia eiusmodi ad alium Tractatum attinent, missa sint.

Adijcis & Gersonem in tui munimen, qui & ipse de potestate Pontificis pessime sensit, & scripsit, non modo apud Thomam, lumen mundi, sed apud Doctores tui Ordinis, & apud Canones. Hi Doctorelli, cum te faciant de Romana Eclesia superbe sentire, & multi alij, qui æquo animo non ferunt, eam esse caput Ecclesiarum, sunt tibi, Luthere frater, multorum erratuum causa! *Gerson. Thomas lumen mundi.*

Quid autem mirum, quod Thomam nihilipendas, cum & Aristotelem ipsum, quem tota natura (ut ita dixerim) miratur, & cuius ueritate, Boetio teste, nihil clarius, & in cuius doctrina siue in logicis, siue in physicis, siue in moralibus, hactenus sit nulla inuenta falsitas, præter id, quod non certe, sed eodem teste dubitatiue, de mundi æternitate sensit, tu adeo dehonestas, ut tuis deberes uerbis erubescere. Reliquum est ergo, ut te auctore, quasi altero Archita, uel Platone, aut Pythagora, non Thomam modo aut Aristotelem, sed Doctorem omnium, qui celebrantur, cum asscriptorum cœlestibus, tum etiam non asscriptorum Scripta in melius commutemus, quasi nescij rerum inconsiderate scripserint, & Pontifices inaniter indulserint uenias. *Aristoteles.*

Occurrit nunc dictum illud tuum, quo me cum cryptis D. Pudentianæ, aut egregij martyris Sebastiani, irrides, Quasi ego his uulgi opinionibus sim probaturus, quod Ecclesia per uenias concedat animarum liberationem à purgatorio. Non citabo antra uel cryptas, sed autores tales, quos si negabis, negaberis & damnaberis. Quam uero tu subtiliter probaueris tua, per Clementinam citatam, propediem uidebis. Illud tamen non silebo modo, quod reuera egregius apparuisti Canonista, Et qui omnium Sanctorum doctrinas aspernaris, inæstimabilem & immensam molem in glosula & quidem male intellecta, fundasti. *Crypta Pudentianæ &c.*

Sed, ut dimittam Thomam, & ad propria me conuertam, Crebro me adulatorem uocas, quod quidem purgare erubesco, tibi tamen aliorum gratia responderim, quod ea, quæ de Pontifice Maximo scripsi, minora sunt uirtutibus eius personalibus. Cum autem uerum protulerim (teste Clero & populo Romano ac toto pene orbe) qua temeritate de intentione mea iudicare præsumis? Quin & partes meas egi, si te impeterem, Pontificem, cui fidem ex Christiana religione, & ex proprio iureiurando debeo, reieci. An non æque licet mihi cum ueritate ad defensionem laudare Pontificem, quem tu, quantum ad te attinet, grauiter fœdasti, sicut & tibi cum falsitate bene maledicere? in qua re omnium, quos unquam legerim, palmam triumphumq; reportas.

Quod autem dicis per Germaniam tuam id dici, scilicet quod adulatorie docuerim. Respondeo, me tibi illud non credere, sed potius quod mea Scripta, & in hac re & in alijs, maiori honori & reuerentiæ in Germania sunt, quam tua, & forte quam esse possint. Probauerim ista facilime, & de meis in Sphera ac Theoricis commentarijs, & de aurea Rosa & Siluestrina, & Epitomate Capreoli, quod Lipsiæ ex Legato publice legitur, ut accepi, & de alijs, nisi timerem, quod superbum aut uanum me acclamares.

Tractatus egregij & immortalitate digni a Siluestro conscripti.

Video autem nunc te iterum querelis agere, quod te Pontifici inuidiosum efficiam. Sed utinam tua Scripta, & tuum aliquid, quod taceo, non te Pontifici tantum, sed uniuerso orbi Christiano infensum fecerint. Ego enim meo more, si uere & humiliter senseris, pro uiribus te iuuabo, nec uana loquor, ingentem ignem palearum folliculis concitasti. Et modo dicis, quod silendo te eripere hinc nequeas, Vtinam te scires eripere bonis & dulcibus uerbis.

Sed quod deterius dixerim, ad priorum excusationem noua euomis, & falsa & scandalosa, quibus tamen niueum scutum apponis, quasi non assertiue, sed disputatiue loquaris, ac si leue & non graue peccatum sit, talia ex dubietate disputare. Et deinde te ad futurum Concilium, quasi ad singulare præsidium reducere, quod te tuus ille schismaticus forte docuerit. Nec tamen interim uolo Romanorum me scelerum Patronum uocites, ut interrogando minaris, sed magis si libet Romanæ doctrinæ non Patronum quidem, sed Professorem magis, & pro uiribus defensorem.

SEd ut Dialogum nostrum prosequamur, Scribis te nescire, an alium in Italia, & alium in Germania habeamus Thomam, quod scilicet ego dissentiam ab his, qui sunt in Germania, meis, Sed hac in re haud tibi crediderim, quippe, qui puto, quod alios æque ut me false cites, & sicut nostra, ita & aliena praue intelligas, siue ingenium, siue affectum eiusce causam, putarim, & quæ te recte intelligere inficiari nequis, in obliquum detorques.

Et ne me ad auras loqui putes, uerbi causa, unum aliquid in medium deducam. Reuolue, oro, diligentius, si lubet, uerba mea, & diligenter aduerte, an ex his haberi possit, quod pauperi sine ueniali peccato eleemosyna negari non possit, ut mihi falso asscribis, in qua re, grandi uerbositate me insequeris, cum non Siluester, sed Lutherus illud somniarit. Si me intellexisti, qui illud ne cogitaui quidem, cur contra me tot mendacia conuoluis? Si uero me non intellexisti, ingenio sobriore, lectioni, & studio te addice.

Impingis quoque in me mirabiliter, & de Phylargiria, & de ambitu dignitatum, quod eius rei gratia adulatorijs uerbis applaudam. Ad quæ aliud nihil dixerim, nisi quod mei cordis secreta, tu forte exploratiora tenes, quam ipse teneam. Si tamen de dignitatibus agitur, scio me iuuenem Episcopatum, cum sexcentum aureis, reiecisse. Forte autem ex senectute delirus, aliquando potero à meo instituto, quod quadraginta septem annis & eo amplius, in uita regulari uirilitate tenui, mollicie deflecti. Sed nec officium ipsum, quod Domini nostri munere prosequor, me aut quæsiuisse aut appetiuisse scito, sed tantum gratias egisse. Breui autem, si aduixero, me tibi & mundo ostensurum dixerim, quod in medijs globis flammarum, cum deliciarum & diuitiarum, tum etiam dignitatum & illecebrarum, neque tactus sum, neque afflatus.

Tu uero ais, quod Christum in me loquentem non audis, Sed neque ego uocem eius audio in te, præter unam, qua te Pontifici prostrauisti. Sed aliud quiddam in te mihi garrit, unde, aut in neutro nostrum Christus loquitur, aut alter surdus uel obaudiens est. Oremus Christum, ut sermones eius intonemus.

Scribis

Scribis autem me ex suggestione loqui declamantium uenias, eorumq; me exhibere Patronum. Sed quam longe in hoc quoq; à ueritate aberres, nouit omnium præscius Deus, cum ne uerbo quidem, ne apicibus dixerim, quidquam à quouis eorum exceperim, Viuit Dominus, quin eos à principio Minoristas putarim. Ad id uero, quod me de hæresi Donatistarum notas, cum dixero, à quo sit dispositio ad Dei gratiam requisita, poteris uerum ferre iudicium, Nunc uero te ante completum (ut aiunt) Euangelium consignasti.

Petis item, cum qua Ecclesia de Conceptione Virginis sentiam. Dico autem me nescire, cum qua, credere autem quod cum Romana, cum ex scriptis eius mihi mea sententia fluat. Cum uero decisa res fuerit, sciam cum qua, Interim autem credam cum ducentis sexagintasex Doctoribus, quorum nonnulli sunt Ordinis tui, te autem cum tuo olim schismatico relinquam, crediturum ut placet. Adijcis, ut nil odiosum dimittas, & de Reuchlino, quasi Ordo Prædicatorum illum insequatur, & non Vniuersitas Parhisina & Coloniensis & cæteræ. Quis autem eum tueatur, ueritas, an Ebræi, an Chrysostomus, an utriq;, nescio. Vnum tamen scio, quod officia mea, quæ sunt uiri iusti & misericordis, ignoras.

Conceptio Mariæ Virginis.

Iohan. Reuchlin.

Asscribis quoq; mihi, quod Entellum me esse effinxerim, cum ego Dareta tantum, & hoc gratia ostentationis uirium, & prouocationis in pugnam, nominarim. Nunc autem tibi illud Hieronymi ad Augustinum dico. Memento Daretis & Entelli, Entellum ætate grauem, Iuuenta leuis Dares in uanum risit, statim pœnas daturus. Scribis postremo, me pro uoto meo facultatem baptisandi te assumere, & quæcunq; animo meo insederint, nomina imponendi. Sed reuera nomen tuum proprium ego nunquam extuli, Efferunt uero illud passim tui Ordinis Patres. Sunt quam plura alia, quæ in me tela contorques, Luthere, sed iam animus indignatur has res sordidas euoluere, præsertim cum non amaro animo, sed pleraq; ioco, plurima inter excusandum protulerim. Interim me accingam ad dicta tua quam plurima explodenda.

Oro autem te, si Christum amas, ne plus sapias quam oportet, sed ad sobrietatem, Et quam cœpisti uiam perambules, iugiter & perseueranter. Quod si feceris, puto quod etiam in me sis auditurus Christum loquentem. Et forte Siluestro, quem nunc horres, tunc amicum fideliorem habiturus es neminem.

Vale.

FINIS.

EPITOMA RESPONSIONIS AD MARTINVM LVTHERVM.

MARTINVS LVTHERVS PIO LECTORI S.

HActenus cum Siluestro meo, charissime Lector, sic me uidisti in re pontificia agere, ut magis iocarer & luderem, quam serio quicquam tentarem. Quem animum mihi præstabat, quod hominem uiderem, non modo rudis & barbari ingenij, uerum etiam tenebris Thomisticis, & nugalibus Pontificum, seu potius Scribarum indoctissimorum, Decretis captiuum, quadam simplici stoliditate, ex me quærere triumphum.

At nunc, quid monstri aluerit, in lucem prodit, Vlturus enim homo miserabilis iocos meos, Epitomen, seu (ut Siluestraliter græcissem) Epitoma responsionis ad Martinum Lutherum edidit, tot tantisque blasphemijs a capite ad pedes usque refertum, ut in medio tartaro, ab ipsomet Satana æditum libellum existimem. Si Romæ sic sentitur & docetur, scientibus Pontifice & Cardinalibus (quod non spero) libere pronuncio his scriptis, Antichristum illum uerum sedere in templo Dei, & regnare in Babylone illa purpurata, Roma, & Curiam Romanam esse Synagogam Satanæ.

Romana Ecclesia, Satanæ synagoga.

Quid dicam? Papam quemuis, etiam impium, Deum nobis facit, & robur diuinæ Scripturæ, id est, uerbi Dei uim, quod est ipse Deus, ex illius hominis, etiam impij, autoritate pendere statuit, Cum tamen omnes simul fateantur, Papæ autoritatem robur habere, ex illo Christi: Tu es Petrus, &: Pasce oues meas, hoc est, non scripturas ex Papæ autoritate, sed autoritatem Papæ ex scripturis pendere. Neque enim ubi urgentur, alio confugiunt, quam ad harum Scripturarum ceu asylum, quo se muniant & roborent. At nunc Satan iste Scripturas per hominem roborat. Quid est Antichristus, si talis Papa non est Antichristus? O Satan Satan, quam diu abuteris patientia Creatoris tui in tuum magnum malum?

Scripturæ robur ex autoritate Papæ pendet, secundum Canonistas.

Quanquam ego libens admitto Siluestro miserabili, ut Scripturæ robur a Papa accipiat. Hæc enim erit una uia negandæ tyrannidis Papalis, & semel euertendæ. Cum enim Papatum e Scriptura statuant, & Scripturæ autoritatem per autoritatem Papæ eleuent, iam Papa nullo testimonio nitetur, nisi suipsius, nec iure diuino, sed suo proprio

proprio ſtabit. Sed quid confutem rabiem blaſphemi Satanæ tam manifeſtam? Optima erit confutatio, ſi Libellum ipſum, ut æditus eſt, nudum inuulgauero, ſecum habet ſuam confutationem, plus quam optare queam, potentem.

Itaq; lege Lector & geme, gloriam romanæ Eccleſiæ eo cecidiſſe, ut hæc hæretica, blaſphema, diabolica, tartarea, uenena, non modo intra ſe concipiat & alat, ſed in orbem quoq; propaget. Eant nunc qui gloriantur romanam Eccleſiam nunquam fuiſſe hæreſi contaminatam. Vnus hic Siluester, Arium, Manicheum, Pelagium, & omnes alios incomparabiliter ſuperat.

Si ſic Roma credit, beata Græcia, beata Bohemia, beati omnes, qui ſeſe ab ea ſeparauerunt, & de medio iſtius Babylonis exierunt. Damnati uero omnes, qui ei communicauerint. Et ego quoq;, ſi Pontifex & Cardinales, hoc os Satanæ non compeſcuerint, & ad palinodiam adegerint, his teſtibus confiteor me diſſentire romanæ Eccleſiæ, & negare eam cum Papa & Cardinalibus, tanquam abominationem ſtantem in loco ſancto. Extincta eſt in ea iamdudum fides, proſcriptum Euangelium, exul Chriſtus, Mores plus quam barbarici. Vna erat reliqua ſpes, Scripturæ ſanctæ illibata autoritas, & eiuſdem recta ſaltem opinio, ſi nulla intelligentia. Iam & hanc Satan occupat, arcem Zion & turrim Dauid, hactenus inexpugnabilem.

Nunc uale infœlix, perdita & blaſphema Roma, peruenit ira Dei ſuper te, ſicut meruiſti in finem, Nec tot orationibus, quæ pro te fiunt, niſi indies peior fieri uoluiſti. Curauimus enim Babylonem, & non eſt ſanata, Relinquamus ergo eam, ut ſit habitatio draconum, lemurum, laruarum, lamiarum, & iuxta nomen ſuum, confuſio ſempiterna. Idolis auariciæ, perfidis, apoſtatis, cynædis, priapis, latronibus, Simonibus, & infinitis alijs monſtris ad os plena, & nouum quoddam Pantheon impietatis.

Vale, mi Lector, & dolori meo ignoſce, & compatere.

· EPITOMA RESPONSIONIS
F. SILVESTER DE PRIERIO
PIO LECTORI. S.

SVAS suorumq́ preces (quod uidelicet nostra Epistola, quæ olim se parituram minabatur, non abortiret) Martinus Lutherus exauditas, & intelligat, & si lubet gratias reddat. [a] Neq́ enim abortiuit, sed pugilem & robustum & fortem enixa est, & adeo fatalibus armis instructum, ut [b] toto Christiano populo spectante, ut pollicebar, uictum sternat. Ne uero aut insidiose, aut repente se occupatum causetur, armorum suorum indicem mittit. [c] Accingatur ergo & sit uir fortis, quippe superbissimo illi uerbo, quo crebro utitur: Doceat me, inquiens, qui potest, Alludens pugil iste, dicit: Respondeat Martinus, si potest. Blaterare equidem poterit, sapienter uero respondere non poterit. Mox uero arma ipsa perspicies. Vale.

Lutherus Spalatino. Mitto Syluestrinam ἐπιτομήν, quam ipse Epitoma uocat, homo Græcobarbarus & latinococus, Tu statim remitte, excudetur mox in laudem & gloriam omnium hostium ueritatis cum Annotationibus meis, die 15. Decemb. Anno 18.

a Humilitatis causa seipsum iactat.

b Etiam in India & Scythia.

c Vide, ut heroice prouocet ad responsionem duorum librorum, per prologum tertij Libri, qui iuxta Euangelium primus & nouissimus est.

DE IVRIDICA ET
IRREFRAGABILI VERITATE ROMAnæ Ecclesiæ Romaniq́ Pontificis, Liber tertius, Index quidem longissimus, sed breuissimum Epitoma.

P[a]Osteaquam iuuante Deo, errores Aduersarij deteximus, item & reiecimus, Nunc breuissime, quæ iam dicta sunt recolamus.

Libri ergo primi caput primum de nostra [b] intentione erat, quæ est in toto opusculo detegere primũ, Deinde uero etiam euertere Martini Lutheri mala dogmata. Deinde uere specialius in primo Libro ostendere primo, Quod si Ecclesia militans sit Christi regnũ monarchicũ & hierarchicum. Et 2. quod in hac Hierarchia Romanus Presul primus ac summus Hierarcha sit, autoritate diuina, solus supremarum dubitationum resolutiuus, & solus Iudex infallibilis ueritatis, in spectantibus ad fidem & mores.

CAp. 2. [c] Quod Ecclesia militans sit cœli regnum, & Christi monarchia, item & hierarchia.

Et ibi 1. quod Ecclesia sancta catholica, sit regnum Christi.

Et 2. quod etiam ipsa imperium Christi sit.

Et 3. [d] quod sit regnum & imperium monarchicum.

Et 4. quod ipsa in ordine monarchiarum mundi est quinta, & ibi etiam secundum [e] diuinas literas, de quatuor terrenis monarchijs, Assyriorum, Persarum, Medorumq́, Græcorum ac Romanorum.

Et 5. quod ipsa est omnium monarchiarũ, quæ fuere, præstantissima.

CAp. 3. Quod in ecclesiastica Hierarchia Romanus Præsul sit Hierarcha primus, non dignitate modo, uerum etiam & iurisdictione.

a Obseruabis, Lector, schema, præteritum pro futuro.

b probe ait, de intentione sua fuisse, quia cum frustratus nihil effecerit, ostentat tantum ψευδόνυμα.

c Hæc nisi ex Siluestro nemo nouit.

d Sicut Christus dicit. Regnum meum non est de hoc mundo, & concordat uocabulum, Hierarchia, sacer principatus, idem quod mundanus & prophanus principatus, sicut Christus & Belial idem sunt.

e Id est, Siluestrinas, qui est Deus recens.

Et ibi

Et ibi 1. reijcitur error dicentium, Quod B. Petrus Romam non uiderit.

Et 2. [f] describitur, quis per Romanum Præsulem intelligatur, quia is est, qui est Christi uicarius, & successor Petri, ubicunq; præsideat, Antiochiæ, ut olim, uel Romæ, ut modo, uel alibi Deo uolente.

Et 3. Quod Christo uiuente B. Petrus ab eo fuerit Apostolorum primus institutus.

Et 4. Quod ista [g] primitas non fuit dignitatis tantummodo, uerum etiam iurisdictionis & potestatis.

Et 5. probabiliter, quod solus Petrus à Christo est institutus Episcopus personaliter, alij uero à Petro [h] instituti sunt.

Et 6. Quod Romanus Præsul sit Hierarcha summus, omnem Ecclesiasticam hypostasim sub ditione [i] sua continens.

Et 7. Quod Romanus Præsul institutus, [k] pastor & Episcopus catholicæ & apostolicæ Ecclesiæ sit censendus

CAp. 4. Quod Romanus Præsul in ecclesiastica hierarchia sit summus Hierarcha [l] capitalis orbis, Contra Aduersarium, qui Papam negat esse Ecclesiam uirtualiter, quod capitis proprium est.

Et ibi 1. Quod is, qui à Christo mutato nomine dictus est [m] Cephas, caput institutus à Christo sit omnium ouium suarum.

Et 2. ibi contra hoc multa argumenta soluuntur.

Et 3. Quod decedente Petro, necessarium fuerit in Ecclesia esse alium uniuersalem Pastorem, in sede eius, & rursus [n] isto migrante alium, usq; ad finem mundi, quoadusq; uidelicet Ecclesia duratura est.

Et 4. [a] Quod uerus & indubitatus B. Petri successor, est solus uerus & indubitatus Pontifex Romanus.

Et 5. [b] Quod Romana Ecclesia prima sit, & Ecclesiarum omnium caput à Christo instituta, & quam ignoranter dicatur, ipsam non fuisse caput, postquam Petrus ibi sedit.

Et 6. Quod Romanus Præsul rite institutus, æque & æquali autoritate caput sit, sicut & B. [c] Petrus.

Et 7. ibi destruitur opinio quædam hominum peruersorum, Quod Papa non sit caput Ecclesiæ uniuersalis collectiue, sed solum [d] distributiue, uolentium ex hoc, Papam non esse caput Concilij

Et ultimo, ibi multa contra hoc argumenta [e] soluuntur.

CAp. 5. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Præsul sit Hierarcha summus [f] ubiq;, contra aduersarium subtrahentem iurisdictioni eius nonnullas Nationes, scilicet, Græcos & fideles inter infideles habitātes.

Et ibi 1. per literas [g] sacras probatur uniuersalitas istius Monarchiæ.

Et 2. improbatur impietas Antonij Roselli, dogmatizantis Christ un ea ratione, qua homo, non habuisse ius terreni [h] principatus.

Et 3. per Augustinum & Scripturas probatur iterum futura [i] Euangelij secunda prædicatio, cum maiori populorum [k] conuersione, quam Apostolorum temporibus, cum in omnem terram exiuit sonus eorum, adeo, ut ne iure modo, uerum etiam facto ipso, Pontifex Maximus [l] rerum summam sit moderaturus.

Et 4. Quam [m] iurisdictionem Papa in infideles exercere possit, siue Gentes, siue Iudæos, uel etiam hæreticos.

CAp. 6. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Præsul sit Hierarcha [n] summus perpetuo, Contra aduersarium astruentem, Quod Romana Ecclesia non semper fuerit caput ab hinc in antea, Qui etiam uidetur suasus, quod [o] doctrinam eius in posterum possit euertere.

Et ibi

[Left margin notes:]

h Quia Christus ius Imperij terreni sibiipsi negauit, ut suo Vicario Romano integrum relinqueret, Hoc bene nota.

i Romani Iubilei.

k Conuersione.

l Etiam cœlestium, deturbato Christo & Deo.

m Nota, Papæ licet esse homicidam omnium cruentissimum.

n Nisi dum moritur.

o Doctrinam Papæ non oportet euerti, sed ipsa debet omnia euertere.

[Right margin notes:]

f Antichristus etiam erit uicarius Christi & Dei.

g Dicente Christo, Qui uult esse maior, sit minor.

h Præter Iudam Ischarioth & Matthiam, de quibus Acto. 1. dicitur, Et Episcopatum eius accipiat alter.

i Sicut Nero & Domitianus.

k Ad depascendum & perdendum.

l Non pedalis nec cubitalis.

m Nota, Cephas est caput, contra Ioh. 1. qui Cephan Petrum dici scribit.

n Hæc Prierias.

a Antiochenus Petri successor est Romanus.

b Hæc Prierias.

c Licet Petrus Apostolus & Papa solli sit Episcopus, minor scilicet, simul & æqualis.

d Imo confuse tantum & materialiter.

e More Prieriatico.

f Id est, in cerebro Prieriatico.

g Sicut Virgilius. Auri sacra fames.

Et ibi 1. ex Daniele & alias multipliciter ostenditur, [p] Quod regnum Christi nullo fine clauditur, nisi per transitum à terra ad cœlum, in fine mundi.

Et ibi 2. Quod ista perpetuitas per literas sacras ueteris Testamenti, astruitur, Item etiam per eas quæ sunt noui, Et 3. per sanctos Doctores.

CAp. 7. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Præsul sit Hierarcha, [q] autor omnis hierarchicæ iurisdictionis, Contra aduersarium, qui tenet iurisdictionem Papæ uniuersaliter, & diocœsani in diocœsi esse pares in ordine ad [r] Purgatorium.

Et ibi 1. Quod potestas iurisdictionis, à Romano Præsule in omnes ecclesiasticos uiros, ueluti à capite ad membra, uel sine medio, uel medio aliquo [s] descendit.

Et 2. Quod circa hoc sunt opiniones, falsas confutando.

Et 3. Quod Episcopus multiplicem obtinet potestatem, quæ tamen omnes ad eam, quæ ordinis & quæ iurisdictionis est, reducuntur, & omnes insunt ei à Romano [t] Pontifice.

Et 4. multa ibi soluuntur argumenta, multæ confutantur opiniones.

CAp. 8. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Præsul sit summus Hierarcha, [u] iurisdictionis incomparabilis, Contra aduersarium, qui uult in Concilio & consequenter in Ecclesia uniuersali esse quandam potestatem, quæ non sit in Romano Pontifice.

Et ibi 1. quid hoc nomen Ecclesia, & quam multa significet.

Et 2. Quod potestas clauium, siue ordinis sit, siue iurisdictionis, non est sic data uniuersali Ecclesiæ militanti, quasi omnia uel singula eius membra eam totam acceperint.

Et 3. Quod etiam non est clauium potestas sic uniuersali Ecclesiæ data, quasi data sit simul membris Ecclesiæ omnibus collectiue tota, siue (ut aiunt) collegialiter, [a] & non alicui membro sigillatim.

Et 4. Quod potestas iurisdictionis non est maior in Ecclesie uniuersali, quam in B. Petro & successore, sed nec æque magna.

Et 5. infertur corrolarie, quod cum Sancti dicunt Ecclesiæ uniuersali datas esse claues, non ea ratione accipiendum sit, quasi omnibus Ecclesiæ membris datæ sint, aut diuisim, aut etiam coniunctim, sed quia datæ sunt aliquibus Ecclesiæ membris, ut Petro primum, Apostolis autem in ordine & subiectione ad Petrum.

Et 6. [b] Quod Romanorum Præsulum iurisdictione non solum maior est [c] nulla, sed ne par quidem.

Et 7. Multi nodi aduersus dicta [d] soluuntur, & præcipue illud, Orbis maior est Vrbe.

CAp. 9. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Presul sit summus Hierarcha, [e] legum conditor, quæ ex necessitate salutis omnes [f] afficiant, Contra aduersarium, asserentem decreta Pontificum, & frigidissima, & nihil esse.

Et ibi 1. Quod Romani præsulis sit [g] condere leges

Et 2. Quod de necessitate salutis sit subesse legibus & præceptis Romani Pontificis [h] nihil contra Dei præcepta mandantis.

Et 3. [i] Quod hæreticum est dicere, Non esse ab omnibus obtemperandum legibus Pontificis Romani.

Et 4. Quod decretales epistolæ Romanorum Pontificum, etiam non editæ in Concilio, nec corpori iuris insertæ, & etiam omnes sanctiones, [k] suscipiendæ sunt ab omnibus & executioni mandandæ.

p Hoc uerum, sed non sic regnum Papæ.

q Id est, uenator robustus.

r Vnde pecuniæ extrahuntur, non animæ.

s Per saltum & in latus sumendo.

t uel dormiente.

u Ne cum Christo quidem, sicut decet Antichristum.

a Quia Papa non est pars Ecclesiæ uniuersalis, ideo uerum est, aliam ei potestatem esse, quàm Ecclesiæ, scilicet tyrannicam & diabolicam.

b Hæc fatalis Siluester, non abortientis minas.

c Nec Christi.

d Soluuntur per clauem Siluestrinam.

e Quia non claues sed clauas habet.

f Verè afficiunt & perdunt animas.

g Leges condere, id est, extinguere Ecclesiam.

h Sicut fere ubiq; facit.

i Imo Christianissimum esset papam semel cum suis impijssimis legibus abolere.

k Scilicet ut Ecclesia haeretica fiat, ex haereticis decretalibus.

CAp.

CAp. 10. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Presul sit summus Hierarcha, Iudex omnium solus [a] diuina autoritate, Contra aduersarium, qui dicit, Ecclesiam Romanam suam primitatem & consequenter autoritatem, non a Deo semper, sed aliunde a quater centum annis habuisse.

Et ibi 1. Quod a quo Romani Pontifices, post B. Petrum, suam autoritatem acceperint, [b] multi ignorarunt: & ibi multæ secluduntur opiniones.

Et 2. Quod Romani Præsulis potestas a Deo Christo immediate est. Ex quo infertur, q̄ totus mundus simul Romani Præsulis autoritatem ne dum [c] auferre, verum nec limitare quidem aut restringere possit.

Et 3. Quod autoritas Concilij [d] non est a Deo, nisi in casu hæresis, vel schismatis, non quidem omni, sed quodam, quando videlicet de nullo est certum aut purificabile, q̄ sit Præsul Romanus, sed omnis autoritas Patrū Concilij, siue vt singuli, siue vt Collegium vel Concilium, est a Romano Pontifice. Vbi etiam multæ de hoc falsæ opiniones eliduntur.

Et 4. Quod inter homines [e] solus Romanus Pontifex habet suam autoritatem a Deo immediate.

Et ibi multa cōtraria dissoluuntur, & maxime quod solet adduci ex decreto Concilij Constantiensis, Quod quanq̄ [f] veri concilij decretum nō fuerit, vt probauit Dominus Iohannes de turre Cremata: tamen etiam saluatur & ostenditur, verum esse tempore schismatis per rationes & autoritates: in qua tamen sententia peritioribus defertur.

CAp. 11. Quod in ecclesiastica hierachia Romanus Præsul sit summus Hierarcha, [g] iudex sine iudice, Contra aduersariū, qui a Romano Præsule appellando, facit Iudicem superiorem, aut singularem hominem, quod nunc improbatur, aut Collegium aliquod, & illud improbabitur capite sequenti.

Et hic 1. Vnde Concilium dicatur?

Et 2. Quid sit generale Concilium?

Et 3. Quod residente vno indubitato Pontifice, eius solius sit vocare [h] Concilium, & ibi nonnulli nodi soluuntur.

Et 4. Vacante sede, & tali necessitatis casu emergente, cui sine Concilio obuiari nequeat, cuius sit vocare Concilium.

Et 5. Quod aut Romanus Præsul, aut aliquis vice eius, debet [i] præsidere & præesse Concilio. Et ibi multæ falsæ sententiæ exploduntur.

Et 6. Quod licet Pontifex Maximus nequeat mutare locum Concilij in quo de eius hęresi tractaretur, si tamen Pontifex sit indubitatus, illud utique potest, non obstante Concilio [k] Constantiensi.

Et 7. Quod Concilium iam rite congregatum & iniciatum, Romanus Præsul ex toto potest [l] dissoluere.

Et 8. Quod decreta Conciliorum nullum ligant vel astringunt, nisi [m] Romani Pontificis autoritate firmentur. Et ibi multa contraria soluuntur.

Et 9. Quod Romanus Præsul [n] excepto casu suæ hæresis, in exteriori foro superiorem habere non potest, quanquam an id possit per compromissum, opiniones sint.

CA. 12. Quod in Ecclesiastica hierarchia Romanus Præsul sit Hierarcha, [o] Iudex sine iudice Collegio quopiam, & loquor de indubitato, Secus in casu hæresis aut schismatis, de quo supra, & hoc ut prælibatum est, Contra aduersarium, qui ad futurum Concilium prouocauit.

M Et ibi

[a] *Diuinorum & Ariolorum. Nec mirum.*

[b] *Cum illi ex corde suo fingerent.*

[c] *Furor Siluestri primus.*

[d] *Furor secundus.*

[e] *Et sic Paulus ad Galatas mentitur, dicens, non per hominem, nec ex hominibus.*

[f] *Notā, Romanistis est Cōcilium, quicquid & quantum uisum fuerit.*

[g] *Et hoc Antichristum facturum, est prædictum per Apostolum.*

[h] *Scilicet impiorum.*

[i] *Excepto Concilio Apostolorū, Acto. 15. in quo Iacobus præsedit, Et Niceno, in quo Eustachius Antiochenus.*

[k] *Concilio Constantiensi autoritas manet, quantum uult Siluester.*

[l] *Hoc & Satan potest & latrones.*

[m] *Furor.*

[n] *Excepto casu confessionis & ægritudinis, ubi medicus ei superior est.*

[o] *Id est, Antichristus*

Et ibi 1. [a] de duplici autoritate Patrum Concilij, videlicet vt sunt singuli, quæ ab autoritate Papæ distinguitur dupliciter, videlicet, vt causa secunda à prima, & vt partialis à totali, & vt sunt collegium, quæ est eadem cum autoritate Papæ, non numero, sed analogia. Et hæc in Pontifice est ordinaria & plena, in Concilio est commissa & quantum placet [b] Pontifici, ibi etiam de autoritate Patrum in Synodo prouinciali.

Et 2. Quod potestatum Papæ ac Patrum in Concilio, eo modo, quo distinctæ sunt, superior est pontificalis.

Et ibi 3. multa aduersa soluuntur.

Et 4. Quod Romanus Antistes, [c] nullo modo ligatur Conciliorum canonibus vel decretis, vt Conciliorum sunt, quod ideo dicitur, quia si Concilium statuat aliquid, quod etiam sit de iure diuino, scripto vel insito, puta, q Spiritus sanctus à Filio procedat, aut talis contractus sit vsurarius, ligatur quidem Pontifex, sed non ea ratione, quia Concilij sit, sed quia Dei, dist. v. q. i. sunt quidam.

Et 5. Quod Papa, etsi mutare non possit Conciliorum statuta, vt sunt aliquando etiam Dei, id est, de iure diuino, vt dictum est statim, Tamen ea, quę sunt Concilij, vt conciliũ, siue quæ spectant ad ius positiuũ, æque potest tollere, sicut & sua, id est, [d] ex rationabili causa, suo tamẽ arbitrio pensanda.

Et 6. Quod Patres Concilij non possunt simpliciter iudicare de omnibus, & ibi reprobatur [e] opinio iniqua Marsilij de Padua, & multa contraria dissoluuntur.

Et 7. Quod Pontifex indubitatus, nedum à Concilio, sed neq; à toto mundo potest iure deponi vel iudicari, [f] etiamsi ita sit scandalosus, q populos secum cateruatim ducat primo gehennæ mancipio, id est, diabolo, di. xl. Si Papa, sed ut ibi dicitur, Deus orandus est. [g] Contrarium tamen sapiunt, qui aliquando fuere scismatici, vt Panormitanus, in ea disputatione, quę incipit: Episcopus. Et quidam viuentes, contra quos cupio specialiter [h] disputare, si Dominus noster dederit mihi quietem concupitam.

Et 8. Quod Papa verus ad renunciandum causa schismatis [i] cogi non potest. Et ibi soluuntur multa contraria.

Et 9. Quod propter hæresim proprie dictam, Papa cadit à Papatu. Si tamen hæresis sit omnino occulta Ecclesiæ, non priuatur Papa sua potestate; & [k] creditur summus [l] Pontifex Christus supplere, & si se corrigat, iterum est Papa, Si uero hæresis eius sit omnino notoria, nec egeat probatione, & sit hæresis etiam formaliter, id est, cum obstinatione voluntatis, est sua potestate priuatus. Si uero sit dubia probabiliter, Cõcilium generale est Iudex, quod tunc deberet congregari, aut sua sponte, ut pro Marcellino, aut per eos quorum interest, iuxta prædicta.

Et ultimo, Quod pro hæresi uel notoria uel probata aut confessa, Concilium potest Papam deponere, siue potius declarare depositum.

CAp. 13. Quod in Ecclesiastica hierarchia Romanus Pręsul sit summus Hierarcha, [m] Iudex sine appellatione, Contra aduersarium iterum, qui à Papa ad futurum Concilium appellauit, ut dictum est.

Et ibi 1. [n] Quod a Papa ad Concilium adpellare non liceat.

Et 2. Quod appellans a Papa ad futurum Concilium, nedum [o] excommunicatus, uerum etiam & stolidus est, scilicet si ignorat se aliquid tentare, quod sine sui aduersarij, id est, Papæ consensu explere nequit, uel malignus scilicet, si hoc non ignorat, & tamen appellat.

Et 3. [p] Quod a Concilio licitè appellatur ad Papam absentem, non autem ad præsentem.

Et 4. Ibi soluuntur multa contraria.

[a] Nota distinctiones subtilissimas Archimagistri pallacij sacratissimi.

[b] Placitum Papæ est regula omnium.

[c] Vides ergo, Papæ nihil esse cum Concilio commune, ergo nec cum Ecclesia Dei; quod uerũ est.

[d] Nota limitationes egregias.

[e] Et totum Concilium Constantiense.

[f] Obstupesce cœlum, horresce terra, O grex Christi sanguine redempte, uide, quid sit Roma.

[g] Catholice & sancte.

[h] Nec fœlicius, nec sanius, quàm hæc scripta sunt.

[i] Sic diligit Pastor oues.

[k] Id est, somniatur.

[l] Scilicet Christus etiam sterquilinium impietatis inhabitat, noua benignitate.

[m] Nihil ad Lutherum, adulator fœdissime

[n] Furor.

[o] Sicut Christus à Iudæis excommunicatus fuit.

[p] Sententia Archimagistri.

Cap. 14.

CAp. 14. [k] Quod Romanus Præsul solus sit resolutiuus supremarũ dubitationum, Contra aduersarium dicentem, in his quæ sunt fidei, Concilium præesse Pontifici.

Et ibi 1. Quod Papa [l] solus habet decidere omnes quæstiones & dubia in fide, iudicio autoritatiuo siue iuridico & ultimato.

E 2. Quod si de Concilio loquamur, sicut de [m] aliquo non diuiso contra Pontificem, sed Pontificem ueluti caput includente, Sic autoritas Concilij & Papæ analogia una est, ac perinde ad Concilium pertinet determinare de fide, nisi Pontifex interdicat.

Et 3. ibi aduersa multa soluuntur.

Et 4. [n] Quod Romani Præsulis solius est à Deo & à natura institutas leges interpretari, & declarare in dubijs, nedum in moribus, sed etiam in spectantibus ad fidem, quod ibi autoritatibus & exemplis & rationibus asseueratur, & hoc probatur uerum de interpretatione nedum probabili, quæ est Doctorum, uerum etiam & necessaria, ita ꝙ sub pœna æternæ ac temporalis mortis eius Decisiones sequendæ sunt.

CAp. 15. [o] Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Præsul sit summus Hierarcha, Iudex infallibilis ueritatis, Contra aduersarium, qui in hoc ualde aberrat & obloquitur, ut in eius Libro patet.

Et ibi 1. quid sit [p] Papam agere ut est Papa, & quomodo omnes expositiones Sanctorum & Doctorum circa hoc reducuntur in unam, & quæ sit omnium opinionum radix, quæ est, ut Papa agat ut Papa, uel caput, si utatur auxilio membrorum, & faciat bona fide, quod in se est, ut intelligat ueritatem, secus ubi maliciose procederet.

Et 2. Quod Ecclesia uniuersalis decernendo de fide & moribus, errare nequit.

Et 3. Quod Papa etsi in quantum singularis persona, potest male operari, male credere, tamen nõ potest male decidere, ut Papa. [q] Et hoc probatur ibi in primis probabiliter, Deinde uero irrefragabiliter, nedum per Canones & concilia, uerum etiam per literas diuinas.

Et 4 Quod omnes constitutiones Papæ in decidendo de fide & moribus, [r] sunt à Papa, in quantum est Papa, siue cum assidentium consilio.

Et 5. Ibi soluuntur multa contraria prædictis, quibus æmuli Romanæ sedis conantur probare, quod aliquando Papa nedum operãdo, uerum etiam decidendo errauit, & specialiter de B. Petro, quem Apostolus reprehendit, Super quo aduersarius magnam quidem, sed ruinosam structuram fabrefecit.

CAp. 16. Quod in ecclesiastica hierarchia Romanus Præsul si summus [s] Hierarcha infallibilis ueritatis [t] solus, Contra aduersarium, qui expresse uoluit Concilij & non Papæ esse decidere de fide & moribus.

Et ibi 1. Quod [v] uniuersale Concilium etiam rite celebratum, intellectũ tamen ut aliquid contra Pontificem diuisum, decidendo de fide & moribus errare potest, & probatur errasse sæpius de facto.

Et 2. Quod Concilium rite celebratum, acceptum sic [x] ut caput suum, [y] Romanum Pontificem secum intelligatur habere coniunctum, utiꝗ decidendo de fide & moribus errare nequit.

Et 3. Ibi multa dissoluuntur argumenta malignorum.

Et 4. Quod si in materia fidei inter Papam & Concilium esset dissidium, siquidem iam res esset decisa per iudicium irrefragabile Spiritus sancti, iuxta dicta superius, illi standum esset, qui pro se dictam haberet decisionem, Quia alia pars, etiamsi esset Papa, niteretur contra Spiritum sanctum, quod tamen

[k] Sola potestate, etiamsi sit iuxta indoctissimus, & rusticissimus, quia ipse dixit et facta sunt.

[l] id est, solitarius, scilicet, quando in lecto dormit.

[m] Distinctio notabilis & magistralis.

[n] Hic non Siluester, sed Satan, princeps dæmonũ, loquitur.

[o] Et hic Satan loquitur.

[p] Papa ut Papa agit, quando portatur à Referendarijs, & beatos pedes præbet osculandos. Deinde quando per auariciam absorbet mundum, perditq; animas.

[q] Opinio Siluestri è tartaro aduecta.

[r] Sicut probatum est nouissimo Concilio, ubi decisum est, Animam immortalem esse, et esse decimas pro uentre Romano extorquendas.

[s] Satan.

[t] .i. solitarius. ut supra.

[u] Quale fuit nouissimum Lateranense.

[x] Scilicet, quia plus est in uno capite Papæ, quàm in tota Ecclesia Christi.

[y] Satan.

a Quid est in se? ne admittat facile Concilium, ob periculum reformationis Ecclesiæ.
b Id est, non siluestraliter.
c à Deo huius mundi, qui operatur in filijs diffidentiæ.
d Probatum est.
e Vel etiam magister palacij uel notarius aliquis.
f Pulchrũ argumentũ à sancto uiro ad impium.
g Hæreticum secundum fidem Siluestri, qua creditur impietati, ut Apostolus prædixit.
h Et per se notis ac primis principijs libris Elenchorum.
i Siluester impropria.
k Quasi Christi passio & merita Sanctorum habeant ullam proportionem. Sic Siluestraliter disputat.
l Ex Aesopi fab. prima.
m Tandem & per se.
n Hæreticum in uia Thomæ apostatica.
o Veritate Thomistica.
p Thomistarum.
q In Theologia Thomistica.

tamen est impossibile, si iam fecisset quod [a] in se est. Si uero res non esset decisa, sed decidenda, quidam dicunt standum ei, qui melioribus Rationibus mouetur, quod tenuit Panormitanus in ca. significauit, de elect. & in quadã Disputatione, quæ incipit: Episcopus, Sed [b] irrationabiliter, ut ibi probatur, & eo casu Papa deberet omnes audire, & ex motu sui cordis ([c] quod à Deo in talibus regitur) deberet formare iudicium, unde standum esset Pontifici bona fide & maturo consilio procedenti, quia sine Concilio habet irrefragabile iudicium, ut probatum est, non autem Conciliũ sine Papa, ut etiam [d] probatum est.

Et 5. Quod partibus aut Patribus Concilij inuicem dissidentibus in materia fidei, Papa aut [e] Legatus uice eius præsidens Concilio, iudicium formare non debet secundum iudicium maioris, sed sanioris partis, siue cuius Rationes sunt meliores, etiamsi esset unus solus, nam & [f] Paphnutius contradixit Nicenæ Synodo, & obtinuit, di. xxxi. Nicena.

Et 6. ibi multa obiecta soluuntur.

Libri secundi caput primum, Quod sit [g] hæreticum dicere, q in Ecclesia catholica non possint fieri ueræ Indulgentiæ, Contra aduersarium, qui ex promulgatis uenijs occasionem sumpsit impinguendi contra Apostolicam sedem.

Et ibi 1. Quid importet Indulgentiæ uerbum, ac ueniæ & remissionis.

Et 2. Quid sit Indulgentia.

Et 3. Quod in Ecclesia facit ueras Indulgentias Pontifex Maximus, & Episcopi, uel alij quidam sub limitatione Pontificis.

Et 4. Ibi dissoluuntur plura obiecta.

Et 5. Quod Sancti qui ad eiusmodi uenias elargiendas moti sunt, non ex uoluntate, sed ex ratione processerũt, quod probatur ibi ex probabilibus, & pene statim ex [h] necessarijs.

Et 6. Quomodo in nostro bono opere, puta eleemosyna, est meritum & satisfactio, & primum semper est operantis, non secundum, sed eius pro quo intendimus satisfacere.

Et 7. Quod merita Christi aut Sanctorum, non esse plene remunerata, est ab aliquibus Canonistis [i] improprie dictum, Intendunt autem, q talium satisfactiones non sunt omnes euacuatæ, uel applicatæ, alioqui iam passio Christi non esset [k] satisfactio pro quotidie pœnitentibus.

Et 8. Declaratur, quomodo in Ecclesia sit thesaurus, quod etiam pene statim post astruitur in cap. ultimo, [l] & quidem irrefragabiliter.

Et 9. Per quos dispensari possit iste thesaurus.

Et 10. Arguitur ad probandum uenias & thesaurum probabiliter, deinde etiam [m] necessario, prius tamen recitata extraua. Cle. vi. facta, de assidentium consilio, in qua est prolixa mentio de dicto thesauro.

Et 11. Quod [n] hereticum sit dicere, Ecclesiam non posse facere ueras Indulgentias, quod multipliciter probatur, & recitatur B. Antonium sic tenuisse & feli.

Cap. 2. Quod nunc sit hæreticum dicere, q in Ecclesia fieri nequeant ueræ Indulgentiæ pro defunctis.

Et ibi 1. Quod de ista questione olim opiniones fuere inter Theolog. & Canonistas.

Et 2. Quod opinio tenentium Indulgentias, ualere defunctis per modum suffragij [o] est uera, & probatur multipliciter.

Et 3. Quod dicta opinio iam nũc nõ est opinio, sed doctrina sententiaq; [p] Ecclesię, & opinio opposita, pari ratione nũc [q] error est, & nõ opinio solũ.

Et 4. Quod hæreticum sit asserere, q ueniæ defunctis non prosint.

Et 5.

Et 5. Declaratur, quomodo intelligendum sit, per modum suffragij.
Et 6. Contra prædicta soluuntur obiecta permulta.

CAp. 3. Quod virtualiter & per consequentiam hæreticum est dicere, Non posse per Papam indulgentem relaxari aliquam pœnam, taxatam per iusticiam diuinam.

Et ibi 1. Quod post contritionem & gratiam remanet homo obligatus reatu pœnæ exoluendæ temporaliter, quod multipliciter per [a] scripturas & Doctores, & Canones probatur, licet hoc neget aduersarius.

Et 2. Quod est aliquis locus purgandarum pœnarum post cõtritionem, à purgando dictus, & ibi, quomodo sit Purgatorium duplex, Ordinarium, quod [b] creditur communiter esse sub terra, licet hoc incertum sit, & Dispensatorium, quod saltem aliquando est in hoc [c] mundo.

Et 3. Quod in Purgatorio remittitur aut soluitur pœna taxata per iusticiam diuinam.

Et 4. Probatur hæreticum esse dicere, Quod non possit Papa per Indulgentias abolere pœnam taxatam per iusticiam diuinam.

Et 5. De quadam opinione noua & falsa, quæ est, ꝙ possit quidem Papa dictas remittere, sed tamen de hoc facto non facit etiam, quando plenarie indulget, sed semper remittit iniũctas à sacerdote, Hęc opinio necdum est promulgata, vel publicata potius.

CAp. 4. Quomodo sint [d] Indulgentiæ intelligendæ in se.
CAp. 5. Quomodo sint intelligendæ ex parte dantis.

CAp. 6. Quomodo intelligendæ ex parte accipientis.
CAp. 7. Quod vera sunt fundamenta, quæ olim ieci contra aduersarium.

Et ibi 1. Quod Ecclesia vniuersalis essentialiter est conuocatio in diuinum cultum omnium credentium in Christum. Ecclesia vero vniuersalis representatiue, est Concilium rite celebratum. [e] Ecclesia vero vniuersalis in virtute est Ecclesia Romana, Ecclesiarũ omnium caput, & Pontifex Maximus.

Et 2. Quod Ecclesia Romana representatiue vel eminentiore modo, est Collegium reuerendissimorum Dominorum Cardinalium, virtualiter autem est Pontifex summus, qui Ecclesiæ Romanæ & vniuersalis caput est, alio tamen modo ꝙ Christus.

Et 3. Quod sicut Ecclesia vniuersalis errare non potest, decidendo de fide & moribus, Ita nec verum Concilium, faciens quod in se est, vt intelligat veritatem, [f] quod intelligo incluso capite; & tandem ac finaliter, licet forte prima facie fallatur, quo vsque durat modus inquirendæ veritatis, imo etiam aliquando errauit, quanquam statuendo potius ꝙ decidendo, licet per Spiritum sanctum ab errore educeretur.

Et similiter nec Ecclesia Romana, nec Pontifex decidendo de fide aut moribus, ea ratione, qua Pontifex, id est, ex officio suo pronuncians, & faciens quod in se est, vt intelligat [g] veritatem.

Et 4. Quod quicunque non innititur [h] doctrinæ Ecclesiæ Romanæ, Romaniꝗ Pontificis, tanquam Regulæ fidei, id est, credendorum infallibili, à quo etiam robur trahit aut traxit sacra Scriptura, hæreticus est.

Et 5. Quod Ecclesia Romana sicut verbo, ita & facto potest circa fidem & mores aliquid decernere, nec in hoc differentia vlla est, præter id ꝙ verba ad hoc sunt accommodatiora ꝙ facta; vnde hac Ratione consuetudo vim obtinet legis.

[a] Id est, per consequentiam quintum Siluestri.

[b] Nota, creditur verbum impersonale, est fundamentum Thomisticæ & Romanæ Theologiæ, hoc enim probant omnia sua.

[c] Autoritas Siluestri.

[d] Indulgentiæ habent triplex esse, metaphysicum, naturale & logicum quartum tacetur, quod est, chymericum & propriissimum.

[e] Hic autor corrigit seipsum, prius tres Ecclesias iam quinque habens, Sic Romæ crescit sapientia.

[f] Magistralis & scientificissima distinctio.

[g] Vt exugat censibus orbem, uere hic non errat, proh dolor.

[h] Hic Satan ex imo tartaro loquitur.

Et 6. Corollarie, quod qui sentit, [a] quod Ecclesia Romana facere non possit inspectantibus ad fidem, quod de facto facit, hæreticus est, aliter sentiens de spectantibus ad fidem, quàm Ecclesia Romana.

[a] *Capiendo Ecclesiā Romanam sexto modo pro Magistro Palatij.*

CA. 7. Quod aduersarij sunt aliqui errores, præter eos, quos in suis Conclusionibus & earum resolutionibus tenet.

Et ibi 1. Probatur esse errorem, quòd in spectantibus ad fidem Papa sit sub Concilio, nisi intelligatur [b] de fide ipsius Pontificis, cum tamen aduersarius loquatur de spectantibus ad fidem simpliciter & uniuersaliter.

[b] *Quia hanc palatinam magistralem distinctionem ignorauit.*

Et secundus error improbatus est, Quod Papa decidendo de fide errare potest, & oportet (ut ibi probatur) quòd loquatur in quantum est [c] Papa.

[c] *Id est,* **nim brot/ ja golt.**

Et tertius est, Quod decreta Romanorum Pontificum frigidissima sunt & nihil.

Et quartus, Quod Romana Ecclesia non sit caput, nisi per Decreta frigidissima Romanorum Pontificum nata a quater centum annis, contra quę, inquit, sunt Historiæ autenticæ mille centum annorum.

Et quintus, [d] Quod liceat appellare futurum Concilium.

[d] *O quàm dolet hoc uulnus & ulcus.*

Et sextus, Quod Ecclesia Romana aut Pontifex non sit uirtute Ecclesia catholica.

Et septimus, Quod pessimum sit dicere, Deum impossibilia non præcepisse.

Et octauus, Quod illud uerbum Matth. 16. Quodcunque ligaueris, non sit priuilegium Petri, sed æqualiter conuenit omnib. Apostolis & sacerdotib. & toti prorsus Ecclesiæ.

CAp. 9. Quod [e] sit error asserere Pontificem summum non posse remittere per uenias ullas pœnas, nisi iniunctas per sacerdotes uel Canones.

[e] *Istos errores Lutheri ostendit, sed in secreto suo cubiculo in nocte.*

Et ibi 1. Recitatur error, & ex dictis ostenditur esse reprobatus.

Et 2. Respondetur ad omnia fundamenta aduersantis, & ostenditur, quòd leuiter processit, [f] quia scripturas male citat, ita quòd non solum non concludunt, sed nec etiam sunt ad propositum, nisi raro, & hoc per totum Librum facit.

[f] *Sic etiam Colonienses & Louanien. respondent, Estque hic solennis magistrorum nostrorum modus respondendi: Male citasti & exposuisti Scripturam.*

CAp. 10. Quod sit error asserere, quod Papa non possit plenarie indulgere, uel hic uel in futuro.

Et ibi 1. Ostenditur, Quod hoc sit error intelligendo de pœnis, quas diuina iustitia à nobis exigit pro peccatis, seu quæ ueniunt in foro animæ tolerandæ.

Et 2. Dissoluuntur omnia eius argumenta.

Et 3. Ostenditur esse errorem, quòd in Purgatorio Papa non possit remittere pœnam Canonum, non quidem in specie propria, sed in æquiualenti.

Et 4. Improbatur alius error, quo asserit, omnem pœnā huius uitæ mutari in pœnam mortis voluntarie toleratam.

Et 5. Probatur Ecclesiam Romanam tempore Gregorij fuisse caput, quod iste negat.

Et vltimo, Fundamenta eius, quæ nihil sunt, diruuntur.

CAp. 11. Quod iste aduersarius male sentiat de Purgatorio, vbi & hi errores improbantur, & dissoluuntur contraria argumenta.

Primus, Via hominis quantum ad crementum habituum & merita operum, non finitur in morte.

Secundus, Imperfecta charitas morituri, necessario secum fert magnum timorem, etiam post mortem, tantoque maiorem, quanto minor fuerit ipsa.

Tertius,

Tertius, Hic timor & horror satis est se solo (vt alia taceam) facere pœnam Purgatorij, cum sit proximus desperationis horrori.

Quartus, Videtur Infernus, Purgatorium & Cœlum differre, sicut desperatio, prope desperatio & securitas differunt.

Quintus, Necessariũ videtur animabus in Purgatorio, sicut minui horrorem, ita crescere charitatem. Fundamenta autem, quibus ad istos errores ponendos mouetur, ostendũtur deficere multipliciter, specialiter autem, quia g sacram scripturam male adducit, & aliter intelligit, ꝙ literales Expositores, & soluendo multa pulchra dicuntur.

g *Quàm coloniensiter loquitur.*

CAp. 12. Rursus, ꝙ aduersarius male sentiat de Purgatorio, vbi denuo multi errores, & multa falsa cum suis Fundamentis euertuntur.

Primum falsum, Nec probatum videtur, inquit, ullis aut Scripturis aut Rationibus, ꝙ animæ Purgatorij sunt extra statũ meriti, seu augendæ charitatis. Hæc ille.

h Cuius falsitas vel in hoc apparet, quod nos oppositum probauimus ratione, autoritate Sanctorum & Canonum, item autoritate Scripturarum, item autoritate Scripturæ & Sanctorum simul. B. enim Gregorius in 4. Dialog. ad propositum nostrum probandum, scilicet, ꝙ in Purgatorio merita non mutantur, adducit multas Scripturas, ut patuit capitulo priore.

h *Pulcherrima omnium consequentia. Siluester oppositum dicit, ergo est falsum.*

SEcunda falsitas, Nec hoc, inquit, probatum uidetur, ꝙ sint de sua beatitudine certæ & securæ, saltem omnes, licet nos certissimi simus. Hęc ille.

Quod i vtiq; falsum est, quia nos probauimus oppositum ex probabilibus, deinde vero ex necessarijs, & sua Fundamenta ostendimus nulla esse, maxime illud quod assumit totam Ecclesiam tenere easdem esse pœnas Purgatorij & Inferni, cum tamen nullus hoc dicat, sed sit falsissimum, k cum in Purgatorio nõ sit peccatum blasphemiæ, aut desperationis assequendæ gloriæ, quæ sunt maximæ miseriæ & pœnæ damnatorum, peius enim malum culpa ꝙ pœna, cum culpa Deo, pœna autem creatura priuet.

i *Eadem consequentia Siluestrica.*

k *Non sunt eædem culpæ, ergo non eædem pœnæ, iterum Siluestraliter.*

TErtia falsitas, Quis scit, inquit, si omnes animæ Purgatorij velint redimi? Hæc ille.

Sed ista falsitas improbatur multiplici ratione, Quæ autem pro se adducit, sunt nulla, precipue illud, ꝙ Paulus uel Moyses appetiuerit à Deo esse anathema perpetuo pro alijs, & ex Scripturis, quas adducit, hoc non habetur, sed eas male intelligit, & l citat.

l *Solutio eadem Coloniensium est.*

CAp. 13. Quod aduersarius male sentiat de potestate Pontificis, & ibi multi errores recitantur, reprobantur, & eorum Fundamenta ostenduntur esse nulla.

PRimus error, Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando & approbando remissam à Deo, aut certe remittendo casus sibi reseruatos. Hæc ille.

Qui istum errorem fundat in alio, ꝙ per m Sacramenta nouę legis gratia non conferatur, contra doctrinam communem Doctorum celebrium, Augustini, Hieronymi, Hugonis, Magistri, Senten. Bedæ, Raba. Petri de pal. & Conc. Flo.

m *Mentiris Siluester, Lutherus per Sacramenta gratiam dari melius sentit, quàm tu.*

SEcundus error, In sacramento, inquit, pœnitentiæ contritio non est adeo necessaria, vt fides, qua quis credit se absolutum, Et incomparabiliter plus consequitur fides absolutionis, quam feruor contritionis. Et in his, inquit, qui credunt in uerbum Christi, Quodcunq; solueris, non potest clauis errare. Hæc ille.

Qui & rursus, Erret, inquit, vel non erret Sacerdos, tu non erras, si crediderris scilicet te absolutum. Hæc iste.

Et hic etiam tractatur de euacuatione Purgatorij per Papam, in Responsione ad primũ eius arti: & probatur, ꝙ sicut [a] Papa per uenias potest unam animã à Purgatorio educere, ita & duas & tres, & sic in infinitum ꝙ diu extaret pro singulis rationabilis causa educendi, puta, si singulæ haberent eos, qui sibi ad plenum iuxta mandatum Papæ suffragarentur.

[a] *Hoc & Lutherus dicit, sicut potest unam, sic potest multas extrahere. Stat enim similitudo, quia nullum potest extrahere.*

TErtius error, Laboriosa, inquit, & inutilis est ars confitendi, imo desperandi & perdendi animas, qua hucusqꝫ docti sumus arenam numerare, id est, singula peccata discutere, colligere atqꝫ ponderare ad faciendam contritionem. Hæc ille.

Quartus error, Indulgentia data per modum suffragij, non plus ualet ꝙ suffragium solum.

Quintus error, Me, inquit, nihil mouet, quid placeat vel displiceat summo Pontifici, Homo est sicut & cæteri. Multi fuerunt summi Pontifices, quibus non solum errores & uicia, uerum etiam portenta placuerunt. Ego audio Papam ut Papam, id est, ut in Canonibus loquitur, aut cum Concilio determinat, non autem, quando secundum suum caput loquitur. Hæc ille, qui & ponit exemplum de cædibus Iulianis.

SExtus, solius Papæ, inquit, non est nouos articulos fidei statuere, sed secundum statutos iudicare & discindere fidei quęstiones. Hic autem erit articulus nouus, scilicet de uenijs, ideo ad uniuersale Concilium pertinebit eius determinatio, multo magis ꝙ Conceptio B. Virginis, præsertim, cum hic nullum, illic multum & magnum sit periculum animarum, alioqui cum Papa sit unus, qui errare potest in fide & moribus, periculo assiduo laboraret totius Ecclesiæ fides, si quicquid sibi uisum fuerit, necesse sit uerum credi. Hæc ille.

SEptimus, Si Papa, inquit, cum magna parte Ecclesiæ sic uel sic sentiret, & etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium uniuersale, alterum approbatum, alterum reprobatum, quod ne multis agam, illo uno probatur, quod Ecclesia Romana etiam cum uniuersali Concilio Basiliensi, ac tota ferme Ecclesia sentit, B. Virginem sine peccato originali conceptam, & tamen quia altera pars non est reprobata, non sunt hæretici, qui cõtrarium sapiunt. Hæc ille.

Octauus, Nam sentit, ꝙ Episcopus in sua diocœsi, & Curatus in sua parochia, æqualem cum Pontifice in Purgatorium habeant potestatem, quod hic aliqualiter tangitur & declaratur.

Nonus, Nam pœnæ, inquit, Purgatorij sine potestate clausum per solam contritionem remittuntur, quia perfecte contritus, quo ad Deum, à Purgatorio absolutus est.

Decimus, Nam in plenaria, inquit, Indulgentia, id est, omnium pœnarum, fallitur maior pars populi. Hæc ille, qui declarando habet, tanquam inconueniens, quod alij dicunt, post talem Indulgentiam animam decedentis nullo alio admisso peccato euolare. Deinde sic subiungit: Nec mirum, inquit, quando illi sic scribunt, legunt, clamant, quod si quis uenias consequutus, ante recidiuum moreretur, statim euolaret. Hæc enim, inquit, quasi non sint peccata nisi actualia, ac si fomes relictus nulla sit immundicia, nullum impedimentum, nullum medium, quod moretur ingressum regni, cum nisi ipse sanetur, impossibile sit intrare cœlum, etiamsi nullũ sit actuale. Hęc ille.

CAp. 14. Quod aduersarius male sentiat de spirituali Ecclesiæ thesauro, unde uenias elargitur.

Et ibi 1. datur intellectus talis thesauri.

Et 2. Ostenditur, ꝙ possibile sit, esse talem in Ecclesia.

Et 3. Ostenditur probabiliter ita esse de facto.

Et 4. Ostenditur idem demonstratiue.

Et 5. Ostenditur, quod quæcunque iste in contrarium adducit, nihil concludunt, & nihil pene ad propositum citatur, & ꝙ omnia eius fundamenta nihil sunt, nisi mordacitates & detractiones. Et in hoc cap. respondendo aduersario, [a] infinita pulcherrima tractantur.

[a] *Infinita forte Melyßi Anaxagoræ Leucippi.*

CA. 15. Completo secundo uolumine adiectum, uisa disputatione cum Eccio, & resolutione Lutherana de potestate Papę, quod ex dictis sparsim supra improbentur noui errores istius.

Et ibi 1. Quod Romanus Antistes diuino iure sit primus, & dignitate, iurisdictione, autoritate Doctorum latinorum.

Et 2. Autoritate Græcorum.

Et 3. Autoritate Conciliorum.

Et 4. Autoritate Scripturarum, quibus per istum [b] insufficienter respondetur, & ultimo idem astruitur theologicis Rationibus irrefragabiliter.

[b] *Quia Thomistice.*

CA. 16. Quod ex dictis soluantur omnia aduersarij maledicta.

Et ibi 1. Quod suæ rationes, quibus sine diuino iure probare nititur Romani Præsulis primatum, sunt ei, etsi non aliquæ in se uanæ, sunt quoque omnes insidiosæ.

Et 2. Quod solutio eius ad illam scripturam: Tibi dabo claues, nihil sit, & septem eius argumenta soluuntur.

Et idem 3. Probatur de solutione ad illam: Pasce oues meas, & quatuor eius argumenta soluuntur.

Et 4. Quod iniuste & ignoranter rideat ad decretum Leonis, dist. xix. ita Dominus, & dissoluuntur quatuor eius argumenta.

Et 5. Quod ignoranter rideat decretum Leonis. iiij. di. ij. de libellis.

Et 6. Idem probatur de ca. cleros di. xxi. & soluuntur tria eius argumenta, maxime illud, quod ex Concilio Aphricano di. xcix. in ca. primæ sedis, ubi iste deceptus [c] ęquiuocatione primitatis sedis illud cap. tam parens, quod glosam non meruit, minime intellexit.

Et 7. Quod iniuste impugnat decretū Ancleti. di. xxi. in nouo, & ostenditur testimonio etiam [d] græci Imperatoris, sacerdotium nouæ legis, ab antiqua Roma in omnes effluere.

[c] *Quid mirum, cum quotidie nouas fingunt de corde suo æquiuocationes.*

[d] *Id est, iure diuino.*

Et 8. Idem de Pelagij decreto di. xxi. sancta, & 4. eius argumenta soluuntur.

Et 9. Quod ignorantissime impetat decretum Nicolai di. xxi. Inferior, & ostenditur, quod nihil sint, quæ in contrarium adigit, tela.

Et 10. Idem de ca. omnes di. xxij. & septem eius calumniæ repelluntur.

Et 11. Idem de Anacleti decreto di. xxij. sacrosancta, & sex eius calumniæ repelluntur.

Et 12. Quod iniuste & maligne impetat Pascalem in decretali, significasti, de eleemosyna.

Et ultimo, ꝙ suam Conclusionē xiij. [e] male probet, sed omnes eius probationes aut ex malicia, aut inscicia magna procedunt. Caueat autem iste, quia quantum ego capio, ceruice sua Dei iudicium baiulat. De iuridica & irrefragabili ueritate Romanæ Ecclesiæ, Romanique Pontificis. Liber tertius finit.

[e] *Et hoc colonialiter & louanialiter dictum.*

AD

AD LECTOREM
MART. LVTH.

HAEC quisquis legis, Christiane frater, Siluestro Satanæ organo prolata, intelligere debes, nõ nisi summo odio & incredibili metu generalis Concilij esse conficta. Agunt enim Romanistæ iam dudum furore impietatis suæ insanientes, quo impunitam licentiam quiduis audendi habeant, ne aliquando Concilij remedio, afflictæ & vastatæ Ecclesiæ succurratur, & Romanensib. Nimrothis, Ismaelitis, sanguisugis, Sybaritis, Zodomitis, Antichristis, orbem totum, fictis (ut Petrus prophetauit) uerbis seducentibus, modus aliquis ponatur.

2. Pet. 2.

Papa supra Concilium secundum Canones.

Cum itaq; futurum uideant, vt Concilium prohibere nequeant, fingunt Papam esse supra Concilium, sine eius Autoritate nullum cogi, nullum durare, nullum obligare, & prorsus nihil facere ullum Concilium. Ipsum uero Papam esse regulam infallibilem ueritatis, autorem intelligendæ Scripturæ. Quibus figmentis & mendacijs plus, q̃ tartareis, si cogantur Concilium admittere, tamen ante eluserint, q̃ admittant, & sic vndiq; impunitam suam Sodomam & Babylonem redemerint.

Mihi uero videtur, si sic pergat furor Romanistarum, nullum reliquum esse remedium, q̃ vt Imperator, Reges & Principes vi & armis accincti, aggrediantur has pestes orbis terrarum, remq; non iam verbis, sed ferro decernant. Quid enim lallant perditi homines, etiam communi sensu priuati, q̃ id quod Antichristus facturus prædicitur, ac si nos insensatiores q̃, trunci sunt, habeant.

Si fures furca, si latrones gladio, si Hæreticos igne plectimus, Cur non magis hos Magistros perditionis, hos Cardinales, hos Papas, & totam istam Romanæ Sodomæ colluuiem, quæ Ecclesiam Dei sine fine corrumpit, omnibus armis impetimus, & manus nostras in sanguine istorum lauamus? tanq; a communi & omnium periculosissimo incendio nos nostrosq; liberaturi. O fœlices Christianos, vbi vbi fuerint, modo sub tali Romano Antichristo, sicut nos infœlicissimi, non fuerint.

Papa Christianis & infimis par in præceptis Dei.

Ego interim me expediam, & testatam meam hanc tum conscientiam, tum monitionem, relinquam, Quod Romani Pontificis autoritas, siue sit diuini siue humani iuris, non altius q̃ quarto Præcepto, id est, primo secundæ tabulæ, præcipitur, ubi dicitur: Honora patrem tuum & matrem tuam. Hinc assero ipsum esse omnibus nobis parem in præceptis Dei, maxime primis trib. vt vbi contra horum vnum aliquid fecerit, subiectus sit cuilibet fideli admonendum & accusandum,

dum, iuxta illud Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te non audierit, assume tecum alium, aut duos. Si hos non audierit, dic Ecclesiæ, id est, palam coram omnibus, si Ecclesiam nõ audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Matth. 18

Quis est, qui Papam & Papistas ab hac Euangelij lege excipere possit? An Papa non est Frater? an non omnibus suis hæc Christus præcipit? Da locum Scripturæ, qui probet, Papam non licere in hanc Regulam cogi? An figmentis suis dæmoniacis nos territare tentant; vt huic Christi præcepto nõ obediamus, ob hominem in Deum peccemus, & timore traditionis humanæ, Dei præceptũ irritum faciamus?

Vere nunc intelligo, de quibus loquutus sit Petrus, 2. Pet. 2. Erunt in uobis Pseudomagistri, per quos uia ueritatis blasphemabitur, Deũ, qui eos emit, negantes, Qui in auaricia fictis verbis de vobis negociabuntur. An non est hoc viam veritatis blasphemare, si neges, verbum Christi in aliquem hominem peccatorem valere? Ego sum excusatus, & pronuncio ex his verbis Petri & Christi. Si Principes, Episcopi, & quicunque fideles, Papam errantem quolibet crimine, non monuerint, corripuerint, accusauerint, pro ethnico habuerint, esse omnes blasphemos viæ veritatis, & negatores Christi, cum Papa æternaliter damnandos. Dixi. 2. Pet. 2. *Viam ueritatis blasphemare.*

R. PATRIS FRATRIS
IOHANNIS NANNIS, VITERBIENsis ordinis Prædicatorum Theologiæ professoris de Monarchia Papæ disputatio, scripta Anno M. CCCC. LXXXI.

Cum Postfatione Martini Lutheri, in tam solennem Disputationem.

M. L.

INVENIES HIC LECTOR, DE DONATIONE Constantini Articulum Ecclesiæ Papalis, solenniter & Magistraliter defensum, quod & multi alij fecerunt. Vt scias neque iocum neque ludum fuisse eis istud Decretum de donatione Constantini, licet hodie quosdam istius pudeat, & negare libenter vellent, Sed Papa non patietur &c.

EXCERPTA EST HAEC DISPVTATIO EX Commentario eius super Apocalypsin, In quo, plusquam italico fastu sibi arrogat Prophetiam de perdendo Turcarum imperio & de triumpho glorioso Ecclesiæ latinæ, statim ab anno M. CCCC. LXXX. futuro. Sed res ipsa declarauit, eius Prophetiam, italicam arrogantiam & uanitatem fuisse. Cum Zelimus Turcarum Imperator, quem hic concacatus Propheta, ultimum & pereuntem facit, maxime res Turcarum extulerit, capta Aegypto & duobus Soltanis cæsis &c.

DISPVTA-

DISPVTATIO DE MONARchia Pontificis Maximi.

Vbitatur, An Agnus & vicarius eius Pontifex maximus, sit iure diuino Rex regum, siue Monarcha temporalis huius mundi, Et videtur quod non, his Rationibus. Primo, quia omnis Monarcha temporalis, defensat suam monarchiam. Sed Christus eam temporaliter non defensat, imo, vt euidentia declarat, potius flagellat & minuit. Ergo non habet Monarchiã in hoc Mundo temporalem. Et confirmatur dicto Christi Iohannis 19. cap. dicentis ad Pilatum. Regnum, inquit, meum, non est de hoc mundo. Sed Monarchia temporalis, est de hoc mundo. Ergo ius monarchęi Christi non est in hoc mundo, sed expectatur in alio.

Baroco. *Festino.* Iohan. 19.

Ad hoc firmissime tenentes respondemus, quod nedum in futuro seculo, sed etiam in præsenti Christus solus habet monarchiam iuridicam. Et hoc primo declaratur ex secundo capitulo Danielis, vbi dicitur, Quod lapis abscisus de monte sine manibus, qui est Christus, confregit Statuam, & ipse factus est Mons magnus, & impleuit vniuersam terram. Sed ibi ad literam loquitur Angelus de successione Monarchiarum mundi, & Lapis replet etiam cœlum & terram vniuersam. Ergo monarchia Christi vniuersalis est, nedum cœlestis, sed temporalis. Et confirmatur per exponendi Danielis modum, sic ibi dicentis. In diebus autem Regnorum illorum, scilicet subiectorum Romanis, suscitabit Deus cœli Regnum videlicet Christianorum, vt omnes Catholici exponunt, de quo regno sic dicit statim. Regnum illud non dissipabitur, & alteri populo non tradetur, sed comminuet & consumet uniuersa Regna, ipsum autem stabit in æternum.

Daniel. 2. *Ergo Baculus stat in angulo.*

Ex qua Autoritate hoc colligitur. Omne Regnum quod potest impugnari & affligi temporaliter, sed non deleri, est regnum temporale. Quia Regnum in alia uita nec impugnari potest nec affligi. Sed regnum Christi potest affligi temporaliter & impugnari à Bestia, sed non deleri, ut patet ex dicta Autoritate & ex septimo capitulo eiusdem Danielis & in toto libro huius Apocalipsis. Ergo Christi monarchia est etiam temporalis, Quæ licet impugnata & afflicta sub septem sigillis, & septem tubis, & septem phialis, tamen eius Iurisdictio non tradetur à Deo alteri populo, ut ait Daniel secundo capitulo, sed tandem auferet à bestia omne regnum quod est subter omne cœlum, & dabit populo Christiano, ut ait idem septimo capitulo. Et ita Regnum temporale Christi dissipabit omnia alia Regna & ipsum stabit in æternum. Quia omnia terminabuntur regna, Solum autem Christianorum regnum stabit, quia neq; in præsenti, neque in futuro, huius Regni erit finis, ut dixit Angelus ad Mariam Lucæ primo capitulo.

Vide dialecticam pulcherrimam & perfecte magistraliterq; nostraliam. Daniel. 7. Daniel. 2. Lucæ. 1.

Et confirmatur, quia Danielis septimo capitulo, ut ibi declarauimus, circa finem capituli, ad literam loquitur de Maumeth, qui loquitur contra Excelsum sermones, & putauit posse mutare leges Christi in Alcoranum, & tempora ab anno salutis uoluit mutari ab annis Maumethi, & sibi intitulari. Vbi duo habemus. Primum, quod auferetur regnum à Bestia & dabitur populo Sanctorum. Sed Regnum, quod iudicium Dei auferet à Bestia, est temporalis eius monarchia. Ergo Christus & uicarius eius Pontifex maximus, sunt diuino iure temporales Monarchæ. Aliud dicitur, Quod populo Christiano dabitur magnitudo Regni, quæ est subter omne cœlum. Sed subter cœlum nõ est nisi tempus. Ergo Christi monarchia est temporalis etiã in hoc seculo.

Daniel. 7. *Maumeth.*

Et consonat huic dictum Christi Matthæi ultimo Data est (inquit) mihi omnis Potestas in cœlo & in terra. Sed omnis potestas est uniuersalis Monarchia. Quia Saracenorum non est omnis potestas. Ergo Christo & Vicario

Math. 28.

& Vicario eius data est Monarchia, ne dum cœlestis, sed etiam terrestris. Atque ita Agnus cum populo latino, ut ait hic Iohannes, pugnabit temporaliter cum bestia & Saracenis, & Agnus uincet illos, quia iure diuino soli sibi est tradita uniuersalis Monarchia, & est solus Rex regum & Dominus dominantium, & latini qui sunt cum eo, sunt uocati ad bellandum, & Electi ad regnandum uniuersaliter, & fideles ad conseruandam Euangelij monarchiā. O quanta, erit gloria Latinorū. Certe ipsi soli sunt Enoch & Helias reseruati ad pugnandum contra Antichristum & fœlices Victores.

Manet alta mente repostum Imperium Italiæ fractiq; iniuria regni.

Ad Rationem dicimus, Quod aliud est, non defensare & minuere, aliud emendare & corrigere. Negamus igitur, quod Christus non defensauerit Ecclesiam suam, aut diminuerit, sed bene in his flagellis permisit partes Ecclesiæ leprosas & hæreticas atq; scismaticas flagellari. Hoc autem non est ius suum non defensare, aut de iure suæ Monarchiæ minuere, sed solum languidæ parti occurrere, atque mederi per illas medicinas & media tyrannica Bestiæ, quæ sua sapientia nouit melius expedire.

Gremertzi per labora information.

Ad secundam Rationem dicimus cum Augustino super illo uerbo Christi. Ego nō sum de hoc mundo. Aliud, inquit, est esse de hoc mundo & hinc, aliud autem esse in hoc mundo, & hic. Esse enim de hoc mundo, est habere iura sua à mundo & more mundi. At Christus non habuit ius sui Regni à mundo, sed à Deo promittente per scripturas Danielis & Angeli, quod suæ Monarchiæ non erit finis, sicut præcedentes.

Esse de hoc mundo.

Similiter non acquisiuit eam more Mundi, militum multitudine & armis, sed Miraculis & morte uicit, ut exposuimus super secundo Esaiæ Prophetæ dicentis de Messiæ militib. Conuertent gladios suos in uomeres & lanceas suas in falces. Non leuabit ultra gens Apostolica contra gentem gladium. Et hoc est, quod Christus non negat Pilato Regnū suum esse hic, & in hoc mundo, sed esse hinc & de hoc mundo dicens. Si Regnum meum, esset de hoc mundo, ministri mei utiq; armis more mundi decertarent, ut nō traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc.

Esaie.2.

HOC loco surgit dubitatio. Si regnum Christi non armis acquiritur, quomodo Iohannes Euangelista in sequentibus capitulis ponit latinos acquisituros uniuersalem Bestiæ monarchiam pugnis, bellis & armis. Et respondemus, Quod latinus exercitus licet usurus sit armis, tamen magis erunt pro signo, quam effectu, quia illa arma nihil ualebunt contra tantam Saracenorum potentiam & exercitus, sicut & arma Petri nihil ualuerunt nisi ad abscisionem auriculæ. Sed accident multa Miracula & diuinæ uirtutes, quibus territi infideles subiugabuntur. Nam ut ait Apostolus, primæ ad Thessalonicenses ultimo. Dominus Iesus interficiet impium spiritu oris sui.
Esaie.11. Et hoc idem asserit Esaias 11. cap. ut ibi ad literam exposuimus. Ergo in armis latinorum non operabitur uis armorum, quam Turci non trepidant, sed spiritus Iesu miraculosus. Et ideo Iohannes, cum hic dicit, quod uocati & electi ac fideles latini pugnabunt, non dicit arma eorum, sed Agnus uincet illos, quoniam rex regum est, & hæc de litera capituli.

(Nihil) Etiam mentiendo nimium uera loqueris, proh dolor

Ex his multa dignissima memoratu occurrunt. Primum est, Quod
Daniel.4. ius omnium Monarchiarum a solo Deo est, hoc patet Danielis quarto cap. quando Nabochodonosor dictum est. Scias, quod excelsus Dominatur in regno hominum, & cuicumq; uoluerit dabit illud.

Nabochodonosor Daniel.4.

Secundum est. Quod solæ quinque Monarchiæ sunt a iure diuino. s. Chhaldea, Persa, Græca, Romana, Christiana, quarum quatuor primæ ad tempus concessæ fuerunt a Deo, ultima uero stabit in æternum, & ius eius alteri populo non tradetur. Hoc probatur Danielis secundo & septimo capitulis, & Luce primo.

Daniel. 2. & 7. Luce.1.

N Tertium

Tertium est. Quod omnes aliæ Dominationes his non subiectæ, tyrannicæ erant ac permissiuæ. Et ratio est Iob. quia Deus non facit regnare hypocritam siue Tyrannum contra instituta a se Dominia, nisi propter peccata populi.

Quartum est. Quod verus Monarcha est Pontifex maximus, Ratio, quia ei soli delegata est uniuersalis Christi potestas, non solum ligandi & soluendi sed & in fide cõfirmandi & omnes oues & agnos temporaliter pascendi, ut patet ex Euangelijs.

Quintum est. Quod prohibitiones duas Christus in passione, reuocauit in resurrectione. Prima prohibitio fuit, ne irent ad prædicandum Samaritanis & Paganis, sed solum ouibus Israel. In resurrectione hanc relaxauit propter promulgationem Euangelij dicens, Euntes in mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Secunda prohibitio fuit de pecunijs non portandis & gladijs. Quia cum Iudæis prædicarent, ab eis recipiebantur. Sed quia futurum erat dominium mundi in eis & successoribus Idcirco in passione ius illud abrogauit & aliud pro futura monarchia condidit dicens. Quando misi uos sine sacculo & pera & calciamentis, nihil uobis defuit. Sed nunc qui habet sacculum tollat similiter & peram. Et qui non habet arma, uendat tunicam & emat gladium.

(Eis) Qui fuerunt isti Eis? An Apostoli fuerunt Domini in mundo.

Habes ergo hic Pontificem, gladio ornatum, autoritate Christi?

Sextum est. Quod absque uoluntate Senatus & populi Romani Constantinus debuit resignare imperium Siluestro. Hoc patet, quia iam ad Christum erat deuoluta Monarchia iure diuino. Quod autem est de iure diuino, absque senatus consulto debuit fieri.

Septimum est. Quod Siluester imperij gloriam suscipere potuit à Constantino, & beatus Sixtus potuit thesauros imperij a Philippo imperatore suscipere, & thesauros Ecclesiæ appellare. Ratio, qui potest Monarchiam suscipere iure diuino, potest & eius annexa suscipere eodem iure, potissime cum Christus relaxauerit ius non utendi pecunijs & armis.

Philippus Imperator.
Sixtus.

B. Laurentius.

Octauum est. Quod beatus Laurentius martyr inuito imperatore Decio dictos thesauros potuit dare pauperibus, Ratio, thesauri non erant Tyranni, sed monarchæ ueri. At uerus Monarcha erat Sixtus Pontifex urbis iure diuino, & Decius erat ex consequenti Tyrannus. Et idcirco beatus Laurentius nec dici, nec esse potuit fur & raptor.

Decius Imperator.

Nonum est. Quod Cæsar & primogenitus Ecclesiæ imperator ille est, quem uicarius agni Cæsarem instituit ad defensionem Monarchiæ.

Vltimo sequitur. Quod, qui Christi vicario contradicunt, siue Cæsares, siue Reges ac Principes & Potentatus, statim iure diuino Tyranni efficiuntur, suntq; magis sub Bestia maomethani Tyranniade, quam sub iuridica diuina Monarchia immaculati Agni. Hæc igitur hactenus dicta sunt.

MART.

Egimus Iohan. xij. quod Iudas Ischarioth indignatus sit, cum tantã videret vnguenti perditionem, quam Magdalena in corpore Christi prodegerat, religiosissime causatus, potuisse pauperibus tantum thesaurum multo sanctius distribui. Fuit hæc sane magnifica & miranda pietatis species in tam perdito & nefario homine, ita vt & cæteri quoque Apostoli, ea verbi magnificentia seducti, crederent (sed simplicitate Apostolica) hominem serio & vere talia loqui, Sed postea, re ipsa docti, viderunt (sicut Iohan. dicit) eum furem fuisse, et furandi causa tam religiose de Ecclesia pauperum curanda mentitum.

Iudas indignatus Ioh. 12. ait. Quare hoc unguentum non uenijt &c.

Hunc plusquam gnauissime Romanus Pontifex imitatus, postquam vidit in corpus Christi (quę est Ecclesia eius) magnos thesauros per fideles, optimas Magdalenas, id est, Animas credentium, & Principum Christianorum, profusos, pro fouendis ministris Ecclesiæ, & alendis membris Christi, in hac vitæ miseria, captus insanissimo furandi & rapiendi furore, cœpit & ipse clamare, per omnes Decretales & Scripta suorum adulatorum, sese curam omnium Ecclesiarum spectare, & oues Christi pascendas sibi commendatas esse, specie nõ modo Ischariotica, sed plus quam angelica, per hoc mendacium totius Ecclesiæ opes furari & ad sese rapere conatus, cum nullum sit post ipsius Satanæ, Patris mendaciorum mendacia, impudentius & impurius mendacium sub sole proditum, quam quod Rom. Episcopus sit Pastor totius Ecclesiæ.

Papa imitator Iudæ.

Impudentiss: mendacium, Papam totius Ecclesiæ Pastorem esse.

Et fuit Iudæ mendacium Apostolis sine periculo, cum ignari crederent fallacibus verbis, pro officio charitatis (quæ omnia credit) nec in eius verba fidentes mori voluissent. At noster Romanus Ischarioth sic adornauit nobis Christianis suum mendacium, vt nisi pro Articulo fidei adoraremus, non modo periculum salutis immineret, sed certa, præsens, & latæ sententiæ damnatio, nos iamdudum ante secula hausisset. Et delectabat eum ista credula & stulta simplicitas fidelium, in qua pro libidine sua ludere, quæ vellet, stylo liceret Curiali. Nam (si voles) Historias percurre & obserua, an vnquam e Papæ Curia prodierit vna pagina, imo duo versus doctrinæ Christianæ, vel saltem Decalogi, cum tamen interim Decretalium & Bullarum, de Præbendis, Pallijs, Dignitatibus & alijs prophanissimis nugis, sine intermissione, sine fine, sine modo Tempestates & Maria exundarint in omnem Ecclesiam.

Romanus Ischarioth.

Quæ omnia cum tot seculis videamus, palpemus, sentiamus, experientia ipsa ita sese habere, Nihilominus, os istud durum & impu-

dens Romanæ Lupæ audet gloriari, sese velle pascere oues Christi, & omnes Ecclesias, satanica & furiali nequitia, verbum pascendi, huc detorquens, vt significet ei, temporaliter & corporaliter in rebus fidelium, ad perditionem animarum, licere tyrannisare & furere. Quasi vero Animæ fidelium valde bene pascantur, si loco puri verbi Dei, quo aluntur in vitam æternam, deuorare cogantur, merdas, stercora, cloacas Bullarum & Decretalium, de Primatu, dignitate, potentia & similibus portentis tyrannicis, quibus venter Papæ & esca eius in hoc seculo glorificatur & in Deum exaltatur, his qui pereunt. Atque vtinam essent duntaxat merdæ & cloacæ pessimorum hominum, & non potius, venena aspidum insanabilia, & oua Basiliscorum (vt Isaiæ verbo vtar) ipso visu interficientium.

Quomodo Animæ fidelium pascantur a Papa.

Iesai. 59.

Nam tollerasse has cloacas aut etiam deuorasse, satis fuerit magna miseria generis humani, sed pro Articulis fidei necessarijs ad salutem recipere, & in eis confidere & mori, tanquam obedientia salutari ad vitam, Hoc est, nouissimum malum & vltimi temporis, quod Paulus periculosissimum & sæuissimum fore prædixit, Hoc non pertinet, nisi ad purpuratam illam Meretricem, Matrem fornicationum & abominationum terræ, mysticam Babylonem, ebriam sanguine Sanctorum & sanguine Martyrum Iesu, quæ gestatur a coccinea Bestia, nominibus blasphemiarum plena, Sic enim describit ille Curiam Papæ, & tale est reuera regnum Papæ, Tantum tantorum malorum infernum præualuit inducere in orbem, vna falsa glosula huius verbi, Pasce, dum non de Euangelio docendo, quod Pontifices Ischariothici, ne summo quidem digito attingunt, sed de potestate dominandi docuerunt intelligere, Nihil veriti, Christi verbo dominationem in Ecclesia prohibentis. Vos non sic (inquit) vt Gentes dominari, sed inuicem seruire debetis, Et Petrus. Non dominantes in Clero, sed forma gregis efficiamini.

Malum vltimi temporis &c.

Meretrix purpurata Apoc. 17. reuera Papæ regnum est.

Lucæ. 22.

1. Petri. 5.

Proinde, si Romanum Ischariothem compares cæteris in orbe Tyrannis, qui fuerunt, sunt vel esse possunt, videbis illos fuisse pene vmbras tyrannicas, corpus vero tyrannicum, ipsum esse Romanum idolum. Mira de Hattilæ Hunnorum regis tyrannide scribunt Historici, qui se appellarit flagellum Dei & metum orbis terrarum, Et de Thamerlane Schytarum tyranno, qui se iram Dei & vastitatem orbis iactauerit, Sed hi figura & ludus fuerunt præ Curia Romana. Nam fuerunt illi breuis cuiusdam temporis calamitates, & quod optimum fuit, illorum furores bona & secura conscientia & illæsa fide Christi ferri potuerunt. Romanus vero Hattila & Thamerlanes perpetuo & sempiterno furore Ecclesias Dei vastauit, nec solum res

Romanus Ischarioth.

Tyrannus Hattilæ.

Thamerlane.

Romanus Thamerlanes.

& corpora perdidit, sed fidem Christi & conscientiam bonam oppressit & extinxit, suis pestilentissimis Decretis. Quibus re vera & nimis diu fuit metus summus orbis, ira & flagellum Dei. Illi gladio terruerunt orbem, salua fide Christi, Hic mendacio sub nomine Dei proposito terruit & domuit omnia, & pro iusticia & veritate coegit adorare.

His malis non contentus Homo peccati & filius perditionis, nec auersus furor eius, Sed adhuc manus eius extenta, quærit (vt de Antiocho scribitur) regnare super duo Regna, imperijq́ꝫ Romani arrogat sibi Dominium, Ad quod non minoribus mendacijs nititur, Nam postquam Carolum magnum Episcopus Romanus vnctione & corona declarasset Rom. Imperatorem, licet ipsum inuitum, non destiterunt postea per omnia tempora, succedentes Pontifices hoc Exemplo in spem sublati, sibi vsurpare potestatem conferendi Imperij quibus vellent, Et se plane Dominos feudi, Imperatores vero & Reges, suos vasallos reputare, se ipsos veros & pleno iure esse Dominos Dominorum, Reges regum, Iudices thronorum, vt per suos adulatores fremunt.

Homo peccati 2. Thess. 2. arrogat sibi dominium Rom: Imperij.

Nec defuit operationi erroris successus per fictam excommunicationem, tum per prodigia & signa mendacia Satanæ, donec nullo genere doli, fraudis, artis & nequitiæ & malitiæ, omisso, multa Regibus raperent, & quod rapere non possent, furarentur, quod furari non possent, impijs cultibus & cæremonijs extorquerent, tandem etiam conculcarent ipsa colla Regum, eosq́ꝫ occiderent ferro, & orbem cædibus & bellis vastarent.

Excommunicatio ficta.

EXtat Epistola cuiusdam boni viri Iacobi Meyer Cancellarij Moguntini, ad Cardinalem Aeneam Syluium expostulatoria de tyrannide Papæ & Curiæ suæ, Sed Aeneas Syluius, homo non tantum Italus, sed Cardinalis quoq́ꝫ, gemina superbia, utraq́ꝫ immensa, scilicet Italica & Cardinalitia, ita respondet atrociter amico, vt ius esse contendat, non tyrannidem, quicquid Papa in Germanos sæuiret, Ausus hoc asserere, Germaniam hoc debere Romanæ Sedi, Quod Imperium Romanum haberet, quod tam culta facta esset, ex horrida & Barbara terra, quod tam lata & ampla nunc floreret, prius angustis terminis inclusa, Breuiter, Germaniam pene Creaturam Papæ facit, ideo debere patientem & gratam esse expilatori Romano.

Epistola Iacobi Meyer Cancellarij Moguntini, Aeneas Syluius.

Germania Papæ creatura.

Credidit homo Italici supercilij & fastus, Historias à Germanis neque legi neque teneri, Cum satis constet ex omnibus Historijs, Carolum

Carolus Magnus. rolum Magnum non solum nihil accepisse à Romano Episcopo, Sed contra multa illi dedisse. Vt potius Rom. Episcopus, ipsam suam sedem Carolo saluam debebat, vt quam ei restituit defensam, contra regem Longobardorum. Nam Carolus iam tum tenebat Germaniam, Galliam, Lombardiam, ante coronationem Papalem, Necq; voluit a Papa, etiam ipsum titulum Imperij datum accipere. Sed ab Imperatore Constantinopolitano, vt prorsus nihil Pontifici deberet, Sed contra Pontifex illi deberet omnia.

Sed hac Historiæ veritate nihil commoti Romanenses tyranni, perpetua insania sese largitores Imperij clamauerunt, vt si qua fata sinerent & tempora concederent, ipsi sibi tandem imposito Diademate, Regibus omnibus extinctis, priscum illud Romanum Imperium, recuperarent, & ita alieno labore partam gloriam in sese transferrent, & pro titulo dato rem ipsam acquirerent. Tantum putant sese habere salis Nebulones perditi.

EX istorum numero offero tibi legendum (optime lector) ridendum etiam hunc Prophetam Viterbiensem, vt videas, Quid spectarint? Quid hinnierint? Quid hiauerint semper, Romanæ lernæ monstra, Quam Ecclesiam pascere studuerint? Quod Regnum Dei, & quam iusticiam eius quæsierint? Vt cum ista perspexeris, sine periculo, mendacia Papæ, sub nomine Christi in Ecclesiam diffusa, contemnere discas. Nam hinc scies, quod Papæ, qui totus est ipsum mendacium, filiusq; mendacis Diaboli, non sit vlla syllaba credendum, etiam si iuret tercentos Deos.

Papæ, filio mendacis Diaboli, nihil credendum.

Nihil enim est in Curia Papæ, quam fallere, mentiri, rapinari, lupinari, vulpinari, quod nunc vocant, Romanari, idcq; sub nomine Christi, id est, horribili blasphemia in Spiritum sanctum, Ideo & finis eius venire nunc cœpit. Deo gratia per Christum Dominum nostrum,

Curia Papæ mentitur, fallit, sub nomine Christi.

AMEN.

REVERENDO

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, Domino Hieronymo, Ecclesiæ Brandenburgensis Episcopo, clementissimo Domino suo, in primis gratioso, F. Martinus Lutherus Augustinianus Vuittembergensis.

S. D.

Vum nuper circum nostras Regiones, optime Præsul, audiri cœpissent noua & inaudita de apostolicis Indulgentijs dogmata, ita, vt tam docti quam indocti plurimi passim admirarentur & mouerentur, Fui ego a multis, tum familiaribus, tum ignotis facie, rogatus multis literis & colloquijs, Quid mihi de istorum verborum nouitate (ne dicam licentia) uideretur. Dissimulabam aliquandiu, Tandem vrgebant disputationibus acribus usque ad periculum pontificalis reuerentiæ.

Ego uero quid facerem? Non erat meum in hac re quidquam statuere, & verebar illis contradicere, quos non nisi vera prædicasse cupiebam videri quam maxime. Isti vero sic instabant euidentibus argumentis, falsa & inania probare, vt me (vera fateor) omnino captiuarent atque concluderent.

Vt ergo vtrisque satisfacerem, visum est id optimum consilium, vtrisque neque consentire, neque dissentire, sed interim de tanta re disputare, donec Ecclesia sancta statueret, quid sentiendum foret. Itaque emisi [a] disputationem, inuitans & rogans publice omnes, priuatim uero, ut noui, quosque doctissimos, ut uel per literas suam sententiam aperirent, Quandoquidem in ijs rebus, neque scripturas, neque Doctores ecclesiasticos, neque ipsos Canones, præter paucos Canonistas, & hos sine textu loquentes, & aliquot scholasticos Doctores similiter opinantes, nihil etiam probantes, suffragari mihi uiderem.

[a] *De pœnitentia & indulgentijs, quam require supra folio 2.b.*

Mihi sane id omnium longe absurdissimum uidetur, aliquid scilicet in Ecclesia Dei prædicari & audiri, quod cum Hæretici expostulauerint, unde rationem reddamus, & nos non possimus, Christum & Ecclesiam eius relinquamus illis ridiculum & ludibrium.

Porro, scholasticis Doctoribus & Canonistis constat, nullam deberi a nobis fidem, dum suas opinantur opiniones. Et ut uulgo dicitur: Turpe est Iuristam loqui sine textu, At multo turpius est Theologum loqui sine textu, Non Aristotelis dico, Nam hunc plus ualde nimis satis loquuntur, sed nostro, id est, scripturæ sacræ, Canonum, Ecclesiasticorum Patrum.

Proinde mihi visum est, rem hanc esse mei studij & officij, disputare scilicet de rebus omnium dubiosissimis, sed simul si falsæ sint, periculosissimis assertu, Quando hucusq; licitum est Scholasticis, de ijs etiam rebus sacratissimis reuerendisq;, quas per tot secula nullus dubitauit Christianus, disputare.

Quod uero humilis & deiecta eorum sit religio seu reuerentia, qui de potestate Ecclesiastica seu summi Pontificis putent non disputandum sed tacendum, & gratias agendum, Quis non uel palpet, quæso? Cur non etiam tacent & gratias agunt, & suas friuolas disputationes omittunt, de potestate & sapientia & bonitate eius, qui dedit istam potestatem Ecclesiæ? Deniq; quid est tam secretum, vel in illa summa maiestate uel sacratissima humanitate, quod non meris prope nugis ita contaminauerint, ut omnium pene & affectum & reuerentiam cordium, assiduitate nugandi, in Deum extinxerint. Sed de hoc alias.

Igitur cum in hanc harenam vocarem omnes, veniret vero nullus. Deinde viderem disputationes meas latius vagari, quam volueram atque passim, non ut disputabilia, sed asserta acciperentur, Coactus sum præter spem & votum, meam infantiam & ignorantiam in vulgus mittere, & declarationes ac probationes earum in publicum edere, Satius ratus me facere, si imperitiæ meæ infamiam incurrerem, quam illos errare sinerem, qui forte putant omnia esse asserta, Inter quæ sunt, de quibus dubito, nonnulla ignoro, aliqua & nego, nulla vero pertinaciter assero, sed omnia Ecclesiæ sanctæ suoque iudicio submitto.

CVm vero tu, optime Præsul, nobis per misericordiam Christi datus sis huius loci Ordinarius (vt vocant) qui quidem bonos & eruditos non modo diligas mirifice, quod in multis multi plurimum prædicant, Verum pro tua singulari humanitate, & humilitate, prope usq; ad periculum pontificalis dignitatis etiam ueneraris & colis (facesset adulatio, non te, sed Christi dona in te prædico) Iustissimum fuit, vt tibi (ad quem pertinet huius loci studia inspicere & iudicare) potissimum offerrem, & pedibus tuis primum subijcerem, quicquid id fuerit, quod operor.

Itaq; digneris, clementissime Præsul, suscipere has meas ineptias. Atq; vt omnes sciant, quam nihil audacter asseram, non solum permitto, sed etiam obsecro, vt reuerenda Paternitas tua, arrepto calamo, quæcunq; visum est, aboleat, aut igne facto totum comburat, mea prorsus nihil refert. Scio quod Christus mea opera non eget, Absq; me nunciabit prospera Ecclesiæ suæ, Quando secundum Gregorium Nazanzenum, nec vera tutum est loqui in Ecclesia, præsertim grauibus peccatoribus.

Idcirco

Idcirco mei non oblitus, his verbis protestor, Me disputare, non determinare, Disputo, inquam, non assero, Ac disputo cum timore, Non ꝙ eorum bullas & minas timeam, qui nullo prorsus timore tacti, quicquid vel somniauerint, velut Euangelium credi volunt, Horum enim audacia & inscitia simul coegit (fateor) etiam timori meo non credere, Quæ nisi tanta esset, nullus me præterquam angulus meus cognouisset. Si opus ipsum non fuerit suum, omnino volo, vt nec sit meum, sit vero nihil & nullius. Ego nihil debui querere, nisi ut nulli essem erroris occasio. Gloriam habeat ille solus, cuius solius est, qui est benedictus in omnia secula, Amen.

Datum sabbatho Exaudi, Anno M. D. XVIII.

F. Martinus Lutherus.

REVERENDO ET VERE PATRI IOHANNI STAVPICIO,

S. Theologiæ Professori, Augustinianæ familiæ Vicario, F. Martinus Lutherus discipulus Salutem & seipsum.

MEmini, Reuerende Pater, inter iucundissimas & salutares fabulas tuas, quibus me solet Dominus Ihesus mirifice consolari, incidisse aliquando mentionem, huius nominis Pœnitentia, vbi miserti conscientiarum multarum, carnificumq; illorum, qui præceptis infinitis eisdemq; importabilibus, modum docent (vt uocant) confitendi, te velut è cœlo sonantem excepimus, ꝙ pœnitentia vera non est, nisi quæ ab amore iusticiæ & Dei incipit, Et hoc esse potius principium pœnitentiæ quod illis finis & consummatio censetur.

Carnifices conscientiarum.

Pœnitentia ab amore proficiscitur.

Hæsit hoc verbum tuum in me, sicut sagitta Potentis acuta, cœpiq; deinceps cum Scripturis, pœnitentiam docentibus, conferre. Et ecce iucundissimum ludum, verba vndiq; mihi colludebant, planeque huic sententiæ arridebant & assultabant, ita, vt cum prius non fuerit ferme in Scriptura tota amarius mihi uerbum, q̃ Pœnitentia, (licet sedulo etiam coram Deo simularem, & fictum coactumque amorem exprimere conarer) nunc nihil dulcius aut gratius mihi sonet, q̃ Pœnitentia. Ita enim dulcescunt præcepta Dei, quando non in Libris tantum, sed in vulneribus dulcissimi Saluatoris legenda intelligimus.

Post

Post hæc accessit, quod studio & gratia eruditissimorum uirorum, qui nobis Græca & Ebrea officiosissime tradunt, didici, idem verbum Græce μετάνοια, dici, a μετὰ & νοῦν, id est, a post & mentem, vt sit pœnitentia seu μετάνοια, resipiscentia, & post acceptum damnum, & cognitum errorem, intelligentia sui mali, quod sine mutatione affectus & amoris fieri est impossibile, Quæ omnia paulinæ Theologiæ ita respondent apte, vt nihil ferme aptius Paulum illustrare possit, meo saltem iudicio. Denicꝫ profeci & vidi, μετάνοιαν, non modo a post & mentem, sed a trans & mentem posse deduci (sit sane violentum) vt μετάνοια, transmutationem mentis & affectus significet, quod non modo affectus mutationem, sed & modum mutandi, id est, gratiam Dei videbatur spirare. Nam transitus ille mentis, id est, verissima pœnitentia, celeberrimus est in sacris literis, vt quem phase illud vetustum, olim significauit, Christus exhibuit, & longe ante Abraham quocꝫ figurauit, quando transitor, id est, Ebræus vocari cœpit, traiectus scilicet, in Mesopotamiam, vt Burgen. docte docet, Huic & titulus ille Psalmi concinit, vbi Idithun, id est, transiliens Cantator inducitur.

Phase.

Idithun.

His inhærens ausus sum putare, eos falsos esse, qui operibus pœnitentiæ tantum tribuerunt, vt pœnitentiæ vix reliquum nobis fecerint, præter frigidas quasdam satisfactiones, & laboriosissimam confessionem, latino scilicet vocabulo abducti, ꝙ pœnitentiam agere actionem magis sonet, ꝗ̄ mutationem affectus, & Græco illi μετανοεῖν, nullomodo satisfacit.

Latina vox erroris causa.

HAEC mea, cum sic ferueret meditatio, ecce subito cœperunt circum nos strepere, imo clangere, noua indulgentiarum classica, & remissionem buccinæ, quibus tamen non ad strenuum belli studium animaremur, Breuiter, neglecta ueræ pœnitentiæ doctrina, adeo magnificare præsumpserunt, non pœnitentiam, non saltem vilissimam eius partem, quæ satisfactio dicitur, sed eiusdem vilissimæ partis remissionem, vt nunquam sit ita magnificari audita. Denique impia & falsa, & hæretica docebant, tanta autoritate (temeritate volui dicere) vt qui vel contra mutiret, statim Hæreticus, igni deuotus esset, & æternæ maledictionis reus,

Satisfactio Remissio.

Ego horum furori occurrere non potens, statui modeste eis dissentire, & in dubium vocare eorum dogmata, fretus omnium Doctorum, totiusque Ecclesiæ sententia, ꝙ etiam satisfacere melius sit, ꝗ̄ satisfactionem remitti, id est, Indulgentias redimere, nec est vllus qui aliter vnquam docuit. Itaque disputaui, id est, summa, media, infima, omnia in malum capitis mei irritaui, quantum per hos, pecuniarum (heus Animarum dicendum fuit) zelatores fieri ac perfici potest. Sic enim suauissimi homines, crassissima astutia instructi, cùm negare nō

Satisfacere melius, quam satisfactionem remitti.

possint

possint ea, quæ dixi, fingunt summi Pontificis potestatem lædi meis Disputationibus.

HAEC est causa, reuerende Pater, quod ego nunc infœliciter in publicum prodeo, qui semper anguli amator fui, & ipse eligens spectare pulcherrimum nostro seculo ingeniorum ludum, magis quam spectari & rideri. Sed (vt video) oportet & Corchorum inter olera videri, & nigrum statui inter alba, decoris scilicet & veneris gratia. *Prouerbium.*

Rogo itaque, has meas ineptias suscipias, & qua fieri potest industria, ad optimum Pontificem, Leonem decimum, transmittas, ut sint ibi mihi aduersus studia malignantium, vice alicuius Paracleti, non quod te mihi coniungi periculo velim, meo solius periculo hæc egisse volo. Christus viderit, sua ne sint an mea, quæ dixi, sine cuius nutu nec summi Pontificis sermo est in lingua eius, nec cor Regis in manu sua, hunc enim expecto Iudicem è Romana sede pronunciantem.

Cæterum minacibus illis meis Amicis, nihil habeo quod respondeam, nisi illud Reuchlinianum: Qui pauper est, nihil timet, nihil potest perdere. Res nec habeo nec cupio, Famam & honorem, si habui, assidue nunc perdit, qui perdit. Vnum superest imbecille, & assiduis fatigatum incommodis corpusculum, quod si qua vi vel dolo abstulerint (in obsequium Dei) forte vna vel duabus uitæ horis me pauperiorem facient. Sufficit mihi dulcis Redemptor & Propiciator Dominus meus Ihesus Christus, cui cantabo, quamdiu fuero. Si quis autem noluerit cantare mecum, quid ad me? vlulet, si libet, vel secum. Ipse Dominus Ihesus seruet te in æternum, mi Pater suauissime. Vuittembergæ, die S. Trinitatis, Anno M. D. XVIII. *Res. Fama. Corpus. Christianus Lutheri animus.*

EPISTOLA LVTHERI AD LEONEM X. RO. PON.

BEATISSIMO PATRI LEONI DECIMO, PONT. Max. F. Martinus Lutherus Augustinianus, æternam Salutem.



AVditum audiui de me pessimũ, beatissime Pater, quo intelligo, quosdam Amicos fecisse nomen meum grauissime coram te & tuis fœtere, vt quia autoritatem & potestatem Clauium & summi Pontificis minuere molitus sim. Inde Hæreticus, Apostata, perfidus & sexcentis nominibus, imo ignominijs accusor. Horrent aures & stupent oculi. Sed vnicum stat fiduciæ præsidium, innocens & quieta conscientia. Nec noua audio, talibus enim insignibus & in nostra Regione me ornauerunt, homines isti honestissimi & veraces, id est, pessime sibi conscij, qui sua portenta mihi conantur imponere, & mea ignominia, suas ignominias glorificare. Sed rem ipsam, beatissime Pater, digneris audire ex me infante & inculto. *Conscientia bona.*

Cœpit

Iubileus Indulgentiarum.

COepit apud nos diebus proximis prædicari Iubileus ille Indulgentiarum Apostolicarum, profecitque adeo, vt præcones illius, sub tui nominis terrore, omnia sibi licere putantes, impijssima hæreticaque palam auderent docere, in grauissimum scandalum & ludibrium Ecclesiasticæ potestatis, ac si Decretales de abusionibus questorum nihil ad eos pertinerent. Nec contenti, quod liberrimis verbis hæc sua venena diffunderent, insuper Libellos ediderunt, & in vulgum sparserunt, In quibus, vt taceam insatiabilem & inauditam auariciam, quam singuli pene apices olent crassissime, eadem illa impia & hæretica statuerunt, & ita statuerunt, vt Confessores iuramento adigerent, quo hæc ipsa fidelissima instantissimeque populo inculcarent.

Vera dico, nec est, quo se abscondant a calore hoc. Extant Libelli, nec possunt negare. Agebantur tum illa prospere, & exugebantur populi falsis spebus, & vt Propheta ait: Carnem desuper ossibus eorum tollebant. Ipsi uero pinguissime & suauissime interim pascebantur. *Mich. 3.*

Vnum erat, quo scandala sedabant, scilicet, terror nominis tui, ignis comminatio, & Hæretici nominis opprobrium. Hæc enim incredibile est, quam propensi sint intentare, quandoque etiam si in meris opiniosisque nugis suis contradictionem senserint, Si tamen hoc est scandala sedare, ac non potius mera tyrannide, schismata & seditiones tandem suscitare.

Conuicia in pontificem.

Verum nihilominus crebrescebant Fabulæ per tabernas de auaricia sacerdotum, detractionesque Clauium, summique Pontificis, vt testis est uox totius huius terræ. Ego sane (vt fateor) pro zelo Christi, sicuti mihi videbar, aut si ita placet, pro iuuenili calore vrebar, nec tamen meum esse uidebam, in ijs quicquam statuere aut facere. Proinde monui priuatim aliquot magnates Ecclesiarum. Hic ab alijs acceptabar, alijs ridiculum, alijs aliud videbar, præualebat enim nominis tui terror & censurarum intentatio, Tandem, cum nihil possem aliud, visum est, saltem leniuscule illis reluctari, id est, eorum dogmata in dubium & disputationem uocare. Itaque Schedulam disputatoriam edidi, inuitans tantum doctiores, si qui uellent mecum disceptare, sicut manifestum esse etiam aduersarijs oportet, ex Prefatione eiusdem disceptationis.

Nempe Archiepiscopum Magdeburg. & Brandenburg. supra folio 1.b. item 76.

Sup. 2.b.

Doctor S. Theologiæ disputandi facultatem habet.

Ecce, hoc est incendium, quo totum Mundum queruntur conflagrari, forte, quod indignantur me vnum, autoritate tua Apostolica Magistrum Theologiæ, ius habere, in publica Schola disputandi, pro more omnium Vniuersitatum & totius Ecclesiæ, non modo de Indulgentijs, uerum etiam de potestate, remissione, Indulgentijs diuinis, incomparabiliter maioribus rebus. Nec tamen multum moueor, quod hanc mihi facultatem inuideant, a tuæ B. potestate concessam, qui eis fauere

cogor inuitus, multo maiora, scilicet, quod Aristotelis somnia, in medias res Theologiæ miscent, atque de diuina Maiestate meras nugas disputant, contra & citra facultatem eis datam.

De diuina maiestate meras nugas disputant Theologi.

Porro, quod nam fatum vrgeat has solas meas Disputationes præ cæteris, non solum eis, sed omnium Magistrorum, vt in omnem terram pene exierint, mihi ipsi miraculum est. Apud nostros & propter nostros tantum sunt æditæ, & sic æditæ, vt mihi incredibile sit, eas ab omnibus intelligi, Disputationes enim sunt, non doctrinæ, non dogmata, obscurius pro more, & enigmaticῶs positæ. Alioqui si præuidere potuissem, certe id pro mea parte curassem, vt essent intellectu faciliores.

Nunc quid faciam? Reuocare non possum, & miram mihi inuidiam ex ea inuulgatione video conflari, inuitus uenio in publicum, periculosissimumque ac varium hominum iudicium, præsertim ego indoctus, stupidus ingenio, vacuus eruditione, deinde nostro florentissimo seculo, quod pro sua in literis & ingenijs fœlicitate etiam Ciceronem cogere possit ad angulum lucis & publici, alioqui non ignauum sectatorem, Sed cogit necessitas, me anserem strepere inter olores.

Nota Lutheri modestiam.

Itaque quo & ipsos aduersarios mitigem, & desideria multorum expleam, emitto ecce meas nugas, declaratorias mearum Disputationum, Emitto autem, quo tutior sim, sub tui nominis præsidio, & tuæ protectionis vmbra, beatissime Pater, in quibus intelligent omnes, qui volent, quam pure simpliciterque ecclesiasticam potestatem & reuerentiam Clauium quæsierim & coluerim, simulque quam inique & false me tot nominibus aduersarij fœdauerint. Si enim talis essem, qualem illi me videri cupiunt, ac non potius omnia disputandi facultate, recte a me tractata fuissent, non potuisset fieri, vt illustriss. Princeps Fridericus Saxoniæ dux, Elector Imperij &c. hanc pestem in sua permitteret Vniuersitate, cum sit Catholicæ & Apostolicæ veritatis vnus facile amantissimus, nec tolerabilis fuissem, uiris nostri Studij acerrimis & studiosissimis. Verum actum ago, quando illi suauissimi homines, non verentur mecum & Principem & Vniuersitatem pari ignominia conficere palam.

Quare, beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ B. offero, cum omnibus quæ sum & habeo. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit, vocem tuam, vocem Christi, in te præsidentis & loquentis agnoscam. Si mortem merui, mori non recusabo. Domini enim est terra, & plenitudo eius, qui est benedictus in secula, Amen, qui & te seruet in æternum, Amen. Die S. Trinitatis.

Anno M. D. XVIII.

O PRO.

PROTESTATIO REVERENDI PATRIS MARTINI Lutheri Augustiniani Vuittembergensis &c.

QVIA hæc est theologica Disputatio, quo pacatiores faciam animos, nudo disputationis textu forte offensos, repetam hic denuo Protestationem in Scholis fieri solitam.

Primum protestor, me prorsus nihil dicere aut tenere velle, nisi quod in & ex sacris Literis primo, deinde ecclesiasticis Patribus, ab Ecclesia Romana receptis, hucusq; seruatis, & ex Canonibus ac Decretalibus pontificijs habetur, & haberi potest. Quod si quid ex ijs probari vel improbari non potest, id gratia disputationis duntaxat, pro iudicio rationis, & experientia tenebo, semper tamen in his saluo iudicio omnium Superiorum meorum.

Christiana libertas.

Vnum illud addo & mihi vendico iure Christianæ libertatis, q; opiniones B. Thomæ, Bonauenturæ, aut aliorum Scholasticorum vel Canonistarum, nudas, sine textu & probatione positas, volo pro meo arbitrio refutare vel acceptare, secundum consilium Pauli: Omnia probate, quod bonum est, tenete. *1. Thess. 5.* Etsi scio quorundam Thomistarum sententiam, volentium B. Thomam ab Ecclesia esse approbatum in omnibus, Constat satis, quantum B. Thomæ valeat autoritas. Hac mea Protestatione credo satis manifestum fieri, q; errare quidem potero, sed Hæreticus non ero, quantumlibet fremant & tabescant ij, qui aliter sentiunt vel cupiunt.

FINIS.

RESOLVTIONES DISPVTATIONVM DE INDVLgentiarum virtute, R.P. ac sacræ Theologiæ Doctoris Martini Lutheri Augustiniani Vuittembergensis, Ad Leonem decimum Ponti. omnibus modis summum.

Lutherus Georg: Spalat: Mitto Resolutiones mearum Propositionum, sed mendose excusas, ita obfuit mea aliquanta absentia &c. 21. Augusti, Anno XVIII.

CANDIDVM ET LIBERVM Lectorem opto.

CONCLVSIO PRIMA.

DOminus & magister noster Ihesus Christus, dicendo: Pœnitentiam agite &c. omnem vitam Fidelium pœnitentiam esse voluit.

Hanc assero, & nihil dubito.

Probo

PRobo tamen eam, vel rudis ingenij causa, Primo, ex ipso verbo Græco μετανοεῖτε, id est, pœnitentiam agite, quod rigidissime transferri potest, transmentamini, id est mentem & sensum alium induite, resipiscite, transitum mentis & phase spiritus agite, ut scilicet nunc cœlestia sapiatis, qui hucusque terrena sapuistis, Quod Apostolus Rom. 12. dicit: Renouamini nouitate mentis uestræ, Qua resipiscentia fit, ut redeat præuaricator ad cor, odiatque suum peccatum. *Pœnitentiam agite.* *Rom. 12.*

Certum est autem, quod ista resipiscentia, seu odium sui, tota uita fieri debeat, Iuxta illud: Qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam. Et iterum: Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et ibidem: Non ueni pacem mittere, sed gladium. Matth. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et Paulus Roma. 6. & 8. alijsque multis locis, iubet mortificare carnem, & membra, quę sunt super terram. Et Galat. 5. docet, carnem crucifigere cum concupiscentijs eius. Et 2. Corinth. 6. dicit: Exhibeamus nosmetipsos in multa patientia, in ieiunijs multis &c. Hæc sic late profero, tanquã cum eis agam, qui nostra ignorant. *Iohan. 12.* *Odium sui.* *Matth. 5.* *Rom. 6. & 8.* *Gala. 5.* *2. Cor. 6.*

Ideo, secundo probo & ratione eandem. Quia Christus magister spiritus est, non literæ, & uerba eius sunt uita & spiritus, ideo necesse est, ut eam doceat pœnitentiam, quę in spiritu & ueritate agitur. Non autem eam, quam foris agere possunt superbissimi hypocritæ, in ieiunijs suis facies exterminantes, in angulis orantes, & cum tubis eleemosynam facientes. Eam, inquam, doceat Christus oportet, quæ in omni uitæ genere agi potest, quam Rex in purpura, Sacerdos in mundicia, Principes in dignitate, non minus possunt agere, quam Monachus aut mendicus in suis ritibus & paupertate, sicut egerunt Daniel & socij sui in media Babylone, Omnibus enim hominibus, id est, omnium conditioni debet conuenire doctrina Christi. *Iohan. 6.* *Pœnitentia, quam Christus docuit.* *Matth. 6.* *Daniel & socij sui, Dani. 3.*

Tertio, per totam uitam oramus & orandum est: Dimitte nobis debita nostra, Ergo tota uita pœnitentiam agimus, & displicemus nobis. Nisi quis sit ita stultus, ut ficte putet orandum sibi pro remittendis debitis. Vera enim sunt, & non contemnenda debita, pro quibus orare iubemur, etiamsi sint uenialia, non tamen nisi eis remissis, saluari possimus.

CONCLVSIO. II.

Quod verbum de sacramentali Pœnitentia (confessionis & satisfactionis, quæ Sacerdotum ministerio celebratur) non potest intelligi.

Hanc etiam assero & probo.

PRimo, quia pœnitentia sacramentalis est temporalis, nec potest omni momento agi, alioqui assidue cum Sacerdote loquendũ esset, nec aliud quicquam agendum, nisi peccata confitenda, atque satisfactionem impositam exequendam. Ideo non potest esse crux illa, quam Christus præcipit tollere, nec est mortificatio passionum carnis. *1. Pœnitentia sacramentalis non est perpetua.*

Secundo, sacramentalis est externa tantum, & prærequirit internam, sine qua nihil ualet. Sed hæc interna est, & sine sacramentali esse potest. *2. Est externa.*

Tertio, Sacramentalis potest esse ficta, hæc non nisi uera & sincera esse potest. Quod si sincera non fuerit, hypocritarum est, non ea, quam Christus docet. *3. Potest esse ficta.*

Quarto, de sacramentali pœnitentia nullum habetur præceptum Christi. Sed est per Pontifices & Ecclesiam statuta (saltem quo ad tertiam sui partem, scilicet satisfactionem) ideo & mutabilis arbitrio Ecclesiæ. Sed pœnitentia *4. Est a pontificibus instituta.*

Pœnitentia Euangelica. tentia Euangelica, est lex diuina, nulla hora mutabilis, cum ipsa sit iuge illud sacrificium, quod uocatur, cor contritum & humiliatum.

Pœnitentia uirtutis. Quinto, huc pertinet, ꝙ uno consensu Doctores scholastici discernunt pœnitentiam uirtutis, a pœnitentia sacramentali, ponentes pœnitentiam uirtutis uelut materiam, seu subiectum pœnitentiæ sacramenti.

CONCLVSIO III.

Non tamen solam intendit interiorem, imo interior nulla est, nisi foris operetur varias carnis mortificationes.

Et hanc assero & probo.

PRimo, Roma. 12. præcipit Apostolus, Corpora nostra offerre hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem. Atq; id quomodo fiat, ibidem clare & late exponit, dum docet humiliter sapere, inuicem seruire, diligere, orationi instare, patientiam habere &c. Quomodo & 2. Corinth. 6. ait: Exhibeamus nosmetipsos in multa patientia, in ieiunijs & uigilijs &c. Sed & Christus Matth. 5. & 6. docet recte ieiunare, orare, eleemosynas dare. Item alibi: Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda uobis. *Rom. 12. 2. Cor. 6. Math. 5. 6. Luce. 5.*

3. partes satisfactionis. Vnde sequitur, Quod illæ tres partes satisfactionis, Ieiunium, oratio, eleemosyna, non pertinent ad sacramentalem pœnitentiam, quo ad substantiam factorum, quia sunt de præcepto Christi, Sed pertinent ad eam, quo ad certum modum & tempus, secundum quod Ecclesia ordinauerit, uidelicet ꝙ diu sit orandum, ieiunandum, dandum. Item, quantum & quid orandum, quantum & quid non comedendum, quantum & quid dandum.

Ieiunium. Oratio. Eleemosyna. Verum ut sunt de Euangelica pœnitentia, Ieiunium habet in se omnes castigationes carnis, sine delectu ciborum, aut differentia uestium. Oratio uero omne studium animi meditando, legendo, audiendo, orando. Eleemosyna uero omne obsequium erga Proximum. Vt ita per ieiunium sibi seruiat, per orationem Deo, & per eleemosynam Proximo. Per primum uincat concupiscentiam carnis, & uiuat sobrie & caste. Per secundum superbiam uitæ & uiuat pie. Per tertium concupiscentiam oculorum, & uiuat iuste in hoc seculo. *1. Iohan. 2.* *Pœnitentia interior.* Quare omnes mortificationes, quas homo compunctus sibi infert, sunt de pœnitentia interiore, tanquam fructus eius, siue sint uigiliæ, labores, inopiæ, studia, orationes, fuga sexus ac deliciarum, in quantum promouent spiritum.

Opera bona. Secundo, Sic ipsemet egit Dominus, & omnes Sancti eius cum eo. Sic denicq; præcepit: Luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona opera. Nam sine dubio opera bona foris sunt fructus pœnitentiæ & spiritus. Cum spiritus non faciat nisi uocem turturis, id est, gemitum cordis, radicem operum bonorum. *Math. 5.*

In quendam blateronem, Iohan. Tetzel. Vide supra folio 58. ADuersus has tres meas Conclusiones, quidam indignatus, & sub pelle leonis incedens, posuit, deblaterans errorem esse, si quis uerbum illud, pœnitentia, negauerit, etiam de sacramento pœnitentiæ intelligi. Primum, non est propositum meum singulas eius positiones confutare, quę sunt adeo insulse & indocte compositæ, ut mihi impossibile sit creditu, eas fuisse intellectas, tam ab eo, cuius titulo uulgantur, ꝙ ab eo, qui eas conflauit, quod & cuicq; mediocriter ingenioso & in Scripturis erudito, facile patet. Tamen ut & eis ipsis suam inscitiam ostendam (si capaces esse poterunt) hanc primam diiudicabo.

Admitto

Admitto sub nomine pœnitentiæ posse intelligi etiam Iudæ pœnitentiam, etiam Dei pœnitentiã, etiam pictam, &(ut Logici solent) materialiter & secundo intentionaliter sumptam pœnitentiam, ideo & sacramentum (id est, satisfactionem) At quis negat hucusq; Theologis quibusdam non paucis licuisse, totam ferme Scripturam corrumpere audacibus suis distinctionibus & amphibologijs nuper confictis, adeo, ut pro Paulo & Christo Paulocectonas & Christocentonas legamus? Ego de germana & propria uerbi locutus sum significatione, quam Christus in eo uerbo uoluit, aut saltem, quã Iohannes Baptista uoluit, qui non habuit autoritatem instituendi Sacramenti, & tamen uenit prædicans Baptismum pænitentiæ, dicens: Pœnitentiam agite. Quod uerbum Christus repetijt, ac sic non de sacramento locutus satis credo intelligitur, Tamen esto illorum somnium uerum, Videamus quid sequatur. *Pœnitentia.* *Theologi corruptores Scripturæ.*

Christus sine dubio Legislator diuinus est, & doctrina eius ius est diuinum, id est, quod nulla potestas mutare aut dispensare potest. At si pœnitentia in eo loco à Christo docta, significat pœnitentiam sacramentalem (id est, satisfactionem) & hanc potest Papa mutare, & de facto mutat pro arbitrio suo, Ergo uel Papa habet in arbitrio ius diuinum, uel est in Deum suum impijssimus aduersarius, irritum faciens mandatum Dei. Quod si hoc audent asserere hi, qui ad laudem Dei & defensionem catholicæ fidei, & sanctæ sedis Apostolicæ honorem, & pro ueritate reuelanda & erroribus supprimendis, gloriantur sese disputare, deniq; si sic honorant Ecclesiam, tuenturq; fidem, qui terrifico & immaniter (pene dixissem inaniter) iactato titulo, hæreticæ prauitatis Inquisitores, uolunt uideri, Quid, quæso, relictum est, uel insanissimis Hæreticis, quo & ipsi Papam & sedem Apostolicam blasphement & criminentur? Hos ego non inquisitores, sed insitores hæreticæ prauitatis libera uoce pronunciarem. Tales & tam prudenter positæ sunt fere omnes Conclusiones, quas amplissima illa & innocentissima papyrus passim circumfert, subiecta uanitati non uolens. Quas si omnes uellem cõfutare, grandi uolumine opus foret, & totum pene chaos quarti Sententiarum euoluendum cum suis Scribentibus, Sed tu lector esto liber & candidus, quo possis ex hac una discere omnes. *Doctrina Christi ius diuinum.* *Inquisitores hæreticæ prauitatis.*

CONCLVSIO IIII.

Manet itaq; pœna, donec manet odium sui (id est, pœnitentia vera intus) scilicet usq; ad introitum Regni cœlorum. Et hanc assero & ostendo.

PRimo, Certa sequela tanquam Corollarium sequitur ex dictis. Quia si omnis uita est pœnitentia & crux Christi, non solum in uoluntarijs afflictionibus, sed etiam in tentationibus diaboli, mundi et carnis, quin etiam in persecutionibus & passionibus, ut ex prædictis, ex Scriptura tota, ex ipsiusmet Sancti sanctorum, & omnium Martyrum exemplis, patet, certum est, Quod crux illa usq; ad mortem, & sic ad introitum regni durat. *Pœnitentia usque ad mortem durat.*

Secundo, illud patet etiam in alijs Sanctis. S. Augustinus Psal. 7. pœnitentiales sibi fecit scribi, & eos cum lachrymis orabat, & meditabatur dicens: Etiamsi Episcopus quicunq; iuste uixerit, non debere tamen sine pœnitentia de hoc mundo eum discedere. Ita & B. Bernardus agonizans clamauit: Perdite uixi, quia tempus perdidi, Nihil habeo, nisi quod scio, quia cor cõtritum & humiliatum Deus non despicies. *Augustinus.* *Bernardus.*

Tertio, Ratione tam diu crux illa pœnitentiæ debet durare, donec secundum Apostolum destruatur corpus peccati, & pereat uetustas primi Adę cum sua imagine, & perficiatur nouus Adam ad imaginem Dei. Sed peccatum *Rom. 6.* *Corpus peccati.*

manet usq; ad mortem, licet quotidie minuatur per renouationem mentis de die in diem.

Quarto, saltem pœna mortis manet in omnibus, timor etiam mortis, certe pœna omnium pœnarum, & ipsa grauior morte, in plurimis, ut taceam de timore iudicij & inferni, de tremore conscientiæ &c.

CONCLVSIO V.

Papa. Papa non vult, nec potest remitterere ullas pœnas præter eas, quas uel suo, vel Canonum arbitrio imposuit.

HANC disputo, & doceri humiliter peto, & ut in præfatione rogaui, ita adhuc rogo, manum porrigat qui potest, & mea motiua attendat. Primo colligamus genera pœnarum, quas fideles possunt pati. *Genera pœnarum.*

Aeterna. Prima est æterna, gehenna Damnatorum, de qua nihil ad propositum. Certum est enim quod hæc nec in summi nec infimi Pontificis potestate est, ut omnes in tota Ecclesia tenent, quam solus Deus per remissionem culpæ remittit.

Purgatorij. Secunda est Purgatorij, de qua infra uidebimus in sua Conclusione, interim accipimus non esse eam in potestate Pontificis, aut ullius hominis.

Voluntaria & Euangelica. Tertia. Ipsa uoluntaria & Euangelica, de qua supra dictum est, quod eam operetur pœnitentia spiritualis, secundum illud. 1. Corinth. 11. Si nos ipsos iudicaremus, non utiq; iudicaremur à Domino. Hæc est crux illa & mortificatio passionum ut supra Conclu. iij. Cum autem hæc sit præcepta à Christo, & de essentia pœnitentiæ spiritualis, ac omnino de necessitate salutis, nullo modo est in potestate ullius Sacerdotis, neq; ut augeat, neq; ut minuat. Non enim ex arbitrio pendet hominis, sed ex gratia & spiritu. Imo hæc pœna minus est in potestate Papæ, quam omnes aliæ pœnæ, cuiuscunq; nominis sunt. Siquidem æternam, purgatoriam, afflictiuam, saltem oratione potest tollere apud Deum, sicut potest gratiam iustificantem impetrare peccatori. Hanc autem non potest tollere, nec oratione quidem. Quin potius eam debet impetrare peccatori & imponere, id est, impositam nunciare, non minus quam gratiam impetrat, alioqui euacuaret crucem Christi & reliquias Cananæorum copularet filijs & filiabus suis, & hostes Dei (id est, peccata) non occideret ad internicionem, Nisi uideret aliquos nimio feruore, plus sese affligere, quam expediret eorum saluti & aliorum necessitati. Tunc non solum remittere, sed prohibere debet, sicut S. Paulus Timotheo dicit: Noli adhuc aquam bibere. *1. Cor. 11.* *Papa non potest tollere pœnas pœnitentiæ Euangelicæ*

Castigatoria pœna non tollitur per Papam. Quarta est castigatoria & flagellatio Dei, De qua Psal. 89. Si autem peccauerint filij eius, & legem meam nō custodierint, Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus hominum peccata eorum. Hanc pœnam extra manum esse Pontificum, quis dubitat? Quandoquidem sese innocentibus eam dicit imponere. Iere. 49. Ecce quibus non erat iudicium ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris? Non eris innocens, sed bibens bibes. Et eiusdem 25. Ecce in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, Et uos quasi innocentes eritis? non eritis innocentes. Inde S. Petrus 1. Pet. 4. Nunc tempus inchoandi iudicium à domo Dei, quod si primum à nobis, quis finis eorū, qui non credunt Euangelio? Apo. 3. Ego quos amo, castigo. Et Ebrę. 12. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quod si summus Pontifex hanc remittere uellet, aut peccator remitti crederet, certe futurum est, ut adulterini & spurij fierēt. ut Ebrę. 12. Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis. Hanc enim Iohannes Baptista & sanctissimi pertulerunt. *Psal. 89.* *Ierem. 49.* *Ierem. 25.* *1. Pet. 4.* *Apoca. 3.* *Ebræ. 12.*

Admitterem

Admitterem tamen per orationes Ecclesię posse tales aliquas pro infirmis tolli, scilicet morbos, ęgritudines, pestes, febres. Sicut B. Iacobus docuit presbyteros Ecclesię induci & ungi infirmum, ut Dominus eum alleuiet infirmum propter orationem fidei. Et quid moror? quasi ulli Christiano dubium sit, flagella Dei non potestate clauium, sed lachrymis & oratione tantummodo posse tolli, & magis per impositionem aliarum pœnarum, quam per remissionem. Sicut Niniuitæ per pœnitentias suas humiliter sese affligentes meruerunt auertere flagellum subuersionis eis intentatum. Alioqui si sacerdos Ecclesiæ siue summus siue infimus, potest hanc pœnam potestate clauium soluere, pellat ergo pestes, bella, seditiones, terremotus, incendia, cædes, latrocinia, Item Turcas & Tartaros, aliosque infideles, quos esse flagella & uirgam Dei, nemo nisi parum Christianus ignorat. Dicit enim Esa. 10. Vę Assur, uirga furoris mei & baculus ipse est. In manu eius indignatio mea. Licet plurimi nunc, & ijdem magni in Ecclesia, nihil aliud somnient quam bella aduersus Turcam, scilicet non contra iniquitates, sed contra uirgam iniquitatis bellaturi, Deoque repugnaturi, qui per eam uirgam sese uisitare dicit iniquitates nostras, eo quod nos non uisitamus eas.

Pœnæ castigatoriæ per orationes Ecclesiæ possunt tolli. *Niniuitæ.* *Esaiæ. 10.* *Bella aduersus Turcam &c.*

Quinta est canonica pœna, scilicet ab Ecclesia constituta. Hanc esse plenario iure in manu summi Pontificis, non est dubium, Sic tamen, ut subsit (ut aiunt) iusta causa remissionis earum, & clauis non erret. Verum ego (mea temeritate) illam iustam causam non ita rigide acciperem, ut multi solent. Sufficere enim uidetur pia uoluntas Pontificis, atque hæc satis iusta sit causa. Nec uideo quomodo in hac remissione error clauis contingat, aut si continget, quid noceat, cum nihilominus salua sit anima, etiamsi pœnæ eiusmodi per errorem non remitterentur.

Canonicam pœnam tollunt Indulgentiæ.

Illud magis aduertendum, quod summus Pontifex in remissione plenaria, nec omnes canonicas pœnas remittit, Quod patet, quia non remittit ingressionem seu intrusionem quorundam in monasteriū, quę tamen pœna nō incelebris est in Canonibus. sed nec ciuiles, seu potius criminales pœnas a iure ciuili inflictas, licet id Legati faciant alicubi, ubi personaliter sunt præsentes. Videtur ergo solum eas remittere, quæ de ieiunijs, orationibus, eleemosynis, alijsque laboribus & disciplinis impositæ sunt, aliæ ad septennium, aliæ minus, aliæ plus. Et in ista pœna comprehendo etiam, quam arbitrio suo imponit sacerdos Ecclesiæ. Nunc itaque uide, & doce me, qui potes. Quatuor priores non potest remittere, quam aliam remittit, nisi canonicam & arbitrariam?

Non omnes canonicas pœnas remittit Pontifex.

Iterum hic Leonte illa mihi oggannit, remitti, quę a iusticia diuina exigitur, uel in purgatorio est luenda. Cui & ego respondeo, Impijssimum esse sentire, quod Papa habeat potestatem mutandi ius diuinū, & id relaxare, quod iusticia diuina inflixit. Non enim dicit: Quodcunque ego ligauero, tu solues, sed, quod tu solues, solutum erit. Non autem omnia ligata solues, sed, a te ligata duntaxat, nō a me ligata. Illi uero sic inteilligunt: Quodcunque solueris siue in cœlo, siue in terra, solutum erit, cum Christus in terra addiderit, dedita opera restringens Clauem ad terram, futurum sciens, quod perforaturi alioqui essent omnes cœlos.

Aduersario respondet, quem Leontem uocat, hoc est, pellem leonis, quæ Græce Λεοντὴ dicitur. Nota est de asino fabula.

☞ Sexta est, quam uolo fingere donec aliter erudiar, quam illi dicunt secundum iusticiam diuinam requiri, ut satisfiat iusticiæ diuinæ. Hæc autem si est alia a tertia & quinta (sicut oportet, si debet sexta esse) non potest uel imaginari, nisi, quod ubi tertia & quinta non essent satis, tunc ipsa imponeretur, scilicet plus orationis, ieiunij, eleemosynæ. Ac sic solo intentionis gradu distaret a quinta uel tertia, Non enim potest intelligi pœna ciuilis, quia hanc (ut dixi) non remittit, alioqui literæ Indulgentiarum tollerent omnia pa-

Satisfactoria iusticiæ diuinæ, & hæc est à Recentioribus reperta.

tibula & carnificinas per Ecclesiam. Sed nec potest intelligi pœna canonica per iudicium contentiosi fori de facto imposita, quia non remittit excommunicationes, interdicta, aut ullas censuras ecclesiasticas inflictas, ut patet satis ad experientiam. Restat ergo, quam modo fingere me dixi.

Absurdum est asserere, quod per Scripturam non potest probari.

SEd quod illa nulla sit, ita mihi ipsi persuadeo. Primo, quod nulla autoritate Scripturæ, Doctorum, Canonum, ratione probabili potest doceri, talem esse aliquam pœnam, & uehementer absurdum est in Ecclesia aliquid docere, cuius nec in Scriptura, nec Doctoribus, neque Canonibus, neque saltem Rationibus potest causa dari.

Secundo, quod si etiam esset talis pœna aliqua, non tamen ad remissionem Papæ pertineret, cum sit uoluntaria & ultra Canones imposita, imo non imposita, sed sponte suscepta, quia est alia ab ijs, quæ imponuntur, ut supra dictum in pœna quinta.

David. Filij Israel.

Quod si diceres: Quomodo tunc satisfieret iusticiæ diuinæ, si quo modo Canonicæ uel sacerdotales non essent satis? Respondeo: Abunde satisfit per tertiam & quartam, secundum mensuram, quam nouit Deus. Neque enim legitur uspiam Deus, aliquam requisiuisse, nisi tertiam aliquando & quartam, ut in Dauid & filijs Israel, in lib. Iudicum & Regum. Sed fere semper contentus est corde contrito & pœna tertij generis. Et hinc ego miror quorundam negligentiam, qui ut satisfactionem astruant, dicunt, Christum absoluisse Adulteram illam in Euangelio sine satisfactione, Mariam uero Magdalenam non sine satisfactione. Et ideo in Maria, non in adultera imitandum esse Dominū, ut sine satisfactione nulli remittatur peccatum. Nam nec leprosos mūdauit, nisi imposito, ut satisfacerēt Legi, & ostenderent se sacerdoti. Hæc ergo est illa pœna, quā iusticia diuina requirit, ultra iam dictas. *Iohan. 8.*

Adultera. Iohan. 8.

M. Magdalena.

Leprosi mundati.

Sed respondeo: Ista Adultera (meo iudicio) plus pœnarum tulit, quam Maria Magdalena, & magis satisfecit, Nempe iam mortem patiebatur, non aliud uidens, nisi durissimum iudicium. Ideo mire cruciabatur, & dolebat longe plus, quam Maria, cui iudicium mortis non imminebat. Ideo de quarta specie & tertia fuit eius pœna, quia flagellum mortis tulit in corde cōtrito. Maria uero Magdalena in tertia specie pœnas luebat, neque potest doceri, aliam fuisse eius pœnam, ut patet. De Leprosis uero dico, quod non ad satisfactionem ostendere se iussi sunt, sed ad testimonium. Non enim erat lepra peccatum, sed significabat peccatum. Ostensio autem peccati non est satisfactio, sed iudicium quærit sacerdotis, ut hæc nota sunt satis.

Secundo, probo Conclusionem sic: Illæ duæ potestates ligandi & soluendi sunt æquales & super eandem materiam. Sed summus Pontifex nullam habet ligare & imponere pœnam, præter Canonicam seu quintam, ergo nec ullam soluere & tollere. Aut dicendum, duas illas potestates esse inequalis latitudinis. Quod si hoc dicitur, nemo tenetur credere, quia nullis Scripturis, canonibusque probatur, cum sit clarus textus. Vbi Christus ligare super terram, & soluere super terram dedit, æqualiter utranque mensurando & extendendo.

Tertio, extra de pœ. & re. lib. 5. c. Quod autem, expresse dicit, remissiones eis non ualere, quæ non fuerint ab eorum iudice factæ, cum nullus ligari aut solui possit à non suo iudice, Sed certum est, quod homo non est sub iurisdictione Papæ in i. ij. iij. iiij. vi. pœnis, sed tantummodo in v. ut clare patet, & magis infra patebit.

COROLL. sequitur.

Noua uita optima satisfactio.

QVod satisfactio sacramentalis non dicitur, quia pro culpa satisfacit simpliciter (quia pro culpa satisfacit, tertia & quarta pœna) sed quia pro culpa secundum statuta Ecclesiæ satisfacit, Maxime enim Deo satisfit per nouam uitam &c.

Sed

Sed per Scripturas quoq; probandum est, non requiri aliquam satisfactionem pro peccatis. Hic adest Iohannes Baptista, qui in hoc missus secundum propositum atq; decretũ Dei, ut pœnitentiam prædicaret, qui & dixit: Pœnitentiam agite. Et iterum: Agite itaq; dignos fructus pœnitentiæ. Quę uerba ipse exposuit, cum interrogantibus turbis quid facerent? respondit: Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui escas habet, similiter faciat. Nonne uides, q pro pœnitentia non nisi obseruantiam præceptorum Dei imposuit, atq; ideo pœnitentiam non nisi conuersion.m & mutationem nouæ uitæ intelligi uoluit? *Probat per Scripturas non requiri satisfactionem pro peccatis.* *Luce. 3.*

Luce 3. Sed clarius: Ecce uenerunt Publicani, & dixerunt: Magister, quid faciemus? At ille dixit: Nihil amplius, q̃ quod constitutum est uobis, faciatis. Nunquid hic dixit: Oportet uos satisfacere pro præteritis peccatis? Item militibus dixit: Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs uestris. Nunquid hic aliud, q̃ præcepta Dei communia imposuit? Quod si hic pœnitentiæ doctor à Deo in hoc ipsum institutus, non docuit nos satisfactionem, nimirum fefellit nos, nec satis docuit pœnitentiæ officium. *Iohannes Baptista pœnitentiæ Doctor.*

Ezech. 18. Secundus, Ezechiel. 18. Si conuersus fuerit impius ab impietate sua, & fecerit iudicium & iusticiam, uita uiuet, non morietur. Ecce nil nisi iudicium & iusticiam imponit, quæ tota uita facienda sunt, iuxta illud: Beati qui faciunt iudicium & iusticiam in omni tempore. Etiam hic ergò nos fefellit?

Mich. 6. Tertius, Micheas 6. Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, Vtiq; facere iudicium, & diligere misericordiam, & ambulare sollicitum cum Deo tuo. Vides quid requirat ab homine Deus pro satisfactione, deniq; pręmittens irridet eos, qui per opera satisfacere uolunt, dicens: Quid dignum offeram Domino? Nunquid ei offeram holocaustomata, & uitulos anniculos? Nunquid placari potest in milibus arietum, aut in multis milibus hircorum? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum uentris mei pro peccato animæ meę? Non, quia Deus pro peccato nulla talia requirit, sed iudicium & misericordiam & timorem, ut dictũ est, id est, nouam uitam. *Noua uita.*

CONCLVSIO. VI.

Papa non potest remittere ullam culpam, nisi declarando & approbando remissam à Deo, aut certe remittendo Casus reseruatos sibi, quibus contemptis culpa prorsus remaneret.

PRima pars est tam manifesta, ut etiam confessi sint quidam esse impropriam orationem, quando Papa dat remissionem culpæ. Alij uero se non intelligere, omnes enim confitentur à solo Deo remitti culpam, secundum illud Esa. 43. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Et Iohan. 1. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et Psal. 130. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quia apud te propiciatio est. Et infra: Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio, Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius. Et Psal. 51. Cor mundum crea in me Deus &c. Multa alia in Scripturis. Et Beatus Augustinus contra Donatistas tam frequentibus operibus nihil aliud agit, q̃ q à solo Deo remittuntur peccata. *A solo Deo remittuntur peccata.* *Esaie. 43* *Iohan. 1.* *Psal. 130.* *Psal. 51.*

Secunda pars similiter satis patet. Quia qui contemneret Casus reseruatos, certe non remitteretur ei ulla culpa. Qui uos spernit, inquit, me spernit, imo nullus uenit remissa culpa a Deo, nisi simul secum portet reuerentiam clauium. *Reuerentia Clauium.*

Hanc

Hanc Conclusionem, quia omnes ueram concedunt, non est necesse, ut mea assertione firmetur. Hic tamen signabo, quę me mouent, & iterum confitebor ignorantiam meam, si quis dignetur me erudire, & hanc rem planius elucidare. Primo circa primam partem, uidetur esse ista oratio uel sententia impropria, & Euangelico textui incongrua, quando dicitur summum Pontificem soluere (id est, declarare solutam) culpam, seu approbare. Textus enim non dicit: Quodcunque ego soluero in cœlis, tu solues super terram. Sed contra: Quodcunque tu solueris super terram, ego soluam, seu solutum erit in cœlis. Vbi magis intelligitur Deus approbare solutionem sacerdotis, quam ecōtra.

Secundo circa secundam partem, Certum est, quod quos casus soluit Papa, eosdem soluit & Deus, nec potest quis Deo reconciliari, nisi reconcilietur prius Ecclesiæ, saltem uoto. Nec offensa Dei tollitur, manente offensa Ecclesiæ. Sed quæritur: Vtrum reconciliatus Ecclesiæ, mox sit etiam reconciliatus Deo? Textus certe habet, quod omnia soluta in Ecclesia, sint & in cœlo soluta. Sed non uidetur hinc sequi, quod ideo omnia sint simpliciter soluta in cœlo, sed ea duntaxat, quæcunque in Ecclesia sunt soluta. Nec sunt parui ponderis hæ duæ Quæstiones meo iudicio, de quibus forte in Conclusione sequenti meum iudicium latius aperiam.

Vtrum reconciliatus Ecclesiæ, mox sit etiam reconciliatus Deo?

CONCLVSIO. VII.

Nulli prorsus remittit Deus culpam, quin simul eum subijciat, in omnibus humiliatum, sacerdoti suo Vicario.

HAnc assero, nec eget disputatione aut probatione, tanto omnium cōsensu approbata. Sed in eius intelligentia adhuc laboro. Et ut meum sensum stultus primo dicam, quia ista cum sua præcedente conclusione id asserunt, quod Deus non remittat culpam, nisi sit prior remissio sacerdotis (saltem in uoto) sicut clare textus sonat: Quodcunque ligaueris &c. Et illud Matth. 5. Vade prius reconciliari Fratri tuo, & tunc ueniens offeres munus tuum. Et illud: Reddite Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & quæ sunt Dei, Deo. Et oratio Dominica: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. In quibus omnibus omnino prior remissio in terra significatur, quam ea, quæ est in cœlis. Merito queritur, Quomodo ante gratiam infusam (id est, ante remissionem Dei) hæc fieri possint? cum sine gratia Dei primo remittente culpam, nec uotū remissionis querendæ habere possit homo.

Matth. 16 *Matth. 5.* *Matth. 22* *Quæstio.*

Hic ita dico & sapio. Quando Deus incipit hominem iustificare, prius eum damnat, & quem uult ædificare, destruit, quem uult sanare percutit, quem uiuificare, occidit. Sicut 1. Sam. 2. & Deut. 32. dicit: Ego occidam & uiuificabo &c. Hoc autem facit, quando hominem conterit, & in sui suorumque peccatorum cognitionem humiliat ac tremefacit, ut dicat miser peccator: Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, Non est sanitas in carne mea, à facie iræ tuæ. Sic enim montes fluunt à facie Domini, Sic mittit sagittas suas, & conturbat eos. Ab increpatione tua Domine, & ab inspiratione spiritus iræ tuæ. Sic conuertuntur peccatores in infernum, & implentur facies eorum ignominia. Quam conturbationem & quassationem sæpius expertus Dauid, multis eam in diuersis Psalmis cōfitetur gemitibus.

Deus percutit, ut sanet. *1. Sam. 2.* *Deute. 32.* *Psal. 38.*

In ista autem conturbatione incipit salus, Quia inicium sapientiæ timor Domini. Hic Dominus (ut ait Nahum) mundans neminem facit innocentem, & in tempestate & turbine uiæ eius, & nebulæ puluis pedum eius, hic allucent fulgura eius, uidet & mouetur terra. Hic sagittæ eius transeunt & infiguntur, & uox tonitrui eius uoluitur, id est, rotatur, uident aquæ & timent. Hic denique operatur opus alienum Deus, ut operetur opus suum. Hæc est uera cōtritio cordis, & humiliatio spiritus, gratissimum Deo sacrificium.

Nahum. 1. *Vera cordis contritio.*

Hic

Hic est mactata uictima in membra concissa, & pelle detracta, in holocau-
Esa. 41. stum incensa. Et hic infunditur (ut uocant) gratia, sicut ait Esa. 41. Perseque-
& 66. tur eos, transibit in pace. Et 66. Super quem requiescet Spiritus meus, nisi su-
Esaie. 38 per quietum & humilem, trementem sermones meos? Et Ezechias Isa. 38.
Domine, si sic uiuitur, & talibus uita spiritus mei, corripies me, & uiuifica-
bis me.

Verum tunc adeo ignorat homo sui iustificationem, ut sese proximum putet damnationi. Nec infusionem gratiæ, sed effusionem iræ Dei super se hanc putet esse. Beatus tamen si suffert hanc tentationem, quoniam cum se consumptum putauerit, orietur sicut Lucifer.

Stante autem hac misera conscientiæ suæ cõfusione, non habet pacem, neque consolationem, nisi ad potestatem Ecclesiæ confugiat, suisq; peccatis & miserijs per Cõfessionem detectis, postulet solacium & remedium, neq; enim suo consilio uel auxilio sese poterit pacare, imo absorberetur tandem tristicia in desperationem. Hic sacerdos talem uidens humilitatem & compunctionem, de fiducia potestatis sibi ad faciendum misericordiam traditæ, plenissime presumat, & soluat, solutumq; pronunciet, ac sic pacem ei cõscientię donet. *Ecclesiæ potestas. Confessio.*

Absoluendus uero omni studio caueat, ne dubitet, sibi remissa esse apud Deum peccata sua, sitq; quietus in corde. Nam etsi præ suæ conscientiæ confusione sit incertus (sicut regulariter oportet fieri, si compunctio uera est) Tamen stare tenetur alterius iudicio, Non propter ipsum Prælatum aut potestatem eius ullo modo, sed propter uerbum Christi, qui mentiri non potest, dicendo: Quodcunq; solueris super terram, Fides enim huius uerbi faciet pacem conscientiæ, dum iuxta illud Sacerdos soluerit. Qui uero pacem alia uia querit, utputa experientia intus, hic certe Deus uidetur tentare, & pacem re, nõ in fide uelle habere, Tantũ enim habebis pacis, quantũ credideris uerbo promittentis: Quodcunq; solueris &c. Pax enim nostra Christus est, sed in fide. Quod si quis huic uerbo non credit, etiamsi milies milies absoluatur à Papa ipso, & toti mundo confiteatur, nunquam erit quietus. *Vsus priuatæ absolutionis. Confessio & absolutio sine fide &c.*

Hæc igitur est illa dulcissima potestas, de qua summas gratias ex imo cordis agere debemus Deo, qui talem dedit potestatem hominibus, quæ est
Matth. 9. unica consolatio peccatorum & infœliciũ conscientiarum, si modo Christũ uera promisisse credant. *Potestas Clauium.*

EX istis nunc patet, quod supra querebatur, scilicet, Quod licet remissio culpæ fiat per infusionem gratiæ ante remissionem sacerdotis, Talis tamen est infusio gratiæ, & ita sub forma iræ abscondita (siquidem uesti-
Psal. 77. gia eius non cognoscuntur, Psal. 77. Et semita in pedibus eius non apparet,
Esai. 41. Isa. 41.) ut homo incertior sit de gratia cum fuerit ipsa præsens, q̃ cum est absens. Ideo ordine generali non est nobis certa remissio culpæ, nisi per iudicium sacerdotis, nec per ipsum quidem, nisi credas Christo promittenti: Quodcunq; solueris &c. Donec autem nobis incerta est, nec remissio quidem est, dum nondum nobis remissio est, imo periret homo peius, nisi fieret certa, quia non crederet sibi remissionem factam. *Solutio quæstionis supra positæ.*

Sic Christus de Maria Magdalena ad Simonem leprosum dixit: Re- *Ma. Magda.*
mittuntur ei peccata, Quo utiq; significauit gratiam ei iam infusam, Sed *Luc. 7.*
Psal. 38. hanc infusionem ipsa non cognouit, nondum erat pax ossibus suis a facie peccatorum suorum, donec ad eam conuersus diceret: Remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te saluam fecit, (scilicet, qua credidit remittenti) Ideo sequitur: Vade in pace.

Et adulteræ illi iam remissa erant peccata, antequam Christus se erigeret. At non illa hoc cognouit, cum tot starent circum eam accusatores, donec audiret uocem sponsi dicentis: Nemo te condemnauit mulier? nec ego te condemnabo. *Adultera. Iohan. 8.*

Et Dauid

David 2. Sam. 12.

Vox iustorum.

Et Dauid certe, cum peccasset, & a Propheta Natan fuisset reprehensus ex mandato Dei, mortuus fuisset subito, quando operante in eo gratia iustificationis exclamauit: Peccaui (hęc est enim uox iustorum, seipsos primo accusantium) nisi statim uelut absoluens Natan dixisset: Dominus quoque abstulit peccatum tuum, non morieris. Quare enim addidit, Non morieris, nisi quia uidebat eum terrore peccati sui conquassari & deficere?

Ezechias.

Et Ezechias quoque, audito, quod moreretur, fuisset mortuus, nisi rursus ab Esaia consolationem accepisset, & signum intrandi templum, Cui credens, simul & pacem peccatorumque remissionem obtinuit, sicut ait: Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. *Esai. 38.*

Et omnino in ueteri Testamento, quomodo fiducia eorum de misericordia Dei ac remissione peccatorum potuisset consistere, nisi Deus nunc apparitionibus, nunc inspirationibus, nunc oblationum incensionibus, nunc nebulæ ostensionibus, & alijs signis, ostendisset sese gratum habere, quicquid operarentur? quod nunc uult fieri uerbo & iudicio sacerdotum.

Remissio Dei
Remissio ministri

Igitur remissio Dei gratiam operatur, sed remissio sacerdotis pacem, quæ & ipsa est gratia & donum Dei, quia fides remissionis & gratiæ præsentis. Et hanc meo sensu dicerem esse eam, quam nostri Doctores dicunt, per sacramenta Ecclesiæ efficaciter conferri. Non autem ipsam primam iustificantem, quam ante Sacramentum oportet adesse in adultis. Sed ut Roma. 1. dicitur: Fides in fidem, oportet enim accedentem credere. At baptisatū oportet etiam credere, se recte credidisse & accessisse, aut pacem nunquam habebit, quæ non nisi ex fide habetur. Non ergo prius soluit Petrus quam Christus, sed declarat & ostendit solutionem, cui qui crediderit cum fiducia, uere obtinuit pacem & remissionem apud Deum (id est, certus fit, se esse absolutum) non rei, sed fidei certitudine, propter infallibilem misericorditer promittentis sermonem: Quodcunque solueris &c. Sic Rom. 5. Iustificati gratis per gratiam ipsius, pacem habemus ad Deum per fidem, non utique per rem &c. *Roma. 1.* *Roma. 5.*

Minister declarat & ostendit solutionem.

Remissionem culpæ nemo potest sibi dare.

Quæ si recte & uere sapio, non est falsum neque improprium (ut illi uolunt) dicere, quod Papa remittat culpam, imo remissio culpę est incomparabiliter melior, quam remissio quarumcunque pœnarum. Licet hanc ita solam prædicent, ut remissionem culpæ fecerint nullam esse in Ecclesia, cum contra potius sit, Vbi enim homo per remissionem culpæ (quam sibijpsi dare nequit, cum nemo sibijpsi credere debeat, nisi qui malit ex una turbatione duas facere) per fidem absolutionis acceptam pacatus fuerit, omnis pœna ei nulla pœna est, Conscientiæ enim confusio facit molestam pœnam, Iucunditas uero conscientiæ optabilem facit pœnam.

Et hanc intelligentiam in populo, de potestate clauium, uidemus abundare, qui simplici fide quærunt & accipiunt absolutionem. Doctiores uero quidam, suis nituntur sese contritionibus & operibus atque confessionbius facere quietos, & nihil aliud agunt, quam quod de inquietudine in inquietudinē eunt, quia in se & sua confidunt, cum si sentirent conscientiæ malum, deberent Christo credere dicenti: Quodcunque solueris &c.

Theologi recentiores conscientiæ scrupulos augent.

Ad hoc autem conscientiæ malum, Theologi recentiores nimis fœliciter cooperantur, dum sacramentum pœnitentiæ sic tractant & docent, ut populus discat per suas contritiones & satisfactiones confidere se peccata sua posse delere, Quæ uanissima præsumptio nihil aliud potest efficere, quam ut cum hæmorrhoissa Euangelica, consumpta in medicos tota substantia, peius & peius habeant. *Marc. 5.*

Fides primo in Christum, gratuitum remissionis largitorem, docenda erat, & desperatio propriæ contritionis & satisfactionis persuadenda, ut sic

fiducia

fiducia & gaudio cordis de misericordia Christi firmati, tandem hilariter odi rent peccatum, & contererentur, & satisfacerent.

Nec Iuristæ eiusdem carnificinæ segnes sunt autores, qui dum nimio studio extollunt potestatem Papæ, plus fecerunt æstimari & mirari potestatem Papæ, quam uerbum Christi honorari fide, Cum docendi sint homines, ut non in potestatem Papæ, sed in uerbum Christi Papæ promittentis confidere discant, si modo uelint esse pacati in conscientijs suis. Non enim, quia Papa dat, aliquid habes, sed si credideris te accipere, habes, tantum habes, quantum credis, propter promissionem Christi.

Iurisconsulti conscientiarum carnifices.

Nisi autem potestas clauium sic ualeret ad pacem cordis, & remissionem culpæ, tum uere (ut aiunt quidam) uilificarentur Indulgentiæ, Quid enim magni confertur, si remissio pœnarum confertur, cum Christianorum sit, etiam mortem contemnere.

Potestas clauium ad quid ualeat.

Iohan. 20

Item, cur dixit Christus: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, nisi quod non sunt remissa ulli, nisi remittente sacerdote, credat sibi remitti? Ideo in uerbo: Quorum remiseritis peccata, confertur potestas, sed in uerbo: Remittuntur eis, prouocatur peccator ad fidem remissionis. Sicut & in uerbo: Quodcunque solueris, potestas datur. In uerbo: Soluta erunt, fides nostra excitatur. Poterat enim dicere: Quorum remiseritis pœnas uel uindictas, si uoluisset id intelligere, Sed sciuit, quod conscientia iam iustificata per gratiam, sua trepiditate euomeret gratiam, nisi succurreretur ei per fidem de gratiæ præsentia ministerio sacerdotis, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet. Non enim sufficit remissio peccati & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissam. Et hoc est testimonium, quod reddit spiritus Dei spiritui nostro, quod sumus filij Dei, quia esse filium Dei, est tam absconditum (cum appareat sibi esse hostis Dei) ut nisi credatur ita esse, non possit esse. Sic enim mirificat Dominus Sanctos suos, quod nemo sustineret manum iustificantis & medentis, nisi credat eum iustificare & mederi. Sicut medicus corporis incidens infirmum, non creditur id studio medendi facere ab infirmo, nisi boni amici persuadeant ei.

Esse filium Dei ualde occultum est.

Siue ergo sacerdos sit causa sine qua non, siue alia, remissionis peccatorum, non curo, dum uerum esse aliquo modo constet, sacerdotem remittere peccata & culpam. Sicut amicis infirmi uere imputatur sanitas, dum sua suadela effecerunt, ut crederet infirmus cædenti medico.

Causa sine qua non.

Nec hic oportet cogitare, quid si sacerdos erraret? quia non in sacerdote, sed in uerbo Christi nititur remissio illa, Ideo siue sacerdos id faciat lucri uel honoris causa, tu modo optes remissionem sine fictione, & credas promittenti Christo, imo etiamsi ex leuitate absolueret, adhuc obtineres pacem ex fide tua. Sicut baptismum seu eucharistiam dat, siue ille lucrum quærat, siue leuis ac ludens sit, fides tua plenum accipit, tanta res est uerbum Christi, & fides eius.

Remissio in uerbo Christi nititur.

Nam legimus, inter gesta Martyrum quendam Mimum, ioco, imo illudendo baptismum, baptizari uoluisse, & inter baptizandum conuersum, uere baptizatum à suis collusoribus gentilibus, & statim martyrio ab eisdem coronatum.

Mimus quidam baptizatus.

Item S. Athanasius puer, pueros baptizauit, quos Episcopus Alexandriæ postea baptizatos iudicauit, ut in Eccle. histo. lib. 10. cap. 14. Et B. Cyprianus, pacem à quodam episcopo Therapio datam præpropere, reprehendit quidem, sed ratam esse uoluit. Igitur fide iustificamur, fide & pacificamur, non operibus, neque pœnitentijs, aut confessionibus.

Fide iustificamur.

Pœnitentia satisfactiua &c.

Circa hanc sextam & septimam Conclusionem, Leonte illa nostra cum gloria triumphat, imo de me cantat encomium ante uictoriam. Et ex sentina illa opinionum, aliam distinguit pœnam satisfactiuam, & uindicatiuam, aliam medicatiuam & curatiuam, Quasi necesse sit, hæc uel somniantibus credere, Quanquam coram populo hanc distinctionem prudentissime celant, ne uilescant Indulgentiæ, uel potius lucra, si populus intelligeret tam modicas & steriles, uindicatiuas (id est, confictas) remitti pœnas.

Deinde, ut notum faceret omnibus, sese nescire, quid sit uel uetus, uel nouum sacerdocium, introducit aliam uerborum caliginem & distinctionem clauium, Alias autoritatis, alias excellentiæ, alias ministeriales. Adeo nihil nouerunt etiam Magistri nostri eximij, hæreticæ prauitatis Inquisitores, & catholicæ fidei defensores, nisi quod ex laciniosis & prærancidis quæstionibus quarti Sententiarũ suxerunt, uolentes forte, quod quicquid Christus soluerit clauibus excellentiæ in cœlo (nam in terra non soluit ipse) solutũ erit in super cœlo apud Deum. Rursum ut & Deus sit Pontifex, alias fingendus est Deus superior,, apud quem sit solutum, quicquid ipse soluerit clauibus autoritatis in super cœlo. Sed facessant nugæ, unas nouimus claues, tantum in terra traditas.

Iam quod inferunt, Ergo errat, qui dicit, sacerdotem nouæ legis tantum approbando & declarando soluere, hoc enim Iudaici erat sacerdotij. O acumen ingenij, & pondus ingens eruditionis, dignissimi plane uiri, qui inquirant hæreticos, & defendant catholicam fidem, sed aduersus lapides & ligna. Quanto rectius Apostolus Paulus sacerdotium uetus asserit constitisse, in iudicandis leprosis, in iustificationibus & mundicijs carnis, in cibo & potu, & uestitu, & festis diebus &c. Quibus ut figura significatæ sunt iustificationes in spiritu, & mundiciæ cordis, quas ministerio noui sacerdotij operatur in Ecclesia Christus.

Vetus sacerdotium

Nouum sacerdotium.

Quanquam igitur sextam Conclusionem ipse non posui ex animo, ut dixi ibidem, sed quia alij sic sentiunt, Tamen quia nec ipsi aduersarij cum omnibus suis magistris, usque hodie possunt ostendere, quomodo sacerdos remittit culpas, nisi hæreticam illam, sed usitatam sententiam proferant, qua dicitur, Sacramenta nouæ legis iustificantem gratiam dare illis, qui non ponunt obicem, cum sit impossibile Sacramentum conferri salubriter, nisi iam credentibus, & iustis, & dignis. Oportet enim accedentem credere. Deinde non Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat. Ideo quicquid blaterent opiniosi Sophistæ, uero similius est, quod sacerdos nouæ legis declarat duntaxat & approbat solutionem Dei (id est, ostendit) & hac ostensione & iudicio suo quietat conscientiam peccatoris, qui eius iudicio tenetur credere, & pacem habere. Quomodo uetus sacerdos quietabat eos, quos corpore uel ueste mundos iudicabat, cum tamen ipse nullum posset mundare, nec seipsum. Quod enim ille in corporibus, hoc iste in conscientijs operatur, Et sic respondet spiritus literæ, & ueritas figuræ. Et expecto hos catholicæ fidei defensores, quomodo sine prauitate hæretica aliter possint exponere Clauium uirtutem.

Sacramenta nouæ legis.

Ebr. 11.

Sophistæ.

CONCLVSIO VIII.

Canones pœnitentiales solum uiuentibus sunt impositi, nihilq; morituris secundum eosdem debet imponi.

Hanc disputo, etsi multi sunt, qui mirentur eam esse dubiam.

Primo

Roma. 7. PRimo probatur per illud Roma. 7. Lex dominatur in homine, quanto tempore uiuit &c. Quod cum Apostolus de Lege diuina interpretetur, multo magis uerum est de lege humana. Vnde ibidem dicit: Cum mortuus fuerit uir eius, soluta est mulier à lege uiri. Multo magis ipse mortuus est solutus à lege uxoris uiuentis, Arguit enim à minori Apostolus: Si uiuus soluitur per mortem alterius, multo magis ipse mortuus, per quem soluitur uiuus. *Lex diuina. Lex humana.*

Secundo, Leges canonicæ sunt alligatæ circumstantijs temporis, loci, personarum, sicut omnes aliæ leges positiuæ, dist. xxix. (ut omnibus notum est) de solo enim uerbo Christi dictum est: In eternum Domine, permanet uerbum tuum, in seculum seculi ueritas tua. Et iusticia eius manet in seculum seculi. Verbum autem & iusticia hominum, manet ad tempus duntaxat, quare illis mutatis cessant & leges. Nisi dicendum est, quod uastata ciuitate, adhuc ipse locus desertus, teneatur ad omnia, quæ prius faciebat ciuitas, quod est absurdum. *Verbum Dei. Verbum hominum. Simile.*

Tertio, si ius cogit, etiam cum uiuentibus dispensare, & legem mutare, quando legis conditio cessat, uel in peius uergit, cum (ut Leo Papa dicit) non debet contra charitatem militare, quod pro charitate statutum est, ita certe, quod contra unitatem, pacem &c. cœperit militare. Quanto magis morituris leges sunt tollendæ, cum non solum cesset ibi conditio legum, sed ipse quoq;, cui & cuius conditionibus positæ fuerunt. *Leo Papa.*

Quarto, ex ipsis uerbis legis in quibus exprimuntur clare dies & anni, ieiunium, uigiliæ, labores, peregrinationes &c. quæ manifestum est esse huius uitæ, & per mortem cessare, ubi homo longe in aliam uitam migrat, ubi nec ieiunat, nec plorat nec comedit, nec dormit, ut qui non habet corpus. Inde Iohannes Gerson damnare audet Indulgentias titulo multorum milium annorum donatas, ut mihi miraculum sit, quid nam acciderit hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, ut hunc uel mortuum non combusserint, qui contra morem omnium Stationum urbis, tum maxime contra usum effusoris illius Indulgentiarum Sixti quarti, tanta fiducia pronunciat, ut etiam moneat Prælatos officij sui, in ijs corrigendis atq; prouidendis, fatuas & superstitiosas appellans titullationes talium Indulgentiarum &c. *Verba legis. Iohannes Gerson damnat Indulgentias. Sixtus IIII.*

Quinto, respiciendo ad intentionem latoris Canonum, quos certum est, ne cogitasse quidem, ut eiusmodi Canones imponerentur morituris. Finge enim nos interrogare Pontificem tales ferentem: Quos intelligis, o Pater, in lege tua? uiuos aut mortuos? Quid respondebit, nisi, imo uiuos quid enim cum mortuis agere possum, qui egressi sunt forum meum. *Intentio latoris Canonum.*

Sexto, crudelissime faceret sacerdos Christi, si non relaxaret fratri, sicut sibi uellet fieri, & non est causa, quare non debeat, cum sit in eius potestate.

Septimo, si Canones pœnitentiales manent mortuis, eadem ratione & cæteri omnes. Celebrent ergo, agant festa, & ieiunia, & uigilias, dicant horas canonicas, non comedant oua, lac, carnes, certis diebus, sed tantũ oleũ, pisces, fructus, legumina, induant uestes pullas uel candidas, pro differentia dierum, & alia onera grauissima, quibus nunc præmitur misera illa, olim libertima, Ecclesia Christi. Nec enim ulla est ratio, quare aliqui cessant Canones propter tempus, & non omnes. Quod si cessant illa, quæ tamen sunt bona & meritoria ad uitam, cur non magis afflictiua illa & sterilia atq; impeditiua? An hic etiam permutationem nobis fingimus, ut sicut alias pœnas pro illis proportionatas patiuntur, ita & alia opera illis proportionata ibidem faciunt, ut nihilominus dicendi sint, legere horas canonicas? *Onera, quibus Ecclesia præmitur sub tyrannide Papæ. Permutatio operum.*

AEgroti liberi sunt a Canonibus.

Octauo, de facto infirmis corpore, etsi non sunt morituri, tolluntur Canones tam poenitentiales quam morales. Sacerdos enim infirmus non tenetur orare, celebrare, deinde alij quoq; nec ieiunare nec uigilare, nec à carnibus, ouis, lacte abstinere. Suntq; omnia non modo libera, imo prohibita, quae prius erant sanis praecepta, Alioqui cum eos iam manus Domini tangat, diceretur eis: Quare me persequimini sicut Deus, & carnibus meis (id est, infirmitatibus) saturamini.

Arguo itaq;: Canones sunt impositi non infirmis, sed sanis & ualentibus, ergo multo minus mortuis, sed uiuentibus. Aut si morituri & mortui non sunt liberi cur infirmi etiam non eisdem praemuntur & uexantur? denicq; recepta sanitate non tenentur repetere omissa in infirmitate, quomodo ergo credentur post mortem repetendi aut soluendi Canones.

Obiectio.

Sed hic dicunt quidam: Quid, si quis sanus impositas poenitentias omiserit, & postea moriturus confiteatur? uidetur quod tales omnino necesse sit in purgatorio soluere, etiamsi aliae non imponendae sint, aut non imponantur? Respondeo, quod nequaquam, quia per talem omissionem nihil est factum aliud, quam quod contra praeceptum Ecclesiae peccatum est, de quo dolendum est, non denuo repetendum ac implendum pro praeterito, sed pro futuro tantum. Sufficit diei malicia sua, crastinus solicitus erit sibi. Quod si praecepti transgressio ullius esset repetenda, ut nulla maneret, maxima id in Dei praeceptis fieri deberet, Sed est impossibile, ut adulterium non sit factum omissae castitatis.

Responsio.

Mors maxima poena.

Nono, quicunq; maiorem poenam subit, quam sibi imposita est, huic merito & naturali iure remittuntur minores, Sed moriturus subit ultimam, summam & maximam poenarum scilicet mortis, Quare praesente morte, omnia alia debet tolli, cum uix ullus sufficiat huic soli poenae. Et iterum finge, coram legislatore moriturum sese ad mortem offerentem, an non ille suas statim retractabit?

Decimo, Illustres quidam in Ecclesia Doctores dicunt, quod Christianus quilibet sit ditissimus, quia per mortem uoluntariam potest omnia soluere, & statim euolare. Cum nihil sit maius uoluntaria morte propter Deum suscepta, ergo frustra Canones illuc reseruantur. Huius sententiae sunt Vuilhel. Parh. Gerson, & sequitur eos non irrationabilis multitudo.

Vuilhelmus Parhisien: Gerson.

Vndecimo, Si mors satis poenarum non est, nisi mortuus & Canones ferat, ergo Canonum poena maior erit mortis poena, quippe, quae ultra mortem durat, Et fiet iniuria morti Christianorum, de qua dictum est: Preciosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius. *Psal. 116.*

S. Bonifacius martyr.

Duodecimo, Finge peccatorem rapi, & in ipsa confessione Christi statim subire martyrium, antequam Canonibus satisfecit (ut de S. Bonifacio Martyre legitur) Hunc ergo remorabitur purgatorium, ne sit cum Christo? Et fiet, ut oretur pro Martyre in Ecclesia? At omnis uoluntarie moriens (de hoc enim loquimur, id est, de Christiano) etiam pro uoluntate Dei moritur.

Ciuiles leges.

Tertiodecimo, Cur non ciuiles quoq; leges post mortem manent soluendae, cum & ipsae ligent coram Deo & in coelis, non sua uirtute, sed Christi, & Apostolorum Petri & Pauli, qui tradunt ex animo, & propter conscientiam illis subijci oportere, quia sic est uoluntas Dei? *Roma. 13. 1. Pet. 2.*

Quartodecimo, Canones cessant, quando Laicus poenitens mutat statum, scilicet in sacerdotium, aut sacerdos in Episcopatum, aut in Monachatum. Et haec cessatio fit in hac uita, & non cessat in mutatione mortis? Quid absurdius?

Quinto.

Quintodecimo, Quod talis sententia de Canonibus post mortem soluendis prorsus nullam habet autoritatem Scripturæ, canonum, aut rationis probabilis, sed uidetur sola inertia & negligentia sacerdotum introducta, sicut & multa alia superstitiosa.

Decimosexto, Ad hoc habemus exempla Patrum antiquorum, & certe unus Cyprianus uel rigidissimus ecclesiasticarum censurarum & disciplinarum obseruator, is tamen Epist. 17. lib. 3. præcipit pacem dandam ijs, qui periculo mortis sunt obnoxij, ut ad Dominum cum pace ueniant, facta confessione sua uel presbytero, uel diacono, ut ibidem dicit. At datio pacis illa nihil est, quam id, quod nunc remissio plenaria uocatur, ut patet intuenti.

Cyprianus.

Datio pacis apud Cyprianum quid?

Concludamus ergo, quod Canones non nisi uiuentibus, nec ijs nisi sanis & ualentibus imponendi sunt, imo non nisi pigris, & qui sponte sua melius agere nolunt. Hæc certe non tam late produxissem, si non scirem quosdam nimis tenaciter asserere contrarium, quod tamen nulla uia probare possunt, Nam si cum ingeniosis & eruditis uellem agere, melius tacerem, quam loquerer.

Canones quibus imponendi.

AT hic dicat aliquis: Sic dicere, est nimis uilificare indulgentias, si solum Canonicæ pœnæ, nec omnes tamen, nec nisi huius uitæ remittuntur. Respondeo: Præstat uiles fieri Indulgentias, quam crucem Christi euacuari, & melius est uiles habere Indulgentias, quam aliquid in Ecclesia docere, quod fictionis possit argui in Ecclesiæ confusionem. Ego sane libera fronte confiteor atque protestor, me non magnopere curare Indulgentias, quo ad remissionem pœnarum (in qua illi sola gloriantur) sed maxime ueneror, amplector, gratulor in eis, quo ad remissionem culpæ, secundum sensum meum supra positum, quam illi nullam esse putent.

Huic octauæ obijcitur pugio unus plumbeus, Quod uidelicet in Iuribus inuenitur, etiam mortuos excommunicari, ut præ cæteris testatur c. A nobis, extra de sen. ex. Quam timebam, ne etiam inueniri dicerent pœnas sensibiles, & satisfactiones infligi mortuis. At bene est, quod tantum excommunicari dixerunt mortuos, ita & absolui mortuos, nemo est qui negat. Sed quid ista absolutio ad remissionem pœnarum? Hæccine est illa subtilissima dialectica, sine qua docent non fieri Theologum? forte in quinta figura tenet illa consequentia. Aliquis absoluitur ab excommunicatione, ergo remittuntur ei pœnæ satisfactoriæ? Vt quid ergo passim Indulgentias profundunt, si absolutus à peccato, mox etiam remissionem habet pœnarum? Si autem absolutis adhuc remanet satisfactio, quomodo ergo absolutio mortuis prodest aut tollit pænam?

Dialectica Sophistarum.

Igitur futilis est iste syllogismus, quod sicut excommunicatio sese extendit ad mortuos, ita & remissio pœnarum. Imo ut ipsimet Iuristæ dicunt; Excommunicatio mortui, mortuo nihil infert, sicut absolutio nihil confert, sed omnia hæc nobis fiunt in terrorem, nisi quod non pro tali publice oratur, Non plus igitur ille patitur à tali excommunicatione, quam pateretur domus uel uestis, si excommunicaretur, sic rursus nihil plus iuuatur absolutione.

Sed quiescam deinceps confutare contradictiones istas garrulas, cum nihil in se contineant, quam opiniones scholasticas, nec in Scripturis, nec ecclesiasticis Patribus, nec Canonibus fundatas, Semper enim petit principium, aut si hoc non facit, more iratarum mulierculararum saltem blaterat hæc uerba: Errat, furit, insanit, Error, errare, In his enim uerbis summam sapientiæ & scientiæ suæ constitutam uult uideri,

CONCLVSIO IX.

Inde bene nobis facit Spiritus sanctus in Papa, excipiendo in suis Decretis semper articulum mortis & necessitatis.

ISta Conclusio magis est probatio praecedentis, Certum est enim, quod si articulos necessitatis temporalis summus Pontifex uult exceptos, multo magis necessitatē aeternam. Ad quam homo per mortem uadit, cum infirmus aut impeditus legitime, solum temporali impotentia teneatur. Quin etiam si qua summus Pontifex non excipit necessitatem, tamen excepta non minus intelligitur, Cum necessitas non habeat legem, at mors necessitas necessitatum, & impedimentum impedimentorum omnium ultimum & maximum est,

Mors.

CONCLVSIO X.

Indocte & male faciunt sacerdotes ij, qui morituris poenitentias Canonicas in purgatorium reseruant.

ET hoc quoque corollarium manifestum est conclusionis 8. Et certe sunt nonnulli, qui mirentur, si haec fiant à sacerdotibus. At utique fiunt. Cum uero id sit, plus obedientiam canonum quam obedientiam uocantis Dei ponderare, & uiliora canonum opera praeferre precio preciosissimae mortis Christianorum, nescio si illi rectę fidei Regulam teneant, qui tali imbuti sunt opinione.

Secundo, Id notum est, & insignibus autoribus celebre in Ecclesia, Si quem Deus hominem in medijs ipsis operibus obedientiae ecclesiasticae ad ecstasin raperet, uel singularem illuminationem, tenetur homo tum opus intermittere & obedientiam Ecclesiae relinquere, & Deo obsequi magis, quam hominibus. Imo dicunt in ipsis horis canonicis attentionem uerborum debere omitti, contra praeceptum Ecclesiae, si qua arriserit coelestis illustratio & affectio. Si ergo in ijs uocationibus feriantur leges Ecclesiae, quomodo non feriantur in uocatione & ecstasi tam magna, scilicet mortis? Nisi forte stultorum sequi oportet multitudinem, qui in operibus suis ceremonialibus ita haerent, ut manifestam obedientiam Dei & hominum propter illa saepius postponant, & recte sibi fecisse uideantur, si illa tantum, caetera uero nunquam fecerint.

Deo plus parendum, quam Canonibus.

Tertio, Esset sane Ecclesia tum satis impia in Deum, si scilicet eum in suo foro retineret inferiori, quem Deus iam ad suum tribunal supremum uocat, Aut quando patitur summus Pontifex, reum teneri lege, iuribusque fori inferioris Episcopi aut Praelati, postquam uocatus est suo foro sisti? an ipse id à suis inferioribus requirit, quod ipse homo suo Deo superiori non permittit? Claudit ergo manum Dei homo, & homo non potest claudere homini? Absit. At certe si morituro imponit Canones, clarum est, quod eum secundum suum forum iudicat & punit. Hae sunt itaque ferme uiginti Rationes, quae me mouerunt (ut spero) non temere dubitare de materia illa canonicarum poenarum, cum in contrariam partem nulla sit autoritas, nec Canon, nec ratio, nec uniuersalis usus Ecclesiae, sed abusus quorundam tantummodo.

20. rationes Lutheri

CONCLVSIO XI.

Zizania illa, de mutanda poena canonica, in poenam purgatorij, uidentur certe dormientibus Episcopis seminata.

Hic

Hic rogo, nullus existimet me calumniam R. Episcopis struere, quod dixerim eos dormiuisse. Euangelij non mea sunt uerba, nisi quod ibi non ponitur nomen Episcoporum, sed hominum. Certum est tamen, quod per homines intelligit Maiores & Rectores Ecclesiæ, nisi per tropologiam, uniuscuiusq; spiritum & mentem super corpus suum acceperis. Igitur Pontifices Ecclesiæ, ista quidem non docent, quia (ut dixi) nullus Canon, nullum statutum ex illis habemus, unde id possit doceri. Frustra itaq; laborant quidam Canonistæ, dum nituntur ostendere, quales sint illi anni, dies, quadragenæ in purgatorio, cum uere nulli sint, aut saltem esse non probetur. Sed error inde uenit, quod non aduertunt, Canones esse in tempore huius uitæ statutos, & super terram ligantes, sicut qui mutat municipium, & iura quoq; municipalia simul. Quod si quid debet, prius cogitur satisfacere, quam mutare. Igitur morituris prorsus nihil est imponendum, neq; remittendi sunt ad purgatorium cum residuo pœnitentiæ (ut Gerson in aliquo loco asserit) sed magis (ut idem melius alibi sapit) ad mortem constanter & uolenter pro uoluntate Dei suscipiendam.

Matt. 13. *Canonistæ.*

Hic uidendum commentum illud & futile cauillum, quo uelut puellulos terrere laruis cupiunt, dicentes: Quia sacerdos ignorat mensuram contritionis absoluendi, ideoq; forte non imponit tantam satisfactionem, quantam iusticia diuina requirit, quare necesse est & huic uel proprio opere, uel Indulgentijs satisfieri. *Puerile argumentum.*

Primum uide, ut nuda sua uerba pro oraculis sonent, sine ulla probatione, cum tamen Propheta dicat: Non faciet Deus uerbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Nec est credibile, cum Deus noster sit, qui docet nos utilia, sicut per Prophetam loquitur, non etiam hanc suæ iusticiæ exactionem alicubi reuelarit. *Amos 3.*

Deinde nescio, an sic dicentes, Deum uelint usurarium aut mercatorem facere, ut qui non remittat gratis, nisi ei uelut precium reddatur satisfactio. An forte uolunt, ut cum iusticia Dei tractemus de nostris peccatis, coram qua nullus iustificatur homo?

Tertio, si id ita est, cur ergo Papa plenarie absoluit, cum æque ignoret mensuram contritionis, nec ipse potest supplere contritionis imperfectionem? perfecta autem eius absolutione non eget. Nec habet alterius generis potestatem, quam alius sacerdos, sed alterius quantitatis, quia ipse omnium peccata, alij aliqua remittunt, & quantam satisfactionem illi in aliquibus, tantam ipse in omnibus potest remittere, nec amplius. Alioqui monstrum esset Ecclesia, ex diuersi generis potestate constituta.

Quarto, Et Ecclesia primitiua ignorabat contritionis mensuram & pondus spirituum, nihilo tamen minus remittebat plenarie peccata post peractam pœnitentiam, quam satis fuisse, non potuit scire, iuxta horum sententiam. *Ecclesia primitiua.*

Quinto, Iterum somnium procedit ex eo, quod remissionem peccatorum non super fidem & uerbum miserentis Christi, sed super opus currentis hominis ædificant, quia remissionem plenariam dari non posse fingunt, nisi perfecte contritis, quorum nullus est in hac uita. Et tamen concedunt eam dari à Papa, etiam imperfecte contritis.

Sexto, Si iusticia Dei aliquid requirit, iam extra manum est Ecclesiæ, quæ nihil habet mutare, quod Deus uult, aut imponit. Stat enim firma sententia: Consilium meum stabit, & uoluntas mea fiet.

Eadem ratione & illud confutatur, quod alij dicunt Pœnas canonicas esse declaratorias pœnarum à iusticia diuina requisitarum. Primum illud non probatur, ergo eadem facilitate contemnitur. Si declarat, ergo impossibile est, ut relaxet Ecclesia easdem, quia non imposuit, sed impositas à Deo declarat. Aut dicere cogentur, quod uerbum Christi sic sit ordinandum, Quodcunq; ego ligauero, tu solues.

CONCLVSIO XII.

Olim pœnæ canonicæ non post, sed ante absolutionem imponebantur, tanquam tentamenta ueræ contritionis.

Canonicæ pœnæ. ITerum probat octauam hæc duodecima, quia canonicæ pœnæ adeo sunt temporales, ut finem sui habeant ipsam absolutionem. Cum autem nullus moriturus non debeat absolui (cæteris paribus) patet, quod non imponendæ, sed etiam impositæ & imponendæ, sunt potius relaxandæ. Quod si mos ille priscus Ecclesiæ huiusq; fuisset seruatus, non fuisset error iste natus. Nunc uero cum absolutio præcedat pœnas, factum est, ut in absolutionis iniuriam, non absolutum remittant in mortem, & rem monstro faciant simillimam, dum absoluendo non absoluunt, & absolutum eadem uoce ligant.

Primo probatur Conclusio ex ipso usu solennis pœnitentię, in Canonibus descriptæ, cuius uel exemplum uel reliquum uestigium adhuc agitur in homicidij pœnitentia. Cur enim hic uiuentem absoluunt à pœna, & non remittunt eum ad alias in uita agendas, qui tam rigidi sunt in morituros?

Secundo, Sic B. Hieronymus scribit Fabiolam suam absolutam. Sic B. Ambrosius suum Theodosium absoluit. Deniq; apud nullum frequentius id legitur, quam apud gloriosum martyrem Cyprianum, lib. 3. epistolarum suarum. Item in ecclesiastica & tripartita historia. Item apud Dionysium in ecclesiastica Hierarchia status pœnitentium & energumenorum describitur. In ijs omnibus uidemus, non fuisse receptos tunc ad gratiam & absolutionem peccatores, nisi peracta pœnitentia.

Tertio, neq; Christus absoluit Mariam Magdalenam & adulteram, nisi post lachrymas, unctionem, & uehementissimam & humilimam afflictionem.

Quarto, Sic legimus Gene. 44. Ioseph fratres suos multis afflixisse tentationibus, ut exploraret, an uere essent erga se & Beniamin affecti, quo cognito, reuelauit se eis, & in gratiam recepit. *Gene. 44.*

CONCLVSIO XIII.

Morituri per mortem omnia soluunt, & legibus Canonum mortui iam sunt, habentes iure earum relaxationem.

HAEc concludit prædicta & satis patet. Esset enim hæc res mira satis, si moriturus soluitur ab omnibus operibus, rebus, legibus, hominibus, insuper ab ipsis legibus Dei, scilicet ubi præcipitur eleemosyna, oratio, ieiunium, crux, labor, & quicquid per corpus geri potest, deniq; ab ipsis sanctæ dilectionis (quæ nunquam excidit sola) operibus erga proximum, & solæ rerum sint Canones, à quibus non possit solui. Tum Christianus miserabilior erit cunctis gentibus, puta, quem etiam mortuum uexent leges uiuorum, cum ipse potius talis sit, ut etiam inter mortuos esse debeat liber per Christum, in quo uiuit.

Non egentes Indulgentijs. Colligamus nunc tandem Epilogum, ut uideamus, quantis remittuntur pœnæ per Indulgentias. Sextuplex hominum genus mihi uidetur exceptum,

ceptum, quod non egeat Indulgentijs. Primo mortui seu morituri. Secundo infirmi. Tertio legitime impediti. Quarto qui non commiserunt crimina. Quinto qui crimina, sed non publica, commiserunt. Sexto qui meliora operantur. Ostendemus hæc & faciemus saltem uerisimilia.

Primum, quod forte maxime mouet, scilicet quod publicis criminibus solum necessariæ sunt Indulgentiæ, ut sunt adulteria, homicidia, usuræ, fornicationes, ebrietates, rebelliones &c. Tales enim si fuerint occulti, ad Canones non uidentur pertinere. Primo, quod Canones statuunt publicas pœnitentias, nec habet Ecclesia iudicare foris de occultis. Secundo, quod peccatum occultum, sicut non debet publice puniri, ita nec eget publice remitti, sed Indulgentiæ sunt remissiones publicæ, & in facie Ecclesiæ fiunt, ut patet, imo sunt nonnulli, qui nonnihil distare putant inter Indulgentias publicis Bullis concessas, & priuatim in foro conscientię donatas. Tertio, Occultis peccatis non est offensa Ecclesia sed solummodo publicis, ideo non tenentur ad pœnitentiam publicam, ut resarciant scandala, & rursum ædificent quod destruxerunt. Quarto, Et nunc Iurisconsulti non damnant publice criminosos, nisi fuerint iure notorij, tolerantes facto notorios. Quorum sententiā certe non reprobo, neq; erronea mihi uidetur, cum nulli liceat alterum iudicare, damnare, despicere quantumlibet peccatorem, nisi potestatem habuerit iudicandi super eum, ne dicatur ei: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Negligentia tamen charitatis reprehendenda est, tum Prælatorum, tum subditorum, quod notorios facto sinunt libere agere, nec curant, ut fiant notorij iure, secundum illud præceptum Christi: Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit &c. Matt. 18.

Secundo, Credo omnibus patere, quod solum pro criminibus imponantur pœnæ canonicæ, ergo Indulgentiæ (si sunt remissiones Canonum) non nisi criminosis sunt utiles. Ideo qui communi uita agunt, quæ sine peccatis uenialibus non agitur, non habent opus uenijs, Maxime cum nec debeat institui pœna uenialibus, imo nec confiteri teneantur, multo minus uenias redimere opus habent. Alioqui esset necesse, pœnas Canonicas ab omnibus omni tempore ferri, cum nemo (ut dixi) sine uenialibus uiuat. Atq; amplius loquar, nec pro omni peccato mortali sunt ueniæ redimendæ, quod sic ostendo. Nemo certus est, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ uitium. Si ergo super omni mortali starent canonicæ pœnæ non esset tota uita fidelium, ultra crucem euangelicam, nisi etiam canonicarum pœnarum carnificina. Quare & semper redimendæ essent Indulgentiæ, atq; nihil aliud agendum. Quod si hoc absurdum est, patet, indulgentias non esse nisi super peccatis à Canonibus punitis. Peccata autem à Canonibus puniri nulla possunt, nisi certa & publica crimina, aut si multum urgear, saltem, quæ sibi certa sunt esse crimina, ut dixi de adulterio, furto, homicidio &c. id est, manifesta opera foris. Quare consensus cuiuscunq; mortalis, non pertinet ad canonicas pœnas uel imponendas uel remittendas, ut nec uerbum oris, nisi sit occasio operis futuri, ut etiam ex uerbis Canonum patet. Pœnæ canonicæ.

Tertio, Nec sic sunt criminibus impositi Canones, quin cessent, si quis melius quid operetur. Vt si intret monasterium, aut se deputet seruitio pauperum, & hospitalis, aut pro Christo patiatur, aut pro uoluntate Dei moriatur, aut simile uel maius quippiam his fecerit, In his claret, quod canonicæ pœnæ cessant, nec Indulgentiæ eis aliquid prosunt. Vnde solum inertibus, frigide pœnitentibus, delicatis scilicet peccatoribus, sunt impositæ, ideo & solummodo duris & impatientibus Indulgentiæ proprie concedi uidentur.

Quarto,

Quarto, impeditis iustissima causa, ut pœnas ferre non possint, non est dubium, non impositas intelligi, Vt si quis captiuus esset Turcis & infidelibus, si seruus alicuius Domini, cui tenetur obedire sub præcepto Euangelij, aut etiam debitum reddere, seruire uxori & liberis, opere manuum, & uictu quærendo, Illis enim impeditus, non tenetur ea dimittere, imo ea facere & Canones omittere, & Deo obedire, Quare nec remissiones illorum habet necessarias, quorum non fuit capax impositionis.

Quinto, Infirmis nihil imponunt Canones, sanus ergo quæritur, & qui non sit de numero illorum, qui dicunt: Manus Domini tetigit me. His enim non impositio pœnarum, sed uisitatio & consolatio debetur, secundum illud Christi: Infirmus fui, & non uisitastis me. Alioqui dicetur Pontificibus: Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem uulnerum meorum addiderunt. Et illud Iob. Quare me persequimini sicut Deus, ergo nec his sunt necessariæ ueniæ. *Iob 19.*

Sexto, Tandem mortuis & morituris, de quibus dictum est: Vides ergo quam multi sint Christiani, quibus ueniæ non sunt necessariæ, nec utiles. Sed ad Conclusionem tandem reuertor, ut hanc materiam aliquando finiam, & proprio eos fodiam gladio.

In articulo mortis, quilibet sacerdos est Papa.

Constat apud omnes in Ecclesia, quod in agone & articulo mortis, quilibet sacerdos Papa est, ergo omnia remittit morituro. Quod si deest sacerdos, certe uotum sufficit, quare absolutus est ab omnibus, quibus à Papa potest absolui, ergo Indulgentiæ defunctis nihil conferre uidentur prorsus, cum quicquid solui potest solutum sit in morte. Ex quo simul patet, quod graduum & legum differentia solum super uiuentes & sanos intelligitur. Igitur ueniæ sunt utiles manifeste criminosis, uiuentibus, sanis, ac ualidis, non impeditis, & melius agere non ualentibus. Hic si erro, reuocet me, qui potest & scierit.

Quæstio. Responsio.

Si autem quæras: A quibus ergo pœnis redimuntur animæ, uel quas patiuntur in purgatorio, si canonicæ nihil respondens patiuntur? Dico: Si id ego scirem, quid disputarem & quærerem? Ego non sum tam expertus & sciens, quid Deus faciat cum animabus separatis, ut illi copiosissimi animarum redemptores, qui omnia adeo secure pronunciant, ac si fuerit impossibile eos esse homines Accedit ad difficultatem, quod sunt Doctores, qui putent animas nihil ab igne, sed in igne tantummodo pati, ut sit ignis non tortor, sed carcer animarum. Idcirco & hic ingredior multo maxime dubiam & disputabilem materiam, & quid super ijs rebus perceperim, profero.

CONCLVSIO XIIII.

Imperfecta sanitas seu charitas morituri, necessario secum fert magnum timorem, tantoque maiorem, quanto minor fuerit ipsa.

Patet per illud 1. Iohan. 4, Timor non est in charitate, perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet. Igitur si perfecta charitas foras mittit timorem, necessarium est, ut imperfecta timorem non mittat foras, Ac per hoc, timor sit cum charitate imperfecta. Sed ubi est illa perfecta charitas? & (ut digrediar paululum) quis est sine timore mortis, iudicij, inferni? Nam in homine quantumcunque sancto reliquiæ sunt uetustatis & peccati, & non possunt filij Israel in hoc tempore Iebusæum, Cananæum, & relinquas gentes penitus delere, manet uestigium prioris Adæ. Hæc autem uetustas est error, concupiscentia, ira, timor, spes, desperatio, mala conscientia, horror mortis &c. Hæc enim sunt ueteris & carnalis hominis,

Reliquiæ peccati in Sanctis. Vetus, nouus homo.

minis, minuuntur autem in nouo homine, sed non extinguuntur, donec & 2. Cor. 4. ipse extinguatur per mortem, sicut ait Apostolus, Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, ille qui intus est, tamen renouatur de die in diem. Igitur ista mala reliquiarum uetustatis, per Indulgentias non tolluntur, nec per cœptam contritionem, sed incipiunt tolli, ac proficiendo magis ac magis tolluntur. Hæc est sanitas spiritus, nihil aliud, quam fides seu charitas in Christo. *Sanitas spiritus.*

Isto sic posito, patet Conclusio satis, quia si quispiam fuerit præoccupatus morte, priusquam sit perfectæ charitatis, quæ timorem pellat, necessario cum timore & horrore moritur, donec perficiatur charitas, & foras mittat timorem illum. Hic autem timor est ipsa conscientia mala & trepida, *Timor.* propter defectum fidei, Nulla est enim formidolosa conscientia, nisi quæ fide uel uacua, uel imperfecta est. Sic enim & Apostolus ait: Sanguinem *Ebr. 9.* Christi liberare conscientias nostras ab operibus mortuis. Et iterum Ebr. 10. *Ebr. 10.* Aspersi corda à conscientia mala in plenitudine fidei.

Breuiter, si possum probare, quod causa horroris & timoris sit diffidentia, Rursum, causa securitatis, sit fides, credo simul probatum esse, quod moriens in fide imperfecta, necessario timet & horret. Sed diffidentiam esse causam terroris, desperationis, damnationis, in Euangelio sæpius legitur. *Diffidentia. Securitas.* Primum, quando Petrus Dominum à se iussit exire, quia homo peccator *Luce 5.* ego sum, inquit. Secundo, quando cœpit mergi propter modicam suam fidem. *Matt. 14.* Tertio, quando discipuli præ turbatione uoluerunt clamare, ubi Christum super mare ambulantem phantasma putabant. *Luce 24.* Quarto, quando turbati existimabant se spiritum uidere, cum intraret ad eos ianuis clausis. In his omnibus ostenditur diffidentiam esse causam timoris & horroris. Venit ergo omnis turbatio ex diffidentia, omnis securitas ex fiducia in Deum. Fiducia autem ex charitate, quia necesse est, ut is tibi placeat, in quem confidas.

CONCLVSIO XV.

Hic timor & horror satis est, se solo, facere (ut alia taceam) pœnam purgatorij, cum sit proximus desperationis horrori.

Nihil de igne & loco purgatorij loquor, non quod ea negem, sed quod alia est illa disputatio, nec à me nunc instituta. Deinde quod nesciam, ubi sit locus purgatorij, licet B. Thomas illum sub terra esse putet. *Receptacula animarum abdita &c.* Ego uero interim cum B. Augustino remaneo, scilicet, quod receptacula animarum abdita sint, & remota à nostra cognitione. Quæ ideo dico, ne Pighardus hæreticus in me sibi uideatur obtinuisse, purgatorium non esse, quia locum eius ignotum esse confiteor. Aut ideo Romanam Ecclesiam errare, quia opinionem B. Thomæ non explodit. Mihi certissimum est, purgatorium esse. *Purgatorium.* Nec multum me mouet, quid blaterent Hæretici, quando iam mille & plus centum anni sunt, quod B. Augustin. in suarum confess. lib. 9. *August. lib. 9. confess.* pro matre & patre suo orat, & orandum petit. Et eadem sancta mater eius, moriens (ut ibi scribit) memoriam sui optauerit ad altare Domini, Sed & *Ambros.* à B. Ambrosio id factum narrat. Quod si etiam tempore Apostolorum non fuisset purgatorium (ut superbit fastidiosus Pighardus) nunquid ideo credendum est Hæretico, uix quinquaginta annos nuper nato, & fidem tot seculorum falsam fuisse contendendum, maxime cum ipse nihil aliud faciat, quam quod dicit, non credo, & sic probauit omnia sua, & improbauit omnia nostra, quasi non & lignum & lapis non credant. Sed hæc suo operi & tempori.

Igitur concessum est, horrorem esse in animabus. Nunc probo eum esse pœnam purgatorij uel maximam.

Primo

Inferni & purgatorij pœnæ eædem

Primo, omnes concedunt easdem esse pœnas purgatorij, & inferni, nisi quod differunt æternitate. At scriptura describit pœnas inferni esse, turbationem, pauorem, horrorem, fugam, ut Psal. 1. Non sic impij non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit uentus. Sed & in Iob & Esaia, & multis alijs locis, impij comparantur stipulæ & pulueri, turbine raptis atque dispersis. In quo nimirum significat fugam horribilem damnatorum. Item Psal. 2. Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos. Et Esa. 28. Qui confidit in illum, non confundetur, id est, non festinabit, non pauebit, neque fugiet confusus & horrens. Vtique uolens, quod non confidentes confundentur & pauebunt. Prouerb. 1. Qui me audierit, absque terrore requiescet, & abundantia perfruetur, timore malorum sublato. Et Psal. 112. Ab auditione mala non timebit.

Psal. 1. *Psal. 2.* *Isa. 28.* *Prouer. 1.* *Psal. 112.*

Pœna impiorum.

His enim & alijs locis Scripturæ, terror, horror, pauor, timor, tremor, exprimitur pœna impiorum, quando piorum contraria asserit. Denique & B. Iacob. dicit, quod dæmones credunt & contremiscunt. Et Deut. 32. clare pronunciat, pœnam impij esse pauorem, dicens; Dabit tibi Dominus Deus cor pauidum &c. Nam si pauor ille non esset, nec mors, nec infernus nec ulla pœna esset molesta. Sicut ait in Canticis: Fortis ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Quod satis ostensum est in Martyribus, adeo, ut de impijs dicat Spiritus Psal. 14. Illic trepidauerunt timore, ubi non fuit timor. Et Prouerb. 28. Fugit impius nemine persequente. Iustus autem, quasi Leo confidens, absque terrore erit. Alioqui, cur unus timet mortem & dolet, alius uero contemnit, nisi quia intus iusticiæ fiducia destitutus timet, ubi timere non debet?

Pauor. *Iacob. 2.* *Deut. 32.* *Can. 8.* *Psal. 14.* *Prou. 28.*

Secundo, 2. Thess. 1. Qui non credunt Euangelio, dabunt pœnas in interitu æternas, à facie Domini, & à gloria uirtutis eius. Quia scilicet solo uultu uirtutis suæ torquet eos, & cruciat Deus, cum sit eis insustentabilis, Ideo fugient & non effugient, sed deprehendentur inter angustias. Sic illud Sapient. Cito apparebit uobis horrende. Et Psal. 21. Pones eos, ut clibanum ignis, in tempore uultus tui. Alioqui unde illa uox: Montes cadite super nos, & colles operite nos. Et illud Esa. 2. Ingredere petram, & abscondere in fossa humo, à facie furoris Domini, & gloria maiestatis eius. Et illud Iob: Quis mihi tribuat, ut inferno protegas me, & abscondas me, donec transeat furor tuus? Patet itaque quod à facie Domini oritur eorum maxima pœna, dum confunduntur à fœdissima sua immundicia ad tantam puritatem comparata.

2. Thess. 1. *Fuga.* *Sapien. 6.* *Psal. 21.* *Hos. 10.* *Esa. 2.* *Iob 14.*

Tertio, Et Ecclesia in persona animarum psallit & gemit Psal. 6. Conturbata sunt ossa mea, & anima mea turbata est ualde. Et Psal. 115. Circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me. Vnde & usitatissima oratio est, ut eis requiem optemus, utique intelligentes, quod sunt inquietæ. At pœnæ non faciunt inquietudinem, ut patet in Martyribus & constantibus uiris, sed horror & fuga pœnarum, quæ oritur ex infirmitate fiduciæ in Deum. Sicut credit unusquisque, sic fit ei, & tales sunt ei pœnæ & omnia, qualis fuerit & ipse. Inde non conturbat iustum, quicquid acciderit ei (ait Sapien.) Rursum impios terret (Leui. 26.) sonitus folij uolantis. Et Isa. 57. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & luctum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus.

Psal. 6. *Psal. 115.* *Inquietudo.* *Prou. 12.* *Leui. 26.* *Isa. 57.*

Pœnæ inferni uiuentibus gustatæ.

Quarto, Viuentes aliqui eas pœnas gustauerunt, scilicet inferni, ergo multo magis mortuis credendum est, eas inferri in purgatorio. Nam Dauid expertus dicit: Nisi quia Dominus adiuuit me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Et alibi: Repleta est malis anima mea, & uita mea inferno appropinquauit. Et rursum: Dissipata sunt ossa nostra secus infernum.

Psal. 94. *Psal. 88.* *Psal. 141.* *Psal. 28.*

Psal. 71. Et assimilatus sum descendentibus in lacum. Et iterum: Quam multas
Esa. 38. ostendisti mihi tribulationes magnas & malas, & de abyssis terrae iterum reduxisti me. Ezechias uero dicit: Ego dixi in dimidio dierum meorum, uadam ad portas inferi. Et infra. Sicut leo contriuit omnia ossa mea, quod certe non nisi intolerabili factum horrore potest intelligi?

Quinto, quam multi sunt, qui usque hodie has poenas gustant, nam & Iohan. Taulerus in suis Teutonicis Sermo. quid aliud docet, quam earum poenarum passiones, quarum & exempla nonnulla adducit? atque hunc doctorem scio quidem ignotum esse scholis Theologorum, ideoque forte contemptibilem. Sed ego plus in eo (licet totus Germanorum uernacula sit conscriptus) reperi theologiae solidae & syncere, quam in uniuersis omnium uniuersitatum scholasticis doctoribus repertum est, aut reperiri possit in suis sententijs. *Iohan. Taulerus.*

Sed & ego noui hominem, qui has poenas saepius passum sese asseruit, breuissimo quidem temporis interuallo, sed tantas, ac tam infernales, quantas nec lingua dicere, nec calamus scribere, nec inexpertus credere potest, ita, ut si perficerentur, aut ad mediam horam durarent, imo ad horae decimam partem, funditus periret, & ossa omnia in cinerem redigerentur. *Poenae inferni.*

Hic Deus apparet horribiliter iratus, & cum eo pariter uniuersa creatura. Tum nulla fuga, nulla consolatio, nec intus, nec foris, sed omnium accusatio. Tunc plorat hunc uersum: Proiectus sum à facie oculorum tuorum. Nec saltem audet dicere: Domine ne in furore tuo arguas me. In hoc momento (mirabile dictu) non potest anima credere, sese posse unquam redimi, nisi quod sentis nondum completam poenam. Est tamen aeterna, neque potest eam temporalem existimare, solum relinquitur nudum desyderium auxilij, & horrendus gemitus, sed nescit unde petat auxilium, *Prou. 31. Psal. 6.*

Hic est anima expansa cum Christo, ut dinumerentur omnia ossa eius, Nec est ullus angulus in ea, non repletus amaritudine amarissima, horrore, pauore, tristitia, sed ijs omnibus non nisi aeternis.

Et ut dem Simile utcunque, si sphaera transeat super lineam rectam, quilibet punctus lineae tactus, totam fert sphaeram, non tamen comprehendit totam sphaeram. Ita anima in suo puncto, dum tangitur à transeunte inundatione aeterna, nihil sentit & bibit, nisi aeternam poenam, sed non manet, iterum enim transit. Igitur si uiuentibus contingit illa inferorum poena, id est, intolerabilis ille pauor, & inconsolabilis, multo magis animarum in purgatorio uidetur talis esse poena, sed continua. Et hic est ignis ille internus multo atrocior, quam externus. Quod si quis ista non credit, non contendimus, Sed id tantum effecimus, quod illi ueniarum praecones, multa dicunt, quae uel ignorant uel dubitant, nimis audacter. Magis enim credendum est expertis in his, quam illis inexpertis. *Simile.* *Veniarum praecones.*

Sexto, ad id facit autoritas Ecclesiae, quae canit, Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus. Item à porta inferi. Quibus uerbis certe uidetur significari, esse animas uelut iam in porta, & introitu damnationis, & initio inferni, quod dixi prope desperationem esse, nec uana esse uerba Ecclesiae credo.

CONCLVSIO XVI.

Videntur Infernus, Purgatorium, Coelum differre, sicut desperatio, prope desperatio, securitas differunt.

Q Si quis

Cœlum. Infernus. SI quis duas præcedentes Conclusiones ueras putauerit, hanc quoque facile admittit. Imo, cum in cœlo credamus regnare pacem, gaudium & securitatem in luce Dei, in inferno uero contra, sæuire desperationem, dolorem, & horribilem fugam in tenebris exterioribus.

Purgatorium. Purgatorium uero sit medium inter utrunque, sic tamen, ut propius sit inferno, quam cælo (quia non habent gaudium & pacem, Imo nihil de cœlo participant, cum ponatur esse eadem pœna cum inferno, sola duratione differente) satis patet, quod & in ipso sit desperatio, fuga, horror, & dolor.

Sed addidi prope desperationem dicens, quia tandem cessat illa desperatio. Alioqui reuera, dum est in illo, anima non sentit, nisi desperationem, Non quod desperet, sed quod in tanta est perturbatione, & confusione pauoris, ut non sentiat sese sperare. *Spiritus.* Solus Spiritus adiuuat ibi quam maxime infirmitatem eorum, gemitibus inenarrabilibus pro eis interpellans. *Rom. 8.*

Tentati. Sic enim fit & tentatis in hac uita, ut nesciant an sperent uel desperent, imo sibi desperare uidentur, solo superstite gemitu pro auxilio. Ex quo signo non ipsi, sed alij intelligunt eos adhuc sperare. Sed omitto uerbosius de ea re loqui, quæ est abstrusissima, ne & mihi obijciant ueniales quæstores, quod sine probatione loquar, quanquam non, ut illi, assero, quæ ignoro, sed disputo & quæro, & eorum præsumptam certitudinem, dubiam, imo nullam esse contendo.

CONCLVSIO XVII.

Necessarium uidetur, animabus in purgatorio, sicut minui horrorem, ita & augeri charitatem.

ET hæc nititur præcedentibus tribus Conclusionibus. Sed tamen declaremus eam, & ponamus (sicut cœpimus) animarum decedentium tria genera. *Tria genera animarum decedentium.*

Primum earum, quæ sunt fide omnino uacuæ (id est, damnatæ) has necesse est in morte excipi summo horrore & desperatione, Iuxta illud. Virum iniustum mala capient in interitu. *Psal. 140.* Et iterum: Mors peccatorum pessima, *Psal. 34.* scilicet, quia non habent fiduciam in Deo, ideo comprehendit eos ira.

Secundum earum, quæ sunt fide omnino plenę atque perfectę (id est, beatæ) hos necesse est in morte excipi summa securitate & lætitia, luxta illud: Iustus cum ceciderit, non collidetur, Dominus enim supponit manum suam. *Psal. 37.* Et iterum: Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. *Psal. 116.* Et iterum: Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Sap. 4.* Et causa utriusque est, quia iniustus inuenit quod timuit, timuit autem semper mortem & pœnam. Iustus autem satur huius uitæ maxime cupiuit dissolui, ideo desiderium eius tributum est ei, Ille non dimidiauit dies suos, iste ultra perfectum prolongauit incolatum suum. Ideo quod ille horret, iste quęrit, diuersissimo studio affecti, quod illi summus horror est, huic est summum lucrum & gaudium.

Tertium earum, quæ sunt fide imperfectæ, & hæ uariæ differentes inter plenam & nullam fidem. Credo autem non negari ab ullo, quasdam animas imperfectæ fidei decedere, sed tamen infra id suadebimus latius. *Imperfectio fidei.* Igitur cum imperfectio fidei sit nihil aliud, nisi imperfecta nouitas uitæ in spiritu, & adhuc reliquum de uetustate carnis & Adæ (si enim esset perfecta, non timeret pœnam, nec inuitus moreretur, aut cum affectu terreno

terreno huius uitæ migraret) clarum uidetur, animabus necessarium esse, non solum tollere pœnas, sed etiam addere perfectionem nouitatis, & tollere residuum uetustatis (id est, amorem uitæ & timorem mortis & iudicij) Nam quantumcunque tolleretur pœna (si esset possibile) non per hanc ablationem esset sana, sicut nec in ista uita per ablationem pœnarum solam aliquis melior fit, sed per additionem gratiæ, & remotionem peccati. Quare & illis primo peccatum auferendum est, id est, imperfectio fidei, spei, charitatis.

Secundo, Nulla pœna uincitur fuga aut timore. Verum est enim prouerbium: Qui timet Infernum, descendet in eum, Imo qui timet pruinam, cadet super eum nix, Iob 6. id est, plus cadet super eum, quam timuit. Omnis pœna timore sui augetur & roboratur, sicut amore minuitur & infirmatur. Vincitur autem pœna amore, & amplexu sui. Deinde nulla pœna est molesta, dum fuerit uicta, Ideo amanti pœnas & mortem non sunt molestæ, sed dulces, quia per amorem & spiritum uictæ. Sunt autem molestæ timenti, quia per timorem & literam ei dominantur. Si ergo purgatorium affligit animas, & molestus est eis pauor, euidens est eis deesse amorem & spiritum libertatis, & adesse literam ac timorem. Atque hunc defectum amoris, uoco imperfectam sanitatem Spiritus, cum autem sine perfecta sanitate nullus cœlum intrabit, tandem concludo, necessarium illis esse, augeri charitatem & sanitatem, sicut minui horrorem.

Iob 6.

Qui timet Infernum &c.

Pœna timore augetur.

Imperfecta sanitas Spiritus, est timor.

Si quis ista negauerit, neque crediderit, contenderitque, animas esse ibi perfectas in uita Spiritus, solumque debita præterita pœnarum luere. Respondeo primum, probent & ipsi suam sententiam, quam & ego nego, & certus sum, quod uel nullis uel infirmioribus rationibus sua probabunt. Secundo age, Quæro, an negent triplex illud supra positum animarum genus decedentium? Si admittunt tertium quoque genus, Respondeant ad prædicta, quomodo auferatur pusillanimitatis Spiritus & timor, quando perfectus homo, sicut Pater eius Deus, nihil timet, omnia potest, omnia suffert, in omnibus gaudet ac delectatur. Si non admittunt, sed in morte perfici fidem arbitrantur, ac sic solummodo pœnæ soluendæ restent, & hoc totum sit purgatorium, ratio scilicet debitarum pœnarum, Tum præter id, quod iam fortissimum & insolubile produxi Argumentum, uidelicet, quod nulla Scriptura, nulla ratione suam sententiam possint probare, tamen adhuc uia suasoria procedam, Sic enim & illi opinatores & postillatores faciunt.

Primo, Ad quid Deus uult puniri perfectos in spiritu? ad satisfactionem? Contra: Super omnem satisfactionem est charitatis satisfactio, Neque enim Deus ipse etiam per pœnas quicquam aliud requirit, quã ut perficiatur charitas, Charitas enim (nisi Apostolus mentitur) operit multitudinem peccatorum. At illos iam esse perfectæ charitatis positum fuit.

Secundo, Deo maxime satisfit per uoluntatem, ubi non inuenit facultatem, ut cum B. Augustino sentit tota Ecclesia. At illi si sunt perfectæ charitatis, talem habent uoluntatem necessario, & tamen facultatem non habent defectu uitæ. Quare necessario sola uoluntate abunde satisfaciunt.

Tertio, Perfecti tales omnia reddunt Deo, quæcunque debent, quia nihil amplius debent, quam ut se totos ipsos cum intima uoluntate offerant. Deus enim ab homine nihil requirit amplius, quam ipsum totum, sicut dicitur: Præbe fili cor tuum mihi. Imo per pœnas cogit hominem ad id, ut se totum offerat, quomodo ergo eo facto pœnæ manent? ad quid cogunt?

Quarto, Finge animam in morte perfectæ fidei & charitatis, quæ adhuc forte debeat 7. dies ieiunare, aut aliam canonicam pœnam implere. Hic ergo Deus tam crudelis est, ut animam, quæ summa charitate ad eum sitit, eumq; super omnia uehemētissime diligit, quæ proximo suo omnia plenissime ignouit, & sibi omnia ignosci uehementissime cupiuit, cui propter hæc etiam debita fuit apud Deum & homines ignoscentia (talis enim est anima, quæ sana charitate moritur) hic inquam, Deus non remittit 7. illos dies propter summam in eum & proximum charitatem & humilitatem, quæ sunt summæ omnium eleemosynarum, qui tamen in Euangelio dicit, omnia remitti, & munda esse ijs, qui dant non de corde, se de ijs, quæ superfluunt, eleemosynas, Et seruo solum roganti, & nihil facienti, nisi promittenti, omne debitum dimisit, etiam promissione data libera. Nec saltem intuetur Deus in hac re, quod tam facilis est uiuentibus, sineq; mortis periculo talia concedere, morituris uero & summo iam periculo pressis, tam difficilis est ad remittendum tam parua, tam magnæ charitati? quis credet? aut quibus id uijs suadebunt? Aut ergo desinant sua tam confidenter prædicare, aut melius roborent, & ista dissoluant. *Luc. 11. Matt. 18.*

Sententia Lutheri. Nos interim sentiemus, Animas in Purgatorio non propter solam pœnam, imo propter defectū charitatis laborare in pœna, quia hic noluerunt laborare, ad perfectionem, aut si perfectæ sunt omnibus, pœnis amore triumphatis, liberas esse. Nec enim sic de Dei bonitate sapio, quod intuitu perfectæ & æternæ charitatis non remittat quibusdam pœnam temporis breuissimi, qui propter modicam charitatem, omnibus passim remittit æternam, & qui sępius in uita ignouit omnes pœnas pro uno opere inceptæ charitatis, non remittat unquam in morte aliquas pœnas, pro omni opere consummatæ charitatis. *Dei bonitas.*

Veruntamen hæc sunt disputata, quia mirabilis est Deus in Sanctis suis, melius faceremus, si tam dubia relinqueremus, et in populū alia certiora doceremus, potens est Deus cum illis, nec secundum hanc, nec secundum illam sententiam agere. Non enim nostro, sed suo iam iudicio subiecti, quia potest & ibi punire gratis, ut ostendat gloriam gratiæ suæ, sicut fecit in Iob & Paulo. Tamen ultimo &.

Purgatorium. Quinto, suadeo conclusionem, Si purgatorium tantummodo est pœnarum officina, cur non potius uocatur punitorium, potius quam purgatorium? Ratio enim & uis uocabuli, purgationem aliquam importat, quæ intelligi non potest, nisi uetustatis & peccati relicti, quo sunt immundi, qui terrenorum affectu fidei puritatem impedierunt.

Quod si noua (ut sunt ad distinctiones prompti) usi æquiuocatione, dixerint esse purgationem hic idem, quod solutionem, ut tum purgatæ dicantur, cum pœnæ fuerint solutæ. Respondeo, hoc eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Quod si & ipsi contempserint, uim uocabuli ad purgationem uiciorum extendi, esto sane, non contendo, id tamen effectum est, utrumq; esse dubium. Ideo præpostere alterum illorum tanta certitudine in populos dispersum, maxime cum nec ratio nominis illorum sententiæ conueniat.

Sexto, Et ad hoc ualet illud Gregorij dist. 25. c. qualis, ubi non pœnas tantummodo, sed culpas remitti dicit in futuro, scilicet ueniales, ut ibidem exempla ponit. At remissio culpæ non fit sine gratiæ infusione, & horror mortis est Sanctis peccatum ueniale, sed non paruum. *Remissio culpæ.*

CON-

CONCLVSIO XVIII.

Nec probatum uidetur ullis aut Rationibus aut Scripturis, quod sunt extra statum meriti seu augendæ charitatis.

HOC enim robustissimum est meum aduersus appositam opinionem Argumentum, quod uidelicet sine autoritate docetur. Nostra autem certe uel ea nititur autoritate, quod sine addita gratia nullus timor pellitur, quem sola perfecta charitas foras mittit. Hæc autem conclusio præuenit argumentum eorum, qui dicerent contra me, sunt extra statum meriti, quare tres præcedentes Conclusiones falsæ.

Ego autem, ut opinando & disputando, nihil asserendo, sicut cœpi, prosequar, dico, Si purgatorium solum est soluendarum pœnarum officina, & animæ in illo sunt suo affectu (ut ego sentio) immundæ, nec ab eo uicio purgantur, fieret purgatorium idem quod infernus. Quia infernus est, ubi pœna est cum culpa manente, At in animabus purgatorij est culpa, scilicet timor pœnarum, & defectus amoris, cum iustus secundum Esa. 8. nihil debeat timere, nisi solum Deum, Ergo peccant sine intermissione, quamdiu horrent pœnas & quærunt requiem. Quod probo, quia quærunt quę sua sunt, plus quam uoluntatem Dei, quod est contra charitatem. Quod si amant Deum, amant amore concupiscentiæ (id est, uicioso) cum etiam in suis pœnis debeant diligere Deum, & glorificare ac fortiter sustinere.

Purgatorium. *Infernus.* *Esa. 8.*

Atque ut inter tot disputationum spineta etiam asseram aliquid, Ego libere confiteor me credere, nullam animam redimi de pœnis purgatorij propter suum timorem, donec posito timore, incipiat amare uoluntatem Dei in tali pœna, & plus Dei uoluntatem amet, quam pœnam timeat, imo solam Dei uoluntatem diligat, pœnam uero uilipendat, aut in uoluntate Dei etiam amet. Quia oportet, ut iusticiam diligat antequā saluetur. At iusticia est Deus, qui hanc pœnam operatur. Deinde illud Christi: Qui non accipit (id est, uolens & amans portat) crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. At crux animarum est illa pœna. Quæ cum ita sint, & uerissima credo, dicat qui potest, quomodo iste amor pœnarum cum timore mutari potest, sine noua gratia infusa. Ego fateor me nescire, nisi dixeris, quod purgatorium non habeat terrorem pœnarū, ac per hoc nec similem inferno contra prædicta, atq; tunc frustra oramus pro eis, quas audimus uolentes & amantes esse pœnarum suarum sine timore.

Sententia Lutheri. *Matt. 10.* *Crux animarum.*

Roma. 8. Secundo probo, quod augeatur eis charitas. Apostolus dicit: Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Hoc autem bonum non potest intelligi, nisi augmentum iam possessi boni. Ergo & purgatorium auget bonum dilectionis Dei, imo maxime omnium auget, dum sicut infernus dura est æmulatio, & in tantis malis etiam diligit, sicut fornax aurum probatum facit, ita pœna dilectionem.

2. Cor. 12. Tertio, Virtus in infirmitate perficitur, omnis enim pœna, si præsens est, charitas est salutaris & proficua, non enim permittit preciosissima charitas atq; fœcundissima aliquid secum sterile. At in purgatorio est maxima infirmitas, ergo maxime perficit charitatem.

Quarto, Impossibile est esse statum in uia, Via autem Dei est charitas ad Deum tendens, ergo necesse est animas uel procedere uel retrocedere à charitate Dei, cum nondum sint in termino & uisione, ut patet. *Via Dei.*

Quinto, Impossibile est ulla perseuerantia creaturæ, nisi assidue accipiat magis ac magis. Inde enim dicunt acuti quidam, quod conseruatio rei sit

Creare. eius continuata creatio. Sed creare est semper nouum facere, ut etiam patet in riuulis, radijs, calore, frigore, maxime dum sunt extra suum principium. Quare & spirituali calori, id est, amori Dei in animabus, opus est continuata conseruatio (donec absorbeantur in suum principium diuinum) ac per hoc & augmentum, etiamsi uerum esset, quod essent perfectæ, licet extra Deum esse, nec peruenisse, & esse perfectum, sint contraria.

SED uidere dignum est, quibus nam causis mouentur, ut animabus statum meriti negent, aut negandum probent.

Augustini dictum. Primum illud uulgatissimum B. Augustini, Hic omne meritum comparatur, post mortem nullum. Ergo, inquiunt, purgatorium non est merendi locus. Respondeo: B. Augustinus, & quicunq; Patres similia dixerunt, ex autoritate & usu Scripturæ loquuntur, quę multo fortius in hanc sententiam loquitur. Vt illud Gala. 6. Operemur bonum, dum tempus habemus. Et Christus Iohan. 9. Venit nox, quando nemo poterit operari. Et Apoc. 14. Opera enim illorum sequuntur illos. Et illa manifestissima Ebre. 9. Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc iudicium, deinde finis. Gala. 6. Quæcunq; enim homo seminauerit, hæc & metet. Item oportet nos omnes manifestari ad tribunal Christi, ut recipiat unusquisq; prout gessit in corpore, siue bonum siue malum. Et multæ aliæ, quæ omnino sonant, ac si post mortem omnino sit iudicium recipiendi, sicut gestum est, id est, meritum hic, secundum illud Ecclesiastis: Lignum ubicunq; ceciderit, ibi erit. *Gala. 6. Iohan. 9. Apoc. 14. Ebr. 9. Gala. 6. Roma. 15. Eccle. 11.*

Dicta pro purgatorio adducta &c. Sed hæc omnia æque contra totum purgatorium pugnant, quia non ponunt statū medium inter mortuos, damnatos & beatos. Si ergo illis non obstantibus, purgatorium defenditur uere, etiam id defendi potest, quod augeatur illis gratia, Non obstante illo quod dicitur: Hic omne meritum comparari, Quia loquitur non de purgatorio, sicut & illæ autoritates nihil de purgatorio, sed de cœlo uel inferno loquuntur, utrinq; ergo intermittitur purgatorium. Quare illa uerba Augustini ad purgatorium non sunt tendenda. Omne meritū hic, non illic, id est, non in cœlo aut inferno. Deniq; secundū B. Augustinum etiam hic meritum illud comparatur, quo dignus sit homo in purgatorio suffragio iuuari. Alioqui in cœlo uel inferno, nullum habet meritum, quo mereatur ibi iuuari, sed tunc quidem ad purgatorium respexit, hic autem nequaquam.

Si autem quisquā contentiosior uoluerit asserere, autoritates iam adductas, nihil aduersus purgatorium pugnare, Quod saluari possint per duplex iudicium, seu duplicem retributionem post mortem, Temporalem, scilicet, quæ est purgatorij, AEternam, quæ est inferni, & sic alius metit purgatorium, alius infernum. Item alium sequuntur opera sua ad purgatorium, alium ad infernum. Hic respondeo. Sic dicendo potius destruūtur illę autoritates, quam saluentur cum purgatorio, per tam uiolentam & arbitratam æquiuocationem, cum altera pars æquiuocationis nunquam possit probari. Et meo iudicio, non esse licitum credo, longeq; pessimum usum quibusdam hucusq; fuisse seruatum, scilicet Scripturæ sanctæ simplicem sensum, in æquiuocum & dubium diuidere. Rectius enim dicitur, hanc autoritatem de hac re non loqui, quam dum de utraq; re intelligere conamur, de nulla certam relinquamus. Pallium enim breue est (ait Esaias) utrunq; operire non potest. Et ut uulgo dicitur: Non est altare alterius nuditate ornandum. *Esa. 28.*

Igitur dicendum est, quod homo illic metit, quod hic seminauit, intelligatur de præsenti & futura uita. Messis enim sine nostra torsione & æqui-

uocatione

uocatione arbitrij nostri relinquenda est in ea significatione, qua utitur Scriptura, scilicet futuri & uniuersalis iudicij. Atque ita illae Autoritates nihil pugnant aduersus purgatorium, non per aequiuocationis cauillum, sed per ablationis sensum. Eodem modo & illud, Hic omne meritum, illic nullum. Alioqui quantus fuerat sudor ingenio meo, si & ego meritum aequiuocarem duplex, scilicet post mortem non esse meritum huius temporis, sed bene meritum illius status, & Augustinum loqui de primo, sed nolui.

Quid autem dicent ad illud Ecclesiastis: Lignum ubicunque ceciderit, siue ad Aquilonem, siue ad Austrum, ibi erit? Siquidem per casum intelligunt mortem. Si ergo per Aquilonem infernum, per austrum coelum, Quo cadent, qui intrant purgatorium? Ad austrum dicent, sed aequiuoce. Sed quid dicent? Ibi erit: ibi manebit, ergo nunquam exibunt purgatorium? An hic quoque aequiuocatur mansio scilicet temporalis & aeterna? Claret itaque, quod haec autoritas recta facit contra purgatorium, Quin etiam per aequiuocationem sui facit ex purgatorio infernum. Non potest itaque solui, nisi dicatur (sicut dixi) nihil eam de purgatorio loqui, non plus quam illam: Liber generationis Ihesu Christi. *Locus ex Ecclesiaste c. II.*

CONCLVSIO XIX.

Nec hoc probatum esse uidetur, quod sint de sua beatitudine certae & securae, saltem omnes, licet nos certissimi simus.

NOS enim, quia credimus nullam in purgatorium uenire, nisi sit de numero saluandorum, certi sumus de beatitudine illarum, sicut certi sumus de electorum salute. Quanquam non nimis impugno, si quis asserat eas esse certas, ego non omnes dico esse certas. Sed quia totum negocium de animabus in purgatorio absconditissimũ est, ideo suadendo magis, quam demonstrando, declaro Conclusionem. *Status animarum in purgatorio incertissimus.*

Primo ex supradictis, Si poena purgatorij est pauor ille & horror damnationis & inferni, pauor autem omnis facit animum perturbatum, incertum inopem consilij & auxilij, & tanto magis, quanto fuerit uehementior & inopinatior. Animarum autem est omnium uehementissimus & inopinatissimus, ut supra dictum est. Et Christus: Tanquam laqueus superueniet dies illa. Et Apostolus: Dies Domini sicut fur in nocte, ita ueniet. Quare ualde probabile est, eas prae confusione nescire, quo statu sint, an damnatae uel saluatae, imo sibi uidentur iam ire in damnationem, & descendere in lacum, omninoque iam esse in portis inferi, Sicut Ezechias dicit. Sed & 1. Reg. 2. Dominus deducit ad inferos & reducit. Igitur nihil aliud sentiunt, quam incipere suam damnationem, nisi quod sentiunt, nondum clausam post se portam inferi, nec dum etiam dimittunt uotum & desiderium auxilij, licet nusquam apparentis. Sic enim loquuntur, qui id experti sunt. *Purgatorij poena &c.* *Animarum in purgatorio contritio.* *Luc. 21.* *1. Thes. 5.* *Esa. 38.* *1. Sam. 2.*

Accipiamus simile: Si quis ad iudicium mortis inopinatus ueniat, puta incidens in latrones, qui dum intentant illi omni ex parte mortem, etiamsi statuerint eum terrere, non occidere, hic ipsi certi sunt eum uicturum, ipse uero nihil nisi praesentissimam mortem uidet, atque eo ipso iam moritur, Solum id sibi reliquum est, quod nondum sit mortuus, possitque redimi à morte, sed nescit unde, uidet enim illos posse, sed nolle, Igitur fere nihil differt à mortuo. Ita uidetur in pauore aeternae mortis fieri, quod non aliud, quam aeternã sibi sentiunt imminere omni ex parte. Sic canit Ecclesia pro eis: A porta inferi erue animas eorũ, Et libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus &c. Solũ id reliquũ scientiae habẽt, quod Deus possit eos redimere, sed nolle *Simile.* *Pauor aeternae mortis.*

Damnati ultra desperationem blasphemant. illis uidetur. Damnati uero statim huic malo addunt blasphemiam, illi uero solam querelam & gemitum inenarrabilem, sustentati à spiritu. Hic enim fertur spiritus super aquas, ubi sunt tenebræ super faciem abyssi. Sed de hoc supra latius.

Secundo, Multa leguntur Exempla, in quibus habetur, nonnullas animas hanc sui status incertitudinem confessas fuisse. Adparuerunt enim tanquam euntes uocati ad iudicium, ut de S. Vincentio &c. *S. Vincentius.* Rursum leguntur multa, in quibus certitudinem suam sunt confessæ. Ad quæ dico. Primo, me dixisse non omnes esse certas. Secundo, forte melius secundum prædicta, eas non fuisse certas, sed præ nimio auxilij desiderio, tanquam certæ essent, uelocius iuuari postulasse, ita ut potius opinentur, & timide præsumant sese certas, quam sciant. Sicut & in Euangelio de dæmonibus dicitur, quod sciebant ipsum esse Christum, id est, uehementer opinabantur, ut ait glossa. Ita enim fit naturaliter in omni angustia & pauore, ut uehementer opinemur nos esse adhuc reparabiles, cum tamen magis sit ibi cupido reparationis, quam spes, aut scientia, sicut in dæmonibus plus fuit cupido sciendi, quam scientia. *Scientia salutis.* Scientia enim salutis non pauet, neq; trepidat, sed confidit, omniaq; fortissime tolerat.

Obiectio. *Responsio.* Hic dicitur: Quid ergo de iudicio particulari, quod in morte cuiuslibet hominis fama est agi, & Innocen. testatur? uidetur enim per ipsum certus fieri homo de suo statu. Respondeo, quod non sequitur cum certum fieri, etiamsi sit particulare iudicium. *Vniuscuiusq; iudicium particulare in morte.* Potest fieri ut homo mortuus iudicetur, imo accusetur, sed tamen sententia differatur, nec ei reueletur. Interim autem accusante conscientia, urgentibus dæmonibus & minante ira Dei, nihil aliud faciat misera anima, quam ut tremat à sententia omni momento cum horrore expectata. Sicut de corporali morte facit & minatur Deut. 28. Dabit tibi Dominus cor pauidum, & pendebit uita tua ante te, Mane dices: Quis det mihi uespere? & uespere dices: Quis det mihi mane? Ita & ibi mors æterna simili pauore feriat, & horribili horrore cruciat animam. *Deut. 28.*

Nec ista sententia multū absona est ueritati, quandoquidem & Matt. 5. Dominus distinguit inter reum iudicij, & reum consilij, & reum gehennę, id est, inter accusatum, & conuictum, & damnatum. *Matth. 5.* *Opinio quorundam.* Sed & insignes quidam Autores, scientia plus quam fama, audent dicere, quasdam animas pro suæ trepiditate uitæ, per mortem rapi, & à Deo sic proijci, ut usq; in finem mundi nesciant, an sint damnatæ uel saluandæ. *Historia de Monacho quodam morituro.* Et si recipitur historia illa de Monacho morituro, & propter peccatum fornicationis uelut damnato, iam blasphemante, deinde ad sanitatem reuerso, satis patet, quod iudicium & accusatio inferni potest animam affligere, & tamen nondum esse definitam sententiam latam. Ad idem, id quod in homelia recitat quadam B. Greg. de Iuuene, quem in morte draco absorbere uolebat.

Hæc itaq; de tota materia pœnarum purgatorij uerisimiliter pono, motus primum ex natura horroris & pauoris. Deinde, quod Scriptura hanc pœnam tribuit damnatis. Tandem, quod omnis Ecclesia dicit, easdem esse pœnas inferni & purgatorij. Et ita credo hanc nostram sententiam in Scripturis satis fundatam. *Pœnæ à conscientia.* Buccinatores uero Indulgentiarum, uidentur pœnas animarum ita imaginari, quasi ab extra inferantur, sintq; penitus externæ, non autem ab intra in conscientia nascantur, quasi Deus solum ab eis auferat pœnas, Cum sit contrarium uerius, quod animas potius à pœnis auferat. Sicut scriptum est: Diuertit ab oneribus dorsum eius, Non ait: Diuertit onera à dorso eius. Et iterū: Si transibis per ignem flamma non nocebit te. *Psal. 81.* *Esa. 43.* Quomodo non nocebit? nisi quia dat fiduciā cordi, ut ignem non timeat, non autem ut ignis non sit, cum transeundum ei per illum sit. Quare diuersio dorsi ab oneribus non fit, nisi sanando animæ timorem, & confortando eam,

tam, Sicut & supra dictum est, quod nulla pœna uincitur timore sui, sed amore & contemptu. At timorem non auferunt Indulgentiæ, imo inferunt quantum in eis est, dum uelut odibilem rem, pœnas relaxandas suadent. Deus autem proposuit habere filios impauidos, securos, generosos, æternaliter & perfecte, qui prorsus nihil timeant, sed per gratiæ suæ fiduciã omnia triumphent atq; contemnant, pœnasq; & mortes pro ludibrio habeant, cæteros ignauos odit, qui omnium timore confunduntur, etiam à sonitu folij uolantis.

Iterum obijcitur:

SI uolenter pœnas ferunt animæ, cur pro eis oramus? Respondeo: Nisi eas uolenter ferrent, certe damnatæ essent, sed nunquid non ideo optare debent orationes, quando & Apostolus optauit pro se orationes fieri, ut liberaretur ab infidelibus, & sibi ostium uerbi aperiretur, qui tamẽ omni fiducia plenus, mortem contemnere se gloriabatur. Etiamsi animæ non optarent orationes, tamen nostrum est, earum labori condolere, & succurrere oratione, sicut quibuslibet alijs, quantumlibet fortiter patientibus. Deinde cum animæ non adeo doleant pœna præsenti, quam horrore instantis sibi & intentatæ perditionis, non est mirum, si cupiant suffragium, ut perseuerent, & non deficiant in fiducia, cum sint incertæ (ut dixi) de statu suo, nec tam timeant pœnas inferni, quam odium Dei, quod est in inferno, sicut dicitur: Non est in morte qui memor sit tui, in inferno, quis confitebitur tibi? Et sic patet, quod non timore pœnæ patiuntur, sed amore iusticiæ, ut supra. Timent enim magis, ne non laudent & ament Deum (quod fieret in inferno) quam ne patiantur. Et hoc eorum sanctissimum, sed anxiosissimum desiderium, merito iuuat omnis Ecclesia, quantum potest, maxime quando & Deus uult illas per Ecclesiam iuuari.

Obiectio. Responsio. Colos. 4. 2. Thes. 2. Psal. 6.

Et hic tandem sit aliquando finis tam obscuræ & dubiæ disputationis, de animarum pœnis. Quibus qui potest meliora proferre, non inuidebo, Modo id faciat, melioribus Scripturæ autoritatibus nixus, non fumosis hominum opinionibus obnubilatus. Fumosæ hominum opiniones.

CONCLVSIO XX.

Igitur Papa per remissionem plenariam omnium pœnarũ, non simpliciter omnium intelligit, sed a se ipso tantummodo positarum.

Hanc disputo, nondum pertinaciter assero, Rationes meæ sunt.

PRima, Ex dictis conclu. v. quod solum canonica pœna remittitur per potestatem clauium. Ideo hæc Conclusio corollarium est illius, & illa negata, negatur & ista.

Secunda, Ex ipso stylo Pontificis, quo dicit: De iniunctis pœnitentijs misericorditer relaxamus. Ergo non iniunctas à se uel à Canonibus non relaxat. Neq; hic curandum puto arbitrarium commentum quorundam, qui dicunt: Quando Pontifex non addit hanc clausulam, de iniunctis pœnitentijs, tum intelligi omnium simpliciter remissionem pœnarum. Dicerem ego. Et si non additur, tamen subintelligitur addi, tanquam necessaria, & de essentia styli clausula, Aut illi probent aliquo textu, quod dicunt. Iniunctæ pœnitentiæ &c.

Tertia, Ad solitum uenio Argumentum, sed omnium fortissimum, & requiro, Quibus nam Autoribus probent, etiam alias pœnas per claues tolli, quam canonicas? Et exhibent mihi Antoninum, Petrum de Palude, Aug. de Anco. Capreolum, Deinde & Angelus summista suum Franciscum Maronis inducit, redemptiones ueniarum eousq; uehentem, ut meritorias eas pronun-

pronunciare sit ausus, si Christo placet. Quasi uero illi homines tales sint ac tanti, ut quicquid senserint, statim necesse sit inter articulos fidei numerare. Verum illi magis sunt reprehendendi, qui ad ignominiam nostram & iniuriam illorum: allegant pro assertis: quæ illi pro pio suo studio fuerunt opinati, prorsus nihil aduertentes illud Apostoli fidele monitorium: Omnia probate, quod bonum est tenete, Longe stultiores Pythagoricis, quippe cum hi ea tantum assererent, quæ Pythagoras dixisset, isti uero etiam ea, quæ illi dubitauerunt. *1. Thess. 5.*

Thomas. Bonauentura.

Sed ad originem & fontem ueniamus riuulorum istorum, id est, B. Thomã & Bonauenturam. Ex his enim illi partim acceperunt, partim de suo addiderunt, hi itaq; & sancti, & graues plane autoritate uiri. Verum cum ipsi magis opinentur, quam asserant, deniq; S. Bonauentura confiteatur esse rem dubiosissimam, omninoq; incertam, nonne clarum est, ex ipsis etiam nihil posse astrui? Tu uide si ullum textum aut Scripturam adducant? Nec mirum, quod ipsi nihil asserant. Cum enim hæc res sit fidei quidam articulus, si fuerit determinatus, adeo non pertinet ad Doctores definire, quod etiam ad solum Concilij uniuersalis iudicium sit suspendendus, nec summus Pontifex quid temere, in ijs habeat statuere quæ sunt fidei, nisi soli præcones ueniarum, Illis omnia, quæ libuit, licent. Vnicam tamen habent omnes rationem suæ sententiæ, quam & Panor. lib. 5. de pe. & re. c. Quod autem, affert, uidelicet hanc, Si Indulgentiæ solum canonicas pœnas dicuntur remittere, hoc est, Indulgentias nimis uilificare. Itaq; ne uiles sint Indulgentiæ, magis placuit fingere, quod nesciunt, cum nullum sit periculum animarum, si Indulgentiæ etiam nihil essent, nedum, uiles. Miserrimum uero sit, animabus figmenta & illusiones prædicare, etiamsi Indulgentiæ utilissimæ essent. Adeo non habetur ratio salutis animarum, sed tantummodo, ne non optima uideamur docuisse, plus laboramus pro gloria nostri uerbi, etsi non necessarij, quam pro fide simplicis, & nobis commissi populi, sola necessaria.

Indulgentiæ.

Sed antequam ad B. Thomam & Bonauenturam respondeam, dignum uidetur recitare opiniones de Indulgentijs, ne ego primus aut solus, eas in dubium uocasse uidear.

GLossa super c. Quod autem. lib. 5. de pe, & re, assumens declarationem super efficacia & uirtute Indulgentiarum, sic incipit, Quid ualeant tales remissiones, uetus querela, & adhuc satis dubia.

Opiniones de Indulgentijs.

Alij dicunt, quod prosunt quo ad Deũ, sed non quo ad Ecclesiam. Quoniam si quis sine mortali decedat, nondum peracta pœnitentia, minus sentiat pœnas purgatorij, iuxta modum remissionis sibi factæ, Ecclesia tamen uiuenti, non propter hoc relaxat satisfactionem. Hæc opinio damnatur à Panor. ibidem, & placet eius damnatio.

Alij dicunt, quod prosunt, quo ad pœnitentiã hic iniunctã ex superabundanti, & ad cautelam, id est, tantum eas pœnas, quas non secundum modum, sed in cautelam superabundantius, quam peccatum merebatur, imposuit. Et hæc plus damnanda, quam prior.

Alij, quod prosunt, quo ad Deum & Ecclesiam, sed remittens onerat se ad satisfactionem pro illo, & hæc est absurda.

Alij, quod prosunt ad remissionem pœnitentiæ negligenter omissæ. Hanc Panor. damnans, dicit, quod ista remunerat negligentiam. Sed meo iudicio, hæc non omnino est falsa, quia uere remittuntur pœnæ quæcunq;, etiam negligenter omissæ, dummodo displiceat negligentia, imo remittuntur etiam non negligenter omissæ atq; adhuc perficiendæ.

Alij,

Alij, quod ualeant ad relaxationem iniunctæ pœnitentiæ, dum modo sacerdos, qui iniunxit pœnitentiam, permittat, ut possit commutare pœnitentiam cum remissionibus. Et hæc est proba sententia & uera in re, nisi quod restringit potestatem conferentis Indulgentias, Verum est enim, quod iniunctas pœnitentias relaxant, sed non requiritur consensus eius, qui iniunxit,

Sexta, quam ultra istas quinq; in glosa prædicta positas, Panor. adducit, quod prosunt, prout sonant uerba, & quo ad Deum, & quo ad pœnitentiam, hic iniunctam, Et hanc dicit teneri à Goff. Host. Io. An. Et hanc ego quoq; teneo, ut iacet & sonat in uerbis. Sed non sequor intelligentiam omnium, Maxime propter istud uerbum, quo ad Deum, Per quod si intelligunt etiam pœnas à Deo impositas remitti, siue hic, siue in purgatorio, ultra pœnitentias ab Ecclesia uel Canonibus iniunctas, Non credo uerum, nisi sub tali moderatione, Quia pœnæ purgatorij remittuntur sine potestate clauiũ, per solam contritionem. Ideo si quis perfecte fuerit contritus, credo quod sit, quo ad Deum, à purgatorio absolutus. Quo ad pœnas autem huius temporis, dico, quod id nullam habet autoritatem, ut supra satis dictum est Conclu. 5. Non est enim nominabilis illa pœna, quæ quo ad Deum, remitti credatur.

Ideo ego dicerem, quod illud, quo ad Deum, debet intelligi, non de pœnis à Deo impositis, sed de eisdem ab Ecclesia iniunctis, ut sit sensus: Remissio illa iniunctarum pœnitentiarum ab Ecclesia, tenet tam apud Deum, quam apud Ecclesiam. Eo quod Deus approbet hanc Ecclesiæ suæ remissionem, secundum illud: Quodcunq; solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Non ait: Quodcunq; solueris super terram, aliud erit solutum in cœlis, sed id idem, quod tu soluis, & ego solutum habebo. Quia per hoc Deus uult homines subijci sacerdoti, quod non fieret, nisi Deum approbare facta sacerdotis sciremus. Vides ergo omnia adhuc in opinionibus hærere. *Sententia Luther.*

Porro id quod Angelus ex suo Francisco Maronis adducit, quod Indulgentiæ etiam ualeant ad augmentum gratiæ & gloriæ, Non aduertit, quod Indulgentię non sunt opera bona, seu remissiones bonorum operum, propter aliud minus opus. Etsi enim opus bonum, propter quod dantur Indulgentiæ, sit meritorium, non tamen ideo Indulgentiæ sunt meritoriæ, cum opus seorsum factum non minus esset meritorium, & forte magis. Indulgentiæ uero seorsum sumptæ, potius sunt demeritoriæ, quia remissiones bonorum operum. Igitur cum in omni materia dubitata, licitum sit unicuiq; disputare, & opponere, & ego quoq; dico, me à B. Thoma & Bonauentura in hac parte dissentire, donec melius probent sua, atq; dissoluant nostra. Ego enim præter opiniones, nihil uideo quæ probent, nec saltem unum Canonem, cum tot Scripturas ego superius Conclu. 5: produxerim pro mea parte. Et nunc ne sine canonibus etiam loquar, ecce. *Indulgentiæ remissiones bonorum operum.* *Opiniones meræ nihil ligant.*

Quarta ratio, c. Cum ex eo, lib. 5. de pe. & re. dicit: Per Indulgentias satisfactio pœnitentialis eneruatur. Hoc uerbum licet ex dolore potius quam ex gratia dicat Papa, tamen Canonistæ, sicut sonat, intelligunt. Ergo si satisfactio eneruatur pœnitentialis, patet, quod non nisi pœna canonica remittitur. Cum satisfactio pœnitentialis sit nihil aliud, nisi tertia illa pars pœnitentiæ Ecclesiasticæ, & sacramentalis. Nam de satisfactione Euangelica nihil ad Ecclesiam, ut supra. *Satisfactio pœnitentialis.*

Quod si quis mihi obstet, Papam non negare, etiam alias pœnas eneruari, Sed affirmat duntaxat, nec exclusiue loquitur, cum dicit: Satisfactio pœnitentialis eneruatur. Respondeo: Proba ergo quod & alias relaxat, & nõ exclusiue loquatur, quod cũ non feceris, Ego probo quod exclusiue loquitur per

tur per c. Cum ex eo, ut supra, ubi dicit, quod quæstores eleemosynarum, præter id, quod in literis eorũ continetur, nihil permittantur proponere populo. Sed nihil continetur in ullis literis Apostolicis, præter remissiones satisfactionis sacramentalis, sicut ipsemet dicit Papa: Satisfactio pœnitentialis eneruatur per Indulgentias indiscretas & superfluas, imo hoc uerbo adhuc rigidius Papa indulgentias restringit, Quia si superfluæ Indulgentiæ solum eneruant satisfactionem sacramentalem, ergo modestæ & legitimæ nec ipsam satisfactionem pœnitentialem eneruant, multo minus cæteras ullas pœnas. Sed hæc sunt non mei fori aut professionis, uiderint Canonistæ.

CONCLVSIO XXI.

Errant itaq; Indulgentiarum Commissarij hi, qui dicunt, per Papæ Indulgentias hominem ab omni pœna solui & saluari.

Hanc omnino assero & probo.

Pœnæ remanentes.

QVia saltem relinquitur pœna tertia, id est, euangelica, imo & quinta, puta mors & ægritudo, & in multis illa omnium maxima pœnarum, scilicet horror mortis, tremor conscientiæ, infirmitas fidei, pusillanimitas spiritus, quas pœnas si compares ad remissas per indulgentias, sicut si rem cum umbra compares, erit comparatio. Sed neq; mens Papæ est, ut tam friuole & impune fabulentur, ut patet ex. c. Cum ex eo.

Præcones ueniarum obscure loquuntur.

Quod si dixerint: Nec nos dicimus has pœnas tolli per Indulgentias: Respondeo: Cur ergo populum non instruis de cognitione pœnarũ, quas remittis? Sed omnino omnes remitti clamas, quascunq; pro peccatis suis luere deberet coram Deo & Ecclesia. Quomodo populus per seipsum intelliget, quod tam obscure & large loqueris?

CONCLVSIO XXII.

Quin nullam remittit animabus in purgatorio, quam in hac uita debuissent soluere, secundum Canones.

HAnc non latius assero quam octauam, ex qua fluit ceu corollarium, quod Canones pœnitentiales nõ transeant in aliam uitam. Quia omnis pœna temporalis mutatur in pœnam mortis, imo propter mortis pœnam tollitur, & tollenda est. Imo finge (ut latius suadeamus) Romanam Ecclesiam esse, qualis erat etiam adhuc tempore B. Gregorij, quando non erat super alias Ecclesias, saltem Græciæ, Clarum esset, quod Canonicæ pœnæ non obligabant Græcos, sicut nec nunc obligant, si qui sunt Christiani, non subiecti Papæ, ut in Turcia, Tartaria, Liuonia. Illis ergo nulla istarum Indulgentiarum est necessaria, sed tantum in orbe Romanæ Ecclesiæ constitutis. Si ergo istos uiuos non obligant, multo minus mortuos, qui sub nulla Ecclesia sunt.

Ecclesia Romana.

CONCLVSIO XXIII.

Si remissio ulla omnium omnino pœnarum potest alicui dari, certum est eam non nisi perfectissimis, id est, paucissimis dari.

HAnc de pœnis omnium generum intelligo, & sic assero, Nam quod remissio pœnitentialis satisfactionis possit unicuiq; dari, non est dubium, ut satis est dictum. Imo hanc Conclusionem corrigo & dico, quod prorsus nullis, siue perfectissimis siue imperfectis, potest dari omnium pœnarum remissio. Quod probo, Nam licet perfectissimis Deus non inferat flagella, seu quartum genus pœnarum, saltem omnibus & semper, tamen

tertia

tertia manet, scilicet Euangelica, imo & quarta, puta mors, & quæ mortis & ad mortem sunt pœnæ. Licet enim posset Deus omnes perficere in gratia, forte sine pœnis, non tamen statuit id facere, sed ad imaginem Filij sui (id
Rom. 8. est, crucem) omnes conformare. Et quid opus est multis? Quantumcunq; magnifice extollatur pœnarum remissio, quid, quæso, efficitur apud eum, qui mortem & timorem mortis atq; iudicij ante oculos habet? Huic si omnis alia remissio prædicetur, & hæc non remitti conceditur, nescio si consolationis aliquid reportet. Igitur horrorem mortis & inferni attende & remissiones pœnarum, uelis nolis, nihil curabis, ac sic non nostro studio, sed rei necessitate uilificabuntur Indulgentiæ, quæ timorem mortis non tollunt.

CONCLVSIO XXIIII.

Falli ob id necesse est maiorem partem populi, per indifferentem illam & magnificam pœnæ solutæ promissionem.

ET hanc assero, & scio ita contingere. Nam ego ipse audiui multos non secus intellexisse, quam quod sine omni pœna euolarent per Indulgentias. Nec mirum, quando illi sic scribunt, legunt, clamant, quod si quis uenias consecutus, ante recidiuam moreretur, statim euolaret. Hæc omnia ita loquuntur, quasi non sint peccata, nisi actualia, ac si fomes relictus nulla sit immundicia, nullum impedimentum, nullum medium, quod moretur ingressum regni. Cum, nisi ipse sanetur, impossibile sit intrare cœlum, etiam si nullum assit actuale, Nihil enim inquinatum intrabit. Quocirca horror ipse mortis, cum sit uicium fomitis & peccatum, etiam se solo impedit introitum regni, Quia qui non uoluntarie moritur, non obedit uocanti Deo, nisi inuitus. Et tantum ibi non facit uoluntatem Dei, quantum inuitus moritur. Tantum autem peccat, quantum non obedit uoluntati Dei, Ideo rarissimus est, qui post omnes uenias, non etiam in morte peccet, nisi ij, qui cupiunt dissolui, & uocant mortem. Igitur ut non omnino cum eis discordem, dico, quod si quis sit perfecte contritus (id est, odiens se uitamq; suam, & summe diligens mortem) statim euolabit, remissis sibi pœnis, sed quotus sit hic, tu uideris.

Non recte docetur populus de uenijs.

Fomes.

Horror mortis.

CONCLVSIO XXV.

Qualem potestatem habet Papa in purgatorium generaliter, Talem habet quilibet Episcopus & Curatus in sua Diœcœsi & Parochia specialiter.

HAEc est illa blasphemia, quæ me mille mortibus dignum fecit, iudicio scilicet Quæstorum, ne dicam quæstuariorum. Verum antequam ego hanc Conclusionem ostendam, paululum præfabor de proposito meo.

Primum, dico iterum hic me disputare, non quo ad sententiam, quam intendo istis uerbis (hanc enim constanter assero, quia eam tenet uniuersa Ecclesia) sed quo ad uerba.

Deinde aduersarios meos etiam rogo, ut ferant dolorem meum, quo crucior, dum audio ea prædicari in Ecclesia Christi, quæ nunquam scripta, & statuta sunt, quando sanctis olim Patribus legimus uisum esse periculosissimum, aliquid ultra præscriptum cœleste doceri, ut inquit Hilarius. Et S. Spiridon Cypri Episcopus, huius disciplinæ tam rigidus obseruator fuit, ut

Hilarius.

Spiridon.

interrumperet sermonem eius, qui tantum Græci uocabuli æquiuocatione usus: Tolle cubile tuum & uade, dixerat, pro: Tolle grabatum seu lectum tuum & uade, reprehendens eum in re, quæ sensum nihil mutarat. Atq; huius doloris mei ueniam, puto mihi iustissime ab illis deberi, quando nos terere cogimur, nunquam rogati aut moniti eorum præsumptiones, quibus delectantur ea prædicare, in quibus nos cruciamur audiendo.

Non hæc dico aut ago, quod tam impudenter arrogans sim, ut me inter doctos Ecclesiæ sanctę numerandum putem, multo minus inter eos, quorum hæc sit statuere aut destituere, atq; utinam nouissimum merear Ecclesiæ membrum fieri aliquando. Sed id potius ago, Cum sint in Ecclesia & doctissimi pariter & sanctissimi uiri, ea tamen est nostri seculi infœlicitas, ut etiam tanti non possint Ecclesiæ succurrere. Quid enim potuerit hodie doctrina, & pius zelus, satis probauit infœlix euentus eorum doctissimorum & sanctissimorum uirorum, qui sub Iulio II. studuerunt reformare Ecclesiam, instituto ad hanc necessitatem Concilio. Sunt & alij passim, quos noui, optimi & eruditi Pontifices, sed exemplum paucorum imponit silentium plurimis. Est enim tempus pessimum (ut ait Amos Propheta) ideo prudens in illo tempore tacebit.

Concilium Pisanum, in quo præsedit Cardi. S. Crucis, pro reformatione Ecclesiæ laborauit.

Deniq; est nobis hodie Pontifex optimus Leo x. cuius integritas & eruditio delitiæ sunt omnibus bonis auribus. Sed quid ille suauissimus homo potest unus, in tanta rerum confusione, dignus profecto, qui melioribus temporibus pontificaretur, aut meliora tempora essent sui pontificatus. Nostro seculo digni sumus pontificari non nisi Iulios secundos, Alexandros sextos, aut si quos alios atroces Mezentios, ut finxerũt Poetæ, Nam bonos ridet hodie etiam Roma ipsa, imo Roma omnium maxime, in qua enim orbis Christiani parte, liberius ludunt, etiam in summos Pontifices, quam in uera illa Babylone Roma? Sed sat ista. Cum itaq; præter innumeros priuatos, etiam in sedibus suis habeat Ecclesia doctissimos, si prudens uoluissem existimari illorum exemplo, & ipse tacerem. Sed præstat uel à stultis, à pueris, ab ebrijs ueritatem dici, quam omnino taceri, ut fiducia doctiorum & sapientum animosior fiat, ubi audiunt nos, rude uulgus tandem præ rei nimia indignitate clamare, sicut ait Christus: Si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Leo x.

Iulius II. Alexand. VI.

Roma Babylon.

Ista itaq; præfatus, ad Conclusionem uenio, & primo de ea secundum sententiam, deinde secundum uerba seu sententiam aliorum. Igitur in hac Conclusione nihil loquor de potestate iurisdictionis, quam infra sequente mox conclusione nego, & supra 22. & 8. idem negaui. Hanc enim potestatem illi ex his uerbis cœperunt, de qua dico, sicut dixi. Statuat Ecclesia alteram partem eius quęstionis, & sequar libentissime, Cessent interim temerarij suorum somniorum assertores. Ego dubito & disputo, an habeant potestatem iurisdictionis in purgatorium. Et quantum hucusq; lego & uideo, teneo negatiuam, paratus tenere affirmatiuam, postquam Ecclesiæ sic placuerit.

Potestas iurisdictionis.

Interim hic loquor de potestate uirium, non iurium, de potestate operandi, non imperandi, ut sit sensus, Papa nullũ quidem habet potestatem in purgatorium, sicut nec ullus alius Pontifex. Si autem habet aliquam, talem certe habet qualis sit & inferioribus participata. Hæc autem est, qua Papa & quilibet Christianus potest suffragari, orare, ieiunare &c. pro animabus defunctis, Papa generaliter, Episcopus particulariter, Christianus indiuidualiter. Patet itaq; Conclusio uerissima. Sicut enim Papa una cum tota Ecclesia suffragatur animabus (quale fit in die omnium animarum) Ita quilibet Episcopus cum sua Diocœsi id facere potest (sicut fit in diebus, quos uocant communes) & Curatus in sua parochia (sicut fit in exequijs & anniuersarijs)

Dies omnium Animarum.

uersarijs) & quilibet Christianus in sua deuotione. Aut ergo nega, suffragium esse intercessionem, aut concede quemlibet Prælatum cum suis subiectis posse suffragari animabus. Hæc igitur puto non esse tam dubia, quam sunt audaces illi sermones de iurisdictione Ecclesiæ in purgatorium. *Suffragium.*

CONCLVSIO XXVI.

Optime facit Papa, quod non potestate clauis (quam nullam habet) sed per modum suffragij, dat animabus remissionem.

NOn credo necessarium, iterum protestari quid disputem, aut quid asseram. Sed cum nostro seculo sint tam zelosi hæreticæ prauitatis Inquisitores, ut Christianissime Catholicos, ui conentur ad hæresim adigere, oportunum fuerit super singulis syllabis protestari, Nam quid aliud fecerint Iohannes Picus Mirandulanus, Laurentius Valla, Petrus Rauennas, Iohannes Vesalia, & nouissime diebus istis Iohannes Reuchlin, atque Iacobus Stapulensis, ut inuiti cogerentur, & bene sentiendo, male sentire, non facile uiderim, nisi quod omiserint forte protestationem super singulis (ut dixi) syllabis, tanta est hodie in Ecclesia puerorum & effœminatorum tyrannis. *Hæreticæ prauitatis Inquisitores.* *Picus Mirandulanus.* *Iohannes Reuchlin.* *Iacobus Stapulensis*

Itaque protestor denuo, duo in ista Conclusione me facturum. Primum de potestate clauium in purgatorium disputare, & negatiuam probare, donec alius affirmatiuam melius probet. Secundo de modo illo suffragij inquirere.

Primum probo sic.

PRimo, per illam uulgatam Hostiensis rationem, uidelicet, Si claues sese ad purgatorium extenderent, possent euacuare purgatorium. Atque crudelis esset Papa, quod non euacuat purgatorium: *Hostiensis.*

Hanc soluunt sic: Papa potest, sed non debet euacuare, nisi subsit iusta causa & rationabilis, ne aduersus iusticiam diuinam temere agat. Hanc frigidam & oscitantem solutionem, uix puto proferrent, nisi uel non aduerterent, quid loquantur, uel inter uitulos marinos profundissime stertentes, se loqui arbitrarentur. Ita fit, ut ex uno absurdo dato, plura sequantur. Et ut ille ait: Septem mendacijs eget unum mendacium, ut uerum uideatur.

Igitur Argumentum uix potuit robustius firmari, quam tali solutione. Quærimus enim, quod tandem nomen erit huius causæ rationabilis? Constat autem, quod uel pro bello, contra infideles, uel pro structura sacra, aut communi, aliaue necessitate huius uitæ Indulgentiæ donantur. Sed nulla illarum tanta est, quin incomparabiliter maior sit charitas, iustior & rationabilior. Si itaque iusticia diuina non offenditur, si propter corpora fidelium, & res eorum tuendas, aut propter inanimatas fabricas, aut usum huius corruptibilis uitæ breuissimum, remittuntur tot, quot uoluerit (etiamsi omnes in eo numero comprehendis, ut sic etiam euacuetur purgatorium) quanto magis non offenditur, si pro sancta charitate redimantur omnes? Nisi forte iusticia diuina, tam est iniqua, aut forte melancholica, ut plus faueat charitati, in corpora & pecunias uiuentium, quam in animas tam egenas, exhibitæ. Maxime cum tanta res sit, succurrere animabus, ut fideles debeant malle seruire Turcis & corporaliter occidi, quam animas non redimi. Si ergo propter id quod minus est, infinitas, & forte per hoc ipsum omnes redimet, cur non & propter id, quod maximum est (id est) charitatem? Hic tamen ego illis angustia clausis consilium dederim, ut dicant causam rationabilem *Causa rationabilis.* *Charitas.* *Succurrere animabus.*

nullam esse posse, ut sic secure elabantur huic obiectioni. Et ita si Papa possit, quo ad se, non tamen potest, quo ad causam, quæ esse non potest.

Iniunctæ pœnitentiæ. Secundo, Ipse stylus Papæ idem probat, in quo dicitur de iniunctis pœnitentijs. Manifestum est autem quod tantum donat, quantum sonat, & eo modo donat, quo sonat, ut sic Episcopus 40. Card. 100. dies de iniunctis pœnitentijs, Ita Papa prorsus omnes plenarie dies de eisdem iniunctis relaxat, sed purgatorij pœnas nulla clauis iniunxit.

Indulgentiarum ualor apud Recentiores. HIc uero bellus quidam somniator sic fabulatur. Quando Papa dicit: Damus Indulgentias omnium peccatorum de pœnitentia iniuncta, intelligitur de pœna imposita per sacerdotem. Quando autem dicit: Damus Indulgentias omnium peccatorum, de quibus contriti & confessi fuerint, tunc non remittuntur oblita uel ignorata. Quando uero dicit: Damus remissionem omnium peccatorum, tunc euolaret, si moreretur, Et sic in manu Papæ est, quos uolet saluare. O furor. Vide pronunciatorem hunc, quam secure asserat, ac si oraculum ederet. Cui si dicerem, obsecro te, unde probabo hæc, si fuero iussus rationem reddere huius fidei? fortasse noua alia finget mendacia, quibus illa priora statuat magna maioribus. Infœlices Christiani, qui coguntur omnia audire, quæcunque tandem nugari libuit ineptissimis hominibus. Ac si non haberemus ipsam Scripturam, quam præcipiente Christo, populum doceremus, & tritici mensuram, non lapparum & tribulorum cados, illis tribueremus.

Inter cætera portenta, quæ hic suauissimus autor fingit, id quoque nobis audet persuadere, quod in manu Papæ sit remittere, uel non remittere, ignorata uel oblita, Quasi non sciat uniuersa Ecclesia, quod post omnem solutionem Papæ, cunctis fidelibus restet dicere: Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine. Et quod etiam bona opera nostra cum Iob uereri oporteat, ne inueniantur apud Deum horrenda peccata. At clauis Ecclesiæ, bona opera, si sint mala coram Deo nec ne, nescit, nec iudicat, multo minus remittit. *Psal. 19. Iob. 9.*

Confitendi modus laboriosus & inutilis. Secundo, procedit eius somnium, ex laboriosa illa & inutili arte confitendi, imo desperandi & perdendi animas, qua hucusque docti sumus arenam numerare, id est, singula peccata discutere, colligere, atque ponderare, ad faciendam contritionem. Quod cum fecerimus, fit ut refricemus uel concupiscentias uel odia præteritorum memoria, & dum conterimur de præteritis, noue peccemus. Aut certe si fiat optima contritio, fit tantummodo uiolenta, tristis, merecque facticia, de metu pœnarum simulata duntaxat. Sic enim docemur peccata conteri, id est, ad impossibile, uel ad peius, conari.

Vera contritio unde incipiat. Cum uera contritio sit incipienda à benignitate & beneficijs Dei, præsertim à uulneribus Christi, ut homo ad sui ingratitudinem primo ueniat ex intuitu diuinæ bonitatis, & ex illa in odium sui, ac amorem benignitatis Dei. Tum fluent lachrymæ, & odiet seipsum ex corde, citra tamen desperationem. Tum odiet peccatum, non propter pœnam, sed propter intuitum bonitatis Dei, qua inspecta conseruatur, ne desperet, & sese ardentissime odiat, etiam cum gaudio. Sic dum fuerit unius peccati uera contritio, omnium simul erit. Sic Rom. 2. Ignoras quod benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit? O quam multi id ignorant S. Paule, etiam aliorum magistri. Sic enim in Nume: legimus filios Israel non fuisse à serpentibus suis ignitis liberatos per intuitum & horrorem eorum, sed potius auerso intuitu ab eis, & ad serpentem æneum (id est, Christum) conuerso. Item, & ab Aegyptijs uisis territi sunt, sed dato eis dorso, mare transeuntes saluati sunt. Ita sunt peccata nostra in uulnerato Christo, magis quam in nostra conscientia tractanda. Illic enim mortua sunt, hic uiuunt, Alioqui si illorum carnificina seruanda est, fieret, *Roma. 2. Nume. 2. Exod. 14.*

Peccata nostra quo modo tractanda.

est, fieret, ut si quis subito ad mortem raperetur, non possit saluari, quia non habet tempus colligendi peccata. Sed habent quod hic dicant.

Quare ad commentum illius Commentatoris dici potest: In omni remissione summi Pontificis, præsertim illa publica & coram Ecclesia (ut fit in ueniis) debet subintelligi ista clausula, de iniunctis pœnitentiis, siue sint peccata oblita, siue ignorata, Hæc enim ad forum Ecclesiæ non pertinent.

Ortum est autem istud pelagus sermonum (ut mihi uidetur) ex quadam incuria inspiciendæ originis indulgentiarum. Nam tunc temporis, quando uigebant Canones pœnitentiales, magnum erat relaxare quatuor dies, post hoc cœperunt centum dari, deinde mille dies, tandem multa milia dierum, & anni, & annorum centenaria & millenaria. Sic enim paulatim processit maior ac maior largitas ueniarum. Post hæc cœpit septima pars omnium peccatorum remitti, Deinde tertia pars, Nouissime dimidia pars, ac sic peruentum est ad plenariam remissionem omnium peccatorum, ut satis potest uideri adhuc in Stationib. urbis Romæ. Quod si in primis gradibus intelligitur pœnitentia iniuncta, certe & in plenaria remissione intelligenda est. *Indulgentiarum origo.*

Tertio, iterum stylus Papæ dicentis, per modum suffragii. Oportet enim diuersum esse modum suffragii, á modo potestatis. Quod si ipsi Papæ (sicut debemus) plus credemus, quam illis & nobis ipsis, patet nullam potestatem, sed suffragium ualere in purgatorium. Tutius est mihi cum Papa sentire, quam cum illis, Papa non arrogat sibi potestatem, sed suffragium sibi uendicat. Et satis miror, qua fiducia illi contra expressam prohibitionẽ c. Cum ex eo. plus audeant prædicare, quam in literis Papæ continetur, cum suffragii modus ibi solum contineatur. Quod si sic intelligunt, Non habet potestatem quidem iurisdictionis in purgatorium, sed tamen habet potestatem Clauium applicandi suffragia in illud. *Modus suffragii* *Potestas. Suffragium*

Hic dico & ego, quod hoc nemo negat. Potestas applicandi, siue suffragia, siue satisfactiones, siue laudes Dei, prorsus est in manu summi Pontificis. Verum an illa potestas sic sit solius Papæ, ut non etiam aliorum Pontificum sit, ut Conclusione præcedenti dictum est, uel quid ego nondum intelligo in isto modo applicationis, in secunda parte huius conclusionis dicam. Interim hanc primam prosequamur.

Quarto, & omnium fortissime, Christus non ambiguis, sed claris, apertis, rotundis uerbis dicit: Quodcunque ligaueris super terram, ligatum erit & in cœlis, Et quodcunque solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Non frustra adiecit, Super terram, Alioqui nisi restringere uoluisset potestatem Clauium, satis fuerat dixisse, Quodcunque solueris, solutum erit. Aut ergo Christus, ut nugator, superfluit uerbis, aut potestas Clauium solummodo est super terram. *Matt. 16.* *Super terram.*

Sed hic, o bone Deus, quam prompta est quorundam superstitio, qui sine scitu & sine uoluntate Papæ uolunt in his uerbis potestatem ei dare, ubi ipse suffragium sibi usurpat duntaxat. Et cum sentirent hæc uerba Christi sibi fortiter resistere, & errorem confutare, non id egerunt, ut erroris patrocinium desererent, & uerbis Christi incorruptis sensum suum accommodarent. Sed econtra, uerba eius sensui suo corrupto accommodant & torquent, dicentes: Illud, Super terram, potest dupliciter construi. Vno modo, ut ad soluentem. Alio modo, ut ad soluendum pertineat. Et primo modo esse Christum intelligendum, scilicet, Quodcunque Petrus, dum fuerit super terram, soluerit, solutum erit & in cœlis. Volentes forte, quod etsi Diabolum solueret (modo ipse soluens super terram sit) solutus erit in cœlo. Nam qui dicit: Quodcunque, & nihil addit quo restringat, omnia certe solubilia esse ostendit:

 Nescio

Nescio quibus uerbis hanc rudem & insulsam superstitionem, imo temeritatem, insecter. Hieronymiano stomacho & eloquio dignus hic erat autor, ut sanctorum uerborum Christi, tam audax uiolentia & corruptio uindicaretur. Et ut omittam grammaticam, quæ uel sola potuit eos docere, non posse hunc eorum sensum istis uerbis stare, sed magis nouas dialecticas, quam ueram sequuntur grammaticam.

Videntur isti eo usque sapuisse, quasi Christus timuerit, ne quando talis Petrus uel Papa foret, qui & mortuus uellet ligare & soluere, & ideo necessarium ei fuerit tam insignem mortuorum Pontificum ambitionem & tyrannidem præuenire ac prohibere, ne ligent aut soluant, nisi dum fuerint in uita & super terram. Et forte (ut tam dignos Scripturæ interpretes digne laudemus) nec sine causa sic timuit Christus, ne uidelicet aliquando contingeret, ut mortuus Pontifex aliquid ligaret, & suus successor uiuus idem solueret. Tum fieret magnus error in cœlo, & Christus anxius ignoraret, cuius illorum approbaret officium, ut qui temere permisisset utrique idem officium, nec addiderit, super terram, ut mortuus compesceretur. Si enim ita non sapiunt, quid æstuant? quid laborant ostendere, quod super terram ad soluentem pertinet? Ecce o uere aureum opusculum aurei Doctoris, & aureis literis dignissimum, & ne nihil non sit aureum, aureis discipulis tradendum, illis uidelicet, de quibus dicitur: Simulachra gentium aurum & argentum, oculos habentia & non uidentia &c. *Psal. 135.*

Recta uia isti incedunt contra Christum. Christus enim ideo addidit, Super terram, ne Pontifex, qui non potest nisi super terram esse, præsumat id ligare aut soluere, quod non sit super terram, uelut data opera, nostri temporis adulatores fœdissimos præueniens & prohibens, qui inuito & recusanti Pontifici, regnum tradere incipiunt inferorum. Hos S. Hieronymus pro suo feruore dixisset, Theologos, id est, Deum loquentes, cum autem puta, qui apud Virgilium magnum uatibus inspirat furorem. Sed tamen agamus contra eos.

Si claues soluunt mortuos, etiam ligant.

PRimo, Si per hanc intelligentiam claues soluunt mortuos, ergo & ligant, quia utrinque additur, Super terram, dicens: Quodcunque ligaueris super terram. Ergo & hic oportet eadem industria & acumine nobis distingui, Super terram dupliciter construi, Vno modo, ut ad ligantem, Alio modo, ad ligandum pertineat. Vt sic concludant nobis, Pontificem posse ligare sub terra in purgatorio, modo id curemus (opere uidelicet medicorum) ut id uiuus faciat, & dum fuerit super terram, nam mortuus non posset ligare. Quod si ista prima pars uerborum Christi non recipit hanc torturam & uiolentam elusionem, ut ipsimet quantumlibet sint sine iudicio, asserunt: Qua fronte audebunt alteri parti eam uim facere, cum sit simili schemate per omnia composita? Nisi forte illis more suo, omnia licuerit uniuocare, & æquiuocare & amphibologisare & paralogisare sicut libuerit, & ubi libuerit. Dicant ergo, quod super terram, in prima parte pertinet ad ligandum, Sed in secunda parte pertinet ad soluentem, quandoquidem & maiora monstra in sacris etiam literis inuexerunt pro sua laudabili consuetudine.

Mos Theologorum peruersus.

Quare cum omnes negent, Claues posse ligare in purgatorio, necesse est negare, quod possint soluere, cum sint illæ duæ potestates æquales, & æqualiter à Christo Ecclesiæ suæ datæ. In hac sententia sunt quidam non pessimi Iuristæ, an saniores cæteris, uiderint illi.

In cœlis.

Secundo, Ex ipsa antithesi ista sententia etiam confutatur, Quia, sicut in cœlis utique ad soluendum in cœlis, respicit, ita super terram, ad soluendum super terram respiciat oportet. Et rursus, In cœlis, ad ligatum, Quare & super

super terram, ad ligatum referri debet. Vnde Christus uelut de industria, non dixit: Ego soluam in cœlis, sed solutum erit in cœlis. Vt si quis primo uerbo, scilicet, Quodcunque solueris super terram, falsæ intelligentiæ calumniam quæreret, in sequente retunderetur, nec permitteretur ad soluendum aptare, Quia solutum in cœlis, cogit certe intelligi solutum in terra, non soluentem, Et ligatum in cœlis, cogit intelligi non ligantem, sed ligatum in terra, aut saltem utrunque.

Tertio, Si clauis tenditur in purgatorium, quid frustra laborant? Cur non tollunt uerbū suffragij? cur non persuadent Pontifici, ut dicat per modum potestatis, & autoritate potius, quam suffragio soluere & ligare? Quippe, Quodcunque soluerit (tantum caueat ne sit mortuus) solutum erit. Quid nos obtundit uocabulo suffragij, quod nemo intelligit potestatem, sed omnes intercessionem? Quin amplius faciamus, & rogemus Papam, ut purgatorium omnino tollat de rerum natura. Si enim Claues Ecclesiæ, etiam quo ad soluendum duntaxat, illuc sese extendunt, erit in manu eius totum purgatorium. Quod probo sic, Det omnibus in illo existentibus remissionem plenariam. Secundo, omnibus morituris Christianis eandem similiter det remissionem. Tunc certum erit, ut nullus in eo maneat, nullus in ipsum ueniat, omnes autem euolent, & cesset purgatorium. Debet autem id facere, & subest iustissima causa, scilicet charitas, quæ per omnia, super omnia, in omnibus quærenda. Nec timendum est, quod iusticia diuina offendatur à charitate, ad quam potius ipsa nos urget. Quod cum factum fuerit, deponamus totum officium defunctorum, satis hodie molestum, & neglectum tamen, mutemusque id in officia festiua. *Suffragium.* *Charitas.*

Quarto & ultimo. Si purgatorij pœna est castigatoria & afflictiua, ut supra 5. Conclusione, tunc certum est, eam non posse solui potestate clauium. At non esse aliam, satis puto ex sufficienti diuisione patere, Patet itaque prima pars huius Conclusionis, ac per hoc tota satis probabiliter firmata, quod suffragium, non iurisdictio, intret purgatorium.

Secundum, scilicet modus ille suffragij, Et si non fuit à me positum, ut inquireretur, nec requiritur ad positiones meas, scire, quis aut qualis sit, tamen uolens exponam me in eo, quod iuste poteram omittere, ne uidear angulum quærere, salua semper mea Protestatione, quod non meum, sed Pontificis, imo Ecclesiastici forte concilij sit statuere, quis sit ille modus. Meum est inquirere & disputare, ac rationibus adductis, quid intelligam, aut nondum intelligam, indicare. Ergo duplici uia impenditur suffragium animabus. *Suffragij modum explicat.*

Primo re ipsa & officio præsente, sicuti fit, cum sacerdos cum populo orat, ieiunat, sacrificat, aliaque facit nominata opera, pro nominatis animabus, de quo suffragio nullum dubium est, quin uehementer prosit, & redimat animas, secundum quod Deo uisum fuerit, & illæ meruerint secundum B. Augustinum. De isto superius dixi conclusione præcedenti, quod talem potestatem habet Episcopus specialiter, qualem Papa generaliter, Sed non iurisdictionis, sed suffragij faciendi in purgarium. De isto modo hic non quæritur, ut notum est.

Secundo, impenditur sine officio uel opere, sed mera iurisdictione per literas uel per uoces pronunciata. Et id quoque ex duobus thesauris.

Thesaurus Ecclesiæ triumphantis.

Primus est triumphantis Ecclesiæ, qui est meritum Christi & Sanctorum eius superabundantius, quam debuerant merentium. Et hunc esse relictum in Ecclesia, ut hic remuneretur & compensetur, dicunt illi. Alter est militantis Ecclesiæ ut sunt merita, bona opera uiuentium Christianorum, quæ habeat summus Pontifex in manu sua, applicare ea, uel pro satisfactione pœnitentium, uel suffragio defunctorum, uel pro laude & gloria Dei. Sic enim & ego aliquando & docui & scripsi, Papam tripliciter habere militantis Ecclesiæ merita in potestate. Primo, ut ea offerat Deo pro satisfactione aliorum. Secundo, pro suffragio animabus. Tertio, in laudem Dei. Et hanc facultatem spiritualem, si uera est, in suis Diocœsibus habere Episcopos, firmiter credo. Aut si erro, reuocet me qui potest. Alioqui quomodo stabunt sine errore Fraternitates illæ, in quibus sibi communicant sua studia & opera, tam maiores quam minores Prælati? Item monasteria & ordines, & hospitalia & parochiæ. Id enim non potest uerum intelligi, nisi quod tali modo unius opus pro altero satisfacit, suffragatur & glorificat Deum.

Militantis Ecclesiæ thesaurus.

Fraternitates.

Dico itaque.

Merita militantis Ecclesiæ non sunt in manu Papæ.

QVanquam ego prorsus non intelligo, quomodo sint ista merita militantis Ecclesiæ in manu Papæ, tamen interim sic pie credam, donec suus Gordus hunc nodum dissoluat. Causa autem, quare non intelligam, est hæc.

Prima, si pro uiuentibus uiuentium offert opera, iam non uideo, quomodo sit remissio gratuita, & non potius uera & iusta satisfactio & persolutio usque ad nouissimum quadrantem. Licet enim ille non operetur cui fit remissio, alij tamen operantur & satisfaciunt. Tunc enim id fiet, quod omnes constanter negant, scilicet, quod concedens oneret se ad satisfactionem, uere enim Papa tunc non remitteret, sed satisfaceret, scilicet per sibi subiectos.

Secunda, quod sic claues Ecclesiæ nihil prorsus facerent, nisi quod iam de facto fit in Ecclesia, etiam sine clauibus. Nam ex lege charitatis, quilibet pro quolibet tenetur orare, Et Apostolus ait: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. *Gala. 6.*

Tertia, quod nomen Indulgentiæ huic sententiæ repugnat, quia debet illud indulgere, id est, remittere, ut non faciat quod debet, non autem imponere alteri, uel impositum dicere, ut Indulgentia prorsus extinguat debitum, non autem per alium soluat. Quare uidetur potius, sine isto thesauro, nuda sufficere potestas Clauium ad Indulgentias, maxime cum remittatur tantummodo canonica, non autem Euangelica satisfactio. Aut iterum hic dicendum erit, ut supra de remissione culpæ dictum est, quod sic etiam remittat per hunc thesaurum pœnas, id est, declaret id fieri, quod etiam sine eo fit, scilicet Ecclesiam pro eo satisfacere, cui remittitur. Quomodo B. Augusti. dicit, Neminem suscitari, nisi quem suscitat unitas Ecclesiæ, ut in uidua figuratum dicit. Sed adhuc durat ratio prima, & secunda, quod sit tunc potius satisfactio, quam remissio, siue declaretur siue concedatur.

Gratia Spiritus.

Quarta, Thesaurus ille Ecclesiæ militantis magis operatur gratiā Spiritus, quam remissionem pœnarum, & uidetur satis uiliter tractari, si pro pœnarum remissione applicetur, cum remissio pœnarum sit uilissimum donum in Ecclesia, etiam impijs donabile, & sola clauis potestate, ut uidetur.

Dico secundo.

NOn intelligo, quomodo aut quid fiat, quando Papa eundem thesaurum applicat pro suffragio defunctorum. Causa est hæc.

Prima,

Prima, Quia iterum non plus uidetur facere, quam quod de facto fit. Nam uniuersa Ecclesia de facto orat & suffragatur pro defunctis, nisi iterum hic putetur id facere declaratiue. Nec uideo quid illud obstet, quod dicitur de Missa, quae plus prodest, si per sacerdotem uni applicetur, quam si sine applicatione pro omnibus celebretur. Fateor id uerum à me credi, Sed Papa, ut summus & generalis omnium sacerdos, certe non potest nisi generaliter applicare, imo debet id facere, etiam sine literis ueniarum. *Missa.*

Secunda, Cum per Indulgentias non remittantur nisi poenae canonicae, prorsus non possum intelligere, quid animabus remittatur, cum Canones eas non ligent. Deniq; in morte sunt ab illis absolutae, cum omnis sacerdos sit Papa in hora mortis. Item, quod nulla anima patitur in purgatorio pro criminibus & mortalibus peccatis, sed tantum pro uenialibus, ut dis. xxv. c. Qualis. Canones autem uenialibus, imo mortalibus occultis non sunt impositi, sed tantum criminibus cognitis, ut supra dictum. Dicat ergo qui potest, Quomodo Indulgentiae suffragantur illis, id est, remissiones Canonum (nisi non tantum Indulgentias largiatur) imo illis uelut in superabundantem cautelam datis (uelut solent etiam mortui absolui in facie Ecclesiae) simul inuoluat ultra Indulgentias, applicationem meritorum Ecclesiae. Et tunc certe Indulgentiae non fiunt suffragium, sed cum suffragio, tanquam altero dono, dantur animabus, id est, declarantur dari, uel applicantur. *Canones.*

Dico tertio,

De thesauro meritorum Christi & Sanctorum ad remissionem poenarum applicato, dicam infra in sua Conclusione lviij. Vides ergo quam sint omnia obscurissima & dubiosissima, ideo periculosissima doceri.

ID unum dico & uideo, quod Papa (In Cle. de pe. & re. c. Abusionibus) damnare uidetur hanc sententiam, de redimendis animabus per Indulgentias, dum dicit: Animas de purgatorio, ut asserunt, mendaciter extrahunt, Vbi glossa, super uerbo, mendaciter, quia inquit, sunt iudicio Dei reseruatae. Et allegat ad hoc dist. xxv. c. Qualis. Et certe mihi uidetur recte sentire. Nam si per suffragium redimantur, non utiq; sequitur eas statim euolare, Non est idem suffragari & redimere seu liberare. Itaq; ego hucusq; sapio, quod uideo Indulgentias & suffragium meritorum Ecclesiae esse duas res diuersissimas, alteram sine altera, & cum altera dari potentem. Indulgentijs sufficit sola potestas clauium, sine addito illo thesauro, qui tamen potest addi, uel solus dari. Solus datus, facit participem bonorum, ut satis supra est dictum. *Animae per Indulgentias redimendae.*

Haec si essent certa & uera, sequeretur, quod Indulgentiae, in quantum tales, prorsus nihil prodessent animabus, nisi quod coram Ecclesia absoluerentur (id est, denunciaretur eas esse absolutas) Aut si prodessent, non id fieret uirtute ipsarum, sed alia adiuncta illis donatione, scilicet meritorum Ecclesiae. Quae donatio iterum distinguenda est à generali applicatione, qua Ecclesia de facto per illa suffragatur animabus, sine Papae applicatione, & uidendum quid ipsa ualeat. Sed etiam alijs relinquendus est inquirendi labor, quibus est nondum fessum studium in tantis dubijs.

Nunc obijcitur,

PRimo, Celebre habetur, quod quidam Magister Parrhisijs tenuit in disputatione sua, Summum pontificem habere potestatem in purgatorium, & Pontifex eo cognito & mortuo, dedit eam assertam remissionem uelut commendans.

Respondeo.

Me nihil mouet, quid placeat uel displiceat summo Pontifici, Homo est, sicut & ceteri, multi fuerunt summi Pontifices, quibus nō solū errores & uicia *Pontifex.*

uicia, sed etiam portenta placuerunt. Ego audio Papam, ut Papam, id est, ut in Canonibus loquitur, & secundum Canones loquitur, aut cum Concilio determinat, Non autem, quando secundum suum caput loquitur, ne forte cogar cum quibusdam, male Christum cognoscentibus, dicere, quod Iulij II. horrendæ cædes in Christianum populum, fuerint quædam beneficia pij pastoris, in oues Christi collata.

Iulius II.

B. Bonauentura.

Secundo, B. Bonauentura lib. iiij. dist. xx. Non esse resistendum importune, si quis asseruerit Papam habere potestatem in purgatoriū. Respondeo primū: Autoritas B. Bonauenturæ in re hac non sufficit. Secundo, quando Papa id asseruerit, non erit resistendū. Tertio, Bonauentura recte dicit, quia addit, seipsum exponens, dummodo id constet per autoritatem manifestam, aut dictamen rationabile. Sed illa nondum constat manifesta autoritas.

Hic uero obijcitur.

Sixtus IIII.

Primo, Sixtus IIII. determinasse dicitur, quod per suffragium ille modus nihil minuit plenitudinem indulgentiarum.

Respondeo:

Papa non habet potestatem condere nouos fidei articulos.

PRimum, Si quis pertinax esse uellet, diceret: Probo quod dicis, optime pater, Maxime cum solius Papæ non sit nouos fidei statuere articulos, sed secundum statutos iudicare & descindere quæstiones fidei. Hic autem erit articulus nouus, ideo ad uniuersale Concilium pertinebit eius determinatio, multo magis quam conceptio B. Virginis, præsertim, cum hic nullum, illic multum & magnum sit animarū periculum, Alioqui cum Papa sit unus homo, qui errare potest in fide & moribus, periculo assidue laboraret totius Ecclesiæ fides, si quicquid sibi uisum fuerit, necesse sit uerum credi.

Concilium uniuersale.

Conceptio Mariæ.

Secundo, etiamsi Papa cum magna parte Ecclesiæ, sic uel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis, contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium uniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum. Quod, ne multis agam, illo unico probatur, Quod Ecclesia Romana etiam cum Concilio uniuersali Basiliensi, ac tota ferme Ecclesia sentit B. Virginem sine peccato conceptam. Et tamen, quia altera pars non est reprobata, non sunt hæretici qui contrarium sapiunt.

Tertio, Ego dico, mihi nondum uisam illam Sixti determinationem. Sed hęc mihi uisa est, quod Indulgentię dantur defunctis per modū suffragij. Ex qua nondū sequitur, quod ideo animæ euolent, quibus ille modus datur.

Modus suffragij.

Quarto, Non possum esse alieni uerbi, multo minus summi Pontificis, interpres, Quare donec seipsum interpretetur, interim opinemur, honoris gratia, defendendo dictum tale incognitum, Dupliciter potest idipsum intelligi. Primo. Modus suffragij non minuit plenitudinem Indulgentiæ, id est, licet Indulgentiæ dentur ibi, non per modum Indulgentiæ, sed per modum suffragij, tamen tali suffragio & intercessione nihilominus fit, ut euolent omnino, quibus fuerit impensus. Ac sic non soluendo, sed intercedendo euolant, Hanc non teneo, sed illi ita putant dictum.

Sententia Lutheri.

Secundo, Modus suffragij non mi. ple. indulg. id est, applicatio indulgentiarum per modum suffragij, permittit eas esse, quod sunt, scilicet Indulgentias plenas, nec tollit id, quod natura sua sunt, Solum, quod non agunt, ut Indulgentiæ, sed ut suffragium. Et hanc admitto & addo, Quod si non minuit aliquid, multo magis nihil auget Indulgentias illa applicatio suffragatoria. Ex ijs sequitur, quod non euolent animæ per illum modum. Et id sonant etiam uerba, Quia non dicit, modus ille suffragij plene redimit animas, Sed non minuit plenitudinem indulgentiæ, scilicet, quod Indulgentiæ licet plenæ, tamen tantum faciunt, quantum facere potest suffragium, nec amplius.

Iterum

Iterum obijcitur.

Forma absolutionis Apostolicæ dicit: Remittendo tibi pœnas purgatorij, in quantum Claues sanctæ matris Ecclesiæ se extendunt. Et hanc formam seruant pœnitentiarij Papæ, etiam in Vrbe. Respondeo:

PRimo, Ista sunt extra propositum, quia est forma absoluendi uiuorum & morientium, non autem forma applicandi Indulgentias iam defunctis.

Secundo, Tamen quærendæ ueritatis causa, dico, quod cum sint dubia & obscure posita ista uerba, non potest errari in fide, si quis contra senserit, quam putantur intelligenda. Cur enim trepidat illa forma? cur uelut dubitans dicit, In quantum claues sese extendunt? Suspecta est mihi ista tremenda cauda, Non teneor firmiter credere, quod ipse non audet constanter pronunciare. Cur hic solum & nusquam alibi adiungit, In quantum claues se extendunt? An nondum uidemus quam uigil sit Christus in Ecclesia sua, ut etiam errare uolentes, non permittat errare? Si tamen nos ipsos, neglecto eius monitorio, non præcipitaremus in errorem.

Tertio dico, sicut prius, Etiamsi Papa cum suis pœnitentiarijs hic non erraret, non ideo sunt hæretici, qui negent eius sensum, aut non credant, donec fuerit Concilij uniuersalis iudicio alterutra partiū definita uere probata. Sic enim, licet etiam Indulgentijs ornarint festum Conceptionis, tanquam rem certam fidei, non tamen damnant aut ligant eos, qui solutionem talium Indulgentiarum non quærunt. Ita quamtumcunq; donetur Indulgentiarum, formam illam non est necesse credere esse ueram, donec statuat Ecclesia. Et iterum uides, quanta sit necessitas legitimi & uniuersalis Concilij. *Concilium.* Sed timeo, nostrum seculum, non sit dignum donari nobis tale, sed potius *2. Thes. 2.* ut operationibus erroris illudamur, sicut meruimus.

CONCLVSIO XXVII.

Hominem prædicant, qui statim, ut iactus numus in cistam tinnierit, euolare dicunt animam.

HOminem prædicant, id est, uanitatem & mendacia, secundum illud: Omnis homo mendax. Et iterum: Vanitas, omnis homo uiuens, Atq; ista positio, secundum meam sententiam, non eget probatione: Probatur tamen per sequentem Conclu. Quia arbitrio Dei, & merito animæ ualet suffragium Ecclesiæ. Ideo etiamsi illorum esset uera sententia, quod per modum suffragij prosunt, Non sequitur, quod statim euolent.

Primo, non suffragium, sed exauditio suffragij, eiusq; susceptio liberat, cum non orante Ecclesia, sed operante Deo liberentur. *Exauditio suffragij.*

Secundo, Natura Deus sic agit, ut cito exaudiat, tardet autem dare, ut patet in omnium Sanctorum orationibus & doctrinis, ut probet perseuerantiam. Ideo longe distant suffragium, exauditio, executioq; eiusdem. *Cito Deus exaudit, tarde dat.*

Tertio, Quod hoc ipsum noue dicitur, sine autoritate ulla contra prohibitionem Canonis, ne quid ultra, quam in literis continetur, dicatur: Non ergo Dei & Ecclesiæ, id est, uera, sed sua propria, id est, mendacia loquuntur.

Quinto, non differunt, ille, qui loquitur falsum scienter, & ille, qui asserit certum, quod nescit esse certum. Sic enim & uerum loquens aliquando mentitur. Sed illa iam dicta sciunt sibi esse incerta, & tamen certa affirmant, tanquam Euangelia, nulla enim autoritate uel ratione possunt, ea certa esse, probare.

Sexto,

Sexto, Tunc suffragium illud esset melius alieno officio, & per accidens, quam suo proprio, quia non tantum prodest operario, quam alteri, pro quo fit, imo hoc est Peripateticum, ideo transeo, Maxime cum illi ausint concedere, quod non prosint operario, sed animae &c. Possem & ego istas Fabulas ridendas exagitare & illudere, sicut ipsi per eas illudunt ueritatem, Sed desisto, ne magis dogma, quam problema ponere uidear.

CONCLVSIO XXVIII.

Certum est, numo in cistam tinniente, quaestum & auariciam augeri posse, suffragium autem Ecclesiae est in arbitrio solius Dei.

Euangelium negligitur, solae Indulgentiae populo inculcantur.

MIrum est, quod non tanto studio atque boatu etiam Euangelium Christi praedicatur saluberrimum. Quae res suspectum facit negocium, quod plus quaestum quam pietatem aestimare uidentur, Nisi forte iustissime excusentur per hoc, quod Euangelium Christi ignorant. Igitur, cum Indulgentiae sint nullius pietatis, nec meriti, nec praecepti, sed licentia tantummodo quaedam, licet opus, per quod redimuntur, sit pium, uidetur omnino quaestus augeri per eas magis quam pietas, dum tam effuse & solae tractantur Euangelio uilius uix recitato.

Suffragium Ecclesiae.

Probo primo, Quia suffragium Ecclesiae non est iurisdictio Papae, nec in manu eius, quo ad acceptationem Dei, sed tantummodo, quo ad oblationem, etiamsi stet eorum sententia de animarum redemptione per illud.

Secundo, Falsa esset B. Augustini uulgata sententia, quod suffragia tantum his prosunt, qui ea sibi prodesse meruerunt, quia potestate Papae, non autem merito, animae prodessent, cuicunque prodessent.

Exauditio suffragij.

Tertio, Contra naturam & uim uocabuli est, ut sit in potestate Papae, per suffragium redimere, Nam quantumcunque opus sit excellens, si ipsum uertitur in suffragium, non ut opus, sed ut suffragium, operatur. Exauditio suffragij, potius redimit. Aut ergo alijs nominibus de re ipsa loquuntur, & tunc peius fallunt, Aut si proprio uocabulo de re sua loquuntur, tum non stat sententia eorum, repugnante uocabulo suffragij, significationi & intellectui potestatis.

Quarto, Tunc prorsus nulla esset differentia inter suffragium & potestatem, nisi uoce tantum, re ipsa erunt idem, quia idem efficiunt sine alio requisito ultra uoluntatem Papae, Cur ergo non tacet suffragium, & cessat nos cogere alia intelligere per suffragium, quam per potestatem.

Protestatio Lutheri.

HIc iterum protestor, optime Lector, me de suffragio eiusmodi loqui, tanquam uere esset tale. Nam meam sententiam dixi supra, quod dubitem, nec intelligam, an sit, aut esse possit tale. Quod ideo dico, ne mihi ipsi quisquam contrarium me sibi fingat, dum hic uelut assero suffragium, quod prius pene negaui.

CONCLVSIO XXIX.

Seuerinus. Paschalis.

Quis scit, si omnes animae uelint redimi a purgatorio, Sicut de Seuerino & Paschale factum narratur.

NON quidem fide dignam Scripturam de his duobus legi. Narrari tamen audiui, quod potuissent suis meritis liberari, si minus uoluissent glorificari, ideo potius sustinuerunt differri gloriam uisionis, Sed in his credat quisque quod uelit, mea nihil refert. Non enim negaui, quin & alias poenas luant animae in purgatorio, quam supra dixi, Sed uolui, ut etiam illis remissis, non euolarent, nisi & sanarentur in gratia perfecte. Posse tamen fieri, ut aliquae nollent redimi, ex nimia Dei charitate. Ex eo fit uerisimile, quod Paulus & Moses potuerunt uelle esse anathema, & separationem a

Paulus. Moses.

Deo

Deo in æternum. Si tale in uita facere isti prompti erant, non uidetur negandum, & à defunctis idem fieri posse, de quo exemplum de quadam Virgine, uide in Ser. Tauleri. quæ sic fecit. *Iohannes Taulerus.*

CONCLVSIO XXX.

Nullus securus est de ueritate suæ contritionis, multo minus de consecutione plenariæ remissionis.

HAEc dico, eorum sententia, qui uolunt contritionem esse necessariam ad remissionem pœnarum, & non uident, quam uehementer incerta reddant omnia. Et satis patet conclusio. Nam primam partem omnes asserunt. Secunda autem necessario sequitur, Meo autem iudicio potest fieri certa remissio pœnarum, scilicet canonicarum, etiamsi ille dignus non fuerit, nec contritus. Non enim contritio, nedum certitudo contritionis, requiritur ad pœnarum remissionem, quia tenet remissio, etiam si fictis concedatur, cum sit in mera potestate Papæ. *Secundum aliorum mentem loquitur.*

Illi uero, ut supra quoq; dictum est, si alias pœnas quam criminum, uolunt remitti, scilicet quorumcunq; mortalium peccatorum, faciunt, dum nimium magnificant Indulgentias, ut nullæ sint Indulgentiæ. Quia nec Indulgentiæ quidem sunt, si incertæ sunt. Incertæ uero sunt, si nituntur super absoluendi conscientiam, non super clauium potestatem, Maxime uero, si & super omnium peccatorum mortalium, non tantum criminum manifestorum, contritione nituntur, cum nullus certus sit, se sine peccato mortali esse. Certus autem esse potest, quod sine crimine est, id est, sine peccato, de quo coram Ecclesia possit accusari, ut supra. Ideo illam Conclusionem nego esse ueram, meo sensu loquens. Posui autem, ut uiderent illi absurditatem suæ iactantiæ, qua Indulgentias extendunt. *Veniarum incertitudo.*

CONCLVSIO XXXI.

Quam rarus est uere pœnitens, tam rarus est uere Indulgentias redimens, id est, rarissimus.

ITerum eorum loquor sententia, ut uideant suæ licentiosæ prædicationis temeritatem, imo contradictionem, qui cum tam multis eas prodesse clamitent, & tamen confitentur paucos esse, qui angustam uiam ambulant, nondum erubescunt, neq; attendunt quid loquantur. Sed nec mirum, Non enim susceperunt officium contritionis & angustæ uiæ docendæ. Meum itaq; sensum dico, quod etsi pauci sint contriti, multi, imo omnes in tota Ecclesia possunt esse liberi à pœnis Canonum, per ablationem Canonum, sicut & uere nunc sunt:

CONCLVSIO XXXII.

Damnabuntur in æternum cum suis Magistris, qui per literas ueniarum securos sese credunt de sua salute.

Hanc assero & probo. Sic Iere. xvij.

Iere. 17. MAledictus, qui spem suam ponit in homine, & ponit carnem brachium suum. Non est enim nobis ulla fiducia salutis, nisi unus Ihesus Christus, nec aliud nomen sub cœlo datum, quo nos oporteat saluos
Acto. 4. fieri. Act. 4. Pereat ergo fiducia in mortuis literis, in nomine ueniarum, in nomine suffragiorum. Secundo sicut dixi, Literæ & ueniæ nihil conferunt salutis, sed tantummodo auferunt pœnas, nec nisi canonicas, nec has *Veniæ. Suffragia.*

omnes tamen. Atq; hic mecum utinam terra & plenitudo eius gemeret ac fleret, super seductionem populi Christiani, qui passim Indulgentias non aliter intelligunt, quam salutares & ad fructum spiritus utiles. Nec mirum, cum non exprimatur eis rei manifesta ueritas. Infœlicissimi Christiani, qui nec in suis meritis, nec in sua conscientia bona possunt confidere de salute, docentur confidere in scriptam & cæratam papyrum, Cur non ita loquar? quid enim amplius ibi confertur rogo? non contritio, non fides, non gratia, sed tantummodo externi hominis pœnæ à Canonibus statutæ.

Deplorat infœlicitatē Christianorum

ATque ut paulum digrediar, audiui ego ipse multos, qui datis pecunijs & redemptis Literis, totam fiduciam in illas posuerunt. Ita enim uel audierant (ut dicebant) uel (ut ego honoris gratia credo) intellexerant, Præcones ueniarum docere. Non hic taxo, sicut nec mihi licet, qui non audiui Præcones ueniales, excusent sese ultra niuem candidius, mea causa licebit, certe populi redarguendi sunt aures tam illotæ, ut illis salutaria dicentibus, ipsi non nisi pestifera audiant.

Sed dum illi dicunt: Ante omnia fratres in Christum credite, atq; confidite, & pœnitentiam agite, Crucem uestram tollite, Christum sequamini, mortificate membra uestra, discite pœnas & mortem non formidare. Ante omnia mutuam inter uos charitatem habete, inuicem seruite, etiam neglectis uenijs. Primum pauperibus & egenis subuenite. Hæc, inquam, & similia tam pia & religiosa, & sancta illis narrantibus, insipiens uulgus, nouo miraculo subuersum, longe alia audit, scilicet hæc:

Hæc & sequentia usq; ad 33. Conclusionem, pie lector, nō oscitanter lege.

O uos insensatos & crassi cordis homines, bestijs prope similes, qui non percipitis tantam effusionem gratiarum. En cœlum undiq; apertum nunc est, Si nunc non intres, quando unquam intrabis? En tot potestis redimere animas. O duri, duri & negligentes, duodecim denarijs Patrem extrahere potes, & tam ingratus parenti in tantis pœnis non succurris? Ego sane in extremo iudicio excusatus sum, uosq; magis accusati quod tantam neglexeritis salutem. Dico tibi, si uel unam solam tunicam haberes, hanc quoq; exuendam, & distrahendam iudico, ut tantas gratias obtineas.

Tum uero ubi uentum fuerit ad oblocutores gratiæ, cum illi meras benedictiones inundent etiam, stat tremens uulgus, & cœlum ruiturum, ac terram hiaturam formidat, longe peiores, quam infernales pœnas sibi minari audit, Vt uerum forte sit, quod ubi illi maledicunt, Deus benedicit eorum maledictionibus, & ubi benedicunt, Deus maledicit. Nam qua uia fieri possit alia, ut illi tam aliena loquantur, ab his quæ audiunt, quis possit intelligere? Vnde istæ, quæso, uerborum laruæ? Sed nec omnia tamen credo, quæ populus passim sese audisse dicit, alioqui hæretica, impia, blasphema, illis prædicata, putarem.

Non credo uerum esse, quod unus illorum prohibuit fieri exequias defunctorum, & sacerdotum inuitationem, Sed magis ut imponerent in cistam, qui exequias & missas, parentaliaq; uellet peragere. Populus hæc etiam fingit. Non credo fabulam illam, mendacijs refertam, ab ullo dictam, uidelicet, Quod in quodam loco, nescio quot milia (si recte memini, tria uel quinq;) animarum fuerint redemptæ per has uenias, inter quas solum tres fuerunt damnatæ, quia detraxerant Indulgentijs. Nemo hanc dixit, sed passionem Chri-

Fabula.

sionem Christi narrantibus, talia populus audiuit, aut postea audisse finxit. Non credo uerum, quod passim siue uectoribus, siue hospitibus, aut alias seruientibus, pro precio dant quatuor, quinque, uel quod libitum fuerit, animas.

Non credo, quod in pulpitis, postquam impetuoso mugitu despumauerint suas exhortationes, ut populus imponat, clamitent: Impone, impone, impone (hanc enim populus uocem, caput & caudam, imo & uentrem, ac totum pene sermonem esse fingit) tum ut Apostolici prædicatores, rem non uerbis modo, sed exemplo docent, descendunt, primique ad cistam eunt, in omnium oculis, irritantes & prouocantes simplicem & stultum populum, ut penitus exugant medullas eius. Imponunt itaque splendido gestu, atque sonoro tinnitu, tum mirantur, si non pluant cæteri omnes totum æs suum, arrident imponentibus, indignantur omittentes. Non dico ego istas nundinas esse animarum, et monopolia, populum indignor, qui tam pia studia, pro sua ruditate, non speciem, sed usque ad furorem, auariciam interpretatur. Quanquã mihi forte dignus uenia uideatur populus, qui ex istis nouis spiritibus, uel nouam mentem, uel errorem accipiat, cum prius magis audire sit solitus, quæ ad charitatem & humilitatem pertineant. *Impone.*

Sed si catalogum portentosorum audituum uelim percensere, nouo uolumine fuerit opus. Ego uero mea sententia credo, si Indulgentiæ essent etiã præceptæ & salutares, tamen quia in tam grandem sunt nunc abusum & scandalum redactæ, ut uel hæc sola causa satis iusta sit, ut uniuersæ tollerentur. Ne forte si diutius permittantur uigere, tandem precones earum præ pecuniarum amore insaniant. Vere quidem credo, non omnia ab illis dicta esse, quæ passim feruntur, Verum debuerant saltem populum in hoc arguere, & sese clarius exponere, aut, quod melius est, secundum Canones modeste loqui de Indulgentijs.

CONCLVSIO XXXIII.

Cauendi sunt nimis, qui dicunt, Venias illas Papæ donum esse illud Dei inæstimabile, quo reconciliatur homo Deo.

PEstilentes hæreticos debueram eos dicere, quid enim magis impium & hæreticum, quam dicere, Indulgentias Papæ esse gratiam reconciliationis Dei? Verum ut stomachum meum premam, uolo potius eos nulla malicia aut uoluntate talia dixisse, aut posuisse, sed mera inscicia, & tam eruditionis, quam ingenij penuria, Licet & in hoc sit temeritas, quod tam indocti, non potius bubulci opus fecerunt, quam opus docendarum animarum Christi subirent. Audiamus itaque istum bubulcum sua uerba grunnientem. Sic enim in Libello suo, postquam Indulgentias in quatuor principales gratias distribuerat, & multas alias minus principales. Prima, inquit, gratia principalis, est plenaria remissio omnium peccatorum, qua quidem gratia, nihil maius potest dici, eo quod homo peccator, & diuina gratia priuatus, per illam perfectam remissionem & Dei gratiam denuo consequitur. Hæc ille: *Indulgentiæ Papæ non sunt gratia reconciliationis Dei.*

Obsecro, quæ hæreticorum sentina, tam hæretice unquam locuta est? Vel ex hoc loco disce, qua causa fiat, ut cum illi sese sanctissima docere dicant, populus tamen tam impia audiat. Vtinam hic sit diui Hieronymi zelus & eloquium, Pudet me tantæ temeritatis, quod iste blaterator non fuerit ueritus, eum Libellum ædere in faciem quatuor illustrium, & circumiacentium Vniuersitatum, ac si omnino ibi ingenia uersa essent in fungos putidos. Doleo & hæreticis nostris propinquis Pighardis, tandem uenisse occasionem iuste criminandi Ecclesiam Romanam, si hæc in ea doceri audierint. *Libellus Indulgentiarij blasphemus.*

Quod autem iste insulsus Autor, non malicia forte, sed inscitia ista dixerit, ex illo uidere licet, Quia inquit, per illam (id est, primam gratiam plenariam remissionem) consequitur homo perfectam remissionem. Quid est dicere, per plenariam remissionem consequitur perfectam remissionem, & per gratiam Dei, consequitur gratiam Dei? An non per febrem somniat, aut phrenesi laborat? Sed ad sensum hæreticum uerte animum.

Prima gratia.

Hanc primam gratiam uult eam esse, qua maius dici nihil potest, & quam consequitur homo priuatus gratia, quod nisi de iustificante gratia spiritus intelligi non potest. Nec ipsum aliter intellexisse clarum est, alioqui non esset, qua maius dici nihil potest. Quanquam si etiam de gratia iustificante alias loqueretur, satis impie loqueretur, cum solus Deus sit id, quo maius dici non potest. B. Augustinus enim, non sicut ille, sed in donis creatis, inquit, nullum est maius charitate. Hic uero gratiam Dei, & gratiam Papæ, in unius uocabuli Chaos confudit, dignus Autor tali uel opinione, uel errore.

Sequitur in eodem libro.

Delphicum oraculum.

Per quam etiam peccatorum remissionem, sibi pœnæ in purgatorio, propter offensam diuinæ maiestatis, luendæ, plenissime remittuntur, atque dicti purgatorij pœnæ, omnino delentur. Delphicum audiuimus oraculum, ut nihil omnino dubitat, qui omnia ignorat, de potestate clauium in purgatorium secure pronunciat. Sed satis de his supra.

Sequitur ibidem.

Et licet ad tantam gratiam merendam, nihil satis dignum possit retribui, eo quod donum Dei & gratia æstimationem non habent &c. Vides ut iterum donum & gratiam Dei inæstimabilem uocet, id quod Papa remittit, homo dignissimus, qui Ecclesias doceat, id est, Hæreticorum prostibula. Postquam his uerbis gratiam illam ad forum & nundinas studiose adornarat, Mox tamen Mercurium suum habitu Iouis uestit, ne ullus intelligat, quod lucrum quæreret, nisi qui non plus quam ipse intelligit.

Mendicantes fratres.

Permittit pauperibus quoque eam gratis dari, ita sane, si primum undecunque pecunias corradere tentauerint a bonis (ut inquit) fautoribus, ita ut mendicantes fratres sine licentia suorum superiorum pecuniam procurent (quia multo melior est apud hunc pseudolum remissio uel fictę pœnæ, quam salutaris obedientia) Cum uero nusquam patuerit uia corradendi pecunias, ut gratiam illam redimant (id est, denuo emant, non quod illi uendant, sed quod nimia rerum similitudo cogit uocabulis abuti) tum demum dicit: Regnum enim cœlorum non plus diuitibus patere debet, quam pauperibus. Iterum per uenias uolens patere cœlum. Sed subtraho calamum, ne pro meritis in eos debacchetur. Sit satis indicasse fidelibus, pestilentiam eorum sermonum tam insigni (ut par erat) inuolutam inscitiæ & ruditati, ut dignum esset operculum uase.

Dignum patella operculum.

CONCLVSIO XXXIIII.

Gratiæ enim illæ ueniales respiciunt tantum pœnas satisfactionis sacramentalis, ab homine constitutas.

Hæc abunde patet ex V. supra, & XX.

CONCLVSIO XXXV.

Non Christiana prædicant, qui docent, quod redempturis animas uel Confessionalia, non sit necessaria contritio.

Obsecro

OBsecro, cur istam dilationem dant hominibus in periculum? Et quid prodest illis talia prædicari, nisi quod pecunia quæritur, & non salus animarum, etiamsi essent uera? Nunc cum sint & impia & falsa, multo magis sunt explodenda. Sane & ego superius permisi, posse pœnas remitti, etiam his, qui non sunt contriti, quod illi negant. Hic rursum, quod illi affirmant, negandum puto. Atq; de [a] Confessionalibus quidem, idem mihi, quod de pœnis, iudicium est, scilicet utrobiq; non requiri contritionem, neq; quo ad redemptionem eorum, neq; quo ad usum, quod negant, similiter & in pœnis remittendis, Quandoquidem pars confessionalis est remissio pœnæ.

[a] In Scholis uocarunt Confessionalia, Scripta ac Libellos, quibus confitendi formæ, et casus conscientiæ comprehendebantur. In curia Romana uocant Confessionalia, indulta Pontificia, quibus cōcedebatur eligendi facultas. Cōfessarium, qui autoritate Pontificis cōmissa, ab omnibus, uel saltē quibusdam Casibus reseruatis Cōfitentem absoluere posset etc.

Sed in redimendis animabus omnino dissentio, & peto, ut probent dicta sua. Ego quidem in redimendis animabus longe aliud uideri puto, quam in remissione pœnarum, Siquidem in remissionibus pœnæ, homo recipit bonum, sed in redimendis animabus facit bonum. At impius recipere bonum potest, sed nullo modo facere, nec potest placere opus eius Deo, qui ipse non placet, ut Gene. 4. Respexit Dominus ad Habel & ad munera eius.

Gene. 4.

Deinde contra Scripturam est, ut quis primus alteri misereatur, quam animæ suæ, & prius festucam de oculo fratris eijciat, quam trabem de suo. Atq; omnino ut seruus diaboli redimat filiam Dei, & hoc apud ipsum Deum, Ridiculum est, ut hostis pro amico Regis intercedat. Quis, rogo, furor hic est? qui (ut uilissimæ pœnæ remissionem, & ad salutem inutilem magnificent) peccata, quorum pœnitentia sola fuerat magnificanda, extenuent. Si hoc non est hæreticum, malesonans, scandolosum, piarum aurium offensiuum, quid tandem est, quod his nominum portentis appellari possit? An his titulis: Hæreticæ prauitatis Inquisitores? Ideo catholicos, catholicasq; sententias uexant atq; fatigant, quo liceat eis solis impune & pro libito hæreses inundare?

Hæreticæ prauitatis Inquisitores etc.

Dicunt autem, quod redemptio illa non innititur operi redimentis, sed merito redimendi. Respondeo: Quis hoc dixit? unde probatur? Cur ergo non sine opere redimentis, merito redimendus proprio liberatur? Sed non tunc cresceret pecunia, cupita propter salutem animarum. Cur ergo nō inuocamus Turcas & Iudæos, ut nobiscum etiam suas pecunias imponant, non propter nostram auariciam, sed propter redemptionem animarum? Nec obstare uidetur, quod illi non sunt baptizati, quando hic non est opus, nisi pecunia dantis, nequaquam anima pereuntis, non enim illa datio innititur, nisi redimendæ animæ. Credo quod si uel asinus imponeret aurum, etiam redimeret, Quod si requiritur aliqua dispositio, necessario & gratia, cum Christianus peccator magis displiceat Deo, quam ullus infidelis, nec tantum dedecorat asinum rudibilitas, quam Christianum impietas.

Turcæ. Iudæi.

Secundo, dixi Confessionalia quidem peccatoribus, sicut & remissiones pœnarum dari posse. Sed non dixi, ut hortandi, imo nec permittendi sint talia redimere, sicut ipsi impie & crudeliter docent, quod probo.

Confessionalia.

Primo, Omnis doctrina Christi est exhortatio ad pœnitentiam, & id agit, ut homines quantocius à diabolo recedant, sicut ait Ecclesiast. Ne tardes conuerti ad Dominum. Et ipse Dominus: Vigilate, quia nescitis diem neq; horam. Et Apostolus Ebr. 4. Festinemus ingredi in requiem illam. Et Petrus: Cum ergo hæc omnia consumanda sint, quales oportet uos esse in sanctis conuersationibus & pietatibus, properantes in aduentum diei &c.

Ebr. 4. 2. Pet. 3.

Sed hæc ideo illi docuerunt, quia solliciti erant, nō quomodo pecunias colligerent, sed animas saluarent. Hi uero uelut secure illis tribuunt mise-

seram dilationem, & quantum in eis est, in periculo æternæ mortis relinquunt, ita ut nesciam, an tali studio sint ab homicidijs animarum excusati, quippe non quæritur hic salus dantis, sed donum pereuntis, cum, si essent boni Pastores animarum, & uere Christiani, omnibus studijs agerent, ut peccatorem ad timorem Dei, ad horrorem peccati inducerent, nec quiescerent flendo, orando, monendo, increpando, donec animam fratris lucrifacerent. Quod si ille pergeret pecuniam dare, perseueraturus malus, in faciem ei reijcerent, & cum Apostolo dicerent: Non quæro tua, sed te. Et iterum: Pecunia tua tecum in perditionem, & abhorrerent à conspectu eius. Sic sic recte agerent.

Quid faciendum foret Indulgentiarijs si uellent animas Christo lucrifacere

Sed absit hoc à Mercurio nostro, quin id potius agamus, si uenerint peccatores, mediatoribus idoneis freti (id est, lucris) etiam inuito Christo cum uniuersis Apostolis, sint sicut unus ex nobis, nihil non potentes, quod nos possumus, etiam animas redimere ipsi sine intermissione pereuntes, etiam ridentibus nobis, & de dono eorum secure gaudentibus. Ista est charitas in populum Christi, & fratres nostros, ita curamus animas eorum, ut intelligant in suis peccatis, nos nouissimam, id est, nullam compassionem habere.

CONCLVSIO XXXVI.

Quilibet Christianus uere compunctus, habet remissionem plenariam a pœna & culpa, etiam sine literis ueniarum, sibi debitam.

ALioqui in periculo essent, qui literas eiusmodi non haberent, quod falsum est, cum illæ sint neq; præceptæ, neq; consultæ, sed liberæ. Neq; peccant, qui eas negligunt, nec ideo in periculo salutis sunt. Quod ex eo patet, quia tales iam sunt in uia mandatorum Dei. Et per casum, si quando ei non daretur eiusmodi remissio, debetur tamen ei, ut dicit Papa. Sed hic intercedit, O acutissimum ingenium quorundam dicentium, quod uera hæc essent, si Canones essent pœnæ tantum à Papa positæ. Nunc uero sunt declaratorij pœnarum à Deo inflictarum. Sic loqui decet eos, qui ueritatem semel perpetuo odio persequi proposuerunt.

Primum pronunciant uelut ex oraculo, quod Deus pro peccatis pœnam satisfactoriam requirit, Aliam scilicet, quam crucem Euangelicam (id est, ieiunia, labores, uigilias) aliam quam castigatoriam, non enim has intelligunt, quia has remitti nisi à Deo non possunt negare.

Crux Euangelica.

Secundo huic monstro addunt maius, scilicet quod Canones declarent impositam, ergo Papa non habet, nisi declarare, nunquam autem imponere, nec relaxare, alioqui contra uerbum Christi, hi sic docebunt nos, Quicquid ergo ligauero tu solues.

CONCLVSIO XXXVII.

Quilibet Christianus uerus, siue uiuus siue mortuus, habet participationem omnium bonorum Christi & Ecclesiæ, etiam sine literis ueniarum, a Deo sibi datam.

Esse christianum.

IMpossibile est esse Christianum, quin Christum habeat. Quod si Christum, & omnia simul quæ Christi. Dicit enim B. Apostolus Roma. 13. Induimini Dominum Ihesum Christum. Et Rom. 8. Quo modo non omnia nobis cum illo donauit? Et 1. Corinth. 3. Omnia uestra, siue Cephas, siue Paulus, siue uita, siue mors. Et 1. Corinth. 12. Non estis uestri, sed membra

Roma. 13. Roma. 8. 1. Cor. 3. 1. Cor. 12.

membra de membro. Et alijs locis, ubi describit unum corpus, unum panem, nos omnes esse in Christo singulos, alterum alterius membra. Et in Canti. Dilectus meus mihi, & ego illi, Quia per fidem Christi efficitur Christianus unus spiritus, & unum cum Christo. Erunt enim duo in carne una. Quod sacramentum magnum est in Christo & Ecclesia.

1. Cor. 10 · Cant. 2. · Ephe. 5.

Cum ergo spiritus Christi sit in Christianis, per quem fratres, cohæredes, concorporales, & ciues fiunt Christi, quomodo ibi possit non esse participatio omnium bonorum Christi? nam & Christus ex eodem spiritu habet omnia sua. Ita fit, per inæstimabiles diuitias misericordiarum Dei patris, ut Christianus possit gloriari, & cum fiducia præsumere in Christo omnia, scilicet quod iusticia, uirtus, patientia, humilitas, omnia merita Christi, sint etiam sua, per unitatem spiritus ex fide in illum. Rursum, omnia peccata sua, iam non sint sua, sed Christi, per eandem unitatem, in quo & absorbentur omnia. Et hæc est fiducia Christianorum, & iucunditas conscientiæ nostræ, quod per fidem fiunt peccata nostra, non nostra, sed Christi, in quem Deus posuit peccata omnium nostrum, & ipse tulit peccata nostra. Ipse agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Rursum omnis iusticia Christi fit nostra, Imponit enim manum suam super nos, & bene habemus, & extendit pallium suum, & operit nos, benedictus Saluator in secula, Amen.

Spiritus Christi. · Fiducia Christiani. · Esa. 53.

Verum quando hæc participatio suauissima & iucunda permutatio non fit nisi per fidem, hanc autem homo nec dare nec auferre possit, satis clarum puto, quod uirtute clauium uel beneficio uenialium literarum hæc participatio non datur, sed potius ante & sine illis datur à solo Deo, sicut remissio ante remissionem, absolutio ante absolutionem, ita participatio ante participationem.

Quid ergo participat Papa sua participatione? Respondeo: Illi dicerent, ut supra de remissione dictum est, Conclu. vi. quod declaratiue participat. Nam quomodo possint aliter dicere, non intelligere me confiteor. Meum sensum sequente ponam Conclusione.

CONCLVSIO XXXVIII.

Remissio tamen & participatio Papæ, nullo modo est contemnenda, quia (ut dixi) est declaratio remissionis diuinæ.

NON quod necessaria sit illa declaratio, quæ in literis publicis fit Indulgentiarum (sufficit enim ea quæ fit in priuata confessione) sed quod non sit contemnenda, quia per eam etiam Ecclesiæ nota fit, & approbatur, priuatim facta declaratio. Sic enim ego intlleigendum puto. Qui habet meliora, dicat ea, Non enim, quid alias illa participatio publica faciat, uideo. Verum, licet hanc conclusionem ab omnibus (ut puto) acceptam, non negem, dixi tamen supra conclusione vi. mihi non placere hunc modum loquendi, quod Papa nihil aliud faciat, quam quod declaret aut approbet remissionem diuinam, seu participationem. Nam id primo nimis uiles reddit Ecclesiæ claues, imo uerbum Christi facit irritum quodammodo, ubi dixit: Quodcunq; &c. Declaratio enim nimis modicum est.

Secundo, Quia incerta erunt omnia ei, cui fit declaratio, licet alijs seu Ecclesiæ foris in facie certa fiat illius remissio & reconciliatio. Quare sicut superius de remissione culpæ, ita de participatione bonorum uolo opinari, donec erudiar melius, uidelicet, Quod sicut peccator post peccatum difficilime confidit in misericordiam Dei, adeo urget ad desperationem peccatum onere suo grauissimum, multoq; facilius iram, quam misericordiã Dei cogitat, sicut ante peccatum facilius misericordiam quam iram cogitat.

Opinio Lutheri.

 Omnia

Omnia enim peruerse agit homo, timens, ubi non est timendum, sed sperandum, scilicet post peccatum. Præsumens, ubi non est præsumendum, sed timendum, scilicet ante peccatum.

Resurrectio Christi

Cuius rei exemplum abunde ostensum est in resurrectione Christi, ubi multis argumentis opus fuit, ut sese in cordibus discipulorum resuscitaret. Denique prima annunciatio fuit muliebris, & delyramentis ab illis comparata. Ita & peccatori prima fiducia apparet mollis, & cui non, uel uix credendum putet. Ita multo difficilius est confidere, sese esse participem Christi bonorum (id est, inenarrabilium bonorum, ut sit particeps diuinæ naturæ, ut ait S. Petrus) Magnitudo bonorum etiam operatur diffidentiam, uidelicet, non solum esse remissa tanta mala, uerum & collata tanta bona, ut sit filius Dei, hæres regni, frater Christi, socius angelorum, Dominus mundi. Obsecro, quomodo hæc uera potest credere, qui peccati sui morsu, imo pondere fessus trahitur ad inferos.

Magnitudo bonorũ operatur diffidentiam. — *2. Pet. 1.*

Iudicium clauis.

Hic itaque necessarium est iudicium clauis, ut homo sibi non credat, credat autem potius claui, id est, sacerdoti. Atque nihil curo, si etiam sit forte indoctus clauiger aut leuis. Nam non propter sacerdotem, nec potestatem eius, sed propter uerbum eius, qui dixit, & non mentitur: Quodcunque solueris &c. In his enim qui credunt in uerbum istud, non potest clauis errare. Errat uero in his solis, qui non credunt absolutionem istam ualere. Nam finge (per impossibile uel contingens) si quis non sit, uel non putet sese satis contritum, & tamen absoluenti, tota fiducia credat sese absolutum (fiducia mea sic opinor) hæc ipsa fides eum facit absolutum uerissime, quia credit in eum, qui dixit: Quodcunque &c. Fides autem Christi semper iustificat, non secus quam si baptizet te ineptus, leuis, imperitus sacerdos.

In quibus clauis Christi erret, & non erret.

Adde, si etiam non putes te satis contritum (tibi enim non potes nec debes confidere) nihilominus, si credis ei, qui dixit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic saluus erit, dico tibi, hæc fides eius uerbi facit te uerissime baptizari, quicquid sit de contritione tua, ideo fide ubique opus est. Tantum habes, quantum credis. Atque sic intelligo quod nostri Doctores dicunt, Sacramenta esse efficatia gratiæ signa, non quia fit (ut B. Augustinus) sed quia creditur, ut supra. Ita hic, Absolutio est efficax, non quia fit, à quocunque tandem fiat, erret siue non erret, sed quia creditur. Nec hanc fidem potest reseruatio casuum impedire, nisi esset manifesta & contempta.

Sacramenta. Absolutio quando efficax.

Proinde dico, Homo quando in peccato est, ita uexatur & agitatur conscientia eius, ut suo sensu potius participationem omnium malorum sese credat habere. Et talis homo certe proximus est iustificationi, & habet initium gratiæ. Ideo ei confugiendum est ad solacium clauium, ut arbitrio sacerdotis quietetur, & pacem obtineat, atque fiduciam consequatur participationis omnium bonorum Christi & Ecclesiæ. Quod si quis hanc participationem officio sacerdotis sibi factam, non crediderit, aut dubitauerit, non errore clauis, sed suæ infidelitatis seducitur, & magno damno suam animam afficit, & Deo uerboque eius iniuriam atque summam irreuerentiam facit. Ideo multo melius est ut non adeat ad absolutionem, si non credat sese absolui, quam si sine fide accedat. Ficte enim accedit & iudicium sibi accipit, non secus, quam si baptismum uel sacramentum panis ficte acceperit. Proinde non adeo est necessaria contritio, quam fides. Incomparabiliter enim plus ibi consequitur fides absolutionis, quam feruor contritionis.

Solatium clauium.

Fides. Contritio.

Et hac fide omissa, nos plurimi solum in formandis contritionibus laboramus, ut doceamus homines tunc confidere remissa peccata, quando senserint sese esse perfecte contritos (id est, nondum confidere, sed magis ad de-

Informatores contritionis.

gis ad desperationem laborare) cum secundum Prophetam, non in nostram
Psal. 119. contritionem, sed in uerbum eius sit sperandum. Neq; enim dixit: Memor esto contritionis meæ seruo tuo, in qua mihi spem dedisti, sed memor esto uerbi tui, in quo mihi spem dedisti. Et iterum: In uerbum tuum (non utiq;
Psal. 130. in opus nostrum) supersperaui. Et iterum: Sustinuit anima mea in uerbo
Psal. 51. eius, sperauit anima mea in Domino. Et ut Psalm. 51. in Ebræo est: Tibi soli peccaui, propterea iustificabis uerbo tuo. Igitur nec sacramentum, nec sacerdos, sed fides uerbi Christi, per sacerdotem & officium eius tete iustificat. Quid ad te, si Dominus per asinum uel asinam loquatur, dummodo tu uerbum eius audias, in quo speres atq; credas?

Fides uerbi Christi.

Sic intelligerem illud, quod nostri doctores Scholastici dicunt, sacramenta Ecclesiæ esse in exercitationem nobis data, hoc est, tanquam inæstimabilia dona, in quibus occasionē habeamus credendi et iustificandi. Nam
1. Sam. 3. olim erat sermo Domini preciosus tempore Saulis, Nunc uero etiam per leuissimos, pessimos, indoctissimos homines suum uerbum tibi sonat, Tu in uerbum intende, & mitte laruam personæ, Erret, non erret ille, tu non erras, si credideris. Hic si erro & desipio, reuocet me qui sapit.

Scholastici Doctores.

Consequens ex his erit, ut tres illæ ueritates Iohannis Gersonis iam diu in omnes libros & aures transfusæ, prudenter intelligendæ sint, puta quod non ideo confidat sese homo esse in statu salutis, quia potest dicere, se dolere de peccatis, Sed multo magis id aduertat, si sic optet sacramentum absolutionis, ut credat, si per ipsum fuerit assecutus, sese absolui. Hoc enim est sacramentum in uoto suscipere, id est, in fide uerbi uel præsentis uel desiderati auditus. Caue ergo, ne quando in tuam contritionem ullo modo confidas, sed in nudissimum uerbum optimi & fidelissimi tui Saluatoris Ihesu Christi, Cor tuum fallet te, ille te non fallet, uel habitus uel desideratus.

Tres ueritates Iohannis Gersonis.

Mich. 2. Quæ si ita sunt (det Dominus Deus, ut cum Propheta Michea sim uir non habens spiritum, ac mendacium potius loquar) timendum est, multas animas perdi per indoctissimos illos operum & contritionis bouinatores. Primum, quod fidem uerbi non docent, sed contritionem duntaxat, atq; hanc tenuiter satis. Secundo, quod facilimi sunt absolutiones impendere & participationes eiusmodi, quasi sit passim omnium, istam fidem habere, neque discutiunt, quem aut quare absoluant.

Itaq; non tam necessarium est absoluendo dicere, doles, quam illud, credis tete absolui à me posse, sicut Christus ait ad cæcos: Creditis me posse
Matt. 9. hæc uobis facere? Credenti omnia possibilia sunt. Hæc enim fides certe in illis maxime probatur, qui tremore conscientiæ agitati, potius sese diffidere sentiunt. Illis uero qui talem miseriam non sentiunt, nescio an sint claues illæ consolatoriæ, cum consolari non mereantur, nisi qui lugent, nec animari ad fidem remissionis, nisi qui trepidat diffidentia retentionis.

Atq; ut finem tandem faciam, Hæc sententia mea, credo, potestatem clauis non minuit, ut mihi impingitur, sed à falso honore & tyrannica reuerentia in sibi debitam & amabilem reuerentiam reducit. Non enim est mirum, si claues contemptui fiant, si falsis honoribus, id est, terroribus tantummodo offerantur suscipiendæ. Cum cognita earum saluberrima commoditate, saxum sit, aut lignum, qui non cum lachrymis eas exosculetur & amplectatur.

Clauium contemptus unde.

Quid ergo Pontificem propter eas magnificamus, & hominem terribilem fingimus? Non illius sunt claues, meæ potius sunt, mihi donatæ, meę saluti, meæ consolationi, paci & quieti concessæ. Pontifex seruus est & minister meus in clauibus, ipse non eget illis ut Pontifex, sed ego. Adulatores uero omnia Pontificibus inflectunt, non nostram consolationem, sed illorum

Adulatores indulgentiarij.

illorum tantummodo potentiam in illis iactitant, & per ea ipsa nos terrent, per quæ nos maxime oportuit consolari, adeo sunt hodie omnia peruersa, Et adhuc non putamus infœlicia esse tempora, in quibus tantus est abusus optimarum rerum in pessimas res nobis uersarum. Itaq; istam Conclusionem, ut iacet, non omnino teneo, sed ex magna parte nego.

CONCLVSIO XXXIX.

Difficilimum est etiam doctissimis Theologis, simul extollere ueniarum largitatem, & contritionis ueritatem coram populo.

Ratio huius est sequens conclusio.

CONCLVSIO XL.

Contritionis ueritas pœnas quærit & amat, Veniarum autem largitas odisse facit, saltem occasione.

DA uerum pœnitentem, & uidebis eum tam ardenter in se ipso quærere ultionem offensionis diuinæ, ut cogat te sui misereri, imo ut necessarium sit ei resistere, ne destruat sese, ut sæpe legimus & uidimus contigisse. Et B. Hieronymus talem scribit suam Paulam fuisse, & ipsemet de seipso. Nihil istis est satis pœnarum. Quin cum filio prodigo inuocant cœlum & terram, & Deum ipsum contra seipsos, Sicut & Dauid, quando dixit: Vertatur obsecro gladius tuus in me & in domum patris mei. Recte ergo me puto dixisse, pœnitentias canonicas his tantum impositas, qui uel nollent meliora facere, ut pigri uel certe ut explorarentur de ueritate contritionis suæ.

Hieronymus. Paula. — *Luc. 15. 2. Sa. 24.* — *Canonicæ pœnæ.*

Patet itaq; quam difficile saltem doctis, inter odium & amorem pœnarum medios ire, ut sic doceant odium earum, ut tamen maxime persuadeant amorem earum. Indoctis uero, cum sit nihil difficile, nihil obstat, quin & hoc sit facile. Euangelium quidem docet pœnas non fugere, nec relaxare, sed quærere & amare, quia docet spiritum libertatis & timoris Dei usq; ad contemptum omnium pœnarum. At multo lucrosius est, & expedit capsis quæstorum, ut populus timeat pœnas, & spiritum mundi atq; timoris in litera & seruitute hauriat, dum audit esse tam horribilem rem, pœnas quasdam canonicas, ut non nisi tanto studio, tanto impendio, tanta pompa, tantis ceremonijs doceantur uitari, quantis nec Euangelium docetur amari.

Odium & amor pœnarum. Indoctis nihil difficile.

Obijcitur.

QVid ergo dicis de peregrinantibus Romam, Ierusalem, S. Iacobum, Aquisgranum, Treuerim, multasq; alias regiones & loca, causa Indulgentiarum; Item in dedicationibus Ecclesiarum?

Respondeo.

Quatuor causæ peregrinationum.

1. Peregrinationes istæ fiunt multis causis, rarissime iustis. Prima est omnium communissima, curiositas scilicet uiuendi & audiendi aliena & ignota, quæ leuitas uenit de fastidio & acidia cultus Dei, in Ecclesia propria neglecti. Alioqui incomparabiliter meliores Indulgentias domi inueniret, quam in omnibus iam dictis locis simul sumptis, similiter & Christũ & Sanctos præsentius haberet, si non tam stultus esset, ut ligna & lapides præferret pauperibus & proximis suis, quibus in charitate seruiret, aut etiam suæ familiæ prouideret.

2. Altera est tolerabilis, scilicet causa Indulgentiarum. Nam cum Indulgentiæ sint liberæ, non præceptæ, ac per hoc nullius meriti, nihil prorsus

meretur

meretur, qui præcise propter Indulgentias peregrinatur. Iuste autem illi sic illuduntur, qui domi Christum & proximum negligunt, ut foris decuplo plus consumant sine fructu & merito. Ideo qui domi maneret & illud cogitaret: Charitas operit multitudinem peccatorum. Et illud: Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda uobis, longe melius, imo solum hic bene ageret, quam si omnes uenias in Ierusalem & Roma afferret. Sed non placet adeo recte sapere, ideo tradimur & in desideria nostra.

1. Pet. 4. Luc. 11.

Tertia est causa afflictionis & laboris pro peccato, quam credo raro contingere saltem solam. Nam & domi posset sese affligere & laborare, si laborem tantummodo quæreret. Si tamen facit, nõ est malum, imo bonum. 3.

Quarta, honesta, si fiat singulari deuotione pro honore Sanctorum & gloria Dei, ac suo profectu, sicut S. Lucia ad B. Agatham, & quidam sancti Patres Romam uisitarunt, quod non fecerint curiositate, exitus probauit. Proinde mihi placet in istis facultatibus, quod etiam uota talium peregrinationum commutentur in alia opera, Atque utinam gratis commutarentur. 4.

Lucia. Agatha.

CONCLVSIO XLI.

Caute sunt ueniæ Apostolicæ prædicandæ, ne populus false intelligat eas præferri, cæteris bonis operibus charitatis.

EGo sic dicerem ad populum: Ecce fratres, scire uos oportet, quod triplex est genus bonorum operum, quod expensionibus pecuniæ fieri potest. Primum & ante omnia, Si quis pauperibus donet, aut proximo egenti mutuet, & omnino in quacunque necessitate laboranti subueniat. Hoc opus sic est agendum, ut etiam intermittendæ sint structuræ Ecclesiarum, & omittendæ oblationes ad uasa & ornamenta Ecclesiarum. Postquam hoc fuerit factum, & non restat qui egeat, Tum secundum erit, nostras & in nostris terris Ecclesias & hospitalia, & publicæ utilitatis structuras primum iuuare. Postquam autem id fuerit factum, tum demum, si placet, potestis & pro Indulgentijs redimendis tertio loco dare. Quia in primo est mandatum Christi, in nouissimo illo nullum mandatum.

Triplex bonorum operum genus, quæ largiendo fiunt.

Si dixeris: Ista prædicatione parum colligetur pecuniarum per Indulgentias. Respondeo: Credo. Sed quid hoc mirum, cum Pontifices per Indulgentias non quærant pecunias, sed salutem animarum, ut patet in his, quas dant in consecrationibus Ecclesiarum & altarium. Ideo non uolunt per suas uenias impedire meliora, sed promouere potius charitatem.

Ego libere dico, quod qui aliter docet populum, & hunc ordinem peruertit, non doctor, se seductor populi est, nisi quod populus propter peccata sua meretur, aliquando non audire ueritatem recte prædicari.

CONCLVSIO XLII.

DOCendi sunt Christiani, quod Papæ mens non est, redemptionem ueniarum ulla ex parte comparandam esse operibus misericordiæ.

PApam intelligo, ut supra dixi, prout sonat personam publicam, id est, ut per Canones nobis loquitur. Non enim sunt Canones, qui prædicent ueniarum dignitatem comparari operibus misericordiæ.

Papa.

Patet autem Conclusio, Quia præceptum Dei infinita dignitate præstat, eo quod per hominem quoque permittitur, ac nullo modo præcipitur, cum illic sit meritum, hic nullum.

Dei præceptum. Hominis præceptum.

Hic ob-

Hic obijcitur.

At ueniæ redimuntur per pium opus, puto contributionem ad fabricam, uel captiuorum redemptionem, ergo sunt meritoriæ. Respondeo: Non loquor de opere, sed de uenijs. Nam opus illud poterat fieri sine uenijs, non enim alligatur necessario uenijs. Veniæ autem sine opere concessæ nihil conferunt, sed tantummodo auferunt. Opus autem sine uenijs confert, quia illic nostra recipimus, hic damus. Et ideo illic carni, hic seruitur spiritui. Et breuiter illic naturæ, hic satisfit gratiæ. Quare ueniæ seorsum sumptæ non sunt comparabiles ad opus misericordiæ.

Item opus sine uenijs purius est, quam cum uenijs, & ueniæ sunt operis aliquod uicium, quia recipit mercedem suam, imo plus quam mercedem suam. Sanctius itaq; agerent, si nude contribuerent, & non propter uenias. Abusus ueniarum. Non quod ueniæ sint malæ & noxiæ; sed quod abusus peruersus nocet, dum tale opus non facerent, nisi ueniæ essent, ac sic finis operis huiusmodi fit uenia, imo ipse homo, qui quærit quæ sua sunt, dum deberet opus propter Deum & gratis facere, & uenias non aliter acceptare, quam gratis sibi, non propter contributionem datas, ut sic illi uenias non emant, nec isti uendant. Simonia. Oportet enim utrobiq; esse gratuitam donationem, uel erit manifesta simonia, & uenditio turpissima. Sed quis hæc populo dicit, quando dicitur: Impone gratis, & ego concedo gratis?

Idolatria. Item, timendum ne per illam ordinis peruersitatem magna in Ecclesia alatur idolatria. Quia si populus doceatur propter pœnarum euasionem contribuere (quod spero non fiat, & si multi forte sic intelligant) tunc clarum est, quod non propter Deum contribuunt, & erit timor pœnarum, seu pœna idolum eorum, cui sic sacrificant, Quod si ita fieret, tale aliquod malum ageretur in Ecclesia, quasi olim in Romanis gentilibus agebatur, quan- Noxia Numina. do febri & alijs læuis & noxijs Numinibus seruiebant, ne læderentur. Ideo hic uigilandum pro populo, & tam dubia atq; periculosa negocia uix doctissimis commitenda.

CONCLVSIO XLIII.

Docendi sunt Christiani, quod dans pauperi, aut mutuans egenti, melius facit, quam si uenias redimeret.

HANC sic pono propter rudes. Nam satis ex prædictis patuit. Hanc autem Conclusionem cum duabus præcedentibus & sequentibus, non ego primus aut solus, sed omnes & tota Ecclesia tenet, nisi quod Populus. solus populus hæc nunquam audit, forte timetur, ne nimis cito intelligeret tam apertam & solidam ueritatem. Bonauentura. Nam & S. Bonauentura & cæteri omnes, quando in hac materia agentes, sibijpsis opponerent, ergo omittenda Opera charitatis meliora Indulgentijs. sunt reliqua bona opera. Respondent unanimiter, nequaquam. Quia cætera bona opera sunt meliora, quo ad præmium essentiale obtinendum. Patet ergo Conclusio, cum hoc illi dicant, qui tamen asserunt Indulgentias esse thesaurum meritorum Christi & Ecclesiæ.

CONCLVSIO LXIIII.

Quia per opus charitatis crescit charitas, & fit homo melior, Sed per uenias non fit melior, sed tantummodo a pœna liberior.

PAtet, Quia solum remissio pœnarum ibi datur, nec Indulgentiæ plus ualent, ut etiam omnes concedunt, quam ut tollant pœnas, At ablatio pœnæ non facit bonum, siue meliorem in charitate.

CON-

CONCLVSIO XLV.

Docendi sunt Christiani, quod qui uidet egenum, & neglecto eo dat pro uenijs, non Indulgentias Papæ, sed indignationem Dei sibi uendicat.

1. Iohan. 3. QVia peruertit ordinem supra positum, & contra id agit Iohannis: Si quis uiderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo manet in eo charitas Dei? Hanc autem necessitatem nostri Sophistæ interpretantur extremam, scilicet, ut charitati nunquam uel rarissime locum faciant operandi, cum tamen ipsi, si in necessitate essent non extrema, sed prima, uellent sese iuuari, alios uero uolunt iuuare, cum iam exhalarint spiritum. Optimi sane Theologi & Christiani, qui faciunt hoc hominibus, quod sibi uellent fieri. *Sophistæ Theologi.*

CONCLVSIO XLVI.

Docendi sunt Christiani, quod redemptio ueniarum est libera non præcepta.

SAtis id supra dixi, quod ueniæ sunt de numero eorum, quæ licent, non autem eorum, quæ expediunt, quomodo in ueteri lege libellus repudij, sacrificium zelotypiæ, Et in noua lege lites & iudicia propter infirmos, imo propter duriciam uestram, inquit Christus, Quæ quicunque egerit toleratur potius, quam commendatur, Imo ut glossa dicit lib. 5. de pe. & re. Quod autem, & multi alij, melius facerent, ut per se satisfacerent, & non redimerent uenias, quas tamen non nisi criminosi redimere opus habent. *Deute. 5.* *Veniæ sunt permissæ, non præceptæ.*

CONCLVSIO XLVII.

Docendi sunt Christiani, quod nisi superfluis abundent, necessaria tenentur domi suæ retinere, & nequaquam pro uenijs effundere.

1. Tim. 5. QVia Aposto. dicit, Qui suis & maxime domesticis non prouidet, fidem negauit, & est infideli deterior. Sed sunt multi, qui nec panem, nec uestem commode habent, & tamen crepitu & strepitu uenialium prædicatorum inducti seipsos fraudant, & inopiam suam conficiunt, ut illorum copiam augeant.

CONCLVSIO XLVIII.

Docendi sunt Christiani, quod Papa, sicut magis eget, ita magis optat in uenijs dandis, pro se deuotā orationem, quam promptam pecuniam.

HANC Conclusionem riderent domini nostri Curtesani Romanæ curiæ conscij. Certum tamen est, quod ante omnia debet Pontifex à suis subditis optare orationem, sicut & S. Paulus sæpius à suis optauit. Et hæc est multo iustior ueniarum dandarum causa, quam si mille struerentur Basilicæ, eo quod summus Pontifex tot monstris dæmonum & impiorum hominum obsessus magis quam stipatus, non possit errare, nisi cum totius Ecclesiæ maximo malo, tunc maxime, si libenter audierit hanc pestilentem Syrenarum suarum uocem: Non præsumitur tantę celsitudinis Apex errare. Item & illam: Omnia iura positiua sunt in scrinio pectoris sui. Non præsumitur quidem errare, sed an bona sit illa præsumptio, quæritur. Et sunt quidem in scrinio pectoris eius omnia iura sua, sed an pectus eius bonum sit, quæritur, id enim oratione curandū est. Sed de hac re omnium pulcherrime B. Bernhardus ad Eugenium Papam, de Consideratione. *Pro se suorum deprecationem optet Pontifex.* *Pontifex.* *Adulatores Papæ.* *Bernhardus ad Eugenium.*

CONCLVSIO XLIX.

Docendi sunt Christiani, quod ueniæ Papæ sunt utiles, si non in eas confidant, Sed nocentissimæ, si timorem Dei per eas amittant.

Veniæ ex Deo nõ sunt, quia aduersus ueritatem crucis.

VIde itaq; periculum, Populo ueniæ prædicantur directe aduersus ueritatem crucis & timoris Dei, Quia permittitur libertas eorum à pœnis, deinde securitas remissorum peccatorum. Et euidens signum uidetur, uenias tali iactantia prædicatas non esse ex Deo, quod populus pronius accurrit, acceptat, obseruat, quam ipsum sanctum Euangelium Dei, ut probetur ueritas, Quia quod ex Deo uenit, fastidit mundus, alius uenit in nomine suo, & hunc suscipit. Et erroris causa sunt ipsi fabularum talium magistri, qui sedulius & pomposius, quam Euangelium, eas prædicant, tum quod omnibus prædicant, quæ paucorum sunt. Nam ut supra satis patuit, Veniæ sunt relaxationes, licentiæ, permissiones, atq; Indulgentiæ, & ueræ Indulgentiæ (si rigidam uerbi significationem accipimus) id est, molliculæ permissiones delicatorum, frigidorum, durorum Christianorum, id est, Gabaonitarum & Hydrophororum ac seruorum, magis quam Israelitarum principum atq; filiorum.

Iohan. 5. *Veniæ quid?* *Iudic. 9.*

Probo autem Conclusionem.

SI opera charitatis feruide agentium sunt talia, ut nemo in eis confidere, aut securus esse possit, siquidem & Iob sanctissimus ueretur omnia opera sua. Et: Beatus uir qui timet Dominum. Item: Beatus uir qui semper est pauidus. Quanto magis ueniæ incomparabiliter inferiores talibus operibus, plus quam cum timore suscipiendæ, & minus quam fiduciam minimam, id est, nullam prorsus debemus habere. Sanctus timet, ne minus operetur, aut patiatur quam debet. Et ubi peccator erit, cui remittitur, ut minus agat, quam agere possit? Et quantum nostros uaniloquos, & mentium corruptores intelligo, faciunt nobis ex negocio Indulgentiarum, negocium perambulans in tenebris, & operationem erroris, dum per illas hominibus fiduciam suadent omnibus, quæ tamen paucis conueniunt, & his (ut dixi) frigidis ac infirmis. Vide, ne exinde factum sit, magistro sancto Spiritu, ut proprio eorum testimonio appellent, Negocium S. Petri, negocium sancti Spiritus, quasi ipsimet confiteantur, negociatores sese esse & Simonenses nundinas habere.

Iob. 9. *Mentium corruptores. Tit. 1.* *Simonenses nundinæ.*

Quod autem dixi, sunt utiles intelligo, non omnibus, imo ueteri homini, & stertentibus operarijs, eo quod melius sit illis eas remitti pœnas, quam ut ferrent inuite, ueruntamen ista uoluntate eis permissa, propter maius malum uitandum, non debent secure frui, neq; in ea confidere, sed eo magis dolere & timere, quod tales sunt, qui egent propter maius malum in minore malo relinqui, Quando uiderunt etiam eos timere, qui feruentissime in bono proficiunt, ideo dixi esse nocentissimas, si sine timore de tali licentia gaudeant.

Veniæ quibus utiles.

CONCLVSIO L.

Docendi sunt Christiani, quod si Papa nosset exactiones uenialium Prædicatorum, mallet Basilicam S. Petri in cineres ire, quam ædificari, cute, carnibus & ossibus ouium suarum:

Indulgentiarij.

SIC enim nostri Venatores robustissimi, postquam omni Christianæ uitæ ordini statum pecuniæ numerum indixissent, tandem & uxores mendicare docent, etiam inuito uiro, & Fratres mendicantes, etiam inuitis Præ-

uitis Prælatis suis, alicunde corradere, ut omnino nullus sit, qui residuum obuli habet, quin huc tribuat. Denique factum est, ut tunicas etiam uendere hortentur, aut undecunque mutuare, quod & factum dicitur. *Fratres mendicantes.*

Ego uero sapio, quod cum Indulgentię sint uilissimum bonum omniū bonorum Ecclesiæ, nec nisi uilissimis Ecclesiæ donandum, Deinde nec meritorium, nec utile, sed plerunque nocentissimum, si non sint timorati, quod maledictione digna sit talis doctrina, & contra mandata Dei. Vxor enim debet sub uiri potestate esse, & eo inuito nihil facere, etiamsi esset meritorium, multo minus mendicare pro uenijs sibi non necessarijs forte. Tum Religiosi suam obedientiam seruare, etiam si possent alibi martyrio coronari, nec Papa unquam intendit contrarium, sed falsi interpretes illius. Alius uomat stomachum, ego me cohibeo, unum dico, hinc saltem intellige Lector, an non suis prædicationibus pestilentibus id agant, ut populum credere faciant, quasi sit salus in uenijs, & uera Dei gratia, alioqui quomodo tam anxie eas commendarent, ut opera meritoria, & mandata Dei propter illas irrita facerent? Adhuc tamen sunt adeo non hæretici, ut glorientur se hæreticorum persecutores. *Hæreticorum persecutores illi.*

Ioh. 10. Hoc scilicet uoluit Papa, ut homines suæ curæ commissi, propter lapides & ligna usque ad uiuam cutem radantur? imo ut pestilentibus doctrinis ab istis latronibus & furibus (ut Christus ait) mactentur & perdantur. Melius erat Cæsarem illum habere, qui dixit, Boni pastoris esse oues tondere, non deglubere. At hi non deglubunt modo, sed deuorant eos corpore & anima, uere sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis &c. *Tiberius Cæsar.* Psal. 5.

CONCLVSIO LI.

Docendi sunt Christiani, quod Papa, sicut debet, ita uellet, etiam uendita (si opus sit) Basilica S. Petri, dare illis, a quorum plurimis quidam Concionatores ueniarum pecunias eliciunt.

SIC B. Ambrosius calices conflauit pro redimendis captiuis. Et B. Paulinus Nolanus seipsum captiuum tradidit pro suis. Et ad hoc ipsum habet aurum Ecclesia, ut est in Decretis ex eodem Ambrosio sumptum. At nunc, bone Deus, quanti sunt, qui ligna, imo folia portant in syluam, & guttulas suas in mare, id est, obulos suos in marsupium illud, cuius (ut Hieronymi uerbis utar) lucrum est totius orbis religio. *Ambrosius. Paulinus. Aurum Ecclesiæ.*

CONCLVSIO LII.

Vana est fiducia salutis per literas ueniarum, etiam si Commissarius, imo ipse Papa, impignoraret animam suam pro illis.

HOC hoc quoque portentum audent sine omni fronte proferre, ut timorem Dei ab hominibus tollant, per Indulgentiasque secum ad indignationem Dei perducant, contra dictum Sap. De peccatorum propiciatu, noli sine metu esse. Et iterum: Delicta quis intelligit? At inquiunt: Non tollimus timorem Dei. Si potest securitas per uenias stare cum timore Dei, uere non tollitis, sed populus acceptis literis, cum tanto iuramenti hiatu commendatis, si timet quod non sufficiunt literę coram Deo, quomodo erit uera, illa gloriosa securitatis promissio? Sin confidit sufficere, quomodo timebit? Infœlix sit omnis ille sermo in æternum, qui securitatem & fiduciam, suadet in aut per rem quamcunque præter nudam misericordiam Dei, quæ Christus est. Omnes sancti non solum timent, sed etiam desperantes dicunt: Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, Et tu eos per literas securos introducis in iudicium eius. Vnde ego illam fabulam, *Eccl. 5.* *Dilemma pulcherrimum.* *Christiana doctrina.* *Psal. 143.* *Fabula.*

 quam

quam quidam in tam effrenes mendacij gurgites finxerunt, non ueritate penitus uacuam credo, scilicet uenisse quendam mortuum cum literis ueniarum ad infernum, per easq; petijsse libertatem, Tunc occurrisse dæmonem, qui legens, inter manus (præ feruore ignis) cæram & papyrum consumpsit, secumq; traxit in profundum.

CONCLVSIO LIII.

Hostes Christi & Papæ sunt, qui propter Venias prædicandas, uerbum Dei in alijs Ecclesijs penitus silere iubent.

Verbum Dei prædicandũ, non ueniæ

QVia officium & mens Papæ est, ut ante omnia semper & ubiq; uelit uerbum Dei prædicari, sicut sibi præceptum esse à Christo nouit. Quomodo ergo credendus est Christo, & sibijpsi repugnare? At nostri id audent sicut & omnia.

CONCLVSIO LIIII.

Iniuria fit uerbo Dei, dum in eodem sermone, æquale uel longius tempus impenditur uenijs, quam illi.

SAtis patet ex dignitate uerbi Dei, imo ex necessitate, cum uerbum ueniarum neque sit necessarium, neque multum utile.

CONCLVSIO LVI.

Mens Papæ necessario est, quod si ueniæ (quod minimum est) una campana, unis pompis, & Ceremonijs celebrantur, Euangelium (quod maximum est) centum campanis, centum pompis, centum Ceremonijs prædicetur.

Euangelium.

QVia nihil in Ecclesia est maiore cura tractandum, quam sanctum Euangelium, cum Ecclesia nihil habeat preciosius & salubrius, Vnde & hoc unicum est opus, quod discipulis suis iniunxit, tam repetitis uicibus. Et Paulus dicit, se non ad baptizandum, sed ad euangelizandum missum. *1. Cor. 1.* Deniq; Christus præcipit sacramentum Eucharistię non celebrari, nisi in suam comemorationem. Et Paulus 1. Corinth. 11. Quotiescunq; *1. Cor. 11.* manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annunciabitis. Melius est enim omittere Sacramentũ, quam Euangelium nõ nunciare.

Missa.

Et Ecclesia statuit Missam sine lectione Euangelij non celebrandam. Plus itaq; ponderat Euangelium, quam Missam Deus, quia sine Euangelio non uiuit homo in spiritu, sine Missa autem uiuit. In omni uerbo enim, quod procedit de ore Dei, uiuet homo, ut latius Iohan. 6. Dominus ipse *Iohan. 6.* docet. Deinde Missa reficit eos, qui iam sunt in corpore Christi, Euangelium uero, gladius spiritus, deuorat carnes, diuidit Behemoth, tollit uasa fortis & auget corpus Ecclesiæ, Missa nulli prodest, nisi iam uiuo, Euangelium prorsus omnibus.

Euangelium.

Energumeni & Catechumeni.

Vnde in primitiua Ecclesia permittebantur Energumeni & Catechumeni usq; post Euangelium interesse, & tum foris mittebantur ab ijs, qui de corpore Missæ erant, & nunc etiam permittunt Iura excommunicatos usq; post Euangelium interesse Missis. Sicut Iohannes præcurrit Christum, ita Euangelium Missam. Euangelium prosternit & humiliat, Missa humiliatis dat gratiam. Melius ergo facerent, si Missam prohiberent.

Quod pulchrum uero dæmonibus spectaculum id esse putas, si quando ueniarum effusores, ipsi maxime uenijs indigi (puta Simoniaci & in Canones lapsi) dant illis, qui prorsus non egent uenijs.

CON.

CONCLVSIO LVI.

Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, neque satis nominati sunt, neque cogniti apud populum Christi.

HAEc est mors secunda, quam merui. Ideo postquam multa iam diu asserui tam manifesta, ut Protestatione non egerent. Nunc rursum aliquando disputandum est, ideoque & protestandum nouissima protestatione in hac disputatione. Disputo ergo hic, & quæro ueritatem, testis Lector, testis Auditor, testis uel ipse hereticæ prauitatis Inquisitor. *Protestatio Lutheri nouissima.*

CONCLVSIO LVII.

Temporales certe non esse patet, quod non tam facile eos profundunt, sed tantummodo colligunt multi Concionatorum.

Satis patet experientia.

CONCLVSIO LVIII.

Nec sunt merita Christi & Sanctorum, quia hæc semper sine Papa operantur gratiam hominis interioris, & crucem, mortem, infernumque exterioris.

HVius Conclusionis materia profunde nimis inhæsit, atque penitus insedit fere omnibus Doctoribus, ideo latius & firmius probanda mihi erit, faciamque id cum fiducia.

De meritis Sanctorum prius. Dicunt enim, quod Sancti in hac uita multa operati fuerunt, ultra debitum, uidelicet opera supererogationis, quæ nondum sunt remunerata, sed in thesaurum Ecclesiæ relicta, quibus fit per Indulgentias aliqua digna compensatio &c. Et sic uolunt Sanctos pro nobis satisfecisse. Contra quæ arguo. *Merita Sanctorũ. Opera supererogationis.*

Primo, Ergo Indulgentiæ non sunt Indulgentiæ, Quod probo, quia non sunt gratuitæ remissiones, sed alienæ satisfactionis applicationes, & per omnia, sicut supra argutum est, de Thesauro militantis Ecclesiæ, scilicet, quod tunc nihil efficitur uirtute Clauium, nisi translatio quædam operum, nihil autem soluitur, quod est contra uerbum Christi: Quodcunque solueris.

Item, Quod tunc idem per Claues agitur, quod de facto fit, Quia si sunt opera Sanctorum in Ecclesia isto modo, certe per Spiritum sanctum non permittuntur ociosa iacere, sed de facto succurrent, quibus possunt.

Secundo, Nulla sunt opera Sanctorum relicta irremunerata, quia secun-
Roma. 8. dum omnes Deus premiat ultra condignum, Et Paulus: Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam &c.

Tertio, Nullus Sanctorum in hac uita sufficienter impleuit mandata Dei, ergo nihil prorsus fecerunt superabundans, Quare nec ad Indulgentias aliquid distribuendum reliquerunt. Consequentiam credo satis claram, Sed maiorem ita probo, ut non sit dubitanda, sed ita credenda, ut eius contraria sit hæretica. *Nullus Sanctorum impleuit legẽ Dei.*

Primo, per illud Christi, Cum feceritis omnia, quæ scripta sunt, dicite: Serui inutiles sumus. Sed seruus inutilis citra, non ultra fecisse intelligitur, nisi forte quorundam insulsissimorum hominum somnia sequamur, qui humilitatis, non ueritatis gratia, hæc dici à suis, Christum uoluisse, garriunt, Christum mendacem facientes, ne ipsi non sint ueraces. *Serui inutiles sumus. Luc. 17.*

Secundo, per illud Matth. 25. Quod sapientes uirgines prorsus nihil uoluerunt communicare de suo oleo, timentes, ne ipsis quoque deficeret. *Sapientes uirgines. Matth. 25.*

Tertio, Paulus 1. Corinth. 3. Vnusquisq; mercedem accipiet secundum suum laborem, non ait, secundum alienum. *1. Cor. 3.*

Quarto, Gala. 6. Vnusquisq; pro se reddet rationem. Et iterum: Vt unusquisq; recipiat, prout gessit in corpore. *Gala. 6.*

Quinto, omnis Sanctus debitor est Dei diligendi, quantum potest, imo ultra quam potest, sed nullus id fecit, nec potuit.

Sexto, Sancti per opus eorum omnium perfectissimum, scilicet, mortem, martyrium, passionem, non faciunt ultra quam debent, imo faciunt quod debent, etiam uix faciunt, Ergo multo minus in alijs operibus, plus fecerunt quam debuerunt.

Septimo, Quod cum tot ego Argumenta producam, illi autem pro sua parte nec unum, sed simplicem narrationem, sine Stripturis, Doctoribus, Rationibus loquentes, possumus, imo debemus ab eorum sententia omnino recedere. Sed hæc sint mea.

Augustinus. NVnc idem probo autoritate S. Patrum, Et primo illud familiare B. Augustini. Omnes Sancti necesse habent orare, Dimitte nobis debita nostra, etiam tunc cum benefecerint, eo quod Christus nullum excepit, quando orare nos docuit, Sed qui confitentur debita, certe non superabundant.

Secundo, per Psal. 31. Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum. Et infra: Pro hac orabit ad te omnis Sanctus. Quam B. Hieronymus dial. contra Pelagian. egregie tractans dicit: Quomodo est Sanctus, si pro impietate sua orat? Rursum: Si est impius, non est Sanctus &c. Itaq; Sancti per orationem & confessionem suę impietatis, merentur sibi non imputari peccatum. *Psal. 31.* *Hieronymus.*

Augustinus. Tertio, B. Augustinus lib. 1. retract. Omnia mandata implentur, quando quicquid non impletur, ignoscitur. Tractat enim ibidem quæstionem: An Sancti impleuerint mandata perfecte, Et negat, dicens, quod magis ignoscente Deo, quam implente homine.

Sancti indigent misericordia Dei. Quarto, idem Confess. 9. Væ hominum uitæ quantumcunq; laudabili, si remota misericordia iudicetur. Ecce etiam Sancti indigent misericordia in tota uita sua. Ad quod illud Iob. Si etiam iustum quippiam habuero, iudicem meum deprecabor. Quomodo ergo superfluunt alijs, qui sibi non sufficiunt? *Iob. 9.*

Theologi uetusti. Quinto B. Augustinus lib. 2. aduersus Iulianum inducit decem antiquos patres Ecclesiasticos, puta Hilarium, Cyprianum, Gregorium Nazan. Iohan. Chrysostomum, Ambrosium, Hirenæum, Olympum, Rethicium, Innocentium, in eandem sententiam, & illorum autoritate nititur. Probans nullum Sanctum in hac uita sine peccato esse, secundum illud 1. Iohan. 1. Si dixerimus, quia peccatum nō habemus &c. Et in de natura & gratia idem. *1. Ioh. 1.*

Ex quibus & multis alijs, quæ longum esset hic narrare, concludo, Merita Sanctorum nulla esse superflua sibi, quæ nobis ociosis succurrant.

Pia audacia Lutheri. Et ut aliquando audax sim, ea quæ iam dixi, protestor, me non dubitare, sed paratus sum ignem & mortem suscipere pro illis, & Hæreticum asseram omnem, qui contra sapuerit.

TAmen per impossibile admittendo, quod uere superfluerent merita Sanctis, Nescio, si satis dignum opus fieret ab Ecclesia, ut tam præciosa merita, tam uiliter expenderet, scilicet pro solutione pœnarum, Cum solutio pœnæ, sit uilissimum donum Ecclesiæ, & uilissimis donabile, ut iam sæpe dictum. Martyrum autem & Sanctorum pœnæ debent esse potius exemplum ferendarum pœnarum. Sic enim oramus: Quorum festa colimus, uirtutem quoq; passionis imitemur. *Sanctorum pœnæ.*

Item, nec

Item, nec Ecclesia mater, tunc uidetur pie agere, quando relaxat, sed quando castigat & coercet, Vt patet in excommunicationibus & censuris, quas pœnas utiq; non relaxat, sed potius infert, tunc maxime, quando fuerit maxime sollicita pro filijs suis. Si autem relaxat, quasi desperans hoc facit, timens peiora euenire. *Ecclesia pœnas infert, non relaxat.*

Igitur cum sint pœnarum remissiones, tam uile donum, & sola potestas clauium ibi satis sit, uideretur certe nõ parua irreuerentia fieri tam egregijs laboribus Sanctorum, si stertentibus impartirentur. Multo melius B. Augustinus in ser. de Marty. Solennitates martyrũ (nõ remissiones) sed exhortationes martyriorũ sunt, ut imitari non pigeat, quod celebrare delectat. *Remißiones pœnarum.* *Solennitates Martyrum.*

Probata est itaq; ista pars, quod merita Sanctorum non possint esse thesaurus nobis, cum sint penuria ipsismet Sanctis, Nisi quis sic putet, ea nobis esse thesaurum, non quia superfluunt, sed quia est communio Sanctorũ, quod quilibet pro altero laborat, sicut membrum pro membro. Sed hoc fecerunt in uita, & si nunc facerent, intercessione potius quam potestate clauis id fieret. *Communio Sanctorum.*

Sed hic à longe audio quorundam acutum argumentum, Verum est, inquiunt, Sancti non fuerunt sine peccato in hac uita, sed ueniali, nihilominus plura potuerunt facere quam debuerunt. Cum istis quidem obtusissimis ingenijs difficile est agere in hac re. Tamen breuiter dico, Id esse ueniale peccatum, quia minus faciunt quam debent, non autem id quod ipsi fingunt solum ueniale peccatum, scilicet risum, uerbum leue, cogitationem. Est quidem hoc ueniale peccatum, sed magnum ueniale. Verum etiam opus bonum optime factum, est ueniale peccatum, ut ex B. Augustino supra. Tunc mandata complentur, quando quicquid per nos non impletur, ignoscitur, quod in omni opere bono fit, semper enim ibi uenia petenda est, secundum orationem dominicam. Sed hæc aliam disputationẽ requirunt, de quo alias. Inde S. Bonauentura, Cum asseruisset hominem posse sine ueniali peccato esse, utiq; defecit sanctus homo. *Veniale peccatum.* *Augustini dictum.* *Bonaduenturæ lapsus.*

De secundo, scilicet merito Christi.

HOC non esse Thesaurum Indulgentiarum, disputo, Esse autem thesaurum Ecclesiæ, hæreticus negat, Siquidem Christus est precium mundi, & redemptor, & ideo uerissime & solus unicus Ecclesiæ thesaurus. Sed quod sit thesaurus Indulgentiarum, nego, donec docear, & causa negandi est. *Meritũ Christi nõ est thesaurus indulgentiarum.*

PRima, Quia nullis (ut iam sæpe dixi) Scripturis id probari, nec Rationibus ostendi potest. Nec ipsi, qui hoc tenent, probant, sed simpliciter narrant, ut omnibus notum est.

Dixi autem prius, quod in Ecclesia aliquid asserere, cuius nulla potest ratio uel autoritas reddi, est Ecclesiam hostibus & Hæreticis irrisioni exponere, cum secundum Apostolum Petrum, teneamur rationem reddere de ea, quæ in nobis est, fide & spe. Et Paulus, ut sit Episcopus potens in doctrina sana, etiam contradicentes redarguere. Hic autem adeo est nulla autoritas, ut si hodie determinaret Ecclesia Romana partem affirmatiuam, nihilominus maneret idem periculum, scilicet quia non possumus rationem reddere aliam, nisi quia sic Papæ & Romanæ Ecclesiæ placuit. Sed quid ista ratio faciet, si ab his urgeremur, qui Romanam Ecclesiam non sequuntur? ut hæreticis, Pighardis. Hi non uoluntatem Papæ & Romanæ Ecclesiæ, sed uel autoritatem, uel rationem probabilem quærent, Et certe iste est mihi uel unicus scopus in ista materia tota. *1. Pet. 4.* *Tit. 1.* *Ratio semper reddenda.*

SEcunda, Omnia argumenta hic plus ualent, quæ de thesauro militantis Ecclesiæ & Sanctorum meritis adducta sunt, scilicet:

Primo, quod tunc Indulgentiæ non sunt Indulgentiæ, sed translationes operum alienorum ad alios, & uera ac legitima satisfactio, quia id facimus, quod per alium facimus. At per Indulgentias (ut dicit Canon lib. 5. de pœni. & re. ca. Cum ex eo) pœnitentialis satisfactio eneruatur, non ait transfertur, sed eneruatur.

Secundo, quod tunc Ecclesiæ claues nihil faciunt, & uere uilificantur, quia non soluunt, sed ligatum alio transferunt. At impium est dicere, quod clauis non soluat, si autem soluit, totum tollit.

Tertio, quod merita Christi de facto, sine clauibus eadem operantur, non enim erunt ociosa.

Quarto, quod tunc insignis fiet irreuerentia meritis Christi, si solummodo Pœnæ relaxationi expendentur, cum ipse per ea fuerit exemplum omnium Martyrum, Contrarium itaq; erit naturæ meritorum Christi, ut seruiant pigris, quæ extimulant etiam feruentes. Vilissimum est enim, ut iam dictum est remissio pœnæ.

Thomas. Bonauentura.

TERtia, Respondeant mihi ad istam contradictionem, B. Thomas & Bonauentura & sui sequaces constanter & unaminiter dicunt, Quod opera bona sunt meliora, quam Indulgentiæ, ut supra satis est dictũ, Esto ergo hæc uera. Item per Indulgentias applicantur & expenduntur merita Christi. Esto etiam hæc uera, quia & hanc constanter omnes asserunt. Item merita Christi incomparabiliter sunt meliora, quam bona opera nostra, imo sola bona. Esto etiam hæc uera.

Hic ego concludo & infero, infœlix, qui non dimittit opera sua bona, & solum quærit opera Christi, id est, indulgentias, cum sit omnium blasphemiarum ultima sentina, sua opera bona præferre operibus Christi, Aut ergo opera Christi, non sunt thesaurus iudulgentiarũ, aut superbit miser, qui non omissis omnibus pręceptis, etiam diuinis, solum Indulgentias redimit, id est, merita Christi. At contra S. Thomas & Bonauentura dicunt, quod non sunt præceptæ indulgentiæ, & sunt uiliores bonis operibus, ergo non sunt opera Christi, & tamen sunt opera Christi simul & semel.

At forte, ut sunt arguti, respondebunt per Aristotelicas distinctiones. Verum est, merita Christi, ut simpliciter sumpta, sunt meliora nostris operibus, sed sic non sunt Indulgentiæ, uel per Indulgentias sic non applicantur, Accipiuntur autem pro ut, solum sunt satisfactoriæ pro pœnis, & isto modo applicantur. Respondeo, proba quod dicis, quid si nolim istud tibi credere nuda narranti? Probare iubeor spiritus, an ex Deo sint. Secundo, *1. Iohan. 4*
Vbi nunc illud est, quod supra dictum fuit, ideo illa per uenias dispensari, quia nõ essent remunerata, sed quia fecissent quædam, quę non debuerant? Talia ergo sunt tam uilia merita, ut nullam aliam recipiant mercedem, quam ut sint aliorum pigrorum satisfactiones?

Opera supererogationis. Luc. 10.

Tunc arguo sic, Opera supererogationis sunt omnium nobilissima & perfectissima. Admittitis? Ita, Et talia non remunerantur Martyribus uel Sanctis, sed conceduntur pigris & stertentibus? & sic Sancti remunerantur, secundum opera & merita sua minora, quia perfectiora relinquunt alijs? Quis ita insaniat, oro? Ergo S. Catharina pro martyrio & uirginitate sua nihil accepit, Sed hæc Ecclesiæ relinquit, & sufficit ei præmium orationis, uigiliarum, & aliorum bonorum operum? Quod si dixeris, quod simul & pro eis remunerati sunt, & simul ea reliquerunt, ubi illud quod dictum fuit, Esse quædam, quæ non sunt remunerata? Vides ne, quid sit sine autoritate loqui, & per tenebras diuinare?

Quod

Quod si impium est dicere, quod opera supererogationis, uel plura, quam debuerunt Sancti, sic sint uilia & eis non remunerata, Quanto magis impium est, Christi opera, quæ omnia sunt superabundantia sic uilificare? Quare Indulgentias ita magnificare, & tamen rursum nostris operibus eas minorare, hoc est, Christum & Sanctos eius in suis meritis blasphemare, nisi id erronee & non uolenter fiat. *Indulgentias magnificare.*

QVarta, Resumo argu. quod de glo. de pe. et re. c. Quod autem, adducit, scilicet, Si Indulgentiæ sunt remissiones pœnarum omniũ, non debet homo ultra ieiunare aut bona facere. Nec soluitur per hoc, quod sit incerta remissio, sed blasphemantur potius claues Ecclesiæ, licet eum iuuent in hac sententia omnes ferme Doctores Scholastici. Illud autem, quod nescit homo, an amore dignus sit, intelligitur de futuro euentu, quia qui nunc credit, nescit, an sit in fide perseueraturus. Vnde ibidem Eccle. 9. statim additur: Nescit homo an amore uel odio dignus sit, sed omnia seruantur incerta in futurum, Præmisit enim: Sunt iusti & opera eorum in manu Dei &c. *Claues Ecclesiæ. Nescit homo an amore dignus sit. Eccle. 9.*

Quod si remissionem culpæ faciunt incertam, multo magis & pœnæ, cum culpa manente, & pœnam quoq; manere necesse sit, sicut ibidem dicit glossa, Quod remissio illa intelligitur, quando per contritionem (imo per fidem Clauium) omnino deletum est peccatum. Quid ergo sunt Indulgentiæ? incerta donatio? Absit, absit, ut tam impia illusio ab Ecclesia Christi, imo clauibus, fiat, Tum enim uere (ut quidam dicunt) Indulgentiæ essent, quædam impiæ fidelium deceptiones. Ad istum errorem uenitur, dum quærimus per opera nostra & nostram iusticiam iustificari potius quam per fidem. Ideo de contritionibus tantummodo docemus, quando optime docemus, nihil de fide clauium, quæ maxime omnium docenda erat. Sed supra de iis latius est dictum. *Indulgentiæ fidelium deceptiones. Fides clauium.*

Aut ergo Indulgentiæ non sunt thesaurus meritorum Sanctorum, Aut optime sequitur, quod consecutus debet quiescere ab operibus suis bonis pro peccatis. Sed quod ista sententia sit impia in Christũ, quia si per uenias mihi impenduntur merita Christi, & ego adhuc incertum habeo, mihi esse peccata remissa, ideo adhuc operandum pro eorum remissione. Tunc sequitur, quod dubito, an merita Christi applicata & donata mihi, sint sufficientia ad remissionem peccatorum. Quo dubio quid execrabilius? Si autem non dubito, sed sufficientia credo, impiissime fecero, si opera mea meliora putauero, quam Indulgentias (id est, opera Christi mihi impensa) Ego enim, si unicum opus, imo millies millesimam partem unius minimi operis Christi, possem obtinere, securus sum de redemptione æterna.

Cessemus itaq; operari nostra opera pro peccatis, & nihil nisi Indulgentias redimamus, quia in illis non unum opus, sed omnia merita Christi, nec huius solum, sed omnium Sanctorum consequimur. Cum itaq; merita Christi nulla proportione bonitatis, nostris possint comparari, aut ipsa non sunt thesaurus Indulgentiarum, aut Indulgentiæ erunt præferendæ omnibus operibus omnium præceptorum Dei, aut meritis Christi fiet summa omnium irreuerentia & blasphemia. Deinde id quoq; uide, quale est, quod huic thesauro, quasi solius Christi merita non sufficerent, addunt merita Sanctorum, item merita Ecclesiæ militantis.

At dicis: Ergo ne S. Thomas adeo errauit cum cæteris? Nunquid Papa & uniuersa Ecclesia errat, quæ ita sapit? An tu solus recte sapies & primus?

Respondeo

Respondeo primum: Non sum solus, sed ueritas mecum, & multi alij, scilicet, qui dubitauerunt, & adhuc dubitant, quid ualeant Indulgentiæ. Nec peccant eo dubio, cum sint remissiones tantum pœnarũ, quas siue quis credat, siue non, siue consequatur, siue non, nihilominus saluus erit.

Indulgentiæ sunt eneruationes pœnitentialis satisfactionis.

Secundo, & Papa mecum est, Quia etsi concedit Indulgentias, nusquam tamen dicit, quod sint de thesauro meritorum Christi & Ecclesię, Imo sese declarans, dicit lib. 5. de poe. & re. c. Cum ex eo, quod sint eneruationes pœnitentialis satisfactionis, sed eneruatio non est impensio meritorum Christi, sed tantummodo sublatio pœnarum.

Tertio, & tota Ecclesia mecum, Quia Ecclesia utiq; cum Papa sapit, & sicut Papa sapit. Sed iam dictum est, quid Papa sentiat.

Theologorum error.

Quarto, etsi S. Thomas, B. Bonauentura, Alexander de Ales, sint insignes uiri cum suis discipulis, Antonio, Petro Palu. Ang. Anco. præter Canonistas, qui omnes eos sequuntur, Tamen iustum est eis præferre ueritatem primo, deinde & autoritatem Papæ & Ecclesiæ. Nec mirum est tantos uiros in hoc errasse. Nam in quantis, quæso, B. Thomam etiam Scholastici errasse arguunt? Imo quod maius est, iam plus trecentis annis tot uniuersitates, tot in illis acutissima ingenia, tot ingeniorum pertinacissima studia in uno Aristotele laborant, & tamen adhuc non solum Aristotelem non intelligunt, uerum etiam errorem & fictam intelligentiam, per uniuersam pene Ecclesiam spargunt, quanquam si etiam intelligerent eum, nihil egregiæ sapientiæ adepti essent, præsertim in eis libris Aristotelis, quos usitatiores habent, in quibus uel ipsiusmet testimonio apud Aulum Gellium lib. 20. c. 4. & Greg. Nazan. in Ser. aduersus Arianos, non nisi merus Logodedalus & Logomachus deprehenditur.

Thomæ errores. Aristoteles non intellectus à Scholasticis.

Audax, impudens, temerarius forte hic uideor, atq; utinam mihi tantum superesset ætatis & ocij, ut huius temeritatis meæ rationem reddere, & uerbis meis fidem facere possem, forte efficerem, ut non frustra sic sapere uiderer. Non Aristotelem cum Platone & alijs concordarem, quod Iohannes Picus Mirandulanus cœpit, sed Aristotelem suis coloribus pingerem, sicut dignum est pingi eum, qui ex professo est artifex uerborum (ut Gregorius Nazan. ait) & illusor ingeniorum.

Aristoteles artifex uerborum &c.

Si itaq; per tantum tempus in tantis ingenijs permisit Deus, tantum nubis & tenebrarum dominari, quid adhuc nobis ita securi placemus, & non potius (sicut Christianos decet) omnia nostra suspecta habemus, ut solus Christus sit lux, iusticia, ueritas, sapientia, omne bonum nostrum. Igitur sancti illi uiri, cum uiderent Aristotelem ab indoctis & Christum ignorantibus, in tanta autoritatis ueneratione haberi (ipsi ut erant humiles sensu) pia simplicitate sunt secuti, & in errorem lapsi, cæteris occasio fuerunt, tot turbinum, opinionum, quæstionum, errorum, sicut in Scholasticis Doctoribus uidemus. Et digni fuimus, qui Christum reliquimus, ut ipse quoq; nos derelictos, etiam per Electos suos, in occasionem daret erroris & infiniti laboris. Sicut ait in Ezech. 14. Propheta cum errauerit, & locutus fuerit uerbum, Ego Dominus decepi Prophetam illum. Et ibidem: Si uenerit ad Prophetam interrogans me per eum, Ego Dominus respondebo ei secundum multitudinem immundiciarum suarum.

Christus iusticia, lux, ueritas nostra.

Eze. 14.

Ideo cum timore & iudicio omnia sunt legenda & suscipienda, etiam à magnis & sanctis uiris tradita, secundum Apostolum: Omnia probate, quod bonum est tenete. Et illud Iohan. Probate spiritus, utrum ex Deo sint. Quæ consilia qui omiserint, & in hominem confisi fuerint (sicut hi qui dicunt: Malo cum tantis errare, quam tecum recte sapere) digni sunt, quos etiam contemnat & relinquat consilium. Qui enim consilium spiritus spernit, cur non spernetur merito à spiritu consilij.

Cum iudicio legenda, etiam à Sanctis tradita.

1. Thes. 5. *1. Iohan. 4.*

Consilium spiritus spernens.

Ita &

Ita & Indulgentijs factum est, cum uiderent sancti homines, illas uulgō tantum efferri (ut solet uulgus facere semper iudicium Paridis & Midæ) & nollent tam uiles eas credere, cœperunt uel fingere honestum & preciosum eorum fundamentum, quia nullum aliud occurrebat, nec uspiam erat. Ad rem itaqȝ redeamus, & meritum Christi quæramus, & probemus, non esse thesaurum Indulgentiarum, iam causa. *Vulgi stultum iudicium.*

QVinta, Nulli datur gratia contritionis, quin simul ei dentur merita Christi. Ergo ante Indulgentias habet thesaurum meritorum Christi, & nisi haberet, non proficerent ei Indulgentiæ, secundum opinionem ipsorum (ita enim sapiunt sublimiter de remissione pœnarum) Nam per contritionem homo redit in gratiam, sicut filius prodigus cum Christo patre suo, qui dicit: Omnia mea tua sunt. Et Esaiæ 9. Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis. Roma. 8. Quomodo non omnia cum illo nobis donauit? *Gratia contritionis* *Luc. 15. Esa. 9. Roma. 8.*

SExta, Alioqui fœliciores essent in Ecclesia hi, qui sunt peiores. Dictum est enim, quod Indulgentiæ prosunt criminosis duntaxat, & his dabitur thesaurus meritorum Christi. Pueris autem, uirginibus ac innocentibus, non dabitur, quibus maxime debetur, imo qui habent eum soli. Sed id argumentum parum facit apud eos, qui credunt, omnes pœnas tolli, nec posse Indulgentias conferri peccatoribus sine contritione, quod ego non credo. *Indulgentiæ quibus utiles.*

VLtima, quam secum fert ipsa Conclusio probationem, scilicet quod merita Christi & Sanctorum eius sine Papa operantur opus suum duplex, scilicet proprium & alienum. Proprium, id est, gratiam, iusticiam, ueritatem, patientiam, mititatem in spritu hominis electi, Quia iusticia Christi & meritum eius iustificat & remittit peccata, sicut Iohannes ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et Esa. 43. Seruire me fecisti in iniquitatibus tuis, & laborem præbuisti mihi in peccatis tuis: Ego, ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorum tuorum non recordabor. Delet autem merito suæ passionis: Et isto modo concederem, quod merita Christi sint quidam thesaurus, non Ecclesiæ, sed Dei patris, qui nobis per suffragium efficax apud Deum impetrat remissionem culpæ. Sic dicit in Iob per figuram: Faciem eius suscipiam. Et Apostolus Ebræ. 12. Sanguinem Christi melius clamantem, quam Habel, quia sanguinis Habel uindictam & iram postulat, Sanguis Christi misericordiam clamat, & interpellat pro nobis. *Merita Christi. Proprium opus meritorum Christi.* *Iob. 1. Esa. 43. Ebr. 12.* *Sanguis Habel & Christi.*

Alienum (sic enim Esa. uocat ca. 28.) id est, crucem, laborem, pœnas uarias, denique mortem & infernum in carne, ut destruatur corpus peccati, & mortificentur membra nostra super terram, & conuertantur peccatores in infernum. Nam quicunqȝ in Christo baptizatur & renouatur, ad pœnas, ad cruces, ad mortes paratur, ut æstimetur sicut ouis occisionis, & mortificetur tota die, sicut ait Psal. 44. Ego autem ad flagella paratus seu ordinatus sum, & dolor meus in conspectu meo semper. Sic sic oportet nos fieri conformes imagini filij Dei, ut qui non acceperit crucem suam, & sequutus fuerit eum, non sit dignus, etiamsi sit omnibus Indulgentijs plenus. *Esa. 28. Psal. 44. Psal. 38.* *Alienum opus &c. Baptizatus in Christum.*

Quocirca nunc uide, Num quo tempore cœpit Theologia Scholastica, id est, illusoria (sic enim sonat Græce) eodem euacuata est Theologia crucis, suntqȝ omnia plane peruersa. Theologus crucis (id est, de Deo crucifixo & abscondito loquens) pœnas, cruces, mortem, docet esse thesaurum omniū preciosissimum, & reliquias sacratissimas, quas ipsemet Dominus huius Theologiæ consecrauit, benedixitqȝ, nō solum tactu suę sanctissimæ carnis, sed & *Theologia Scholastica. Theologus crucis.*

sed & amplexu suæ supersanctæ & diuinæ uoluntatis, easque hic reliquit uere osculandas, quærendas, amplexandas. Quin beatus & benedictus, qui dignus fuerit Deo uisus, ut ei donentur hi thesauri reliquiarum Christi, imo qui intelligat sibi donari. Nam cui non offeruntur? Sicut B. Iacobus: Omne gaudium existimate fratres, cum in tentationes uarias incideritis, Non est enim omnium hæc gratia & gloria, ut hos accipiant thesauros, sed electissimorum filiorum Dei. *Iacob. 1.*

Peregrinantes. Multi peregrinantur Romam, aliaque sancta loca, ut tunicam Christi, ossa Martyrum, loca & uestigia Sanctorum uideant (quod non damnamus quidem) sed hoc gemimus, quod ueras Reliquias, scilicet passiones & cruces, quæ sanctificauerunt ossa & reliquias Martyrum, & tanta ueneratione fecerunt digna. Ita nescimus, ut non solum non acceptemus oblatas domi, sed summis uiribus repellamus, & persequamur de loco in locum, cum deberemus summa siti, & iugibus lachrymis, id apud Deum postulare, ut darentur nobis tam præciosæ reliquiæ Christi omnium sacratissimæ, tanquam donum electorum Dei filiorum. Sic Psal. 16. titulum in Ebræo fertur habere, Michtam, quod aureum insigne uel ut munusculum intelligas, cum ibi non nisi passio Christi canatur. Et Psal. Testimonium Asaph, quod eruditi uolunt potius, iocale Asaph, seu donum deliciosum Asaph intelligere. Et ibi tamen Crucis personat hymnus. *Michtam. Psal. 16.*

Veræ reliquiæ. Quin tam sanctæ sunt eiusmodi reliquiæ, & tam præciosi thesauri, ut cum aliæ possint seruari in terra, aut ut honorificentissime in auro, argento, gemmis, serico, hæ non possunt seruari nisi in cœlestibus, uiuis, rationalibus, immortalibus, puris, sanctis seruaculis, id est, cordibus fidelium, omni auro & gemma inæstimabiliter præciosioribus. At nunc adeo deest fides uulgi, qua hanc religionem talium Reliquiarum colat, ut etiam summi quidam Pontifices autores & duces eis fuerint, non modo repellendarum, sed etiam persequendarum, adeo, ut Turcas uorare uoluerint, deinde & ipsos Christianos in peiorem, quam inferni damnationem excommunicare, potius quam uellent obulum sui census remittere, nedum nominis aut corporis iniuriam sustinere. Qui tamen interim nihilominus cataractas cœli aperuerunt, & inundauerunt thesauros Indulgentiarum & meritorum Christi, ita ut & hoc diluuio prope sit pessundatus orbis Christianus, nisi me fallit fides mea. *Pontifices Romani* *Diluuium Indulgentiarum.*

Theologus gloriæ. Theologus uero gloriæ (id est, qui non cum Apostolo solum crucifixum & absconditum Deum nouit, sed gloriosum cum gentibus, ex uisibilibus inuisibilia eius, ubique præsentem, omnia potentem uidet & loquitur) discit ex Aristotele, Quod obiectum uoluntatis sit bonum, & bonum amabile, malum uero odibile, ideo Deum esse summum bonum & summe amabile. Et inde dissentiens Theologo crucis, definit thesaurum Christi esse relaxationes & solutiones pœnarum, tanquam rerum pessimarum & odibilissimarum. Contra, Theologus crucis, thesaurum Christi esse impositiones & alligationes pœnarum, tanquam rerum optimarum & amabilissimarum. Et tamen adhuc ille accipit pecuniam pro suo thesauro, huius nec gratis oblatum dignantur uel intuitu, sed persequuntur denique. *Aristoteles.*

Sed quis erit iudex horum, ut sciamus, utrum audiamus? Ecce, inquit Esa. 66. Ego eligam illusiones eorum. Et 1. Corinth. 1. Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia &c. Quod iudicium, si adeo placet, ut uerum est, id nobis restat confitendum, si uolumus uera loqui, quod thesauri Indulgentiarum sunt omnium maxima damna, si intelligantur eo, quo modo ebuccinantur, scilicet esse eos omnium pœnarum remissionem, non tantum canonicarum, cum non sit maius damnum, quam tolli imaginem filij Dei ab hominibus *Esa. 66.* *1. Cor. 1.*

hominibus, & eos spoliare thesauris inæstimabilibus, de quibus S. Hagnes iucunda & beata iactantia superbiebat, appellans eos uernantes, corruscantes gemmas ac ornamenta, monilia preciosa &c. *Hagnes.*

CONCLVSIO LIX.

Thesauros Ecclesiæ B. Laurentius dixit esse pauperes Ecclesiæ, Sed locutus est usu uocabuli suo tempore.

PAtet satis his, qui legendam S. Laurentij uiderunt. Deinde non est nunc usus uocabuli, ut thesauros Ecclesiæ uocent homines pauperes, Sed patrimonium Christi & S. Petri appellamus, quod palea quædam, sine tamen grano Constantini, dedit Ecclesiæ. Ideo & Psal. 2. ubi Deus dicit Christo: Postula à me, & dabo tibi Gentes in hæreditatem, & possessionem tuam terminos terræ, intelligi oportet oppida & agros ab oriente in occidentem, Alioqui nostro tempore, si quis loquatur aliter de rebus Ecclesiæ & spiritualibus, erit barbarus nobis, licet & B. Laurentius facultates Ecclesiæ dixerit diuitias, sed non solas.

Psal. 2.

Patrimonium Christi & S. Petri.

Donatio Constantini fictitia.

CONCLVSIO LX.

Sine temeritate dicimus, Claues Ecclesiæ (merito Christi donatas) esse thesaurum istum.

SI istud meritum uocaretur, & thesauros Indulgentiarum, scilicet potestas Clauium, plana est intelligentia. Nullus enim dubitat, quin merito Christi donatum sit Ecclesiæ, quicquid donatum est. *Potestas clauium.*

CONCLVSIO LXI.

Clarum est enim, quod ad remissionem pœnarum & casuum, sola sufficit potestas Papæ.

PRobatur ex ipso stylo Papæ, dum nunquam meminit meritorum Christi in ligando aut soluendo, sed tantummodo dicit de plenitudine potestatis, ex certa scientia & motu proprio.

Secundo, ex communi omnium sententia, probantium, Indulgentias uirtute illius uerbi donari, ubi Christus dicit: Quodcunq; solueris &c. Quod uerbum putant sine uigore esse, nisi potestatem donandi permitteret. Quare & ipsi solam potestatem intelligunt sufficere, nulla autem autoritate probant thesaurum. Sed hanc autoritatem uelut sufficientem adducunt, quæ tamen sonat nudam potestatem, non autem applicationem meritorum. *Quodcunq; solueris &c.*

Tertio, Alioqui etiam in alijs ligationibus & solutionibus intelligenda esset distributio meritorum, puta, quando sacerdotali officio excommunicat, absoluit, ordinat, deordinat, statuit, abrogat, præcipit, prohibet, dispensat, mutat, interpretatur. In ijs enim omnibus agitur uirtute istius uerbi: Quodcunq;. Si ergo in istis non est necessaria distributio meritorum, sed sufficit potestas nuda Clauium, quanto magis in remissione pœnarum canonicarum? Cum talis remissio sit nihil aliud, quam absolutio à pœnis, imo si uspiam fit distributio meritorum Christi, maxime fieri debet in absolutione excommunicati, ibi enim reconciliatur Ecclesiæ peccator, & rursum declaratur particeps bonorum Christi & Ecclesiæ. Nulla itaq; est ratio, quare illud uerbum: Quodcunq; solueris, in Indulgentijs includat thesaurum Christi, & non etiam in omnibus alijs solutionibus, cum sit eadem autoritas, eadem uerba, eadem sententia in illis.

Quarto, Si soluere per clauem in uenijs dandis, importat apertionem & effussionem thesauri Ecclesiæ, ergo per oppositum, ligare importabit collectionem & inclusionem thesauri eiusdem, Sunt enim contrariæ potestates, & contrariorum operum. Sed nusquam & nunquam est usus colligendi aut includendi hunc thesaurum, & tamen si solutio & effusio est, etiam inclusionem esse necesse est, cum utrunq; donatum sit Ecclesiæ, nec frustra, aut uane donatum. Ergo sicut ligare, intelligitur sine collectione thesauri, debitorem facere, nec aliquid ei positiue auferre, ita soluere cogit intelligi, liberum facere, sine expensione thesauri positiue.

CONCLVSIO LXII.

Verus thesaurus Ecclesiæ est sacrosanctum Euangelium gloriæ & gratiæ Dei.

Thesaurus Ecclesiæ est Euangeliũ.

SAtis incognita res est Euangelium Dei in multa parte Ecclesiæ, ideo paulo latius de illo dicendum, Nihil enim reliquit in mundo Christus, præter solum Euangelium. Vnde & nihil seruis suis uocatis tradidit, quam minas, talenta, pecunias, denarios, ut ex his ipsis uocabulis thesaurorum, ipsum uerum thesaurum esse ostenderet. Et Paulus dicit sese thesaurisare filijs suis, Et Christus thesaurum absconditum in agro. Et hoc ipsum, quod est absconditus, facit, ut sit pariter & neglectus. 2. Cor. 12

Euangelium quid?

Est autem Euangelium, secundum Apostolum Rom. 1. sermo de filio Dei incarnato, nobis sine meritis in salutem & pacem donato. Est uerbum salutis, uerbum gratiæ, uerbum solacij, uerbum gaudij, uox sponsi & sponsæ, uerbum bonum, uerbum pacis. Sicut ait Esa. 52. Quam iucundi pedes euangelizantium, euangelizantium pacem, prædicantium bona. Lex uero est uerbum perditionis, uerbum iræ, uerbum tristiciæ, uerbum doloris, uox iudicis & rei, uerbum inquietudinis, uerbum maledicti. Nam secundum Apostolum, Lex est uirtus peccati, & Lex iram operatur. Est Lex mortis. Ex Lege enim nihil habemus, nisi malam conscientiam, inquietum cor, pauidum pectus, à facie peccatorum nostrorum, quæ Lex ostendit, nec tollit, nec nos tollere possumus. Rom. 1. Esa. 52

Lex quid?

Vox Euangelij.

Sic itaq; captis ac tristibus, omninoq; desperatis, uenit lux Euangelij, & dicit: Nolite timere, Consolamini, consolamini popule meus, Consolamini pusillanimes, ecce Deus uester, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, Ecce qui solus implet Legem pro uobis, qui factus est à Deo uobis iusticia, sanctificatio, sapientia, redemptio, omnibus, qui credunt in eum. Hoc suauissimum nuncium, cum audierit conscientia peccatrix, reuiuiscit, & tota exultat in tripudio, plenaq; fiducia, iam nec mortem, nec amica mortis pœnarum genera formidat, neq; infernum. Ideo, qui pœnas adhuc timent, nondum audiuerunt Christum, nec uocem Euangelij, sed uocem potius Mosi. Esa. 40 1. Cor. 1.

Vera gloria Dei ex Euangelio nascitur.

Ex hoc itaq; Euangelio nascitur uera gloria Dei, dum docemur, non nostris operibus, sed gratia miserentis Dei in Christo, impletam Legem & impleri, non operando, sed credendo, non Deo aliquid offerendo, sed ex Christo omnia accipiendo & participando, de cuius plenitudine participamus omnes & accipimus, De quo alias latius.

CONCLVSIO LXIII.

Hic autem est merito odiosissimus, quia ex primis facit nouissimos.

EVangelium enim destruit ea quæ sunt, confundit fortia, confundit sapientia, & redigit eos in nihilum, in infirmitatem, in stultitiam, quia docet

Psal. 9. quia docet humilitatem & crucem. Sic Psal. 9. Increpasti gentes & perijt impius, nomen eorum delesti. Verum hanc Regulam crucis horrent omnes quibus placent terrena & sua, dicentes: Durus est hic sermo, ideo non est mirum, si sit odiosissimus sermo Christi, his, qui deligunt aliquid esse, sapientiam, potentiam, coram se & hominibus, & primi sibi uidentur. *Regula crucis.*

CONCLVSIO. LXIIII.

Thesaurus autem Indulgentiarum, merito est gratissimus, quia ex nouissimis facit primos.

QVia docet horrere pœnas, imo facit liberos a pœna, quod est solummodo iustorum. Nullus enim indiget Indulgentijs, nisi seruus pœnarum, id est, qui non calcat eas, contemptu superbo eis dominans, sed premitur illis et fugit eas, sicut puer ab umbris noctis et tenebrarum, et tamē permittuntur liberi, cum iusti etiam subiecti sint pœnis uarijs.

CONCLVSIO LXV.

Igitur Thesauri euangelici retia sunt, quibus olim piscabantur uiros diuitiarum.

SIC enim Apostolus: Non quæro uestra, sed uos. Et Christus: Faciam uos fieri piscatores hominum. Verbum enim dulce trahit uoluntatem, imo facit uoluntatem hominis in Christum. Vnde S. Petrus in Vrbe pictus Piscator dicit:

Ecclesiam pro naue gero, mihi climata mundi
Sunt mare, Scripturæ retia, piscis homo.

Distichon, quod Romæ legitur.

CONCLVSIO LXVI.

Thesauri Indulgentiarum retia sunt, quibus nunc piscantur diuitias uirorum.

HAnc puto ex dictis claram, quia per remissiones pœnarum homo non fit melior, nec trahitur plus ad Deum (hoc enim solo uerbo Christi fit) cum sint uerba hominis, dantis licentiam ac relaxationem, magis quam capientis & ligantis, Quod si aliquid capiunt, certe nihil nisi pecunias, non autem animas capiunt. Non quod damnem istud negocium pecuniarum contribuendarum, imo meo iudicio, uidetur, Dei prouidentia id curare in isto negocio, ut cum sit uilissimum inter dona & officia Ecclesiæ, nec dignum in futura uita coronari, saltem in hac uita uel modica pecunia remuneret, ut nihil maneat irremuneratum, quanquam olim gratis fiebant relaxationes. *Pecuniarum aucupium.*

CONCLVSIO LXVII.

Indulgentiæ, quas Concionatores uociferantur maximas gratias, intelliguntur uere tales, quo ad quæstum promouendum.

SIC enim audet audax ignorantia, ut maximum uocet, quod minimum est, & relinquitur tum populo iudicium & facultas recte intelligendi, ut errans credat Dei gatiam hic dari. Ipsi enim non exponunt, ne sibi ipsis contradicere cogantur, aut mendaces inueniantur, quod paruum dixerint magnum. *Audax ignorantia.*

CONCLVSIO LXVIII.

Sunt reuera minimæ ad gratiam Dei & crucis pietatē cōparatæ.

IMo comparatæ ad Dei gratiam, sunt nihil & nullæ, cum potius contraria operentur gratiæ Dei, tamen propter ignauos & pigros toleratæ, ut patet ex dictis.

CONCLVSIO LXIX.

Tenentur Episcopi & Curati ueniarum apostolicarum Commissarios cum omni reuerentia admittere.

Autoritati Papae cedendum est.

QVia autoritati papali, in omnibus cum reuerentia cedendum est. Qui enim potestati resistit, resistit Dei ordinationi, Qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et Dominus ipse: Qui uos spernit, me spernit. Igitur licet rebus in exiguis, nihilo tamē minus quam in magnis, autoritati cedendum. Hinc illud etiam uenit, quod & si Papa ferret iniustas sententias, timendae tamen sunt, & ut Carolus inquit Imperator, Quicquid imposuerit, quantumuis graue sit, ferendum est. Sicut & experientia uidemus fieri ab Ecclesia, quae certe infinitis oneribus hodie premitur, & tamen pie & humiliter fert quieta. Rom. 13. Matt. 10.

*

Ecclesia premitur.

Quomodo sententiae iniustae latae, sint timendae, & quare.

Id tamen intelligendum est, ne quis in erroneam conscientiam ueniat, quasi ideo sint timendae iniustae sententiae, quia sint approbandae tanquam iustae, ab his, qui debent eas timere, Cum ipsemet Pontifex aliquos decernat ab Ecclesia ligari, qui tamen coram Deo ligati non sunt, & cogit eos ligationem ferre, nec eis nocet talis ligatio, quia est poena tantum, & timeri debet, non autem scrupulum conscientiae facere, Sicut timere debemus Deum in omni alia uiolentia, etiam prophana, & non per contemptum superbe reluctari. Ita & onera sunt ferenda, non quod recte fiant, & approbanda sint, sed ut flagella a Deo inflicta, & humiliter portanda.

Quare sententiae iniustae & onera sunt timenda, non propter illud uerbum: Quodcunq; ligaueris, sed propter illud generale praeceptum: Esto consentiens aduersario tuo in uia. Et illud: Qui te percusserit in maxillam dextram, praebe ei & sinistram &c. Et Roma. 12. Non defendentes uosmetipsos &c. Si enim hoc esset consilium (ut multi etiam Theologi uidentur errare) tunc liceret eadem libertate resistere Papae in suis oneribus & sententijs iniustis, qua Turco, uel alijs aduersarijs, sed nullis prorsus est resistendum, licet non sit eorum opus approbandum, ne sit error in conscientia. Sed haec materia necessaria ualde, aliud tempus & opus postulat. Matth. 5. Roma. 12.

CONCLVSIO LXX.

Sed magis tenentur omnibus oculis intendere, omnibus auribus aduertere, ne pro commissione Papae, illi sua somnia praedicent.

Regula Iuristarū.

PRobatissima est Regula illa Iuristarum, Papam in omnibus concessionibus sic agere, ut nulli alteri praeiudicet, nisi id faciat expressa mentione & plenitudinis potestate, ut docet quoq; mos Curiae atq; stylus. Quare certissimum est, quod dans Indulgentias, uult eas esse nihil plus, quā Indulgentias, neq; aliquid ualere, quam quod natura sua ualent, Permittit autem ualere, quantum ualent, contentus quod dederit, nusquam enim declarat ualorem earum. Haec est commissio Papae.

Episcopi uigilent.

At nostri Praecones ultra procedunt, & non solum sese iactitant per pulpita, quod sint Papae, quos rectius Pappos alij putant. Verum & nomini coniungunt officium, tam Papae quam Ecclesiae, ac nobis uelut e coelo statuunt & pronunciant cum fiducia quid sint, imo longissime ultra quam sint, & esse unquam possint Indulgentiae, ut uel ex libro suo potest probari nouissimo. Horum itaq; somnia tenentur Episcopi prohibere, ne sinant lupos intrare ouilia Christi, sicut expresse praecipitur lib. 5. de poe. & re. ca. Cum ex eo, Et Cle, eodem cap. Abusionibus, ut nihil permittant populo proponere, quam quod in eorum literis continetur.

CONCLV.

CONCLVSIO LXXI.

Contra ueritatem Apostolicarum ueniarum qui loquitur, sit ille Anathema & maledictus.

QVia etsi res parua sit, ueniarum largitio, respectu gratiæ Dei, & ad tantum boatum prædicantium eas, tamen contra potestatem superbe agit, qui contradixerit, ideo merito maledicetur, cum obedientia Ecclesiastica eo sit mirabilior, quo etiam in uilioribus suo sensui cedit & humiliatur. Quæ autem sit ueritas Indulgentiarum, satis hucusque est disputatum, & adhuc expectat determinationem Ecclesiæ, nisi quod certum est, eas esse relaxationes tantum temporalium pœnarum, quæcunque tandem illæ sint. Relaxatio uero pœnarum (ut dixi) uilius est donum, quod Ecclesia donare potest, præsertim si eam donet ijs, quibus culpam remiserit. Remissio uero culpæ, est maximum omnium, cum sancto Euangelio, quod illi non ita curant, aut certe ignorant.

Indulgentiæ.

Remißio culpæ.

CONCLVSIO LXXII.

Qui uero contra licentiam & libidinem uerborum Concionatoris ueniarum curam habet, sit ille benedictus.

SIC enim hodie habet uidua Christi, sancta Ecclesia, ut omnibus omnia liceant, & præsertim Theologis Scholasticis, inter quos inuenire est, qui ueras etiam sententias damnent, nulla causa nisi quia ex suo fonte non prodierunt, Ipsis tamen licet asserere, quod Deus peccatum facit, Deus est causa mali, culpæ, & multa alia. Quæ si quis Poeta uel Orator (ut uocant) aut græce, latine, hæbraice doctus diceret, omnium Hæreticorum pessimus fuerit, sed id maius damnum. Tantum est crimen, si quis Christianus Turcis arma deferat, aut Romam petentes impediat, aut literas Apostolicas uiolauerit, ut nulla unquam data sit facultas, illa remittendi, etiamsi plenissima plenissimarum daretur, sed sibi reseruat sedes Apostolica, tam sancte tunc agebat Ecclesia, & seruatis Dei mandatis primum, etiam tam parua uoluerit, tanto rigore coercere, nondum enim erat illa lerna & tartarus Simoniarum, libidinum, pomparum, cædium, reliquarumque abominationum in Ecclesia.

Ecclesia Christi. *Theologi Scholastici ueritatem damnant.*

Lerna Simoniarum

At si illa ita rigide coercentur, quo tandem putamus rigore sunt coercendi, qui non Turcis, sed dæmonibus offerunt, non quæcunque, sed nostra propria arma, id est, uerbum Dei, dum illud suis somnijs contaminant, & (ut Isaias solet loqui) conflant in Idolum per spiritum suum, ut sit non instrumentum, quo trahatur anima, sed seducatur in falsas opiniones? At hoc uicium passim ita licet, ut uiciosissimus sit, qui non uirtutem & meritum meritorum existimet à quocunque factum fuerit. Sic & B. Hieronimus queritur, scripturam omnibus patere, non ad discendum, sed ad lacerandum.

Deinde, si qui euntes Romam impediunt, adeo peccant, quid illi, qui euntes in cœlum impediunt, non solum pestilentibus doctrinis, sed etiam corruptissimis moribus? Et illi, qui non literas Apostolicas, sed diuinas uiolant, quo ibunt? Clauem scientiæ tulerunt, ipsi non intrant, & introeuntes prohibent, An ista portenta sunt forte maiora & peiora, quam ut in die Cœnæ legantur & reseruentur? Sed legantur solum in cœlo, & nunquam remittantur.

Matt. 23. *Bulla cœnæ.*

Benedictione itaque digni, qui nituntur purgare Scripturas sanctas, & elucidare ex tenebris opinionum & humanarum rationum, quibus prope facti sumus Pelagiani sensu, & Donatistæ opere. Sed hæc alias.

Repurgatores scripturæ.

CONCLVSIO LXXIII.

Sicut Papa iuste fulminat eos, qui in fraudem negocij ueniarum, quacunque arte, machinantur.

Potestas clauium.

ITerum dico sicut prius (quicquid sit de intentione personali summi Pontificis) potestati clauium humiliter cedendum & fauendum est, nec temere contra nitendum, Dei enim potestas est, quæ siue per usum, siue abusum agatur, debet timeri, sicut omne aliud opus ex Deo, magis autem illa.

CONCLVSIO LXXIIII.

Multo magis fulminare intendit eos, qui per ueniarum prætextum in fraudem sanctæ charitatis & ueritatis machinantur.

Potestas tametsi honoranda est, tamen abusus eius improbari debet.

QVantumcunque enim potestas honoranda est, non ideo tam ignaui esse debemus, ut abusum eius non reprobemus, aut non resistamus. Sic enim omnes Sancti, potestatem seculi, quam etiam Dei uocat Apostolus, sustinuerunt & honorarunt, etiam in medijs pœnis & torturis, quas illa inferebat, sed tamen constanter eius abusum detestabantur. Et nō ideo sustinuerunt, quia illi recte uterentur potestate persequendo, Sed reliquerunt illis conscientiam malefacti, & per mortem secum traxerunt testimonium, & confessionem innocentiæ, sicut B. Petrus ait: Nemo patiatur sicut fur &c. Ita si Ecclesia uel Pontifex aliquem priuauerit communione fidelium, sine causa, debet id sustinere, & potestatem non damnare, sed non debet ita timere, ut approbet quasi benefactum sit, sed potius mori in excommunicatione. Non est enim excommunicatus, nisi errante claue, cuius errorem si approbet petens absolui, iam peius errat, Clauem honoret & ferat, errorem non probet. 1. Pet. 4.

Excommunicatus sine causa.

Veniæ non sunt gratiæ Dei.

Igitur fulminandi sunt, qui ita uenias prædicant, ut eas gratias Dei uideri uelint, hoc est enim contra ueritatem et charitatem, quæ sola talis gratia est. Multoque melius erat, nullas esse uspiam Indulgentias, quam tales opiniones in uulgum seminari, quia sine Indulgentijs possumus esse Christiani, sed talibus opinionibus non possumus esse, nisi Hæretici. Certum est autem, quod summus Pontifex uel credit uel debet uelle, esse in populo, primum mutuam charitatem, & misericordiam, aliaque præcepta Dei in illo florere, ac sic donat Indulgentias. Nunc uero fallitur, quia charitas & misericordia & fides, prope extincta est, nedum refriguit apud nos. Hoc enim si sciret, omissis uenijs, id ageret, ut populus primum ad mutuam charitatem rediret.

Opera charitatis sunt meliora, quam ueniæ.

Ita testor ego Dominum Ihesum, quod populus magna ex parte (alij putant ex omni parte) ignorat, quod opera charitatis meliora sunt quam ueniæ, credit potius sese nil melius agere posse, quam uenias redimere. Et huius hereticę & pestilentis opinionis, nullum habet correptorem, aut fidelem magistrum, sed potius per pomposas istas buccinas, instantissimos autores.

CONCLVSIO LXXV.

Opinari, uenias Papales tantas esse, ut soluere possint hominem, etiamsi quis per impossibile Dei genitricē uiolasset, est insanire.

Insani.

COactus sum insanos uocare, qui talia opinantur, ac uenia nobis à diua Virgine est petenda, quod talia dicere & cogitare cogimur, nec patuit uia, qua hanc necessitatem uitaremus. Nescio quo Diabolo operante factum

factum sit, ut populus istum rumorem ubiq; spargeret, siue id uere ita dictum est, siue ita intellectum à populo. Ego quidem etsi constanter asseretur à multis, & magni nominis hominibus, ita esse prædicatum in multis locis, potius tamen mirabar, quam credebam, sed auditu fuisse falsos existimabam. Ideo nolui in hac Conclusione ullum Concionatorem taxare, sed uulgum monere, qui talia opinari cœpit, quæ forte nullus dixisset, siue enim illi dixerunt siue non, mea non refert, donec certior fiam. Opinio tamen illa pessima undecunq; orta fuerit, detestanda & damnanda fuit. Veruntamen non mirum fuerit, tale quid à populo fuisse intellectum, quando audit magna & horrenda peccata, quodammodo leuissima existimari, propter magnitudinem gratiarum.

Vera & Euangelica prædicatio est, peccata, quo ad fieri potest, magnificare, ut homo ad timorem & legitimam pœnitentiam ueniat. Deniq; quid prodest propter uilissimam pœnarum remissionem, tot auxesibus tonare, ad extollendas uenias, & propter saluberrimam crucis sapientiam uix mutire? Imo quomodo id non noceat simplici uulgo, qui tantum solet æstimare uerbum, quanto fuerit gestu & apparatu prædicatum? At Euangelium nullo, ueniæ omni apparatu proferuntur, scilicet, ut uulgus Euangelium nihil, uenias omnia credat esse. *Euangelica prædicatio.*

Mirum tamen est, cum audeant clamare, homicidia, latrocinia, libidinem generis omnis, blasphemias in uirginem Mariam & Deum, facilia, ut his uenijs remittantur, Cur non etiam illa leuiora remitti clament, quæ in Bulla cœnæ reseruantur? Pontifex non remittit, uide ergo forte ne & illa non remittat, aut saltem non tam facile remittat, quæ multo sunt illis grauiora. *Bulla cœnæ.*

CONCLVSIO LXXVI.

Dicimus contra, quod ueniæ papales, nec minimum uenialium peccatorum tollere possint, quo ad culpam.

HAnc Meosin non posuissem, nisi uoluissem præcedentis Conclusionis opinionem detestabilem facere. Patet autem, quod nulla culpa remittitur, nisi à solo Deo. Ideo nec illa magna per facultates remittuntur, sed declarantur remitti, & eorum pœna remittitur. Hæc dico secundum illorum sententiam. Mea autem patuit superius satis. *Culpa remittitur à solo Deo.*

Verum hic morandum fuisset in ueniali peccato, quod ita uilescit hodie, ac si nullum pene sit, & timeo magna multorum perditione, qui secure stertunt in peccatis, ubi non uiderint sese crimina committere. Ego id fateor, donec legi scholasticos Doctores, nunquam intellexi, quid & quantum esset ueniale peccatum, an ipsi intelligant, nescio. Id breuiter dico, qui non assidue sic timet et agit, ac si mortalibus peccatis plenus esset, uix unquã saluabitur, quia dicit scriptura: Non intres in iudiciũ cum seruo tuo Domine. Nam non solum uenialia, quæ nunc passim uocant, sed etiam bona opera, nõ possunt iudicium Dei sustinere, sed egent ignoscente misericordia. Quia nõ ait: Non intres in iudiciũ cum hoste tuo, sed cum seruo & puero tuo, qui seruit tibi. Iste ergo timor doceret misericordiam Dei suspirare, & in eam confidere, Vbi ille deest, incipimus confidere in conscientiam nostram, magis, quam in misericordiam Dei, dum nihil criminis nobis conscij sumus fecisse, & hi in horrendum cadent iudicium. *Veniale peccatum.* *Psal. 143.* *Bona opera nõ possunt iudicium Dei sustinere.*

CONCLVSIO LXXVII.

Quod dicitur, nec si S. Petrus modo Papa esset, maiores gratias donare posset, est blasphemia in S. Petrum & Papam.

CONCLVSIO LXXVIII.

Dicimus contra, quod etiam iste, & quilibet Papa habet maiores, scilicet Euangelium, uirtutes, gratias curationum &c. ut 1. Corinth. 12.

QVia in potestate & obedientia Papæ sunt omnes, qui ista habent in Ecclesia, quos potest mittere quo uolet, etiamsi ipse personaliter non haberet, ut non dicam, quod Bulla cœnæ, adhuc non est remissa cum suis casibus. Adhuc maior esset gratia summi Pontificis, si has omnes facultates, gratis donaret omnibus Christianis, qui eis egerent. Deinde si sublatis Canonibus onerosis, libertatem populi Christiani restitueret, & tyrannides officiorum, ac Simonum exploderet. Sed hæc non sunt forte in potestate eius, inualuit enim inimicus, & Princeps prouinciarum facta est sub tributo, Dextera Domini faciet hanc uirtutem, si id digni fuerimus impetrare.

CONCLVSIO LXXIX.

Dicere crucem armis papalibus insigniter erectam, cruci Christi æquiualere, blasphemia est.

Crux Christi. Crux Indulgentiarum.

QVa fronte sint hi homines, quis non uidet? quid non audeant, qui talia audent? His credendæ sunt animæ Christi sanguine redemptæ? Christi crux uiuificat totum mundum, occiso peccato, Crux illa armata largitur quasdam pœnas remitti, & sic sunt æqualia, pœna æterna & temporalis. Sed quid persequar portenta omnia, quæ ex tali sermone sequuntur, quæ nec cœlum possit sustinere, ut proferantur?

CONCLVSIO LXXX.

Rationem reddent Episcopi, Curati & Theologi, qui tales Sermones in populum licere sinunt.

Potestas Ecclesiæ timetur.

AT timetur potestas Ecclesiæ, denique errores & offensiones hodie factas in sedem Romanam, uindicantur gemino gladio, sed nunquid ideo tacendum? Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo. *Matt. 10.*

Duo gladij.

Verum id ego uehementer admiror, quisnam illam glossam inuenerit primus, quod duo gladij significent, unum spiritualem (non ut Apostolus uocat, scilicet gladium spiritus, uerbum Dei) alium materialem, ut sic Pontificem utraque potestate armatum, nobis non Patrem amabilem, sed quasi Tyrannum formidabilem faciant, dum nihil nisi potestatem undique in eo uidemus. *Ephe. 6.*

Ira Dei.

Et ista est fidelissima glossa, super Patrum Decreta, in quibus tam rigide prohibentur clericis arma. Hic uide, num Deus iratus, uidens quod pro gladio spiritus & Euangelio, diliximus intelligere ferrum, iustissime nobis fecit, ut daret gladium, quem uoluimus, & auferret quem noluimus. Ita ut nusquam in mundo fuerit crudelior strages bellorũ, quam apud Christianos. Rursum uix neglectior sacra scriptura, quam apud Christianos. En tibi gladium, quem uoluisti. O glossa uel tartaro digna. Adhuc tamen sumus saxei, ut iram Dei non intelligamus.

Duæ claues.

Cur, quæso, illud amabilissimum ingenium, non etiam duas claues, pari uidelicet subtilitate interpretatur, ut una sit diuitiarum mundi largitrix, altera uero diuitiarum cœli. Et quidem de altera satis plana est sententia, quia secundum Concionatores ueniarum, ipsa cœlum assidue aperit, & exundat diuitias

diuitias Christi, Sed alteram non potuit sic intelligere, sciens uoraginē rapacissimam diuiciarum in Ecclesia. Non enim expedit Ecclesiæ & patrimonio Christi, ut tanta liberalitate diuicias mundi, quanta profundit diuicias cœli.

Isa. 9. Ideo altera clauis est clauis scientiæ, cui si adderetur alter gladius, id est, gladius scientiæ, apostolice, id est, recte & sancte dicerent: In his omnibus nondum est auersus furor Domini, adhuc manus eius extenta, scilicet, quia res est mire molesta, sacras literas meditari, quibus instructi (secundum Apostolum) destrueremus munitiones, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei. Compendium illud laboris nobis placet, ut non hæreses aut errores destruamus, sed hæreticos & errantes concrememus, ducti scilicet meliore consilio Catonis, quam Scipionis in Carthagine uastanda. Imo contra uoluntatem spiritus, qui scribit, ideo relinqui in terra promissionis Iebusæos & Cananæos, ut filij Israel discerent bellare, & habere consuetudinem bellandi. Quod si S. Hieronymus non decipit me, puto de bellis hæreticorum præfiguratum, uel certe Apostolus sit dignus fide, ubi dicit: Oportet hæreses esse. At nos: Nequaquam, sed oportet comburi hæreticos, ac sic radicem cum fructibus, imo zizaniam cum tritico euellere. Clauis scientiæ.

2. Cor. 10

1. Cor. 1.

1. Cor. 11. Delentur hæretici, non hæreses.

QVid hic dicimus, nisi quod cum lachrymis Domino dicimus: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum? quid enim aliud meremur? Atque hæc ideo quoque commemoro, ne Pighardi nostri uicini, hæretici, infœlix populus, qui fetore Romano gaudet, sicut Pharisæus super Publicanum, non autem compatitur, ne, inquam, illi nos crederent nescire uicia, & labes nostras, & immensum aduersus nostram miseriam superbirent, si nos ista tacere & approbare uideremur. Scimus heu nostrum casum, & dolemus, non autem sicut hæretici fugimus, & semiuiuum transimus, tanquā alienis peccatis pollui timeremus. Quo furioso timore illi sic timent, ut non pudeant gloriari, sese ideo fugere, ne polluantur, Tanta est charitas. Nos uero, quo miserius laborat Ecclesia, eo fidelius assistimus & accurrimus, flendo, orando, monendo, obsecrando. Sic enim charitas iubet, alterum alterius onera portare, non sicut hæreticorum charitas facit, quæ solum commoda quærit alterius, ut potius portetur, & nihil molesti sustineat à peccatis aliorum. Quomodo si Christus uoluisset facere & Sancti eius, quis fuisset saluus factus?

Luc. 10.

Gal. 6. Hæreticorum charitas.

CONCLVSIO LXXXI.

Facit hæc licentiosa ueniarum prædicatio, ut nec reuerentiam Papæ, facile sit etiam doctis uiris redimere a calumnijs, aut certe argutis quæstionibus Laicorum.

ETsi amici mei, me hæreticum, impium, blasphemum, iam multis diebus clament, quod Ecclesiam Christi, & Scripturas sanctas non teneam catholico sensu. Ego tamen fretus conscientia mea, credo eos falli, me uero diligere Ecclesiam Christi, & decorem eius. Qui autem me iudicat, Dominus est, licet nihil mihi conscius sim. Et ideo istas Positiones omnes, coegit me ponere, quod uiderem alios falsis opinionibus infici, alios per tabernas ridere, & sanctum sacerdocium Ecclesiæ manifesto ludibrio habere, occasione tam effusæ licentiæ prædicandarum ueniarum, Non erat uulgus Laicorum, ampliore occasione, in odia sacerdotum excitandum, quod iam à multis annis propter auariciam & pessimos mores, nobis offensum (heu solo timore pœnæ) honorat sacerdotium. Lutherus amator Ecclesiæ Christi. Laici.

CON-

CONCLVSIO LXXXII.

Cur Papa non euacuat purgatorium, propter sanctissimam charitatem, & summam animarum necessitatē, ut causam omnium iustissimam, si infinitas animas redimit propter pecuniam funestissimam, ad structuram Basilicæ, ut causam leuissimam?

Hanc quæstionem non Papa, sed Quæstores excitant, Quia ut supra dixi, nusquam legitur summi Pontificis super hac re ullum decretum, ideo respondeant illi ad eam, qui suscitauerunt. Ego ad omnes istas quæstiones uno uerbo responderim, quantum pro Pontificum honore fieri potest, uidelicet quod nemo eos informat rei ueritatem, & frequenter fit, ut male narrantibus mala concedant.

Nemo Pontifices docet ueritatem.

CONCLVSIO LXXXIII.

Cur permanent Exequiæ & Anniuersaria defunctorum, & non reddit aut recipi permittit Beneficia, pro illis instituta, cum sit iam iniuria pro redemptis orare?

Multos scio ista quæstione fatigatos mecum, & multis euasionibus frustra à nobis laboratum, Diximus etiam, si euolarent animæ, tum officia instituta pro illis, iam in laudem Dei cederent, sicut fit, dum pueri & infantes decedunt. Alius aliter, sed nullus fecit satis. Tandem cœpi disputare, & negare illorum sermones esse ueros, ut uel sic elicerem tandem à doctioribus, quid hic respondendum foret.

Cur negarit illorū sermones.

CONCLVSIO LXXXIIII.

Quæ illa noua pietas Dei & Papæ, quod impio & inimico, propter pecuniam concedunt animam piam & amicam Dei redimere, & tamen propter necessitatem ipsiusmet piæ ac dilectæ animæ, non redimunt eam gratuita charitate?

CONCLVSIO LXXXV.

Cur Canones pœnitentiales re ipsa & non usu, iam diu in semet mortui & abrogati, adhuc tamen pecunijs redimuntur, per concessionem Indulgentiarum, tanquam uiuacissimi?

CONCLVSIO LXXXVI.

Cur Papa, cuius hodie sunt opes opulentissimis Crassis crassiores, non de suis pecunijs magis, quam pauperum fidelium, struit unam tantum Basilicam sancti Petri?

Ad hanc quidem & similes ego dico, non est nostrum iudicare uoluntatem Papæ, sed tantummodo ferre, etiam si quando fuerit iniquissima, ut supra dixi. Verum monendus tamen est, & præcones ueniarum, ut non detur tam manifesta occasio populis loquendi, sicut olim Eli sacerdos fecit, ut propter filios suos, homines detraherent sacrificio Domini. Si tamen mens Papæ unquam fuit, Ecclesiam S. Petri, tot pecunijs corrasis ædificari, & non potius eorum, qui facilitate eius, in suum lucrum abutuntur. Non est necesse literis tradere, quid passim de structura illa fabulentur, det Dominus ut mentiar, non diu poterit ista exactio prospera esse.

Papa monendus. *1. Reg. 2.*

CONCLV.

CONCLVSIO LXXXVII.

Quid remittit aut participat Papa ijs, qui per contritionem perfectam, ius habent plenariæ remissionis & participationis?

HAEc inde uenit, quod multi etiam Iuristæ nescire se dicant, quid sit remissio culpæ per claues, de qua supra meum sensum dixi. *Iureconsulti.*

CONCLVSIO LXXXVIII.

Quid adderetur Ecclesiæ boni maioris, si Papa, sicut semel facit, ita centies in die cuilibet fidelium, has remissiones & participationes tribueret?

HIC mire mira, alij communem thesaurum fingunt, qui per Indulgentias augeatur. Et ideo si homo septies in die remissionem plenariam obtinet, ut in Vrbe potest fieri, tanto plura bona consequetur. Hi sibijpsis contrarij sunt, quod Indulgentiæ sint expensiones thesauri secundum eos, ergo non collectiones. Alij iuxta diuisionem continui in infinitum, remitti putant peccata, sicut diuiditur in semper diuisibilia lignum. Ita remittuntur peccata, semper remissibilia ulterius, licet semper minora fiant. Ego fateor me nescire quid dicam. *Communis thesaurus.*

CONCLVSIO LXXXIX.

Ex quo Papa salutem quærit animarum per uenias, magis quam pecunias, cur suspendit literas & uenias iam olim concessas, cum sint æque efficaces?

Hæc maxime omnium urit & displicet, & fateor magna cum specie, illa enim suspensio, unica est causa, quod uilescunt Indulgentiæ. Itaq; ego non possum negare quidem, quod omnia ferenda sunt, quæ Pontifex facit, Sed doleo, quod non possum optima esse probare, quanquam si de mente Pontificis, sine intermedijs operarijs mercedum, dicendum esset, optima de illa præsumenda dicerem, breuiter & cum fiducia loquendo. Ecclesia indiget reformatione, quod non est unius hominis Pontificis, nec multorum Cardinalium officium, sicut probauit utrunq; nouissimum Concilium, sed totius orbis, imo solius Dei. Tempus autem huius Reformationis, nouit solus ille, qui condidit tempora. Interim uicia tam manifesta, negare non possumus. Claues sunt in abusu & seruitute auariciæ & ambitionis, & gurges accepit impetum, non est nostrum remorari eum. Iniquitates nostræ respondent nobis, & onus est unicuiq; sermo suus. *Suspensio. Pontifex. Ecclesia indiget reformatione. Claues sunt in abusu.*

CONCLVSIO XC.

Hæc scrupulosissima argumenta Laicorum, sola potestate compescere, nec reddita ratione diluere, est Ecclesiam & Papam hostibus ridendos exponere, & infœlices Christianos facere.

SIc enim ex malo fit peius, dum terrore compescuntur, Quanto rectius doceremur, hanc iram Dei intelligere, & pro Ecclesia orare, & talia tolerare in spe futuræ Reformationis, quam dum tam manifesta uicia uolumus cogere, uirtutes uideri, peius irritemus. Siquidem nisi nos mereremur uexari, Deus non permitteret solos homines in Ecclesia dominari, daret nobis Pastores secundum cor suum, qui nobis pro uenijs darent tritici mensuram in tempore suo. Nunc autem, etiamsi sint boni Pastores, tamen non possunt ad officium suum uenire, tanta est ira furoris Domini. *Ira Dei. Orare pro Ecclesia.*

CONCLV.

CONCLVSIO XCI.

Si ergo ueniæ secundum spiritum & mentem Papæ prædicarentur, facile illa omnia soluerentur, imo nulla essent.

Nimium extollendo uenias, depresserunt.

QVomodo? scilicet, si ut sunt, solum remissiones pœnarum, non meritoriæ, ac infra bona opera habendæ, non fuisset ullus unquam commotus aliquid de his dubitare, Nunc propter sui nimiam magnificationem, suscitant quæstiones insolubiles, in earum propriam uilificationem, Mens enim Pontificis non potest esse alia, quam quod Indulgentiæ sunt Indulgentiæ.

CONCLVSIO XCII.

Valeant itaque omnes illi Prophetæ, qui dicunt populo Christi: Pax, pax, & non est pax.

CONCLVSIO XCIII.

Bene agant omnes illi Prophetæ, qui dicunt populo Christi: Crux, crux, & non est crux.

CONCLVSIO XCIIII.

Exhortandi sunt Christiani, ut caput suum Christum per pœnas mortes, infernosq; sequi studeant.

CONCLVSIO XCV.

Ac sic magis, per multas tribulationes intrare cœlum, quam per securitatem pacis, confidant.

Satis supra de cruce & pœnis dictum est, hodie rarus sermo.

AD CANDIDVM LECTOREM ET ERVDITVM.

NON tibi hæc ædita existimes, erudite & candide Lector, quanquam quid opus hoc monitorio? quasi timeam Ciceroniana hæc tibi uisum iri, Tu pro Genio tuo habes aliunde, quod legas. Me oportuit, cum mei similibus, nostra, id est, rudia & barbara tractare. Sic placitum fuit in cœlo. Nec ausus fuissem nomen summi Pontificis, his meis bullis, appellare, nisi uidissem amicos meos illius terrore quam maxime confidere. Deinde quod summi Pontificis peculiare sit officium, ut debitorem agat, sapientibus & insipientibus, Græcis & Barbaris. Vale.

Anno Domini M. D. XVIII.

DECLARATIONVM DISPVTATIONIS DE uirtute Indulgentiarum, reuerendi Patris, ac S. Theologiæ doctoris Martini Lutheri ad Leonem X. Pontificem maximum.

FINIS.

MARTI.

MARTINVS LV- THERVS PIO LECTORI S.

VScitauit mihi Deus alium, & ex vetere nouum hostem, eximium illum, &, salua reuerentia, Reuerendum Patrem, Magistrum Iacobum Hostraten, Hæreticorum Magistrum vulgo & vere dictum, qui in Præfatione Apologiæ suæ, seu rectius matæologiæ, Propositionem meam tertiam decimam carpens, dicit: Si ista Propositio uera sit, Romanos Pontifices esse hæreticos, Deinde, sanguinaria sua lingua ad cædem & fraternam perniciem anhelans, monet optimum Pontificem Leonem X. vt non agnino & Christiano, sed leonino & furiali animo exurgat. Dignus plane uir, qui inquirat hæreticos, & exhortetur Pontifices, facturus ex Pontificibus hominibus bestias, ex Christianis hæreticos, Nouum genus inquisitorum tormentorum.

Hæc Epistola debebat præcedere Resolutiones Disput. de uirtute indulgentiarum etc. Est enim a D. Luthero scripta 13. Iulij, Anno 18. Sed hoc consilio huc locata, ne turbaretur ordo superiorum etc.

SEd uide hominem, qui omnes dies consumpsit & perdidit in Dialectica, tam multos docuit nos syllogismos Apostolicos, in eodē Libro, ex quibus intelligas, quàm eximie polleat in Dialectica. Hæc est enim consequentia Hostraten. Hoc est contra Scripturas, ergo est hæreticum. Gratias ago. Dauidis adulterium fuit contra Scripturas, imo contra Decalogum, ergo id fuit hæreticum. Et breuiter, Nullum est peccatum quamlibet leue, quin sit contra Scripturas. Ideo sequitur, quod autore Hostraten: totus mundus non est nisi mera hæresis. Ipsa quoque Ecclesia, cum sine peccato non sit, est hæretica. Et cum omnes simus mali, contra Scripturas, sumus Hæretici omnes, excepto uno Hostraten, qui non est sicut cæteri hominum, vt omnes faciat hæreticos, quo latius pateat inquisitionis eius, id est, gloriæ & lucri, ministerium.

Quis est hæreticus, si tu non es hæreticus? qui iuxta admirabilem tuam Dialecticam, Præmissas tenes, ex quibus Conclusio omnium hæreticissima sequitur, scilicet, quod Ecclesia est hæretica. Dico ergo & ego, quod pestilentiorem & impudentiorem hæreticum sol non uidit, quàm Iacobum Hostraten. Surge ergo, o Leo X. Pastor mitissime, & hos hæreticos Inquisitores alijs Inquisitoribus inquire. Iam uides, quo animo inquirant hæreticos, & teipsum cum tota Ecclesia hæreticum facturi.

Arrige ergo aures, o Hostraten infœlicissime, qui nec quid con-

tra vel pro Scriptura sit, nosti, & cū summo dedecore Ecclesiæ Inquisitor es hæreticorum, Docebo te primum Antepredicamentum, definitionem scilicet equiuocorum, & tui S. Thomæ Canonem vsitatum, Quod omne multiplex indistinctum parit confusionem. Contra Scripturas primo est hæresis, Deinde quilibet error, tum omne peccatum, etiam ueniale, & verbum ociosum, sed & ipse ineuitabilis fomes, vt Roman. 7. Apostolus dicit, se peccatum contra Legem Dei sentire in membris suis. Proinde, si Pontificum Notarij, vel ipsi aliud quid senserint, aut Scripturas, humana passi, distorserint, contra Scripturas quidem sapiunt, hæretici tamen non sunt. Nisi quo modo tu velles esse omnes homines hæreticos, dolens, ꝙ homicidijs, Christianorumꝙ sanguine pasci non permitteris, vt permittam, ꝙ quantumlibet sit magnus error, non est hæreticus, nisi pertinaciter asseratur & defendatur. Quorum vtrunꝙ adhuc alienum fuit a Romano Pontifice, Neꝙ enim magno errore, nec pertinacia seu magni seu parui erroris repertus est maculatus. Rom. 7.

Ito ergo, infœlix & cruente Parricida, qui nil nisi fraternum sanguinem sitis, & inquire scarabeos in suo fimo, donec discas, quid sit peccatum, error, hæresis, & omnia, quæ ad horum scientiam pertinent. Neque enim ignorantiorem Asinum ego vidi, præsertim, qui tot annos in Dialectica se glorietur versatum. Quid mirum, si optimos Articulos optimorū virorum pro hæreticis damnas, qui necdum nosti, quid sit contra Scripturas, ac per hoc, nec quid sit damnandum, aut quid hæreticum. Gaudeo plane me damnatum abs te, tam tenebricoso cerebro. Et obsecro te, ne vnquam dicas me Christianum & catholicum hominem, ne cæteri credant te mentitum, & ex cæcitate loquutum. Semper autem me, quæso, hæreticū proclamato, & erunt, qui pro me dicant: Cæcus iudicauit de colore.

Hæc tibi sanguinarie, veritatis inimice. Et si te furor tuus incesserit, vt quid contra me tentes, vide, vt cum iudicio & mora agas (præmonens dico) Deus scit, quid sim facturus, si vixero. Mea quidem fiducia est, ostendere omnibus palam, non fuisse Hæreticum in quadringentis annis pestilentiorem Iacobo Hostraten. Vale optime Lector.

XIII. Iulij. Anno M. D. XVIII.

Typogra-

Qui Sermones legetis R. P. D. Martini Lutheri de decem Praeceptis, meminisse debetis, ad populum fuisse dictos, qui, nisi rudi (quod aiunt) Mineruae res tradatur, sic Doctorem audit, ut Lyram Asinus. Itaq; uel sententiarum acumen, uel uerborum elegantiam ne expectetis. Siquidem hi Sermones ea dictionis simplicitate, nimirum extemporali, qua ad Populum e sacra concione fuere Germanice pronunciati, hic triuiali stylo sunt editi, Non ut doctos delectent, sed ut rudioribus, cum Laicis, tum Sacerdotibus, prosint, quorum utilitatis praecipue rationem is habuit, qui inuulgandos curauit. Igitur quicquid hoc est tumultuarium concionum, boni consulite, candidi Lectores, & Lutherum non minus purum ac sincerum Christianae pietatis Doctorem, quam uitae prorsus inculpatae uirum, amate.

Et bene ualete.

Anno post Christum natum.

1. 5. 18.

DECEM PRÆCEPTA VVITTEMBERGENSI POPVLO praedicata, Per R. P. D. Martinum Lutherum Anno M. D. XVIII. primum aedita.

I.

NON HABEBIS DEOS ALIENOS.

PRimum quaeritur: Cur non praecipit affirmatiue sic: Habeto proprium uel unum Deum, uel, Adora me unicum Deum? Secundo: Cur non imperatiue magis, quam indicatiue, dicit: Non habeto Deos alienos?

Ad utrunque simul respondeo: Quod omne praeceptum Dei magis positum est, ut ostendat iam praeteritum & praesens peccatum, quam ut futurum prohibeat. Siquidem iuxta Apostolum Roma. 3. Per Legem nihil, nisi cognitio peccati. Et iterum, Roma. 11. Galat. 3. Conclusit Deus omnes sub Peccatum, ut omnium misereatur. Ideo praeceptum Dei ueniens, inuenit Peccatores, & auget, ut amplius abundet peccatum, Roma. 5. *Praeceptum Dei.* *Roma. 3.* *Rom. 11.* *Gala. 3.* *Roma. 5.*

Leges uero hominum propter futura peccata ponuntur. Ideo Spiritus, ut est benignissimus Magister, magis loquitur indicatiue, Q. d. O miser homo, ecce tuam tibi ostendo prauitatem. Talis esse deberes, qui nullos Deos haberes, Non assumeres nomen Dei tui frustra, Sabbatum sanctificares, Non occideres, Non concupisceres &c. Nunc autem totus es alius & peruersus. *Leges humanae.* *Spiritus Dei loquitur indicatiue.*

Ideo denique & negatiue praecipit, Quia negatiua est uehementior, quam affirmatiua. Siquidem & Samaritani olim coluerunt unum Deum, sed simul Deos suos. Et nunc Iudaei atq; gentes, haeretici & mali, imo omnis homo mundi, unum Deum colit, quem omnes cognouerunt, ut Rom. 1. Apostolus dicit. Sed ibi peccant, quod hunc sic colunt, ut simul & sua Idola colant. Ita nullus est hominum in mundo, qui non in aliquo gradu, quodlibet praeceptum faciat: Quia nemo est, qui non aliquando nomen Dei in uanum assumat, qui non aliquando occidat, non moechetur, non furetur, sed simul tamen omnia etiam contraria faciat, ut uidebimus latius infra. *4. Reg. 17* *Roma. 1.* *Negatiua uehementior, quam affirmatiua.*

COROL:

Omnes filij Adæ sunt idolatræ, & primi huius Præcepti rei.

Idolatria duplex, 1. Exterior. 2. Interior.

VErum sciendum, quod idolatriæ duo sunt genera. Alterum exterius, alterum interius. Exterius, quo homo lignum, lapidem, bestias, stellas adorat, ut notum est ex ueteri Testamento & Libris gentilium. Hoc autem procedebat ex interiori. Interius, quo homo uel timore pœnæ, uel amore commodi affectus, foris quidem omittit culturam creaturæ, sed intus manet amor & fiducia in creaturam. Quæ est enim religio, non flectere genua diuitijs & honoribus &c. & tamen cor ac mentem, nobilissimam sui partem, offerre illis? hoc est, Deum adorare in corpore & carne, intus autem adorare creaturam in Spiritu.

Hæc idolatria dominatur in omni homine, donec sanetur per gratiam in fide Ihesu Christi. Sicut dicit Psal. 81. Audi populus meus, & contestabor in te, Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis deum alienum. Quod est dicere: Tuis studijs & uiribus nunquam eo peruenies, ut deum alienum non adores, Quia etsi non coles imagines, corde tamen mihi præferes creaturam. Tunc autem non adorabis alienum, si me audieris, id est, fides uerbi mei te faciet liberum à dijs alienis, & uerum cultorem Dei, Hæc enim abstrahet te à cupiditate & fiducia rerum, & trahet ad Creatorem. *Psal. 81.* *Israel, si me audieris.*

Quomodo fiet istud?

ITa fiet, Fides Christi tollit omnem fiduciam sapientiæ, iusticiæ, uirtutis propriæ, docens, quod nisi ipse pro te mortuus esset, teque seruaret, nec tu, nec omnis creatura tibi posset prodesse, ac sic oritur omnium cōtemptus. At ubi audis, quod pro te passus est, & credis, iam oritur fiducia in eum, & amor dulcis, & sic perijt omnis rerum affectus, ut inutilium. Et oritur æstimatio solius Christi, ut rei necessariæ uehementer, remansitque tibi nō nisi solus Ihesus, solus satis & sufficiens tibi, ita, ut de omnibus desperans unicum habeas hunc, in quo omnia speres, ideoque super omnia eum diligas. At Ihesus est uerus, unus, solus Deus, quem cum habes, non habes alienum deum. Iudæi uero timentes, ne alienum deum haberent, si hominē Christū adorent eo, peius adorant alienū deum, scilicet, idola cordis sui, quæ sibi de Deo fingunt. Recte ergo dicit, Si audieris me, Q. D. impossibile est, ut non adores alienum, si non audieris me, quia non humiliaberis, nec auferetur tibi fiducia creaturæ. Non humiliatus autem, non adorabis me, sed te & tua. *Fiducia in Christum.* *Iudæi.* *Psal. 81.*

Clare ergo patet, quod nemo implet hoc Præceptum, nisi credens in Christum, sperans, diligens, nudatus ab omnium rerum affectu, Quod sine gratia Dei est impossibile. *Implens 1. præceptum.*

AT sunt multi, qui cum interrogantur: An alienum deum habeant, & idolatræ sint, constanter respondent, quod nequaquam. Hos ut deprehendas manifesto mendacio, id obserua, Num sint rebus ita mortui, & in Christo ita securi, ut nec diuitijs inflentur, nec paupertate deijciantur, nec honore tumeant, nec ignominia marcescant, nec uita lætentur, nec morte terreantur, nec uoluptate gaudeant, nec passionibus tristentur. Et prorsus ita sint ad utrunque immoti & quieti, ut quoquo modo illa cadant, satis eis sit, quod Ihesum Christum habent, imo ut paupertatem, ignominiam, passiones, mortem ament & optent, diuitias, gloriam, uoluptatem, uitam, fastidiant præ desiderio sui Dei Ihesu Christi. Sicut ille Psal. 42. Quemadmodū desiderat ceruus ad fontes aquarum &c. Et sponsa in Canticis: Filiæ Ierusalem, nunciate dilecto, quia amore langueo. Et Paulus; Cupio dissolui & esse cum Christo. *Colentes alienum deum.* *Psal. 42.* *Cant. 5.* *Philip. 1.*

Qui uero

Qui uero hunc in se affectum nondũ sentit, confiteatur se nondum esse purum Dei cultorem, sed multa mixtum idolatria, quia dolet, cupit, amat, odit, nõ sicut debet, nec ea quæ debet. At hic dicitur: Hęc pertinent ad perfectos, nõ ad omnes, Nõ est necessaria tanta perfectio. Respõdeo: Et nos scimus hoc esse perfectorum (id est, non Iudæorum, sed Christianorum) Non ꝙ damnati sint omnes, qui tam perfecti non sunt, sed ꝙ ista meta & finis est nobis propositus, à cuius assecutione nemo excusatur, nisi is, qui cũ gemitu agnoscit, & confitetur sese nõ esse talem, & quotidie laborat, ut fiat talis. Et ꝙ minus facit, humiliter petit ignosci, dicens: Dimitte nobis debita nostra. Et illud: Cor mundũ crea in me Deus. His, inquam, timoratis, & confitentibus, quærentib. petentibus, nõ imputatur ista idolatriæ suę mixtura, propter Christũ, in quem credũt. Illis uero, qui sine timore, sine solicitudine proficiendi in securitate stertunt, omnino imputatur, & sunt uere idolatræ. Nec excusabuntur, ꝙ non sit necesse esse perfectum, quasi præceptum illud lapidibus aut lignis, ac non potius hominibus sit positum, & ita implendum plene atque perfecte, ut nec unum iota, aut unus apex sit prætereundus.

Enitendum ad perfectionem. *Psal. 51.*

PRo clariore notitia, ita ut infirmiores possint capere, qui & quomodo contra hoc præceptum peccent, latissime ponam exempla, non tamen omnia (nisi uelim infinitum numerare) sed multa, ut eorum comparatione possint reliqua facilius intelligi.

Peccantes contra primum præceptũ.

Primo, Sunt aliqui adeo rudes, ut uideatur Diabolus non serio, sed uelut moriones suos ioco illudere, inter quos sunt, sortilegi, diuini, malefici, incantatores, superstitiosi. Et horum multiplex species. Sed in compendium eos redigam, atque ut facilius teneantur memoria, iuxta ætatum differentias distinguam.

Superstitiosi.

PRima est Adolescentia, per se procliuis in seductionem hostis. Primo sunt, qui conceptis uerbis certisꝙ signis nouerunt consecrare, id est, execrari, gladios, tela, bombardas, & omne ferrum, ita, ut non possint lædi ab illis, siue in bello, siue alias. Vidi ipse ego adolescentem, qui stricto gladio, in uentrem nudũ fixo, tam ualide urgebat aduersum seipsum, donec capulus reflexus copularetur acumini super uentrem, & nihil læsus, gladium rursum remisit.

Adolescentia. *Gladius, telum, & similia, ne lædant.*

Secundo, Qui possunt hæc soluere, circulo descripto, ductisꝙ in puluere signis, & ita alter alterius Sacramenta irrita faciens, sese occidunt.

Tertio, Sunt, qui literas aut characteres super uitrum scribunt & ad ignem ponunt, torquere soliti hac machina Puellas ad sui amorem. At illæ rursum, aliæ ollam ad ignem ponentes, suos Adonides per multa miliaria uocare possunt. Aliæ caput asini in medio foco ponentes, urgent ad se uenire quotquot uolunt, sui mysterij uel æmulos uel consortes. Et mirum dictu, ꝙ non sit salus nec remissio uenire coactis, donec igne potiri eis licuerit, asinini capitis coctore.

Characteres. *In uitro puellæ Amasij.* *Caput asini.*

Quarto, Habentur literæ, multis sacris & uerbis & signis repletæ, quas Carolo dicunt à Leone Papa missas in bellum, quod ultra uanitatem, etiam mendacium est, ut ex Chronicis patet, cum non fuerint synchroni Leo & Carolus. His tamen tantum tribuunt, ut nec occidi, nec lædi, nec iniuriam pati possit, qui illas portauerit, ita ut præsumant, & iniquis causis uictorias forenses.

Literæ Leonis Papæ. *Victoriæ forenses.*

Quinto, Obseruant menses pro uxore ducenda. Alij, ne nascatur proles, alij contra, ut prole abundent. Ita non Deo, sed mensibus tribuunt hominis creationem, infœlici insipientia, & tamen sunt Libri his nugis referti.

Obseruatio mensium pro uxore ducenda.

Sexto, Sacra illa cęra paschalis cęrei, à multis furtim abciditur, nescio in quot & quanta uel maleficia, uel superstitiones.

Cereus Paschalis.

 Septimo,

Inuisibiles. Septimo, Sunt, qui accepta aqua benedicta, cum preculis suis sperant se in formicario ouum inuenturos, quod gestantes sint inuisibiles.

Fur. Octauo, Furem quærunt, dum suspecta nomina in chartulis inscripta, iaciunt in aquam benedictam, ut cuius nomen in ima ruat, ipse sit fur quæsitus.

Vxor ducta. Nono, Vxore ducta, stultis obseruationibus intendunt, uter utri sit superuicturus, ut qui prior obdormiat nocte prima, prior morietur. Item uxor primo ingressu domus uiri, superius limen tangat manu, adiūctis uerbis, quibus se Dominam uiri diuinet. Secundum hæc iudicentur similia, quanquam sint stulta magis q̃ mala, & ludus dæmonum, ut dixi, uidetur. *Illusio dæmonum.* Sed qui tandem in nimium serium uergat, scilicet, ut assuescant ijs minutis in creaturam confidere, & inde nec in magnis Deo credant. Excusant se sane, q̃ sint sacra signa, sacraq; uerba, quasi non ideo magis sint accusandi, q̃ rebus, signis, uerbisq; Dei, in re prophana & diabolica utuntur.

Virilis ætas. Secunda est Iuuentus, & eorum, qui Coniugio iam sunt astricti, vbi affectus prolis & rerum, mulierculas mire seductiles reddit in hoc opere Diaboli.

Fascini curatores. Primo, Curare nituntur infantes superstitiosis quibusdam ritibus. Nam sunt, qui fascinatos curant pueros (quod malum apud nos frequentissimum est, adeo abundant pestilentes uetulæ, & dæmonum ancillæ in hunc usum) *Die Elbe.* ignoto quodam morbo, quem teuto: die Elbe/ uocant. His quidam sacerdotes & æditui rusticani à magicis meretricibus edocti, literas scribunt pensiles ad collum. Sed non communi atramento neque papyro, nec omni die, nescio an & calamo & pulpito & loco usuali, habet enim res ea sua occulta mysteria, & fit tamen quod faciunt, quia credunt. Alij alium morbum, quem teuto: das *Das hertzgespanst.* hertzgespanst/ id est, pectoris distensionem, quem eo probant argumento, scilicet: Si mensura à cubitu ad cubitum non sit æqualis mensuræ, à poplite ad collum pueri. Deinde nescio, quot modis murmurandi cingulo metientes, capitis dolorem mitigent, sic & alios omnium membrorum dolores.

Hic ego vellem pueros intelligere & loqui, ut matres suas tam insignis stultitiæ arguerent, Non enim est dubium, quin resisterent, & sapientiores se matribus probarent.

Dicunt autem: Quis non misereatur infantis & filij uteri sui? Respondeo: Miserendum, sed non usque ad seruitutem Diaboli. Vel naturalem quære medicinam, uel Deum exora in simplici fide. Cur eum, quem Deus creauit, diabolo seruandum & sanandum offers? Verum Deus ad tentationem incredulorum permittit talia fieri in infantibus, per maleficos, vt diabolum *Permissio diuina.* quærant, qui Deum neglexerunt. Neque enim dubitandum est, infantium eiusmodi vexationes, quandoque non esse naturales, sed dæmones per male*Infantium uexationes non semper naturales.*ficos adiurati, ita cruciant parentes eorum, occulto Dei iudicio, sed iustissimo, ut probet fidem, vel illorum vel aliorum, aut utrosque puniat.

Pueri. Secundo, Patres insufflant paruulis in palatum, vel guttur, nescio quo morbo laborantibus. Adducūt autem verba ad adiurationem idonea septem vicibus.

Pecora. Tertio, Qui pecora signant atque sic seruant a lupo, peste, aqua, igne. Quin totam ciuitatem vel domum ab incendio possunt ita seruare? Infœlix lupus, iuste queri potest, portionem suam a Deo datam, sibi ereptam per dæmonum fœderatos. Si Iob ita fecisset, sua pecora seruasset, sed non a Deo laudatus esset. *Iob. 1.*

Fruges. Quarto, Eadem religione fructus in agris & hortis consignant, adeo stulti, vt qui imbrem & incrementum ex Deo acceperunt, custodiam ex diabolo petant, velut contra Deum pugnantes, ne auferat, quod dedit.

Quinto,

Quinto, Ignem & aquam, item serpentes nouerunt adiurare, ne pecori noceant vllo modo, id est, vt res eorum non sit subiecta Deo.

Sexto, Infirmi dum vouent Sanctis vota, deinceps peccatum putant medicinis vti, vt scilicet tentent Deum suis stultis votis. Atq; si qua mulier inuncta fuerit olei Sacramento, eam per annum non nisi nigris vestibus oportet vti, non saltare in chorea, non dormire cum marito. Adeo diabolus familiare habet organum, sexum istum fœmineū, vt ipsum in sua sacra adsciscat, per ipsum suas leges dictet, suas superstitiones seminet, per omnia contrarie Deo, qui sacra & sacerdotium & verbum suum, viris imponit. Verum longe præualet sacerdotium istud muliebre, repleuitq; has terras innumeris superstitionibus, benedictionibus, documentis friuolis, à quibus longe plus timent, quàm à legibus & sacris sacerdotij virilis ac diuini. *Aegroti.* *Fœmineus sexus.* *Vir.*

Septimo, Huc pertinent, qui ominationes, auguria, vt crocitatum coruorum & aliorum gentilium portentorum, reliquias vel exempla obseruant. *Auguria. Omen.*

Octauo, Qui dies Aegyptios obseruant, in profectionibus, in reditu, in ædificijs, in negocijs, in vestibus nouis induendis. Hi si sic crederent, quod ignis in hyeme gratior est quàm in æstate. Item, quod in æstate conuenit fœnum facere, fruges colligere &c. recte crederent. Aut quod omni mane bonum sit exire, si quis sanus sit & necessitatem habet, Malum autem, si ægrotus sit. Quid enim aliud meretur illusor ille Diabolus, quàm vt rursum & nos eum rideamus? His non longe iunguntur, qui incisionem venarum, ablactionem puerorum, salubritatem balneorum, & oportunitatem seminandorum, nō ex humorum & calorum oportunitate, vel corporum necessitate, sed ex influentijs planetarum & stellarum nos docent. Cum optimi Medici doceant, necessitatem hic esse vnicam Regulam. Nisi forte parant nos fame occidere, dum non permittunt nisi paucis diebus nos seminare. Sed bene habet, quod istæ nugæ a nullis vel paucissimis (Deo melius cogitante pro nobis) obseruantur. *Dies Aegyptiaci.* *Influentiæ Planetarum & stellarum*

IVDICIVM LVTHERI DE ASTROLOGIA.

NOno, Sequitur lauta illa Astrologia seu Mathematica, quæ ualde cupit esse scientia, sed non potest stultitiam ingenitam exuere. Hæc est quæ nos docet: Quis, qualis quantusue sit futurus, quisquis natus fuerit in horoscopis signorum, consiliarij scilicet diuini secreti, nec angelis noti. Vnum ego miror, quidnam illis acciderit, ut non inuenerint stellam, quæ portendat, quis Iustus, quis peccator sit nasciturus? Quandoquidem suos horoscopos maxime in hominibus valere volunt. Tum non est res tam parui momenti, iusticia, peccatum, ueritas, mendacium, sed nec tam rara, quàm sit balneator, cantator, trapezita, piscator, orator, amator, qui suos habent horroscopos. Cur ergo nullum ibi iusticiæ & veritatis signum? Aut si est, cur nunquam sortitur effectum? Siquidem omnis homo nascitur peccator, mendax, insipiens, licet nulla stella ad hoc fatum sit conficta, nec mutatur unquam, nisi supercœlesti gratia visitetur. Aut est cœlum adeo infestum & incuriosum iusticiæ & veritatis, vt vilissima balnea influat & ludos & veneres, iusticiam autem omnino nesciat. Aut tam inuidus Creator, qui nullum signum boni, sed tantummodo mali constituit, quippe cum nullus homo nascatur bonus, sitq; natura sua cum influentijs perseueraturus malus. Hos ego inter subtiles fatuos numerassem, nisi rudibus essent rudiores. *Subtiles fatui.*

In eos qui dicunt, Astra non cogunt, sed inclinant.

Sed pulcherrime soluunt obiecta, dicentes: Influentiæ non necessitant, sed inclinant ad peccatum &c. Quasi non sit idipsum impijssimum sentire, quod Deus fecerit creaturam ad inclinationem peccati, & non potius ad erectionem iusticiæ, ut omnia cooperentur in bonum, non in malum hominibus. Aut quasi ullus hominum necessitate compulsus peccet, & non potius semper inclinatione. Quis inuitum dicet peccare? Omnis mala inclinatio, non extra nos, sed in nobis est, Sicut ait Christus: De corde exeunt cogitationes malæ, Non quod intrat in hominem &c. Et B. Iaco. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus, quæ non fato, sed origine peccati uenit. Omnia enim quæ fecit Deus, bona sunt, ideo ex natura sua, non possunt nisi ad bonum inclinare. Quale est unumquodque, tale & operatur.

Inclinatio mala in nobis est.

Math. 15. *Iacob. 1.* *Gene. 1.*

Paulus.

Quod autem ad malum seruiunt, non est natura, sed iniuria eorum, sicut Paulus ait: Omnis creatura subiecta est uanitati non uolens. Illi autem naturam eorum faciunt uanitatem, uolentes ex institutione Dei illa habere, ut ad peccandum inclinent. Cur ergo Adam & Heuam ante serpentem non inclinauerunt? cur non Christum? cur non Virginem? Pereat ea blasphemans impietas. Vox illa, uox patris Adam est, qui & ipse suam inclinationem ad mulierem transtulit, id est, creaturam Dei, dicens: Mulier, quam mihi dedisti &c. Verum, quod egregie mihi obstarent, si ullum Sanctorum, uel Martyrum his usum esse, aut scripsisse, aut approbasse possent ostendere. Nunc autem non modo non approbauerunt, sed etiam reprobauerunt. Præsertim B. Augustinus in multis locis, tum B. Gregorius. Et tamen inuenit ista languidula insipientia, languidiores qui credant.

Roma. 8. *Gene. 3.*

Augustinus. *Gregorius.*

Abraham. *Iosephus notatur.*

Abraham, inquiunt, docuit Aegyptios astrologiam, ut testis est Iosephus, Quasi Iosephus nusquam excesserit uerum, præsertim tam anhelus Iudaicæ gloriæ appetitor. Abraham sine dubio docuit Aegyptios Deum colere, & ueram Dei sapientiam. Sicut & de Ioseph dicitur Psal. 105. Vt erudiret principes eius, & senes eius prudentiam doceret. Non est credendum, sanctos illos uiros, nec astronomiæ, multo minus astrologiæ operam dedisse, quę iuuentutis sunt studia ociosa. Sed Iosephus uidens huius scientiæ opinionem apud Græcos extolli, & in gloria esse, fingere uisus est uoluisse, quomodo etiam in hac re Iudæi Græcis non impares, sed superiores essent, quod in omnibus alijs quoque facere conatus fuit, quæ ad uanam gloriam pertinent.

Psal. 105.

Ociosa studia.

Mirum est, dæmones aëris incolas, ex influentijs non fuisse mutatos.

Deinde mirum est, dæmones non fuisse aliquando mutatos, qui tot seculorum influentijs subiecti, tum propiores, quam nos, utpote in aere habitantes, sunt. Non autem uenisse stellarum influentias super eos, aut easdem stellas, eodem modo eis fulsisse, absurdum uidetur, Manent enim obstinati in sua peruersitate, nec ullo signo mutantur, cum nostræ animæ breuissimo momento influentiarum mutari dicantur?

Moses Deut. 4. *Sol, luna, astra, in ministerium hominibus creata.* *In Ptolemeum.*

Vltimo, Quid ad Mosen dicemus? Deut. 4. Ne forte eleuatis oculis ad cœlum, uideas solem & lunam, & omnia astra cœli, quæ creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus &c. Si in ministerium, quomodo in dominium? At subtiliter euadunt, dicentes autoritate sui magistri Ptolemei: Sapiens dominatur astris, ideo pręuenire & impedire potest influentias stellarum. Ergo non sunt in dominium sapientibus, sed insipientibus tantū. Quid autem Moses? Cunctis, inquit, gentibus in ministerium. Si cunctis, ergo vel cunctę gentes sunt sapientes, & ita dominantur astris omnes, vel aliquę tantummodo sunt sapientes, & fiet, ut non cunctis gentibus sint creata

sint creata in ministerium, uel Moses uerax, & tu mendax. Vt omittam, quod si etiam uere sapiens esset dominus astrorum, nihilominus falsum dixisset Moses, utpote, quod astra non ministrent sapientibus etiam, sed magis impediunt, ita, ut nisi illi sapientia præstarent, non possint earum fata uitare. Non ergo in ministerium, sed in bellum, sapientibus, & in dominium atque tyrannidem insipientibus, dicendæ fuissent stellæ creatæ. Quod est & Mosen mendacij arguere, & Deum crudelitatis accusare, omninoque blasphemare.

Sed hæc alij latius tractarunt, Sat sit indicasse uanitatem hanc prohibitam. Iere. 10. Iuxta uias gentium nolite dicere, & à signis cœli nolite metuere. Solus enim Deus timendus est in omnibus. Cætera omnia ut ministeria in bonum electis cooperantia esse, debemus intelligere. *Ierem. 10.*

TERtia ætas proprie est Vetularum, aut similia illis operantium, ut qui cum dæmonibus paciscuntur, de quibus passim habetur notitia. *Malefice.*

Primo, Maleficijs possunt oculos lædere & excæcare, corpora infirmare, sagittare crura, imaginibus deuouere, & prout libet uel occidere, uel lenta & incurabili plaga tandem consumere, ut uidi plures talia passos.

Secundo, Possunt tempestates, tonitrua concitare, perdere fruges, occidere pecora. Item, butyrum, lac, caseum alijs furari, id est, ex poste uel bipenne, uel mantili, mulgere.

Tertio, Huc pertinent, qui scientiam quærunt per artem Notoriam, de qua in iure satis dicitur. Item, Qui occulta quærunt per Crystallum, unguem, uel eburneum capulum, tamen prius consecratum. Nec id possunt, nisi puellæ uel pueri uirgines, in circulo inclusi, ne desit species bona pessimo illi operi, Dicitur tamen huius inspectionis mysterium fallacissimum esse. Huius generis sunt, qui uirga diuinationis, occultos quærunt thezauros, Maxime autem hi, quos uulgo uiros & mulieres sapientes (id est, Magos & Phytonissas) uocant, quorum oracula ex diuersis & longinquis locis petunt, Si quis aliquid amiserit, uel quodcunque passus fuerit, cuius ignoret autorem. Mirum hos, ab Episcopis permitti, impune talia publice audere. *Ars notoria.* *Occulta quærentes per Crystallum.* *Diuinatoria uirga.*

Quarto, creditur à multis, quod equitent super scobam, alij super hircum, alij super alias nugas, ad quendam locum, ubi ad conuiuium conueniant eius mysterij consortes. Quod non solum prohibitum est fieri, sed etiam credi uerum esse, ut infra latius. Sicut & illud, quod uetulæ mutentur in feles seu catos, & nocte uagentur, prohibitum est credi uerum esse.

Quinto, Dicitur apud aliquos, quandam dominam, alios Herodiadem, alios dominam Huldæ, alios Venerem, per annum circumuehi, ac uelut lustralem Februum peragere, quæ hospitibus suis relinquat, uel carbones, uel quisquilias currus sui, quæ postea inueniuntur esse aurum & argentum, ut etiam in latina lingua sit Prouerbium de carbonibus & auro, hinc forte natum. *Hulde.*

Sexto, Habent quidam domesticos quosdam dæmones, uelut Lares familiares olim habebantur, qui aliquando per diem apparent. Hos uulgo uocant alij **vichtelen**/alij **helleplin**. Et creditur domus fortunatissima esse, quæ talibus dæmonum illusionibus occupata fuerit, & plus timent offendere eos dæmones, quam Deum & totum mundum. *Lares familiares.*

Septimo, Aliquæ ut diabolum inueniant, ecclesiam circumeunt uersis uestigijs, & cōtra quam solitum est fieri, Et inuento illis obuio, sese tradunt ei in pactum.

pactum. Ex horum genere esse putandæ sunt, quæ malum omen esse putent, si mane obuium habuerint sacerdotem. Signant enim sese cruce, ne mala eius diei incurrant, quæ primo occursu sacerdotis sibi portendunt, magistro diabolo, futura.

Sacerdotis occursus.

Octauo, Sunt Incubi & Succubi dæmonum, de quibus latius statim.

Nono, Etiam usque ad Sacramentorum iniuriam proficit ista nequitia Satanæ. Sunt enim, qui baptizandis pueris, uerbenam, caseum, nescio denique, quæ nam alia alligant. Et quidem uerbena illa, nominatissima est superstitionum ministra, miris ceremonijs hanc effodiunt, deinde consecrari faciunt. Et horrenda temeritate tot nomina Dei & Sanctorum super eam inuocant, scilicet ex aliquo Iudæo præstigioso seducti.

Verbena.

Omitto hic menstrua mulierum, quibus aliquæ, philtra insani amoris, sæpius mortis, conficiunt. Aliquę in cibum porcorum miscent, quo saginentur fœlicius. Omitto, q infantibus, tabe uel macie laborantibus, ita solent consulere, ut positos in caldare, igne supposito, in aqua calida modeste conquant, alia fœmina astante, alia circum domum ter currente, & per foramen interrogante: Quid coquis? Illa tum respondente: Coquo carnem ueterem, ut noua fiat. Item, q ablactatos eo periculo, timent relactare, q pueri exinde sint futuri maledici, & linguæ malignæ.

Menstrua mulierum.

Omitto monstra, quæ agunt in periculo partus. Religiosissimæ Legendam S. Margarethæ legunt, & ipsi passioni Christi præferunt. Aliæ femorale uiri, parturienti in colla suspendunt, alijsq nugis delirant.

In partu [illegible]lierum.

Sunt præterea stultæ quędam, quæ cum iocose aliquoties dictum audierint: Si quid amiseris, & reperire uolueris, da eleemosynam, calidam scilicet similam, & pone salem benedictum desuper, & mox inuenies. Quod ille ludens, sic uoluit intelligi: Pone salem desuper, scilicet super rem amissam, & inuenies. Illæ uero intelligunt super similam. Non q hæc magna sint, sed q indignum sit, Diabolum sic eleemosynas & salem benedictum in ludibrium uertere. Eiusdem sapientiæ mulieres sunt illæ, quæ simili ioco illusæ, frondes illas, quæ in die S. Marci per uiam Processionis prostratæ fuerunt, accipientes, super sata pisorum & fabarũ uerrunt, scilicet, quia dicitur, Quando talibus frondibus uerruntur sata, salua erunt, ut gallinæ, aut uolucres cœli, ea non tollant. Non intelligentes, quando (id est, eo tempore, quo) uerrunt, non facturas id uolucres. Et quis huius seductilis sexus omnia ludicra, ridicula, falsa, uana, & superstitiosa recenseat? Ex prima Heua eis ingenitum est, falli & ludibrio haberi. Ex ijs similia pensentur. Sed quia sunt qui horum aliqua fieri posse non credunt, alij nimis credunt, ideo parumper de ijs uidendum.

Frondes S. Marci.

PRimum, Non credunt aliqui, posse Magas & Pythonissas istas tantum, ut tempestates commoueant, corpori noceant, pecoribus, rebus, filijs, malum inferant &c. Habentes hanc suæ sententiæ causam, q non credunt eas, in creaturis Dei habere tantam potestatem, nec dæmonibus tanta à Deo permitti. Et tamen, cum sic omnia à Deo inferri credant, nõ ad Deum confugiunt, talia quædam passi, Ideo persuadendi sunt, ut sciant dæmones talia omnino posse, permittente Deo. Quod ex scriptura satis probari potest.

Dæmones permittente Deo nocere possunt.

Iob. 1. Primo, Iob. 1. Vbi ignis de cœlo cecidit, & pecora cum seruis occidit, & uentus irruit, & domum euertit, filiosq eius oppresit. Item, tandem in corpore eius percussit ulcere pessimo. Nouissime autem in anima

anima eum tentauit, grauissima desperationis tentatione. Et tamen textus ibi clare exprimit utrunque, scilicet, quod Diabolus hæc operatus fuerit, accepta licentia a Deo. Et quod Deus hæc eadem fecerit, sicut ibidem dicit: Ignis Dei cecidit de cœlo &c. Et ipsemet infra: Dominus dedit, Dominus abstulit &c Cum tamen Dominus ibi dicat ad Diabolum: Ecce in manu tua sunt omnia, quæ habet. Et ipse: Tantum ne in animam eius extende manum. Si ergo ignē & fulgura de cœlo potest Satan iacere, & tanta mala facere, Deo permittente, cur non & nunc idem non possit, ad pactum suum adiuratus?

Secundo, Aegyptiorum plagas per angelos malos esse factas, testatur Psal. 78. Misit iram & indignationem, immissiones per angelos malos. At illæ plagæ fuerunt maiores, quam nunc faciant ullæ maleficæ. *Aegyptiorum uexationes.*

Tertio, Quot obsessi recitantur in Euangelio? Quot animas quotidie occupat erroribus & peccatis? An minus est, animam immortalem perdere, quam membrum moriturum aut aerem uexare? *Dæmoniaci Euangelici.*

Quarto, Nonne omnes sanctos Martyres ipse persecutus est & occidit? *Martyres.*
Matth. 4. Denique ipsum Dominum assumpsit, & de deserto in montem, de monte in
Apoca. 12. pinnaculum templi transtulit. Item, cum Michaele & Angelis eius pugnat.

Quinto, Passio Christi hæc omnia fortius probat, Si enim filius Dei tanta sustinuit à dæmonibus & membris eorum, Quid mirum, si horrea nostra possit destruere, & membra percutere, eadem permissione Dei? *Passio christi.*

Sexto, Illud uide, quomodo Deus dat tam multis malis hominibus potestatem abutendi rebus, diuitijs, potestate, dominio, in aliorum perniciem & suum peccatum. Multo magis dæmonibus permittit rerum abusum contra nos, siue ut puniat, siue ut erudiat nos. Verum est autem, quod sine Dei permissione nec folium arboris mouere possit, quia, ut Christus ait: Sine uoluntate Patris sui, nec arboris folium cadit in terram. Ideo Christianos oportet nosse hæc mala per dæmones, & magas suas quidem inferri, sed tamen a Deo sic
Iob. 1. ordinari. Bonum facit Deus per seipsum, malum per malos. Vnde Iob (ut B. Augustin. ait) non dixit: Dominus dedit, Diabolus abstulit. Sed Dominus qui dedit, idem abstulit. Sed de ijs latius infra. *Abusus rerum à Deo hominibus & Dæmonibus permittitur &c.*

SEcundum, Nimium credunt, qui vetulas mutari in catos posse credunt, aut quascunque alias formas, & ad conuiuia uehi nocte. Et ad hoc est expressus textus 25. q. 6. cap. Nec mirum, ne ullus credat, Sunt enim illusiones Diaboli, non autem res uera. Sicut pulchre patet ex quodam Exemplo, quod Iohannes Keiserberg recitat. Quod quædam uetula, ut Prædicatorem argueret mendacij, qui talia docuit esse falsa, sero eo uocato, & in oculis eius sese ungens, sedensque in lintre pistorio, iamque uolens uehi, ecce statim obdormiuit, & quibusdam gestibus mouebatur, donec caderet de scamno, & uulnus in caput acciperet, tandem reuersa ad se, conuicta est de illusione ex uulnere & casu quantumlibet uidisse se iactasset mirabilia sua. *Anicularum metamorphosis.* *Iohannes Keiserberg.*

Idem patet ex uitis Patrum, de uirgine a parentibus ad S. Macarium ducta, quæ ab eo uisa est esse puella, cum alijs uacca uideretur. Et tales præstigiæ plures hodie quoque fiunt, Vt ille, qui Iudæo debebat, & dormiens, passus est sibi crus totum a corpore rapi, ut Iudæum confunderet. Idem de Monacho quodam refertur, qui plaustrum fœni prope consumpsit &c. Multa de ijs ubique referuntur. Potest enim Diabolus se mutare *S. Macarius.* *Præstigiæ.* *Monachus.*

Legenda S. Martini. *Monialis.*

se mutare de persona in personam, & miris modis ludere sensum, de quo in Legenda S. Martini. Vbi unus omnium sensus illusit cœlesti quadam ueste, à Diabolo sub nomine Christi donatus. Simile de quadam Moniali, quæ in suo cubiculo sedens, uisa est ab alijs laciniosо pallio seminuda, & bubalo stercore caput uelata, quæ tamen sese credebat in fulgentissima ueste ac aurea Corona sedere, à Christo decorata.

Legenda S. Andreæ.

Item & illud in Legenda S. Andreæ, quomodo in forma speciosæ mulieris tantum uirum illusit. Item de Equestri illo, qui sero in hospitium ueniens, iucundo conuiuio inter puellas & choreas & epulas sibi uisus, mane iacuit in profundo luto, & equus eius ad arborem ieiunus ligatus.

Legenda S. Germani.

Sed omnium efficacissimum est, quod in Legenda S. Germani Altisiodorensis Episcopi (Vide catalogum Sanctorum lib. 6. ca. 9.) Cum enim aliquando hospitatus fuisset, & iam dormituri adhuc mensam pararent suis (ut requisiti ab eo dicebant) uicinis in nocte futuris, Tandem ille uenientes adiurauit, excitato Patrefamilias cum suis, percontatus an nossent istos? Illis uero asserentibus, iussit, ut ad uicinos irent uidere, an domi essent. Et inuenti sunt omnes domientes in lectis suis. Et sic euidenter illusio Dæmonum & patuit & disparuit eo iubente.

Mulieres in Catos mutatæ.

At, ut contentiosis quoque satisfaciam, Dicunt enim mulieres in catos fuisse mutatas, eo argumento uerum esse, ꝙ quidam audaculus in uacua domo dormiens, plures uulnerauerit tales catos, mane autem facto, multæ uetulæ sint inuentæ sic uulneratæ. Vel enim id fictum est, uel Dæmones uere uetulas ipsi uulnerauerunt, ut rei mendaci fidem faciant, ac si uere uetulas ille uulnerasset, qui catos (id est, dæmones) uisus est uulnerare, Potest, inquam, fieri, ut uetulæ, in somno uel extasi discurrere, uulnerari sibi uideantur, cum tamen in lecto iaceant quietæ, & uere uulnerentur a Dæmonibus, ut postea credant sese uere discurrisse, & ab alio uulneratas esse.

Herodias Lares.

Tale est quoque de equitando super scopam.

De Hærodiade & Laribus satis manifestum est, scilicet esse Demones.

Incubi. Succubi

TERtio de Incubis & succubis tradunt insignes Autores, ꝙ potest Satan in specie mulieris succumbere uiro, & accepto semine, rursum incumbere fœminæ, & ita generare, sed monstra non hominem uerum. Sic enim sollicitauit quendam Eremitam, usq; ad obscœnitatem, & postea euanuit, ut recitat S. Iohannes primus Eremitarum apud Hieronymum. Quin dicitur, quandoq; Diabolus in specie infantis fuisse, & uix quinque nutrices ei satisfuisse.

In pallio uecti.

QVarto de ijs, qui uehuntur pallio prope dubito, potest fieri, vt uehantur paruo spacio, nescio an in longinquo, saltem tam breui tempore, ut dicitur. Hoc scio etiamsi non uere uehantur, posse eum sic ludere omnem sensum, ut ille qui uehitur, sit quietus, & tamen existimet se uehi ad Dominam suam atq; cum ea omnia peragere, quæ tamen mera sint phantasmata.

Afferentes cibos.

Simile iudicium mihi est de afferentibus a longe cibos & potus, nec obstat, ꝙ postea agnoscant uere loca, ubi fuisse se dicant, quia potuit similes species sensibus ingerere.

Ministri dæmonum.

Sic etiam de ministris, quos adducit, cuius id indicium uidetur, quia non permittitur aliquis eos alloqui, ne uidelicet euanescant sicut fumus.

VLtimo de iis, quæ in Cristallis vel ebore uel vngue videntur, certum est esse præstigium Diaboli, figuras fingentis in Cristallis, quantum sibi permittitur, non enim semper nec coram omnibus id potest, ut satis compertum est. *Imagines in Cristallo apparentes.*

Sed ex iis cætera iudicentur. Infinita enim sunt, & quotidie augescunt eiusmodi portentorum genera, defectu operariorum in uinea Domini.

Hæc autem omnia faciliora & leuicula sunt apud Diabolum, puta, quibus carneos sensus & phantasias illudit, infimas partes hominis. Sed maiori subtilitate, ut & maiori periculo, illudit mentibus & intellectibus. Et quanquam sunt plurimi, quorum sensus illusionibus eius patent, tamen multo plures illudit mente, scilicet Doctos in scripturis, Sanctos in operibus. Ita
2. Cor. 11 ut ab Apostolo proprio titulo insigniatur: Corruptor mentium, Sicut Heuam seduxit astutia sua, adeo, & ut in Angelū lucis sese transfiguret, Vnde & B. Ambrosius ser. de Pon. Supplantatores inuisi per omnes uias extendunt laqueos, innumerabilibus mortibus expauescendos, Animalia pusilla
Psal. 104. cum magnis, & reptilia, quorum non est numerus, Ita, ut impossibile sit ullum hominem esse tutum, in quocunque opere, sensu, intellectu suo, nisi qui
Hiob. 9. assidue sibiipsi suspectus timet in omnibus, & cum Hiob omnia opera sua ueretur. *Illudit Satan sensus hominum, & mentes. Item doctos in Scripturis &c. Corruptor mentium.*

Sed heu & proh dolor, quam securi sumus hodie, tam infimi quam summi, docti & pariter indocti, tanquam Diabolus sit mortuus, adeo ut pro nostris opinionibus, etiam cruentissima geramus bella, aut sine fine litigemus & con-
Roma. 1. tendamus. Sic meruit iniquitas nostra, ut in sensum reprobum traderemur. Igitur de rudiorib. & sensualibus hæc sint satis. Sequitur aliud genus transgressionis, nempe eorum, qui specie bona illuduntur. Quorum rursus duæ sunt species: Altera eorum, qui circa reliquias & uenerationem Sanctorum excedunt. Altera eorum, qui sapientia & iusticia propria superbiunt contra Deum. *Illusi specie bona.*

De priore prius.

DVObus modis coluntur a nobis & inuocantur Sancti: Primo propter temporalia & corporalia duntaxat. Et hi false colunt Sanctos, imo magis seipsos in illis, quia sua quærunt, non ea, quæ Dei sunt. Ac ideo Sanctos prope in idola sibi transformant. Hos sane B. Augustinus non penitus reiicit, sed ita duntaxat commendat, ut eos meliores asserat, quam eos, qui per pacta Diaboli temporalia quærunt. Melius est enim etiam temporalia à Deo petere, quam à Diabolo. Sed per hoc non sunt commendati, imo nec Christiani, Modica laus est, imo magnum uituperium, non esse bonos, nisi pessi-
Psal. 146. mis omnium comparentur. Et tamen Deus, qui dat etiam pullis coruorum escas, in hoc cultu eos exaudit & largitur petita, ut per Scripturam probatur. *Sanctorum cultus. Colentes Sanctos propter temporalia.*

4. Reg. 5. Primo per Naaman Syrum toti Syriæ salutem dedit, licet ille esset Idolatra, tamen magnus apud regem Syriæ. *Naaman Syrus.*

4. Reg. 7. Secundo, Samaritani, ubi cœperunt Deum colere, simul cum diis suis, (quod impossibile est placere Deo) liberati sunt à Leonibus, quibus deuorabantur. *Samaritani.*

Tertio, Ahab & aliis multis regibus Idolatris & malis, dedit multiplices uictorias, & beneficia propter aliqua opera externa hominibus apparentia. *Ahab.*

Quarto, B. August. lib. 1. ciui. 8. differit, Romanis concessum à Deo tam ingens Imperium, propter insignes quasdam eorum uirtutes, cum tamē Deo placere non potuerint; sed apud homines id tantummodo merebantur. *Romani.*

Iudæi. Quinto, Iudæis solo timore pœnæ peccatum vitantibus sæpe pepercit, licet essent populus semper errans corde, & displicens Deo. Psal. 95.

Coacta pœnitentia. Sexto, & nunc quoque pestes, bella, fames sæpius auertit Deus propter emendam solo timore inceptam, cum tamen non placeat Deo coacta pœnitentia, quæ minus est quam dimidia pœnitentia. Quod sane patet, quia remissa plaga, mox redeūt ad ingeniū & mores priores, imo peiores. Hi omnes sicut Deum colunt & bene uiuunt propter temporalia, ita receperunt mercedem suam. Ita & cum sanctis Dei agimus, quos non vltra colimus, quam pes aut caput dolet, aut marsupium eget. Et quanquam hæc sint nobis inutilia & stulta apud Deum, nec Deo, nec Sanctis placita, tamen prosunt ad gloriam Dei, qui ex omnibus potest elicere bona. Cuius denique naturæ est etiam stultis, imo inimicis & blasphemis benefacere, pluere super gratos & ingratos, Vt eo ipso nos doceret, hæc non esse ea, propter quæ sit colendus ipse, vel Sanctus quisquam, cum viderimus ea non rogatum neque cultum pessimis quibusque copiose largiri.

Deum propter temporalia colentes.

Superstitiosus Sanctorum quorundā cultus.

Atque, quo hæc clarius intelligantur, aliquot enumeremus Sanctorum, quorum superstitiosus cultus omnibus notus est.

S. Antonius. PRimus est S. Antonius, qui pro igne sacro a multis, alioqui nunquam cognoscendus, colitur, & ita colitur, vt eo prope ventum sit impietatis, quod ipsum sanctum Virum posse credant suis viribus, seu dono sibi à Deo collato, istas curationes tribuere. Adeo non à Deo per intercessionem S. Antonij, sed velut ab ipso solo Antonio petunt quod volunt, nihil memores intercessionis. Deinde hanc gratiam curationis ita apud hunc solum quærunt, vt aut nescire aut non credere videantur, Deum posse idem per quemlibet alium conferre. Interim autem nullus plane auditur, qui id à B. Antonio imploret, vt & ipse mereatur læticiam spiritus cæterasque uirtutes Antonij imitari, de quibus tamen in Legenda eius memoria est, nihil prorsus de igne.

Intercessio.

S. Sebastianus. S. Martinus. S. Rochius. SEcundus est S. Sebastianus, vnus omnium, qui propter pestem colitur, nisi quod nuper socium admisit S. Martinum & S. Rochium, non ingratæ prorsus uitæ & autoritatis. Horum trium sanctimoniam & fidem, prorsus nemo est, qui curet postulare. Et sane, ut & ego ineptias suspicionis meæ effutiā, uideri potest, nonnullos Sanctos mera nominum allusione præ cæteris in hæc officia inuocatos. Siquidem S. Tonij Italica allusione prope sonat, ac si sanctus ignis, id est, sacer ignis, diceres, Quasi is propter nomen suum, sacro igni sit remediabilis Patronus, quo modo & gentiles Romani febrem & alias allusiones rerum, Dijs tribuerunt. Sic & Sebastianus, sanct pastian/ quasi pro peste, idem ualeat solus, cum nihil in eius uita de pestilentia legatur. Vnde & in Italia, hi duo præ cæteris non secus honorantur, ac si inter gentes uideres Numina læua placari.

Allusio nominum.

Iam S. Rochius nomen habet, quod Alemanice uindictam sonat & iram, quasi ipse ideo utilis sit, uindictam Dei auertere, quia Rochius uel uere uocatur uel fingitur. Huius tamen Legenda, si recipitur, talia quædam narrat.

S. Valentinus. TERtius, Valentinus, morbi caduci præfectus, quem cum nihil legimus egisse cum hoc morbo, prope iurarem, ex allusione Germanica eum in huius auxilij sortem uenisse. Nam cadere, vallen/ significat, quod ad Valentinum quam proxime alludit. Nec mirum, cum & S. Vincentium superstitiosæ mulierculæ deputauerint, rebus perditis inueniendis, eadem ductæ allusione, Germanice enim inuenire, vinden/ dicitur. Atque ideo Vincentium servum perditarum rerum & custodem constituerunt.

S. Vincentius.

Nec est

Nec est magnum nec mirum, q Deus hæc fieri permittit,& continuis adhuc beneficijs eadem prosequitur,& Ecclesia similiter approbat,præsertim de S. Antonio,quia,vt dixi,Deo parum curæ est de his tribuendis, quæ etiam hostibus tribuit. Et sinit vel stultos,vel infirmos in fide,interim istis gaudere bonis, dum non sunt melioribus digni, vel donec meliorum capaces fuerint.

QVartus est Christophorus, ex Legenda non tam apocrypha q̃ suspecta,tantum tamen habens honoris,vt nullus Apostolorum sit cum eo conferendus,etiam si in media Biblia eius gesta scribantur,nec tamẽ ideo honoratur, q hominibus remissionem peccatorum & fidem gratiamue Dei impetret,sed sicut extant Versiculi hoc cultu dignissimi: *Christophorus.*

Christophore sancte, virtutes sunt tibi tantæ,
Qui te mane videt, nocturno tempore ridet,
Nec Satanas cædat,nec mors subitanea lædat.

Tres Versiculi qui passim parietibus inscribuntur.

Primum,vide,vt hic impius virtutes tantas non Deo,sed imagini ligneæ & pictæ tribuat, non saltem fidei tribuit, quæ sola facit, si quid impetrant Sancti,vt accipiamus.

Secundum,vellem doceri,qua Scriptura,quibus Miraculis probatum sit, id posse imaginem Christophori præstare. Ita sub pietatis specie, dum sacerdotium Ecclesiæ dormit aut lucris inhiat, ingressum est ingens pelagus superstitionum,nemine prohibente. *Episcoporum negligentia.*

Tertium, Cur potissimum vesperi ridet,qui mane spectauerit? Quid si vesperi spectaret? Adeo ne virtutem suam matutinæ inspectioni alligauit,vt qui mane fuerit oblitus,aut tardius venerit, quocunq; deinceps diei tempore spectauerit, frustra spectauerit?

Quartum,Cur non qui fidem tuam imitatus fuerit,semper ridebit? Qui passus fuerit tecum,tecum gaudebit? Sed absit,vt imitari velint,qui illa quęrunt. Absit etiam,vt illa quęrant,aut ita quęrant,qui imitari nolunt.

Quintum,Cur non crux Christi inspecta facit ridere inspectatores,quæ habet autoritatem Scripturæ? nisi melior forte imago Christophori q̃ Christi,cum crux Christi, ipsa sit vere sola,quidam Christophorus. *Crux Christi.*

Sextum ,omnium pessimum,q hac ratione homines plus diligunt,plus colunt,diligentius inspectant,plusq; in ipso confidunt, q̃ in ipsum Christũ, vt ostendant,se non laudare Deum in Sanctis eius,sed seipsos,quia non gloriam Dei,sed suum commodum,atque id palam perfrictaq; fronte plane cõfitentes se morborum gratia quęrere. Melius erat Sanctos imitando, subita morte præuentum saluari, q̃ non imitando naturaliter morientem damnari. *Sancti imitandi.*

Videtur & hic Sanctus à militibus & nobilibus,& generosis primo repertus,quippe quibus in bellis mors subita(teuto: gehende tod) est formidabilis,maxime repertis Bombardis. At non cogitant,q frequentius ibidem moriuntur stante morte,teuto: des stehende tods/ & non solum des gehende tods. *Mors stataria.* *Prosonomasia germanica.*

Septimum, Quod homines ex hoc securi quærunt esse, & sine timore Dei viuere, cum omnis cultura Sanctorum pro timore Dei sit instituta, vt homines ad pœnitentiam prouocet,memoriam mortis suggerat,uitam futuram ostendat. At illi solum ut fugiant hæc & teneant illa. Quare dicendum est Christo, ut uerbum suum retractet, quando dixit: Vigilate,quia nescitis diem neque horam, Quia inuenimus Christophorum, qui pro nobis stertentibus uigilet, & integrum diem securi habeamus, nedum horam nesciamus. Quod si & Christophorus alium inuenisset Christophorum,quo inspecto, & *Sanctorum cultus.* *Matth. 24*

ipse tutus fuisset, ne Deus eum percuteret, quomodo ad martyrium peruenisset? Siquidē eo usq; tandem hæc iam non infirmitas, sed impietas procedit, vt etiam Deus suo imperio priuetur, vt qui inspectores Christophorinos, nec aqua, nec igne, nec vlla creatura possit eo die occidere.

Inspectores Christophorini.

S. Laurentius.

QVintus est S. Laurentius, quem, vt seruet domum ab igne, ieiunio primum honorant, deinde in festo eius, nec scintillam ignis tota die in domo patiuntur, In aliis tamen domibus utuntur igne, quo cibos coquant, Ac sic non Laurentium, sed ignem potius timent & colunt. At forte tam stulti sunt, q ignem S. Laurentio inuisum credūt, quia sit in illo adustus & tostus, vt vbi ignem viderit, recordatus iniuriæ irascatur in eos, qui eum habent. Quod si ita esset, nullum Christianum liceret aliquo die ignem habere. An, quia superauit ignem, ideo Dominus ignis factus est? Quod quidem verum est, imo & Diaboli, peccati, mundi & carnis, & omnium malorum. Cur ergo pro solo igne colitur? Aut cur non eundem colis, pro impietate & furore, ira, superbia, quibus in Decio & ministris suis operantibus, igne tostus est, quas denique superauit, & adhuc in te superare potest precib. suis? Sed hæc etiam alibi, q in S. Laurentio, quęri poterant, ideo sit ipse tantum ignis obseruator. Cui adiunctus est socius S. Florianus, & ipse ignotę usq; & nominis, nec apud ipsos vllo modo cognitus, q quod in papyro vident eum pictum, effundere aquam in ardentem domum. Hoc enim contenti sunt, quia & hoc solum in eo quęrunt.

S. Florianus.

S. Vitus.
S. Erasmus.
S. Ludouicus.

Reliquos breuiter transimus. S. Vitus suam sortem habet in misera illa saltatione. Sanctus Erasmus auarorum Patronus, sic tamen, vt certo numero orationum & cęreolis colatur, tum sane inundabit diuitias, Quid enim aliud ageret tam ociosus? Sed & S. Luduicus de ordine Minorum, quoniam semel cereuisiam curauit in vita, iam mortuo & beato, aliud agere non licet penitus.

S. Vuendelinus.

S. Vuendelinus pastor, iam vtilior est omnibus canibus aduersus omnes lupos. Et viuus sua vnius hominis pauit pecora, mortuus omnium cogitur pascere. Adhuc non pudet nos Christianos ita in Sanctos partiri negocia rerum temporalium, ac si essent nunc facti serui, & mancipia artificum, ita vt prope redierit ea Lerna superstitionum, vt rursus Romanorum illud Chaos deorum, & quoddam Pantheon denuo extruxerimus, atque hoc ipsum non alia causa, q vt hic tantummodo bene habeamus.

Chaos deorum Romanorum. Pantheon.

Legenda S. Annæ.

IAm aliquot etiam Fœminas sanctas subiungamus, inter quas, ut recentior simul & antiquior, ita merito prior est S. Anna, cuius Legenda, cum sit dubiosissima, hoc tamen fuit & est nomine vel gratissima, q noua venit, quia fastidire cœpimus vetera, & ea quæ certissimam habent autoritatem. Sed multo gratior, q non venit vacua, sed diuitiis plena, nihil prorsus promotura, si paupertatem adduceret.

Vetera fastidimus.

Noua festa veteribus cedunt.

Secundo, q ipsa pene supra, q B. Virgo, extollitur, sic semper noua Festa derogant pristinis, & extollimus recentia, magis ducti vulgi concursu, q fideli deuotione.

Apocrypha Legenda.

Tertio, Quod planum & apertum est, eam cœpisse coli propter diuitias ex apocrypha illa & vehementer suspecta Legenda, vbi lusor illa depauperatus, rursum (etiam de cœlo) curatus est, vt diues fieret. Hoc enim solum in tota ista Legenda notauit oculus nequam auariciæ. Et ob huius sanctæ Matris festum,

tris festum, nunc omnium aliorum Sanctorum festa; nonnihil obscuritatis accipere, necesse est, præsertim Apostolorum, forte, quia paupertatem docuerunt. Atque utinam S. Annam ita pro diuitijs colerent, ut & alia quæ spiritus sunt, quærerent. Quo modo Ecclesia facit, ut Collectæ quas uocant, eius diei ostendunt. Sed pro his credunt se satis multa Festa habere, usq; ad fastidium etiam iam diu frequentata.

SEcunda est S. Barbara, ad cuius Legendæ similitudinem multæ aliæ fabrificatæ sunt, ut Catharinæ, Dorotheæ, Margaretæ. Eam uero qui religiosissime colunt, id quærunt, ne sine Sacramento moriantur, quod non adeo damnabile foret. Alij, ne prægnans periclitetur in partu. *S. Barbara.*

Hæc enim & alia legitur eadem sancta Martyr in transitu suo orasse, ut si quis eius memoriam ageret, hæc obtineret. Primum, omnium testimonio, Legenda illa & apocrypha est & suspecta, præsertim cum scribatur fuisse discipula Origenis, & tantæ virginis non meminerit Eusebius. Denique in Legendam S. Catharinæ, multa esse vel intermixta, nemo sentit, nisi cui nullus est nasus. Id vero ergo miror pro mea temeritate; an sanctæ illæ Martyres pro Christo morientes, tantam arrogantiam vel habuerint vel simulauerint, ut optarint ab hominibus coli, aut certæ fuerint, futurum, vt colerentur. Sed & illud vide, ipsæ morientes non orant pro suis cultoribus, vt iusti & salui fiant, sed vt diuitias, sanitatem, securitatem, quæ omnia per mortem ipsæ contemnunt, obtineant, fortasse non eadem bona alijs prouidentes, ad quæ ipsæ iam pergunt. Inde nimirum factum est, vt memoria passionis Barbaræ & similium diligentius peragatur, quam ipsius Christi, quæ virtus est omnium illarum passionum. Sed sine, cæci esse studio conamur, alioqui palpare possemus & cognoscere, quod hodie in Ecclesia hi sancti plus habent honoris, quorum Legendæ plus habent Fabularum aut lucri aut commodi. Feramus ergo nos quoque illorum infirmitatem, donec erudiantur & formentur in meliorem sensum. *Vita Barbaræ. Vita Catharinæ. Validiss: argumentum; adulterinas esse quorundam S. Historias. Memoria passionis Barbaræ. Passio Christi.*

TERtio, S. Iuliana & Othilia ophtalmicæ sunt, quia à nullis coluntur, nisi qui oculis laborant, nec plane propter aliud quam oculos, volentes ex semel facto miraculo ius naturale, & infallibilem consequentiam facere, quod certe non longe mihi à tentatione Dei videtur abesse. *S. Iuliana. S. Othilia.*

S. Apolonia pro dolore dentium perpetuo cultu honoratur, atque pro alio nullo. Annosam eius virginitatem & ardentissimam fidem, nemo est qui meminerit. *S. Apolonia.*

S. Scholastica, domina facta est tonitruum. Et plane hanc fidem in mulierculis scio regnare, quod in quacunque re audierint aliquem Sanctum versatum, hunc in eadem credunt plurimum valere, ac velut Dominum constitutum. Et sacerdotes aliquot hanc superstitionem non reprimunt, maxime si & lucrum odoretur. *S. Scholastica. Sacerdotes conniuent.*

IGitur sicut dixi, permittit hæc Deus, & largitur ea quæ petuntur, non quod magna sint, sed quia bonus & clemens tam infirmos ita fouens, quam indignos ita remunerans, quorum ignauus animus nescit meliora & æterna petere, quæ verum Deum decet & delectat peti & largiri. Nam qui rite Deum & Sanctos colunt, quærentes primo gloriam Dei in illis, & imitationem, sicut facit Ecclesia in suis Collectis, talia non petunt, imo si habent, auferuntur ab eis, vt sola sapiant spiritualia. *Veri Sanctorum cultores.*

Y iij Nec

Cultores ueri & falsi.

Nec meliori signo cognoscuntur & discernuntur veri cultores à falsis, quã si illis auferantur, istis coferantur copiæ temporalium. Sicut enim Deus iusticiæ exteriori confert exteriora bona, & aufert interiora, Ita iusticiæ interiori confert interiora, & aufert exteriora. Quod in omnibus Sanctis patet, quibus si non in effectu, tamen in affectu abstulit temporalia. Ideo licet tales nihil mereantur in cœlo, tamen merentur in terra. Et in hoc benefaciunt, ꝙ nõ a Diabolo hæc petunt. Sic enim & sacerdotes & religiosos multos, pinguiter & suauiter pascit, qui tamen in tota vita nihil agunt, quam ꝙ horas canonicas & frigide & inuite legũt semper, & orant nunquam. In quo vt sibi satisfecisse videntur Deo, ita Deus sibi quoqꝫ satisfecisse videtur, si eos velut altilia saginet in hac vita.

Sacerdotes, Monachi.

Obiectio.
Legunt semper et orant nunquam.

SED ogganniunt hic aliqui contentiosi, Me temerarium esse, qui pro necessitate corporali Sanctos inuocari prohibeam, cum Ecclesia quoque oret à periculis mentis & corporis, per eorum intercessionem liberari, ut ibi: Et ab aduersitate liberemur in corpore, & à prauis cogitationibus mundemur in mente, & similia.

Deinde adornant suam piam, ut uocant, intentionem, ꝙ temporalia nõ quærunt, nisi quatenus per ea commodius spiritualia quærere possint, & diutius ideo uiuere uolunt, & sani, ut pœnitere, & boni fieri possint.

Iohannes Gerson.

Tertio, ꝙ nonnullis sit persuasum, ut Iohannes Gerson sentit, Sanctis in cœlo sic esse distributa dona eiusmodi, sicuti in terris habuerunt dona diuersa spiritus, Iuxta illud 1. Corinth. 12. Alij gratia curationum &c. 1. Cor. 12.

Ad hæc.

Responsio.
Infirmi Christiani.

PRimo illud Christi oppono: Primum quærite regnum Dei & iusticiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis. Et iterum: Hæc enim omnia Gentes inquirunt. Si Christus eos appellat gentes, qui talia quærunt, spero mihi licere eos infirmos Christianos appellare, aut certe ignauos & pusilli desiderij homines. Matth. 6.

Litania.

Nota bene.

Secundo, Nec prohibeo Sanctos inuocari pro temporalibus, sed ꝙ solum pro temporalibus id faciant, damno, neglectis eorum uirtutibus & exemplis. Ostende tu unum ex omnibus Sanctis, qui pro humilitate, uel alia uirtute, tantum habeat concursum cultu & nomine, quantum habet S. Valentinus pro morbo caduco.

Imperfecti.

Tertio, Fateor, ꝙ Ecclesia in Litanijs à fulgure & tempestate, alijsqꝫ corporalibus necessitatibus orat, Sed ordine recto id facit, primum misericordiam & remissionem peccatorum. Nam & Paulus iussit orari, ut pacem & tranquillitatem haberemus in uita. Sic tu quoqꝫ fac, & uiues, atqꝫ ex me nihil audies contrarium tibi. 1. Tim. 2.

Quarto, Fateor, infirmis in fide licere, ut sanitatem & uitam petant, quo deinceps melius uiuant. Sed duo hic dicam: Quis scit, aut de seipso audet affirmare, tam purum se habere cor, ut tam simplici intentione illa petat? Quod maior pars simulet potius emendationem uitæ, exitus probat. Nam fere & semper efficiuntur peiores, qui ex plaga, aut castigatione Dei liberantur importunis suis uotis, ut hoc ipso Deus stulticiam nostram uideatur testari, scilicet nos non intelligere, ꝙ dum flagellat, sanat, & dum remittit manum & nostrum uotum, potius magis sinit ægrotare.

Vitæ emendatio.

Secundo, Si uis uitam emendare, nunquã id melius feceris, quam si in flagello (id est, uerissima emendatione & medicina uitæ) cœpto perseueres usqꝫ ad mortem. Hæc enim emendatio uitæ, tanto est solidior & constantior, quo non ex te, sed ex Deo longe uotum tuum præueniente cœpit. Aut quomodo

possum

possum nunc recitare omnem gloriam & dignitatem uitæ passiuæ? Stulti sumus omnes, qui vitam præsumimus emendare in bona valetudine, cum in ægritudine non intelligamus eam esse emendari cœptam, & longe esse excellentiorem, quam omnem vitam actiuam.

Quare Christianis id potius suadendum esset, vt non modo ęgritudines libenter ferrent, sed & ipsam mortem quantotius optarent uenire. Nihil utilius Christiano, quam mori uelocissime, vt S. Cyprianus docet. At nos Iuuenalem magis audimus: Orandum est, vt sit mens sana in corpore sano. Non sic B. Augusti. Quando nos sumus sani, tunc maxime concupiscentiæ morbus est insanus. Non quod quærenda sit mala ualetudo, sed quod illata per Deum, ut optimus nuncius Dei, sit excipienda. Quia nullum bonum sine uoluntate Dei quærendum est. *Christiani.* *Iuuenalis.* *B. Augustinus.* *Mala ualetudo.*

Quinto, Hoc ipsum quoque Deus optime prouidit, vt aliqui Sancti habeantur formidabiles, & velut uindices, propter obstinatas & duras ceruices. Sicut S. Antonius, & nonnulli alij. At nos Christianos docemus, quorum est fiducia, vt Sanctorum consortio aliquando copulentur. *Sancti formidabiles &c.*

Sexto, Scio nouam illam opinionem eorum, Quod sicut in uita Sancti diuersis donis spiritus erant dotati, Ita & nunc in cœlo eosdem habere, differentes gratias auxiliandi. Sed ego non uideo, quomodo id possint probare, nisi arguendo a simili, quod argumentum in ijs, quæ sunt fidei, est nocentissimum. Quid enim aliud facit Diabolus, cum in angelum lucis sese transfigurat, quam quod arguit a simili? Aut quot errores in Ecclesiam inundauerunt sub nomine Christi & Sanctorum eius, sub specie sanctitatis, sub pia, ut dicitur, intentione, & zelo catholicæ fidei, id est, a simili? Imo, quot ueritates reijciuntur sub pietate aurium nimis tenera sub nomine scandali? *Noua quorundam opinio.* *Argumentum à simili.* *Errores in Ecclesiam inuecti.* *Nomen scandali.*

Id ego uideo, quod Ecclesia non dicit: S. Paule, cura mea uulnera, sed: Ora pro me. Ideo sciendum est, quod omnes Sancti omnia possunt, & tantum per eos tibi a Deo dari, quantum credis te accepturum. Quare omnia tua commendes ei, in quem magis es affectus, primum peccata tua & necessitatem animę, sicut S. Cecilia fecit in nuptijs suis, Omnes Sanctos per ordinem inuocans, pro sua castitate seruanda apud Deum. *S. Paule ora pro me.* *S. Cecilia.*

Sane quod etiam B. Augustinus in quadam Epistola sentit. Quod uidelicet Deus per unum Sanctum, imo in uno loco facit, quod in alio non facit, non improbo. Quis consilium Dei nouit? si ipse distribuerit, recte distributum est. At non ideo tibi salutare est in Sanctos partiri negocia pro tua sumptione. Vnde non Dixit, quod martyres alia & alia dona acceperint in gloria, sed ait: Non uoluit fieri in omnibus memorijs Sanctorum ista, quæ in illo fiunt &c. Etsi, ut dixi, Deus ita suffert infirmos, qui talia solum quærunt in Sanctis, donans pro sua uoluntate, quod quærunt. Nostrum tamen est, Christianos erudire, & ad perfectionem inducere, & ea quæ sunt salubria & meritoria, docere, ne aliquando ad id labantur erroris, ut ex Sanctis Dei sibi idola fingant. Neque enim est meritum sanari corpus, aut pecuniam augeri, sed infirmari & egere, id demum est pulchrum si meritum prudenter tuleris. *B. Augustinus.* *Christiani ad perfectionem prouehendi.*

Hæc de honore Sanctorum primo, id est, corporali & exteriori.

SEcundo coluntur Sancti uere & interne. Hic autem cultus consistit in laude cordis primũ, deinde in uoce & opere foris, id est, quando Deus laudatur in Sanctis, & Sancti laudantur in Deo, sicut scriptum est: Laudate Dominum in Sanctis eius, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius. *Verus Sanctorum cultus et internus.*

Christiani primitiui.

Sic Paulus Gal. 1. fecisse scribit primitiuos Christianos: Et in me, inquit, clarificabant Deum. Sic facit Psal. 111. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio Iustorum & congregatione. Magna opera Domini, exquisita in omnes uoluntates eius. Vult enim Dominus enarrari gloriam suam, & annunciari opera manuum suarũ, Sicut dicit: Vt annuncient in Sion nomen Domini, & laudem eius in Ierusalem. Et rursus: Narrabo omnia mirabilia tua. Item: Vt enarrem omnes prædicationes tuas in portis filię Sion. Et multa alia in Psalterio. Ideo enim operatur tot & tanta in Sanctis, ut ipse glorificetur. Rursus dicit: In Domino laudabitur anima mea. Et alibi. Laudamini in nomine Sancto eius. Et Psal. 16. Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Sic enim Apostolus docet; Quod qui gloriatur, in Domino glorietur. Quare nõ est dubium, quin Sancti nolint in seipsis laudari & glorificari, sed in Domino, & Dominum in se. Et iste modus colendi non modo erit Deo gratus, & ipsis Sanctis acceptus, uerum & tibi salutaris, & incomparabiliter utilior, quàm si propter te & tua, eos colueris, imo solum ille est salutaris, & alius quilibet noxius. *Galat. 1.* *Psal. 111.* *Psal. 102.* *Psal. 9.* *Psal. 14.* *Psal. 16.*

Modus colendi Sanctos, & Deo & Sanctis gratus.

Vnde ut pro rudibus demus modum, Ille scilicet colit uere Sanctos Dei in Deo, qui opera & gratiam Dei in illis intuitus & meditatus, mouetur & soluitur in dulcem affectum erga Deum, quòd tanta & talia largiri illis dignatus est, Velut diceret: Benedico te & gratias ago tibi piissime Deus, quia æterna misericordia tua, Sanctum hunc præuenisti, & de peccati perditionisque massa tam eximium gloriæ uas tibi perfecisti. Sic Deum laudasti in Sancto suo.

Laudare Deum in Sanctis.

Rursum & Sanctum ipsum in Domino ita laudabis, O sancte Dei N. benedictus tu in filijs hominum, qui dignus Deo uisus es, tam ineffabilis gratiæ, & gloriæ Dei donis ornari. Quemadmodum S. Elizabet benedixit beatam Virginẽ, dicens: Benedicta tu in mulieribus. Beata quæ credidisti, perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino: Oportet enim, ut diuinæ gratiæ odorẽ, effusum in Sanctos eius percipias, & guttulas bonitatis eius prægustes, ut & tu in amorem Dei succendaris. Quid enim aliud sunt Sancti, nisi uelut guttulæ roris, seu guttæ noctium in cincinnis & capite Sponsi, sicut dicit: Aperi mihi soror mea Sponsa, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Sic enim Mich. 5. Sanctos appellat rorem, dicens: Erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum, tanquàm ros à Domino. Quia totũ quod sunt & faciunt, ros & gratia cœlestis est, spirans suauissimam Dei misericordiam super filios hominum. Sic sic oportet omnem gloriam Sanctorum referre in Deum, qui dedit eis hanc potestatem. *Lucæ 1.* *Canti 5.* *Mich. 5.*

Sancti guttulæ roris &c.

Quod Sancti faciunt, ros & gratia cœlestis est.

Vide Ecclesiam, quæ de B. Virgine canit: Benedicta filia tu (sed) à Domino, quia non à te, sed per te Fructum uitæ communicamus. Et in omnium Sanctorum festis Ecclesia orationem dirigit nõ ad Sanctos, sed ad Deum cũ nominib. Sanctorũ eorum merita ex Deo uenisse protestata, deinde per eadẽ preces suas Deo commendans. Isto enim sacrificio laudis primum rite peracto, tunc demum subnectenda est petitio nostra, primum pro simili Dei gratia, nouissime pro temporalibus, Si tamen temporalia petere potest, qui sitit spiritualia.

In Sanctis tantum consideramus, quid boni nobis faciant.

Verum ista inuocatio & cultura Sanctorum adeo est neglecta, ut non solum non meditentur opera misericordiæ Dei in Sanctis suis, sed etiam nesciant eorum gesta, imo & nomina, sicut ille, qui sanctam Trinitatem nominauit drey falcken/ Adeo non quid Deus boni in illis fecit, ut glorificetur, sed quid boni nobis faciant, ut nos lætemur, consideramus. At Spiritus sanctus & Ecclesia Christi id intendunt certe in omni cultu & festis Sanctorum,

Sanctorum, scilicet eleuare cor nostrum in Deum & diuina opera, & parare fiduciam ex contemplatione gratiarum in illos collatarum. Sicut Christus Matth. 5. Sic luceant opera uestra bona. Ad quid: ut crus meum non doleat: Non, sed ut glorificent Patrem uestrum, qui in cœlis est. Hic B. Augusti. ut non desperent, inquit, etiam sibi, si uoluerint, posse præstari. Et Sancti quidem hac Regula & eo fine, uixerunt, & bona fecerunt, ut lucerent ad gloriam Dei. Et fit diabolo operante, ut eorum uita & opera non eo fine prædicentur aut celebrentur. Ipsi per omnem uitam quæsierunt, quæ Dei sunt, Nos uero non solum in nostra, sed & in Sanctorum uita, non nisi quæ nostra sunt, quærimus, nihil soliciti de gloria Dei. Et passim prædicatur solum, quid & quantum possint in nostris commodis, non, quantum fuerit misericors Deus in ipsis. Inde proceditur ad extremam temeritatem & audacem contentionem, Vter Sanctorum in cœlo sublimior sit coram Deo: quasi ipsi aliquid fecerint, ac non potius Deus, Oculos omnino in carnem mersimus & a Deo auertimus.

Matth. 5.

Festi dies Sanctorum ad quid instituti &c.

Sancti.

Quatenus uulgò Sancti prædicentur

Temeritas de Sanctorum præstantia contendentium.

IMo nostra ætate (quod detestabilius) eo redactus est cultus Sanctorum, ut melius fuerit, neque festa Sanctorum agi, neque nomina eorum sciri. Quod ut cognoscas, percurre superstitiones stulti uulgi, & uide patrocinia illa diuersa diuersorum artificum. Aurarij fabri S. Eulogium, sutores S. Crispum & Crispinianum, fullones S. Seuerum, pictores S. Lucam. Medici S. Cosmam & Damianum. Iuristæ S. Iuonem, Artistæ S. Catharinam, aliquando & Aristotelem, habent Patronos. Alij alios, & Franci suum Kilianum, quælibet Natio suum. Sed quomodo hos honorent, aduerte.

Patroni opificiorum artificum, Nationum &c.

Abusus horribilis in cultu Sanctorum.

Primum nihil eorum opera uel exempla curant. Deinde quando ad summum honoris itur, mane Missam celebrant, & eo toto die feriantur, nec alio quoque indicio nisi ueste & ocio, tantum feriam simulantes potius quam, agentes. Cæterum lasciuijs, cantibus, moribus, corde numquam tam alieno a Deo quam eo die, tempus perdentes, imo Sanctos illudẽtes, ac si Bacchanalia uel Saturnalia agerent. Atque hæc usque in alterum diem potando, ludendo, & breuiter usque ad cædes aliquando insaniendo perdurant. Hæc enim est gloria festorum dierum his perditis temporibus, Ita, ut nec Anubis aut ullum portentum gentilium deorum, sit fœdius dehonestatum, imo nec porcus tuus ita se coli sustineret. Sed ita præualuit ira Dei, & tradidit in sensum reprobum, ut sint omnia peruersissima.

Hoc modo festos dies peragunt Christiani hoc perditissimo seculo.

Quanto rectius erat, humili & quieto corde, pacataque domo parce refici, & pauperibus uocatis ministrare prandium. Imo melius erat laborare & omnia opera seruilia perficere, quam ita feriari. Non enim eo tumultu pompæ & luxuriæ sed quietudine (unde & sabbatissare dicitur) & charitate in proximum seruitur Sanctis, Quod si turpissimum tu ipse iudicares, si quis in festo Paschę uel natali Christi talia perpetraret, cur Patronum tuum eo honoras, quem tunc maxime proposuisti honorare: An qui totum annum fuit quietus & securus a tuis irrisionibus et ignominijs hoc die, quo minime oportuit, eisdem uexatur.

Frugaliter pasci, Pauperes fouere.

Charitate in proximum seruitur Sanctis.

Cur execramur Turcos, quod imagines Christi & Sanctorum fœde conspurcare dicuntur: An nondum intelligimus, quod illorum figura ostendit nobis Deus, quam sibi displiceat, quod nos Christiani Sanctos suos in ueritate & fœdius conspurcamus: Quam pulchra religio & pietas, Sanctos Dei nemo fœdius blasphemat, quam ipse, cuius est Patronus, nec id alio die magis quam eo, qui cultui eiusdem sacratus est. Finge, an tu talem sustinere possis ab infimo homine cultum, id est, illusionem:

Christiani Turcis peiores.

Hic itaque

Pontifices.

Hic itaque Pontificibus esset summe uigilandum, imo saluberrimum foret, omnes dies festos abrogare, paucissimis seruatis, in quibus mane uerbum Dei audiretur & missa. Nihil enim sunt Sabbata nostra, nisi opprobrium Ecclesiæ, & non eusebia, sed asebia in Deum, ut satis nimis ualde docet experientia. Potest & nobis Deus multo amplius ꝙ Iudæis dicere: Odi & proieci solennitates uestras. Et illud Isai. 1. Sabbata uestra & Neomenias uestras odiuit anima mea. Esai. 1.

Festi dies sanctorum.

I. abusus in cultus Sanctorum uana gloria.

SVperest adhuc geminus abusus in cultu Sanctorum.

Primus est in superbia & abusione per gloriam uanam, qua inuicem quidam concertant etiam de Sanctis, dum quisque eum, qui uel sui studij uel ordinis fuit, nititur ita celebrem facere, ut eum cæteris omnibus præferat. Non tam, ꝙ uelint Sanctos Dei honorificari, ꝙ seipsos, qui tales habeant Patronos. Horum uanitas etsi late patet, & plurimos occupet, nō tamen audeo latius prosequi, tum ꝙ pulcherrima specie adornati, facile me temerarium iudicem proclamare auderent, seque purissime excusare, Tum ꝙ ipsos proceres & optimates Ecclesiæ quoq; ea res tangit, qui sunt multo impassibiliores, ꝙ cœlum ipsum. Nam cœpit & hinc ferme turba Fraternitatum quædam oriri, & nescio an tot Fraternitatibus tandem efficiant, ut nec fratres nec sorores retineant. Sed sit hic aliorum iudicium, Species est bona, non licet acrius taxare, donec clarius seipsum prodat negocium.

Fraternitates.

Noua festa.

Huc dicerem pertinere eos, qui festum Conceptionis beatæ Virginis uolunt esse primum & summum omnium, & qui nouorum Festorum dignitate, priuilegijs, indulgentijs, replent totos Sermones. Nec frustra nos quoq; uixisse uidebit posteritas, quia nouis festis fecimus uetera uere ueterasse. Si nihil aliud fecimus, hoc unum satis est dignum æterna memoria.

Festum Abrahæ. Adæ & Heuæ.

Spero futurum, ꝙ adhuc festum Abrahæ etiam celebrabitur, quia in fide eius fuit origo salutis & promissus Christus, Si enim Abrahæ non promisisset Deus, non fuisset Christus natus. Et forte diem Adæ & Heuæ quoq; celebrandum, est prædestinatum. Itaque uenerunt dies, in quibus omnia libentissime docemus & audimus, præter ea, quæ sunt antiquæ & solidæ ueritatis, ut Apostolus ait. A ueritate quidem auditum auertent, ad Fabulas autem conuertentur, coaceruantes sibi Magistros prurientes auribus. Non ꝙ damnem affectum pium ad noua festa, sed ꝙ uideam non pauca agi & extolli, ad inuidiam usque aliorum. Non egent Sancti nostra superbia & discordia, imo nō ipsi, sed nos idola ex nobis facimus, & sub nomine Sanctorum nos ipsos colimus. 2. Tim. 4.

Hoc seculo quiduis potius audimus quàm ueritatem. Nota.

II. abusus, Auaritia.

ALter abusus est auariciæ. Eriguntur passim erectæq; sunt Ecclesiæ super Imaginibus non consecratis, præsertim ubi concurrit seductilis turba uulgi. Nec ipsæ Ecclesiæ consecrantur, in quibus præter speciem & nomen pietatis, nihil nisi quæstus quæritur. Si enim sub nomine Christi diabolus mittit Pseudochristos, quanto magis sub nomine & imagine Mariæ aut alterius Sancti, potest operari errorem & illusionem? Atque eo liberius, quo neglectius nos Pauli consilium habemus: Omnia probate, quod bonum est, tenete. Et illud Iohan. Probate spiritus, vtrum ex Deo sint. Nos vero specie bona contenti, statim sine probatione accurrimus. Facit hos discursus Diabolus. 1. Thess. 5 1. Iohan. 4

A Diabolo fuit huiusmodi discursus.

PRimo, vt populum a locis sacratis trahat, & affectum eius alienet à sacris, prophanisq; distrahat, dum nouis semper & alienis accendit curiosumq; facit. Hoc enim meruerunt, qui fastidiunt Ecclesiam suam domesticam.

Secundo,

Secundo, Vt per hoc accipiant occasionem uelut iustam, negligendi uerbi Dei & Parochialium officiorum. Omitto, ꝙ per uias perdunt tempus, & substantiam profundunt, peccatis multis sese onerant, dum uana fabulantur, uel audiunt uel uident, & domum, rem, familiam negligunt, hoc est, frustra laborant, & multa mala committunt.

Quod autem tales concursus sint ex Diabolo, pręter ea, quæ dicta sunt, ipse etiam pręceps concursus uulgi declarat. Ferunt enim uxores & famulos inter laborandum aut operandum raptos fuisse, ac uelut relinquere opus coactos. Quod a Spiritu sancto fit nequaquam, sed est euidentissima Dæmonis illusio. Spiritus sanctus non est spiritus temeritatis & præcipitationis, sed spiritus consilij. Nec reuocat Præceptum suum, quo præcepit mulieri esse sub potestate uiri, sine cuius consensu etiam uota sua nulla sunt, Et seruis, ut dominis suis fideliter seruiant, nihil fraudantes, Quomodo ergo nunc eosdem raperet ad inobedientiam tam rigide prohibitam? Vnde audiui, ubi tales Ecclesiæ fuerint consecratæ & legitimo Dei cultu ordinatæ, cessasse talem concursum. Sed & nunc dicuntur aliquæ ideo nō consecrari, ne desinat cōcursus, & arescat lucrum, O Christianos, qui ea impietate lucrum quęrunt. Hoc ne ex Deo est, ꝙ crucem & benedictionem sustinere non potest? Quis unquam crederet, posse Christianos, uel ab astutissimo Dæmone in hoc erroris barathrum præcipitari?

Præceps concursus uulgi ad Statuas. *Spiritus sanctus.* *Vxor.* *Vxoris uota.* *Serui.* *O Christianorum impietatem.*

Sed & ego noui hominem, qui simile Excelsum illusionis cœpit prostituere, sub nomine uirginis Mariæ, quæ sibi in somnis apparuerat (adeo sancta & digna sibi superbia uidetur) sed a maioribus Ecclesiæ prohibitus, statim ibi quieuit Diabolus, & migrauit alio, & ibidem præualuit erigere Lupanar suum. Vere hæc sunt signa & idola prostitutionis, quæ Dominus per Prophetam arguit, in quibus fornicantur animæ fideles a suo Christo, qui prohibuit ne crederemus his, quæ cum obseruatione locorum nobis prædicant: Ecce hic est, aut illic est Christus, Nolite, inquit, credere, ecce prædixi
Matth. 24 nobis. Quare tibi sit merito suspectum, tanquam negocium perambulans in tenebris, quantumlibet speciosum fuerit, quod in locis illis prophanis agi-
Psal. 91. tur. Non enim frustra Ecclesia instituit, Ecclesias & loca earum sanctificari per uerbum & orationem. Quod si cuius uxor uel seruus uociferetur, sese arripi tali peregrinandi spiritu, audi consilium, arripe & tu quernam aliquam crucem, & sanctifica dorsum eius aliquot ictibus fortiter, & uidebis, ꝙ hoc [a] digito Dei ejicietur dæmoniū illud. Mulieres enim ut sunt seductiles, solet familiarius istis nugis illudere.

Historia. *Ecce hic, Ecce illic.* *Querna cruce erit opus.* *a. i. Baculo.*

TERtio. Vbi non habet potestatem (sicut vere non vbique habet) in locis prophanis, facit hoc in locis sacris. Hoc autem facit, quando relicta matrice Ecclesia, peregrinari sollicitat ad Dedicationes & Patrocinia aliarum Ecclesiarum, uel in deserto uel pagis positarum, ubi tamen videas tot tabernas & ganeas, vt Babylonem credere posses (sic enim hodie agunt Dedicationum & Patronorum festa) Vesperi vero domum redeunt pleni Indulgentijs, id est, cereuisia, luxuria, & alijs portentis peccatorū, quibus ibidem seruierunt. Si tamen redeunt, nam ferme est velut regulare, aliquos occidi, aut saltem grauiter vulnerari in Dedicationibus, adeo, ut in Prouerbiū transierit: Indulgentias Dedicationis distribui sero, cum sese trucidauerint aut saltem læserint.

Dedicationes. *Cædes in Dedicationibus.* *Prouerbium germanicum.*

Has Diabolus miserrimas nobis assidue auget ignominias, & adhuc melius ducimus esse tales Dedicationes non tolli, ꝙ illas fieri. Det Dominus Episcopis nostris aliquando gratiam, vt has Indulgentias vna cum dedicationibus reuocent, & non sinant Diabolum etiam de cæde nostra nobis illudere, cui nimis fuerat permissum, ꝙ erroribus nos illuderet.

At hic

Peregrinationes ad Sanctos.

AT hic mihi obijciuntur receptæ illæ Peregrinationes ad S. Petrum in urbe, ad S. Iacobum, ad Ierusalem, ad Treuerim, denique in diuersa loca ad honorandas reliquias Sanctorum, & indulgentias obtinendas.

Respondeo: Non peccaret, qui omnes eas omitteret & domi maneret, Non præceptæ sunt, sed uoluntarie assumptæ. Tamen ego nõ resistam tanto iam usui & consuetudini præualidæ. Eant sane, qui uolunt, dum modo id discant, sese interim eisdem sumptibus posse incomparabiliter melius Deo seruire, & salutem suam operari, si domi seruiant pauperibus, imo sibi commissis, ut uxori, filijs, familiæ, dominis. Deinde, si flagella Dei patienter tulerint, & quascunq; aduersitates. Quasi uero non satis nobis pugnæ relictum sit domi cum Diabolo, nisi & foras cum Dina egressi plus occasionum corruptionis quæramus. Quanti enim resistunt cauillationibus & curis, quibus in domestica Ecclesia impugnat corda nostra? deinde crapulis, lusibus, & ocijs per omnes dies nos uexat, omnia tentans, ne purus sit apud nos Dei cultus, & integra salus nostra.

Dina. Gene. 34.

7. Aureæ missæ.

Id quoq; nuper inuentum est à nostra philargyria, q; septem aureę Missæ (scilicet ab aureo numo sic dictæ, quo persoluuntur) certis cereolis, certisq; alijs ritibus celebrantur, nescio, pro quo certissimo euentu. Ita iniquissimus hostis, nec hoc saltem sacrificium nobis reliquit sincerum.

Saccus auaritiæ sacrificulorum pertusus.

Quid, si saccus ille auaritiæ pertusus & insatiabilis huc pertineat? ubi ad structuras Ecclesiæ offertur, mendicatur, corraditur thesaurus sine fine, & reliquijs & indulgentijs in hanc rem uaferrime utuntur, ut ubi congesta fuerit pecunia, nec structuræ, nec pauperibus, sed pro bello, aut litibus, uel præsentibus expendantur, uel futuris reseruentur? Agg. 1.

Clauium Christi abusus.

Sic enim & claues Christi fecerunt auaritiæ ministerium, tamen sub sanctissima pietatis specie, ut aureos & argenteos numos perforent. Cur, si sola deuotio quæritur, non potius papyrum aut tabulam perforant? Sed quid ego Lernam auaritiæ in Ecclesia describere tento, de qua Propheta ipse desperans, omniaq; in unum concludens dixit: Omnes sequuntur auaritiam à maximo usque ad minimum. Iere. 6. 8.

SIt tamen summa summarum, Omnes hi Sanctorum cultores contra hoc primum peccant præceptum, quia non quæ Dei, sed quæ sua sunt, in ipso etiam Deo & Sanctis eis quærunt, suntq; sibi ipsis huius operis sui ultimus (ut dicitur) finis & idolum, utentes Deo, fruentes seipsis, De quibus potest illud dici Psal. 78. Cum occideret eos, quęrebant eum & reuertebantur, Psal. 78. & diluculo ueniebant ad eum, Et rememorati sunt, quia Deus adiutor est eorum, & Deus excelsus Redemptor eorum est. Sed quo corde id fecerint, sequitur: Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei, Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in Testamento eius. Et illud Christi Iohan. 6. Amen dico uobis, quęritis me, non, quia signa Iohan. 6. uidistis, sed quia manducastis & saturati estis. Eadem causa & illum repulit, qui dixit: Magister, sequar te, quocunque ieris. Ipse uero: Vulpes, inquit, foueas habent, & Volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet ubi Matth. 8. caput suum reclinet. Scilicet, ostendens, q; non propter Ihesum tantum, sed propter suam cupiditatem hæc dixisset ille.

Decretum Christi certissimum.

Stat ergo sententia fixa: Qui uult uenire post me, abneget, non pecuniam, non uestem, nõ denique sanitatem, sed seipsum, & tollat crucem suam, & Matth. 16 sequatur me. Item: Qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest Luc. 14. esse

esse meus discipulus. Item: Qui non odit patrem & matrem, & adhuc autem
Luc.14. animam suam, non potest meus esse discipulus. Luc.14.

Porro cum illi etiam corpus suum quærant, & quæ corporis sunt, certum est, q̄ nō sunt digni Christo, Sunt tamen digni aliquibus donis mercenariorum, sicut filij Abrahæ ex Cetura, sed non hæreditate cum Isaac. Si autem nō
Gene. 25. sunt digni Christo, clarum est, q̄ non faciunt uoluntatem eius, ergo nec seruant mandatum eius. *Sunt digni remunerattone temporali.*

Non hæc dico, q̄ velim omnes esse damnatos, qui tales sunt, sed ut discant solum suam miseriam, & non sese ideo Christianos esse confidant, quia sic honorant & colunt Deum, & Sanctos, imo imperfectum suum uidentes intelligant, quid ille gemitus significet, quem nos Christus docuit confiteri. Deinde iussit orare nos: Dimitte nobis debita nostra. Et: Fiat uoluntas tua &c. quia scilicet tales non sumus, cum tamen esse debeamus. *Gemitus.*

Ideo, si consilium Dei liceat capere, non ista bona dat, vt ijs velit satiare, sed magis irritare paruis his ad maiora petenda, vel ipsos imperfectos, vel saltem Filios suos, quibus talia non tribuit. Et hæc sat sint de hac materia. *Quo consilio Deus det bona temporalia.*

VErū, ne Pighardi hæretici in fœlices, suas partes a me adiutas cōfidant, qui præ nimia ruditate nobis Teutonicis (superbissimo fastidio indignati) imponunt, q̄ sanctos Dei colamus, & idola faciamus, Et ideo contra nos aceruum versuum Scripturæ congregant, in quibus prohibetur, ne adoret quis, nisi vnum Deum, Et vt nobis apud suos iustissimam inuidiam conflare videantur, insidiosissime omittunt, q̄ scribitur rex Dauid & Salomo & multi alij adorati, simul impij peruersores Scripturæ, & subdoli calumniatores nostræ pietatis. Ita enim rustici illi nos tandem docent, q̄ solus Deus sit adorandus, & gloriantur, ac si nos idipsum negauerimus unquam, cum tamen negare non possint, frequenter aulicos regios honorari, ac velut adorari, ut facilius ad Regem perueniatur. *Pighardi.*

Iob. 5. Propter horum itaque rudissimam & insulsissimam rusticitatem, Dico ego, ad Sanctorum suffragia recurrendum omni modo, sicut in Iob dicitur, & ad Sanctorum aliquem conuertere. Et sicut Salomon suum patrem allegat: Memento Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Sed & Iacob Patriarcha dixit de Ephraim & Manasse: Inuocetur nomen meum super pueros istos, & nomina Patrum meorum Abraham & Isaac. Sed de ijs suo tempore, si Deus uolet. *Suffragia Sanctorum.* *

Hic fiducia quoq; Indulgentiarum taxanda fuisset, nisi iam plus satis illa multis modis a me taxata esset. *Fiducia indulgentiarum.*

NVnc de altera specie transgressionis dicendum, scilicet eorum, qui pro uero Deo, idolum sapientiæ & iustitiæ suæ colunt. Hi sunt filij superbiæ, quorum rex Behemoth ille Diabolus, vocatur a Deo. Iob. 41. Horum est libero arbitrio confidere, non esse male habentes, non egere medico. His solis Christus gratis est mortuus, quia sine ipso possūt bene uiuere. *Filij superbiæ, Scholastici lib. arbit. assertores.*

Behemoth. Iob. 41.

Sic olim Pelagiani præcipue, deinde hæretici omnes perditi sunt. Porro hodie quoque sunt, qui Pelagiani quidem non sunt, sapiunt tamen idem, vel peius q̄ Pelagiani. Nam Pelagiani Deo saltem id tribuerunt, q̄ per doctrinam Legis erudiret liberum arbitrium. Hi uero habent dictamen rectæ rationis, quæ deprecatur ad optima, vt Legis eruditione, non pro necessitate, sed pro cōmoditate tantum utantur. Dissentiunt tamen a Pelagianis, q̄ sine Christo non posse bene uiui meritorie concedunt. Et ita Christus non est mortuus propter peccatum, sed propter non meritum. Non fuisset necesse eum mori, vt inferni pœnas solueret, sed tantum, vt mereri cœlum contingeret. *Dictamen rectæ rationis apud Scholasticos.*

Z geret.

geret. Nam finge paruulum adolescere sine peccato mortali actuali (id enim etsi difficile, tamen asserunt possibile) huic non est necessarius Christus redemptor de potestate Diaboli, sed adiutor duntaxat ad cœlum, quia si is moreretur, nec ad infernum nec cœlum ueniret.

Qua Theologia mihi uidentur asserere, neminem nasci filium iræ & filium Diaboli, nisi filium irę diabolicꝫ dixeris, id esse, quod non meritorium. Et dum sacerdos exsufflat Satanam in paruulis baptizandis, ut locum det Spiritui sancto, intelligitur, solum facere ex uase non meritorio meritorium, Sic enim uasa iræ Apostolus cogitur nunc demum intellexisse. Et Baptismi sacramentum confert gratiam non in remissionem peccati, sed initium meriti duntaxat, & illud symboli: Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, noua glossa oportet intelligi, non de peccatis damnationis, sed de peccatis non meritorijs.

Vasa iræ.

Ac sic peccatum originale nullum damnum intulit mundo, nisi ꝙ priuauit merito & uisione Dei. Et ea priuatio uisionis, id est, omnium bonorum, non est malum, nisi uoce tantum, scilicet priuatiue. Sic enim theologizamus hodie. Et Christus pro nobis factus maledictum & peccatum, ut de maledicto & peccato nos liberaret, non aliter intelligitur, ꝗ ꝙ est factus non meritorium, ut de non meritorio nos liberaret. Denicꝫ uocabulum illud, peccatum, per totam Scripturam nouam accipiet significationem, id est, Scriptura induet confusionem. Sed mittamus has tenebras, alijsꝗ tempori reseruemus, quia & alias sæpissime de his diximus & egimus.

Peccatum originale.

Scholastici Theologi.

IGitur, sicut supra diximus, cum simus iuxta B. Augusti. vna massa perditionis, nemo iustificatur, nisi per puram sine meritis gratiam Christi. Ideocꝫ necesse est, ut superbiat, sibicꝫ aliquid esse uideatur, qui nondum de se, sua ratione, pia intentione, suis operibus internis & externis desperauit, & ad thronum gratiæ tremens & miser accessit. Nam omnes illæ uirtutes morales, & scientiæ speculatiuæ duplo malo conficiunt hominem. Primo, Quod non sunt ueræ uirtutes & scientiæ, sed peccata & errores, quia fiunt necessario ex corde malo, & nondum sanato per gratiam, quod non potest nisi seipsum quærere in omnibus, & sic faciunt hominem uacuum & inanem.

Pura sine meritis Christi gratia, nostrum omnium iustificatrix.

Virtutes morales.

Altero, ꝙ uallunt & inflant, ut homo sibi non malus nec stultus uideatur, Quibus fit, ut sit securus, & nihil, uel minus sollicitus de gratia quærenda, dum scit se nihil mali facere, licet fateatur se nihil meriti in tot bonis facere.

Vallunt & inflant.

Inde procedit malum latius, ut omnes despiciat, iudicet, damnet, mordeat, zelet, arguat, detrahat, qui sibi dissimiles fuerint, quia cum Pharisæo nō est, sicut cæteri hominum, nec unus ex ipsis. Hi sunt, qui domum suam super harenam ædificant, horrendo periculo & æterna ruina casuram. *Lucæ. 18.* *Matth. 7.*

Vere iusti.

Veri autem serui iusticiæ, sciunt & confitentur se totos esse peccatum, totumcꝫ suum bonum, non intra se, sed extra se, in Deo & misericordia eius situm esse uolunt, Quia iustus ex fide uiuet, Non autem iustificatur in conspectu Dei omnis uiuens. Vnde suis malis pressi, neminem iudicant, nisi seipsos. Nulli detrahunt, neminem contemnunt, nisi seipsos. Et implent hanc definitionem iusticiæ, Iusticia est accusatio sui in principio, & iustus primum est accusator sui. Hi habent uere unum Deum, ex quo, per quem, & in quem iustificantur, & sunt sine peccato per misericordiam Dei ignoscentem, non per suam iusticiam operantem. Sic glorificatur Deus, & colitur uere, dum eius operibus tribuitur quicquid sumus, imo dum opera nostra non sint nostra, sed Dei, sicut Christus ait: Doctrina mea non est mea. Ita nihil nobis relictum est, nisi peccatum, stultitia, malitia, perditiō, & con- *Hab. 2.* *Psal. 143.* *Iohan. 7.*

Iusticia.

Christiana Doctrina.

& confusio. Ac per hoc non possumus nobis in ullo placere, aut idolum facere, redacti in nihilum, ex quo & uenimus, remanente solo Deo, omnia in omnibus.

SED quando hæc dicimus, obijciunt: Ergo non sunt facienda bona? *Obiectio.* Sicut Apostolo quoque, hæc ipsa docenti, obijciebantur: Faciamus mala, vt veniant bona, Quorum damnatio iusta est. *Roma. 3.*

Ideo illis respondendum: Primum, quod non prohibentur, sed quam maxime docentur bona fieri. Controuersia duntaxat in vocabulo, bona, cõsistit. Nam sine fide impossibile est placere Deo. Et omne quod non est ex fide, peccatum est. Illa sane bona, quæ illi vocant, naturaliter & moraliter facta, ideo sunt mala coram Deo, quia non fiunt ex Deo, nec propter Deum, id est, non cognoscuntur, nec referuntur in Deũ, Sed homo sibi ea tribuit, & in eis tanquam suis, placet, cum non sint sua. Illud enim additamentum Leuiathan facit, vt omnia sint apud Deum mala, quantumlibet speciosa sint coram hominibus. Vnde Paulus libera voce tam super Gentes quam Iudęos clamat: Non est iustus, non est qui faciat bonum, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. *Responsio.* *Ebræ. 11.* *Roma. 14.* *Naturaliter & moraliter facta.* *Roma. 3.*

Vt autem homo agnoscat opera sua esse Dei solius, gratia eum illuminat, natura non docet. Inde fit, vt talis homo sit patiens & mitis, siue vituperentur, siue laudentur eius verba & opera, sciens quia nihil amittit, cum non sint sua. At natura furit, vbi vituperatur, & insanit, vbi laudatur. Ratio omnium est, quod fides & spes non habet aliud fundamentum, nisi solum Deum Ihesum Christum, petram ipsam, & nullam prorsus creaturam. Ratio autem & natura habet fundamentum harenam, opera sua bona & sapientiam suam. Inde fit, vt homo ruentibus suis operibus bonis, si per diffamiam irascatur, si per conscientiæ & iudicij diuini reuelationem desperet in æternum. Iustus autem, etiamsi cadit, resurgit, & contra conscientiam, in Dei misericordia nititur, sicut scriptum est: Quoniam Rex sperat in Domino, & in misericordia Altissimi, non commouebitur. *Gratia.* *Natura.* *Fides.* *Spes.* *Ratio & natura.* *Psal. 21.*

Quocirca definitio spei apud Magistrum Sententiarum, vel est falsa, vel est obscure & non intelligibiliter posita, Quia spes non prouenit ex meritis, sed contra, merita proueniunt ex spe, Quia sicut fides, ita spes, ita charitas, necesse est, ut sint ante omne opus meriti priores. Prouenit enim spes non nisi ex miserente & infundente Deo. Nec habet obiectum uel materiam seu fundamentum aliud, quam ipsam nudam Dei misericordiam, nequaquam opera nostra, quæ sunt potius obiectum, & ex quibus prouenit desperatio. Christus nobis uixit, & meritum nostrum est, si credimus in eum. Credentes autem in eo, iam non sibi uiuunt, nec sua merita cumulant; sed Christo seruiunt, & uicissim Christo merentur. Sic enim Apostolus docet Roma. 14. Siue uiuimus, Domino uiuimus, siue morimur, Domino morimur, Ipse spes nostra, & nos, ut ita dixerim, spes seu expectatio eius. Sicut filius est spes patris, & pater spes filij, cui omnia prouidit & thesaurizauit. *Definitio spei.* *Spes.* *Roma. 14.*

QVOmodo autem de superbia rerum spiritualium dixi, ita & de corporalium rerum superbia intelligatur, ut sunt diuitiæ, forma, gloria, potentia, fauor, genus, uoluptas & similia. In ijs enim qui confidit, & superbit, aliosque fastidit sui dissimiles, manifestum est, quod hæc sua facit, Deoque rapit, & sibi in in idola transmutat. Quæ si solius Dei esse cognosceret, non distingueret inter se, & quemlibet perditissimum hominem, nihilque plus sese habere fateretur, nisi quod solus Ihesus Christus eius fiducia est. *Superbia de rebus corporalibus.* *Præceptum utilissimum.*

Sic fieret, si hoc præceptum seruaretur, ut nulla superbia, id est, nulla radix, nullum initium peccati, ac per hoc nulla peccata essent. Sed pax, amor mititas, largitas, patientia & omnium uirtutum plenitudo, Quod non in hac uita sperandum est, ideo semper manemus peccatores, & huius precepti transgressores, Solo hoc sacrificio salui, quod hanc transgressionem non ignoramus, neque negamus, neque cum impijs uerbis maliciæ in peccatis nos excusamus, Sed confitemur, & geminus auxilium gratiæ, & regni futuri accelerationem. Qua humilitate meremur nobis ignosci, in ijs quæ minus facimus, sicut B. Augusti. ait: Omnia mandata implentur, quando quicquid non fit, ignoscitur. Ignoscitur autem confitentibus, Quia humilibus Deus dat gratiam.

Gemitus ad Deum. *Augustin dictum.*

Vnde cauenda est illa perniciosa & adulatrix glossa, imo totius humilitatis expultrix & uastatrix, qua dicitur: Deus non requirit hoc præceptum impleri in hac uita. Facit enim hæc glossa securitatem nocentissimam, dissoluit manus, & remittit genua strenuorum bellatorum. Et est unum de puluillis & ceruicalibus, quæ in Ezechiele damnat Dominus. Nisi sane intelligatur, scilicet, quod non requirit quidem ab ijs, qui ipsi à seipsis requirunt eiusmodi plenitudinem, & dolent atque confitentur sese non implere, & ideo festinant egredi, & cupiunt dissolui, ne sint diutius cum peccato, & inobedientia huius præcepti, sed cum Christo & iusticia, & plena obedientia præcepti, is, inquam, non imputat, nec requirit.

Pestilens glossa. *Puluilli in Ezechiele.* *Ezech. 13.* *Philip. 1.*

Verum qui ipsi non requirunt, & exigunt à seipsis, sed consuunt sibi puluillos sub manibus, & sine timore incedunt, certi, quod non requiratur, ab ijs certe exiget usque ad nouissimum quadrantem. De ijs dicit Psal. 10. Propter quid irritauit impius Deum? Dixit enim in corde suo, non requiret. Qui enim non agnoscit se præceptum hoc debere, quomodo se agnoscet esse peccatorem? Qui autem non agnoscit se peccatorem, quomodo timebit Deum & iudicium eius? Qui autem non timet, quomodo humiliabitur? Qui non humiliatur, quomodo gratiam consequetur? Qui gratiam non consequetur, quomodo iustificabitur? Qui non iustificatur, quomodo saluus erit?

Psal. 10.

PRAECEPTVM II.

NON ASSVMES NOMEN DOMINI Dei tui in vanum.

HOC Præceptum (sicut & alia omnia) fluit ex primo. Seruato enim primo, & hoc facile seruatur, imo seruatum est, Quia ideo ponitur, ut cæcitati nostræ manifestetur insipientia nostra, cum non esset necessarium, si Adam stetisset, omnia enim illa sciuissemus. At nunc nec ipsa scimus, quæ necessaria sunt foris fieri, nedum intus.

Igitur in primo Præcepto, cor & interior homo erga Deum institutus est, in hoc os instituitur. Tribus enim rebus peccamus, corde, ore, opere, contra Deum, ideo super singulis, singula sunt Præcepta, & sunt omnia tria negatiua siue prohibitiua. Nec est in toto Decalogo, nisi unum Præceptum affirmatiuum, scilicet: Honora patrem & matrem &c. Nam tertium, quod est: Sabbatum sanctifices ipse Dominus exponit negatiue, dicens: Non facies omne opus in eo, Quod & nomen indicat, sabbatum, id est, requies, id est, uacatio ab operibus. Nullum enim opus in illo præcipitur, unde & solum lectioni Legis intendebant illo die. Igitur malum in omnibus prohibet, ideo & nullum aliud habet Promissionem, nisi unum, scilicet, affirmatiuũ de honore parentum. Cætera uero, quia malum prohibent, pœnam minantur.

Tribus rebus peccamus, corde, ore, opere &c. *Vnum Præceptum affirmatiuum.*

Ideo,

Ideo, Sicut qui corde non peccat, nec ore nec opere peccat. Ita qui corde peccat, nec ore nec opere iuste facere potest, qui primum Præceptum non seruat, nec secundum nec tertium seruat. *Qui 1. præceptum non seruat.*

Qui vero primum seruat, & secundum & tertium seruat. Non enim est metuendum, q qui in Deum suam fiduciam posuit, Deum super omnia diligit, sperat, quærit, sitit, Nomen eius in vanum & irreuerenter nominet. Sicut non est timendum, q subditus Principem diligens, non etiam nomen eius velit vbiq; clarum facere & habere. Vnde & pro maiori parte, in primo mandato dicti sunt, qui contra illud peccant, scilicet duplicis generis homines rudissimi & stultissimi, per omnia similiter hic dicenda sunt. Hoc enim Præcepto non prohibetur maledictio, nisi quando fit per nomen Dei, sed nec blasphemia in hominem, nisi fiat per nomen Dei, Sed infra: Non occides.

ID autem in primis notandum, q hoc Præceptum subindicat affirmatiue, nomen Dei esse assumendum in os vere, vel in necessitate salutis, & q solum ibi prohibetur, ne in vanum assumatur. Vnde in Scripturis frequenter præcipitur, nomen Domini inuocari, laudari, confiteri, benedici. *Nomen Domini inuocandum.*
Roma. 10. Sic Roma. 10. Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Videamus itaque primum rudiores, inter quos primo occurrunt superstitiosi, sortilegi, & quidam ex Iudaicis fabulis superstitiosa quædam de nomine Tetragrammaton fingentes. Quod ij nomen Domini in vanum assumant, patet, quia nec ad salutem animæ, nec ad gloriã Dei, assumunt nomen Dei, Sed ad curiositatem suam, ad pactum Dæmonũ, in signis, uerbis gestibus, ut supra dictum est. Non est enim id curant, an salutem animæ inde cõsequantur, multo minus, an Deus in hoc glorificetur, sed tantum, vt suę satisfaciant concupiscentiæ. Igitur sicut illi Deum abiecerunt de corde suo, & vanum fecerunt in semetipsis, contra primum, ita & nunc Nomen eius polluunt in ore suo, & frustra assumunt. *Superstitio.* *Tetragrammaton.*

Frustra autem & vanum dicitur, quod sine necessitate & causa fit. Est autem necessitas vel vtilitas nominis Dei assumendi duplex, scilicet salus nostra, & gloria Dei, imo sola gloria Dei, quia nec salutem nostram debemus per Nomen eius quærere, nisi ad gloriam ipsius. Assumere autem intelligitur, vt cum aliquis sumit vel intendit facere, vel dicere, & ad hoc adhibet nomen Dei. Sicut in corde assumit per fidem gratiam Dei ad salutem suam. Ita in ore assumit, per reuerentiam nomen Dei, ad salutem suam & aliorum. De istis ergo satis persuasum est, vt abstineant, in præcepto primo. Nec per hoc sese excusent, quia sancta verba, & orationes adhibent, cum per hoc magis turpiter peccent, vt in simili. *Frustra & uanum quid dicatur.* *Assumere nomen Dei.*

Nonne furiosum putes eum, qui sacris vestibus, officijs diuinis aptatis, ad choreas, spectacula, vel bella procedat, & iocum huiusmodi ex eo serio faceret. Si ergo hunc grauissime reprehenderes, Cur non multo magis reprehendis te vel illum, qui sancto, plus q̃ omnes uestes, imo quo sanctificantur & vestes & omnia, non ad choreas, sed ad stupra, ad dæmoniaca opera abutaris, vel saltem ad corporis salutem, contempta anima. Talis est ergo illorum excusatio, qualis est eius, qui sic sacris abusus corripitur, & dicit: Eia, res tamen sacra & bona? Quid enim huic dicetur? q̃ illud: Quasi ego nesciam, eam esse bonam & sacram? hoc me nunc doces? cum ideo te arguam, q sacris ita abutaris. *Simile.*

At nos nunc hi sumus Christiani, qui calceos nouos ne polluamus, calopodia emimus, & vestes bonas nullo modo in lutum trahimus, nec aureis *Vestiue & uere.*

vasis contumeliam facimus cum urina, imo aqua immunda. At sacrum Dei nomen ad quæcunque indigna trahimus, sine omni fronte. Quod si hoc nullus in suis facit, finge aliquem ita furiosum, ut in suis idipsum faciat. Quid si de alienis? & eius, qui uult sua munda haberi? Quam gratam rem faceret, qui Principis titulum & nomen, & insignia, ad lutum traheret, & inuolueret, ipso scilicet uidente & prohibente, imo præcipiente in sublimi loco statui.

Stupore ipsi sumus Turci.

At nos cum audimus Turcos templa prophanare, altaria & omnia sacra polluere, miro ardore accendimur ad iram, & cogitamus iniuriam bello uindicare, & querimur, quod principes non contra Turcum bellant. Sed palpa sinum tuum, & Turcum palpasti. Interim Deus eo magis in pœnam, principes in mutua bella tradit, ut nos magis quam Turcos puniat, quia peius polluimus sacra quam illi.

Periuri, mendaces &c. *Per Deum maledicentes.*

SEcundo nobis occurrunt, periuri, mendaces, dolosi, fraudulenti, & quicunque ueritatē relinquunt, ubi Deum testem adhibent & nomen eius, imo & per Deum maledicentes, iniuste excommunicantes, iocosi quoque ac blasphemi in Deū, de quibus supra aliqua dicta sunt, & infra plura dicentur.

Duplex iuramentum. Bonum.

Hic vero videamus, qui iurando peccent in nomen Domini Notandum itaque quod duplex est iuramentum. Bonum, de quo Deut. 6. & 10. Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies, & per nomen illius iurabis. Ita enim Deus ipse iurat sæpius in Prophetis, dicens: Viuo ego, dicit Dominus. Et Psal. 110. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. & 132. Iurauit Dominus Dauid veritatem. Sic Christus iurat in Euangelio, & Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, & omnes Sancti iurant, ac iurauerunt. Et hoc est opus meritorium, quia fit in ijs, quæ pertinent ad salutem. Vnde quoties aliquis dicit vel facit, quod expedit ad salutem, vt credatur, vbi timetur non credi, debet iurari. Sic iurat Apostolus ad Roma. 1. Quod sæpe proposuit venire ad eos. Quę ratio iurandi? nisi quia expediuit eis, id credere ad salutem, vt eum fidelem Pastorem, non quæstuarium agnoscerent, & charitatem veram in eo esse confiderent. Sic Psal. 63. Laudabuntur omnes, qui iurant in eo.

Deut. 6. *Psal. 110.* *Psal. 132.* *Paulus iurat.* *Roma. 1.* *Galat. 1.* *Psal. 63.*

Cur Deo placeat.

Ratio, quare hoc iurare placeat Deo, Quia per ipsum inuocatur veritas eius, & creditur in eum, ac propter eum fit pax & concordia iurantium, ideo sanctè colitur in eo opere, quia destruitur opus Diaboli, scilicet dissensio & lis. Quia qui tibi non credit, nec quiescit, propter nomen Dei tibi credit, quod inuocas & quiescit. Ideo hunc honorem soli Deo debemus. Vnde Aposto: Ebræ. 6. Omnis controuersiæ finis est iuramentum.

Ebre. 6.

Iuramentum malum.

Aliud est malum. Et hoc duplex, Aliud enim est, quod ex consuetudine fit, & hoc est malum, quia sic vilescit assiduitate reuerentia nominis Dei. Sic Teuto: Bey Gott/ Warlich/ Fur war/ Als war Gott im Himel ist/ Bey Gott vnd allen Heiligen/ per Deum viuum, per Deum sanctum, Auff mein theures creutz / Auff mein theures Blut / Bey dem Creutz Gottes/ Es ist marter gros/ marter schon/ id est, passionem Christi ita est. Item sic detestari, Der Teufel hol mich / brech mir den hals / Gott helff mir nimmermehr / Als mir Gott helff/ Auff mein Seel/ in conscientia mea, Bey meiner trew vnd ehre/ Bey meiner Priesterschafft/ &c. Ista & multa similia, heu proh dolor, tam sunt assidua multis in ore, vt prope secundum verbum sit iuramentum huiusmodi. Hic patres & matres familias vigilare super liberis & seruis ac familia deberent. Quia est pessima consuetudo, & contra hoc Præceptum.

SED propter rudes quæritur, An nomen Dei tangatur, quando iuratur in hæc verba, vere, veritatem dico? &c. Respondetur quod sic, Quia veritas est nomen Dei, cum ipse sit veritas. Sic enim Apostol: iurat

Roma. 9.

Roma. 9. per veritatem & conscientiam suam. Et quamuis hoc ideo possit viderì prohibitum, quia conscientia non est nomen Dei, cum æque sit peccatum, iurare vane, & non iurare per Deum, seu per aliud, quam Deum, etiam vere, Tamen Christus Matth. 5. hoc totum refert ad Deum, quando dicit: Neque per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia scabellum pedum eius, neque per Hierosolymam, quia ciuitas Regis magni est, neque per caput tuum iuraueris, quia non potes vnum capillum facere album aut nigrum. Ex quo patet, quod qui iurat per ea, quæ Dei sunt, vel ei applicata, etiam per Deum iurat, ex quo, in quo, in quem omnia sunt. *Veritas.* *Matth. 5.*

Alterum est iuramentum falsum, Vbi quis ex proposito iurat & scienter falsum, secundum formas prædictas. Hoc est vehementer graue peccatum, Et raro transit hoc peccatum impunitum, etiam in hac vita. Quod si dubitas, interroga periuros. Sed grauissimum est, quando hoc fit in facie Ecclesiæ, cum solennitate & præscripta Forma, vt faciunt contrahentes matrimonia clandestina, & in pœnam peccati, postea odientes sese separantur periurio, horribilis culpa, sed horribilis & pœna. *Iuramentum falsum.* *Periuri.*

Vnde inter omnia mandata, solum hoc habet additam pœnæ comminationem, scilicet: Non enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomē Domini Dei sui frustra, Licet & primum habeat cōminationem, quod in quartam generationem visitet iniquitates eorum, qui oderunt. Sed quia Apostolus Promissionem, quæ in hoc continetur, non numerat, sed quæ in quarto, quam dicit primam, ergo & hæc comminatio primi Præcepti non videtur numeranda. Et grande peccatum est profecto periurium, quod primum patet ex detestatione Scripturæ, quia præcipit Dominus in lege: Non peierabis. Et Prophetæ vehementer periurium arguūt, Vnde Hoseæ 4. Non est veritas, non est misericordia, non est scientia Dei in terra, maledictum & mendacium, homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Denique adeo sanctum id voluit, vt etiam regi Babylonis non seruatum à Zedechia vindicaret. Item nec Gabaonitis licuit nocere, licet falsi ab ijs iurassent. Item nec filijs Beniamin, filias suas dari ausi sunt, propter iuramentū, & potius gentilem sanguinem permiserunt misceri fraterno sanguini, quam iuramentum soluerent. *Comminatio pœnæ addita 2. Præcepto.* *Ephes. 6.* *Periurium grande peccatum.* *Hoseæ. 4.* *2. Reg. 24* *Iosue. 9.* *Iud. 21.*

Secundo, ex re ipsa, Quia iurare, est Deum testem adhibere, & medium, quo vniunt sese discordes. At sic falso iurans, Deum ludibrio exponit, imo quod horrendum est, quando dicit: Sicut Deus est, viuit, verax est, corde dicit, quod non sit ita verum. Ac per hoc Deum negat ore, imo & corde, quo consentit in negationem oris. Et ista negatio est pessima, quia scit Deum esse, & corde credit, & tamen simul etiam corde consentit in negationem eius, quia non negaret foris, nisi vellet negare. Et tamen contra cor suum & conscientiam negat, Ideo grauissimum est hoc mendaciū & directe contra Deum, qui vult eum non esse, vt suum mendacium stet firmum. *Ex re ipsa.* *Iurare.*

Tertio, a simili, Si principem permoueres, vt pro fide tua literas & sigillum suum appenderet, in tua causa, vt sic pro nomine eius tibi crederetur, Et tu postea nequiter denegares, & principem in confusione relinqueres, quid putas de te cogitaret? An putas, quod fideiussorem habeas? Aut si, vt adesset pacto tuo cum alio, rogares, & in faciem venientem neges esse principem, & proijcias? At Deus quanta maiestas, solus Dominus est. *A simili.*

Contra hoc praeceptum dupliciter agitur.

PRO planiori intelligentia notandum, contra hoc Mandatum in iuratione dupliciter agi. Primo in iurando, Secundo, in soluendo iuramento.

1. Iurando.

Iurando, vt qui scienter in actu peierant, dolose dicentes se facere, quod nolunt facere vt liberentur, vel negantes dolose quod sciunt, vt fit in negocijs, depositis, quaestionibus iudicialibus. Hi grauius peccant, quam superstitiosi illi. Quia ij nomen Dei assumunt in vanum, hi autem ad mendacium, quod longe grauius est, & hoc in negationibus fit potissimum. Psal. 24. Nec iurauit in dolo proximo suo. *Psal. 24.*

2. Soluendo.

Soluendo, vt qui sine dolo quidem iurauerunt, sed tamen postea mutantur, et non soluunt, quod in affirmationibus fit, vt Psa. 15. Qui iurat proximo suo & non decipit. *Psal. 15.* Verum si non potest soluere, non ideo periurauit. At dicis: Quid? nisi iurem, damnum, vel periculum, vel mortem incurram? videtur, quod redimendus sim, vt si latro, vel hostis cogit fateri, quicquid habes. *Obiectio.*

Solutio.

Respondetur: Nullum peccatum est faciendum pro quacunque re, neque pro aeterna, quanto minus pro temporali. At dicis: Quis mihi reddet? Respondetur: Deus, pro quo veritatem dixisti. Sed non omnes casus huius monstri percensere possum, quia vere hodie inundauit & nihil curatur. O si paucitatem Saluandorum attenderemus, & timeremus, quam cito ista securitas de salute cessaret à nobis. Dicit itaque Dominus Matth. 5. *Matth. 5.*

Securitas de salute.

AVdistis, quia dictum est antiquis: Non peierabis, reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis: Non iurare omnino. Hoc loco sudatum est à multis, An liceat iurare? Et alij, quod à malo poenae, alij à malo iurantis sit, si iuretur. Sed inspiciendo Christi sensum. Vult utique nequaquam iurari, quia dicit: Non iurare omnino. Est ergo sensus, Iudaeis praeceptum est, ne peierarent. Iurare autem permissum est ad libitum. Vobis autem praecipio, nullo modo iurare, neque per coelum &c. In quo utique hoc uult, ut nullus uoluntate sua iurare debeat unquam, libidinem scilicet & uoluntatem propriam iurandi prohibuit, & in quantum in eo est, Non debet iurare quis, ideo si ultra dicat quam est, est, non, non, peccat, & malum est.

Sensus Christi. Non iurandum omnino.

Requisitus iurare potest.

Per hoc nō tamen prohibet, quin exactus iurare debeat quilibet fidelis, siue, inquam, exactus ui alterius, aut necessitate fratris. Quin potest ex me extorquere uel hostis, uel amicus, ut iurem, ut faciam omnia quae uult, dummodo sint licita. Sicut Christus dixit sequenter, quod auferrenti pallium, & tunica dimittenda, & etiam alia duo millia passuum eunda. Iam enim non ipse iurat, quia non est suae uoluntatis, sed seruit per humilitatem alienae uoluntati, uel per charitatem alienae necessitati. Cessantibus ergo ijs, nullo modo licet iurare, quin sit peccatū & à malo, quia ex mera uoluntate iurat, sine necessitate. Christus enim eo in loco instituit hominem interiorem, qui non tantum periurium, sed etiam iuramentum uitare debet. Iudaeis prohibetur, Ne falsum iurent, Christianis autem, etiam ne uerum iurent, quia perfectior & integrior esse debet honor nominis Dei in noua Lege quam ueteri.

Christus perfectionem docuit.

Cur prohibitum iurare.

Secundo, Quia Christianus temporalia non debet amare, ideo propter ea non debet iurare. Quoniam qui non debet querere, quae sua sunt, quomodo etiam pro eis iurare permittetur, pluris itaque nomen Dei quam sua aestimare debet, quod tunc apud Iudaeos dissimulatum est.

Vbi uero alteri seruiendum fuit, ibi sine scrupulo, tamen cum timore Dei, frater fratri tenetur facere, quae sunt pro eius necessitate facienda. Et ratio est prohibitionis, quia scit quod nos non assumimus nomen Domini, nisi

nisi in vanum semper, præterq; vbi in charitate & humilitate pro alijs, vel sua salute assumitur, quod est fundamentum huius prohibitionis, 1. Corinth. 1. Cor. 12 12. Nemo potest dicere: Dominus Ihesus, nisi in Spiritu sancto &c. Vel melius, Non iurare omnino, dicitur contra eos, qui effugium quærunt, quia iurant, sed non per nomen Domini, sed per cœlum, terram, Hierusalem, caput, animam, quasi ideo non sint rei, si periurent, quia non per nomen Dei iurant, ac sic iurare eiusmodi, quasi pro non iurare reputant. Quod hæc sit mens Christi, videtur ex hoc, q statim secutus exponit, quomodo non velit iurari omnino, scilicet neq; per Hierusalem &c.

PRAECEPTVM III.

MEMENTO, VT DIEM SABbati sanctifices.

Iohan. 15. Roma. 13.

HOC est Præceptum meum, vt diligatis inuicem, Iohan. 15. Charitas plenitudo Legis, ait Apostolus. Qua habita, nulla est Lex necessaria, Sine qua nulla Lex satis est. Igitur in hoc tertio Præcepto, iam opus præcipitur, imo quies, vt non offendatur Deus operibus. Neq; enim aliquod in eo præcipitur opus. Quare hæc tria Præcepta parant hominem Deo, velut puram materiam, vt quiescat corde, ore, opere, id est, interiori & exteriori, & medio homine, qui sunt sensualis, rationalis, spiritualis, & sit pura quies. Hic ante omnia duo notanda sunt. *Quies. Prima tria præcepta.*

Primum, Quod sabbatum fuit Iudæis præceptum in figura, sicut expresse significat Apostolus Coloss. 2. Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Vnde opera seruilia seu manualia, cum sint vtique bona, significant opera peccati, & illicita veteris hominis. Nam sicut quædam animalia erant immunda, tantum significatiue in seipsis bona, munda, sana, quia creata à Deo, & tamen immunda & mala significabant, Ita & opera corporalia, quæ de se sunt bona, tamen prohibita sunt, ad significationem futurorum, id est, malorum reuelandorum. Sic sabbatum significat ipsum spirituale tempus, quod Sol iustitiæ Christus illuminauit, quod non habet noctem. Vnde Esa. 66. Erit mensis ex mense, Sabbatum ex sabbato. Et Apostolus Galatas arguit, q dies & menses obseruarent, & tempora, & annos secundum ritum Iudaicum, id est, externe tantum. Ideo istud Præceptum cessauit proprie, imo omnia, quo ad perfectos Christianos, Quia iusto non est lex posita. *Colos. 2. Sabbatum. Opera seruilia. Esa. 66. Galat. 4.*

Veruntamen Ecclesia festa retinuit propter necessitatem verbi Dei, pro imperfectis. Nam iustus verus, sic deiformis est, vt sicut Deus indifferens est ad omnem diem, omnem locum, omnem personam, ita & ipse. Omnis dies est illi festus. Verum infirmis, qui nondum sunt mortificati secundum veterem hominem, illis opus est, vt certis officijs, diebus, modis occupentur, vigilijs, ieiunijs, laboribus, orationibus, disciplinis, & similibus, quibus perueniant ad profectum interioris hominis, vt ubi corpus castigatum, & in seruitutem fuerit redactum, & mortificatæ passiones, tum ipsa cessent paulatim, & tantum minuantur, quantum profecerit interior homo, adeo ut si perfectus fuerit, illa omnino cessare debeant, hoc est, quod Apostolus ait: Lex pedagogus noster fuit in Christo. Nihil enim ad perfectum duxit Lex. Iohannes autem præcessit parare, Domino plebem perfectam. *Festi dies instituti propter imperfectos. Incipientibus opus est certis ceremonijs. Galat. 3. Hebr. 7.*

Proinde,

Habentes fiduciam in operibus.

Proinde, qui illis operibus factis, velut magnum aut totum se fecisse putat, & ibi stat, confidens in illa, securus, nec aliud per ea querens, ipse est vitula Ephraim docta diligere trituram, qui hoc putat esse bonum hominem, bona operari, scilicet, cum hoc sit, hominem parari ut bonus sit, Est enim baptismus aquæ tantum, De quibus in tota Scriptura, multa, imo fere omnia, dicuntur, sunt enim hypocritę, iusticiarij, qui & Scripturam ab hęc torquent, nescientes (ut ait Apostolus) neque de quibus affirmant, neque quæ loquuntur. Sicut artificij cuiusque discipulus, ea facit, quæ artifex non nisi libeat, facit, sed per hæc ad magisterium proficit. Quod si in ijs stet, velut omnia sciens, stultus & ridiculus omnibus erit. Sic hic per bona opera, non efficimur boni, sed præparamur. Non enim operando, sed patiendo boni sumus, cum patimur diuinas actiones, quieti ipsi. *Hosee.10.* *Hypocritæ. Iusticiarij.* *1. Tim.1.* *Simile.*

Præceptum figurale.

Igitur hoc præceptum Ecclesia, & multa alia figuralia, tenet, pro infirmis exercendis, vt proficiant, non vt ibidem stent, ijs facti securi.

Quæstio Gregorij. Charitas.

SEcundum notandum, quod B. Grego. hic quærit? Quare Dominus id vnum mandatum adducat, cum omnia scripta plena sint mandatis. Verum omnia mandata (vt dixi) requirunt charitatem, cum sine charitate, id est, facili, prompta, hilari, libente, voluntate, si implentur, non implentur, manet enim inuita, ideoq; & rea voluntas, licet opus faciat manu & extra. Sic enim: Qui offendit in uno, factus est omnium reus. Sic Psal. 1. Beatus vir dicitur, cuius voluntas in lege Domini sit (id est, qui habet charitatem, & diligit proximum) Et Psal. 110. Populi tui spontanei. Et Aposto. Hilarem datorem diligit Deus. Nō enim placent Deo coacta seruitia, sed libera & voluntaria. Vt Psal. 53. Voluntarie sacrificabo tibi. Voluntas ipsa est charitas secundum B. Augustinum. *Psal.1.* *Psal. 110.* *2. Cor. 9.* *Psal.53.*

Quare ergo non dedit, & sufficit in vno illo?

Respondet.

Respondeo: Sufficit quidem, sed ostendendum fuit homini, in quibus charitatem habere deberet, Ne falsa opinione & fiducia seipsum seduceret, charitatem sese habere putans, cum non haberet. Facile enim optima de nobis, & pessima de proximo sentimus, cum debeamus contra. Ideo Decalogus pręceptorum velut speculum est, in quo homo seipsum consideret, in quo & quantum deficiat aut proficiat. Nam in illis omnibus, non oportet attendere, ut faciat, sed omnino quo corde & voluntate faciat. Data sunt, inquam, in cognitionem nostræ voluntatis, deinde & in exercitationem eiusdem, quæ omnia fiunt in onus ijs, qui inuiti & difficiles sunt. *Decalogus.*

Primum præceptū.

Nam ecce ut idipsum declaremus, primum Mandatum omnia alia in se continet. Qui enim hoc seruat, omnia seruat, & qui aliquod non seruat, hoc non seruat, quia cor eius aliud ꝗ solum Deum respicit. Verum Adam ille uetus noster adeo peruerse superbus est, vt sæpius velit sapientior & sanctior uideri, ꝗ omnes Sancti. Idcirco fronte posita audet dicere, se primū mandatum seruare, & sibi nō esse conscium. Non idolum habere, nihil iuxta Deum amare. Ideo remittendus fuit ad opera & verba, quæ ei testimonium perhibeant de seipso, & eum conuincant superbæ temeritatis, uel mendacij. *Discurrendum per singula præcepta.*

Vt si præsumit, ꝙ non habet Deum alienum, quærat linguam, si iuret? si in uanum assumat nomen Dei? Quia ex abundantia cordis os loquitur, facilis est error in opinione cordis, & lubrica temeritas. Neque facile potest fieri, an seruet primum, nisi opera & uerba interroget. Igitur, si iuret, aut uane Deum nominet, sciat se mentiri, aut falli. Si dixerit se Deum amare, & primum præceptum seruare, Non recte discussit & probauit corsuum. *Matth.12*

Sed ecce, seruare uideatur sibi & secundum. Non est sibi conscius, interroget se in tertio, an prompte sanctificet sabbatum, an auide uerbum Dei

audiat,

audiat, oret, meditetur, legat, disputet de Deo, intersit diuinis. Si hæc non facit, uel difficilius facit, quam alia sua, si dixerit se seruare primum & secundum, fallitur. Opera enim testimonium perhibent de eo. An potest fieri, vt quis assumat non vane nomen Dei, qui ipse vanus est? Quomodo vanus aliud agat, quam vanum? vanum loquitur, vanum cogitat, etiamsi Deum cogitet, loquatur. Vanus autem est, qui alia agit, quam quæ Dei sunt, & inuitus quę Dei sunt, præ ijs, quæ sua sunt. Et omnis homo vanitas. *Vanus.* *Psal. 39.*

Tertio, videatur sibi & hoc seruare, crassius signum probet, videat quomodo suscipiat vicarios Dei, quos videt, parentes, inquam, & præsidentes. Si hos viliter æstimat & contemnit, quos videt, quomodo audet dicere, se Deum æstimare, & non aliud præ illo, quem tamen non videt?

QVarto in ijs, quæ ad Proximum, quem diligi vtique est uoluntas Dei, quæ in primo Præcepto intelligitur semper. Si dicis quod diligis proximum, & eum odis, mordes, detrahis, lædis, despicis, occidis, maledicis, contumeliaris, ecce opus tuum testimonium dat contra te. Itidem, si nō defendis læsum, excusas, benedicis. Quia dilectio facit hæc, si est uera. Vide ergo hoc speculum bene.

Quinto, Si nec ex illo te cognoscis: sicut uere non satis ex illo cognosci potest, quia uaria est cōcupiscentia, & nulli satis etiam suipsius cognita, ideo per multa, imo per omnia ducenda, examinanda. Igitur non læsisti proximū in corpore & persona, quid si in corpore uxoris suæ, quæ eadem caro est? Si eam concupiscis, impudice inspicis, tractas, alloqueris, aut talia facientem non reuocas, adiuuas, reducis, Quomodo diligis eum, quæso, sicut teipsum? cum hæc omnia uelis tibi ab illo fieri, quia sic utique te diligis, tibi faues. *Concupiscentia uaria.*

Sexto, Esto, & hic tibi non sis conscius, & Adam tuus sibi totus integer uideatur, sicut solet secundum cæcitatem suam, cum in nullo sit purus, Cogita quid in bonis eius externis pecces, scilicet, an fureris? id est, quacunque fraude ad te aliquid perducas? falsaque merce, pecunia, mensura, usura, dolo, rapina, furto, consilio, consensu ei noceas aut nocueris.

Septimo, Quid in bonis famæ? An detrahas, mordeas, & nullo linguæ peccato in eum reus sis? An gaudeas alios facere, quod ipse omittis?

Octauo, Si in operibus & uerbis integer es (quod rarissimum est) intra nunc, discute cordis secreta, & pondera desideria eius. Et nisi mentiaris, inuenies, quod sis plenus concupiscentia. Nec dicas tibi: Non concupisco, quia contra Scriptura dicit: Quis gloriabitur, se mundum habere cor? Nullus est mundus intus, Nam non satis est, ut concupiscentiam frenes, sed & non concupiscere debes, de quibus suo loco latius. *Non concupisces.*

Ideo ultima duo Præcepta sunt maxima; quæ sola Apostolus ad Romanos adducit, dicens: Non concupisces. Quare qui dilectionem habet, id est, sanam & plenam uoluntatem in legem Dei, & diligit eam, hic implet legem Dei. Non enim est timendum, quod diligens Deum nomen eius inhonoret, aut alium Deum quærat, aut polluat sabbatum. Et qui diligit proximum, non est timendum, quod contemnat Parentes, occidat, mœchetur, furetur, falsum testimonium dicat, aut etiam concupiscat. Cum potius quærat, ut benefaciat Proximo. Dilectio, inquit Apostolus, proximo malum non operatur, neque uerbo, neque facto, neque uoto. *Vltima duo præcepta: Dilectio.* *Roma. 13.* *Roma. 13.*

VErum ad materiam huius Præcepti tertij reuertamur. Sabbatum, dixi olim fuisse, sicut & nunc figurale & ceremoniale propter infirmos,

infirmos. Nunc vero omnem diem esse festum, in quorum nullo sit peccandum. Quia si ille olim lapidibus obrutus est, qui ligna collegit in die sabbati, Nume. 15. quid erit, qui in tempore gratiæ enormia perpetrant crimina? maxime etiam festis diebus. In terrorem nostrum hoc scriptum est, Quia ligna colligere, non est malum tantum, sed significat malum, sicut & alia opera eiusdem diei seruilia. *Num. 15.*

Apud Christianos omnis dies festus est.

I. PRimi igitur sunt, qui crasse & ruditer peccant in die festo, scilicet luxuria, ebrietate, ludis, ira, homicidijs, maledictis, rapinis, insidijs, fraudibus, dolis & similibus, de quibus dicit Mala. 2. Dispergam super uultum uestrum stercus solennitatum uestrarum, & assumet uos secum. Vide, stercus appellat solennitates talium, quia & stercorant in illis, sicut porci immundi. Et Amos 5. Odi & proieci festiuitates uestras. *Mala. 2.* *Amos. 5.*

Hi enim similiter cum Iudæis (de quibus hic loquitur) totum decus festi statuunt in ornatu uestium, & uictus splendore, & ocio laboris. Quæ tria si sola sunt, sine eo quod significant, Iudaicam solennitatem faciunt, & non nisi prouocamenta sunt libidinis & uiciorum. Nam venter repletus, & anima ociosa, deinde obiectis ornamentis, coram oculis, quid faciant, nisi ut in luxuriam ducant & mala desideria? Et non cogitant, qui sic sabbatisant, quod si hoc esset sabbatisare, quælibet meretrix hoc posset, & quilibet Turcus aut Paganus, imo equus & sus, scilicet comedere & bibere, deinde ociari, tandem pompose adornari.

Ornatus uestium. *Victus.* *Ocium.*

Hic inuenias aliquos, qui uigiliam ieiunent, nonnunquam in pane & aqua, sed diem in crapula & luxuria consumunt. Et factum est uniuersaliter, ut sabbatum celebrius agatur, quam Dominica, qui abstinetur a carnibus saltem & ocio & pompa, quæ in Dominica prodige aguntur. Et vniuersæ vigiliæ sunt sanctificatiores, quam ipse dies celebritatis, mera scilicet peruersitate.

MYSTERIA.

Ocium corporale. OCium corporale significat ocium spirituale, vt cesset a cupiditatibus & cogitationibus malis, vt capax possit esse verbi Dei, quod requirit animam vacuam. Quare quilibet Christianus se debet interrogare, quare hodie ociaris? Et sic monimentum & memoriale sibi habere quod uacandum ei sit, ad Deum audiendum.

Ornatus uestium. * Ornatus uestimentorum, significat bona opera, vt audire missam, orare, eleemosynas dare, & alia misericordiæ opera facere, vt Christus contra Pharisæos docuit, de quibus latius infra.

Victus lautior.

Lautus victus significat meditari, legere. { Beneficia Dei. / Passionem Christi, & ruminare verbum Dei. / Peccata Propria. De quibus infra.

II. SEcundi sunt, qui operibus alias licitis, operantur, vt sunt opera necessitatis & substantiæ nostræ parandæ. Et ij minus peccant, quam præcedentes, & adeo minus, quod etiam in multis Casibus excusentur.

Necessitas. Quorum primus est Necessitas. Hæc autem necessitas quomodo intelligenda sit, ambiguum est, quia mire variat. Est autem non melius æstimanda, quam secundum regulam Saluatoris, qui in Euangelio dicit, Non esse peccatum, asinum vel bouem de puteo leuare & adaquare. *Luce. 14.*

Regula. Ex quo sumitur talis Regula: Quod si damnum immineret tantum, vel etiam minus, quantum asinus vel valor eius pensatur, potest opus fieri, quo

quo tale damnum cauetur. Quod tamen intelligitur, si tale aliquid, non voluntate eligente, sed necessitate casus accidente, contigerit. Hoc enim additur, ne auari sibi licentiam datam arbitrentur vendendi vel emendi, quia scilicet, si non venderent vel emerent, eius diei tantum lucrum periret. Sic enim nullus esset ponendus dies festus, quia quilibet fraudat lucrum, dum impedit negocia lucri & labores. Probatur Regula: Quia si illud Iudæis permissum est, & non fuit peccatū, quanto magis Christianis, qui liberiores sunt à ceremonijs iudicialibus. Ex ijs nunc particularia æstimentur. Vt si mercator in die festo emerit uel uenderit, quod altero die uel hora, non sine magno damno emere uel uendere potest, ut quia emptor aut uenditor transitorius est, neque expectare uult, hic ideo excusatur, quia non quæsiuit opus & lucrum, sed oblatum accepit, ut damnum caueret, alias non facturus ex intentione, malens ꝙ altero tempore offerretur. Tunc enim sicut oblatum est insperato, ita potest & cito expedire, & ad feriandum reuerti. Par ratio est de quibuscunque alijs damnis, etiam minoribus, sub ea tamen conditione, ut diuina scilicet iussa & uerbum Dei non omittantur, nisi sit necessitas magna, quam arbitrium boni uiri excuset. Sed ut dixi, de damnis intelligitur, quæ non propter non usum negocij ueniunt, seu propter intermissionem negocij, sed casu, Nam damnum, intermissione negocij potest omni hora fieri. *Christianorum libertas. Mercator.*

Secundo, de coquentibus & parantibus victum. Hæc enim necessaria sunt, & non est hic Iudaica superstitione insaniendum, qui non coquunt die Sabbati, licet vorent, crapulentur & luxurientur. Sic etiam afferri potum & cibum licet, & ut nostris moribus accedam, vas cereuisię in cellarium locare, non est peccatum. Hoc autem magis est peccatum, ꝙ tot modijs & cantharis educitur, vt etiam usque ad vomitum inebrientur. Sic maius est peccatum, ex coquina & cellario nimis afferri, ꝗ̃ inferri. Hoc Iudæi non curant, illud autem curant, quos sequuntur multi. *Coquentes, & parantes uictum. Iudaica superstitio.*

Mira autem stulticia, ꝙ cibum non parant. Cur non & amictum omittunt & nudi incedunt? quandoquidem induere est labor & opus. Deinde cur ambulant & vadunt, stant? cur non sedent, dormiunt? cur comedunt & bibunt? An hæc non sunt opera? Quomodo ergo sabbatisant, id est, quiescũt? Deinde, non est paruus labor, stare ad Missam & Sermonem, & diuina Officia, quod probo per omnes, qui inuite hoc faciunt, quorum multi sunt hic & alibi. Ergo dicunt illi: Feriandum mihi est, non laborandum. Et ex Præcepto contra præceptum agunt. Huc enim peruenit sapientia Iudaica. *Sapientia Iudaica.*

Sic enim aliqui descenderunt ad minuta, vt etiam serta facere, dicant prohibita. Quod si intelligant de ijs, qui uendunt illa, verum est. Virgo aũt bene potest mane facere sertum suum, pro decore suo, quia potest illud ruptum reficere, ergo & efficere. Imo vestes induere & ornare se, vestes excutere & purgare pro induendo, componere peplum, & alia ornamenta, non est contra hoc præceptum, nisi fiat more quarundam, quæ à speculo non possunt recedere, & sic per hæc diuina negligant. Quæ uero ad superbiam vel concupiscentiam sese ornant, non contra hoc peccant præceptum, sed tanto grauius peccant, ꝙ contra aliud præceptum Dei, in die sancto peccant. *Culicem colant & Elephantem deglutiunt.*

Tertio, de animalibus prouidendis in uictu & strato, mulgendo, pascendo, curando &c. *Pecorum cura.*

Quarto, de tabernarijs, lanijs, pistoribus, piscatoribus & alijs artificibus, pro victu & amictu aliorum agentibus. Non peccant hi, nisi ubi ebriosis & ludentibus per hæc patrocinentur, & auxilientur, aut faueant. *Opificia necessaria.*

a Quinto,

Bonum commune. Quinto, in communi vtilitate, vt in reficiendo ponte, prohibendo fluuio, repugnando hosti, incendio extinguendo, & alijs publicis necessitabus prouidendo.

In necessarijs occupati. Sexto, de medicinis, cursoribus, nuncijs necessaria ferentibus, fabris equos sufferrantibus, molendinis &c. Hæc omnia in necessitate excusantur, dummodo tamen per hæc diuina non negligantur.

Nundinæ. Septimo, de nundinas quærentibus, quia alio tempore non possunt. Et ex his iudicetur de similibus.

Balistarij. VErum hic mouetur Quæstio: An Vitembergenses sint excusati, q̄ die festo exercent balistarum artem pro aue deijcienda de hastili erecto, cum id æque possint alio die facere, cumq̄ non sit hic necessitas, nec pietas, nec modicitas, ac dimidius ille dies festus post prandium, possit Deo dari, sicut & ante prandium. Armilustrium. Simile iudicium de armorum ostensione, quasi non & alia die fieri possit æque bene. Hic domini Consules vigilare deberent.

Paucitas. Alterum est modicitas seu paucitas. Ergo omnia opera hic facere licet, quæ alijs diebus, dummodo sint pauca. Vt si sutor par vel duo paria calceorū scinderet, sartor tunicam, mercator venderet aliquid, quod non exposuit venale. Sic de similibus per omnia officia & opera curre.

Pietas. Tertium est pietas, vbi subuenitur pauperibus & indigentibus, item Ecclesijs. Sic enim balneare infirmum, lauare immundum, vestes, lectum eius lauare, parare, seruire in victu & obsequio, est etiam sanctum, alioqui & eleemosynas petere & dare non liceret, cum id Fratres mendicantes, nonnunq̄ in diebus festis agant, similiter & alij omnes. Sic vehere eis frumentum, ligna, potum, cibum, est licitum, dummodo tamen fiat ex pietate, & non ex cupiditate retributionis aut gulæ, ut nunc passim habetur mos.

III. TErtij sunt, Qui sanctificant diem literaliter, sed non spiritualiter, vt qui faciunt quidem opera externæ sanctificationis, sed sine corde. Et quanquam satisfaciant Ecclesiæ, & minus peccent, q̄ præcedentes, tamen Cainistæ. sunt Cainistæ, offerentes non personam, sed opus personæ, tantum cauent scandalum, & vtinam tamen omnes tales essent, qui peius agunt.

Sunt autem quinque facienda pro sanctificatione Festi, vt colligitur ex Decreto, scilicet audire Missam, audire verbum Dei, orare, offerre secundum aliquos, & conteri de peccatis.

Audire missam. Canon missæ. PRImum, Audire missam. Hic nimium stulte quidam interpretantur, Canonem, volentes ideo missam legendam altiore voce, q̄ non videri, sed audiri sit præcepta, quasi nō magis præceptum sit Canonem missæ, qui solus proprie est missa, pressa voce legi, ne audiatur. Cætera autem sunt Orationes, vel paramenta ad Canonem missæ. Quod si propter Euangelium volunt eam altius legendam esse, cur non cogitant, q̄ aliud est præceptū de verbo Dei, & aliud de missa? Sed cessent ista vana somnia, cum per omnem Ecclesiam nullus, nisi Sacerdos solus, missam audiat totam, magno, scilicet, eo sacramento, q̄ Christus verus Sacerdos, quanquam multa operatur in Ecclesia, per externa sacramenta, & visibiles ceremonias, in quibus ei fideles concinunt & cooperantur, sicut Clerus nunc facit Sacerdoti, in cantu, oratione, responsione, tamen plurima agit inuisibiliter pro nobis apud Deū, quæ populus & Ecclesia eius non videt, neque percipit.

Deinde

DEinde anceps quæstio est, An satis sit, audire Missam maturam? Item, An satis sit, in monasterijs eam audire? Hic distinguitur: Si est necessitas (de qua supra dictum est) tunc satis est audire maturam priuatam, vel etiam monasticam Missam, Quia necessitas non habet legem. *Quæstio.* *Missa matura.*

Vbi autem non est necessitas, distinguitur fere semper, q̄ si non omittatur Parochia ex contemptu, sed ex deuotione petitur Monasterium, licet in monasterio audire. Sed meo iudicio dicā saluo vniuscuiusq; sensu. In hac perdita temporis miseria, prorsus non est tutum, relinqui vnumquemque, præsertim simplicioris & rudioris animi hominem, suæ deuotioni & discretioni contra apertos Canones. Cuius ratio est, quia ideo sunt positi canones Patrum, vt dirigant populum. Et debet vnicuique sua deuotio semper esse suspecta, & tanto magis, quanto magis placet, cum est contra communem vsum, vel decretum Patrum. Cum sciamus, q̄ angelus Satanæ in lucis angelum sese transfigurans, summe sit timendus & cauendus, Qui sub specie deuotionis facile omnia decreta solueret. Et illud Deut. 12. & Iud. 19. ubi præcipitur, imo prohibetur ac reprehenditur, ne quilibet faciat, quod sibi rectum & bonum videtur. Alioqui primo aufertur timor ab hominibus, & reuerentia Ecclesiæ suæ & communitatis. Deinde nutritur securitas, etiam paulatim ad maiora alia permittenda. *Parochia.* *Canones Patrum.* 2. Co. 11. Deute. 12. Iud. 19.

Tertio, Redit illa antiqui populi licentia in Excelsis & lucis, & extra templum religio, quæ summe prohibita fuit. Nam de facto videmus, hac deuotionis licentia permissa, non tantum Parochias, sed etiam monasteria ciuitatis dimitti, & ecclesias campi & villarum, eadem deuotionis simulatione præferri. Et sic Ecclesiæ cultum, in Tabernarum redigi frequentiā, ac nundinarum negociationem, prætextu dedicationis, patronorum, votorum &c. *Excelsa.* *Luci.*

Dico igitur mea sententia: Quicquid sit de alibi audienda Missa; nulli esse licitum in hoc ipso suum iudicium, suam opinionem, suam deuotionem sequi, sed autoritatem Ecclesiæ, & captiuandum sensum in obsequium Christi, quia scriptum est: Stultus est, quia confidit in corde suo. Et Ecclesia non potest errare. Quilibet autem potest in sua deuotione errare, cum & multi Prophetæ, Sancti, Reges similiter errauerint, nobis in monitionem & terrorem. Ne ergo ulli credas glosæ, super decretum istud. Qui enim sic glosat, ignarus est in lege Dei, & nondū cognouit, quid sit Diabolus & homo; multo minus, quid sit Deus. Et mira peruersitas glossæ, quæ vagam concedit deuotionis licentiam, quam textus data opera, voluit coercere. Imo semper, quicquid tibi teipsum dederit ac permiserit, tene suspectum, quia facit, vt inueniatur voluntas tua in ieiunio tuo, ut dicit Esa. Sic illusit Micheas Ahab dicens: Ascende &c. Quicquid autem tibi teipsum abstulerit, hoc sequere. Matth. 5. Esto consentiens aduersario tuo &c. Mich. 7. Ab amico custodi te. Item: Omnis amicus fraudulenter incedit. 2. Cor. 10. Prouer. 28 Esaia 58. 3. Reg. 22. Matth. 5. Mich. 7.

SEcundum, Est audire verbum Dei, quod iterum sub præcepto est, in parochia audiri, sicut & missam, nisi ubi intermittitur propter Dedicationem aliarum Ecclesiarum, uel monasteriorum. In quibus post prandium audire, est de consilio quidem Ecclesiæ, sed tamen de præcepto Dei, qui uult uerbum suum omni deuotione ubique audiri. *Audire uerbum Dei.*

Et hoc secundum est magis necessarium, quam primum. Imo primum est propter hoc secundum, ut ex Christo patet, qui dicit: Quotiescunque hæc facietis, in meam memoriam facietis. Q. d: Non celebrabitis missam, nisi prædicetis Euangelium. Et Apostolus: Quotiescunque enim manducabitis *Euangelium.* 1. Cor. 11.

 panem

panem hunc,& calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis &c. Ideo nō licet missam perficere sine Euangelio, priuatam priuato, publicam publico. Imo in primitiua Ecclesia, etiam Excommunicati, pœnitentes, Catechumeni, energumeni intererant missæ usque post Euangelium, quæ & missa catechumenωn vocabatur, vt ex Dionysio patet, Quod vtinā adhuc hodie fieret, vt saltem verbum Dei audirent excommunicati, quo facilius intelligerent, ac compungerentur. Atrox esset nimium Excommunicatio, etiam ab auditu verbi Dei, quod tamen omnibus creaturis præceptum est prædicari.

Olim excommunicati Missæ intererant usque post Euangelium.

Hic iterum Quæstio est:

An satis sit audire Euangelium missæ priuatæ?

AN satis sit audire Euangelium missæ priuatæ? Respondetur, ꝙ sit satis, si est intelligens simul, & coactus proficisci. Alioqui etiam si intelligat, tenetur tamen vocale audire solenniter. Alioqui cuilibet liceret publicam prædicationem relinquere, & fieret ipsa contemptilibis. Imo si fuerit necessitas proficisci, etiamsi non intelligit, imo si non audit, est excusatus. Debet tamen quilibet non solum cogitare, quanta necessitate cogatur absens esse, cum sit corporalis, sed etiam quanta necessitate verbum Dei sit habendum, cum sit spiritualis. Ideo pietas cœlestis debet semper vincere cupiditatem terrenam.

Ministri Ecclesiarum doceant Euangelium.

Hic tamen notandum, ꝙ si populus tanto rigore ad audiendum verbum Dei est astrictus, quanto, quæso, sunt astricti sacerdotes, vt etiam verbum Dei dicant, & dici procurent? Quod cum sit super omnia præcepta instantissime mandatum, nescio qua miseria, hodie nihil minus curatur, in multis locis penitus omittitur, in pluribus ea prædicantur, quæ omitti salubrius erat. In alijs locis prædicantur humana, & doctrinę iuris ac Philosophorum. Euangelium, id est, memoria Christi tam rara, vt horror sit hoc attēdere. Cogitur populus ad parochiam, & non obedit, quia coguntur Sacerdotes euangelizare, & non faciunt.

Euangelium negligitur, & alia indigna pijs docentur in Ecclesia.

Quid ergo mirum, si vagentur populi licentia superstitiosa ad alias Ecclesias, quando Sacerdotes nugantur, crassa ignorantia, per fabulosas & vanas doctrinas? Tu non prædicas Euangelium, & grande crimen putas, ꝙ populus discurrit ad idolorum Excelsum? Cum tu absis Ecclesiæ & officio & verbo, quid sequetur, nisi vt populus absit, & obsequio & auditu? Tu ad literam es intus inutilis, spiritu foris. Ideo & populus corpore migrat foris pariter & spiritu, tanto minus peccans ꝙ̄ tu, quāto promptior est audire Euangelium si diceres, imo si didicisses. Tui occasione igitur euacuatur Ecclesia. Et pascua & uictum ouibus, dum cogis pecus in caulas, negas. Ideo disperguntur oues Christi in montibus, quia non erat pastor, dicit Dominus.

In Sacerdotes non docentes Euangelium.

Orare.

TErtium est, orare, De oratione multa sunt dicenda, hic tamen de vocali vult intelligi, quod non est negandum, sed tamen ea debet esse minor & modica ad orationem spiritualem. Oratio enim est ascensio mentis in Deum, verba sunt scalæ, sed uox est apparatus scalarum. Ideo dixi, ꝙ hi sanctificant diem literaliter & male, qui voce tantum orant, imo non orant, sed orationes tantum proferunt aliorum, non aliter ꝙ̄ sicut liber, alterius scriptiones & verba, ipse mortuus nihil intelligens. Vel sicut organum profert cantum Cleri, ipse nihil sentiens, aut intelligens illum. Quod hodie magnum est mysterium. Quale est enim organum, talis & clerus, id est, boator sine sensu, vox sine verbis, sicut organum non nisi velut mutam & elinguem vocem, ac sonum refert. De spirituali autem oratione postea in quinto Præcepto.

Oratio quid.

Voce tantum orare, non est orare.

Quartum,

QVartum, secundum quosdam est offerre, sed hoc abolitum est, licet in Ecclesia primitiua fieret hęc oblatio panis & escarum in communi, de quo offerebatur. Et reliquum in pauperes conferebatur. At nunc vice huius, dotatæ sunt Ecclesiæ, monasteria, hospitalia &c. pro pauperibus. *Offerre.* *Oblationes in primitiua Ecclesia.*

QVintum, quod est maximum & omnium primum, scilicet reconciliari Deo, per examinationem conscientiæ, & contritionem peccatorum. Hæc autem contritio sic paranda est, vt non tantum ex odio, quantum ex amore procedat. Ex amore autem procedet (vt rudibus exempli gratia dicam) Si homo secum ruminet beneficia Dei in se per totam vitam collata, Tum illis opponat suam ingratitudinem & vitia, in abusu talium bonorum, ut ꝙ dedit quinque sensus, tot periculis seruauit, tot bona corporis, mentis, rerum dedit. Quæ omnia non bestijs, non lapidibus, non denique plurimis hominū dedit. Post hæc fiat ascensus ad spiritualia, ꝙ Filium suū misit in carnem, crucifigi, mori, & alia infinitæ dignitatis, tandem promissa æterna bona. Hæc omnia ruminata, & peccatis composita proprijs, mire excitant odium ac detestationem sui, amorem vero & laudem Dei. Hæc est verissima contritio, uiua & efficax, vbi illa, de timore inferni, & peccati turpitudine, est literalis ficta & breui durans, quia non radicata amore, sed incussa timore tantum. *Reconciliari Deo.* *Contritio peccatorum ex amore.* *Modus uere contritionis.*

Sic de quodam legitur, qui per totam vitam pessime viuens, miris tamen beneficijs ac donis Dei prouehebatur, tandem etiam ad Episcopatum prouectus est. Tunc ad se reuersus, & admiratus Dei benignitatem, erga suam indignitatem, exclamauit: Vicisti Domine, & conclusisti me nimia bonitate tua, ideoq; ecce amodo totus tibi seruiam, & ita fecit. *Historia.*

Neque contemni debet rudis ille ascensus à primis corporalibus bonis &c. Nam legitur in Historijs, ꝙ tempore concilij Constantiensis duo Cardinales ad Concilium equitantes, pastorem in agro flentem viderunt. Vnus autem eorum animo misericordiore, non possum (ait) abire, nisi audito illo homine & consolato, Et accedens, causam fletus percunctatur. Ille dissimulat tristis, Instat Cardinalis, & cogit fateri. Tandem, ecce, inquit, hanc bestiam (buffonem intuitus) tam eximiam creaturam fecit me Deus, hominem erectum, decorum, rationalem, & nunquam gratias egi, ꝙ non me quoq; tam deformem buffonem fecerit, hoc est quod amare fleo. Tunc Cardinalis insolita contritione hominis percussus, & sua maiora beneficia, maiore ingratitudine sua, subito conspiciens, de mulo exanimis cecidit. Tandem leuatus cura famulorum, & in ciuitatem perductus, semper exclamauit: O Augustine sancte, ꝙ uere dixisti: Surgunt indocti, & rapiunt cœlum, & nos cum doctrinis nostris, uolutamur in carne & sanguine. *Historia de duobus Cardinalibus.* *Dictum Augustini.*

Hæc sunt opera ueræ sanctificationis, quæ significantur omnibus exterioribus. Sic Threno. 3. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Sine ijs duobus non accenditur mens & cor. Corde autem non succenso, omnia alia frigide, uane, & noxie fiunt, quia sine fructu. Et hæc duo debent ex Euangelio audiri, auditaq; ruminari. Sunt enim hæc duo, scilicet Dei bona, & nostra mala, scala ipsa in Deum, in qua descendimus in nos, & ascendimus in Deum, sicut figuratum est, Gene. 28. Sunt etiam duo illa Sacrificia laudis & confessionis, de quibus: Sacrificium laudis honorificabit me. Et ꝙ ille sit ascensus in Deum, sequitur: Et illic iter, quo ostendā illi salutare Dei, Id est, reuelabo ei æternam salutem. De altero, confessionis scilicet: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Et hæc duo simul oportet offerri, ut sint eo perfectiora. *Scala in Deum.* *Thre. 3.* *Gene. 28.* *Sacrificium laudis & confessionis.* *Psal. 50.* *Psal. 51.*

PRAECEPTVM IIII.

HONORA PATREM TVVM ET MAtrem tuam, vt bene sit tibi, & sis longeuus super terram.

Iudaei.

Honorare.

HOC præceptum Iudæi fecerunt irritum per traditiones suas, sicut & omnia alia. Quia honorem hunc exponebant solum in verbis & signis, irritatores facti verborum Legis. Quia enim honorare significat signum reuerentiæ exhibere, acceperunt illud secundum huius significationis corticem, ut solo exteriori signo honorandos docerent. Sed, ut sæpius dixi, Lex Domini est spiritualis, immaculata, conuertens animas, ac interiorem instituens hominem, Ideo cor primum obligat & requirit, Quare procedamus secundum hunc duplicem sensum, scilicet literæ & spiritus. Psal. 19.

Honor parentum spiritualis.

Honor parentum spiritualis, est exhibitio cordis, & reuerentia promptę voluntatis. In quo includuntur duo.

Primo, prompta obedientia ac voluntas ad omnia, quæ volunt parentes. Secundo, digna æstimatio opinio & parentũ. Honor enim cordis, est magna pietas, & maior quam charitas in proximum, quia charitas solummodo diligit, prompta seruire proximo, & preciosum eum existimãs. Ideo istud Præceptum statim post præcepta primæ tabulæ ponitur, quia est de illis, qui sunt vicarij Dei. Quare sicut Deus colendus est honore & timore, ita & Vicarius eius.

Vicarij Dei.

Spiritualis Parentum cultus.

Patet itaque, quod qui spiritualiter honorat Parentes, exhibet eis primo promptam obedientiam & uoluntatem. Ac per hoc non solum succurrit eis in necessarijs, sed etiam in omnibus obedit eorum beneplacitis. Et qui tale cor suis parentibus non exhibet, sciat se non implere hoc præceptũ. Quanquam & nunc quoque in ista intelligentia cæci, in nuda superficie uerborũ laborent plurimi. Ergo honora, dicit, scilicet corde intimo, & affectu pleno, parentes tuos &c. Quomodo enim parentibus inobediens sit, qui cor eis non solum obtulit, sed & cum honore obtulit?

Secundo (quod maius est) exhibet reuerentiam (non in litera foris, sed in spiritu intus) id est, magnificã opinionem in corde de illis habens. Et hoc potissimum in hoc Præcepto commendatur, per quod & differt (ut dixi) à charitate, qua quilibet alteri obedire & seruire iubetur, Gala. 5. Gala. 5.

Parentum ueneratio unde nascatur.

SED unde nascitur illa sublimis opinio de parentibus in filijs? maxime cum quandoque sint pauperes, ignobiles, infirmi, deformes, aut alias minus reputabiles. In ijs enim multi offenduntur, ut fastidiant & erubescant parentes suos, dolentes, quod non de diuitibus, potentibus, nobilibus &c. nati sunt. O cæcitas magna. His tradenda est Regula.

Cogitatio pij filij de parentibus &c.

Opinio parentum grandis fit respectu Dei, & uoluntatis eius. Sic enim pius filius cogitabit: Ecce, si summę Maiestati non fuit indignum uisum, quod talem hominem uoluit parentem meum esse, cur mihi indignum uideatur, si Deo summo placuit in illo operari, & me creare, cur mihi displiceat, in illo fieri, aut factum esse? Nam quid faciunt parentes ad formationem filij? qui nec si sit masculus, fœmina, oculatus, auritus, pedatus, uiuus, mortuus, albus, niger, capillatus siue non, futurus unquam, cogitant? Ergo officinam Dei mei, artificis mei reuerebor, Non aduertam oculos in paupertatẽ, deformitatem,

Parentes officina Dei.

rem, ignobilitatem parentum, sed in Deum operatorem. Sic sic fluit reuerentia ex Deo in parentes, non ex parentibus, dum altius intuentur, quam ut sunt caro & sanguis, sed ut officina summę Maiestatis. Quis enim cõtemnet officinam principis? quod fabrefactum opus odit officinam suam, in qua factum est? Cum igitur Deus uelit parentes honorari, & iustissima sit causa, scilicet, quia uicaria & officina Dei est. Solo hoc differt istud mandatum à præcedentibus, quod Deus in illis honoratur ut in seipso, In isto, ut in alio, scilicet Regentibus, qui sunt sedes, officina, altare, propiciatorium eius. Hic ergo est uerus honor.

Honor parentum literalis, est inuito corde, & contemptore animo, sola scilicet formidine pœnæ, exterius signo honorare parentes. Nam qui sola formidine pœnæ honorat, scilicet, ne confundatur coram hominibus, uel puniatur hic, aut in futuro, tam diu honorat, quam diu timet, & pœnam cogitat. Semper autem intus corde contemnit, oblitus autem pœnæ, etiam opere foris contemnit, ut in multis Exemplis probatum est, & quotidie experimur. *Honor parentum literalis.*

Dictum est, quo modo se filij debeant habere erga parentes. Sed oportet, ut illi rursum se exhibeant parentes, ut digno nomine sint parentes, ne honor filiorum conferatur in idola, & mortua simulacra parentum. Imo forte sunt peiores aliquando quam latrones, quia fouent carnem illorum, & interficiunt animas eorum. *Parentes ergà liberos, quomodo se gerere debeant.*

Sæpius enim fit, ut filius in Patre peiorem homicidam habeat, & utilius fuerit filium à latrone occidi, quam à patre foueri. Aut cur putatis, quod pestis potissimum sæuit in paruulos? nisi quia Deus implet in eis, quod Sapi. 4. ait: Raptus est, ne malicia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius, propter hoc properauit illum educere de medio iniquitatum. Et infra: Condemnat enim iustus mortuus uiuos impios, & iuuentus celerius consummata, longam uitam iniusti &c. Sed de ijs latius postea. *Parentes liberorum occisores.* *Sapien. 4.*

NVnc, vt videamus, quid eis debeant, vt sint parentes. Apostolus Ephe. 6. postquam filios iussit, ut parentes honorarent, & præceptum illud commendasset, atque interpretatus fuisset, dicit: Filij, obedite parentibus uestris in Domino. Vtique uolens, ut sint nõ tantum in carne parentes, sicut gentes, sed in Domino, & illi obediant etiam in Domino. Statim de parentibus dicit: Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios uestros (quod Coloss. 3. exponit, Ne pusillo animo fiant) sed educate illos in disciplina & correptione Domini. *Ephe. 6.* *Coloss. 3.*

Primum, quod eis impendi voluit, ad animum scilicet pertinens (nihil enim de corpore eorum prædicauit) vt non prouocent eos ad iram & defectionem, Hoc est contra eos, qui furiose regunt filios, & dum animus adhuc mollis est, in totum timorem & pusillanimitatem uertitur, ita, vt odio parentum, tandem aufugiant, & faciant, quæ alias nunquam fecissent. Quæ enim spes hominis, qui diffidentia in parentes & odio, de illis desperat. Non enim vult Apostolus, ut filij non offendantur, aut uerberentur, sed ex amore castigentur, non ut illi furiosum animum expleant, nihil soliciti, quomodo emendent filiorum errorem. *Non prouocandi liberi ad iram.* *Ex amore castigentur liberi.*

Factus enim pusillo animo, ad omnia inutilis desperatus efficitur, timidus omnia agere & aggredi. Et quod peius, quod talis timiditas, teneris *Timiditas in pueris.*

Nutriculæ. annis imbibita, uix unquam postea eradicabitur, quia enim ad omne uerbum parentum didicerunt terreri, ideo postea etiam ad folium arboris timent sonantis. Sed & illæ Nutriculæ, quæ pueris illudunt terribilibus formis & gestibus, præcipue de nocte, sunt compescendæ. Omni studio puer est formandus ad timorem bonum, ut timeat, quæ timenda sunt, non autem ad esse timidum, sicut parentibus quibusdam satis est, si timidos tantummodo habeant, quod est nocentissimum futuræ ætati, Hoc pro declinatione ad sinistrā, Nunc ne etiam in alteram partem peccetur, dicit.

Erudiendi & corripiendi liberi. Secundo: Sed educate eos in disciplina & correptione Domini, id est, docete eos docenda, & corripite non seruantes ea. Vtrunque illis necessarium, & eruditio eorum, quæ ignorant de Deo, & correptio, si cognita nō sequantur. Vide itaq;, vt ante omnia, filios velis institui in spiritualibus, vt prius Deo tradantur, quam mūdi negocijs. Et heu ꝙ ista nunc sunt omnia peruersa. Nec mirum, quando nec parentes ipsi sunt eruditi, aut correptione probati. *Ludimagistri.* Fuit autem vna spes reliqua in Scholarum magistris, vt saltem ibi, sub literis erudirentur in pietate, sed & hæc perijt. Omnes gentes, præsertim Iudæi, diligentius instituunt pueros suos, ꝙ Christiani. Ideo & Ecclesia pessime habet, quia tota eius vis consistit in successoribus, qui in prima ætate negliguntur, sicut hortus in uerno tempore. *Ephes. 6.*

Eruditio Domini. Igitur in eruditione Domini sunt educandi. Est autem eruditio Domini, qua docentur cognoscere Dominum Ihesum Christum, infigere eis recenti memoria, quomodo ipse pro nobis passus sit, ac quæ fecit, quæ promisit, Sicut filijs Israel præceptum fuit, vt nota facerent filijs suis, vt cognoscat generatio altera mirabilia, quæ fecit cum Patribus eorum in Aegypto. Et hoc cognito, si non discant amare Dominum, & gratias agere & orare, & sequi Christum, adhibetur correptio Domini, id est, terror iudicij Dei, & minationes irę Dei super malos. *Correptio Domini.* Hoc enim, qui ab ineunte ætate didicerit, scilicet beneficia Dei & promissa, vnde diligat, deinde plagas & cōminationes, vnde timeat Dominum, facile hæc tenebit factus maior. *Amor & timor Dei.* Nam in ijs duobus vult Dominus coli, Amari ut Pater, ex beneficijs præteritis, præsentibus & futuris, Timeri ut Iudex, ex plagis præteritis, præsentibus & futuris, sicut dicit: Si ego sum Pater, vbi est amor meus, Si sum Dominus, vbi est timor meus? *Psal. 78.* *Malach. 1.*

Sic ergo discant filij Domino cantare misericordiam & iudicium. Hæc duo enim Apostolus intendit, quando dicit: In eruditione & correptione Domini. *Eruditio.* Ad eruditionem pertinet, vt dicas ei, quomodo Deus omnia creauit, ei sensum, vitam, animam dedit, quotidie omnibus bonis iuuet, quę creauit, pro eo passus est, & mirabilia fecit, prædicauit, adhuc maiora promisit, vt pro his gratus sit Deo, & Patrem agnoscat ac diligat. *Correptio.* Ad correptionem pertinet, vt ei dicas, quantis olim plagis percusserit Aegyptios, Gentes, Zodomitas, filios Israel, deniq; omnes in Adam. Item, quot adhuc ante oculos percutit peste, patibulo, gladio, aqua, igne, bestijs, morbis, & quanta comminetur in futuro, in gehenna cum Diabolis. *Psal. 100.*

Et vult hæc potius adhiberi, ꝙ correptiones hominum, id est, proprias. Non sine causa, scilicet, vt discant semper sursum ad Deum aspicere, & non homines, sed Deum timere. Ne si parentum rugas timeant, tandem etiam in ijs, quæ Dei sunt, homines timeant, hoc est, ne pusillo animo fiant. Hoc enim agendum est cum filijs, non ut parentes timeant, sed Deum offendere se sciant, si parentes non timeant. Sic enim non fient pusillo animo, quia vbi parentes etiam proprios, non nisi Deum timendo, timere didicerint, postea etiam in aduersis & prosperis, non à Deo recedant, timore vel amore quocunque.

Quod

Gen. 19. Quod autem gratum sit hoc Deo sacrificium, in filijs erudiendis, patet in Genesi, vbi Dominus Abraham non potuit celare, quod facturus erat. Sola hac causa motus dicit: Scio enim, q doctorus est filios suos, vt timeant Dominum. Ecce, quomodo correptionem Domini super Zodomas, dicit pro futuram per Abraham in educatione filiorum, ad timorem eorum. *Educatio liberorum.*

Similiter Ionadab, pater Rechabitarum, eximie laudatur, & in filijs benedicitur, quia eos pie & religiose educarat in timore Domini. Sic Tobias, Ioachim vxor Susanna, educati sunt. Econtra, Heli 1. Reg. 2. quid meruit, filios suos negligendo, ibidem patet. Item, quid ille puer quinquennis apud B. Grego.? Et vere stultissimi sumus. Ecce in proprijs filijs possunt mereri, vel vitam, vel mortem, & non aduertunt. Nam quid prodest, si tua culpa malos filios educes, etiamsi tu sis in teipso irreprehensibilis. *Ionadab pater Rechabitarum. Ierem. 35.* 1. Reg. 2.

Multi alienis studijs, Deo seruire præpostere nituntur, ieiunando, vestes portando asperas, & alijs affectatis obseruantijs. Et hanc domesticam pietatem cæci non minus transeunt, q̃ olim Iudæi, relicto templo Dei, in Excelsis immolabant. Primũ erat attendere, quid Dominus à te requirat, cuius officij tibi onus imposuit, vt Apostolus ait, in qua vocatione quisque vocatus sit. Hoc enim ante omnes indulgentias, orationes, Ecclesiarum visitationes, vota quæcunque, curandum fuit & agendum. *Præposterus Dei cultus.* 1. Cor. 7.

DIctum fuit, Quomodo parentes se gerere erga filios debent, vt digno nomine parentes vocentur, ne ex parentibus fiant perdentes, & pereuntes simul cum filijs. Videamus igitur, qui sunt isti perdentes ac perditores filiorum,

I. *Parentes filios male educantes perdunt eos.*

Primi scilicet, Qui omittunt, & scienter sinunt eos crescere sine eruditione, & correptione Domini, quanquam nullo malo Exemplo noceant, tamen permissione eos perdunt, vt qui nimis carnaliter eos diligunt, ac tenere fouent, dicentes: Pueri sunt, non intelligunt quid faciunt. Et verum dicunt. Sed nec canis, nec equus, nec mulus, intelligunt quid faciunt. At vide, quomodo discunt ire, venire, sequi, facere, omittere, quæ nõ intelligunt. Sed nec lapis, nec lignum intelligit, q̃ sit inepta res ad domum, sed formatur ab artifice, & statim intelligit, quanto magis homo. Aut si aliorum pueri intelligunt, cur tui non intelligunt? Hi ergo peccata filiorum portabunt, quia faciunt eadem, vt sint sua. An non puer ille quinquennis, de quo B. Grego. fuit non intelligens?

II. *Liberos malo exemplo perdentes.* *Parentes filiarum prostitutores.*

SEcundi, Qui uerbis impudicis & maledicis, deinde exemplis ac gestibus malis, eos præcedunt. Sunt reperti, & utinam nusquam adhuc sint, sicut ego noui, qui prostitutarum filiarum lucro uictitabant, & iussu parentum, filiæ ac vxor fornicabantur. Quis dubitet, his filiabus pro parentibus, utiliores fuisse latrones? Sunt adhuc tam stulti, quibus mire placet, si filios habent Mauortios, & percussores faciles, tanquam laude dignissimos, q nullos timeant. Horum stulticiæ premium finale solet esse luctus & dolor, de subita filiorum occisione, & iuste. Nunc filij (vt iuuentus fert feruida) proni sunt ad concupiscendum & irascendum, ideo cauenda exempla parentum, in uerbis & gestibus. Quid enim filius discat maledici ac impudici, q̃ maledicere & impudice loqui?

III. *Liberi ad luxum alentes.*

TErtij, Qui occasionem dant filijs ad mundum diligendum, ut qui nihil sunt aliud soliciti, q̃ quomodo discant incedere, saltare choreas, ornari, hominibus placere, concupiscentias irritare, mundo conformari. Vbi sunt nostra ætate, qui tanta cura filijs prouident Deum, quanta prouident vestes, luxus, diuitias, honores &c? Mare hic plenum reptilium maiorum & minorum occurrit.

Vide,

Portenta uestium. Vide, quæ portenta vestium, hæc licentia attulit in vtroque sexu, præcipue in mulieribus, Deus custodiat viros, ne lineum peplū portent, quia mulieres birrheta nudis capillis portant, sicut masculi. *Puella pileata.* Forte in vindictam, quia viri portare cœperūt reticula capillaria, quę mulierum erant, ideo mulieres receperunt à viris birrheta. Et quare vtrunqꝫ mundus pulchre decere putat, nisi quia placet nouus mos? Sed cogita tecum, quid sit viri caput inuolui reticulo muliebri, & mysterium, simul quod Apostolus tetigit, quando caput viri non uelari uoluit. *1. Cor. 11.*

Ornatus mulierum. Sed primum distinguamus, Aut ornatus eiusmodi fit volentibus maritis ac iubentibus, hic possunt mulieres certe excusari, si tamen inuitæ faciunt solum ut placeant uiris, uiris, inquam, sensatis & habentibus. Vt S. Cecilia foris in aurea ueste incedebat, intus induta cilicio ad carnem. Et Anastasia similiter. Item Hester olim in uete. lege. Quin S. Augustinus grauiter arguit quandam Editiam, ꝙ abiecerat inuito uiro uestes matronales, & habitum uidualem sumpserat. His ergo omissis, quia uiro obediendum est in ijs, quæ sine peccato fieri possunt. *S. Cecilia. Anastasia. Hester.*

Mulierum præcepta uiuendi. De ijs videamus, quæ inuitis & coactis maritis expostulant hos luxus, de quibus non me, sed primum Apostolum Petrum audite, qui pastor fidelis omnium constitutus est, 1. Pet. 3. Similiter & mulieres uiris suis subditæ sint, ut si qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine uerbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam conuersationem uestram (spiritualiter & corde subsint, ꝙ est in timore seu reuerentia subesse, ut magnifice opinentur de eis) Quarum nō sit extrinsecus capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti uestimentorum cultus, sed qui absconditus est, homo cordis, in incorruptilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subiectæ proprijs uiris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum uocans, cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem. *1. Pet. 3.*

Hæc uobis Lectio recitatur mulieres, hoc latinum (ut pueris) uobis proponitur, discite & aduertite. Episcopus, Papa, Apostolus, pater, pastor uester, hoc dicit, & seruandum tradit. Postea & uiris, quid tradat, audiamus.

AC primum, ne quis de mulieribus, in hoc præcepto, non dicendum putet, sciat, ꝙ omnis superior potestas humana hic præcipitur honorari, ut & antea dixi: Vir autem caput & dominus mulieris est, ac superior. *Vir.* Sicut econtra Potestas omnis hic monetur, ut se dignam honorē præstet. Quare post filiorum eruditionem, imo cum eorum eruditione, recte ac proxime, de coniugatis etiam inter se, dicendum est. *Coniugati.*

Apostolus suauiter docet. Vide autem, quanta suauitate & modestia, quanta quiete & lenitate docendi procedat pijssimus Apostolus. Non est turbulentus, non fulminat, non minatur, sed leniter ac suauiter docet, ita, ut uel ipsa dicendi gratia permouere debeat, ad seruanda ea, quæ docet, nedum utilitate rerum, quas docet, ac solum docere intendit.

Mulieres subditæ sint uiris. PRimum vult, vt mulieres sint subditæ viris suis, cui cōsonat Paul. Colos. 3. Mulieres uiris subditæ sint, sicut oportet in Domino. Et Ephe. 5. Mulieres uiris suis subditæ sint, sicut Domino. Quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesię, Ipse saluator corporis eius, id est, nō corruptor. *Colos. 3. Ephe. 5.*

corruptor. Sed sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres uiris suis in omnibus. Ista autem subiectio quid sit, satis exponit sequenter, quando conuersationem earum in reuerentia & timore erga viros commendat vtilem ad virorum salutem.

Ergo subditas esse, est reuereri virum & honorare, in omnibus obedire. Nam ad hoc inducit exemplum Saræ, ꝙ subdita viro suo fuerit, quia Dominum eum vocauerit, ac per hoc eum timuerit, ac reuerita fuerit, parata in omnibus obedire & cedere. Quod si Petrus maritis infidelibus sic subdi præcipit, quanto magis id fidelibus præstandum. Sicut & rursum Paulus: Vxor virum suum timeat, id est, reuereatur. Ephe. 5. *Exemplum Saræ.*

Ephe. 5. CONtra hoc agunt, contemptrices, contentiosæ, pertinaces in viros suos, quæ nouissimum verbum habere volunt, aut quæ agunt sine scitu & voluntate virorum, dispensantes &c. Hæ omnes huius Præcepti sunt reæ, quia non sunt subditæ suo maiori. Nam Apostolus 1. Corinth. 14. dicit, ꝙ mulieres subdi viris Lex dicat. Lex quidẽ Mosi in multis locis hoc habet, sed prima est Gene. 3. præceptum Dei ad Heuam, Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui. Hic expressa est definitio dominij super mulierem. Si ergo non licet filio contra patrem, seruo contra Dominum, populo contra principem aut sacerdotem contendere & erigi, ita nec mulieri contra virum. Et notate hoc primum. Grande enim est, & rarissime tenetur. *Mulieres contra hoc præceptum Dei agentes.* 1. Cor. 14. Gene. 3. *Sub potestate uiri eris.*

Sic S. Monica faciebat, & suo viro tacuit & cessit. Alijs vero, quæ à viris verberabantur, dicebat, oportere memores conditionis suæ, non superbire contra dominos suos, quando recitatis tabellis matrimonialibus intelligere debuerant, se ancillas esse factas. Igitur, aut subdita sit vxor, aut non nubat. Si non vult habere dominum, desistat accipere virum, quia sic Deus in Apostolis & scriptura sua præcipit & ordinat. *Monica, Augustini mater.*

COROLLARIVM.

Quæcunq; habet morosum virum, nõ præsumat par pari, vim vi repellere, sed moribus contrarijs ac placidis mutare. Sic enim hic docet Apostolus, vt ad fidem conuertantur viri, per bonam conuersationem mulierum. Quod autem de fide, hoc de quolibet alio minore bono faciendũ est. Sic & Paulus 1. Corinth. 7. Sanctificatus enim est vir infidelis per mulierem fidelem. Malum enim malo non vincitur, sed augetur & roboratur, vincitur autem bono. 1. Pet. 3. 1. Cor. 7.

SEcundum, ꝙ ornatus earum non sit in exteriori capillatura, aut auro, aut indumentis. At iste nunc est potissimum ornatus Christianarum mulierum, & usq; ad monstra perductus hodie, quod dicit Apostolus: Iste externus cultus sit gentilium mulierum, Christianæ alio ornentur. Quis autem potest in tanto abusu tacere. *Ornatus mulierum.* 1. Pet. 3.

Primum, Scio aliquot mulieres (nam non sunt omnes stultæ illius vanitatis cupidæ) quæ coguntur inuitæ se ornare istis cultibus, ac mire fastidiunt, sicut Hester regina, sicut S. Elizabeth regina, Et frequenter illæ sunt tales, quæ abundant vt possint ornari Illæ enim magis cupiunt, quæ non possunt. Sicut nunc nobiles & ciues, quo sunt egentiores suis auis, eo sunt in cultu effusiores. De istis itaque dicamus. *Hester. Elisabeth.*

Sancta Agatha, cum esset ex nobili genere, non tantum in velo sicut mulier incessit, sed etiam in seruili veste, & de hoc reprehensa, gloriabatur sese ancillam Christi, vt patet in eius Legenda. *S. Agatha.*

Ac primum, nescio magis ne maritos an vxores arguam, aut certe magistratum ciuitatis, ꝙ mulieribus talia permittant, quibus extenuentur eorum res scienter ac volenter. Cur enim ille non ponit leges, vt alibi fit: aut *Ornatus mulierum sumptuosissimus nec à maritis nec à magistratu prohibetur*

cur ma-

cur maritus uxorem non compescit, cum sit dominus eius? Aut si hoc sustinet uolens, quid miratur exactionem principum? Et uidete, nisi mutaueritis, non cessabit, sed crescet exactio, de quo uos uolo certificare, quia ista finita, ueniet maior alia, quia sic prouocastis Deum & prouocatis. Nonne debet pudescere honesta matrona, ꝙ tanti precij habet uela, & calyptras, ut modesto ciui ad integram rem familiarem sufficeret? Quid dicam de tunicis & sumptuosissimis abusibus sericorum, purpurarum, auri & argenti? Et sane mitius damnum est, quod in fibulas, cathenas, & annulos uertitur argenteos, ꝙ quod in aureas uittas, reticula, fimbrias, texturas, plumaria ac polymita fit ex serico. Hæc enim usu consumuntur, illa permanent utibilia, etsi nondum utilia.

Machinæ planatoriæ. SEd quid de illis nouis, nescio an quæstus, an damni magistris, qui ad plananda uela & cætera linea, rotarum sumptuosas machinas ædificant, ut 18.20. florenis constent uela, 40. uel 50. constet machina planatoria. *S. Catharina.* Potuit fulmen rotas S. Catharinæ paratas perdere, & non potest & has uanissimas ac mundanissimas machinas tangere? Sed hęc omnia sunt signa, ꝙ interior cultus displicet, qui nō ita displiceret, si exterior nō ita placeret. Facile contemnit honesta matrona externum cultum, quæ studiosa est interni cultus, neqꝫ possunt uterque ex æquo curari.

Redijt itaque tempus Synagogæ, quod Esaias capit. 3. describit, dicens: Pro eo, ꝙ filiæ Sion eleuatæ sunt, & ambulabant extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis, & cōposito gressu incedebant, decaluabit Dominus uerticem filiarum Sion, & Dominus crimen earum denudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, et inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & uittas, & theristra. Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium &c. *Esaie. 3.*

Ecce, quot & quanta mulierum luxus congregauit, 21. ornamenta mulieri non satis sunt. Quis non horreat uxorem ducere? Nonne optimo uocabulo tam Græci ꝙ Latini, ornatum muliebrem appellant mundum? quia uelut congeries rerum, ita illæ mundum quendam constituunt. Lege etiam Theophrastum, B. Hieronymum contra Iouinianum, & Plautum in Aulularia, & uidebis, ꝙ mulieri si licentia detur, infinita cupiditas est ornatus, ideo non explenda, sed præcidenda omnibus uiribus. *Mundus muliebris.*

Matrona. Et quid agit honesta matrona aut uirgo, ut tanto studio cupiat meretricibus conformari? aut quid quæris ornatu tanto? ut irrites animos alienorū uirorum? An significas, quia inuitam habes castitatem? An meretrix optas fieri? Quid quæris alij placere, ꝙ uiro tuo? Quis non habeat suspectum hoc uotum placendi? Mulier satis abunde placet, si ita est ornata, ꝙ uiro placet, huic enim soli debet placere, huic data est & subiecta.

Virgines. Similiter & Virgines, cur stulte cupiunt placere iuuenibus? An non cogitas, ꝙ terretur ducere te, si cogitet, ꝙ tanto sumptu te cogatur ductam ornare? Si uis iuuenem amore capere, audi utilissimum consilium: Esto pudica, paucis ornata, paucis uerbis loquens, Nec oculos aliquando in faciem eius iaciens. Maximus cultus uirginis & mulieris est, pudica uerecundia, Hæc enim prouocat & capit animos uirorum super omnem ornatum. *Pudica uerecundia.*

Insuper

Insuper denique stabile facit matrimonium, vbi amor carnis ornatu excitatus, cito fastidire facit nuptias, quia non moribus bonis, sed futili nixus est ornatu. Sic fac, & virũ acquires (etiam Deo benedicente) citius, q̃ dissolutissimæ illæ voragines rerum, lupis & meretricibus simillimæ, de quibus Psal.144. Filiæ eorum compositæ, circumornatę ut similitudo templi, id est, præ aliis eminenter decoratæ, sicut templum præ cæteris domibus eminet, ornatur & spectatur &c. *Psal.144.*

Dictum est, quo modo mulier se erga virum habere debeat, vt honoret suum maiorem, secundum hoc Præceptum, duplici scilicet cultu, obedientiæ & reuerentiæ, ut sit prompti cordis, ad eius voluntatem agi, deinde honoret eum ex corde, magnifice de eo sentiens.

Si quęrat autem, quomodo possit virum habere in honore, qui sit deformis, morosus, ac prorsus nec amore quidem dignus, nedum honore. Respondeo, sicut de parentibus dixi, q̃ Deus in illo suspiciendus est, quia Deo placuit, ut uir eius sit, & uices eius gerat, vt ait Apostolus: Vir imago Dei est & gloria Dei, Mulier autem gloria viri. Ideo non debet sibi displicere, quod Deo cernit placuisse & placere. Magna dignitas viri, q̃ nomen Dei & officium participat, ideo honorandus est ab vxore. Deus enim uir est omnis Ecclesiæ & animæ, quod Sacramentum maximum etiam causa est, cur virum honorare debeat mulier, timere & audire. Auerte ergo oculũ à carne, & Deũ in viro agnosce, & cole, & facile erit honorare eum, *Maritus deformis.* *1. Cor.11.*

AT contra, Vt viri etiam se præbeant dignos viri & maioris nomine, nunc dicendum est. Sequitur ergo B. Petrus, vbi supra: Viri similiter cohabitent secundum scientiam, quasi infirmiori uasculo, impartiẽtes honorem, tanquam etiam cohæredes gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes vestræ. *Viri in uxores.*

Primum docet viros, vt non simpliciter cohabitent mulieribus, sed secundum scientiam, id est, non secundum passiones & sensum, tantummodo voluptatis causa, nihil discernens inter vxorem & meretricem, nam sic & bestiæ cohabitant, & gentes. Erudit itaq; oculum viri, quo vxorem inspicere debet, nempe, non oculo concupiscentiæ, sed scientiæ & cogitationis. Qua scientia duo iubet scire & agnoscere virum in vxore. Primum, inquit, quasi infirmiori uasculo. Secundum, tanquam cohæredes eis sint mulieres. Et sic seipsum exponit, quid velit per cohabitationem secundum scientiam intelligi, scilicet, vt vir agnoscens vxorem, & infirmius vasculum, & tamen cohęredem gratiæ, habeat eam in honore, & non in passione desiderij. Declaremus autem latius. *Secundum scientiam.* *1. Pet. 3.* *Nota.*

Scire debetis viri, q̃ mulier sit infirmius vasculum, q̃ vir, ideo secundum hanc scientiam eis cohabitetis. Vasculum vocat, & quo ad corpus, & quo ad animam, nam & vir eodem modo vasculum est, sed firmius. Mulier enim sicut est mollioris corporis, ita & animi, ideo ei impartiendus est honor à viris firmioribus. Vasculum omnes dicimur, propter animam in corpore, vt in vase, morantem. *Vasculum.*

Est autem iste honor vasculi, honor corpori muliebri impartitus, qui nihil est aliud, nisi casto amore vxorem diligere, vt 1. Thess.4. Vt sciat unusquisq; vestrum, uas suum possidere, in sanctificatione & honore, nõ in passione desiderij. sicut & gentes, quæ ignorant Deum, hoc est, abstinendũ ab vxore est, & non satis faciendum concupiscentiæ, Sanctificatio enim illa est castitas. *Honor uasculi, Castus amor coniugij.* *1. Thess.4.* *Sanctificatio. Castitas.*

b Sed Apo-

Fœmina infirmius uasculum &c. Sed Apostolus hæc docens, per obliquum etiam vxores viris commendare uolens, ut patientiam cum ipsis habeant, uelut epitheto breuissimo, patientiam uirorum tangit, dicens: Infirmiori uasculo muliebri. Quasi diceret: Mulier est, infirma est, uasculum est, habens animam nobilissimã. Hæc igitur scientes, impertite eis honorem propter eas, tum etiam propter uos, ne impediantur orationes uestræ. Passiones enim concupiscentiæ, quem sinunt orare? imo aliquod honestum agere? Cum oratio maxime requirat animum abstractum à passionibus carnis. *1. Pet. 3.*

In re familiari multa condonanda nonnulla dissimulanda. Sed cum sit infirmius uas mulier, etiam ferenda est, & dissimulanda eius culpa, & non exacte semper punienda, pro rebus leuibus, sicut aliqui uiri nimis tempestuosi facillima causa tragœdiam agunt. Sicut Psalmista dicit Domino: Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Ita impossibile est in re familiari, durare pacem inter uirum & mulierem, si alter alteri nihil cõdonet ac dissimulet, sed omnia ad unguem obseruet. Quis enim non offendit aliquando? Ideo dissimulanda sunt multa, ignoranda plurima, ut pacis ratio possit constare. *Psal. 130.*

Igitur uirum moueat ad uxorem caste seruandam, ꝙ est infirmius uasculum propter corpus, scilicet mollius & animum molliorem. Deinde magis, quia est cohæres tantæ gratiæ. Tertio maxime ne & uirorum salus ipsa impediatur. Vide, efficax persuasio & uehemens.

Vir diligat. *Vxor timeat.* Similiter Apostolus Paulus Ephe. 5. Viri, diligite vxores uestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam. Et unusquisque uxorem suam, sicut seipsum, diligat. Vxor autem timeat uirum suum, id est, honoret ac reuereatur. Pulchre distinxit, Vir diligat, uxor timeat, utrunq; caste, castus amor descendat, castus timor ascendat, hunc inferior superiori, illum superior inferiori debet. Et Coloss. 3. dicit: Viri, diligite uxores uestras, & nolite esse amari ad illas, hoc est, quod supra dixi, ne nimis exquirant & obseruent materiam obiurgandi. *Ephe. 5.* *Coloss. 3.*

Christus dilexit Ecclesiam. *Mariti officium erga uxorem.* Quomodo ergo Christus dilexit Ecclesiam? Vtique spiritualiter, cum non inueniret quod amaret, sed quod odiret in illa, tamen tradidit semetipsum pro ea, sanctificans illam &c. Ita uir, si inueniat in uxore minus amabile, oportet, ut ipse mutetur, & tradat se, id est, relinquat suum desideriũ, quod non impletur propter defectũ uxoris, ut sic tantummodo ea, in illa aspiciat, quæ amabilia sunt, & sic mundet eam sibi ipsi, ut exhibeat eam sibi absque ruga. Quod non fit, nisi, ut dixi, in bono uicerit malum, & discat diligere etiam nõ diligibilia, vt fiant diligibilia, uel ipsis mutatis, uel ipso. Nam cum omnes res sint indifferentes, possunt tum diligi, tum odiri, secundum quod mutatur animus, ut honor mundi idem manens, diligitur & oditur ab eodem homine auerso & conuerso. Et iste est modus optimus mutationis, ubi non res & obiectum, sed potentia mutatur, Hoc enim est stabile. Christianorum est hæc mutatio, & dexteræ Excelsi, sed mundanorum est, solum quærere mutationem obiectorum. Satis de isto. *Potentiæ mutatio.*

Nunc de familia.

Serui dominos honorent. HOnora patrem & matrem. ꝙ sub patre etiam intelligatur dominus domus, patet ex 4. Reg. 5. ubi serui Naaman uocauerunt eum patrem. Inde denique est nomen paterfamilias. Quare honorandi sunt seruis sui Domini, eadem expositione, qua supra, scilicet honore spirituali intus, prompte eis obediendo, & sublimiter de illis sentiendo propter Dominum, cuius & nomen & officium in illis lucere uident, cuius & uoluntas hoc uult, ut 1. Pe. 2. Serui, subditi sitis (ecce obedientia) in omni timore (ecce reuerẽtia) dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, id est, difficilibus, prauis, morosis, obliquis, tortuosis &c. *4. Reg. 5.* *1. Pet. 2.* *Discoli.*

Quanquam

Quanquam hic Apostolus de seruis proprie loquitur, non conducticijs, tamen eosdem tangit idem mandatum. Igitur serui, qui res dominorum suorum fraudant studiose ac uolenter, non secus quam fures reputandi sunt, & tenentur ad refusionem, quia mercenarij sunt, ut sint fideles. At nunc tota querela totius mundi est contra familiam. Ideo hoc Praeceptum eis diligentissime est notandum, quia hoc non est honorare dominos, appellare eos dominos, sed ex corde obedire & timere. *Serui fraudulenti.* *Honorare Dominos.*

Et pulchre isto uerbo Apostolus consolatur familiam, quae de dominis suis queritur, quod sunt mali seu discoli, id est, difficiles, dicens: Haec est enim gratia, si propter conscientiam Dei sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quae enim est gratia, si peccantes colaphisamini, & tunc suffertis. *1. Pet. 2.*

Colos. 3. Et Paulus Coloss. 3. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Dominum, quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus: Scientes, quod à Domino accipietis retributionem haereditatis, Domino Christo enim seruitis. Ecce quam pulchre ducit Apostolus hoc praeceptum in spiritualem intelligentiam, quod ex corde honorandi sunt Domini, quia non illis, sed Domino seruitur in illis. Si ego haec tam expresse dicerem, nemo crederet. *Serui.*

Sed sequitur quoque consolatio eorum, sicut & Petrus fecit, dicens: Qui ènim iniuriam facit, recipiet id quod inique gèssit (ecce patientiam eorum format) & non est acceptio personarum apud Deum, id est, non uos turbet, quod illi sunt domini, uos serui. Idem est apud Deum, qui bene uel male operatur, accipiet. *Seruorùm consolatio.*

Ephes. 6. Eadem Ephe. 6. Serui, obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis uestri, sicut Christo, nō ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi (id est, quia Christo seruitis) facientes uoluntatem Dei ex animo, cum bona uoluntate seruientes, sicut Domino & non hominibus (in hoc enim non hominum, sed Dei uoluntatem facitis, & Deo seruitis) Scientes, quoniam unusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber. Et Tit. 2. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, nō fraudantes. Sed omnem fidem bonam ostendentes, ut doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. *Tit. 2.*

CONtra, Dominos oportet etiam se non tyrannos exhibere, quia ut supra dictum est, Impossibile est, ut seruus non aliquando omittat, aut committat, oportet multa dissimulare in bono seruo. Nam si illi debent obedientiam & reuerentiam, utique domini etiam debent clementiam & beneuolentiam. Vnde Ephe. 6. Et uos domini eadem facite illis, remittentes minas. Scientes, quia & uester Dominus est in coelis, & non est personarum acceptio apud Deum. Quis enim potest seruire ei, qui ad omnem auditum increpat, iurgat, totusque turbulentus est. *Domini non sint tyranni.* *Ephe. 6.*

Hos sequuntur & alij mercenarij & operarij, vt manuales, murarij, fabri lignarij, & similis generis, de quibus & fraude eorum ubique grandis est querela. Multo precio conducuntur, pigre operantur, & maiore parte fraudant dominos, quibus seruiunt, & heu nullam conscientiam sentiunt in hoc ipso, quasi non manifeste sint latrones & fures alienae rei, quam iniuste accipiunt, dum non satis laborum pro ea faciunt. *Mercenarij mali.*

Primores Ecclesiastici & seculares.

Magistratibus non obloquendum.

NOuissime huc pertinent Episcopi & Principes, Plebani & Senatus, utrunque scilicet dominium, qui sunt quam maxime timendi, quia gladium domini portant, quibus cauendum est, ne obloquatur ullus, Quia Lex dicit: Principi populi tui ne maledicas. Et iterum: Dijs tuis non detrahas. Et heu nullis liberius detrahitur quam illis, Nullus timor est Dei in illis praesidentis. Omnis enim potestas à Deo est, & licet exactionent & premant rusticos, aut ciues suos, aut sacerdotes, tamen sunt ferendi, non secus ac manus Domini prementis peccata nostra & demerita. *Exod. 22. Acto. 23. Roma. 13.*

His, quia prae potentia non possunt nocere in operibus, nocent in uerbis, ideo Lex praecipit, ne detrahatur eis, neque maledicatur, Hoc est enim iudicare suum superius, quod omnino repugnat ordini. At quo illorum uita magis est in luce, eo magis iudicatur & reprehenditur, sed minus catholice, imo orthodoxe.

Concludamus.

IVdaei hoc praeceptum irritum fecerunt, quando pro sua auaricia docebant: Munus quod per me, tibi prodest, id est, Si obtulero illud pro te Deo, erit utilius, quam si tibi dedero. Quamuis & nunc illa stulticia passim regnet, agente eadem auaricia sacerdotum, ut plus tribuant ad mortuos lapides & ligna, & paratiore animo, quam proprijs parentibus, ac proximis uiuentibus. *Matth. 15*

Auaricia sacerdotum.

Doctrina Christiana.

Quare, ut dixi saepius, ne cum Iudaeorum uanissima hypocrisi, legem Dei obliti, arguamur. Primum honoremus Dei praeceptum, & sic honoremus, ut spiritualiter illud operemur & intelligamus. Hoc est, ut ante omnia istis externis bonis, seu corporis, seu rerum (quia Deus illorum non eget, nec ullum uerbum de ijs sibi cōferendis, in primis praeceptis posuit, ut dicit apud Ierem. 7.) parentibus obsequamur, si egeant, deinde propinquis, postea pauperibus & egenis. Tandem quibuscunque opus fuerit, mutuo uel gratis demus proximis & fidelibus. Et non sic, ut illis praetermissis (ut nunc furor regnat) templa, imagines, uela, uasa, in illis sumptuose comparemus. Haec sint nouissima & modica, quia non necessaria. Necessarijs enim caremus, quia superflua struimus. Non enim necesse, ut superfluis studeamus, cum tot sint necessaria ad salutem, ut nemo sufficiat ea perficere. Alioqui si illa sunt necessaria ad salutem, ubi pauperes saluabuntur, qui haec non habent? *Ierem. 7.*

Sed nunc miserrimo tempore, ita illis instatur, tanquam haec sint & necessaria & sola ad cultum Dei pertinentia, cum ad hominū cōsolationem data sint, & Deus non egeat, sed homo illorum, & non dantur hominibus, sed Deo, mira caecitate. Et sunt qui dicant: Scimus, quod non eget Deus illis. Sed non respondent, si dixeris eis: Cur ergo das illa Deo, non cupienti, & subtrahis eadem fratri indigenti, contra uoluntatem Dei praecipientis? Et tantum de illo Praecepto quarto.

PRAECEPTVM V.

NON OCCIDES.

Ordo sex postremorum praeceptorum.

DIctum est de Praeceptis, quae respiciunt Deum tam in seipso, quam suis locum tenentibus. Iam sex sequentia respiciunt proximum. Et uide mirum & aptum ordinem. Incipit enim prohibitio à maiori usque ad minimum, nam maximum damnum est, occisio Hominis. Deinde proximum, uiolatio Coniugis. Tertium, ablatio facultatis. Quod qui in his nocere non possunt, saltem lingua nocent,

cent, ideo quartum est, læsio famæ. Quod si in ijs non præualent omnibus, saltem corde lædunt proximum, cupiendo, quæ eius sunt, in quo & inuidia proprie consistit, de quibus uidebimus.

Talis processus est & in primis quatuor. Nam maximum est corde, ore, opere abijcere Deum. Deinde saltem ore in uanum nominare, quem corde & ore confiteris. Tandem, quem ore & corde colis, opere non colere. Et nouissimum, in suis Vicarijs despicere, quod licet leuius sit inter quatuor illa, tamen est maius, quam cætera, quæ sequuntur, eo quod non Deus proprie in illis impetitur, sed homo & proximus. *Pharisæi literaliter quintum. Præceptum seruandum dicebant.*

HOC autem Præceptum, sicut & omnia alia, ad literam traduxerunt Pharisæi, tanquam nullus contra ipsum faceret, nisi manu propria occideret alium. Sic docebant, & ita quoque uiuebant. Quod autem sic docebant, patet per omnes Prophetas. Vnde & Psa. 19. intuitus, quod docerent opera illa externa tantum, non ex corde, tædio affectus, dicit: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Q. d: Isti solummodo docent opera hominum, non opera Dei, quibus fit, ut legem Dei corrumpant, quæ est immaculata, conuertens animas, sed illi solas conuertunt manus. *Psal. 19.*

Et ratio est, quia Lex est spiritualis. Et hic notandum, quod quando Lex dicitur spiritualis, intelligitur, non quod sit mystice intelligenda, sicut intelliguntur figuræ & mysteria. Aliud enim est mysticum, & aliud spirituale. Sed spiritualis dicitur, quia solo spiritu impletur, & spiritum requirit, hoc est, nisi corde & hilari uoluntate impleatur, non impletur. Sed talis spiritus non est in nobis, sed datur per gratiam Spiritus sancti, quæ facit uoluntarios in Lege Domini. *Lex spiritualis est.*

Vnde, quando auditur Lex quæcunque, præcipiens illa uel illa, semper oportet cogitare & subaudire, quia præcipit uoluntate talia facere, id est, libere, sine timore pœnæ, & ex hilaritate, Quod cum in nobis non sit, statim intelligitur, quod Lex cogit ire ad gratiam, ut impleatur: Sic Psal. 1. Sed in Lege Domini uoluntas eius. Qui autem mysticum & spirituale idem intelligunt, oportet, ut Decalogum legis non spiritualem intelligant, sed tantum ceremonias Legis, cum nullum sit mysticum præceptum in illo. Ac per hoc Apostolo resistant Roma. 7. Lex spiritualis est, & loquitur de lege Decalogi, ut patet expresse in textu. *Psal. 1.* *Roma. 7.*

Quare mysticum & spirituale differunt, sicut superius & inferius Omne spirituale est mysticum, sed non contra. Quia spirituale est nihil aliud, nisi quod est uel significat uiuam uoluntatem ad facienda uel omittenda. Mysticum autē sæpe significat externas operationes, ut immolatio passeris significat carnis macerationem. Sed hęc est adhuc literalis, licet mystica, quia potest fieri sine spiritu & uoluntate, quia & Euangelij præcepta sæpius in litera seruantur ex timore, & non ex uoluntate, quanquam uere secundum Euangelium uiuere, sit præcepta ex uoluntate libenter facere. Et qui aliter uiuit, non secundum Euangelium uiuit, sed secundum literam Legis. *Differunt mysticum & spirituale.* *Secundum Euangelium uiuere.*

Quocirca qui intelligentiam spiritualem, & doctrinam spiritus, intelligunt ipsum Euangelium, & hoc secundum opera exteriora, prope sunt Pelagiani, quia talia opera etiam ab impijs fiunt. Sed opera Euangelij non nominantur secundum suum exterius, sed secundum suum interius, Ideo sunt opera abscondita, licet foris luceant, uoluntas tamen latet. Eadem causa etiam uocantur opera Dei, quia sunt opera gratiæ, & spiritus, Cum homo ex se non habeat uoluntatem istam, ac per hoc nec opera ipsa. *Opera Euangelij sunt abscondita.* *Opera Dei.*

Opera hominum. De istis ergo operibus in Scriptura frequens est mentio. Et opera hominum acriter arguuntur, quod sunt similia quidem ueris, sed uera nō sunt, quia sine uoluntate gratuite fiunt, sed semper habent, uel timorem pœnæ, uel amorem commodi pro fine. *Iudæi.* Taliter enim Iudæi uiuebant & docebant, ut dixi. Nam cum Christum ad Pilatum ducerent, nolebant eum interficere, ne peccarent, sed tradiderunt eum ad occisionem. *Saul. 1. Sam. 18.* Sic Saul quoque de Dauid: Non sit manus mea in illum, et tradidit illum in manibus Philistinorū, quasi ideo esset innocens, quia non manu occideret, sed corde.

Iusticia Scribarum & Pharisæorum. QVo circa Christus Matth. 5. ait: Nisi abundauerit iusticia uestra, plus quam Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorū. Et quare hoc? Quia accipiebant Legem secundum dicta & sonum syllabarū, id est, non secundum intentionē Legislatoris. Ideo dicit: Audistis, quia dictum est antiquis, Q. d. Dictum, sed non intellectum, uerba tantum audierunt, intellectum autem non cognouerunt, ideo secundum literam uixerunt, & hoc totum, quia fuerunt antiqui, carnales, Adamitæ, terreni. *Ego autem dico uobis. Matth. 5.* Ego autem dico uobis, quibus uobis? Vtique non antiquis, sed nouis, cœlestibus, Christianis, spiritualibus, spiritualiter dico. Igitur audiamus, quomodo Christus hanc Legem spiritualiter exponit, Et uidebimus, quot genera contra hoc mandatum peccent.

I. Occidentes ad literam. PRimi itaque sunt, qui irascuntur in effectu, qui occidūt ad literam & in opere, de quibus dicit: Qui autem occiderit, reus erit iudicio, uel potius, reus erit iudicij, aut iudicio in dandi casu, pro eo quod est, obnoxius iudicio. Hoc facile omnes intelligunt, nisi quod sub opere illo comprehenduntur omnes, qui hortati sunt, consilium, auxilium, aut quocunque alio modo causam mortis dederunt, aut socij & participes fuerunt.

II. Irascentes in uerbo. Vocabulum fatue. Secundi sunt, qui irascuntur in uerbo, de quibus dicit: Omnis qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennę ignis. In uerbo autem, Fatue, intelligūtur omnes maledictiones, contumeliæ, blasphemię, quæ procedūt ex ira deliberata. Tales enim, etsi operę non occidunt, tamen uerbis ea super ipsum dicunt, quæ si fierent, utique ille moreretur. Quomodo enim uiueret, si Diabolus auferret, si pestilentia occideret, si fulmen percuteret, imo aliquando usque ad animæ mortem maledicūt, dicentes: Vt absorbeat te ignis inferni. Assumit autem Christus uerbum modestius, scilicet Fatue, ut intelligamus, quid sit de illis, qui durius maledicunt, & hoc ex ira plena, & quæ optet interitū illius, quem maledicit.

III. Irascentes in signo. Racha. Tertij sunt, qui irascuntur in signo, de quibus dicit: Omnis qui dicit fratri suo Racha, reus erit concilio. In quo intelliguntur omnia signa alia, quæ ex eadem ira mortali procedūt, ut sunt auertere faciem, tacere salutationem, aut respōsionem, gratulatorijs uerbis malum eius protestari, & indignabundis prospera eius prosequi. *Nemesis Aristotelica.* De quo Philosophus 2. Ethicorū fecit uirtutem, Nemesim, Nam hoc signum leuissimum Christus ponit, ut iudicandum relinqueret de peioribus. imo quia parce & uerecunde exprimit spiritus mala hominum, sed profunde uult intelligi. *Racha.* Racha certe, si meo iudicio sentire liceat, etiam usitatum uidetur apud omnes linguas, nam & nos cum indignamur, fragore quodam gutturis proferimus, uelut caninum arch seu rach. *Sed Ebræa uidetur esse uox Raca uel Rak .i. uarius, nihil, uacuus &c.* Talem enim fragorem & asperitatem gutturis, puto Dominū significare uoluisse, per dictionem istam, & hoc esse, quod alij interiectionem indignantis exponunt. Nō est enim alia interiectio indignantis, & quidem uehementior, rach seu rarch, ut notum est. Talis itaque, licet nec uerbo, nec opere occidat, tamen id signat, quo cupit eum non esse, ira motus, ideo occidit signo.

Quarti

Quarti sunt, qui irascuntur affectu, & is gradus est causa, qua supra dicti sunt peccata, quo sine, si etiam fierent, & possent fieri, nõ essent peccata. Ipse enim affectus iræ est caput & uita iræ uerbalis, signi & operis, sine quo non essent ira, de quibus dicit: Omnis qui irascitur fratri suo, reus est iudicio. Tales enim, licet non occidant opere, uerbo, signo, tamen corde, de quibus Iohan. in Cano. sua: Qui odit Fratrem suum, homicida est. Quare? quia non fauet ei uitam, sed mortem, ideo quo ad cor, est occisor fratris coram Deo. IIII. *Irascentes affectu. Adfectus.* *1. Iohan. 3.*

IGitur hoc Præceptum est profundissimum, nec vllus est, qui id impleat sine gratia, cum nullus sit, quin habeat cui irascatur, si recte seipsum consideret, alioqui falsa erit Oratio dominica, quæ dicit: Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Sine gratia nemo potest 5. præceptũ implere.*

Sine charitate enim impossibile est, ut homo hoc Præceptum non transgrediatur. Aut enim diligit, aut odit homo Proximum suum, licet nunc nati sint Neutrales quidam, dicentes, ꝙ potest nec diligere, nec odisse. Verum tu ne illis confidas, suadeo. *Neutrales.*

Quare, qui uult hoc Præceptum implere, studeat omnibus modis, omnem hominem dulci affectu diligere, imo petat à Domino gratiam dilectionis. Et non sibi frustra palpet, quod neminem odiat, ualde enim mitis & humilis est homo, qui hoc Præcepto non peccat. Quia spiritualis illa ira, quæ prohibetur in isto affectu, ita profunda est, ut etiam foris non apparente signo uel uerbo, intus uehementissime uiuat, de quibus Esa. 10. Væ uobis, qui profundi estis corde, & quorum sunt in tenebris opera eorum. *Ira, quæ in hoc præcepto prohibetur.* *Esaia 10.*

Est autem & ira alia, spiritualis & bona, quæ uocatur zelus Dei. Nam nisi Dominus etiam uellet significare iram bonam, absolute dixisset: Omnis qui irascitur. Nunc dicit: Omnis qui irascitur Fratri suo, ne contradicat sibiipsi, ubi ait: Qui odit animam suam in hoc mundo &c. Quare ira & odium suipsius est nobilissimum, de quo alias. *Zelus Dei.* *Ira & odium suipsius.*

Sufficit itaque nobis huius Præcepti ista expositio Domini, præter hoc, quod & multos mouit, Cur Dominus hunc ordinem fecerit, ut simplicem iram iudicio, Racha concilio, fatue gehennæ deputarit? Nam id facile patet, ꝙ per iudicium, quod dicit Lex: Qui autem occiderit, reus erit iudicio, intelligantur hæc omnia tria in spiritu, sicut ipse Dominus legem interpretatur, ꝙ sicut sub, Non occides, comprehensa est uniuersæ prohibitio iræ, ita sub iudicio, vniuersa pœna iræ. Cur ergo nunc iudicium distinguit à concilio & gehenna? *Iudicio, Concilio, Gehenna, gradus pœnæ significantur.*

Primus Lyra sentit, ꝙ textus sit transpositus, cum cõcilium prius uideatur quam pœna. B. Augustinus lib. 1. de sermone Domi: dicit, quod ordo grauitatis hic ostenditur in pœna, sicut & est in ordine culpæ. Sed quomodo id peragatur inuisibiliter in animabus, non posse dici. Itaq; relinquit incognitum, solũ hoc asserens, ꝙ grauior & grauior pœna illis gradibus est expressa. Nam in iudicio adhuc datur defensioni locus, In concilio uero tractatur de conuicto, qua sententia sit plectendus. In gehenna uero, est certa & definita damnatio rei. *Lyra. Augustinus. Iudicium. Consilium. Gehenna.*

Per illum itaque processum iuridicum exprimitur grauitas differentium criminum, quæ quo modo vindicentur, cum id B. Augustinus nõ expresserit, nec posse exprimi dicat, ego quoque desistam exprimere. Nam si Dominus differentes pœnas vellet illis gradibus significari, ita quod reus iudicio non sit reus concilio, aut gehennę, sequitur, ꝙ mortalis inuidia, non *Grauitas differentium criminum.*

sit rea gehennæ ignis, neque maledictio, neque detractio, quod est falsissimum. Imo sequitur, quod occidens opere, peius mereatur supplicium, quam gehennam ignis, quia peior & grauior illis tribus est, cum tamen non sit peius supplicium.

Quare, ut meditari liceat, sine temeritate omnium istorum quatuor, seu sint plures gradus occisionis, etiam in opere (quod utique uerum est, quia grauius occidit, qui patrem & matrem, aut uxorem occidit, quam alium hominem) una est pœna, scilicet æterna damnatio, & gehenna ignis, Sed differentibus gradibus inferenda, quod significatur illis ordinibus graduum. Nam sicut remotior est à pœna, & tardius ad eam uenit, qui iudicio tantum sistitur, in temporalibus, Ita tardius, id est, minus intense ac leuius punitur in inferno, qui solum iratus fuit. Nam quod in tempore est tarditas aut celeritas, hoc in æternis est intensio aut remissio. Imo tarditas & celeritas in corporalibus proueniunt ex intensione & remissione spiritualium, ut patet in feruidis & ignauis animalibus, quæ multa breui, & modica longo tempore perficiunt. Segnis enim anima, modica agit, ubi intenta facit plurima. Ita, sicut qui concilio reus est, proprior est malo suo, quam qui iudicio, & tamen remotior quam qui gehennæ, ita intensius in illa punitur hic quam ille. Reus uero gehennæ, sine mora est, id est, intense nimis punitur, & non remisse. Qui uero occidit & peius quam occidit, utique intensissime punietur. Hæc ita dixerim, ut nihil affirmauerim.

Ordines graduum.

Occulte superbi.

SEd sunt quidam occulte superbi, qui secure sibi persuadent, sese nõ esse reos huius præcepti, quia non occidunt, non irascuntur, nec conscij sibi sunt odij, Quod potest fieri, & uerum esse, sed non in hoc sese iustificatos putare debent, & hoc præceptũ penitus euacuasse ac implesse, Quia Lex immaculata, & igne examinata, ac septuplum purgata. Idcirco non ante se quis glorietur, non peccare in ira contra Fratrem, quam se senserit ita mitem & pacatum, ut si auferantur ei etiam omnia cum uita, non uelit irasci contra auferentem, ac non irascatur cum fuerit ita factum. *Psal. 12. 19*

Peccata interiora, pugnantia cum 5. præcepto.

O quam grande & profundum est uerbum hoc. Facile est non irasci pacificis, & his, qui non lædunt, hoc & gentes, hoc bestiæ quoque faciunt, & bestię etiam immaniores. Quã egregia ergo est iactantia iusticiæ, quod non irasceris pacificis, scilicet usque ad serpentum & leonum peruenisti mansuetudinem. Verũ si auferatur tibi pecunia, domus, pater, frater, mater, soror, filius, ager, corporis membrũ, & ipsa uita, hic uide si possis, non solum non irasci, sed etiam gaudere, & benedicere Deum, ac benefacere & fauere hæc facientibus. Si hæc potes, gratias age, quia gratiam Dei habes. Si non posse te inueneris, intellige radicalem illam iram, ipsam spiritualem occidendi uoluntatem intus latentem. Hanc enim Lex prohibet & expugnat, ideo gratia hic opus est, quam sic cognita impossibilitas per Legem cogit quærere.

Iactantia iusticiæ &c.

Dicis itaque mihi:

Non uelle quidem irasci.

ITa ne purum esse oportet hominem, vt ne velit irasci quidem in omnibus malis sibi illatis? Respondeo: Ita purum utique, quia nihil inquinatum intrabit in regnum cœlorum. Quam diu enim ista manet uoluntas in nobis, quæ data occasione ruit in iram, sumus immundi. Oportet ergo ita mundam fieri, ut non solum, sicut dixi, non irascatur, sed etiam benedicat maledicentibus, benefaciat persequentibus, gratias agat Deo in aduersis, & optet plus aduersitates, ut solum peccatum odiat, & non pœnam, Secundum illud: Benedicite lux & tenebræ Dominum. Et: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Ideo quod Iudęorum Sancti tales non *Psal. 34*

Odisse peccatum non pœnam.

Psal. 8. non essent, dictum est de eis Psal. 8. Destruas inimicum & defensorem. Ideo dixi, ꝙ Lex est spiritualis, qui enim aliter hoc Præceptum intelligit, Iudaice & literaliter intelligit, & non abundat iusticia eius à iusticia Pharisæorum. *Lex spiritualis.*

Inde B. Augustinus lib. 1. de sermo. Domi. sex gradus colligit in hoc mandato. Primus est, lædere etiam si non sis læsus, quæ est summa iniusticia. Secundus est, lædere grauius, ꝙ sis læsus, quod accedit ad legem Mosi. Tertius est, lædere tantum quantum sis læsus, Hucusque lex Mosi processit, quæ dicit: Dentem pro dente, oculum pro oculo, hæc enim donat aliquid, cum maiori pœna dignus sit nocens, ꝙ innocens omni iure. Quartus est, læsus non lædas tantum, quantum sis læsus. Quintus est, læsus omnino non lædere. Hic appropinquat præcepto Domini, sed nondum est ibi. Sextus est, læsus, paratus ut sis amplius lædi, hoc est, alteram maxillam præbere. Vide itaque quam funditus iram extirpari uelit, ut non solum nō irascatur, sed etiam optet lædi, hic enim mundus est. Nonne qui hæc audis, cogitas illud Psal. Latum mandatum tuum nimis? Quod si quis non læditur ab alio, necesse est, ut seipsum lædat, & irascatur sibi multis contritionibus. Ideo non est melius, nisi ut sicut præceptum est, diligi proximum sicut seipsum, ita quisque odiat seipsum, sicut proximum, ut sic omnia reducantur ad iustam formam.

Sex gradus lædendi. Exod. 21. Leuit. 24. Deut. 19. Psal. 119.

Quocirca, uis irascibilis, quæ hoc Præcepto occiditur & mortificatur, ipsa est inimica crucis Christi. Ideo, quoniam ipsa est homicida & occidit, oportet ipsam quoꝙ non uulnerari, sed prorsus occidi & mortificari, & legem talionis in illam exerceri. Qui enim occidit, occidetur, Occiditur autem ista lege, id est, significatur occidenda, gratia autem sola occidit eam in effectu. qua occisa, homo fit mitis, patiens, suauis, ad quoscunque etiam paratus inimicos diligere, & eis benefacere, gaudere in tribulationibus. Quæ omnia impedit impatiens illa, ac cruda uis irascibilis, quam heu ꝙ pauci attendunt, securi de alijs suis bonis operibus, ignorantes ꝙ uehementer sit spiritualis & immaculata Lex Domini.

Vis irascibilis. *Lex talionis.*

Igitur qui amat crucem, & gloriatur in cruce Domini, hic est qui non occidit, non irascitur. Nam hæc est uera differentia spiritualis iræ bonæ & malæ, ꝙ ira mala, propter mala pœnæ tantummodo irascatur. Bona autem solum propter mala culpæ, ideo sibi tantum displicet, & seipsam odit propter peccata, omnes alios diligit, & non odit ullum, propter res ablatas.

Irascendum propter malum culpæ. *Ira mala.* *Ira bona.*

At dicis?

SI hoc ita esset, nullus saluus fieret, vel nimis pauci. Respondeo: Ideo dixi, ꝙ valde spiritualis est Lex, & eo conandum, ut sic impleatur. Nec mirum, ꝙ pauci saluantur, nec tamen ideo desperandum, quia, quod impossibile est nobis, Deo possibile est, ut Luc. 19. Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Hoc est quod dixi: Lex recte & spiritualiter intellecta terret hominem, & cogit humiliatum ad gratiam confugere, ac de seipso desperatum, oculos in cœlum leuare, & dicere: At te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis &c. Et iterum: Leuaui oculos meos in montes, unde ueniet auxilium mihi. Quia hic nulla est fuga, huc enim oportet hominem uenire, ut sit ita mundus, siue hoc fiat in uita, siue in morte, siue in Purgatorio. Noli ergo superbire, quod non pecces, si sentis te irasci pro temporalibus, quia nondum es in spiritu iustus cum Christo, sed cum Mosaicis in carne.

Pauci saluantur. Luce 19. *Ad gratiam confugiendum.* Psal. 121. 123. * *Irascens pro temporalibus nondū est in spiritu iustus.*

QVod

QVod autem de isto Præcepto dixi, de omnibus intelligendum est simili modo. Quodlibet enim illorum est spirituale, immaculatum, fidele, probatum, purgatum septuplum, licet raro sic exponatur, ut Psal. 12. de eiusmodi conqueritur. Vnde quod in Græc. dicitur: Omnis qui irascitur fratri suo sine causa, merito per B. Hieronymum iubetur eradi. Tollitur enim (ut ipse ait) omnis occasio iræ in isto Præcepto. Et illud additum est, quia in ueris Libris non habetur. *Psal. 12.*

Sine causa, adiecta particula.

At obijcitur:

Gradus præceptorum.

TV de perfectis loqueris, non autem omnes damnantur imperfecti. Respondeo: Verum est. Sunt gradus in isto & quolibet Præcepto, ut isti quatuor à Domino in Euangelio isto distincti, & sex per B. Augustinum, ut uisum est. Primum est enim, ne occidas opere, tamen prospiciendum, ne etiam uerbo, ac deinde ne signo, inde ne corde. Quod si nunc mereri etiam uolueris, oportet ut etiam libenter optes aduersa, & feras cum gaudio. Scio non oportere statim esse perfectum, sed gradatim ascendendum. Verum oportet tandem perfici & tendere semper ad profectum, & non stare ac contentum esse in aliquo graduum prædictorum, sicut multi faciunt, peius peccantes propter non proficere, quàm alij propter non incipere, eo quod illi superbiant de incepta iusticia.

Superbientes de incepta iusticia.

Peccatores manifesti.

Inde denique sæpius uenit, ut pessimi peccatores ac meretrices, compuncti, statim ita perficiantur, ut in supremum gradum euolent, parati omnia amittere, & sustinere cum gaudio, ubi alij multis annis laborantes, nec secundum attingunt. Quod si dixeris, non mirum, quod magni peccatores sic compungantur.

Pharisæus. Iusticiarius.

Ecce ecce, hic te audio Pharisæe, tu non es magnus peccator, non es sicut cæteri hominum, inuenisti uias tuas bonas, Et cæcitas nimis profunda & lata, quasi ista superbia non sis peior illis omnibus.

Fomes iræ. Iacob. 1.

Igitur cogitandum semper, ut non tantum ira, sed fomes ipse iræ, & totus Adam occidatur, arbor cum fructibus & radice, Ira enim uiri iusticiam Dei non operatur. Non enim Præcepta sic tantũ sunt discenda, ut scias confessionem facere, quia iste fomes non pertinet ad Confessionem, sed tantummodo opera, neque tollitur per confessionem, quia neque per baptismum. Sed ad cognoscendum peccatum, & quid faciendum tibi sit, & quid à Deo petendum, per Legem enim cognitio peccati, Quia præceptum Dei plus requirit, quàm possumus. *Rome. 3.*

Præceptum Dei.

Sed hic clamant: Ergo impossibilia præcipit? Hæc est blasphemia, ergo iniuste damnat. Respondetur non, Sed ideo præcipit, ut misereatur, & humiliet ad gratiam querendam. Qui enim solum discit ea, ut possit confiteri, uadit præsumens facere, quæ didicit, & peius semper ruit, nihil aliud faciens, nisi quod conscientiam auget, & magnificat.

COROLLARIVM.

Quibus imputetur peccatum, quibus non?

Quod homo non est perfectus, sicut debet esse, peccatum est, sed alijs { imputatur, / non imputatur.

Imputatur ijs, qui stant, quia tales peccatum suum non odiunt, quod est in eis, scilicet fomitem, ac per hoc diligunt, & fœdus cum gentibus Cananeis ineunt. Non imputatur eis, qui studio assiduo illud expugnant. Propter hunc

hunc enim feruorem & profectum, non imputatur eis, licet sit in eis, quia licet sit in eis, tamen non est in eorum uoluntate, sed cōtra uoluntatem in carne, Ideo non est in eis, quod est in eis. Vnde Apostolus dicit: Scio ꝙ non habitat in me, id est, in carne mea, bonum, Habitat in eis, sed nō regnat in eis, sicut Iebusęi inter filios Israel, sed non regnabant. Et Rom. 8. Nihil damnationis ijs, qui sunt in Christo Ihesu, qui non secundum carnem ambulant. Quare? Quia qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs suis. Ambulant enim assidue contra carnem, non secundū carnem, id est, expugnant fomitem, quem illi stertentes secure omittunt, de operibus contenti bonis.

Rom. 7. *Iud. 1.* *Rom. 8.* *Gala. 5.*

Quid enim putas significat passio & mors Christi, nisi mortem ueteris hominis ac totius Adam? qui licet non subito occidatur, tot tamen alapis, colaphis, flagris, spinis, tandem clauis pungendus & fodiendus, donec expiret inclinato capite. Caput est, ipse fomes, intima radix iræ & concupiscentiæ, qui non occiditur nisi multis aduersitatibus fractus, tandem quiescat mortuus.

Mors Christi. *Fomes.*

Idem significatum est, ꝙ olim filij Israel omnes mortui sunt in deserto, præter Iosue & Caleb, & non nisi alia Generatio intrauit terram promissionis, quæ secundam circuncisionem in spiritu figurabat, ut nō tantum à temporalibus, sed & à spiritualibus bonis abstineretur.

Iosue. Caleb. Filij Israel in deserto mortui &c.

NVnc videamus Theologos nostros, quid de Præceptis istis sentiant. Dicunt itaque, ꝙ intentio Legislatoris non fuerit, vt in charitate seruentur, nisi quis uelit uitam ingredi, secundū illud: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Alioqui (inquiunt) sequeretur, ꝙ peccaret, qui non occideret, & hanc omissionem sine charitate præstaret. Ecce hæc dicunt hi, qui nobiliores in Theologis. Quid autem dicunt, nisi ꝙ Iudæi etiam sapiunt & dicunt, scilicet literam & traditionem facientes ex spiritualissimo mandato Dei. Non occides enim, intelligunt (id est, non facias opus homicidij) quod utique cum facile contingat obseruari, statim irruunt, & dicunt, Præceptum esse seruatum, nisi forte non in charitate, sed hoc non est peccatum, nec transgressio huius præcepti.

Math. 19. *Theologi scholastici literaliter hoc Præceptum intelligunt, sicut Iudæi.*

Quid faceremus istis Pharisaicis Interpretibus, si non ipse Dominus hoc Præceptum exposuisset? prompti enim essent negare, ꝙ in illo ira cordis etiam prohibita sit, nisi quando nō irritatus, ex malicia irasceretur homo, quod tamen nescio an huc pertinere sentiant. Si ergo scirent, ꝙ ista malignitas iræ radicalis radicitus hic prohibetur, utique non negarent, Præceptum in charitate fieri iussum esse, nisi dixerint aliquem suis uiribus posse iracundiam in mititatem mutare, sine gratia.

Pharisaici Interpretes.

SEcundo, Illud quoque vel somniant vel somniare cogunt, ꝙ non occides &c. referatur ad tempus quietis, in quo si quis irasceretur, peccaret. Quod ille nimirum uult, qui glossauit, sine causa, Q. d: Si fuerit non pulsatus iniuria &c. quasi non peccet, si læsus indignetur lædenti. Non enim hucusque intrant in Præcepti cognitione, ut uiderent, quoniam omnia referuntur ad tempus tentationis & probationis, ut homo ibi agnoscat spiritum suum, & carnalitatem suam, dum senserit sese rapi uiolenter ad peccandum, & non inuenit in carne sua bonum, ut gemat pro gratia sanitatis, hic enim sine gratia homo non potest iram omittere & impatientiam, ut patet experientia. Alioqui, non doceretur homo hic aliam iram ponere, quam diabolicam, quæ est, non irritatum irasci ac nocere, quæ nullis ferme bestijs

Sine causa, male exponunt.

Diligere Deum super omnia. me bestijs inest, aut quam paucissimis. Similiter somniant de actu diligendi Deum super omnia, scilicet in tempore quietis, & non cogitant quod impossibile sit in tentatione & passione.

Cæcitas & ignorantia Scholasticorum. Hoc totum illi pulchre abscondunt, quando disputant solum de operibus Præceptorũ secundum faciem syllabarum, Tunc enim inueniunt Iudaicæ illius cæcitatis monstra, scilicet quod gratia non est necessaria, nec intenta in Præceptis, nisi conditionaliter, & hoc non propter defectum hominum, *Gratia.* sed propter intentionem præcipientis, vt gratia fiat odiosa cunctis, dum potius uelut noua exactio imponitur supra Legem, & impossibiliorem faciat salutem, quam Lex ipsa, & non sit potius adiutorium & consolatio ijs, qui Legem debent implere.

In gratia fieri præcepta. Sic sic cogunt imaginari Theologi monstra ignorantiæ, & prodigia tenebrarum. Igitur in gratia fieri Præcepta, non solum est intentio præcipientis, sed indigentia facientis. Nam uerum est, quod ille peccat, qui non occidit, existens extra gratiam, non autem peccat, quod non occidit ad literam, sed quia intus occidit corde, in spiritu. Vbi, sine gratia, non potest esse sine ira, & fomite indignationis, vt patet experientia tentationis & occasione data per aduersitates. Hoc enim latens malum iræ facit, ut non possit non occidere, ergo reus est præcepti spiritualis, licet sit non reus eiusdem præcepti literalis. Patet ergo, quod de Lege loquuntur ad literam.

Præcepta Decalogi affirmatiua. TErtio, Ex eadem caligine concludunt, quædam esse Præcepta tantum negatiua, quædam affirmatiua. Hoc iterum non est uerum, nisi corticem syllabarum teneas. Nam illo præcepto, Non occides, exprimit uehementissimam affirmatiuam, scilicet illam, Esto mitis & ex corde *Negatiua uehementior affirmatiua.* mansuetus, ac patiens, & quietus, ac pacificus. Negatiua enim in Scripturis ideo ponitur, quia affirmatiua non est tam uehemens, ut ibi: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, (id est) in æternum ei cumulabitur. *Lucæ. 10.*
Et Psal. 110. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, id est, maxime & æternaliter placebit ei. Et illud Psal. 1. Beatus vir, qui non abijt, id est, maxime hic inter pios profecit. Et sic de multis alijs. Nam & Apostolus Rom. 7. exponit illud, Non concupisces, affirmatiue, dicens: Quod uolo bonum, id est, contrarium concupiscentiæ (scilicet castitatem & amorem) non facio, Facere enim positiue significat. Igitur hoc præceptum est quidem negatiuum secundum literam, sed affirmatiuissimum, secundum spiritum, quia Dominus requirit, ut sint mites & pacifici. Illi autem relinquunt internam fœditatem, quam Synagogæ improperat Dominus dicens: Sordes in pedibus eius. Threno. 1. & Deut. 22. Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus. *Psal. 110. Psal. 1. Roma. 7. Threno. 1. Deute. 22.*

Præceptum. 6. Non mœchaberis. Gratia opus est. Sic & illud: Non mœchaberis, negatiuum est, sed secundum literam, habet autem hanc affirmatiuam spiritualissimam, Esto castus, continens, temperans, sobrius, modestus, & hoc ex intimo, prompto, gratuitoque corde. Hic autem gratia utique opus est, non propter Deum intendentem præcipiendo, sed propter carnalitatem nostram impotentem faciendo.

7. Sic & illud: Non furtum facies, Litera est negatiua, sed Spiritus affirmatiuus, scilicet, esto pauper spiritu, contentus præsentibus, ac modestus &c.

1. *Non habebis deos alienos.* QVin & illud primum: Non habebis deos alienos, est affirmatiuum, scilicet, Dominum Deum tuum diliges & coles, unum, super te & omnia, alioqui non erit unus, si aliud cum eo diligitur.

Et illud

Et illud secundum similiter : Non assumes nomen Domini Dei tui in 2.
Psal. 111. uanum, Hæc est litera. Sed spiritus dicit : Sanctum & terribile nomen eius.
Iohel. 2. Et iterum : Omnis qui inuocat nomen Domini, saluus erit. Vult ergo assumi nomen Dei assidua reuerentia, & timorosa inuocatione, magis autem glorificari & benedici humili suæ ignominiæ confessione.

Et illud tertium : Sabbata sanctifices. Id est ad literam, Nullum opus 3.
in eo facias, litera est negatiua, cum ibi affirmentur nobilissima & maxima opera Dei, in audiendo, docendo, meditando uerbo Dei in spiritu intus, foris quies, intus maxima actuositas Dei operantis.

Præcepta primæ tabulæ spiritualiter intellecta.

Et si hæc tria præcepta exponas spiritualiter (id est, de internis operibus) inuenies, quod primum sit charitas Dei, secundum fides, tertium spes. Nam non habere alienum Deum, est Deum diligere super omnia.
Rom. 10. Non assumere nomen eius in uanum, est credere in nomen eius, & ipsum
Acto. 4. in fidei spiritu intus inuocare & glorificare. Quomodo enim inuocabunt, in quem non crediderunt? Omnis enim qui inuocat nomen Dei, saluus erit.

Sanctificare sabbatum.

Porro sanctificare quietem, est sese passibilem Deo præstare, ut in illo Deus solus operetur, hic patientia & spe est opus. Nam hic in caliginem intratur, ubi homo non operatur, sed ducitur uia passionis mirabiliter. Quoties ergo pateris, toties operaris non tu, sed quiescis, & Deus operatur in te. Sed tu nescis quid, quia pateris & es nuda materia. Hoc est quod ait:
Psal. 46. Vacate & uidete, quoniam ego sum Deus. Spes sola hic regnat in charitate per fidem. Recte itaq; B. Augustinus dicit, quod cultus & latria Dei est in fide, spe & charitate. At hæc sunt affirmatiuissima, & tres Theologicæ uirtutes, sub litera istorum trium uerborum significatæ negatiue.

Augustini dictum.

Virtutes theologicæ.

Quartum præceptũ

VNum restat affirmatiuum, Honora patrem & matrem. Sed & hoc quomodo sit spirituale, dictum est supra. Licet litera solummodo honorem signi externi docere uideatur, sed subtus affectum timoris & obedientiæ promptitudinem requirit, quæ sine gratia non est possibile fieri, ut patet in probatione tentationis, ubi occasio uenit ipsum obseruandi, contra uotum uniuscuiusque.

Octauum præceptũ

IAm illud octauum satis notum est : Non falsum testimonium dices, Literam esse negatiuam, sed affirmatiuam esse in spiritu, ut proximo tuo sis ex corde paracletus, excusando, defendendo, & omnia, quæ tibi uelles fieri in famæ periculo & conscientiæ.

Nonum & Decimũ præceptum.

Decalogus à Christo & Apostolis spiritualiter expositus.

REliqua duo similiter nota sunt, quod non concupiscere ad literam, hoc sit, ex corde fauere proximis omnia bona, & nolle ullum malum. Ex quibus omnibus patet, quod Decalogus ad literam sonans, recte in spiritu exponitur à Christo & Apostolis, ubi docent fidem, spem, charitatem, obedientiam, reuerentiam, humilitatem, mansuetudinem, pacem, patientiam, modestiam, castitatem, paupertatem, bonitatem, benignitatem, hilaritatem, mutuam beneuolentiam &c. Hæc quidem sunt affirmatiua, sed sunt spirituales sermones Decalogi omnino.

Reuertamur itaque ad propositum.

Mansuetudo & suauitas spiritus

INcipit autem a mansuetudine ac suauitate spiritus instruere hominem, ut Deo similis esse studeat homo erga proximum, sicut uult Deum erga se esse. Nam bonitas summe commendat Deum, ideo ut homo sit mitis, benignus, suauis, mansuetus, clemens, facilis, tractabilis, bonus, id est, Deo similimus. Dicit : Non occides, non sis occisor, Non sis crudus, asper, durus, amarus, difficilis, indignabundus. Hoc autem efficit spiritus

Spiritus gratiæ.

gratiæ, qui hoc præcepto quæri & peti cogitur. Hoc idem dicit Dominus Matth. 5. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Mat. 5.

COROLLARIVM.

Frustra sibi blandiuntur, qui non occidunt, & tamen ut sint benigni ex corde, nõ quærunt, quia per hoc solum speciem Præcepti, & literam habent mortuã, quibus uelut umbris protegitur interior umbra Behemoth. *Vmbra Behemoth.*

Demus Simile.

Simile de calce. Calx apparet frigere, ac sine calore, sed effusa aqua, furit ardore, solo autem oleo quietissime extinguitur. Sed homo adustus fornace paternæ concupiscentiæ, occultam habet radicem iræ, quæ erumpit, data tentatione, nec sanatur, nisi per oleum gratiæ.

Aliud.

De latrone. Latro uel homicida, aut alius grassator, si non occidit, aut percutit de facto, nunquid contentus est in eo Princeps, si arma non ponat? Suspicabitur enim, quod data occasione percutiet. Ita homo, & si non irascatur de facto, tamen habet intus gladium iræ, & si in uagina reconditum, sed non placet Deo, nisi ponat gladium & abijciat. Nec satis est, quod in uagina sit, timor est de futura occasione, Nam iste est gladius, quo occisus est filius Dei. Ideo etiam si non occidas, tamen coram Deo occisor es, quia in armis occisionis Filij sui inueniris. Quis enim coram Principe securus gladium portet, quo constiterit filium Principis occisum? Ideo iram tam longe fieri oportet, & ex intimo corde, ut non possibile appareat aliquando ipsam erumpere. *Ira prorsus euellenda.*

Aliud.

De cane. Sic canis, etiamsi opere non mordeat, nunquid ideo non est mordax? Imo eo peior, quo insidiosior. Sed heu has insidias nostras cordis, quam pauci obseruant. Vnde Psal. 5. Interiora eorum insidiæ, quod nos (cor eorum uanum est) habemus. Psal. 5.

Gradus in peccando. I. IGitur incipientium gradus primus, est proprius, scilicet abstinere a facto homicidij, seu per se faciendo seu consentiendo, consiliando, auxiliando, ut solet tertia lingua, & susurro, autor cædium, facere, miscere iras & dissensiones, rixas, insidias, homicidia, ut Gala. 5. docet Apostolus. Gala. 5.

Hic gradus uidetur facilis & exiguus, sed est grandis, si recte inspiciatur, & pauci sunt innoxij, quia pauci sic linguam temperant, ut nõ seminent discordias, ac per hoc quantum in eis est, homicidia incipiunt. A quo malo magno & frequenti liberam fuisse matrem suam Augustinus dicit ex singulari gratia Dei 9. Confess. Neque enim ab eo facile se liberum sentiat, nisi qui pacificus ac mediator utilis est, ut ea tantum narret, quæ concilient ac placent iratos ac discordes, aut magis concilient concordes, tacendo mala, & prædicando bona utriusq; apud utrunque. *Monica Augustini mater.*

Exemplum. Sicut legitur Exemplum quoddam de nuncio prudentiq; seruo, misso à domino ad quendam, ut migrare iuberet de domo eius. Ille autem salutari dixit eum à domino suo. Et ad dominum rursum reuersus dixit, illum uelle migrare, donec mira (ut nunc omitto) ordinatione dominus mitigatus, intelligere prudentiam serui. Quapropter recte dictũ est, quod susurro seu detractor est ter homicida, tres enim uno ictu occidit, primo seipsum, deinde eum cui susurrat, tertio cui detrahit; Quia os quod mentitur, occidit animã. *Detractor ter homicida est.*

At excusant se, dicuntq; se uera dicere, Sed male, quia uerum debet uere dici, secundum illud: Quod iustum est, iuste exequaris. Ergo etiam uerum fit mendacium, dum non ubi, quomodo, quando, cui, quantum dici debet, dicitur. Hinc & B. Bernhardus dicit, q detractor habet Diabolũ in lingua, qui *Verum fit mendacium &c.*

gua, qui auscultat in aure. Secundus occisus est ipse auditor detractoris, quia similiter peccat, præter hoc, quod ad iram, id est, mortem, eum inducit. Tertius ipse passus, qui cognito isto malo, similiter ruit in iram, id est, mortem, quod si non ruit, non est detractoris beneficium, sed Dei, fecit detractor, quantum in eo fuit. Cætera mala detractoris alibi.

Iacob. 1. ET epistola Iacobi de malo linguæ tractanda foret, ut appareret, quam latus sit iste primus gradus huius mandati, & quam pauci in illo sint.

Et breuiter id faciemus. Dicit 1. capi. Itaque dilectissimi Fratres, sit omnis homo uelox ad audiendum, & tardus ad loquendum, & tardus ad iram, Ira enim uiri iusticiam Dei non operatur. Istis uerbis ad mansuetudinem monet, unde sequitur: Propter quod abijcientes omnē immundiciam & abundantiam maliciæ, suscipite in mansuetudine insitum uerbum &c. *Locus ex epistola Iacobi explicatus.*

Quasi diceret: Ne perfeceritis omnem immundiciam, & abunde nimis maliciam, hoc est, ne tradatis uos immundiciæ & maliciæ, ut omnem expleatis, sed satis est, quod resistentibus & abijcientibus, adhuc tamen adhærebit uobis immundicia & malicia. Omnem, &, abundantiam, addit, ad significandum, quod qui contra pugnant, non sine immundicia & malicia tamen sunt, quanto magis omnem. Et immundiciam habent, qui non pugnant, sed obediunt, secundum illud Psal. Astitit omni uiæ non bonæ, quia sequitur: maliciam autem non odiuit. (Psal. 36.)

Porro immundiciam seu sordiciem uocat concupiscentiam, quæ est sordicies animæ & spiritus, quæ & causa est irarum inter homines, Ideo enim inuicem irascuntur, quia alter alterius concupiscentiam impedit. Ideo hanc uelut immundiciam totalem & capitalem abijciendam docet. *Concupiscentia immundicia dicitur.*

Maliciam autem ipsam iram dicit, quæ & ipsa est abundantia & superfluitas quædam spiritus, sicut fœda corporis superflua sunt, Q. d. Stercus & superfluitatem maliciæ, id est, maliciam, quæ stercus & obscœnum est animæ, abijcite, & nolite fouere. *Ira dicitur malicia.*

Hoc autem fit, si uelox sit quisque audire, tardus loqui. Irati enim sunt non tantum ueloces ad loquendum, & tardi ad audiendum, uerum etiam impotentes ad tacendum & audiendum, quia uelox ad iram, uelox etiam est ad loquendum, & econtra. Quare optimum remedium frangendi iram, est, ut homo sibi uim faciat & assuescat. Primum, tardus esse ad loquendum, quando fuerit iratus. Secundum, quod est perfectius, tardus ad iram, ut proponat in corde non uelle moueri ad iram, & uelle aliquando experiri, an possit tacere offensus. *Remedium frangendi iram.*

At excusant se quidam, Quod propter Deum & iusticiam irascuntur, & loquuntur, quibus occurrit, dicens: Ira uiri iusticiam Dei non operatur, impossibile est, ut Deo placitum faciat opus, qui iratus, & ex ira facit, cum sit Deus pacis & suauitatis, cui nullum turbulentum placet. Memorabilis sententia, quam multi nimis ignorant, qui contra iniusticias indignantur alienas, suas autem etiam palpant, & iactitant quandoque. *Ira iusticiam Dei non operatur.*

Iacob. 1. ITa & infra, Si quis uidetur religiosus esse inter uos, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius uana est religio. O magnum uerbum, quam multi sunt uerbosissimi, At etiam (de quibus hic proprie loquitur) amari, iracundi & asperrimi, & tamen uolunt religiosi & sancti uideri. Idem ergo est, quod religio linguosi uana est, quod ira uiri iusticiam Dei non operatur, ita ira facit per linguam religionem, & omnem *Religio linguosi uana.*

iusticiam uanam, id est, foris speciosam, sed intus uacuam, Ideo & seducit non alios, sed cor suum, putans se religiosum, cum non sit.

Iacob 3. Et capite 3. pericula linguæ & mala describens, ait: Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes, quoniam maius iudiciũ sumemus. Nolite, inquit, plures, id est, nolite omnes uelle docere, & prompti esse ad loquendum ac docendum, & tardi ad audiendum, sed quilibet optet se Discipulum posse fieri, & alteri cedat magisterium sui. Ne fiat turbulentissima dissensio, ut ubi plures sint qui doceant, nulli qui audiant, & quilibet contra alium, omnia repleant dissensionibus, sicut fecerunt hæretici in Ecclesia. Magistros fieri non est malum, sed quod multi uolunt fieri, id est, quod uolunt esse diuersi, neuter neutri audiens, hoc est, quod maius iudicium sumunt. Et hoc dissuadet tali periculo, quia etiam absq; illo maiori iudicio, quod tales accipient, iam satis offendimus, Non est necesse occasionem peccati quærere, & maioris iudicij accipiendi. Quia

Nolite plures Magistri fieri.

In multis offendimus omnes.

In multis enim offendimus omnes. Omnes tales sumus, quod offendimus, & hoc non tantum in uerbo, sed in multis, scilicet oculis, auribus, manibus, ac omnibus sensibus, deinde cogitationibus. Et istæ offensiones debent nobis sufficere, ne & maioribus nos offeramus. Deinde hoc etiam persuadet, ne alter alterum superbe præsumat docere, quasi ipse non offendat in ullo, Q. d. Vt quid aspere uos inuicem reprehenditis, & unusquisq; alterius magistri fieri nititur? An ignoratis, quod omnes, nullo excepto, offendimus, non in uno tantum, sed in multis?

In uerbo non offendit.

Quod si quis in paucis uel in opere non offendit, quid de uerbo sentiet? Si quis in uerbo non offendit, hic perfectus est uir. Q. d. Hic se perfectum iactet & non antequam, etiam in uerbo non offendit, Q. d. Talis nullus erit inter uos, quia in multis offendimus omnes, multo magis & in uerbo, ut quid ergo contra inuicem superbitis & eleuamini, ac non potius in mansuetudine inuicem monetis & portatis? Hic, inquam, perfectus uir, potest etiam freno circundare totum corpus, id est, si potest linguam domare, potest etiam totum corpus suum a peccato custodire, quia, qui non peccat in lingua, sine dubio & alia membra iam domita & obedientia habet sub freno.

3. Similitudines Iacob. I.

DEinde tres proponit Similitudines, a quarum una iam cœperat. Ecce equis frena in ora mittimus, ad consentiendum nobis, & totum corpus eorum circumferimus. Ecce naues, cum tantæ sint, & a uentis ualidis minentur, circumferuntur autem a modico gubernaculo quo impetus dirigentis uoluerit, Ita lingua modicum membrum est, & magna exaltat seu iactat.

II.

Q. d. Equos frenare & dirigere possumus, & naues, imo, ut infra, & bestias. Lingua autem contra, cum sit modicum membum, debuit maxime posse comprimi & dirigi. At ipsa magna potius iactat ac mouet, quæ alias reguntur bene, mouet & iactat omnia, sicut uentus naues, recte contrario gubernaculo, quod frenat naues, similis est in quantitate clauo nauium, & in effectu tamen contraria, similis potius uentis & turbinibus.

III.

Lingua ignis.

Ecce quantulus ignis, quantam syluam, id est, fit, ut paruulus ignis magnam materiam succendat, totam scilicet syluam. Et lingua ignis, est uniuersitas iniquitatis. Græce, mundus iniusticiæ, Q. d. tot parat iniusticias, ut quasi mundus putari possit, quia ignis est, & multa incendit.

Istis omni-

ISTis omnibus & sequentibus uerbis id agit, ut nos moneat & doceat, quia maximus hostis noster est lingua propria, atq; ab ea non minus cauendum, quam ab inimico maximo, & quo est minor, eo nocentior, minor in re, sed maximus in uirtute. Nihil enim facilius lædit conscientiam quam lingua, ideo enim & in monasterijs silentium instituitur, licet contra illud diabolus Logicam quoq; illuc introduxerit, garrulitatis garrulosissimā magistram. *Lingua maximus hostis noster.*

Eadem causa, ut uelocitatem locutionis compesceret Dominus, minatur de quolibet ocioso uerbo rationem reddendam, Dura, sed necessaria sententia aduersus tam lubricam pestem, ac præsentissimum uenenum. *Verbum ociosum.* *Matt. 12.*

Item, Id & Philosophi uiderunt, quod homini ideo sunt duæ aures datæ, sed una tantum lingua, atq; aures ipsæ non tantum patulæ, ac apertæ foris, sed etiam auriculis circumamicientibus, ut facilius audiat, deniq; tortuosæ & uerbo quodammodo obiectæ, ne facile uerbum præteruolet. Lingua autem non tantum clausa & latens, uerum etiam osseo muro circumclusa, scilicet, dentibus. Deinde uallum carneum, id est, labia, præter hoc, quod tantum à pulmone distat & corde, tot requirat instrumenta, cum aures nullo indigeant, adhuc ipsa uelocior est omnibus sensibus. *Vna lingua, duæ aures, homini datæ*

Ecce, quinque sensus uelut quinque naues natant in rebus istis corporalibus, & inferunt in memoriam res innumerabiles, scilicet uisu, auditu, tactu, olfactu, gustu, Nec tamen tot inferre possunt, quin illa plus efferat, Sæpissime loquens coniecturas, suspitiones, opiniones, somnia temeraria, friuole ficta, quæ nec sunt, fuerunt, nec erunt. *Quinq; sensus, instar quinque nauium.*

Item, inde secunda statim plaga Aegypti fuit, ranarum immissio, quæ linguacitatem significant sterilem. Quia prima fuit sanguis, significans, q quando homo fit caro & sanguis, totus fit lingua, & non nisi uana loquitur, & quo uanior est, eo plus uult loqui. Atq; fideli signo, uanum hominem per hoc cognoscas, si fuerit multiloquus, & econtra. Quo fuerit homo solidior & grauior, hoc signo cognosces, Si fuerit parcus in uerbis, largus in opere, nam tales fastidiunt loqui, nisi dum obedientia, aut necessitate coguntur, ut Psal. 39. Obmutui & silui à bonis, sicut enim eos tædet uitæ suæ, ita & loquelæ. *Secunda plaga Aegypti, ranarum immissio.* *Psal. 39.*

Econtra, In multiloquio non deerit peccatum. Et ibidem: Vbi plurima sunt uerba, ibi frequenter egestas. Hiob 4. Nunquid qui multa loquitur, poterit iustificari? Et Psal. 140. Vir linguosus nō dirigetur in terra. Sed hæc maxime sunt mala, dum ira magistra loquitur. Vnde Aesopus dicitur linguas emisse, cum iussus fuisset optimas carnes, & postmodum pessimas emere. *Multiloquium.* *Hiob 4.* *Psal. 140* *AEsopus.*

Quin multi timore infamiæ sibi mortem consciuerunt, & Poetæ dicunt, Lycamben uersibus iambicis Archilochi adactum ad laqueum, Quod si quis adhuc dubitat, interroget eum, qui amaram habet mulierem ac litigiosam & uerbosam. *Lycambe amara mulier.*

Deniq; quod bestijs dentes, ungulæ, rostra, cornua, aculei, uenenum, aut quæcunq; arma, imo quod malis bestijs tam uaria uasa & arma, hoc lingua est hominibus. Vnde Psal. 57. Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ. Item Psal. 75. Nolite extollere in altum cornu uestrum &c. Vnde arcus, gladius. Recte itaq; mundus iniquitatis, & modicus ignis, magnam syluam succendens. *Psal. 57.* *Psal. 75.* *Mundus iniquitatis*

Et sequitur.

Sic lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, Q. d. Nonne est mirum, quod illud maculat, & totum corpus maculat, quod adeo non est extra nos, imo adeo intra nos, ut sit inter propria

Lingua. membra? Monstri hoc simillimum, quod membrum non tantum membro, sed toti corpori officiat, cum se mutua membra sollicitudine foueant. Hæc sola inter ea maculat totum corpus, id est, reum facit peccatorum, ut propter ipsam totus homo sit odiosus Deo & hominibus, quia adeo infamis & abominabilis est linguosus, ut etiamsi toto corpore sit formosus, aptus, diues, nihil tamen in eo non uelut fœdum fugitur ab hominibus. *Loquax.* Quis enim libenter cum loquacibus ac garrulis conuersatur? ac non potius abhorret ac nauseat & dicit: **Ey wie wesschig ist der.**

Et inflammat rotam natiuitatis nostræ, & inflammatur a gehenna. *Iacob. 3.* Videtur Apostolus natiuitatem intelligere, id quod nati sumus, ut sup. cap. 1. Similis est uiro consideranti uultum natiuitatis suæ in speculo. Et iterum: Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut essemus aliquid creaturæ eius. *Rota natiuitatis.* Igitur natiuitas, generatio seu creatio ac creatura, in quam nati, producti, creati sumus, Ergo rota natiuitatis dicitur, tota essentia, & quicquid creati sumus, sicut totum corpus. Et hanc rotam natiuitatis, totumque circulum nostræ essentiæ, seu eius quod sumus, hoc ipsa inflammat. Ignis scilicet est & uniuersitas iniquitatis, ideo succendit non partem nostri, sed totum quod sumus ac uiuimus. Nam forte etiam ideo rotam appellauit, non tantum propter totale esse, sed etiam totale uiuere & operari in hoc tempore. Vita enim nostra rota uolubilis est.

Addit autem: Inflammata à gehenna, ne bona flamma hic inflammare intelligatur, quia ipsa infernali igne accensa, id est, odio & ira, totum quod sumus accendit ira & odio, dum prouocat & permouet ira, ut patet in iratis, qui intus & foris tremunt & feruent.

IIII. Similitudo. Omnis enim natura bestiarum, & uolucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt a natura, Linguam autem nullus hominum domare potest. Vide, quantis uerbis & sensibus linguam incessat, ut eam igni inferno similem, ac feris feriorem, ponat, Quis à seipso non timeat, qui nocentiorem & feriorem bestiam apud se habet, quam totus mundus? quis non odiat linguam suam? quis non uereatur loqui? qui tantis nominibus fœdari audiat suam linguam.

Sequitur.

Inquietum malum. Plena ueneno mortis. Inquietum malum, plena ueneno mortifero. Parum est, quod sit inquieta, quod per se malum est, sed inquietum malum, id est, semper nocens, neque à nocendo quiescens. Deinde plena ueneno mortis, id est, quod occidit, non tantum inficit, hoc est, præsenti ueneno, non lento aut tardo. *Venenum est susurronum.* Hoc sane patet, quam profunde penetret susurronum uenenum, quod illis, quos intoxicarint aduersus inuicem, uix tota uita remedium prouideri potest, ubi usque ad medullam processit inuidia & odium. Sæpius cum odio moriuntur potius quam concilientur. Emphaticῶs itaque & Epitaticῶs dicit, Veneno non infectorio, sed mortifero.

In ipsa benedicimus Deum & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad imaginem & similitudinem Dei facti sunt. Q. d. Non potest simul utrumque facere, nisi ficte, ideo ne se quisquam fallat, quod Deo benedicit, si hominem maledicit, nec Deum benedicit, cuius homo factura est. Quis enim picturam ac statuam reprehendere ac maledicere potest, ut maledictio eiusmodi non redundet in pictorem & artificem? Sic *Iere. 15.* Iere. 15. de ijs, qui operibus Domini maledicunt, dicit: Omnes maledicunt mihi. *Esa. 8.* Et Esa. 8. Cum esurierit, irascetur, & maledicet Deo & regi suo.

Inde

Exod. 22. Inde præcipue in Lege prohibitum fuit & est: Dijs tuis non detrahes, &
1. Cor. 6. Principi populi tui ne maledicas. Et Apostolus: Maledici regnum Dei non possidebunt.

Quod si homines id attenderent, quod maledicendo hominibus, Deo quoq; maledicunt, cuius opus & facturam maledicunt, utiq; non ita promi pti essent maledicere. Sicut Prouer. 14. Qui calumniatur egenum, exprobrat Factori eius. Quid enim facit, qui maledicit, nisi quod dicit: Vah, quod non aliud & aliter formatum, cui potius deberet misereri, & dicere orando: O Domine, fac eum alium, Sicut artificem licet monere & orare, non maledicere, ut ibidem 14. Prouerb. Honorat autem eum, scilicet Factorem eius, qui miseretur pauperis. *Maledicens homini, Deo maledicit.* *Prou. 14.*

1. Pet. 3. *Matt. 5.* *Rom. 12.* Quod si B. Petrus prohibet, ne maledictum pro maledicto, nec malum pro malo reddatur, similiter & Christus: Orate pro calumniantibus & persequentibus uos. Et Paulus Rom. 12. Benedicite maledicentibus uobis, benedicite & nolite maledicere. Quid illis fiet, qui maledicunt non maledicentibus? Ideo Psal. 34. Prohibe linguam tuam á malo, & labia tua non loquantur dolum, Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem & persequere eam, Id est, à malo, non tantum ferendo, sed etiam referendo seu reddendo, Et bonum non tantum reddendo, sed etiam conferendo pro malo accepto, alioqui non inquiritur pax, aut persequitur, si malum malo reddas. *Non maledicendum maledicentibus.* *Psal. 34.*

Iste ergo gradus est secundus, à Domino prohibitus, ne quis maledicat, uituperet, detrahat proximo suo. Et sicut in primo gradu, plures sunt rei, quam credant, ita & in isto. Nam tria maxima uitia linguæ hoc Præcepto prohibentur, scilicet, maledictio, detractio, susurratio, sed istud tertium in primo gradu. Ac per hoc uniuersa mala linguæ prohibentur per 3. & 5. & 6. & 7. mandatum, per 3. periuria & blasphemiæ, ac aliæ offensiones contra Deum quæcunq;, Sed per 5. offensiones erga proximum, per 6. uerba impudicitiæ, per 7. uerba deceptionis & fraudis, in negocijs seu iudicijs, nam & in ipso 7. etiam detractio est, sed publica, aut coram iudice, Hic autem alia. *Tria uitia linguæ, maledictio, detractio, susurratio.*

Igitur maledictio & detractio & susurratio sic differunt, quod maledictio est in ipsum præsentem, uel tanquam in præsentem & in faciem, sub qua omnia contumeliæ, blasphemiæ, criminationis, uituperij, agnominationis uitia comprehenduntur. *Maledictio.*

Detractio est de absente ipso ad alium, & sequitur maledictionem, quia ubi mala in aliquem, uel foris præsentem, uel intus memoriæ obiectum congesserit, & hoc ad alium detulerit, iam maledictio facta est detractio, quare nullus est detractor, quin sit & maledicus, saltem apud se. Et hæc duo pulchre expressit uersus, Prohibe linguam tuam á malo (id est, ne ulli maledicas, siue uoce, siue tacito murmure) Et labia tua, ne loquantur dolum (id est, detrahere caue) Nam dolus est, si quis in tergum loquitur, nesciente illo, cui nocet. Non autem econtra, omnis maledicus etiam detractor est, saltem hominis eiusdem, licet detrahat Deo, quando maledicit hominem. *Detractio.* *Psal. 34.*

Quod si ulterius detulerit mala duorum contra inuicem, uel unius ad alterum, tanquam alterius amicus, & alterius inimicus, iam bilinguis susurro est, & discordiæ seminator, peior istis duobus, ideo extra istum gradum in primo cum homicidijs collocandus. *Susurro, homicida.*

Concludamus itaque hunc.

Sicut primum gradum huius Præcepti non implet, nisi qui non tantum non occidit aut lædit, aut non discordias seminat (quia & omittendo potest committere) sed etiam ita mitis sit, ut potius uiuificet ac

foueat operibus misericordiæ & beneuolentiæ. Et ita pacificus, ut mitibus ac dulcibus uerbis etiam cōciliare studeat discordes, quantum potest, & mediare, ne fiant discordes. Hi enim audient: Beati mites, Beati misericordes, Beati pacifici, quoniam ipsi possidebunt terram, misericordiam consequentur, filij Dei uocabuntur. Ecce istæ tres beatitudines in isto Præcepto sunt comprehensæ.

Beati misericordes. Matth. 5.

Grad. 2.

Ita secundum gradum non implet, nisi non tantum non maledicat, detrahat aut uituperet, sed etiam in omnibus benedicat persequentibus, & excuset accusatos, oret pro omnibus, & resistat detractoribus, quantum potest. Ecce hæc est spiritualis intelligentia huius Præcepti. Nunc similiter de tertio gradu.

Spiritualis intelligentia 5. præcepti

Tertius gradus iræ.

Racha 3. gradus iræ.

EST dicere fratri suo Racha, quod Ebraicum est, Rak, idem quod inanum, aut uanum, aut nihil. In quo dixi omnia signa iræ præter uerba, imo & uerba præter maledicta & detractationes comprehendi, ut sunt ironiæ in uerbis, torsiones labrorum, rugæ frontis ac nasi, ac excandescentia uultus, Deinde silentium, auersio uultus, dirus intuitus, quæ omnia sunt indicia animi irati & odio pleni. Adde clamorem, & stridorem dentium etc.

Signa rancoris.

Hic aliqui dicunt, quod necesse quidem est, rancorem dimittere, sed nō signa rancoris, Quæ sententia & si sit in aliquibus uera, non tamen uniuersaliter, & multo melius sic poneretur. Signa rancoris aliquando utile est exhibere, non quod sint signa rancoris, sed similia signis rancoris, Alioqui signa uere rancoris non sunt, aut nullo modo retinenda sunt, si uere sint. Vnde adhuc optime diceretur, quod signa charitatis aliquādo omittere, & signa iræ exhibere, oportet. Nam si signa rancoris licet non deponere, ergo propter aliquem fructum? Quare ergo non potius exhibenda? ne scilicet sola licentia quæratur omittendi bonum.

Exhibere itaq; melius est quam non dimittere, quia qui exhibet, non ex ira facit, sed ex zelo bono, ideo manet sine suspicione mali, Qui uero non omittit, prius arguitur ex ira fecisse talia signa. Et ideo si non deponat illa, relinquit fratrem in suspicione iræ, ac per hoc impedit ueram & integram pacem ac concordiam, cum ille non credat cor eius esse mitigatum, & offenditur rursus ad similia.

Quod tibi uis fieri etc.

Quare tales Doctores sunt mittendi ad illud Præceptum naturale: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris. Et: Quod tibi fieri uis, alteri facias. Et gentilis: Si uis amari, ama. Sed non est dubium, quin omnes uelint, ut ille, quem offensum & iratum habuimus, non tantum signa ponat iræ, sed eo magis contraria exhibeat, ut certi fiant de eo. Ideo largiora petuntur signa, quam si non fuisset offensus. Sic enim & Deus largius benefecit post peccatum humano generi, quam ante peccatum fecit, eo quod Filio proprio non pepercit &c. Quod si signa tanta omisisset, quis eum propicium factum credere posset, aut auderet? Filij ergo Dei, Deum patrem suum imitentur. Rom. 8.

Signa rancoris & iræ ponere difficillimum.

Istis autem dictis docemur, quam sit difficile mandatum Dei seruare, nam experientia patet, quam difficile sit hominibus hæc signa mala ponere, & bona ostendere; quam se uertunt & reuertunt antequam induci possint, ut simulate saltem faciant. Nam uere & ex corde nunquam nisi gratia Dei adiuti, facient, Dicunt enim: Non possum tibi fauere, amicabilis esse, Et infœlices non cogitant, quod nollent ipsis ita fieri, neq; à Deo, neq; ab hominibus. Ideo uidetur in hoc monstro, quid sit futurus infernus, & quid sit præsens mundus; scilicet regnum Diaboli, in quo tantum malum inuenitur in hominibus, contra naturam & naturale proprium dictamen pertinaciter obdurans.

Hic mundus regnū Diaboli.

Quocirca

Quocirca ira & inuidia differunt non aliter, quam sicut uinum nouum, & uinum uetus, nam inuidia seu odium est inueterata ira, ut B. Augustinus in Regula: Ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca. Nam ira quæ cito transit, & non fit odium, uix ira dicenda est, nam statim traditur obliuioni. Sed inueterata, fit tenacissimum malum, quia spirituale malum, adeo ut Prouerbium fit: Nihil tardius obliuisci quam iniuriam, & nihil citius abolescere, quam beneficium. Vtrumque fit uicio naturalis prauitatis, cum contra fieri debeat, Nam bona natura hominis in hoc notatur, si cito obliuiscitur offensam, & beneficium semper memoratur, adeò ut non sinat sibi libenter benefieri, cernens quod obruitur multitudine debitarum gratiarum actionum, & uicissitudinis sibi impossibilis. At contra mala naturæ ingenium semper retinere offensam, semper exprobrare & obijcere diu præterita.

Ira & inuidia differunt. Ira cito transiens. Prouerbiũ. Bona hominis naturæ.

Igitur Exemplis demus, quando licet signa ostendere iræ seu asperitatis, ut si quis ita pertinaciter malus sit, ut semel & bis aut tertio, monitus nolit desistere, non solum licet, sed oportet signa iræ in illum ostendere. Vnde 1. Corinth. 5. Si is, qui nominatur frater inter uos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax. Et 2. Thessa. 3. Si quis non obedierit uerbo nostro, notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur, Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Ecce non ut inimicus, sed ut frater emendandus est. Ista est ira sancta & bona, in Scripturis uehementer laudata, Ideo distinguendum est.

Quando liceat iræ signa ostendere. 1. Cor. 5. 2. Thes. 3. Ira sancta et bona.

Primo, ut moneatur secundum illud Christi: Si peccauit in te frater tuus, alioqui prima uice non est abijciendus, sed monendus. Si enim septuagies septies ueniam petierit, non est ei neganda.

Moneatur.

Secundo, Discerne, utrum ideo sic facis, quia te læsit, uel quia peccatum fecit. Si enim Deum plus diligis, quam teipsum, debes irasci magis, quod Deum læsit, quam te. Deinde æque misereri, quod seipsum peius læsit intus, quam te foris. Quibus respectibus factis, facile doceberis, quomodo & quo corde ei signa charitatis neges, uel non neges. Sed ne te fallat cor tuum, & dicas: Ita facio: Propter Deum irascor, & non propter me, & forte mentiaris, Hoc etiam proba apud te, & uide, si tantum doles & moueris, quod uel si alium læderet, quantum quia te lædit, Si enim illic non moueris, signum est, quod teipsum quæris & uindicas, non autem mederis.

An propter te? An propter peccatum?

Et quid moror? Frustra est disputatio: An signa rancoris sint ponenda, quia prorsus sunt ponenda. Si autem est causa, quare sint ostendenda, hic penitus irascendum ex corde est, non tantum signa exhibenda. Signa rancoris si sunt rancoris, prorsus sunt omittenda. Si autem non signa rancoris, & dignum est, pro emendatione fratris, ea ostendere, etiam ira perfecta est addenda, ut uideat, quod ex corde ostenduntur sibi, & ex qua causa. Et non sic incedas tacens & simulans, ut frater nesciat, quomodo tecum habeat, Mala est talis doctrina, & penitus contra charitatem, docet enim simulationem.

Signa rãcoris prorsus sunt ponenda.

Sed longa & multa sunt præcepta, quæ omnia cito uideret & faceret charitas, quæ si desit, nihil est, quod satis doceri potest, Ipsa enim docet, quomodo homo ipse uult diligi, foueri, sustineri, benefieri, nihil sibi simulari, Ita & idem docet proximo exhibere. Non enim amicus fraudulenter debet incedere, ut B. Hieronymus: Vera amicitia impatiens est simulationis. Si est rancor, ostende, Si non est, iterum ostende, & hoc uel signis clementiæ uel sæueritatis.

Charitas. Hierony. dictum.

COROLLARIVM.

Patet

Patet quod nec iste gradus seruatur, nisi quis studeat non tantum omittere signa, sed etiam ex benigno corde contraria signa ostendere. Ad omnem enim mititatem nos isto format Præcepto Deus, & uniuersam irascibilis uirtutis radicem extirpare intendit, ut non nisi dulcedo cordis ibi relinquatur, quod gratia operatur, non natura.

Sequitur quartus gradus.

4. gradus iræ, Corde irasci.

QVartus gradus, est irasci corde, Et hic est primus & omnium aliorum radix, Hunc enim ipsa Lex maxime tangit, quando dicit: Non occides. Cor enim mundum quærit, non tantummodo manum, ut Iudæorum hypocrisis, ut Psal. 24. Innocens manibus, & mundo corde. *Psal. 24.* Quare ferme omnes beatitudines Matth. 5. in isto Præcepto includuntur, ipsumq; exponunt. *Beatitudines Matth. 5.* Nam beati mites, beati misericordes, beati pacifici, beati patientes, beati mundo corde, hic manifeste includuntur. Quod si beati pauperes, beati esurientes iusticiam, beati lugentes, eos significat, qui se agnoscunt non implere hoc mandatum, & ideo lugere & cupere ac esurire, quis dubitet quin sint hic, aut saltem tales esse oportet, ut hoc Præceptum & quodlibet aliud impleant.

Igitur in hoc gradu sunt omnes cogitationes malæ cum ipsa radice earum, scilicet irascibili uirtute prona ad uindictam, ut sunt iræ, inuidiæ, suspiciones malæ, amaritudines, rancor &c. Et sicut hic est primus, ita habet pauciores species, quam proximus post eum. Nam homicidium in opere habet plurimas, ut homicidium, fratricidium, uxoricidium, parricidium, sacrilegium &c.

4. gradus 5. præcepti.

Ac per hoc patet, quomodo in isto Præcepto sunt quatuor gradus, & in singulis gradibus adhuc multi gradus, Et ideo nullus est in hac uita, qui non sit in aliquo illorum. Beatus autem qui in supremis, infœlix qui in infimis. Nam mititas est cœlum, ira est infernus, medium autem ex utroq; est hic mundus. *Cœlum. Mundus. Inferi.* Ergo illuc ascenderunt tribus, tribus Domini, hic descenderunt in lacum & infernum uiuentes, quanto propius mititati, tanto & ipsi cœlo, & econtra. *Psal. 122.*

Quare non satis est pro hoc quarto gradu, esse non irascentem fratri, nisi simus etiam mitissimi in eum affectus & suauissimi cordis. Quod cum non simus, ad gratiam Christi fugiendum est, ut de sua plenitudine nostrum suppleat interim defectum, donec & ipsi perficiamur.

PRAECEPTVM VI.
NON MOECHABERIS.

OBreuissimum uerbum, sed latissima sententia, ideo interpretatione opus habens, Quare Christum audiamus, qui Matth. 5. dicit: Audistis, quia dictum est antiquis: *Matth. 5.* Non mœchaberis. Ego autem dico uobis: Quicunq; uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

Breuiter ipse quoq; loquitur, quia relinquit ex præcedenti Præcepto eandem graduum fieri distinctionem, ponens eum tantummodo, qui est in corde. Quare & nos hic eosdem quatuor ponemus, scilicet in affectu, signo, uerbo, opere.

Adulter secundum iudæos.

Hoc enim Præceptum ideo exposuit Dominus, quia antiqui (id est, Iudæi) ipsum accipiebant secundum uim & rigorem uerbi, ac ita docebant, & irritum

& irritum faciebant hoc mandatum, sicut & omnia alia. Quod non esset adulter, nisi qui opere id impleisset, nihil de concupiscentia, signis, uerbis solliciti, ideo immundi facti sunt. Et in hac sententia sua ita steterunt, ut contra eos Ieremias diceret: Vnusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat, & facti sunt sicut equi emissarij. Nouis itaque, id est, nobis aliter dicit, ut omnis concupiscentia hic euacuetur. Iere. 5.

Dicit enim B. Augustinus hoc loco de sermo. Domi. in mon. quod nomine mœchantium, qui hoc cap. commemorantur, omnem carnalem & libidinosam concupiscentiam oportet intelligi. Augustinus.

PRimus itaque gradus est opus ipsum foris, quod sine dubio ex concupiscentia intus procedit, Vt ibidem probat B. Augustinus. Si autem omnis concupiscentia carnalis ibi prohibetur, ergo & omne opus, quod ex illa procedit. Idcirco ponuntur multæ differentiæ operum.

I. Fornicatio simplex, solutus cum soluta, à quo distinguunt alij. Fornicatio.

II. Meretricium, quod illa sit unius consuetudo mulieris, hoc autem in multis, uagus ardor libidinis. Meretricium.

III. Stuprum, quod est uiolatio uirginis. Stuprum.

IIII. Raptus, quod est, cum rapitur filia uel filius, in quo & furtum simul est, & maximum furtum. Raptus.

V. Adulterium, quod quandoque est simplex, quandoque duplex, secundum quod uel ambo fuerint coniugati, uel unus tantummodo. Adulterium.

VI. Incestus, est contra consanguinitatis honorem. Incestus.

VII. Sacrilegium, quod est, cum religiosus, sacerdos, monialis, & omnes alij, qui Deo continentiam fouerunt, fornicantur. Sacrilegium.

VIII. Excessum in matrimonio quidam addunt. Excessus.

Hi gradus in opere sic uariantur, & sunt inuicem excedentia & excessa, secundum quod circumstantiæ mutantur. Nam sic & in homicidio præcedenti Præcepto, prohibitæ sunt multæ operum differentiæ, ut dictum est, secundum differentes circumstantias. Circumstantiæ.

Quamuis autem omne præceptum Dei sit uelut lux, quo cognoscatur, quid sit homo, mundus, & caro, & quantum à Deo simus remoti, tamen hoc Præceptum præcipue illud ostendit, Apostolus enim dicit: Per Legem cognitio peccati, ergo Lex est lux, qua lucente uidemus innumerabilem miseriam humani generis. Roma. 3. Lex est lux.

Quis enim tam est lapis, ut si audiat hæc præcepta Dei, & illis eum illuminantibus, imo Mundum totum ostendentibus, si etiam attendere uelit, quam infinitus numerus hominum extra Præceptorum uitam agant, possit saltem à gemitu & lachrymis cõtinere? Si nulla alia esset causa, quare nunquam gaudere deberemus, sed semper lugere, hæc sola satis esset, si hominum uitam cum ipsis præceptis Dei ante oculos compararemus. Ibi enim uideremus, quomodo humanum genus sit miserrima perditionis massa, cum tam rari appareant, qui in præceptis Dei uiuant & agant, & præcipue in isto præcepto. Nonne horrendum est tot gradus operum esse, quibus contra hoc Præceptum agitur, & homines sine ullo timore in illa ruere ac perire? Et adhuc ridemus talia. Humanum genus miserrima perditionis massa.

Igitur uelut lucernam hoc Præceptum attendamus, & per ipsum infinitos casus hominum. Tunc uidebimus, quod mundus iste sit horrenda Lerna, & inferno proxima, & parum iusticiæ & ueritatis in eo. Imo Scriptura dicit quod omnis homo uanus & mendax sit, Quare uere infernus est in mundo. Psal. 39. & 116.

PRima itaque miseria hominum est simplex fornicatio, in qua peccant non tantum hi, qui faciunt, sed & qui fouent, auxiliantur, consiliantur, non resistunt, rident, copulant, mediant, ac maxime, qui occasionem dant. Simplex fornicatio

Fouent

Fouentes. Fouent autem, qui uel hospitantur in domibus suis, uel si Principes & Maiores ac Iudices non prohibent, sed permittunt. His nihil proderit, quod ipsi non fornicantur, dicetur enim eis: Si uidebas furem, currebas cum eo, & cum adulteris tuis portionem tuam ponebas. Hæc fecisti, & tacui. *Psal. 50.* Existimasti inique, quod similis ero tui, arguam te, & statuam contra faciem tuam. Et ista miseria, heu quanta pestilentia nunc regnat, ubi æquales ab æqualibus erudiuntur, ducuntur, perduntur tam inter iuuenes, uirgines &c.

Mediantes. Mediant, ut qui sunt internuncij & copulatrices, de quo uide pulchram Historiam distin. 5. c. 80. speculi Exemplorum. Hi autem proprium opus agunt diaboli, Nam quod diabolus non potest, nec posset per se, efficit per illas.

Non resistentes. Non resistunt autem, qui nec monent aut corripiunt secundum mandata Christi, neq; compatiuntur animæ eorum, nec pro eis orant, sicut decet Christianos. Insuper & recitant & rident, iocantes in perditione proximorum, cum, ut dixi, iste sit ut magnæ miseriæ status inspiciendus.

Occasionem dantes Occasionem autem dant, qui lubricis gestibus ac uerbis impudicis, aut exquisito ornatu irritant concupiscentias aliorum, maxime si id intentione *Cultus immodicus.* faciant. Nam cultus ille immoderatus semper est causa, licet per accidens, concupiscentiæ, ut in choreis, plateis, conuiuijs &c. Væ autem illis, qui impudicis uerbis innocentium corda uulnerant, ut nunc horrendus mos est, in hospitijs publicis, negociatoribus conuenientibus. Non est, ut aiunt, necesse pediculos in pellicium seminare, qui sponte sua nascuntur.

Offensio. Nam caro nostra in primo peccato duplici uulnere est grauissime percussa. Primum est offensibilitas, alterum concupiscentia, quæ duo uulnera per præcepta nobis manifestantur, sed per gratiam sanantur. Sed peius est *Concupiscentia.* uulnus concupiscentia, quo minus dolet & affligit, sed delectabiliter mouet, Ideo à stultis non reputatur malum, cum sit duplo peius quam alterum, ita ut Scriptura dicat: Virtus eius in lumbis eius, & fortitudo in umbilico uentris eius, Ante enim peccatum nihil erat quod offendebat, nihil quod libebat. Nunc autem utrumque. *Hiob. 40.*

Quapropter Christianus homo debet hoc scire, quod quando sentit se ad iram moueri, uel ad concupiscentiam, non secus putet, quam si mortiferum uenenum sentiat, & ulcus pessimum, & gemat pro illo *Titillatio carnis.* ad Dominum, ut sanetur. Nam uerissimum est, quod hæc titillatio licet iucunda & suauis sit, tamen est ignitissimus serpentis antiqui morsus, horribilem conscientiæ paritura confusionem & amarissimam amaritudinem. Atq; per hoc mouetur ad gratiam quærendam, sicut habet figura Numeri ca. 21. quod morsi ab ignitis serpentibus, ad æneum Serpentem suspicientes, sanabantur. Ita & titillatus carne ad Christum crucifixum debet respicere. *Nume. 21.*

Nam hinc redditur ratio, cur Dominus non contentus, quod per seipsum homo pronus ad malum, adhibet tentatorem & impulsorem Diabolum, scilicet, ut quia homo negligens est in quærenda sanitate sua apud Deum, ideo urget eum tentationibus, ut cogat eum quærere misericordiam & gratiam Dei.

Secundo etiam ideo, ne forte in donis sibi datis extollatur. Sic Apo-*Paulus.* stolo Paulo, sic S. Hieronymo fecit, Sic multis alijs usq; ad mortem. Vide *Hieronymus.* in speculo Exemplorum. Litera, Tentatio:

Sunt autem alij, qui uehementissime rapiuntur hoc malo, Alij uero mi-*Nullus sine gratia Dei continet.* tius, alij modico. Nullus tamen sine gratia Dei continet, Vt Sapien. 8. Et ut sciui, quia aliter non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia scire, cuius esset hoc donum, adij Dominum &c. Ecce quomo *Oratio remedium contra libidinem.* do à morbo isto per orationem curationem quæri oportet, & magna sapientia est, agnoscere hoc malum suum & remedij locum. *Sapien. 8.*

Sic & B.

Sic & B. Chrysantus martyr dicit: Errat, qui se suis uiribus putat castitatem obtinere posse. Vnde B. Augustinus li. 1. de sermo. Do. in mon. Quisquis carnalem delectationem aduersus rectam uoluntatem suam rebellare sentit, per consuetudinem peccatorum, cuius indomitæ uiolentia rapitur in captiuitatem, recolat quantum potest, quantam, qualemq; pacem peccando amiserit, & exclamat: Infœlix ego homo, quis me liberabit de morte corporis huius? Gratia Dei per Ihesum Christum Dominum nostrum. Ita enim cum sese infœlicem exclamet, lugendo implorat consolatoris auxiliũ, nec paruus est ad beatitudinem accessus, cognitio infœlicitatis suæ.

Chrysantus martyr

Augustini præclara sententia.

Rom. 7.

Aurea hæc sententia. Non enim dicit, quod ridere, placere, gaudere, debeat in titillatione, sed lugere, quia uenenum mortis in se sentit. Deinde ubi sunt, qui liberum arbitrium iactant? cur non cessant statim ut uolunt? imo cur non uolunt nec possunt uelle? Cur S. Hieronymus & Paulus non potuerunt cessare à stimulo carnis? Si enim uoluissent, utiq; factum fuisset, sed non potuerunt etiam satis uelle, ideo contra suum uelle uolebant. Eadem ratio est & de ira, cur enim non mox quiescunt, qui irascuntur, si possunt, imo si uolunt? Sed neq; possunt, neq; uolunt, eo quod uoluntas eorum iam alio est rapta & captiua ducta.

In iactatores liberi arbitrij.

Stimulus carnis.

Ira.

Tertio consolatorium est, Quod qui lugent hic, consolabuntur. Sic enim sapientissima Dei misericordia nos mirabiliter deducit, dum ex ueneno ipsum uenenum expellit, & de ipsa luxuria nobis efficit emplastrũ castitatis, dum ideo illam sinit irruere, ut homo eam sentiens gemat, lugeat, gratiam quærat, & sic eo maiorem affectum castitatis acquirat, tanto enim castior est, non quo quietior, sed quo dolentior se castum non esse posse, ut uult. Atq; ex hinc, licet hæc omnia ad quartum gradum infra pertineant, tamen ne excidant, occasione data accipimus, quod consolandi sunt, qui sentiunt sese uexari talibus stimulis, ut non stulta opinione statim datis manibus sese tradant desperationi, quasi non sit castus, qui æstuat medullis & cogitationibus.

Beati qui lugẽt etc. Consolatio pro his, qui flammas libidinis sentiunt.

Periculosissima est hæc cogitatio, & in omne peccatum operis inclinatissima, propter desperationem. Sic enim iuuenis prius cogitationes carnis non expertus, cum credat, castum esse non posse, nisi nullas habeat, statim dicit: Quid differo opus, unum est si & facio, quia amissa tamen est in corde castitas. Non sic ò miser, non sic, non est perdita castitas cogitationibus talibus. Imo nunquam castior fuisti, si tamen sentis te inuitum illas habere. Nam castitas, sicut & omnis alia uirtus uiua, ita est abscondita, ut non possit cognosci ab eo, qui habet, sed à solo Deo. Abscondit enim Deus omnẽ uitam Sanctorum ita profunde, ut ipsi eam scire non possint, secundum illud Psal. 1. Quoniam nouit Dominus uiam iustorum.

Castitas.

Omnes uirtutes sunt absconditæ.

Vita Sanctorum abscondita.

Igitur sicut uiua & uera gloria iusti, est in ignominia, uera sapientia in stulticia, uera quies in tribulatione, uerum gaudium in luctu, uera libertas in captiuitate, ueræ diuitiæ in paupertate, Ita & uera castitas est in luxuria, & quo fœdior luxuria, tanto speciosior castitas. Heu quod hæc sapientia incognita hominibus est, quantum damnum facit.

Vera castitas.

Nota bene.

Verum autem signum uiuæ castitatis est hæc, si se sentiat homo habere displicentiam in præsenti, non quod tota sit displicentia, tunc enim non staret titillatio, sed mixta, nunc uult, nunc non uult, nunc infra, nunc supra, ita quod sicut rota, uoluitur cogitationibus in luto, & tamen manet propositum castitatis. Nam nisi esset ibi castitas uiua & uera, non persisteret, nec resisteret, sed libere daret habenas cogitationibus, & non sentiret molestiam, quia enim uult & delectatur in cogitationibus, & tamen simul sentit

Verum signum castitatis.

se nolle, fiunt ei mixtim dulces & amaræ, & per hoc molestæ, cum in neutram partem liberum sibi sit ire, sed medio rotatur statu.

Spiritualis homo. Spiritualis enim ille homo, id est, affectus castitatis, ipse manet & seruat castitatem, licet exterior in membris & corde miras excitet procellas. *Castitatis pugna.* Ideo in castitatis pugna non secus agitur, quam si nauicula in mari iactetur fluctibus, dormiente Christo in illa. Curandum est ergo solum, ut ipse suscitetur, & imperet mari (id est, carni) & uento (id est, diabolo.)

Sacerdotum tentationes. Immittit enim & sacerdotibus sæpe tales immundicias, ut retrahat ab altari. Qui est despiciendus, non solum in nudis obiectis turpibus cogitatis, sed etiam si inclinet uoluntatem in illa, & suscitet malos motus, imo eo magis ad sacramentum est currendum pro gratia & auxilio. *Dæmon contemnendus.* At nunc multos noui, qui non accedere uoluerunt, nisi non solum quieti essent ab inclinationibus, sed etiam ab ipsis obiectis turpibus, Nimis stulti obsequutores diabolicæ fraudis & nequitiæ.

Igitur sic utitur Dei misericordia & bonitas malo nostro, ut per ipsum magis promoueat bonum nostrum, ut omnia cooperentur Electis in bonum, etiam peccata, hoc totum, ut uitam & gratiam, quæ in nobis est, abscondat ac tegat, ne cognitis contenti tepeamus, sed potius ignoratis eis, tanquam pro non habitis magis suspiremus & gemamus. *Rom. 8.* *Electis cooperantur in bonum etiam peccata.*

Virtutes tunc adsunt maxime, cum abesse putantur. Quo autem modo dictum est de castitate, ita & de omnibus uirtutibus, quæ tunc maxime donantur, quando denegantur, & tunc adsunt, quando nimis abesse putantur, neq; aliter tunc potest homo credere, quin absint & sit perditus. Inde procedit gemitus, odium sui, desiderium earum, & imploratio. Tunc humilibus dat Deus suam gratiam, quam postea iterum abscondit & aufert, ut addat maiorem. *1. Pet. 5.* Semper sub contrario abscondens contrarium. Ideo hæc est sapientia, quæ trahitur ex occultis, & est in absconditis.

Castitas nō expers tentationū optima. Hæc autem castitas aurea est, respectu eius, quæ sine malis cogitationibus est, sicut patientia & mititas, extra irritamenta qualis est? Nam etiam bestiarum hæc est mititas & saltem gentium. Ita & castitas, quæ est sine luxuria & cogitationibus in quiete, etiam meretricum est & lenonum pessimorum, quia tunc casti sunt, quando caro expleta quiescit. Cæterum hæc quies futuræ uitæ est. *Superbia.* Quare castitas est periculosa ad superbiam, dum patet (id est, est quieta) sed est etiam periculosa ad luxuriam, dum latet (id est, est tentata) dum utrobiq; periculum, sed superbiæ magis, quam luxuriæ.

Igitur utrumque fit.

Concupiscentia. Præceptum non impletur spiritualiter, dum adhuc concupiscentia in nobis est, qua fit, ut de castitate præsumere ac præcepti impletione nullus omnino possit, sed tantum accusare sese & confiteri peccatum suum.

Spiritus. Rursus eo impletur, quod spiritus odit hanc concupiscentiam, ideo ipse est purissimus ab ea, & uere impletor Præcepti, quia consentit per omnia Legi, eamq; approbat & diligit, dum suam miseriam odit.

Scortatio. Alij uero luxuriosi, non abscondunt suam castitatem, sed extinguunt potius, Nihil est ergo, quod glorientur sese non nosse castitatem suam, non huc pertinent.

SEcunda est meretricium, quod est magnum malum, ubi libido transit in habitum & consuetudinem, qui difficilime curantur. Nam Scriptura dicit: Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. *Psal. 137.* Qui autem paruulos suos sinit crescere, in magnos gigantes inueterascere & confortari, quomodo tunc allidet, & non potius allidetur?

Parentum cura pro liberis. Et hanc nobilissimam spiritus Sancti doctrinam deberent parentes filijs suis inculcare, ut non tantum ui cohercerentur, sed etiam uoluntate ducerentur ad castitatem.

Frustranea

Frustranea enim est pugna castitatis, nisi hæc Regula seruetur Spiritus sancti, scilicet, Petra est Christus, paruuli nostri sunt mali motus, mala desideria, quæ cum quis senserit, quid faciet? quomodo uincet? Audi, non aliter, nisi eos ad petram allidendo. Quomodo hoc? quia sicut, qui manu ad lapidem terit uermiculum, sic uoluntate & cogitatione tangendo Christum, statim conteritur mala cogitatio, Solum tenta, & uidebis, quam iucundum sit sic desideria conterere, statim enim ut cor passum Christum tangit, omne malum recedit.

Petra Christus, paruuli nostri mali motus. Psal. 137.

Sic figuratum fuit olim in Lege, Nume. 21. Quando à serpentibus ignescentibus percussi, per aspectum æneï serpentis in ligno pendentis, liberabantur. Porro ignescens serpens, est lubrica illa, molliterque reptans libido cogitata: fuge, fuge tam immanem colubrum, accendit enim & mire facit carnem prurire & ardere. Sic etiam Gene. 3. Ipsa conteret caput tuum (id est, initium & primum motum, fidelis anima conterit) alioqui grandis factus, aut totus illapsus inficit & interficit. O si in tempore libidinis mouentis, tantum possemus figuram reptantis uenenati Serpentis cogitare, & applicare mysterium, facile fugeremus cogitatione ad Christum.

Nume. 21. *Gene. 3.* *Ignitus serpens.* *AEneus serpens.*

TErtia species est Stuprum, quod est uirginis corruptio, quod olim in Lege mitius puniebatur, quam fornicatio aut meretricium, quia tenebatur eam dotare, aut in uxorem ducere. Verum nunc est uehementer magnum, quia tunc uirginitas summum erat opprobrium, nunc autem summa gloria, Tunc damnabile dedecus, nunc incomparabile decus, ijs saltem qui nõ proposuerunt nubere. Nam qui proponunt matrimonium, non habent actuale tantum dedecus, sed possunt habere, si ad uirginitatem animentur, de qua multi multa & magnifica scripserunt, quia uere nulli uirgini potest fieri restitutio. Sane tamen hoc intellige, quia uolenti non adeo tenetur, inuitæ autem non potest tolli, potest autem induci & sic tolli.

Stuprum. *Virginitas.*

QVarta species est Raptus, hoc plectitur capite in Iure, qnod est non tantum uirginis, filiæ aut ancillæ, sed etiam uxoris, aut alius ad suam curam pertinentis, sed maximum est raptus uxoris. Fit autem raptus quandoque consentiente puella, puta inducta blandicijs, aliquando inuita, hoc maximum est. Sed leguntur multa Exempla, quibus non prospere cessit. Guarinus Veronensis de quadam Alda uirgine miserabilem casum elegiaco carmine composuit, quæ secuta raptorem, relictis parentibus, tandem ab eo in sylua constuprata & abiecta, cum puderet ad parentes reuerti, petijt gladio percuti ab eo. At ille sic fecit, & occidit eam. Hoc peccatum etiam furtum includit, & quidem grauissimum omnium.

Raptus. *Guarinus Veronensis.* *Alda.*

QVintum, Adulterium, quod est perplexissimum & grauissimum, quo ad pœnam, sed negligitur hodie nimis. Hoc uicium est causa multarum quæstionum de possessione: Vtrum filium spurium debeat marito prodere? Vide Angelum in Summa, tradentem Regulas, Sed quis audebit credere regulis, aut casum in terminis dare potest? uarij sunt animi uirorum, & aliter hodie, aliter forte post annum cogitabunt, etiamsi hoc anno patientiam haberent in uxore adulterium confitente.

Adulterium.

At certe amaritudine dignum est, quod uir corpus suum dedit, pro corpore mulieris, & alius utitur corpore, pro quo ipse suum proprium dedit, propter quod sedet in arce sua, propter quod omnia facit, patitur, denique seruum se fecit & alligauit ad multa, qui uxori sese alligauit. Et ecce alter hæc omnia contaminare audet, quis digne ferre possit? Vide etiam legem zelotypiæ

Lex zelotypiæ. Nume. 5.

zelotypiæ olim, qua nunc mulieres sunt leuatæ & exoneratæ, ideo eo gratius uiris suis adhærere deberent.

Incœstus. SExta, Incœstus, quod uulgo blutschande uocatur, quia ignominia consanguinitatis & propinquitatis est, cui eo maior debetur honor, quo propinquior. Nam & in Lege Dominus certos gradus prohibuit, Et quondam septem gradus erant prohibiti. *Gradus prohibiti.* Nam in Lege fere secundus tantum gradus prohibetur consanguinitatis & affinitatis, quia nondum erat gratia sanans concupiscentiam, sed regnabat Lex, irritans & augens eam.

Sacrilegium. SEptima, Sacrilegium est, ubi iam non tantum castitas polluitur, sed etiam quæ Deo soli fuit oblata, tollitur, & sanctum prophanatur. Verum hoc ex institutione Ecclesiæ magis, quam ex Deo est in sacerdotibus, Sed in religiosis grauissimum est, quia sponte sese consecrauerunt Domino, & sese subtrahunt rursum.

Excessus coniugū. OCtaua additur, Excessus coniugum, quod ut B. Ambrosius allegatur lib. 2. contra Iul. B. Augusti. Ardentior amator propriæ coniugis, adulter est. De quibus Apostolus 1. Thessa. 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione (hoc primum) Deinde, ut sciat unusquisq; uestrum, uas suum (coniugem suam) possidere in sanctificatione & honore, & nō in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant Deum. *1. Theß. 4.* Et 1. Pet. 3. Viri similiter secundum scientiam cohabitantes, infirmiori uasculo muliebri impartientes honorem &c. de quo satis supra. *1. Pet. 3.* Sed difficile est eis Regulam tradere, nisi quod uiciosum est ad omnem motum carnis, satisfacere libidini & concupiscentiæ, hoc est enim in passione desiderij esse. *Paßio desiderij.*

Sequuntur nunc tres aliæ species.

Mollicies. Zodomia. Bestialitas. MOllicies, qua quisque uigilando polluitur apud seipsum. Zodomia, qua uir uiro, mulier muliere, abutitur, uel etiam uir muliere, & mulier uiro, quæ omnia turpiora sunt, quam nominare liceat. Bestialitas, de quibus lege Leuit. 18. cætera ad confessionem pertinent. *Leuit. 18.*

Pollutiones nocturnæ. VLtra hæc sunt pollutiones nocturnæ, quæ de se non sunt peccatum, licet Lex Deu. 23. Si quis inter uos fuerit homo, qui nocturno pollutus sit somno, egredietur extra castra, & non reuertetur, priusquam ad uesperam lauetur aqua, & post solis occasum regredietur in castra. *Deut. 23.* *Allegoria.* Hoc est, mystice sic pollutus (licet & ipse aliud significet) debet abstinere à communione sanctorum, id est, Sacramento, donec sol (id est æstus & ardor relictus ex pollutione) sedatus fuerit, & sic lotus humili confessione accedere, Habet enim sæpius sui causam, quæ peccatum est, ut sunt crapula, ocium, sexus alterius conuersatio aut memoria.

Pollutiones diurnæ Denique sunt etiam pollutiones uigilantium & diurnæ, sed inuoluntariæ, quæ irruunt multis, dum longe aliud agunt, aut dum fricantur, equitant, uehuntur, id est, sine causa sua, quos Scriptura seminifluos uocat, ut Leui. 15. *Seminiflui.* *Leui. 15.*

Sequitur alter gradus mœchorum.

Mœchi in uerbis. QVi est in uerbis, ut quidam turpissime loquuntur de carnalibus peccatis, contra Apostolum Ephe. 5. Fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaricia, ne nominetur in uobis, sicut decet Sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio, Id est, ne sit fama, uos tales esse. *Ephe. 5.*

Tria

Tria posuit uicia linguæ secundum concupiscibilem scilicet turpitudinem, quæ est ipsa obscœnitas, impudicitia, & inuerecundia uerborum. In qua dupliciter peccatur. *Tria linguæ uicia.*

Primum ab ijs, qui de istis turpitudinibus uelut risum & consolationem inuicem sibi præstant, tanquam sit iucunda res, de qua loquuntur. Hic alius nihil aliud facit, quam ut ostendat, quam obscænus & ipse possit esse, omni turpitudine nominans membra & opera membrorum. Alius uero Historias ad hanc rem pertinentes, omni licentia recitat, tum ridetur, & res optima uidetur, donec monachi & sacerdotes etiam adducantur cum suis peccatis. Qui morbus heu quam dire hodie regnat in hospitijs & tabernis, ut periculosum aut saltem pœnitendum sit, aliquem religiosum uel pudicum hominem peregre proficisci. *Spurciloqui.*

Obsecro per Deum, uidete tamen quid isti faciant. Primum si sunt Christiani, ut nominari uolunt, ita deberent diligere uerecundiam, ut nec paterentur ea nominari inter se, si prohibere possent. Secundo saltem dolerent, si non possent. Tertio super Historias lapsorum, uel sacerdotum, uel religiosorum, uel principum, uel magistratuum (horum enim eo iucundius recitantur uicia, quo efficatius & licentius præbent exemplum imitantibus) non secus dolere, quam super proprio casu. Sic enim requirit charitas, imo quo altior esset status, eo magis gemere & Deum pro eis orare, Hoc enim esset Christianum. *Lapsis condolendũ ex charitate.*

Iam nunc uide, quam longe sint à moribus Christianismi, insulsissimi homines. Primo non solum hæc non faciunt, sicut certissime debent Christo. Verum secundo sese mutuo in rebus pessimis lætificant. Tertio seipsos ad concupiscentiam fricant & prouocant his ignitis iaculis. Quarto alienam uitam ac famam polluunt detractione ista grauissima, mortuos putres reuelantes, qui mortuos sepelire debuerant. Quinto alienam & suam miseriam ac ruinam irrident, ac lætantur in sua perditione & aliorum. *Spurciloqui.*

Obsecro, cogitate, si Dominus dicit, quod de omni ocioso uerbo, quod *Verbum ociosum.*
Matt. 12. locuti fuerint homines, rationem reddent in die iudicij, ubi isti quæso apparebunt? Væ, uæ, quam late regnat ista pestis.

Similes sunt isti. Primo furiosis, imo quis tam furens ut in sua miseria & plaga rideat & gaudeat? Nonne miseria miseriarum est? dolet ulcus, aut oculus, & non cessat querulus gemitus, & adeo nullus ridet, ut etiam ridentes uelut pessimos omnium odiat ac detestetur, quæritur compatiens & adiuuans aut consulens. Ecce autem titillat caro, imo grauissime dolet conscientia, deinde ruit ipsa uel anima alterius proximi, & adeo non queritur compatiens aut consulens, adeo non doletur ac gemitur, ut etiam qui condoleat ac consulere uelit, aut prohibere, irrideatur, despiciatur, odiatur. *Spurciloqui similes furiosis.*

Magne Deus, quando aperiemus oculos, ut cognoscamus quid sit mundus? Nonne ista est peruersissima peruersitas? An non libido, est uulnus supra omne uulnus? Nonne est ulcus & plaga supra omne uulnus & omnẽ plagam? Sicut Ier. 10. dicit: Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi, plane hæc est infirmitas mea, & portabo eam. Et Esa. 1. de populo Israel dicit: Vulnus & liuor & plaga tumens, non est circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo. Et iterum: A planta pedis usq; ad uerticem, non est in eo sanitas. *Mundus. Libido.* Iere. 10. Esa. 1.

Hæ sunt plagæ & uulnera non ab homine, sed á diabolo inflicta. Vide itaq; uulnus, quod facit homo, ploratur, Quod facit Satan, ridetur & dulcissimum habetur, Sed heu dulce putatur. Beatus autẽ ille, qui ipsum intelligit & aduertit esse uulnus amarissimum, sicuti uere est. Nam licet eius amaritudo non sentiatur, sentietur tamen inæstimabiliter tandem in conscien- *Vulnus hominis. Vulnus diaboli.*

tia. Vnde Prouer. 5. Ne intenderis fallaciæ mulieris (id est, carnis & sensualitatis) Fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta sicut gladius biceps. Et 23. Ingreditur blande, sed in nouissimo mordebit ut coluber, & sicut Basiliscus uenena diffundet. Ideo discamus per Deum, quod in talibus uerbis ludere, ridere, iucundare, hoc idem est, quod de propria morte & miseria gaudere, quod nullus facit nisi furiosus, uel plus quam furiosus.

Obsessus à Legione Mar. 5. Luc. 8.

SEcundo similes sunt ei, qui Marci 5. Lucæ 8. scribitur possessus a Legione, qui sine uestimento, neq; in domo manebat, sed in monumentis, & catenis uinctus ac custoditus, rupit catenas, & agebatur a Dæmonio in desertum, & die ac nocte in monumentis & in montibus erat, clamans & concidens sese lapidibus. Spero, q; si intelligerent turpiloqui suum uicium in isto describi, magis timerent, Quid est enim, quod nudus erat, nisi quod turpiloquus etiam propriam ignominiam uerbis nudat? cum debuerit potius tegere, ut sanaretur.

Monumentum.

Deinde non manet in domo, scilicet, cum uiuis, de rebus uiuentium agens, sed in monumentis cum mortuis agens, hoc est, quod uicia & mala aliorum recitat, & in illis totus uersatur. Nam monumentum mystice est memoriale mortui, id est, fama & historia fœtida peccatoris, scilicet principis, religiosi, sacerdotis &c. Item, concidit seipsum lapidibus clamans, id est, quod sibijsi nocet, ubi sibi uidetur plurimum iucundeq; prodesse. Sic Esa. 3. Peccatum suum non absconderunt, sed sicut Zodoma prædicauerunt (licet hoc de pharisaica iusticia dictum sit in spiritu) tamen in litera etiam huc pertinet. Isa. 3.

Item, Legionem habet, ut nemo possit illic transire præ eorum sæuitia, hoc est, quod illi multorum Dæmonum officium agunt, dum multis nocent. Et ubi sunt blandissimi, ibi sunt sæuissimi, ut nulli sit sine periculo, cum eis conuersari, ut & supra dixi. Scio autem, quod nullus tam stultus sit & insensatus, quod si talem hominem uidisset, ridere potuisset, sed potius fugisset quantum potuisset, Et tamen ridet & ridetur ille, cuius ista figura tantummodo fuit. Deniq; & hoc ibi dictum fuit, quod nec catenis, nec custodijs potuit retineri, quin ageretur ruptis uinculis in deserta, nemo potuit eum domare. Hic prope consentit cum Apostolo Iacobo, Nullus hominum potest linguam domare, ita nullius prohibitione, nullis uerbis Euangelij coercentur illi, Quin lingua indomita erumpant atq; uagentur ubi solent, nudi, laceri, nudantes, lacerantesq; cæteros similiter.

Lingua. Iacob. 3.

ET ut in detestabilissimum uicium, etiam impure loquar, Nonne sues sunt bestiæ immundæ, quod stercora hominum deuorant? At illi in stercore suo & alieno linguam & dentes uersant. An est stercus corporis peius, quam stercus animæ? Oportet enim coram suibus suillum loqui, ut intelligant. Si ergo uideris porcum uorare oletum, intellige: Ecce talem esse obscœnitatis & turpitudinis fabulatorem.

Stercus animæ.

Membra corporis inhonesta.

Apostolus sane dicit, quod inhonesta nostra abundantius honestamus, illi uero etiam honesta per inhonesta, inhonorant. Quis autem ferat, ut alius reuelet cum risu sibi posteriora aut pudenda seu ignominiam? At quæ ignominia maior, quam sordes peccatorum in nobis & proximis? Lex autem prohibuit, ne proximorum ignominiam reuelemus. 1. Cor. 12

Secundo etiam peccatur obscœnitate, quando talia coram pueris & puellis

puellis innocentibus nominantur & dicuntur, Rei autem sunt omnium peccatorum & mortium, quæ ex illis sequuntur, Aetas enim mollis & inexperta harum rerum, facillime polluitur, & quod peius est, tenacissime seruat audita turpia, sicut macula impurum & tenerum pannum cadens tenacius hæret, quam in impurum aut rudiorem, quod & experientia didicerunt Gentiles, ut Horatius: Horatius.

Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu. Et Iuuenalis.
Maxima debetur Puero reuerentia, si quid
Turpe paras, huius tu ne contempseris annos.

Quid autem faciunt qui hoc agunt? Primum, utique cum magnum bonum sit, teneram ætatem fouere, custodire, promouere in pudicitia & uerecundia, sicut dicitur, quod gratissimum sacrificium Deo, est zelus animarum, Omnium studia deberent eo uigilare, ut pueros & puellas custodirent & seruarent, ne quid discerent, uiderent & audirent obscœnitatis, qui per se ardent medullis, non cogitandum, quomodo igne adiecto accendantur, sed potius aqua apposita extinguantur. Non solum id non faciunt, sed etiam propriissimo Dæmonum officio usi, corrumpunt innocuas animas suis pestiferis Fabulis turpitudinis. Diabolus enim corruptor mentium dicitur, sed non corrumpit, nisi ministerio linguæ illorum, qui sunt ex parte illius & imitantur eum. Innocens ætas. Zelus animarum. Diabolus mentium corruptor.

Quomodo enim potest puer aut puella rursum eradicare uerbum turpe, quod semel audiuit? Sed semen iactum est, & radicat in corde eius, etiam inuito, Deinde crescit in miras & incognitas cogitationes, quas non audet confiteri, & tamen nescit eis carere. Væ autem tibi, qui huic simplici & ignaræ huius rei menti, hunc laborem, hoc periculum, & hoc uenenum infudisti. Corpus non uiolasti, sed animam incomparabiliter nobiliorem (quantum in te fuerit) constuprasti. Nam per aurem infudisti & impregnasti eam fœtu nocentissimo. Vnde Bapista Mantua. Vnum turpe semel auditum. Baptista Mantuan.

Per sensus quasi per riuos, Venus acre uenenum
Influit in mentem, quod si male cauta recepit,
Vulnus agit sola Diuum medicabile dextra.

Igitur oscœnitas istorum, maior est quam illorum, quod iam non sit tantummodo obscœnitas, sed cædes innocentium animarum, & de familia Herodis, qui occidit multos pueros in Bethlehem Iudæ. Sed uide, nonne ita est, quod nullus pater possit sustinere, ut filij sui occiderentur corpore? Quod ergo tibi in corpore tuorum filiorum fieri nolles, quare id audes in animabus filiorum alterius, imo Dei, perpetrare? Recte S. Ludouicus rex Franciæ à sua matre didicit, quod filios suos mallet corporaliter uidere occidi, quam mortaliter peccare, Sic enim & mater quoque ad eum dixerat. Herodes, Matth. 2. S. Ludouicus rex Franciæ.

Sed satis dire illis Dominus minatur, Matth. 18. terribiliter dicens: Qui autē scandalizauerit unum de pusillis istis, qui credunt in me, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Vide, quanta cura sit Christo de paruulis & innocentibus, quod nouam pœnam illis decernit, qui eos offendunt, de nullis enim alijs talem pœnam dictauit. Nimirum uolens, quod noua & singulari pœna præ cæteris sint cruciandi. Denique sequitur: Væ mundo à scandalis, Necesse est enim ut scandala ueniant, Veruntamen uæ homini, per quem scandalū uenit. Et infra: Videte ne cōtemnatis unū ex pusillis istis, Dico enim uobis, quia angeli eorum in cœlis semper uident faciem Patris mei, qui est in cœlis. Ecce saltem Angelorum intuitu uult parci pueris, & reuerentiam illis haberi. Matt. 18. Christus præcipit Paruulos non offendendos.

Quod si illos ideo castos dixerit quis, quia uerbis ludunt, re sunt casti, sicut eorum pater Ouidius quoque mentitur.

Ouidius.
Crede mihi, mores distant à carmine nostro,
Vita probata mihi, Musa iocosa mihi.

Respondet Christus, os eorum compescens: Ex abundantia cordis os loquitur. Qualis arbor, talia & folia. Matt. 12.

Ecclesiæ ruina. Hæc est etiam Ecclesiæ ruina tota, si enim unquam debet reflorescere, necesse est, ut à puerorum institutione exordium fiat. Hæc de obscœnitate dicta sint.

De stultiloquio uero & scurrilitate ad hunc locum non pertinet, quanquam illa duo nunc apud honestissimos & religiosissimos adeo dominentur, ut eo ipso uelint honesti uideri, quo stultiloqui & scurriles sunt.

Stultiloquium. Stultiloquium autem est uniuersæ ociosæ fabulæ, in quibus nihil eruditionis & scientiæ, ut Apostolus ipse exponit, quæ ad rem (inquit) non pertinent. Ephe. 5. Idem uocat Christus uerbum ociosum, ideo non nisi utilia, aut necessaria sunt dicenda. Tales sunt fabulæ aniles, & neniæ puellares, Historiæ plebani de Kalenberg / Dieterich von Bern / & disputationes de rebus longinquis & extra nos positis. Quod genus sunt etiam opiniones Philosophorum, & glossæ super Aristotelem, Garrulitates dialecticæ, somnia astrologorum, Stultiloquium enim uocat, quia non sapientiæ, sed stulticiæ uerba sint. Sōnia astrologorū.

Eutrapelia. Eutrapelia seu scurrilitas, quæ est facetia seu urbanitas, quam Aristoteles uirtutem esse putat, quando scilicet non turpia neq; stulta, sed iucunda & erudita simul dicuntur, ut utilitas intret sub dulcedine comitatis. Itaq; comitas seu affabilitas, seu urbanitas, seu facetia talis, quæ fit, ut tristes atque tentati in spiritu recreentur, laudabilis est. Verum quæ fit sine causa, tantum ad consolatiunculam uanitatis & carnis, præsertim cum huius semper non sit nisi leuitas causa, & sola libido fabulandi atq; ridendi moueat ad illam, non conuenit Christianis. Sic enim & B. Augustinus in confessione confitetur, Quod nugari cum amicis sit parum Christianum, quod Christianorum res & uerba habere debeant solida & magna seria, plenamq; grauitatem & autoritatem, ut Psal. ait: In populo graui laudabo te. Christianos seria decent. Psal. 35.

Abutentes sacris uerbis ad risum. Porro hæc ipsa nugacitas & eutrapelia, tanto fit peior, quanto fit in rebus sacratioribus, ut nonnulli importunissima leuitate, abutuntur sacræ Scripturæ dictis ad eam leuitatem, ridicule & iucunde eam torquentes illuc, ubi suam quærunt uanitatem, cum sacris illis uerbis summa & reuerentia & terror debeatur semper & ubique.

3. gradus mœchorum. Tertius gradus mœchorum, qui est in signis, quorum unum Dominus expressit, dicens: Qui uiderit mulierem ad concupiscendum &c. Matt. 5. Ecce uisus ipse, qui signum sit concupiscentiæ, adulterium est. Nonne durissima lex Christi? sed ideo sanissima & immaculata, conuertens animas. In hoc autem omnia alia signa comprehenduntur, cum uisus sit minimum & subtilissimum, Vnde posuerunt aliqui quinque lineas amoris:

Lineæ amoris.
Visus, colloquium, tactus, post oscula, factum.

Atq; hic colloquium etiam aliud intelligitur, quam id quod est turpiloquium, & tactus similiter, item & oscula. Sed de singulis latius. Sunt autem plura, ut uisus, auditus, colloquium, literæ, internuncia, tactus, amplexus, risus, oscula. Non quod tot sint adulteria singillatim, quot signa quis fecerit, potest enim uno adulterio hæc omnia signa facere, alioqui opus ipsum semper esset triplex adulterium, cum sine tactu & concupiscentia non fiat.

Visus. Oculorum custodia. Visus itaq; primum, Hoc autem est uelocissimum & frequentissimum omnium illorum signorum, quia longius, latius, citiusq; officium suum agit, pluraq; & clarius percipit. Ideo tam multa in Scripturis de oculorum custodia

custodia dicuntur, cum nullus sensus tam facile & tot obiectis irritetur, nec aliorum sensuum aliquis tam atrociter uulnerat animam, tanto enim profundius figit in cor, quanto clarius cognoscit. Ita, ut sit prouerbium: Quod oculus uidet, cor nō fallit. Et Horatius: Segnius irritant demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Prouerbiũ. Horatius.

Et iterum: Validius oblectant &c.

Vt patet experientia, quia nunquam sic mouetur, qui de morte audit, sicut qui uidet, nec tantum mouetur, qui turpia audit & carnalia atq; mundana, quantum qui uidet. Exemplum esto: Alipius S. Augustini contubernalis, de quo 6. Conf. scribit, Quod cum inuitus duceretur ad spectaculum clausis oculis despiciens, tamen postea apertis, ita raptus est, ut multos quoque adduceret postea & ipse. Alipius.

Quocirca in iuuenibus & uirginibus ut summus decor est, oculorum inclinatio & depressio, ita summum uituperium, euagatio & incustodia, ita, ut aliqui signum corruptionis dent, oculorum euagationes, & uerum est. Eccle. 6. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoscetur. Vide ibidem. Aut est signum iam corruptæ, aut facilime corruptibilis mulieris. Nam quæ sincere casta est, non intendit in uultum uiri, sed confunditur, ut de Rebecca Gene. 24. dicitur, quod conspecto Isaac sponso suo tulit peplum suum, & operuit sese.

Oculorũ euagatio. Eccle. 26. Gene. 24. Rebecca.

Item legitur de quodam sancto Viro, qui cum S. Antonio uenisset Romam oculis clausis, nihil de tanta ciuitate uidere uoluit, nisi Ecclesiam S. Petri. S. Antonij comes.

Item de Syluano legitur similiter, quod semper uelatis oculis incedebat, neq; Solem hunc uidere uoluit. Syluanus.

Hiob. 23. Item Hiob 23. dicit: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem de uirgine (id est, iuuencula) Hiob.

Econtra Dina egressa, ut uideret mulieres regionis illius, corrupta est. Et B. Bernhardus, dum quandam fœminam fixe fuisset intuitus, graui ultione seipsum coercuit. Dina. Gene. 34. Bernhardus.

Et B. Benedictus ex uisa in seculo fœmina, grauissime fuit tentatus. Benedictus.

Num. 25. Item, Quid contigerit Dauid ex aspectu Bersabeæ, & filijs Israel ex Moabitarum aspectu, Nume. 25. Dauid.

Item, alius tentatus à muliere uisa, cum mortuam audisset, de putredine cadaueris illius sanauit concupiscentiam. Idcirco uisus non tantum in præsenti concupiscentiam mouet, sed etiam memoria fixus ex præteritis diu, mirandas suscitat tentationes. Visus insatiabilis.

Thre. 3. Ideo dicit Iere. Thre. 3. Oculus meus deprædatus est animam meam.
Iere. 9. Et iterum Iere. 9. Mors intrauit per fenestras nostras. Et 2. Pet. 2. Oculos
2. Pet. 2. habentes plenos adulterij. Ecce quomodo adulterium in oculos ponit. Item:
Gene. 3. Heua primo mota est uisu pomi, quod esset pulchrum. Heua.
Gene. 6. Et de filijs Dei Gene. 6. scribitur, quod uisu ceciderunt: Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores, quascunque elegerant.

Vnde & sapiens docet: Noli intendere in faciem uirginis, ne confundat te uultus eius. Ita econtra: Nec puella in faciem iuuenis, propter simile periculum.

Hinc dicit Iohannes, Quod omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis & oculorum & superbia uitæ. Concupiscentia oculorum intelligitur curiositas multa experiendi & cognoscendi per sensus. 1. Iohan. 2. Concupiscentia oculorum.

Legitur de S. Elisabeth, quod maritum suum in Ecclesia quandoq; iucundius intuita, subito fuit à Domino correpta. Quid illis fiet, qui in Ecclesia fere nihil aliud agunt, quam illud Ouidij: Spectatum ueniunt, ueniunt spectentur S. Elisabeth.

ſpectentur ut ipſæ, nihil niſi uidere, uideri, concupiſcere, concupiſci? At ſane quodam uelut naturæ ingenio, proprium eſt mulieribus, quod amant concupiſci & amari, uiris uero concupiſcere & amare, licet & utrunq; fiat, ut mulier inſaniat concupiſcendo & amando, & uir quærendo concupiſci & amari.

Mulier amari cupit.
Vir amare.

Mira itaq; miſeria, quod ſenſus proprij ſunt tam noxij nobis, ita ut uere dixerit Chriſtus, Inimici hominis domeſtici eius (id eſt, ſenſus) Et Pſal. 38. Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt & ſteterunt, Quid enim facit oculorum curioſitas, niſi quod aduerſus animam pugnat?

Senſus noſtri. *Matt. 10.* *Pſal. 38.*

Vnde & B. Auguſti. uocat ſenſualitatem Serpentem, quod ſit lubrica & mobilis multis obiectis, figurata per ſerpentem in paradiſo. Vide itaq;, quomodo odium noſtri & abnegationem noſtri non gratis docuerit Chriſtus in Euangelio, ut odiamus oculos & omnes ſenſus, omniaq; membra, quoniam captiuam ducant animam in legem peccati, preſertim oculos. Vnde Eccle. 31. Nequius oculo quid creatum eſt?

Sẽſualitas, Serpens. *Eccl. 31.*

Verum non hoc tantummodo malum eſt, quod per oculum facit concupiſcentia, ſed etiam quia non ſaturatur, ut Eccle. 1. Non ſaturatur oculus uiſu. Et Prouerb. 27. Infernus & perditio nunquam implentur. Similiter & oculi hominum inſatiabiles. Quid ergo prodeſt oculorum cupiditatem irritare, & finito initio uidendi, infinitum deſiderium, & nullum finem prouocare? Melius eſt ſtatim ab initio uiſum coercere, antequam dilatet uoraginem ſuæ cupiditatis, quam explere non poſſis. Igitur ut B. Auguſtinus in Regula: Nec uos dicatis habere animos pudicos, ſi oculos habeatis impudicos. Impudicus enim oculus, impudici cordis eſt nuncius. Nullus ergo præſumat, quod non ſit adulter, ſi opere ceſſet, oculo tamen concupiſcat.

Eccle. 1. *Prou. 27.* *Oculus inſatiabilis.* *Auguſtin. in Regula.*

Hæc de primo & de maiore ſigno.

Aliud eſt auditus, quo indicatur concupiſcentia intus ardens, ut qui uel prouocant dici uel cantari turpia (& ij ſunt peiores) uel qui tacite & libenter audiunt, etiamſi non prouocent, delectantur enim in illis, neq; auertuntur, ut ab immundicia & nocumento. Tertij etiam poſſunt eſſe, qui non prohibent, arguunt huiuſmodi audientem, ut melioribus inſtruunt, neque coram eis increpant atq; abominantur talia, ut terrerent audientes, omiſſione ſcilicet ij peccant, quod non ſunt ſoliciti ſalutis proximi, & perditionis eius negligentes, atq; minus quam debent curioſi.

Auditus impurus.

Tertium, eſt colloquium, ſcilicet cum muliere uel uiro, nam concupiſcentia id agit, ut fabulentur, ſalutent, tractentq; ſecum, licet honeſta quandoque, ſed non cauſa honeſta. Inde enim riſus, ioci, fabulæ, colloquia, tantummodo ut placeant ſibi mutuo, & ſeſe prouocent ad amorem ſui mutuum, Et hoc uicio mulieres impenſe laborant, dum amant.

Colloquium.

In puella autem non tantum hæc, ſed omnis prorſus uerboſitas turpiſſima eſt. Nec eſt ſignum conſtantis uirginitatis aut caſtitatis, ſi ſit puella loquacula & garrula, præſertim cum iuuenibus. Nam ecce B. Virgo, quanto textu Angeli conuenta, non tamen niſi id dixit: Quomodo fiet iſtud? &c. ſed neq;, ut ait B. Ambroſius, reſalutauit ſalutantem. Proinde quæ libenter uolunt audiri in cantu, aut loquela, rurſumq; audire cantum, uel colloquium alterius ſexus, quid aliud niſi eiuſdem ſexus concupiſcentia ſeſe ardere probant? Si non arderent, nihil colloquium aut aſpectum curarent, ſicut alia non curant, quorum affectu non tenentur. At nunc puellæ pluri mæ tota leuitate huc feruntur.

Puella garrula. *Luce 1.*

Quartum, tactus, ut ſunt manuum traditio & amplexus, quæ & honeſte quidem fieri poſſunt in ſpecie, tamen cum concupiſcentia intus mouente. Hic

Tactus.

uente. Hic iam ignis libidinis acriter incenditur, ut etiam B. Hieronymus dicat, quod tactu ipso statim sexum intelligit concupiscentia, ideo quam longissime fugiendus tactus, sicut legitur de quodam Papa (non memini nunc nomen) quod data manu pro more osculanda, cum ex osculo mulieris sensisset titillationem, manum præcidi sibi permiserit.

Quintum, est osculum, quod transeamus. Hæc autem signa nusquam aguntur, & fiunt uehementius, quam in choreis publicis. Mirum, quot & quanta ibi fiant peccata, quid ibi uisus & auditus hauriat, quid tactus & colloquium pariat. Breuiter, mundus est mundus, imo immundus, & inimicus Dei. Nec est quærendum bonum, quod Deo placeat in mundo, Peccatum super peccatum ibi urget & addit, ira Dei ibi cernitur intensa nimis, & tamen ridetur, saltatur, gaudetur, tanquam in rebus parum nocentibus, imo bonis & utilibus. *Osculum.* *Chori saltantium.* *Mundus.*

Sextum signum, & quidem non leue, est ipse ornatus peregrinus & nouus, qui nunc tot inuentionibus, artibus, studijs feruet, ut nihil nisi furiosum possis dicere mundum, cum tamen nulla sit causa, nisi ut placeant & conforment sese mundo. Necessitas enim aut utilitas, imo & honestas (quæ solæ sunt causæ iustæ) non requirit talia, modicisq; contenta est. Quis autem satis de illis potest dicere, cum sint inaudita genera sumptus et uestium? sed acre malum et fomes libidinis sunt ista, licet nihil curentur. Credo, quod tandem nudi incedent, cum iam seminudi incedant. Sed sine, dabitur nostris sua moribus ætas, Peruenit ira Dei super mundum in finem, & beatus qui intelligit, quoniam uere ira Dei in illos peruenit. *Cultus peregrinus.*

Omitto hic etiam amantium, id est, amentium, furores, qui nocturnis officijs, amatriculis suis, ludo, cantu, musica seruiunt, & omnia tentant, ut placeant, hic etiam ipsi mundo stultas stulticias agunt, ideo transimus illa. *Ira Dei erga non.* *Amantes.*

QVartus demum gradus est ipsa interna concupiscentia, de qua satis supra dictum est, qua nemo caret in hac uita, sed tamen hoc ipso saluamur, quod ei non consentitur, ut Roma. 6. Neq; exhibeatis membra uestra seruire peccato, ut obediatis concupiscentijs eius. Quanquam enim lex Dei immaculata requirit, ut prorsus nulla sit concupiscentia, sed tota & omnino immaculata mundicia, tamen misericordia Dei interim sustinet & gratam habet dissensionem noui hominis intus, ne dominetur nostri omnis iniusticia. Hæc iugiter est mortificanda, gemitu, uigilijs, labore, oratione, humiliatione, & alijs partibus crucis, tandem ipsa morte. *Interna concupiscentia.* *Roma. 6.* *Non consentire.*

EX quibus omnibus patet, quod hoc Præceptum non solum non est negatiuum, nisi in facie tantum uerborum & litera, sed maxime affirmatiuum, quia præcipit scilicet castitatem & continentiam purissimam intus & foris, Quis autem sapiat tam stulte, ut castitatē neget esse rem affirmatiuam. Sed negatiue præcipitur, dum prohibetur libido, ut purissima sine omni mixtione libidinis præcepta intelligatur, ut Psal. 12. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum a terræ, purgatum septuplum. *Non mœchaberis, præceptum affirmatiuum.* *Psal. 12.* *a in testa.*

At per hoc iam patet, quomodo per Legem fit cognitio peccati, quia concupiscentiam nesciebam esse peccatum nisi Lex diceret: Non concupisces. Rom. 7. scilicet quia solum opus peccatum putabatur. Igitur non satis est, ut opere non mœcheris, non satis, quod uerbo sis pudicus, & aspectu, aut alio quouis signo, Imo nec hoc satis, quod corde non consentias, nisi etiam tandem purus fias ab ipsis motibus malis, intus ebullientibus. Ideo non nisi gemitus pro gratia Dei superest, cum Apostolo Roma. 7. Infœlix ego homo, quis liberabit me de morte corporis huius? *Roma. 3.* *Roma. 7.* *Per Legem cognitio peccati.* *Gemitus pro misericordia Dei.*

PRAECE.

PRAECEPTVM VII.

NON FVRTVM FACIES.

5.
6.

Vdiuimus, quod Præceptum quintum: Non occides, prohibuit offensionem proximi in sua propria persona. Sextum autem: Non mœchaberis, offensionem eiusdem in persona sociali, eademq; carne. Et utrumq; tam in opere quam corde, tam affectu quam effectu. Ita ut satis constet, quod spiritualis intelligentia istorum Preceptorum negatiuorum, sit ista affirmatiua, ut mites & casti simus, intus & foris, prorsus sine omni, tam amaritudine iræ, quam dulcedine concupiscentiæ, Quæ duo sine charitate spiritus haberi prorsus non possunt, quia sunt fructus spiritus, 1. Corinth. 13. & Gala. 5. Ideo plenitudo Legis est dilectio. Hæc enim est mitis & nulli nocet, imo omnibus prodest, & prodesse cupit, Est etiam casta & sancta, ideo neminem polluit. *1. Cor. 13. Gala. 5.*

Sequitur nunc prohibitio offensionis in rebus proximi, quod æque sine charitate fieri non potest, saltem in spiritu, Vnde & hic quoq; notandum, quod hoc Præceptum dupliciter intelligitur.

Literalis intelligentia 7. præcepti.

Primo ad literam & secundum sonum uocis, sic solummodo opus ipsum furti hic prohibetur, quia dicit: Non facies furtum. Non utiq; ait: Non doceas, non ostendas, non cupias, sed, non facies, Sic Iudæi intellexerunt, & superbi facti sunt in iusticia sua, tanquam non essent rei præuaricationis. Vnde cum ipse Lucæ 16. huius Præcepti ueram daret intelligentiam, dicens: Non potestis Deo seruire & Mammonæ. Et: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, audiebant hæc omnia Pharisæi, qui erant auari, & deridebant eum, Et ait illis: Vos estis, qui iustificatis uos coram hominibus, Deus autem nouit corda uestra. Quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. *Luc. 16.*

Spiritualis intelligentia. Pharisæi.

Deus cor requirit.

Ecce quomodo corda requirit in iustificatione Præceptorum suorum, Denique sequitur ibidem, quomodo spiritualis sit lex, dicens: Lex & Prophetæ usq; ad Iohannem, Ex eo regnum Dei euangelizatur, & omnis in illud uim facit. Facilius est autem cœlum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere. Ecce uiolentia opus est in Dei præceptis, quia non tantum cortex uerborum, sed nec unus apex præteribit &c.

Spiritualis.

Secundo ad spiritum & secundum intentionem præcipientis, sic omnem cupiditatem hic prohibet cordis, ita quod sit impossibile impleri illud, nisi sis pauper spiritu, ut Matt. 5. Beati pauperes spiritu. Proinde in Psalmis proprio uelut nomine, fideles Christi uocantur pauperes. Psal. 10. Dum superbit impius, incenditur pauper. Et iterum: Et factus est Dominus refugium pauperi, Et quoniam non in finem obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem. Igitur spiritus huius literæ, est paupertas in spiritu, Quare manifeste patet, quod sine gratia Dei nullus implet hanc Legem, cum sit homo naturaliter cupidus uicio primi peccati. *Matth. 5. Psal. 10.*

Pauperes fideles intelliguntur. Paupertas in spiritu.

Corollarium sequitur.

Quod Legis huius in litera impletio, est nihil aliud, nisi decipula quædam, ut Psal. 5. Quoniam non est in ore eorum ueritas, cor eorum uanū est. Ebra. sic: Quoniam non est in ore eorum rectum (quia docet scilicet *Psal. 5.*

umbram

umbram & literam operis tantummodo in Praecepto) interiora eorum insidiae (quia decipiuntur, dum sese iustos credunt, falsi specie operum, ut nō agnoscant malum suae cupiditatis) ideo non gemunt pro gratia, nec peccatum confitentur, sed stant securi. Ideo Roma. 2. contra eos dicit: Qui doces non furandum, furaris, scilicet cupiditate, licet non opere. *Voluntas coram Deo* *Roma. 2.*

IVristae autem hoc Praeceptum non adeo late exponunt, sed manent in limitibus furti, uerum coram Deo, quicquid agit uoluntas, facere dicitur etiam si opus non sequatur. Scrutatur enim Deus renes & corda, Psal. 7. Ideo nos in totam latitudinem operum eamus, quae cupiditas perficit, sed heu quanta est latitudo, Deus bone, quis enim auariciae & specierum eius uituperia non audiuit. *Variae furti species* *Psal. 7.*

Igitur primum opus est secundum sonum textus, ipsum furtum. Hoc rursum in quinq; species, scilicet furtum simplex, sacrilegium, peculatus, abigeatus, plagiatus, de quibus Iuristae. Nam hoc Praeceptum secundum literam copiosissime & diligentissime tractant in omnibus speciebus, teste proprio eorum sermone, quod iuridica facultas sit de pane lucrando, Tolle meum & tuum, & nullo iure opus fuerit, Et sane infinitum negocium praebet ista cupiditas hominibus eiusmodi. *Iuridica facultas*

Igitur furtum est rei alienae usurpatio, domino inuito & ignorante. Quod si sit in rebus priuatorum, est furtum simplex, si in rebus sacris, sacrilegium, si in republica, peculatus, si in ablatione iumentorum & pecorum, abigeatus, si in ablatione hominum, plagiatus. Hos quinq; gradus dire puniunt leges hodie, ut notum est. Olim uero in Lege furtum non puniebatur ultione mortis, ut Exod. 22. Sed pro oue una quatuor, & pro boue uno quinque reddebant, si tamen uendiderat aut occiderat. Si autem adhuc integra apud eum reperiebantur, duplum tantum reddebatur, quod si reddere non habuit, ipse uenundabatur. *Furtum.* *Sacrilegium* *Peculatus.* *Abigeatus.* *Plagium.* *Exod. 22.*

Haec certe Lex adhuc bona esset, nimis enim rigidum est, ne dicam iniquum, pro rebus uitam auferre, & animam pro uictu tolli. Nonne corpus melius est quam uestimentum, & anima plus quam esca? Vnde & Prouer. 6. Legem Mosi sequutus, ait: Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit, Et hoc est uerum, si solum fuerit furtum. Vnde sequitur quale intelligat furtum, dicens: Furatur enim, ut esurientem impleat animam, deprehensusq; reddet septuplum, & omnem substantiam domus suae tradet, & liberabit se (qui autem adulter est) propter inopiam cordis, perdet animam suam. At adulterium hodie mitissime plectitur, magna certe iniquitate, Furti intensa poena, quae potius laxari debuit quam adulterij, maxime furtum, quod inopia corporis facit & penuria. *Iniquum est, propter res sublatas hominem occidere.* *Prou. 6.* *Adulterium* *Furtum.*

Porro Sacrilegium adhuc atrocius omnibus punitur, scilicet rota, cum tamen sit eadem res sacra & prophana, quo ad precium & usum, uerum reuerentia sacrorum neglecta, tam acriter castigatur. *Sacrilegium*

Sed & hic superstitiosissimus est praesidentium rigor, qui nihil ita fulminant, atq; execrantur, ut recularum suarum, redituum, possessionum, auri scilicet & argenti usurpatores, Hic sunt centies Argi, & quidem uigilantissimis uigilantiores. Verum quod interim tot milia negliguntur animarum, quod stupris, adulterijs, reliquisq; libidinum portentis, totam foedant Ecclesiam, praeter insatiabilis auariciae auernum, cum simonijs suis ac dolis & fraudibus infinitis, nemo punit, sed potius honorantur qui faciunt. An forte ideo leuiora tam grauiter puniunt, quod tam grauia non ad illos, sed ad Deum pertinent grauissime puniri? Et id certe credo uerum, quod Deus sibi uindictam seruat eo duriorem in grauissimis, quo ipsi grauiorem exercent in leuioribus.

Quanto tutius agerent, ut furibus & sacrilegis parcerent, sicut sibi uolunt parci à Deo. At si illis parcerent, iam certe ipsa penuria cogerentur & ipsi melius uiuere, non parcunt igitur, ne sibi quoq; parcatur apud Deum. Sed sine illos, cæci sunt, De reliquis tribus furtis remitto ad ciuiles Iuristas.

Latrocinium. Secundum opus est latrocinium, quod a furto ea differt grauitate, quod non ignorante Domino, sed præsente & manifesta ui rapit alienum, Tamen magis raptores quam latrones ij uocandi sunt, quod latrocinium inuoluit homicidium. *Decus & titulus nobilium.* Hoc peccatum autem nunc decus & titulus est nobilium, & in illis quandoq; puniuntur, qui sese defendere nequeunt aut resistere, Satis hoc peccatum negociatores, & grauitatem eius nouerunt, qui ex eo aliquando doluerunt.

Vsura. Tertium opus est usura, de quo Cato Censor Romanus, fures priuati in neruo & compede uitam agunt, publici uero in auro & purpura. Vnde usurarius sanguisuga populi dicitur. Et similitudine describitur tali, ut uermis in pomo uel nuce totum intus uastat, ita usurarius substantiam ciuitatis deuorat, miris & occultis modis. *Iudæi usurarij.* Quo uicio adeo Iudæi laborant, ut etiam sibi licere, imo iuberi ex Lege putent, ubi dicitur Deut. 23. *Deut. 23.* Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno, fratri autem tuo absq; usura, id quod indiget, commodabis. Hoc Iudæorum duriciæ tunc permissum fuit, ut eo libentius abstinerent ab usura in Iudæos, quo licentius potuerunt in gentiles.

Christiani peiores usurarij. At Christiani non paruo gradu peiores sunt Iudæis, quod etiam fratribus suis fœnerant, & tam frequens hoc malum, ut etiam inter raras iusti laudes ponatur. Psal. 15. *Psal. 15.* Qui pecuniam suam non dedit ad usuram. Quod si abstinent multi, timore abstinent, non corde, Auaricia enim pestis est profundissima.

Fraus in negociatione. Quartum est fraus in negocio, de qua 1. Thess. 4. *1. Thess. 4.* Ne quis circumueniat in negocio fratrem suum, quoniam uindex est Deus de ijs omnibus. Sed hoc tam latum est, ut nunc non possit per singula discurri, quomodo enim singula artificia & negocia cum suis excessibus, medijs, defectibus commemorem.

Regula charitatis. Idcirco omnibus in genere illa Regula charitatis seruanda est, quam Dominus Matth. 7. ponit: *Matth. 7.* Quæ uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Quare in omni tractatu necessarium est unicuiq;, ut prospiciat prius, quomodo secum uellet agi, si esset in alterius loco, ita faciat & ipse, & tutus erit. *Lex naturæ, Charitas.* Hęc uocatur Lex naturæ, imo est charitatis. Charitas enim est, quæ considerat quæ sunt aliorum, & prius inspicit, quid sibi uelit fieri, ut sic faciat proximo. Ideo enim Dominus addidit dicens: Hæc enim est Lex & Prophetæ, scilicet Lex & Prophetæ sola charitate implentur, Ideo si est Lex naturæ, est naturæ sanæ & incorruptæ, quæ idem est cum charitate. Qui autem hanc Regulam præterit, facile etiam fraudem perficit, antequam aduertat, quoniam periculum fidei est in omni negocio, nisi ui aliqua seruetur & industria.

Fraus ubique. At quanta est hodie fraudis copia? omnis domus & platea plena est, & omnes de ea queruntur, Nam & rustici alioqui rudes, ad fraudem sunt instructissimi. *Mundus.* Et sane hoc unum etiam Præceptum satis indicat, quid sit mundus, cum sit non nisi rapina mutua rerum. Et quod magis dolendum est, ea nunc consuetudine fraus agitur, ut ne conscientiam quidem inde patiantur, quin bene se fecisse sibi uideantur, si alter alterum illuserit & imposuerit, Sed uæ mundo.

Igitur tu curre per singula officia artium, & numera fraudes, cum quotidie excogitentur nouæ, ut sit periculi res plenissima, cum hominibus agere,

agere, Lucem uertunt in tenebras, & tenebras in lucem. Denique obtinuit ut omnes uenditores pluris exponant, & emptores minoris accipiant, quam res sit in proprio precio, scilicet, quia usu fallendi mutuo, nullus alteri credit primis uerbis.

QVod autem dictum est de operibus huius Praecepti, & de spirituali intelligentia eius, quod scilicet paupertas spiritus, sit eius uera intentio, ut mortificetur insatiabilis illa bestia, auri sacra fames, auaricia, philargyria, & cupiditas, radix omnium malorum, ut Apostolus ait, quae infinitos hodie laqueos tetendit & auget semper, non intelligendum est de paupertate in effectu, sed affectu. Nam & mendici ac religiosi possunt esse ditissimi cupiditate & auaricia interna, maximique fures coram Deo, dum inuident habentibus, & cupiunt eorum facultates. Et Apostolus uocat hoc uicium idolatriam, sicut Psal. 78. dicit, quod seruierunt sculptilibus Canaan, id est, denarijs, Nam Canaan mercator & negociator dicitur, cuius sculptilia, quae alia possumus figurata credere, quam aurum & argentum signatum, monetarum & conflatum?

Paupertas spiritus. Auaricia. *1. Tim. 6.* *Paupertas in affectu.* *Psal. 78.* *Canaan.*

Denique quod sint cultores auri, & serui eius, etiam Psal. 76. habet, dicens: Et nihil inuenerunt omnes uiri diuitiarum in manibus suis, Non ait, diuitiae uirorum, sed uiri diuitiarum, ut possessos uiros, possidentes diuitias intelligas, illi seruant, istae seruantur, ideo illi serui, istae dominae.

Psal. 76. *Viri diuitiarum.*

Igitur ut concludamus (cum sit omnibus notissimum hoc uicium) breuiter hoc Praeceptum impletur, si non solum ab opere abstineas, imo nec satis est corde non cupias, nisi & aequissimo animo feras, tua tibi auferri. Nam nihil prodest, si aliena non cupias, tua autem impie diligas. Sicut in 5. praecepto, in seipsum quis potest occisor fieri, etiamsi nullum alium occidat, aut nemini sit iratus. Et in 6. cum propria uxore adulter esse, ut dictum est, Ita & in proprijs rebus etiam fur & auarus esse poterit, dum nimis tenaciter diligit sua. Quanquam qui seipsum occidit, quis eum credat non etiam alium occisurum esse, aut uitam ei saltem inuidere? Et qui cum propria coniuge abutitur libidine, quis praesumat, quod non alienam polluat saltem concupiscentia, cum sit totus libidine furens? Ita qui sua nimium diligit, quis credet, quod non etiam aliena concupiscat?

Quomodo impleatur praeceptum 7. *Fur, etiam in proprijs rebus.*

Igitur neuter esse debet in bonis quibuscunque, si abeunt, ne tristetur, si ueniant, ne laetetur, secundum illud Psal. 62. Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere. Diuitiae si affluant, nolite cor apponere. Hoc autem uiciata natura non habet, sed oportet illud in Christo haurire, qui pro nobis pauper factus est.

Animus aequus. *Psal. 62.*

Imo nec hoc gradu sit contentus, sed uideat etiam, ut de suis bonis magis uelit alijs impartire, quam aliena concupiscere. Nam hoc habet charitas, quae sola est impletrix Legis, ut non solum longissime abstineat a rebus proximi, sed etiam proxima fiat conferendo res suas, si potest commode. Nam id sine dubio quilibet sibi fieri uellet, scilicet, ut sibi tribueretur, & nemo sua cuperet, sed omnia candide fauerent. Nec potest Regula melior tradi in hoc Praecepto, tam perplexis negocijs dato, quam ut quilibet, in quocunque negocio cum proximo egerit, ante omnia coram oculis ponat hoc dictum Christi, scilicet spirituale interpretamentum omnium Praeceptorum: Quod uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Et illud Tobiae: Quod tibi fieri nolis, alteri ne feceris, hoc enim aspecto facile quiuis erudietur, quid & quomodo agere debebit in quocunque casu huius latissimi Praecepti.

Charitas Legis impletrix. *Spiritualis interpretatio omnium praeceptorum.* *Matt. 7.* *Tob. 4.*

Nam si tibi faues diuitias, non autem proximo tuo, iam non habes charitatem, sed cupiditatem, & peccasti in hoc Præceptum, Es enim fur coram Deo, quia id, quod proximo debes, scilicet fauorem rerum, abstulisti ab eo.

Omnes homines fures sine gratia. Ex quibus patet, quam multi detestentur fures & furta, ipsi multo maiores, cum sine gratia nullus sit, cuius cor non inquinetur auaricia, uerum illos fures strangulat Imperator, hos uero ipse perdet omnium Creator.

Præceptum hoc affirmatiuum. Vnde nec istud Præceptum pure est negatiuum, imo affirmatiuissimũ, scilicet, ut sit homo largus, facilis, liberalis in proximum, qualis esse non potest, nisi sit purissimus à furto in spiritu. Ideo negatio illa expressior est quam affirmatiua, cum possit aliquis esse quidem liberalis, ut in statu incipientium, sed tamen non sine cupiditate, ideo nondum perfecte Legis huius impletor, qui debet esse purissime liberalis.

Lusores sunt fures. DE lusoribus etiam quæritur, An sint fures, & ad restitutionem teneantur? Quod lusores cupiditate & auaricia peccent (qui saltem propter lucra ludunt) ac per hoc coram Deo fures sint, alienæq; facultatis appetitores, manifestissimum est. Nullus enim cum alio ludit, ut sua illi tribuere uelit (id enim sine ludo facere potest) Nec ut sua amittat, nec ut alienum uelut suum quærat lucrum. *Ludus semper contra charitatem.* Ac per hoc ludus semper est contra charitatem, & secundum cupiditatem, quia quærit quæ sua sunt, cum damno alterius, & saltem non ita quæ sunt alterius, sicut quæ sua sunt.

Lusor non tenetur ad restitutionem. Attamen non tenetur ad restitutionem, quia coram hominibus non rapit, nec usurpat rem alienam inuito domino, sed consentiente per pactum ludi. Vterq; enim ponit sua in periculum sciens & uolens, ideo qui amittit, scienter & uolenter amittit. Lex enim iustissima est, ut qui amat periculum, pereat in illo, nisi forte per fraudem luserint. Optima tamen pœna foret, si posset fieri, ut uterq; amitteret, hoc enim esset ius ludi uerum, quia uterq; cum periculo suo, cupiditatem erga proximum exercet, Aut certe, ut fiscus principalis utriq; tolleret lucrum, eo quod contra edictum & canonem Ecclesiæ agant ludendo.

Probat. Quod autem non sit necesse restitui, patet, quia non esset alia causa, nisi quia cum peccato & contra Legem acquiritur lucrum eiusmodi. Sed si omne tale est restituendum, quod cum peccato acquiritur, iam etiam meretrices, imo omnia alia mercatorum & negociatorum, quæ mendacijs, periurijs (seclusa tamen fraude erga proximum, & dolo in re quæ tractatur) cupiditate uenduntur & emuntur, essent restituenda, quod est absurdissimũ, Quia in ijs non est facta iniuria proximo, sed Deo & Legi, ideo tenetur ad restitutionem, non rei acquisitæ, sed uoluntatis suæ malæ, quam ibi expleuit, quod fit per contritionem & pœnitentiam.

Sacerdotes beneficiarij. EOdem modo de sacerdotibus & religiosis, uel non orantibus seu satisfacientibus, uel pluralia beneficia possidentibus, non tenentur ad restitutionem, sed ad pœnitentiam de abusu, Quia Papa habet potestatem illa bona conferendi, tu tantummodo uideris, qui impetras uel te ingeris. Olim trahebantur fugientes ad sacerdotia, ideo à populo diligebantur, nunc irruunt retrahente populo, ideo odiuntur. Sed hæc auaricia hodie horribiliter crescit in beneficiorum occupatione, at si sine fraude impetrentur, non est restitutio facienda, Quanquam sine fraude seipsum ingerere, præsertim ad officia curarum, non uideatur satis possibile, fraudatur enim Papa & populus, si non fuerit talis, qualis requiritur. *Curati.* At quis hoc de seipso audeat affirmare? & tamen non pudet pro seipso supplicare.

Tandem

Tandem & contractus redemptionis in magnum damnum totius mundi, nunc auariciæ seruit, cum ideo census emantur, ut lucra augescant, & certa fiat substantia sine labore & periculo, non ut Deo liberius seruiant, aut necessitati prouideant, cum tamen intentio Papæ fuisse & esse uideatur, non ut ocio uacent, nam labor & sollicitudo omnibus imposita sunt. Gene. 3. In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Et Hiob 5. Homo natus ad laborem, sicut auis ad uolandum. *Reditus pecuniarij* *Gene. 3.* *Hiob 5.*

Igitur aliquot causas assignemus iuste census emendi, si scilicet sunt primo senes, pueri, infirmi, Hi enim satis habent laboris ex ipsa uita sua. Secundo, si sunt alio labore occupati, scilicet qui Deo seruiunt, ut religiosi, sacerdotes, prælati, studio uerboq; Dei uacantes. Et qui communitati seruiunt, & alienæ necessitati, ut principes, senatus, præsidentes oppidis, uillis. Alioqui si Deus unicuique secundum suum laborem redditurus est, quid recipient ociosi, qui pecunia sua non nisi ad lucrum, lucro non nisi ad ociū, ocio non nisi ad delicias, delicijs non nisi ad peccatum abutuntur? Non ergo illi sunt securi, qui tantummodo sibi seruiunt censibus emptis, Non quod emere census adeo sit malum, sed quod auariciæ in hoc seruire, nec aliud, quam diuicias securas quærere, peccatum est. *Emendorum redituum iustæ causæ.*

PRAECEPTVM VIII.

NON LOQVERIS CONTRA PROXImum tuum falsum testimonium.

VICium linguæ, quam Apostolus Iacobus mundum iniquitatis appellat, omnium post cor, membrorum est peccaminosissimum, nec ullum membrum tot speciebus peccat, excepto corde, quod omnibus speciebus peccat. Nam linguæ uicium in iurando, promittendo, orando, docendo, nomen Dei assumendo &c. prima tabula in secundo præcepto prohibitum, id est, omne uerbum, quod contra Deum directe peccat. Item prohibitum est tertio, quarto, quinto, sexto, septimo, & nunc octauo, prorsus per omnia præcepta præter primū, nonum, decimum, quæ solum animum tangunt. Nam contra tertium agitur, non orando, gratias agendo, legendo die festo. Quartum, parentes superbe alloquendo, irreuerenter respondendo, exprobrando &c. Quintum, maledicendo, detrahendo, criminando &c. Sextum, impudice loquendo. Septimum, furandi consilium, exhortationem, excusationem, defensionem dando. Octauum, nunc ut uidebitur mentiendo, adulando &c. *Linguæ uicium.* *Cor.* *Lingua.*

Igitur sicut prohibitum est nocumentum personæ propriæ, personarum attinentium, rerum corporalium, Ita nunc bonorum, quæ sunt in fama, laude, honore, nomine, prohibetur nocumentum.

THEOLOGI.

Contra hoc Præceptum peccant.

PRimo & proprijssime docti, maxime autem Theologi, & uniuersi, qui falsa tradunt discipulis, Et utriq; dupliciter, scilicet uel scienter uel ignoranter, & secundum hoc grauius peccant uel leuius. De Theologis pri- *Theologi.*

logis primum, quia hi grauissime omnium peccant contra hoc Præceptum, quando Scripturam sanctam & uerbum Dei peruertunt & falsæ exponunt, uel aptant non recte, Hinc enim fit, ut falsæ dictum occidat animas, aut saltem discrutiet infœlices conscientias.

Hæretici. Monij.

De primis horum sunt Hæretici & Monij singulares, qui Dei uerba suis sensibus aptant, & in sui obsequium captiuant, cum deberent contra, & hoc in ijs, quæ pertinent ad fidem & salutem. Hoc tam magnum peccatum reputatur apud Deum, ut nullum aliud in Scripturis frequentius acriusq; arguatur per omnes figuras & prophetias. Vnde Psal. 4. Filij hominum usquequo graui corde, ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium? Et 5. Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Vbi de talibus Magistris loquitur, ut patet infra: Decidant à cogitationibus suis, id est, studijs &c. Et Psal. 1. Beatus uir, qui non abijt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Et ubicunque de dolosis, linguaq; dolosa loquitur, hos Pseudomartyres, id est, falsos testes, taxat.

Psal. 4. Psal. 5. Psal. 1.

Pseudomartyres.

Dico ergo: Nunquid excusantur, cum faciant id pia intentione & zelo Dei? Sic enim sese Hæretici solent excusare, ut nostri uicini Pighardi Bohemiæ? Respondetur, quod non, Imo eo magis accusantur, quia ex superbia procedit iste zelus, quod doceri nolunt & audire, suipsius magistri facti. Vnde Rom. 10. Testimonium perhibeo illis, quia zelum Dei habent, sed non secundum scientiam. Et Gala. 4. Quicunq; uos perturbat, iudicium suum portabit. Et 1. Qui aliud euangelizauerit, anathema sit &c. Tales enim habent bonum zelum, sed non timent, Sunt enim de tali zelo securi, quasi non errent, quod pie intendant, & garriunt, quod omne peccatum est uoluntarium, & intentio nominat opus, At nos (inquiunt) bonam intentionem & uoluntatem piam habemus, & ita fiunt obstinati & securi.

Zelus hæreticorum ex superbia procedens.

Rom. 10. Gala. 4. Gala. 1.

Quibus respondetur, quod habent pessimam uoluntatem & uenenosissimam intentionem. Non dico eam, quam sentiunt & allegant, sed profundiorem illam, qua superbi sunt, & nolunt aliud audire, quam suam intentionem bonam, nec credere alij, quam suæ piæ uoluntati. Hanc enim intimam suam superbiam non uidentes, uestiunt eam, ficta & uiolenta intentione bona & pia uoluntate. Vera enim bona intentio, & radicaliter bona uoluntas, nunquam stat secura & sine timore, Veretur enim omnia opera sua cum Hiob, imo uerba & cogitata. Ideo nulli adhæret bonæ suæ uoluntati & piæ intentioni, semper paratior alijs cedere, quam sibi credere, quantumcunq; speciosissima sua sit intentio. Quo timore fit, ut nihil noui moliatur, seruet unitatem, custodiat pacem, & augeat concordiam.

Bona intentio & pia uoluntas.

Hiob. 9.

Iusticiarij crucifixores conscientiarum.

SEcundi, qui etsi falsa non doceant, ut occidant, tamen superficialiter, ac minus, quam debent, docent, ideo sunt crucifixores conscientiarum, & tortores animarum, Vt sunt ij, qui salua fide Christi, iusticias operum docent, raro fidem, sæpius opera, de quibus mihi uidetur Apoca. 9. dicere: Quod locustæ non occiderent homines, sed cruciarent eos mensibus quinq;, quia scilicet docent, per opera satisfieri pro peccatis, & tamen per hæc nunquam habent quietem conscientiarum, quam sola fides Christi donat.

Apoc. 9.

Sacra Scriptura.

Quocirca, cū Scriptura sancta uelit in timore & humilitate tractari, & magis studio piæ orationis penetrari, quā acumine ingenij, impossibile est, q; sine damno sint, uel suo proprio, uel aliorū, quos docent, qui nudo ingenio freti, in eam irruunt illotis pedibus sicut porci, tanquā sit humana quædam scientia, adeo nullo reuerentiæ discrimine uersantur in illa. Inde ueniunt tot

niunt tot promptuli ad docendum, qui statim cognita grammatica, Theologiam sine omni studio profitentur dicentes: Hem, Biblia res facilis est. Maxime autem id faciunt, qui distenderunt uentrem suum siliquis illis porcorum (id est, Philosophorum) Vnde de eis conqueritur B. Hieronymus, quod arbitrio suo trahunt repugnantem Scripturam, & iam prouerbium factum est, Scripturam habere cereum nasum. *Biblia res facilis est.* *Scriptura habet cereum nasum.*

DOCTORES SCHOLASTICI.

HOc effecerunt insulsi illi & inepti somniatores, ludentes in sensu literali, allegorico, morali, anagogico, & uocantur DOCTORES SCHOLASTICI, & hoc proprijssimo utroque nomine, Scholastici enim sunt, id est, ludicri & lusores, imo & illusores tam sui quam aliorum, qui neque quid sit litera, neque quid spiritus, cognouerunt. Et ferendum erat tale studium in quadruplici illa expositione Scripturæ, si modo tanquam rudimenta haberentur pro incipientibus. Nunc uero totius fastigium eruditionis in isto ludo statuunt, nec unquam ad uerum intellectum pertingunt, qui sine puritate cordis nunquam potest attingi. Illam autem quadrigam uersant etiam impijssimi. Vide B. Hieronymum in prologo Bibliæ, de eadem temeritate tractantium Scripturas. *Doctores Scholastici.*

IVRISTAE.

SEcundo de Iuristis, Hi enim ad literam contra hoc Præceptum agunt, quando in Labyrintho suo (id est, foro contentioso) nihil aliud quærunt, quam uictoriam, omnia allegant, quærunt, accipiunt, quæ pro se faciant, contra partem aduersariam. Vbi nouo miraculo unus & idem textus seruit contrarijs causis, Et factum est hoc studium periculis plenissimum. Sed dicunt: Nemo tenetur seipsum confiteri & accusare. Quid autem dicit Dominus? Non loqueris falsum testimonium aduersus proximum tuum, Cum hoc pro te alleges, quod contra illum est, quem scis iustam causam habere? *Iureconsulti sunt calumniatores.* *Dictum Iureconsultorum.*

Sed habent Iuristæ priuilegium magnum, ut nulli contra eos loqui, aut eos iudicare liceat. Id autem est, quod nemo recte arguit, quod non intelligit, At Iuris intellectus est infinitus & inexhaustus, neque est repertus Iurista, qui omnia norit. Idcirco si non ante de eis licet iudicare, quam omnia eorum intellecta fuerint, nunquam licebit iudicare, semper enim dicent, non esse intellectum quod arguitur. *Priuilegium Iureconsultorum.*

Vnum tamen dicendum, quod & ipsa habent iura, licet neglectissimũ, scilicet, quod finis, uita, uirtus omnium legum est, pax, charitas, concordia, quæ si quis non intendit, Legibus non utitur, sed abutitur. Qui enim ideo quærit effugium in glossa, contra textum, ut litem proroget & augeat, putas ne uiuam legem habet? Imo literam mortis quærit, & contra pacem laborat. *Finis legum, pax & concordia.*

At hoc ipsum qui non fecerit hodie, mirum si diu Iurista reputetur, aut diues efficiatur. Si enim tantum quærerent pacem, quantum litem, non tot libris, laboribusque foret opus. Igitur noli in faciem uerborum intendere, nec quo & quomodo ea possis torquere & ponderare, sed uide quo ipsa respiciant, nempe ad finem litis & iurgiorum mortem. *Notent hæc Iureconsulti.*

At hic dignissime considerandum caput 6. 1. Corinth. ubi Apostolus reprehendit, quod propter secularia, id est, temporalia & uictualia iudicia haberent, & non magis fraudem paterentur. Item Christus iubet etiam pallium dari auferenti tunicam &c. Sed dicitur, quod sunt Consilia, non præcepta, nisi ad præparationem animi. Ego autem illam præparationem *Pauli & Christi doctrina, 1. Cor. 6. Matth. 5.*

 animi

animi mirabilem non intelligo, quæ nunquam procedit & peruenit ad opus. Et B. Augustinus, qui exemplum Christi adducit, quod coram Hanna accipiens alapam non præbuerit & aliam, meo iudicio non recte intelligitur, ac per hoc male defenduntur ipsi.

Augustinus nõ recte intelligitur.

ARTISTAE.

Artistæ.

HVc forte pertinere potest, & illud miserum genus hominum, quod sese per Philosophiæ Aristotelis falsissimum nomen decipit & fatigat, cum Aristotelem neq; intelligant ipsi, neq; doceantur, falsis interim & fictis commentarijs pias in Christo animas occupant & onerant, imo illudunt potius, dum credunt hoc esse Philosophiam, quod non est, merasq; sectantur nugas. Et multo sunt ipsis Poetæ ac quicunq; fabulatores fortunatiores, propterea, quod Poetæ (ut B. Augusti. dicit) etsi recitent fabulas, non tamen credunt eas esse ueras, sola uoluptate uanitatis delectati. Illi autem credunt, ueras esse suas fabulas.

Meras nugas sectātur.
Poetarum studiosi fœliciores Sophistis.

Nam si meo consilio Aristoteles legeretur, certe uel in medio anno disci posset ab ingenio mediocri. Legeretur autem non sicut hucusq; lectus est, ea fide & religione, qua sacræ literæ, imo amplius, sed sic, ut alia quæcunq; leuis & extranea materia, tantum ut sciretur, non ut defenderetur. Vere enim sumus seducti per Aristotelem & commenta eius, Atq; si aliud non esset, hoc unum satis erat argumentum, Quod tot sectæ & capita sint in ista bestia gentili, simili Hydræ in Lerna, nam ibi sunt Thomistæ, Scotistæ, Albertistæ, Moderni, & factus est quadriceps Aristoteles, & regnum in seipsum diuisum, & mirum, quod non desoletur, sed prope est, ut desoletur. Quomodo ergo potest fieri, ut ueritas sit in tanta opinionum confusione? cum enim sint contrariæ, necesse est, ut & falsæ.

Consilium Lutheri.
Aristotelica Philosophia multum nocuit Christianismo.

Sed si isti Doctores & Magistri peccant, & contra hoc mandatum agunt, ubi manebunt illi somniatores, & perditum genus hominum, qui prædicant falsa Miracula, mendaces Legendas, ostentant fictas Reliquias, friuolas suas Visiones? Hic aliquis impudenti fronte iactat se cum Christo & Matre eius locutum & risisse, puto etiam saltasse. Hic habet fœnum, in quo Christus iacuit, quod tamen hoc anno natum est, & raptum in horreo.

Falsa miracula prædicantes.

Audiui ego factum, quod Mulier quædam (diabolo incitante, Deoq; uolente, ut illuderet eiusmodi superstitionis quendam fatuum cultorem) pubem suam totondit, & illi prorrexit, suadens, quod essent capilli S. Catherinæ, trans mare aduecti. Credidit ille cuculus, & pro reliquijs osculandos præbuit & uenerandos. Et ecce quid fit? Cœpit etiam miracula operari pubes illa turpitudinis. Nec immerito, ut fallantur mendacijs, qui non colunt ueritatem. Ecce hæc cum sint tam impura & impudentia, ut nec coram pudicis referri possunt, tamen fiunt. Igitur hi loquuntur falsum testimonium, non contra homines, sed contra Deum, & Sanctos iam regnantes.

Fictæ reliquiæ.
2. Thes. 2

Tale & illud est, quod nuper quidam ostendisse dicitur fœnum, quod fortuitu inuenit, dicens esse fœnum, in quo Christus, seu nescio quis Sanctus, dormierit.

Fœnum.

Ista ergo fabulamenta, indocti passim sacerdotes, sed plus Monachi stationarij multiplicant. Et Pastores non parum delectantur fabulis Legendarum & indulgentiarum, & omnium quæ dici possunt, præter Euangelium, Quia illa lucrosa sunt, dum populus á ueritate auditum auertit, ad fabulas conuersus.

Monachi stationarij.
Pastores ecclesiarū.
Euangelium negligitur.
2. Tim. 4.

Sed uæ

Sed uæ uæ atq; uæ iterum talibus fabulatoribus. Opus hic esset maxima reformatione Ecclesiæ, ut prorsus nihil, quantumq; pium & bonum, prædicari permitteretur, nisi quod authenticum & canonisatum esset, Nam sub tali pietatis specie pariter illa monstra fabularum intrauerunt, ut Prædicatores ecclesiastici prope superent Poetas gentiles fabulis & mendacijs. Imo ausim dicere, nec tutum satis esse, quod probatæ Legendæ & Miracula sic prædicentur, ut inde ueniat usus omittendi Euangelium. Sunt enim non principalis pars Sermonis habendæ, sed tantummodo interspergendæ Euangelio, ubi ad propositum faciant, & non integro sermone tractandæ.

Concionatores ecclesiastici prope superant Poetas gentiles fabulis et mẽdacijs.

SEcundo prohibetur omne mendacium, hoc est, falsum testimonium contra proximum. Est autem triplex, Iocosum, officiosum, pernitiosum, secundum B. Augusti. Iocosum proprie non est mendacium, quia statim percipitur esse mendacium, nemoq; fallitur, & ille etiam qui sic mentitur, intendit sic loqui, ut appareat false loqui & nugari. Est tamen peccatum, scilicet turpiloquium seu scurrilitas & uaniloquium. Contingit autem, quod aliqui tam rudes sint, ut tali etiam fallantur, maxime quando in religionibus fit iste iocus, ut cum dicitur: Si rem perdidisti, da calidam similam pro eleemosyna, & salem benedictum desuper pone, scilicet super rem perditam, & inuenies. Quod rudes intelligunt super similam, & credunt se inuenturos. Et similia multa.

Mendaciũ triplex. Iocosum.

Officiosum, quod causa officij (id est, obsequij) fit ad salutem & utilitatem suam uel alterius, sine damno alicuius. Vt si pudicitia fœminæ periclitaretur; & aliquis negaret esse eam, ubi est, uel aliud simile. Tale mendacium dixerunt obstetrices hebræarum mulierum in Aegypto. Item Michol uxor Dauid ad Saul, Vide ibidem utramq; suo loco historiam.

Officiosum.

Exod. 2. *1. Sam. 19*

An autem eo sit utendum? Respondet B. Augustinus, quod non, sed dicat uerum, quantum potest alijs uerbis, Vt de quodam Episcopo dicit lib. de mendac. qui iudici quærenti reum, qui ad se confugerat, respondit: Nec mentiar nec prodam, Non tamen est peccatum mortale, maxime quando rationali causa fit, & perturbatione subita.

Perniciosum (id est, damnosum) quia ad damnum alterius falsum dicitur, & fallit sic mentiens proximum, sicut non uellet ipse falli. De quo Dominus per Zachariam: Loquimini ueritatem unusquisq; cum proximo suo. Et iterum: Pacem & ueritatem diligite &c. Hæc enim sunt quæ placent mihi. Hoc malum in negocijs, tractatibus, pactis, fœderibus, literis, sigillis, & omni conuersatione hominum hodie latissime, pestilentissime, potentissime regnat, secundum illud Oseæ: Mendacium, furtum &c. inundauerunt, quia homines obliuiscuntur illius Regulæ. Quod tibi uis fieri, fac & alteri, & quod nolis, ne feceris, excœcati cupiditate propria &c.

Perniciosum.

Zach. 8. *Osea 4.* *Matth. 7.*

Vide autem monstrum humani cordis, etiam si omnia alia peccata hominem non fœdarent, hoc solum uicium maxime est contra naturam hominis. Primum, Quid enim omnis homo magis, quam scire desiderat natura? quid magis horret quam falli? Sicut B. Augusti. quod anima nihil adeo desideret, ut ueritatem, & tamen facit contra homo, & libenter.

Mendacium maxime contra naturam hominis.

Deinde etiamsi gula & luxuria, ira, inuidia, acedia, auaricia, cum multis bestijs conuenit, hoc tamen uicio eas superat cum Diabolo, quod solus homo mendax est, & Diabolus pater eius, soli enim homini ratio & sermo data sunt, quorũ officium est, ueritatẽ dicere. Et hinc credo, ꝙ inter omnia conuicia nullum sit acrius, quam si quis dicatur in faciẽ mentiri. Vrit enim hoc conuiciũ, plus ꝙ̃ si luxuriosus, ebriosus, iracũdus, superbus dicatur,

Diabolus mendax & homo. Mentiri conuicium atrox.

puto quod

putó quod natura ideo facilius sentit, quia innaturalissimum uicii
mini, deniq; humanæ societatis maximus hostis est mendacium.

Adulatio. *Tertia lingua.*

TErtio peccatur contra hoc mandatum, Adulatione, sul
surro, bilinguis, & tertia lingua,& omnia mala linguæ, alia
cepto 5. Hoc autem uicio nullus hominum uacuus est, nisi sit, qui
occidi & omnium odia mereri, puta, qui recta cordis institutione
cet ueritatem, secundum illud Psal. 15. Ad nihilum deductus est i
ctu eius malignus (id est, non timet ullum hominem malum, quai
sit potens, diues, sapiens, iustus, nõ enim accipit personas, nec resp
rursus timentes glorificat, quantumlibet sint infirmi & pauperes, a

Idcirco, aut adulandum est mundo, aut odium sustinendum a
quod in Christo,& omnibus Sanctis satis nobis monstratum est.
tem uicium licet passim dominetur, tamen in aulis Principum &
cum totis castris triumphat. Ibi enim sunt, qui mollibus uestiuntu
neras habent auriculas, Et certe non est in mundo locus, à quo adi
beat abesse longius,& tamen ubi est frequentior & potentior? Siqu
ductio Principis in malum, aut retractio à bono, necesse est omn
iectis noceat. Neq; est nocentior pestis Regnorum & Prouinciarum
adulator in aula. Quid enim querimur de bellis, aut gladijs aut a
dulatoris lingua super omnes gladios est. Deberent itaque ab au
maxime repelli, & grauissime puniri.

Aulæ Principũ & Pontificum.

Adulator nocentissima pestis. *Adulatoris lingua.*

Legitur de Alexandro Ro. Impe. adeo infenso adulatoribus
uideret coram sese, molliori gestu aliquem adulantem, non dimit
punitum, uel si maior erat, saltem derisum. Et Diogenes inter
quæ nam ferarum esset nocentissima, respondit: Inter feras Tyran
ter cicures Adulator.

Alexander Imper. Roma. *Diogenes.*

Horum duces & exempla in Scripturis sunt tarde reperta, fort
testationem uicij huius. Nam primus & insignior cæteris est Do
mæus, qui 1. Reg. 19. & infra Sauli in omnibus adulatus, causa fu
omnium sacerdotũ in Nobe. Sed & multa alia mala Dauid parauit
sequuntur Ziphei, proditores Dauid. Tandem Siba seruus Miph
qui etiam Dauid regem decepit.

Doech. *Ziphei.* *Siba.*

Sed attendant, quo fine Doech consumptus est cum Saule, cu
batur, Sed & filius eius patris adulationem infœliciter imitatus, 2.
statim à Dauid occisus est. Vnde & Psal. 52. totus eundem Doecl
nat: Quid gloriaris in malicia &c. Audiant adulatores quod sequi
lexisti uerba præcipitationis, linguam dolosam, Propterea Deus
te in finem, & euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radi
am de terra uiuentium. Vide quam exaggerata imprecatione per
adulatorem, Diligunt enim uerba præcipitationis, id est, quibus p
tent, pessundent, absorbeant proximos suos apud Principes, ut ipsi
modo dominentur & placeant &c.

Verba præcipitationis.

IVRISTAE.

VLtimo peccatur falso testimonio, in iudicio publico, de
supra dictum est. Hic autem Iuristarum, Notariorum, Patro
Aduocatorum, Iudicum periculum agitur. Hic iura ipsa sanctissima
tiuntur conditionem, ex qua colligit mel apis, uenenum aranea. Et
pulchre sese excusantes: Vigilanti iura subueniunt. Et iterum: C
endum est ad remedia iuris. Hæ sunt duæ Regulæ uehementer util
mo ad prorogandam iusticiam, Deinde ad seminandam litem, T
implendum marsupium Causidicorum. Non quod Regulæ illa
aut falsæ sint, sed quod fere nunquam bono usui seruiant, quod

Regulæ duæ forensium Patronorum.

sia

si aduertas, quid ipsi intelligant per Remedium iuris, & uigilantiam ad iura. Nempe id scilicet, quod cum uel teste conscientia pessimam habeat quis causam, uel saltem dubiam, Non hic audit consilium spiritus, Tene certum, dimitte incertum. Imo id cogitat tantum, quomodo ex causa pessima faciat optimam, uidelicet quod ægrotat, ideo remedia iuris illi adhibet. Et hoc est uigilare eorum, uigilant enim super iniquitatem, ait Propheta, Et ita fit, ut ex eodem textu iuris, unus uenenum, iniquitates defendens, alius mel, iusticiæ patrocinans, hauriat.

Remedium iuris. Vigilanti iura subueniunt.

HIc autem quid dicam? nisi ut miseriam Christianorum deplorem, qui omne studium suum conuerterunt ad lites, iudicia, forum, Nec ullus dignatur hic illud Christi attendere, Quod uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Obsecro te homo, tenta, proba, interroga teipsum, si quando habes causam cum proximo, Nonne uelles, ut te dimitteret in pace, non litigaret tecum, ut crederet tibi? Hoc ergo uis ut faciat tibi homo alter? Cur non facis & tu eidem, & cedis?

Miseria Christianorum. *Matt. 7.*

At inquis: Consilium est, non præceptum. Respondeo: Quomodo est consilium & non præceptum, quando Christus statim addidit: Hæc enim Lex & Prophetæ? Nunquid Lex est consilium? ergo nullum restat præceptum? nulla Lex? Quid hinc sequitur, nisi quod & Christi & naturæ legem obliti, in medijs agamus tenebris? Idcirco periculosissimum est studium iuris hodie, cum non seruiat ad pacem, ad lites componendas, sed suscitandas, prolongandasque.

Imo præceptum. *Studium iuris hodie periculosissimum.*

At dicis: Si sic facere oporteret, cito futurum est, ut pedibus conculcemur, & omnia rapiantur quæ habemus. Hic dico; Hoc est quod uult Scriptura, Ideo enim pupillos, orphanos & uiduas, pauperes & oppressos nos uocat, Quod scilicet Euangelium seruantes, patimur plura mala propter uerbum eius, non uindicantes, non retaliantes, imo etiam orantes pro persequentibus & calumniantibus nobis, ut simus filij Patris nostri, qui est in cœlis, quia & ipse benignus est super ingratos & malos. Et deberemus gaudere, nos esse pupillorum nomine dignos, quoniam protector eorum est Christus, quod si repetimus & litigamus, quando erimus pupilli?

Euangelium. *Math. 5.* *Christiani pupilli.*

Verum & hæc salutaria Præcepta, nobis in Consilia mutauerunt, dicentes: Quod secundum præparationem intelligenda sint animi, Et non attendunt, quod assidue ueniunt casus, præparationem illam in opus extendendi, & tamen non faciunt. Atque hic uide Dei potentissimam sapientiam, & sapientissimam potentiam, Ipse dixit: Verba mea non transibunt, & unum iota non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Vide, inquam, quomodo uerum sit: Ipse dixit & facta sunt.

Salutaria præcepta in consilia mutata. *Luc. 21.* *Math. 5.*

Illi, qui nolunt auferenti pallium, & tunicam dare, coguntur etiam camisiam illi dare inuiti, quia non dederunt tunicam uolentes, & per illos inuitos impletur mandatum, quod per spontaneos non potuit. Frequentissime fit enim, dum duo super re quapiam contendunt, per amicum pactum quilibet alteri cedens, ambo accepta rei parte, contenti forent, ubi dum litigant, longe plura consumunt, & in Causidicos profundunt duplo, quam cogerentur cessisse alteri partium.

Quid? quod aliqui ultra rei summam, duplam etiam consumunt, & tamen etiam illam perdunt. Hic cantari tempus est: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum. Da Causidico ingrato, alieno, irridenti te 20. florenos pro lite, qui noluisti fratri cedere 10. florenos pro pace. Quis est hic reprehendendus, nisi tu omnium cœcissimus, qui pecuniam profundis indignis cum peccato, quam cũ merito poteras relinquere fratri aduersario tuo, quem Deus dignum iudicarat ut haberet? Quod si triumphaueris, tamen cum peccato habes triumphum, & in morte utroque nudus inuenieris.

In eos, qui nolunt componere lites.

Verum

Verum hæc dicta sint de priuatis, nam publicæ personæ debent uigilare, ut nulli fiat iniuria, & requisiti uindicare illatam. Requirere autem permittitur infirmis, prohibetur autem Christianis.

Infirmis permittitur, Christianis prohibetur.

VLtimo notandum, quod sicut Apostolus Petrus ait: Nemo patiatur ut fur, aut malefactor, id est, non debet fateri sibi iuste fieri, si [1. Pet. 4.] sit innocens, sed culpam ablatori denunciare, & penes illum relinquere aculeum conscientiæ. Sic enim S. martyres, Attalus cum suis accusati, quod infantes uorarent in occultis, omnes Christiani constanter negauerunt usq; ad mortem. Sic Zacharias à Ioas rege occisus, dixit: Videat Dominus [2. Pa. 24.] & iudicet. Et S. Thomas Cantuariensis occisus est, non quia nollet res auferri, sed quia iusticiam ablatores habere negauit, nam utiq; permisit auferri res, neq; restitit ullo modo. Quin S. Stephanus quoq; adeo negauit suos persecutores iuste agere, ut etiam pro peccato eorum oraret.

Attalus. *Zacharias.* *Thomas Cantuariensis.* *S. Stephanus.*

Sic S. Hieronymus scribit de muliere septies percussa, quod mortem & omnia alia non timuit, sed innocentiam secum uoluit ferre. Imo ideo Christus Malcho respondit dure, & negauit se male locutum, ne iuste ille sibi uideretur fecisse. Ideo etiam respondit Caiphæ, se esse filium Dei, & falsum testimonium illorum confutauit, & tamen uitam sibi auferri permisit, imo uoluit, ut ita & nos rem relinquamus, iusticiam seruemus.

Mulier septies percussa apud Hieronymum. *Christus cur Malcho & Caiphæ respondit?*

REcapitulemus itaque, & summam ducamus, Hoc Præceptum tunc implemus, quando non solum falsum testimonium nō loquimur, sed nec de aliquo dici uolumus audire aut permittere (sicut faciunt qui credunt uel adulatoribus, uel consentiunt detractoribus) Imo adhuc reus est huius mandati, si non omni studio sollicitus sit fratris iniuriam, infamiam, ignominiam excusare, tegere, aut saltem, si non amplius potest, extenuare, contradicere infamantibus, accusantibus, detrahentibus. Sic enim sibi uellet quisq; fieri. Et sic erit filius spiritus Dei, qui paracletus uocatur, quia loquitur bona pro nobis, & dat testimonium spiritui nostro bonum, contra omnia testimonia diaboli & conscientiæ. Deinde, ut etiam doceat ignorantes Deum, Deiq; uoluntatem, moneat errantes, resistat decipientibus & hæreticis, ac alijs mentium deceptoribus, ut Apostolus ait. [Tit. 1.]

Huius præcepti impletio. *Imitator Spiritus sancti.*

Quare hoc Præceptum requirit ueracem, iustam, salutarem, innoxiam, & omnino totam fraternis officijs deditam linguam, atq; id ex intimo cordis fauore. Hæc est charitas, quæ non agit perperam, non æmulatur. Igitur [1. Cor. 13.] etsi non sit necesse confiteri sacerdoti, si fratrem non excusaueris accusatum, fœdatum falso testimonio, oppressum adulatione uel detractione, forte contentus, quod tu non ea feceris, Certe coram Deo reus argueris, tam impij silentij, & male ociantis linguæ, quæ in hanc fratris tui necessitatem & seruitutē tibi data est. At rursus, si id feceris, omnia in te deriuabis, & mox occideris. Et id est, quod Deus uult, ut quantocius propter uerbum eius è mundo eijciamur, & occidamur, & coronam iustitiæ quanto citius accipiamus.

Nota bene.

Hæc est uera & spiritualis huius Præcepti intelligentia.

PRAECE.

PRAECEPTVM IX. ET X.

NON CONCVPISCES DOMVM PROXImi tui.

NEC DESIDERABIS VXOREM EIVS, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia, quæ illius sunt.

AEC sunt in Sexto & Septimo inclusa, quia secundum expositionem Christi, ibidem prohibetur omne desideriũ & concupiscentia uxoris & rei proximi. Nam qui uiderit mulierẽ ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Deinde auariciam & cupiditatem adeo damnauit, ut etiam tunicam dandam iuberet ei, qui pallium abstulerit. Matt. 5.

Verum uidetur meo iudicio istis duobus Præceptis prohiberi ipse fomes, & inuincibilis cupiditas, ipsa, inquam, radix malarum cogitationum. Postrema duo præcepta 9. & 10. Vt scilicet sexto & septimo intelligantur prohibiti consensus cordis, & signum membrorum, uerbum oris, & opus corporis mali, hic uero etiam ipsi primi motus una cum fomite, qui est origo illorum. Nam oportet nos ita puros fieri, antequam in regnum cœlorum ueniamus, ut nec motus mali in nobis sint, nec ullus fomes ad malum inclinans, sed perfecta sanitas corporis & animæ, ab omni prorsus uicio, quod sane in hac uita non fiet, nec est in potestate nostra. Quis enim gloriabitur se mundum habere cor? quis Cor mundum. Roma. 7. hunc ignem intimissimum extinguet? cum Apostolus clamet aduersus hanc membrorum Legem, & Legem peccati. Ideoq; oculos, aures, omnesq; sensus intus & foris cohibemus, ne regnet peccatum in nobis, sed concupiscentiam nullus cohibere potest. Cur corpus in puluerem redigatur. Ideo deniq; Deus misericors statuit corpus nostrum in puluerem redigere, & per ignem uniuersalem incinerare, ut consumatur omne uicium carnis nostræ per ignem, adeo odit Deus hanc immundiciam.

Et hinc sequitur, quod sola ista duo sunt Præcepta, quæ à nullo quantumlibet sancto, aliquo modo implentur. Cætera omnia implent, quia opus, uerbum, consensum, fortiter opprimunt. Sed hic manent rei & peccatores, quia nihil de istis præceptis implent, cum sint infecti inuincibili con- Omnes Sancti sunt peccatores. Roma. 3. cupiscentia carnis & rerum. Ideo omnes peccant, & egent gloria Dei, Ideo omnes orant: Sanctificetur nomen tuum, Fiat uoluntas tua, Dimitte nobis debita nostra. Ideo omnes desperant in meritis suis, timore suæ immundiciæ, & confidunt de misericordia Dei, ut sic beneplacitum stet Dei super Psal. 147. timentes eum, & sperantes in misericordia eius.

Hinc etiam dissoluitur concertatio illa Scholasticorum doctorum: An Doctores scholastici. illa duo præcepta aliud prohibeant quam 6. & 7. Item, an sint diuersa præcepta? Et frustra laborant, dum hæc duo de cordis intelligunt operibus, quæ non possunt negare in 6. & 7. esse prohibita, ac sic eadem repetita, & frustra posita hæc duo, cum sint eadem cum illis. Nec possunt dicere, quod illic opus, hic uero cogitatio, seu illic manus, hic cor prohibeantur, quia Christus ipse resistit, qui illa de utroq; intelligenda docet.

REstat ergo, ut Apostolum Paulum sequamur, qui illa duo in uno Paulus. concludens, dicit, Concupiscentiam nesciebam peccatũ, nisi Lex dice- Rom. 7.

ret: Non concupisces, Rom. 7. Et late ibi prosequitur illo teneri omnes Sanctos, etiam seipsum, Ergo fomitis malum, & (ut sic dixerim) essentialis seu causalis impuritas in nobis hic prohibetur. Qui ergo omnia illa superiora se putat implesse, saltem hic uidet sese immundum, & egere se Christi mundicia pro sese oblata & acceptata à Deo patre misericordiarum.

Iudaeorum intelligentia. Porro Iudaeorum uel potius porcorum intelligentia, indignior est, quã ut in praecepta haec admittatur. Dicunt enim, quod 6. & 7. prohibeatur opus solum, & 9. ac 10. conatus exterior, & indicium operis manifestum, *Iuristae.* Quo modo & apud Iuristas conatus punitur, ut si quis rapere inciperet filiam alicuius, aut pararet insidias uitae alterius, plectitur capite. Ac sic apud eos cogitationes & uerba sunt libera, plena dolo & ira, & amaritudine, & omni (ut Christus ait) spurcitia, quia mundant id quod de foris est, intus *Synagoga.* autem plenum est auaritia & omni iniquitate. Ideo Synagoga est illa mulier, quae propter foeditatem suam, dato Libello repudij, dimissa est.

Haec sunt decem uerba (ut ait Moses) in quibus prorsus omne mandatum salutare continetur, & licet possint redigi in pauciora, rursum distribui *Denarius numerus Praeceptorum.* in plura, tamen placuit Deo in denario numero illa ponere, qui est numerus uniuersitatis perfectaeq; summae, ut sicut omnia olim contingebant in figura, ita & numerus iste denarius praeceptorum ideo assumptus est, ut figuraret omnium praeceptorum summam.

FInitis Praeceptis decem, nunc reducenda sunt ad illa tam multa genera Peccatorum. Siquidem nullum est peccatum, nisi quod cõtra prae- *Differentiae peccatorum.* ceptum sit Dei. Nescio enim an confessuris expediat tot differentijs peccatorum memoriam onerare, & sacerdotem fatigare, Vt sunt omissio & commissio. Deinde corde, ore, opere. 3. quinque sensus. 4. sex opera misericordiae. 5. Septem sacramenta. 6. septem peccata mortalia. 7. septem dona. 8. octo beatitudines. 9. nouem aliena peccata. 10. decem praecepta. xi. duodecim articuli fidei. xij. duodecim fructus spiritus. Vltra haec sunt quatuor uirtutes Cardinales, & tres Theologicae. Item peccata muta, peccata clamantia in coelum, & tandem peccata in Spiritum sanctum.

Obsecro, quid prodest ista confusio, & distractio mentis? Ita haec obseruantur, ut etiam necessarium existiment, nomina differentiarum & distinctionum numerare, ad perdendum scilicet tempus, ad obtundendum Confessorem, ad perturbandum seipsum, ut maiore cura, horum memoria laboret, quam contritionem meditetur, Item, ad alios etiam impediendũ. Ex ignorantia docentium iste tumultus confessionum natus est, cum con- *Confessio sit breuis* fessio debeat esse breuis & aperta, ut cito possit expediri uterque.

7. praecepta mortalia. Igitur peccata mortalia primum accipiamus, quorum numerus uidetur ex Iohanne Chrysostomo sumptus. Hic enim septem gentes Cananeorum Deu. 7. exponit septem uicia, moraliter uolens omnia peccata sub ijs com- *Deut. 7.* *Septenarius numerus.* prehendi, magis ratione numeri septenarij (qui est uniuersitatis symbolum) quam proprietate nominum. Nam alij faciunt octo, alij nouem, addentes inobedientiam & uanam gloriam, tum alij diuidentes matres in filias, & in species genera, tota in partes integrales & subiectiuas, infinita ex illis deduxerunt, & maria peccatorum, interim nihil de praeceptorum uera intelligentia solliciti.

Igitur non tantum septem sunt peccata mortalia, nisi uoluntaria diuisione, non necessaria ratione uel autoritate, sed possunt tum pauciora, tum plura esse, secundum quod uaria tropologia in Scripturis occurrerit. Vnde B. Augustinus in duo diuisit, scilicet, igne accensa & suffossa, id est, amorẽ male accendentem, & timorem male humiliantem.

PRImum

PRimum itaque mortale peccatum est Superbia, quæ est duplex. Exterior, quæ in bonis corporalibus est. Interior, quæ in bonis spiritualibus est, & ideo semper est contra primum mandatum. Quod patet, quia non habere alium Deum, hoc est, in nullo confidere, placere, gaudere, delectari, frui, quam in Deo solo. At Superbia nunc in diuitijs, nunc in uiribus, nunc in forma & uestitu, nunc in potentia & honore, nunc in nobilitate, Item intus in sapientia, arte, ingenio, iusticia, uirtute, sanctitate confidit, placet, Hæc bona creata eo actu colens, qui soli Deo debetur. Siquidem superbire duo importat, Primum, sibi placere, Secundum, alios fastidire, ideo includit uanam gloriam intus, quæ si erumpat foras, eo peior est. *Superbia duplex.* *Superbire uanã gloriam includit.*

Ideo superbus, dum sibi alicuius boni conscius est; non in illo Deum colit, aut gratias agens in eum refert glorificando, sed stat in seipso; delectatus super se, & euanescit in cogitationibus, tunc simul aduertit eum, qui talia non habet, quem cum sibi comparauerit, necessario fastidit, & tunc dicit, se esse aliquid, illum nihil. Et impletur illud Rom. 1. Dicentes se sapientes, stulti facti sunt, ita dicentes (scilicet intus apud se) se iustos, pulchros, diuites &c. iniusti, fœdi, pauperes facti sunt. Apoca. 3. Dicis, quia diues sum & locuples, & nescis quia pauper es, & miserabilis, & nudus. Sic itaque superbiæ substantia non est, nisi ubi sese uiliori comparauerit, uelut desursum ad infima despiciens. *Superbus.* *Roma. 1.* *Apoc. 3.* *Superbia.*

Econtra humilitatis substantia non est, nisi ubi sese meliori comparauerit uelut sursum ad summa suspiciens. Igitur quatuor pedes habet superbia, pedulens ille & crassus uitulus, scilicet, *Modestia.*

Ignorantia mali sui,
Scientia boni sui, } Dei
Hæc est ignorantia uera
Ignorantia boni alieni, } suijpsius
Scientia mali alieni.

Huius quadrati contrarium habet quatuor pedes humilitatis, scilicet:

Ignorantia boni sui,
Scientia mali sui, } Dei
Hæc est cognitio uera
Ignorantia mali alieni, } suijpsius
Scientia boni alieni.

Igitur non opus est, ut confitearis, te pronum esse ad superbiam. Quia semper sumus superbi omnes, nec ullus omni superbia caret. Sed tantum, si obedieris concupiscentiæ eius, & consenseris, uerbo, opere uel corde. Reliquum Deo querendum occulto gemitu, & confessione obscondita in cubiculo, ut ipse per gratiam suam malum illud radicis antiquæ destruat.

Dictum est de superbia, quomodo prohibita sit sub primo Præcepto, eo quod initium peccati sit superbia, seu quod idem est, Initium peccati apostatare à Deo, scilicet sibijpsi idolum fieri, sibi placere, in seipso delectari, potius quam in Domino, ac sic alienum Deum colere in semetipso, quod est grauissimum et primum peccatum, licet nemo sit ex Adam, quam diu uiuimus, qui non aliqua ex parte hanc in sese idolatriam agat, Ideoq; semper sibi pœnitendum & gemendum de sui placentia. *Superbia primo præcepto prohibetur.*

NVnc de auaricia dicendum, quæ est cupiditas, radix æque omnium malorum, secundum Apostolum, eo quod uolentes fieri diuites, incidunt in laqueum diaboli, & multa desideria inutilia & nociua. *1. Tim. 6.* *Auaricia.*

Auaricia prohibetur 1. 7. & 10. præcepto.

Hoc uicium sub duobus Præceptis prohibetur, imo sub tribus, scilicet sub septimo illo: Non furtum facies, Et ultimo: Non concupisces rem proximi tui, Et sub primo. Cum enim sub septimo prohibeatur omnis tractatio rei alienæ, ut dictum est, & præceptum quodlibet, ut dictum etiam est, est ita spirituale, ut non tantum opus & fructum & folia & ramos, id est, opera, uerba, signa, prohibeat, sed etiam radicem & succum, id est, cupiditatem, ex qua talia ueniunt, manifestum est, auariciam sub furto prohiberi, cum eadem sit radix & furis & auari, scilicet cupiditas. Item, cum sub ultimo prohibeatur ad literam concupiscentia rei proximorum, manifestum est, etiam fontem & caput huius concupiscentiæ prohiberi in spiritu, sed hæc est auaricia. Ideo omnium proprijssime, ultimum Præceptum prohibet, ultimum illud & uiuacissimum omnium uicium, quod cum senescentibus iuuenescit, & cum morientibus uiuit.

Auarus idolorum seruus.

VErum Apostolus Paulus Ephe. 5. suo sensu altius incedens dicit, quod auarus sit idolorum seruus, id est, cultor, ac sic sub primo mandato illud ponit. Quod etiam facit Baruch 3. Qui argentum thezaurizant, & aurum in quo confidunt homines. Et Psal. 78. in spiritu dicit: Et seruierunt sculptilibus Canaan. Canaan est negociator, quorum sculptilia, quid aptius quam monetas & numismata, uasa aurea & argentea, domus & alias possessiones, significant? Deniq; ideo in Lege potissimum prohibemur fabricare deos aureos & argenteos. Et prima idolatria populi in auro facta est, sub aureo uitulo, sed & maxima similiter tempore Hieroboam sub uitulis aureis.

Ephe. 5. *Baruch 3.* *Canaan.* *Psal. 78.* *3. Reg. 12*

Inde recte Apostolus, aurum, idolum intellexit, auarum idolorum cultorem uocans. Et in Latino non paruam habent consonantiam, aurum & auarum, auri auro, auari auaro, una tantum litera differunt, ut aurum ab auere dici uideatur. Igitur Apostolus idolatram auarum uocans, eo ipso satis exponit primum mandatum, quod cor hominis in solum Deum confidere debeat. Nam eodem sensu & gulosos & libidinosos dicit esse uentris cultores, quorum Deus uenter est, inquit.

Auarus idolatra. *Philip. 3.*

Omne peccatum est contemptus Dei.

VErum isto sensu omnia præcepta sunt in primo Præcepto, tanquam in capite suo. Nam omne peccatum est contemptus Dei, ac per hoc ipsum contra primum Præceptum, nec potest aliquod præceptum lædi, nisi simul & primum lædatur, quod continet omnia. Quia Dei uoluntas in omnibus offenditur, & postponitur nostræ. Ac sic Deus non colitur, imo alius pro eo colitur. Proprie tamen auariciam contra illud posuit Apostolus, quia imaginibus illa delectatur auri & argenti, multum similis ueræ idolatriæ, Cætera autem non ita simulacra & imagines habent.

Nullus pure uacat auaricia.

Ideo redeundo concludamus, quod nullus pure uacat auaricia, sicut dicit Esaias & Ieremias: Omnes à maximo usq; ad minimum sequuntur auariciam, beatus qui minus. Idcirco sequitur hanc inclinationem corruptæ naturæ, omnes oportet gemere coram Deo, sed non nisi opus eius internum uel externum confiteri coram sacerdote. Et qui diceret se uacuum esse cupiditate, magna certe superbia sibi arrogaret summam puritatis perfectionem. Ideo beati qui lugent, quoniam lugendi materiam habent in seipsis, super seipsos, ut Dominus dixit ad mulieres se sequentes. *Luc. 23.*

Libido.

TErtium mortale peccatum, est luxuria, cuius species satis dictæ sunt sub sexto Præcepto: Non mœchaberis. Et nulli dubium, quin illuc pertineat, ideo indicasse id sufficiat.

Gula.

QVartum, Gula, soror imo irritamentum & procus & minister luxuriæ, sicut & Ethnicus dicit: Sine Cerere & Baccho friget Venus. Hoc uicium Apostolus Philip. 3. sub primo mandato locat, dicens: Quorum Deus uenter est. Idem Roma. 16. facit: Huiusmodi non Christo, sed uentri suo seruiunt.

Philip. 3. *Roma. 16.*

seruiunt. Potest autem simpliciter sub sexto præcepto poni, Quia ubi libido prohibetur, ibi certe & omnis occasio & fomentum libidinis prohibetur.

Inter omnia autem fomenta libidinis, maximum et fortissimum est Gula, Cuius ratio est, quia internum, cætera ut aspectus, colloquium, auditus, tactus, sunt externa. Gula autem inflat uenas, & prouocat totum corpus ad libidinem. Nam & gentilis Plinius dicit, libidinem portentosam sequi post ebrietatem. Et B. Hieronymus ad Eustochium, & alias dicit, nihil ita mouere libidinem, sicut cibum indigestum, Ideo gulosus, uolens se tradit in libidinem. *Libidinis fomenta*

Sic etiam & ocium, & pigricia, somnolentia, strati mollitudo, omniaque alia libidinis mancipia, prohibita sine dubio intelligendum est ibidem. Et nisi gulosus statim occupetur labore multo, inuicta capietur libidine & titillatione. Vnde B. Hieronymus: Venter mero æstuans, cito despumat in libidinem. Vide, quomodo libido sit quodammodo uelut naturalis spuma gulæ, sic fumus naturale ignis, & spuma nouiter infusi uini, & bullitio feruoris aquæ, Quis hæc prohibere potest, nisi summa uiolentia? *Hieronymi dictũ.*

Qui ergo præcipit castitatem, sine dubio & media castitatis præcipit, ut sobrietatem, uigiliam, laborem, orationem, lectionem, meditationem, studium, officium in proximun, frigus, æstum, pauperiem &c. *Media ad castitatẽ*

Hic tamen notandum, de uomitu multi sibi maiorem conscientiam faciunt, quam de ipsa suffusione & ebrietate, sicut multi magis pollutionem nocturnam, quam ipsam causam eius, cogitationes, crapulasque ponderant, Sed certe uomitus non est res mala, nec peccatum unquam, cum uel fiat inuito, uel cum dolore. Idcirco non solum non fugiendus, sed etiam quærendus est uomitus ebrijs. ut Eccle. 31. Si coactus fueris multum bibere, surge & uome, & refrigerabit te, & non adduces corpori tui infirmitatem. Hoc consilium sapientis acceptandum est, & non sine ratione. Quia, inquit, refrigerabit te, id est, alleuiabit. Valet enim illa exoneratio, ut non ita inflentur uenæ, & surgat pruritus carnis, dum facilius digeritur, quod minus remanet. Melius est enim uomitu euadere libidinem, quam oppletione subire libidinem. *Vomitus.* *Eccl. 31.*

Secundo, quia infirmitas corporis uitatur, ut læsio capitis & omnium sensuum & uirium. Quis autem non maius peccatum putet, totum corpus lædi suffusione & retentione, quam uomitu ab eo periculo liberari? Vitam enim abbreuiare maius malum est, quam uomere, imo uomere nullum malum, sed replesse te, & ingurgitasse, ut uomitu egeas, malum est. Et utinam sub præcepto omnes ebrij & suffusi uomere cogerentur, spero tandem horrerent ebrietatem, dum scirent se cito oportere uomere quod biberent, quanquam & modo cogantur mingere, & uentrem soluere, nihil tamen mouentur exinde. Quod autem Scriptura aliquando uomitum repræhendit, ut canis reuersus ad uomitum, & Esa. Mensæ repletæ uomitu, Intelligitur de uomitu boni & salutaris uerbi, quod retinere debuit. *Ebrij.* *2. Pet. 2.* *Esa. 28.*

Tertio, Si uenenum aut aliud noxium aliquid bibens, sine peccato uomit, cur cum peccato uomit, qui uinum aut potum aliũ ita bibit, ut ueneno simile nocumentum inferat? Igitur conscientia est habenda in fundendo, nõ effundendo, cum ibi multis malis seruiatur contra præceptum Dei, hic uero multis bonis contra nullum, imo pro præcepto Dei.

Species & differentias gulæ omitto, quia non semper sunt peccata mortalia, Siquidem nec ipsa gula semper est peccatum mortale, imo raro, nisi sit usu. *Gula non semper peccatum.*

QVintum mortale est ira, quæ satis sub quinto præcepto est declarata. *Ira.*

Inuidia. SExtum, inuidia, quæ non debuit distingui ab ira, cum sit nihil, nisi inueterata ira, sicut B. Augustinus in Regula: Ne ira crescat in odium, & trabem faciat de festuca. Nam ira est recens uirgula, Inuidia est arbor & trabs magna. Igitur & hæc sub quinto præcepto est, autoritate Iohannis Apostoli: Qui odit fratrem suum, homicida est.

Acedia duplex. Exterior. SEptimum est acedia, quæ est tædium boni, pigritia ἀκήδια Græce, quæ est duplex. Vna in cultu illo figuratiua Dei & exteriore, ut sunt: Ecclesiam uisitare, uerbum audire, orare, legere, meditari, cantare, & sic est prohibitum uitium sub tertio mandato: Sabbatum sanctifices, ut satis patet.

Interior. Alia est subtilior & interior, in toto & omni genere seruitutis Dei, Et sic est nihil aliud, nisi inceptæ iusticiæ fiducia, & proficiendi negligentia, stare in uia Dei, tepescere, securum fieri, timorem Dei remittere. *Vicium hypocritarum.* De quo uicio hypocritarum tota Scriptura loquitur. Hæc enim facit iusticiarios securos, *Iusticiarij.* ante quorum oculos non est timor Dei, & auferuntur iudicia Dei à facie eorum. *Psal. 10. Luc. 11.* Horum fiunt nouissima peiora prioribus, quia inuenit Diabolus domum eorum ornatam, sed uacantem & securam, ideo ingressi habitant ibi. *Ingreßi habitãt ibi* O horribile uerbum nimis, quod habitant ibi, quia indurantur, qui eiusmodi sunt post inceptam iusticiam, longe magis, quam prius, Vt experientia uidemus, quomodo nihil mouentur ad omnia quæ audiunt, se non tangi credunt, & facti sunt uere progenies uiperarum, palea igni inextinguibili præparata.

Igitur hoc uicium sub omni Præcepto comprehenditur, cum in quolibet sit proficiendum. Sed nescio an sit confitendum. Credo quod non, quia est spiritualis defectus, *Spiritualis defectus* Deo soli, qui & solus ibi mederi potest, aperiendus.

SERMONVM DE DECEM PRAECEPTIS, quos R. P. Martinus Lutherus ad populum Vuitembergensem dixit, Anno M. D. X V I. & X V I I. Finis.

SEQVVNTVR IIII. CONCIONES D. M. L.

D. MARTINVS LVTHERVS PIO LECTORI SALVTEM.

MAgna uero gratia mihi a Domino nostro Ihesu Christo collata uidetur, ut uerba mea solius tam ingrata & odiosa sint multis, *Christus male audiuit propter ueritatem.* Deinde nescio in quot hæreses (ceu Prothei quidã essent) secunda pene lingua transformentur. Et nisi idem ipsi Domino nostro Ihesu Christo, Apostolisq; omnibus atq; Prophetis contigisse scirem, iamdudum desperans, silentium essem. Nunc uero cum urgeat officij mei necessitas, eo nitor, quod magis obediendum est Deo, quam Hominibus, paratissimus officium & titulum docendi relinquere, si ita placet maioribus Ecclesiæ, id est, Christo. Sin retinendum est, dent ueniam, & boni consulant, qui uolent.

lent, mei studij erit, omnibus uiribus sudare, ut Christus Christum Christo nunciet, & audiat.

Hæc commemoro, pie mi Lector, quod Sermonem quendam de excommunicatione feci ad populum Vuittembergensem, cuius ut ego prope sum oblitus, ita Aduersarij miseri, sunt plus quam oportet, memores, interpretesq; rigidissimi, ne dicam iniquissimi. Dabo itaq; operam, quantum sufficit memoria, ut sensa, si non uerba totius Sermonis, omnia in publicum exponam, ut probem, ea me docuisse, quorum neq; me pœniteat tractatorem, neque pium auditorem. Quid autem Amici mei paraphrasi aut pseudophrasi sua fecerint, aut faciant, det Dominus, ut aliquando uideant & ipsi. Amen. Vale.

Sermo de Excommunicatione.
Aemuli Lutheri.

I. DE VIRTVTE EXCOMMVNICATIONIS.

Ebitum uobis Sermonem, totiesq; promissum, tandem aliquando persoluo, hoc est, de uirtute Excommunicationis hodie dicendum est, quod ut planissime intelligatis, distincte procedam.

PRimum, Videndum, quid sit Excommunicatio Ecclesiæ, & quantum uis uocabuli ualet. Excommunicatio nihil est aliud, quam priuatio communionis, & extra communionem fidelium positio. Est autem fidelium communio duplex. Vna interna & spiritualis, alia externa & corporalis. Spiritualis est, una fides, spes, charitas in Deum. Corporalis est, participatio eorundem sacramentorum, id est, signorum fidei, spei, charitatis, quæ tamen ulterius extenditur usq; ad communionem rerum, usus, colloquij, habitationis, aliarumq; corporalium conuersationum.

Excommunicatio quid.
Fidelium cõmunio, spiritualis, corporalis.

Igitur sicut priore illa spirituali communione, nulla creatura potest animam uel communicare, uel excommunicatam reconciliare, nisi Deus solus. Ita non potest communionem eandem ulla creatura ei auferre, seu eam excommunicare, nisi solus ipse homo, per peccatum proprium.

Hæc sententia satis patet, quia fidem, spem, charitatem, nulla creatura potest conferre, uel auferre, iuxta illud Rom. 8. Quis separabit nos à charitate Dei? Et paulo post: Certus sum, quod neque mors, neque uita, neq; angeli, neque principatus, neq; uirtutes, neque instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundũ, neq; alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Ihesu, Domino nostro. Et 1. Pet. 3. Et quis est, qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis?

Rom. 8.
1. Pet. 3.

Secundum, Consequens ergo est, Quod excommunicatio Ecclesiastica, est duntaxat externæ priuatio communionis, scilicet Sacramentorum, funeris, sepulturæ, publicæ orationis, deinde aliarum (ut dictum est) corporalis necessitatis rerum & conuersationum. Hæc enim sententia nota est, Sic & Paulus 1. Corin. 5. scribit: Vt non cõmisceantur, nec cibum sumant cum eo, qui nominatur inter eos fornicator, maledicus, ebriosus, rapax &c. Et 2. Thes. 3. Si quis non obedierit uerbo nostro, per Epistolam hanc notate, & non commisceamini cum illo, ut confundatur. Sequitur: Et nolite

Excõmunicatio Ecclesiastica quid.
1. Cor. 5.
2. Thes. 3

quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem. Hæc si non de excommunicatione externa, salua interna communione dicta sunt, fateor me non intelligere Apostolū Paulum. Et Iohannes epistola 2. Si quis uenit ad uos, & non affert doctrinam hanc, nolite eum in domum recipere, nec Aue ei dixeritis, qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis. *2. Ioh. ep.*

Excōmunicatio nō priuat bonis Ecclesiæ.

Tertium, Excommunicari non est animam tradi Diabolo, neq; priuari bonis Ecclesiæ, communibusq; orationibus eiusdem. Hoc ex dictis abunde patet, quia manente fide, spe & charitate, manet uera communio, & participatio omnium bonorum Ecclesiæ.

Significat priuationem.

Reconciliatio.

Quartum, Excommunicatio, si iusta est, significat potius Animam esse diabolo traditam, & Ecclesiæ communione spirituali priuatam, quia fertur super eum, qui peccato mortali seipsum priuauit communione charitatis, & diabolo sese tradidit, Sicut econtra reconciliatio sacramentū est, & externum signum interioris reconciliationis & communionis. Ideo uerum est, quod excommunicatio Ecclesiastica, non infert, sed præsupponit, aliquem esse in morte & peccato, id est, uere excommunicatum spiritualiter.

Adiuuat internam communionem.

QVintum, Excommunicatio sic est temporalis & corporalis, ut tamen ordinetur, non contra, sed pro communione interiore, uel reparanda, si iuste lata fuerit, uel augenda, si iniusta fuerit.

Probatur hoc per Apostolum, 2. Corinth. ultimo: Agam secundum potestatem, quam dedit Dominus mihi, non in destructionem, sed ædificationem. Hoc certe intelligo, quod non possit destruere, sed tantummodo ædificare per Ecclesiasticam potestatem. Nam & illum fornicarium 1. Corint. 5. sic excommunicauit, & Satanæ tradidit, ut spiritus nihilominus saluus fieret. Et ut supra dictum est, non existimandi sunt quasi inimici, sed corrigendi ut fratres, non ut perdantur, sed ut confundantur. Et ut audacius dicam, Nec Christus, ut homo, hanc habuit potestatem separandi animas, sicut dicit Iohan. 6. Omne quod uenit ad me, non eijciam foras. Et iterum: Hæc est uoluntas eius, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam. Et iterum alibi: Non uenit filius hominis perdere, sed saluare animas. *2. Cor. 10 & 13.* *1. Cor. 5.* *2. Thes. 2* *Iohan. 6.*

Separandi animas potestatē nemo habet.

Cū medicinalis etc.

Item ad hoc est apertus quoq; textus lib. 6. de sen. com. ex c. Cum medicinalis, qui ualde est notabilis dicens, Cum medicinalis sit Excommunicatio, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, caute prouideat ecclesiasticus Iudex, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit & medentis. Hæc ibi. Cur non dixit, quod perdentis & occidentis fuerit, sicut quidam desperati timent, imo quidā Officiales tyranni affectant? Igitur ecclesiastica Excommunicatio, est pium & maternum Ecclesiæ flagellum, super corpus & res corporis impositum, quo non trudit ad infernum, sed potius reuocat, & urget ad salutem eos, qui ad inferna properant, ideo cum summa exultatione & reuerentia simul amplectendum, nedum patientissime ferendum est.

Excōmunicatio est pium Ecclesiæ flagellum.

Excōmunicatio nō contemnenda, sed ferenda & amāda.

SExtum, illud solum & maxime omnium curandum est, ne Excommunicatio tam fidele salutis ministerium, contemnatur, aut impatientius feratur, quia non modo propter potestatem Ecclesiæ, quæ per seipsam semper est metuenda, sed etiam propter piam huius potestatis operationem, & salutis propriæ promotionem amanda.

Sit simile

Sit simile, Quod mater corripiat dilectum filium, quandoq; meritum, quandoq; immeritum, Hic constat pium esse flagellum, & filio salutare. Quod si ipse impatiens maternæ huius disciplinæ non omiserit prohibitũ, aut non fecerit iussum, sed furens in matrem insurgat, aut contemnat, Ecce tum incurret in mandatum Dei, ubi præcipit, parentes honorari, & fiet, ut ex unica leuiuscula disciplina, quæ sine peccato, imo cum merito erat, sibi conflet detestabilissimam culpam, & æternam pœnam. *Simile de matre & filio.*

Ita & nostro seculo fieri (heu miseriam) uidemus, ut Officiales trucident, Notarios & Nuncios cædant, demergant, captiuent, aliaq; detestabilia portenta committant, quod non facerent credo, nisi uulgata illa erroneaq; opinione, crederent sese per Excommunicationem tradi in damnationem, ac non potius quæri ad salutem. Hinc enim sceleribus adijciunt desperationem, nouissimum omnium horrendissimumq; malorum. Atque hæc causa fuit, ut hunc Sermonem meditarer, & nunc æderem quoque. Quanquam iuste permittat hanc cædem in Officiales Deus, ut qui hanc Sententiam salutis absconditam cupiunt, quo securius tyrannidem suam falso terrore hominum stabiliant, tandem extrema tyrannorum etiam patiantur. *Persecutio ministrorum fori Ecclesiastici.* *Causa cur ædiderit hunc Sermonem.*

Si uero populus huius potestatis & Excommunicationis optimam necessitatem, & saluberrimam uim, ac non contra eos, sed pro eis, ualere, doceretur intelligere, minus ipsi periculorum, & quietiorem obedientiam in populo haberent, quin & gloriam & amorem obtinerent. *Tyrannis officialiũ.*

Igitur, mei Fratres in Domino, nolite hæc portenta cogitare, Sint Officiales uel Publicani, huius potestatis ministri, sint, inquam, boni, mali, qualescunque, non nocebit potestas ipsa uobis, sed proderit semper, siue sit in usu uel abusu, tantummodo recte feratis eam, aut cum humilitate euadere seu solui quærite, Matrem intuemini Ecclesiam, Quid ad te, si uirgam suam super te ponat per manum indigni? nihilominus matris tuæ dulcissimæ uirga est: & quidem saluberrima. *Admonitio Christiana.*

Septimum, Id potius aduerte, & oculos huc uerte, ut illud magis uel facias uel omittas, propter quod excommunicaris et flagellaris, quam quomodo uirgam non feras. Sed heu omnia hæc peruersissima sunt, nõ quid uelit, sed quid faciat duntaxat uirga, consideramus. Quis est enim nunc inter nos, qui tanto timore, timeat Deum offendere (pro quo utiq; solo excommunicamur, si iuste excommunicamur) quando studet excommunicationem uitare uel euadere? Ita fit, ut semper pœnas, etiam tum pias & bonas, plus timeamus, quam horrendissimas culpas. Et ad id, proh dolor, cooperantur, tam minaces & imperiosi huius optimæ potestatis ministri, Rabulæ forenses. *Excommunicatio.* *Rabulæ forenses.*

Octauum, Excommunicatio non tantum pro fidei contumacia, sed pro quolibet crimine scandaloso debet ferri, patet hoc ex prædictis, ubi Paulus 1. Corinth. 5. & 2. Thessalo. 3. iubet uitari etiam fornicarios &c. Quanquam magna sit miseria, & huius potestatis iniuria, quod pro septima aut octaua parte floreni quandoq; excommunicentur, relictis interim horribilibus & scandalosis criminibus impunitis, efficto ad hanc tyrannidem colorandam, satis uafro commento, Quod scilicet non propter transgressiones, sed propter contumaciam excommunicentur, quasi non sit hoc crudele satis, quod pauperem pro tantillo precio trahunt per tantum spacium, in tantas carnificinas suas. Sed hæc alias. *Excõmunicatio pro crimine scandaloso ferenda.* *1. Cor. 5.* *2. Thes. 3*

Nonum, Id super omnia & in his omnibus considerandum est, quod potestas Ecclesiæ, cum sit Christi potestas, licet pro nostris peccatis plerunq; tradatur Pilatis, Herodibus, Annis & Caiphis, uiolentisq; alijs tyrannis, *Ecclesiæ potestas reuerenda.*

rannis, nostrum tamen est, eam summis semper studijs reuereri & colere, exemplo Christi, qui sic Annam, Caipham, Pilatum honorauit. Ideo nec indignissimæ eiusdem abusionis, nos debent permouere, quin quicquid ipsa fecerit, hilariter feramus, aut saltem cum reuerentia declinemus. Nam tempus nostrum periculosissimum est, ideo prudentissime oportet nos agere, ne propter personas potestatem pariter uilipendamus, imo propter potestatē, etiā uilissimas personas honoremus. Sic enim iratus nobis dicit: Dabo Pueros principes eorū, & effoeminati dominabuntur eis, Esa. 3. Atq; id eo facilius efficiemus, quando cognoscimus, quod in Animæ profectum uel defectum nihil possunt nisi occasionaliter & exercitatiue & tentatiue (ut ita loquar) agere.

Tempus hoc periculosissimum.

Esa. 3.

Decimum, Excommunicatio iniusta, nobilissimum meritum est, ideo dulciter ferenda, si excusationi tuæ humiliter præstitæ, locus non fuerit datus. Hic enim dices illud Psal. 109. Maledicent illi, & tu benedices. Tantum uide, ne potestatem contemnas, uis potestatis prodest, contemptus uero tete perdet. Nam si filio (ut dixi) immerito correpto, eo maior gratia Matris accedit, postquam cognita fuerit eius innocentia patiens, quanto magis apud Deum maiorem gratiam consequetur, si patienti innocentia etiam à matre sua Ecclesia tulerit disciplinam, Imo si Aduersario iubemur consentire, & benigni esse in uia, quanto magis dulcissimæ matri Ecclesiæ, etiamsi per indignissimos nos flagellet, Ipsa enim manet Mater, quia manet Ecclesia. Manet autem Ecclesia, quia manet Christus eius sponsus in æternum.

Excommunicatio iniusta, nobilissimū meritum.

Psal. 109.

Matth. 5.

Mater Ecclesia.

Vndecimum, In excommunicatione iniusta summe cauendum, ne id deseras, omittas, facias, dicas, pro quo excommunicaris, nisi id sine peccato fieri possit. Nam iusticia & ueritas, cum sint de interiore communione Ecclesiæ, non debent omitti propter Excommunicationem exteriorem, etiamsi ad mortem usque procederet, qui sic pessime omnium excommunicaretur, si quis excommunicari timeret. Debet ergo humiliter ferre, & mori in Excommunicatione. Nec timere, quod non accipit sacramentum Eucharistiæ, funeris ritum, sepulturas &c. Hæc incomparabiliter minora sunt, quam ut iusticia propter ea prodatur. Nam qui etiam iuste excommunicatus moritur, non ideo damnabitur, nisi forte non contritus, & cum contemptu Excommunicationis moreretur. Contritio & humilitas omnia soluit & placat, etiamsi exhumetur, aut in aquas proijciatur. Beatus autem & benedictus, qui in Excommunicatione iniusta, mortuus fuerit, quia pro iusticia, quam non deseruit, etiam tanto flagello percussus, coronabitur in æternum.

Propter excommunicationē iniustā, non omittenda iusticia & ueritas.

*

Contritio et humilitas.

DVodecimum, Monendi tamen sunt Pontifices, & eorum ministri, ut censuras grauatim & quam fieri potest, rarissime ferant. Quia cum censura sit lex quædam, omnis autem lex sit uirtus & occasio peccati, & sine gratia Dei, lex non impleatur, gratiam etiam Dei (id est, Legis impletionem) dare ipsi non possunt, Nihil aliud faciunt, multiplicando leges & censuras, quam quod multiplicandorum peccatorum, & offensionum Dei, causas & efficaces occasiones præstant, Quantumlibet enim nos obedire tenemur eorum Præceptis, multo magis tamen ipsi tenentur seruire nostris infirmitatibus.

pontifices censuras grauatim ferant.

Multiplicatio legū & censurarum.

FINIS.

II. DE DI-

II. DE DIGNA PRÆPARATIONE CORDIS, PRO SVscipiendo Sacramento Euchariſtiæ.

PRIMO, neceſſarium eſt, ut omnia peccata manifeſte mortalia confitearis, atque doleas. Manifeſte dico, quia occulta nemo ſcire poteſt, iuxta illud Pſal. 19. Delicta quis intelligit &c. *Pſal. 19.*

Secundo, inter omnia peccata mortalia, præcipue inuidiam, diſplicentiam, aut quamcunq; prorſus amaritudinem cordis erga Proximum tuum deponas. Nō eſt enim aliud peccatum æque huic Sacramento aduerſum, atque diſcordia. Contrarium eſt enim, & nomini & rei huius Sacramenti. Nomen eſt communio. Res, unitas cordium, Sicut una fides, unum baptiſma, unus Dominus, una ſpes, ac prorſus omnia eadem & communia. Quod & figuratur in ſpeciebus Sacramenti, in quibus multa grana, amiſſa ſingulorum differentia, in unum panem, Item uuæ multæ, amiſſa ſua quoq; differentia, in unum uinum, redactæ ſunt.

Prou. 28. Tertio, Quia iuxta Scripturam, Stultus eſt, qui in corde ſuo confidit, Cumq; nullus ſit hominum, qui non habeat debitorem, ut B. Auguſtinus ait, Id eſt, nullus eſt, qui non inueniat, aut certe non aduertit, uel ignorat ſeſe inuenire in aliquibus, uel aliquo quod ſibi diſpliceat, deſperandum eſt tibi de tuo ſtudio, quod non poteris omnem erga omnes amaritudinem deponere. Ideoq; iuxta Chriſti conſilium, Intres cubiculum, ores Patrem tuum, ut ignorantias tuas non meminiſſe uelit, & id per gratiam ſuam facere, quod tuis uiribus non potes, id eſt, Cor dulce & commune dare. Sed hæc præparatio eſt remota, etiam confeſſuro neceſſaria, & quodlibet Sacramentum recepturo. Ideo *B. Auguſtinus. Matt. 6.*

Quarto, Oportet, ut animam uacuam & eſurientem offeras, id eſt, te plenum multis malis morbisq; animi confitearis, ſicut in ueritate es, etiamſi forte non ſentias. Nam, ut B. Auguſtinus ait: Iſte cibus nihil æque odit ac ſaturum faſtidientemq; ſtomachum, nihil ita quærit, ſicut animam eſurientem & ſitientem, ut ipſe quoq; Dominus Matth. 5. teſtatur: Beati qui eſuriunt iuſticiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Item B. Virgo: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Et Pſal. 107. Quia ſatiauit Animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis. Bona uero quæ ſunt alia? quam illa, quæ Galat. 5. recitat Apoſtolus dicens: Fructus Spiritus ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, longanimitas, modeſtia, continentia, caſtitas. In his ſi te ſentis deficere, & gemis, optasq; illa obtinere, ſecurus accede, nuſquam enim inuenies illa, niſi in iſto Sacramento. *Dictum B. Auguſt. Matt. 5. Luc. 1. Pſal. 107. Gala. 5.*

COROLLARIVM I.

OPtima diſpoſitio eſt, non niſi ea, qua peſſime es diſpoſitus, & econtra, Tunc peſſime es diſpoſitus, quando es optime diſpoſitus. Quod ſic intelligitur, Quod quando ſentis te miſerrimū & egenum gratia, iam eo ipſo capax es gratiæ, & idoneus maxime. Rurſus plus quam mortem & infernum timeas, ne quando ſic accedas, ut tibi diſpoſitus uidearis, ac dignus *Indigna & digna præparatio.*

dignus, quaſi allaturus Deo cor mundum, quod potius tibi fuerat quærendum & recipiendum. Stat firma & inſolubilis ſententia: Non eſt opus medico bene habentibus, ſed male habentibus. Nam ſicut non tunc, ita nec nunc Chriſtus uenit uocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Ideo pœnitentia potius poſt, quam ante Sacramentum digne peragitur. Deus tuus eſt bonorum tuorum non indigus, ſed bonorum ſuorum largus in te, uenit ad te. Matt. 9.

COROLLARIVM II.

MAgnus & pernicioſus error eſt, ſi quis accedat ad Sacramentum, ea nixus fiducia, quod confeſſus eſt, quod non eſt ſibi conſcius mortalis peccati, quod orationes & præparatoria ſua præmiſerit. Omnes hi iudicium ſibi manducant & bibunt, quia his omnibus non fiunt digni neque puri, Imo per eam fiduciam puritatis peius polluuntur, fiunt autem puri per fidem, ut ſequitur.

Quinto, id cura, ut cum plena aut ſaltem poſſibili fide accedas, certiſſime confidens tete gratiam conſecuturum. Tantum enim accipies, quantũ credis te accepturum, ſicut Chriſtus ait: Quicquid orantes petieritis, credite quod accipietis, & fiet uobis. Et iterum dicet tibi illud: Fiat tibi, ſicut credidiſti. Si enim accederes ſine iſta fide, iudicium tibi omnino acciperes & mortem. Sic enim in omni alio Sacramento non niſi illuſio & fictio agitur, ſi ſine fide percipitur, quod eſt horrendum. Hæc itaque fides ſola & ſumma ac proxima diſpoſitio, facit uere puros & dignos, quia non nititur in operibus aut uiribus noſtris, ſed in puriſſimo, piiſſimo, firmiſſimoq; uerbo Chriſti dicentis: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam uos. Et iterum: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Fides enim eſt, quæ iuſtificat, purificat, dignificat, Vt Act. 15. Fide purificans corda eorum &c.

Mar. 11. *Sacramenta ſine fide percepta.* *Matt. 11.* *Matt. 5.* *Fides iuſtificat, dignos facit &c.* *Acto. 15.*

COROLLARIVM III.

QVicquid ſit de contritione tua, de pœnitentia uera & falſa, illud maxime ſtude, ut in præſumptione iſtorum uerborum Chriſti accedas, & ſi accedens illuminaberis, & facies tua non confundetur. Vel matrem eius noli mendacem facere, quæ dicit: Eſurientes impleuit bonis. Multo magis ne ipſummet Dominum arguas mendacij, ubi promittit: Venite ad me &c. Argues autem mendacij, ſi non credis eum ita facturum tibi, ſicut promittit. Ideo infidelitas eſt maximum peccatum, & recta blaſphemia in ueritatem diuinam.

Infidelitas. *Luc. 1.*

Sexto, Si ſentis te nec iſta duo poſſe, uel ſatis poſſe, ſicut uere ſenties, ſi teipſum probes. Hic non uerearis cum Apoſtolis Dominum orare: Domine adauge nobis fidem. Et cum patre illius dæmoniaci, Mar. 9. Domine adiuua incredulitatem meam. Sic intra in cubiculum tuum, & dic patri tuo in cœlis: Ecce mi Domine Iheſu Chriſte, miſeriam meam reſpice, inops & pauper ſum ego, & tamen adeo faſtidioſus medicinę tuę, ut nec diuitias gratiæ tuæ ſuſpirem. Accende in me Domine deſiderium gratiæ tuę, & fidem promiſſionis tuæ, ut non offendam te optimum Deum meum peruerſa mea & incredulitate & ſaturitate. Ac ſic accede cum fiducia miſericordiæ eius, & in timore indignitatis tuæ.

Matt. 6. *Marc. 9.*

SEd hic tractandũ eſt illud Apoſtoli, 1. Cor. 11. Probet autẽ ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat &c. Hoc uerbũ multi ſic intelligere uidẽtur, ac ſi uelit Apoſtolus, nos nõ ante debere accedere, quam donec

Probet autem ſeipſum homo. 1. Cor. 11.

quā donec inuenerimus nos dignos & puros ab omni peccato. Ideo sibijpsis faciunt angustiam & carnificinam conscientiæ, discutiendo, conterendo, confitendo, non solum uenialia, sed ea quæ non sunt peccata. Et his factis (quod est horrendum baratrum præsumptionis) iam secure accedunt, nec de fide sua quicquam solliciti. Volunt enim iusti & digni uenire, & similes Deo, sicut Lucifer, cum deberent uelle iusti & digni fieri, & redire à Deo.

Igitur illud uerbum dictum est contra eos, qui Christum diuidebant in diuersas sectas, Alij uolentes esse Pauli, alij Cephæ, alij Apollo, alij Christi, 1. Cor. 1. Et ideo inuicē iudicabant & damnabant atque cōtemnebant. Insuper ad Sacramentū alij alios præueniebant & præsumebant, ut alij uenturi nihil haberent, ut clare ex textu & glossa B. Augustini patet: Quos Apostolus arguit, & pronunciat indigne manducare &c. uolens, ut seipsos potius probarent, iudicarent, damnarent, & non alios. Ea enim discordia (ut supra quoque diximus) maxime facit indignos & reos corporis Domini, & hanc eius esse sententiam, sequentia ostendunt: Itaque Fratres mei, cū conuenitis ad mandudum, inuicem expectate, ne in iudicium conueniatis. Item: Si nos ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur à Domino. Item: Non dijudicans corpus Domini. Q. D. Ita acceditis, ac si corpus Domini nihilo esset dignius reliquo pane naturali.

1. Cor. 1.

Potest quidem illud uerbum etiam de probatione intelligi, qua homo peccata sua discutit atque ponderat, Sed ea nō est satis, nec pertinet nisi ad insensatos & crassos illos Sacramenti contemptores, Non enim sufficit, ut probes & ponderes, quod malus fueris, nisi magis ponderes ac probes, quod bonus fieri cupias & anheles.

COROLLARIVM I.

SI Apostolus eo uerbo uellet nos probari a nobis, usque dum digni fieremus, prorsus ad impossibile nos obligasset, & omnes homines etiam Sanctos communione priuasset, sibi denique ipsi in plerisque locis contradixisset, ubi clamat, Omnes esse peccatores, & sola fide iustificandos. Oportet enim accessurum ad Sacramentum esse certissimum, se sine omni peccato mortali esse, si non uelit iudicium sumere. At impossibile est, ut ex se & suis uiribus certus fiat, Iuxta illud: Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me Domine. Et illud Iere. 17. Prauum & inscrutabile est cor hominis, quis scrutabitur illud: Ego Dominus scrutans renes & corda. Relinquitur itaque, ut certitudo illa stet super firmam infallibilemque petram, id est, Christum & uerbum eius.

Roma. 3. Psal. 19. Ierem. 17.

COROLLARIVM II.

QVARE, Vera & solida probatio est, si te inueneris inanem quidem, & sine pondere salutis & iusticiæ, onustum uero ac laborantem in multis malisque cupiditatibus, quibus inuentis anhelus sitias gratiam & misericordiam, easque non dubites in te consequuturum.

Sic B. Gregorius reprehendens Petrum, quod Dominum iussisset exire à se, quia peccator esset, ait: Si te peccatorem agnoscis, non oportet Dominū repellere abs te, sed multo magis inuitare. Et B. Ambrosius: Quia quotidie pecco, necesse habeo quotidie communicare. Et quidam Patrum consuluit, ne facile quis se abstineret à communione, ne forte simul & longe

Luce. 5. S. Gregorij sententia. B. Ambrosius.

fiat à Christo. Non enim venenum nobis dedisse ac reliquisse timendus est, qui nouissimum & maximum charitatis, quam ad peccatores gerit, memoriale seipsum protestatur nobis reliquisse, dum instituerct Sacramentum illud.

Septimo, Si tandem adeo infirmus es in fide, vt nec illa te satis iuuent, aut non possis ea præstare, apprehende illud nouissimum infirmorum remedium, & permitte te, sicut infantem, gestari in vlnis, & sinu matris Ecclesiæ, Imo cum Paralytico in lectulo, ut Dominus fidem illorum saltem intueatur, quando tua nulla est. Id est, vt in fide vel vniuersalis Ecclesię, vel hominis fidelis tibi noti accedas, & audacter dicas Domino Ihesu: Ecce Domine mi Ihesu Christe, doleo me tam infirmum, vt de tuo inæstimabili in nos amore, nihil aut tam parum præsumam. Ideo suscipe me in fide Ecclesiæ tuæ, & illius aut illius hominis N. Quicquid enim sit de me, necesse est, o Domine, me obedire Ecclesiæ tuæ, quæ iubet vt accedam. In obedientia venio saltem, si nihil aliud affero. Et crede firmiter, quod non indignus accesseris, Non est dubium, quin obedientiam Ecclesiæ tanquam sibi factam acceptet. Deinde non potest fieri, vt Ecclesiæ fides te permittat perire, Non magis certe, q̃ paruulum, qui alienæ fidei merito baptizatur & saluatur.

Obedientia Ecclesiæ utilis.

B. Bernhardus.

Sic B. Bernhardus, Cum aliquando Fratrem haberet nimis timidum & scrupulosum, ita vt nollet celebrare, ait ad eum: Vade mi Frater, & celebra in fide mea, Iuit ille obediens, & sanatus est ab omni languore conscientiæ suæ.

Ex Christo Mosen facere.

Ihesus christus.

Hæc itaque latius dixi, quia compertum habeo, multorum concionatorum terroribus, eo redactas Christianorum conscientias, vt sibi ex Christo Mosen fecerint, ex gratia Legem, ex remedio venenum, dum Christum falso imaginantur exactorem magis quam largitorem, ultorem magis q̃ propiciatorem, & in summa, damnatorem, non saluatorem, Ita, vt iam nec nominis sui, quod est, Ihesus Christus (id est, salutaris & unctus) gloria sit in cordibus nostris, nisi nudis syllabis. Non igitur omnibus oportet terribiles iudicij minas intentare, sed duris & insensatis, Trepidis vero atque scrupulosis, leuiores misericordiæ promissiones sunt declarandæ, quia alia medicina alijs morbis conuenit.

Memoria passionis Christi.

Octauo, Nec illud obmittendum, imo maxime curandum, vt memoria passionis Christi non omittatur. Quid enim prodest, si digne præpareris, & non impleas id, ad quod te præparasti. Nam præcepit Dominus id Sacramentum, non nisi in memoriam sui celebrari, Ideo omittendum est, si memoriam eius omittere uoles. Sic dixit: Hæc quociescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Et Paulus: Quociescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec ueniat. Inde enim statuit Ecclesia, vt missa sine Euangelio non legatur. Hæc memoria autem alium requirit Sermonem, quia non minus & ipsa in superstitiones & literalem hypocrisin apud multos versa, quam pleraque alia sacratissima Dei dona. *1. Cor. 11.*

FINIS.

Quomodo

QVOMODO CHRISTI PASSIO SIT CONSIDERANDA.

Vide ... p. 241. b.

Omini non est necessarium, vt Christum in ipsius passione deploret, sed magis seipsum in Christo. Nam passio Christi (ut S. Pater Augustinus dicit) non solum nobis exemplum est, ut sequamur eius vestigia, & in nobis membra terrena crucifigamus, sed etiam sacramentũ & mysterium, Christum per suam temporalem & corporalem passionem, nostram spiritualem perpetuam passionem ueteris hominis uicisse & crucifixisse.

Passio Christi nobis exemplum & mysterium.

Itaq; passionem Christi utiliter uel auditurus, uel lecturus, uel consideraturus, talem concipias necesse est affectum, tanquam ipse eandem passionem in & cum Christo patereris. Ergo audiens Christum flagellatum uel percussum, considera hoc significari, te spiritualiter flagellatum uel percussum. Sicut igitur tibi, si modo sanæ mentis homo es, dolet te spiritualiter à morte peccati & spiritu maligno cruciari, Ita dolet, & quidem uehementius dolet id Christo propter te in sua passione. Tu pateris ex merito, Christus propter te & innocenter portans in cruce non sua, sed tua peccata. Ita confitebatur Latro in cruce passionem Christi.

Latro dexter.

Sic & disce ex corporali passione Christi cognitionem tuæ spiritualis passionis, & noticiam tuijpsius. Christus in sua passione personam nostrorum peccatorum suscepit, ideo nos in cordibus nostris tales coram Deo apparere debemus, sicut ipse coram hominibus pro nobis apparuit. Et quemadmodum ipse propter nos lamentatus est, ita debemus nosipsos super eum deplorare. Sicut mulieribus dixit: Nolite flere super me, sed super vos & filios vestros.

Lucæ, 22.

Igitur qui seipsum non intelligit & inuenit in passione Christi, eam non intelligit sufficienter, & frustra compatitur Christo, siue Christi uicem dolet, quia ex Christi passione non discit sibijpsi compati. Ideo propter te Christus fleuit, cõquestus est & passus, ut discas tuam propriam passionem & miseriam coram Deo deplorare. Nam te recognoscens coram Deo filium mortis, merito debes flere, donec perpetuo libereris.

Si ergo ita efficaciter tuam miseriam in passione Christi, recognosceres, facilis tibi esset humilitas, mansuetudo, clementia, cõtemptus mundi & cętera, libenter etiam Christũ in omnibus ipsius sequereris passionibus, Quis enim nollet flere, uidens suam miseriam esse tantam, ut pro ea æterna, infinita & innocens Persona pateretur? Nam terribile est auditu, neque mirandum in parte nostra, si quisquam nostrum penitus desperaret, tantam miseriam considerans, Nisi è diuerso magna Dei misericordia in solatium succurreret, per quam nemo in Deo de sua salute desperare debet. Si enim Deus Filium pro nobis tradidit, dedit etiam in ipso nobis omnia. Quapropter vocatus in conscientia tua in accusationem, pœnam & mortem coram Deo, tunc confitere & deplora id totum ex merito uenisse, & respice Christum omnia innocenter & immerito patientem, id quod unicum tibi solatium sit.

Roma. 8.

FINIS.

III. DE TRIPLICI IVSTICIA.

TRIPLEX EST PECCATVM cui triplex oponitur Iusticia, Germanice frömkeit.

Peccatum manifeste malum.

PRimum est criminale, id est, manifeste malum, quod etiam potestas secularis punit, ut furtum, homicidium, incendium, sacrilegium &c. Quorum aliqua, gladio, igne, aqua, furca, rota plectit, ut in Iure ciuili. Aliqua, pœnitentia Canonica, ut simplices fornicationes, & alia quædam, ut in Iure canonico.

Iusticia legalis. IVsticia huic contraria, est illa species iusticiæ, quæ simias Salomonis, pauones, & sycomoros facit. Qua fit, ut coram hominibus bonus vir sit, & accusari non possit, euadatque pœnas Legis, cōsequaturque promissa temporalia legis. Roma. 10. Moses scripsit, quod iusticiam, quæ est ex Lege, si homo fecerit, viuet in ea. Et Esai. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. *Roma. 10. Esa. 1.*

Naaman. Talis fuit Naaman Syrus vir magnus apud dominum suum, per quem Dominus dabat salutem Syriæ, 4. Reg. 5. Tales multi reges Israel, & populus Israel, quibus Dominus dedit bona temporalia, & victorias multas, licet essent iuxta Idolatræ. Tales Samaritani, à quibus abstulit Dominus leones, cum tamen idola colerent, & Dominum Deum simul. Tales Romani iuxta B. Augustinum lib. de ciui. quibus Dominus dedit imperium amplissimum. Sic solet & Principes ditare. *4. Reg. 5.* *Reges Israel.* *Samaritani.* *Romani.*

Tales usque hodie sunt omnes, qui pœnitent propter pestem, famem, bellum, aliaue flagella Dei, qui tunc orant, qui Processiones faciunt, vota Sanctis vouent. Hi cultores Sanctorum, & sacerdotes propter præsentiam seruientes, & Religiosi similiter, & qui talia similia multa faciunt. Et breuiter. Hæc est iusticia, quæ recipit hic mercedem suam, & in futuro mitius quidem punitur, quam criminosi. *Iusticia legalis remuneratur in hac uita.*

Seruit sibi. Secundo non Deo, sed sibi seruit, nec est filiorum, sed seruorum iusticia, nec Christianorum proprie, sed Iudæorum & Gentilium. Nec Christiani ad eam sunt exhortandi, quia procedit ex timore pœnæ, vel amore commodi sui, non amore Dei.

Facit Hypocritas. Tertio facit Hypocritas superbos mente cordis sui, temerarios iudices aliorum, vt patet in Pharisæo illo & Simone leproso. *Luc. 18. 7*

Maledicta est, quia mercenaria. Quarto, hanc Apostolus Galat. 3. maledictam asserit, Qui ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt. Ideoque Christiani, qui æternis bonis sunt ditandi, non sunt exhortandi ad illam, sed dehortandi potius ad meliorem. Vnde non est gaudendum in his, sicut Principes Saxoniæ, Deus gloria, diuitijs, voluptate ditat, quia religiosi sunt. Etsi hæc non sunt satis, nascetur adhuc unus Mons argenti, & pax seruabitur. Ipsi uiderint, an bene id eis cedat, ne sint mercenarij. Sunt enim hæc præmia uilissimæ huius et maledicte iusticię, pertinentia ad benedictionem Esau & filiorum eius Hi sunt iactatores liberi arbitrij Themanitarum. Sic Deus munerat etiam mala, quia sicut in oculis hominum bona sunt, ita & in oculis hominum recipiunt bona. *Galat. 3.* *Benedictio Esau. Gene. 27.*

Alterum

Psal. 51. Alterum est peccatum essentiale, natale, originale, alienum, de quo Psal. 51. Ecce enim iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis cõcepit me mater mea. De quo Christus: Non potest arbor mala fructus bonos facere. Et Roma. 5. Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi, & per unius delictum in omnes homines in condemnationem. *Peccatum originale.* Matth. 7. Roma. 5.

Et hoc est peccatum, quod facit priorem iusticiam esse nihil & malam, & maledictam, sicut Christus ait: Aut facite arborem bonam & fructus bonos, aut arborem malam & fructus eius malos. Matth. 12.

Secundo, id peccatum est incurabile uiribus hominis, nec aliquid hic ualet liberum arbitrium, ita vt & Sancti dicant: Quod nolo malum, hoc facio. Roma. 7. Et Galat. 5. Non quæ uultis, facitis. Psal. 38. Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus &c. *Liberum arbitrium.* Roma. 7. Galat. 5. Psal. 38.

Tertio, id est, quod omnes sentimus in concupiscendo, irascendo, præsertim obiectis præsentibus, vt dicit Dominus de oculo nequam &c. Ideo dixi essentiale, quia per natiuitatem contrahimus & manet semper, nec aliquando transit sicut actuale, sicut fons, uenenum, aut aqua salis naturaliter salsa est, sicut corpus leprosum naturaliter est tale, & corpus cœcum similiter, non hic cum Logicis ago. *Oculus nequam.*

Iohan. 3. Iusticia huic contraria similiter est natalis, essentialis, originalis, aliena, quæ est iusticia Christi. Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu. Item Iohan. 1. Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Et 1. Iohan. 3. Qui natus est ex Deo, non peccat (id est, non est peccator) sed generatio Dei conseruat eum. Rom. 5. Per vnius hominis iusticiam in omnes homines in iustificationem uitæ, et per vnius hominis obedientiam iusti constituuntur multi. *Iusticia originalis.* Iohan. 1. 1. Iohan. 3. Rom. 5.

Hæc est, de qua nuper dixi, ꝙ sit sors, capitale fundamentum, petra nostra, & tota substantia nostra, in qua gloriamur in æternum, Vt Apostolus ait: Quod uita nostra abscondita est cum Christo in Deo. Et iterum: Vt nos essemus iusticia Dei in illo. Et 1. Corint. 1. Qui factus est nobis à Deo, iusticia, & sapientia, & sanctificatio & redemptio. Et 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere. Philip. 3. 2. Cor. 5. 1. Cor. 1. 1. Cor. 3.

Rom. 1. 10. Secundo, hæc fit nostra per fidem. Roma. 1. Iustus ex fide uiuit. Et Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam. Hæc per Baptismum confertur, hæc est proprie, quam Euangelium annunciat, & non est iusticia Legis, sed iusticia Gratiæ. *Iusticia originalis per fidem acquiritur.*

Psal. 89. Tertio, hanc qui habet, etiamsi peccet, non damnatur. Psal. 89. Si peccauerit &c. Hic enim filius delicatus (ut dicitur) qui non potest offendere quicquid fecerit. Psal. 25. Vniuersæ uiæ Domini misericordia & ueritas. Psal. 25.

Psal. 85. Quarto, per hanc fit homo Dominus omnium, quia iusticia eius de cœlo prospicit, & hic iusticia & ueritas obuiant sibi, Iusticia & pax osculantur, Veritas enim de terra oritur. Nam sine misericordia homo est hypocrita, sine iusticia inquietus. Gratia facit ueracem, iustum, & uera iusticia pacem, sed ea ueritas Christus est, homo uanitas. *Facit dominum omnium.*

Roma. 5. Quinto, Roma. 5. Apostolus dicit, ꝙ Adam sit forma futuri, scilicet, Sicut Adam vno peccato omnes ex se natos facit eodem suo peccato proprio, illis iam alieno, reos, & dat quod habet. Ita Christus sua iusticia omnes ex se natos facit eadem sua iusticia, illis aliena & immerita, iustos & saluos. Vt sicut alieno peccato damnati sumus, ita aliena liberemur iusticia. *Adam forma Christi.* *Iusticia originalis ex iusticia Christi.*

Iusticia essentialis. Et ideo essentialem hanc dixi & æternam, quia manet semper, nec cessat aliquando sicut actualis. Iuxta illud Psal 112. Iusticia eius manet in seculum seculi. Solus Christus est æternus, ideo iusticia eius quoque æterna, & tamen nostra. Hæc est misericordia Dei Patris, hæc gratia noui Testamenti, qua dulcis est Dominus his, qui gustant eum, in hac oportet nos saluos fieri, & nulla alia, Acto. 4. Non est nobis datum nomen sub cœlo. Psa. 31. In iusticia tua libera me. Et: Deus in nomine tuo saluum me fac &c. Hoc est quod dixi: Nullus saluatur nomine suo proprio, sed appellatiuo, id est, non ut Petrus, Paulus, Iohannes, sed vt Christianus, sicut ait Iohan. 3. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, filius hominis, qui est in cœlo, de qua nuper latius dixi. *Psal. 112. Acto. 4. Psal. 31. Iohan. 3.*

Peccatum actuale. TErtium peccatum est actuale, quod est fructus originalis, hæc sunt iam propria peccata, omnia scilicet opera, quæ facimus, etiam iusticiæ priores ante fidem. Iuxta Apostolum Roma. 2. & 3. Qui alium doces, teipsum non doces. Et iterum: Non est iustus, non est intelligens. Et iterum: Eadem facis, quę iudicas, in quo enim iudicas, condemnas teipsum. Et in hoc augetur malum peccati originalis, nec tamen potest vitari proprijs uiribus. *Rom. 2. 3.*

Iusticia actualis. IVsticia huic contraria est actualis, fluens ex fide & iusticia essentiali, de qua Apostolus: Sicut portauimus imaginem terreni &c. Psal. 85. Iusticia ante eum ambulabit (id est, coram eo erunt iusti in opere) & ponet in uia gressus suos. Et de ista nunc latius dicendum, ubi dimissum fuit nuper à me. *1. Cor. 15. Psal. 85.*

Opera meritoria. Primum, Hæc opera dicuntur meritoria, nescio an intelligant, Ego fateor me non intellexisse. Fides est meritum totum, uanissimum est, vt vnus actus subitaneus dicatur dignus uita æterna, oportet vt persona sit digna. Christus meruit nobis & donauit, donatque quotidie.

Secundum, Quomodo possit esse meritum, cum tamen omnes Sancti peccent, Iuxta illud: Non intres in iudiciū cum seruo tuo. Et Christus Matth. 7. Vos cum sitis mali. Et dimitte nobis debita nostra. Et B. Augustinus: Vę hominum uitæ quantumcunque laudabili &c. Et rursus: Vnusquisque mercedem recipiet secundum suum laborem. Et 2. Para. 15. Est merces operi uestro. Et Gene. 15. Ego merces tua magna nimis. Et Eccle. 9. Vade & comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio uinum tuum, quia Deo placent opera tua. *Psal. 143. Matth. 7. 2. Para. 15 Gene. 15. Eccle. 9.*

Imo caueat omnis Christianus, ne unquam incertus sit, an Deo placeant opera sua, Qui enim sic dubitat, peccat, & perdit opera sua cuncta, frustraque laborat. Sed oportet, ut credat sese placere Deo, ut Apostolus: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quod sine crimine conuersati sumus in hoc seculo. Et iterum: Non sic curro tanquam in incertum, non sic pugno quasi aerem verberans. Et Petrus: Satagite per bona opera certam facere vocationem vestram. Qui enim nescit aut dubitat sese bene agere, aut semper male se credit agere, semper peccat, ac perdit vitam suam totam, quia non ex fide, neque in fide agit. *2. Cor. 1. 1. Cor. 9. 2. Pet. 1.* *Qui semper peccent.*

Quid ergo faciemus? quomodo simul iudicium deprecabimur, & gloriam petemus? Respondetur: Cherubim aduersis uultibus nos erudiunt. Hi enim uultu sunt contrarij, sed prospectu in Propitiatorium conueniunt. Sic illæ autoritates contrariæ inter se, in Christo concordant. Ideo opera nostra si sola aspicias, peccata, & ita iudicium tibi est deprecandum (id est, ne sola sine Christo discutiantur) sed in Christo confidas, ea placere Deo, quæ ipsa sola placere non possunt, ut orat Ecclesia. *Sententiæ contrariæ, qomodo conueniant.*

Ideo,

Ideo, siue pecces, siue non, semper firmiter nitere super Christum & iusticiam illam naturalem. Septies enim in die cadit iustus, & toties resurgit. Et

Psal. 37. Psal. 37. Cum ceciderit iustus, non collidetur, Dominus enim supponit manum suam. Sicut ergo de Christo non debes dubitare, quin placeant propter Christum, in quo credis, & sic sunt opera talis fidei & gratissima, licet apud te, & inseipsis indignissima

Tertium, quæ sunt opera potissimum facienda? Respondeo: Maxime illa, quæ promouent iusticiam capitalem, & minuunt originale peccatū. Ideo unicuiq; est propria sui obseruatio necessaria. Quia originale peccatum, unumquenq; aliter & aliter impugnat. Generalia sunt, orationes, eleemosynæ, ieiunia. Imo Roma. 12. omnium pulcherrime, & alibi: Mortificate membra uestra. Quia illa tertia iusticia nihil aliud quæritur, q̃ ut peccatum originale expugnetur, & corpus peccati destruatur, & sic meritum sit ipsa regnans iusticia, non autem q̄ actus mereatur, sed promouet meritum. *Quæ opera sint facienda.* *Roma. 12.*

QVartum, præ omnibus custodi te ab operibus abs te electis, quia hæc nō purgant peccata, sed polluunt magis, ut sunt nostro tempore, ceremonialia, orationes, uoculæ, Ecclesiarum structuræ. Ideo illa opera magis purificant, quæ Deus imponit & vocat, inde omnium sunt optima, passiones, ægritudines, penuria, ignominia, mors, quia hæc solus Deus operatur, & homo patitur, & perfectissime occiditur Adam, mundaturq; uitiis Christus, & palmes eius purgatur. Hæc est enim uia compendij ad salutem, sed odiosa ualde in actu, iucunda in fine. *Opera electa.* *Iohan. 15.*

IIII. DE DVPLICI IVSTICIA.

Philip. 2.

FRAtres, hoc sentite in vobis, quod & in Christo Ihesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.

Duplex est iusticia Christianorum, sicut & duplex peccatum est hominum.

PRIma est aliena, & ab extra infusa. Hæc est, qua Christus iustus est, Sicut 1. Corinth. 1 Qui factus est nobis à Deo, sapientia, iusticia, sanctificatio & redemptio. Siquidem & ipse (ut Iohannis) 11. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, non morietur in æternum. Et iterum Iohan. 14. Ego sum via, veritas & vita. *Iusticia infusa uel aliena.* *1. Cor. 1. Iohan. 11. Iohan. 14.*

Hæc ergo iusticia datur hominibus in Baptismo, & omni tempore ueræ poenitentiæ. Ita ut homo cum fiducia possit gloriari in Christo, & dicere: Meum est, quod Christus uixit, egit, dixit, passus est, mortuus est. Non secus, q̃ si ego illa uixissem, egissem, dixissem, passus essem, & mortuus essem. Sicut sponsus habet omnia, quæ sunt sponsæ, Et sponsa habet omnia quæ sunt sponsi, Omnia enim sunt communia utriusq;, sunt enim una caro. Ita Christus & Ecclesia sunt vnus spiritus. Sic benedictus Deus & Pater misericordiarum (secundum S. Petrum) maxima & preciosa donauit nobis in Christo. Et Paulus 2. Corin. 1. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Ihesu Christi, Pater misericordiarum & Deus totius consolationis. Et Ephe. 1. Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. *2. Pet. 1. 2. Cor. 1. Ephe. 1.*

Hæc gratia & benedictio ineffabilis olim promittebatur Abrahæ Gen. 12. In semine tuo (id est, in Christo) benedicentur omnes tribus terræ. Et Esaiæ 9. Paruulus natus est nobis, & Filius datus est nobis. Nobis, inquit, quia noster est totus cum omnibus bonis suis, si in illum credimus. Sicut Rom. 8. dicit: Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, Quomodo non omnia nobis cum illo donauit? Omnia ergo sunt nostra, quæcunque habet Christus, gratis & indignis nobis ex pura misericordia donata, cum potius iram & damnationem meruerimus pariter & infernum. Gene. 12. Esa. 9. Roma. 8.

Vnde & ipse Christus, qui uenisse dicit se, ut hanc pijssimam uoluntatem Patris sui faceret, factus est ei obediens, & quicquid fecit, nobis fecit, nostrumque esse uoluit, dicens: Ego in medio uestrum sum, sicut qui ministrat. Et iterum: Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Et Isaias dicit 43. Seruire me fecisti in peccatis tuis, & laborem præbuisti mihi in iniquitatibus tuis. Lucæ. 22. Esa. 43.

Fide in Christum, iusticia eius, fit nostra.

Igitur per fidem in Christum, fit iusticia Christi nostra iusticia, & omnia quæ sunt ipsius, Imo ipsemet noster fit. Ideo apppellat eam Apostolus iusticiam Dei, Roma. 1. Iusticia Dei reuelatur in Euangelio, sicut scriptum est: ex fide uiuit. Denique & fides talis uocatur iusticia Dei, ut eiusdem 4. Arbitramur hominem iustificari per fidem. Hæc est iusticia infinita, & omnia peccata in momento absorbens. Quia impossibile est, quod peccatum in Christo hæreat, & qui credit in Christo, hæret in Christo, estque unum cum Christo, habens eandem iusticiam cum ipso, Ideo impossibile est, quod in eo maneat peccatum. Roma. 1. Haba. 2. Roma. 4.

Fundamentum iusticiæ propriæ.

Et hæc iusticia est prima, fundamentum, causa, origo omnis iusticiæ propriæ seu actualis, quia uere ipsa datur pro originali iusticia, in Adam perdita, & operatur id, imo maius quam illa iusticia originalis fuisset operata. Sic intelligatur illud Psal. 31. In te Domine speraui, non confundar in æternum, in iusticia tua libera me, Non in mea, sed in tua, inquit, id est, in iusticia Christi, Dei mei, quæ est per fidem, per gratiam, per misericordiam Dei, nostra facta.

In iusticia tua libera me. Psal. 31.

Nomina fidei.

Et hæc uocatur in Psalterio per multa loca, opus Domini, confessio, uirtus Dei, misericordia, ueritas, iusticia. Omnia hæc sunt nomina fidei in Christum, imo iusticiæ, quæ est in Christo. Vnde & Apostolus ad Galat. 2. audet dicere: Viuo iam non ego, uiuit uero in me Christus. Et ad Ephes. 3. Vt det uobis Christum habitare per fidem in cordibus uestris. Galat. 2. Ephe. 3

Iusticia aliena. Originale peccatum.

Hæc igitur iusticia aliena, & sine actibus nostris per solam gratiam infusa nobis, trahente intus, scilicet Patre nos ad Christum, opponitur peccato originali, quod alienum similiter est sine nostris actibus, per solam generationem nobis cognatum & contractum. Et ita Christus expellit Adam de die in diem magis & magis, secundum quod crescit illa fides & cognitio Christi, Non enim tota simul infunditur, sed incipit, proficit, & perficit tandem in fine per mortem.

Iusticia nostra & propria.

SEcunda iusticia est nostra, & propria, Non quod nos soli operemur eam, sed quod cooperemur illi primæ & alienæ. Hæc nunc est illa conuersatio bona in operibus bonis, primo in mortificatione carnis, & crucifixione concupiscentiarum erga seipsum, sicut Gala. 5. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum uicijs & concupiscentijs. Galat. 5.

Secundo & in charitate erga proximum.
Tertio in humilitate ac timore erga Deum.

De quibus

De quibus plenus est Apostolus & omnis Scriptura. Breuiter autem omnia ad Titum 2. comprehendit, dicens: Sobrie (quo ad seipsum in carnis crucifixione) & iuste (quo ad proximum) & pie (quo ad Deum) viuamus in hoc seculo &c. *Tit. 2.*

Hæc iusticia est opus prioris iusticiæ & fructus, atque sequela eiusdem, sicut ad Galat. 5. Fructus autem spiritus (id est, spiritualis hominis, qui fit per fidem in Christo) Charitas, gaudium, pax, pacientia, bonitas &c. Spiritus enim uocatur homo spiritualis illo loco, quod patet, quia illi fructus sunt opera hominum. Et Iohã. 3. Quod natum est de carne, caro est, quod natum est de spiritu, spiritus est. *Galat. 5.* *Fructus spiritus.* *Iohan. 3.*

Hæc iusticia perficit priorem, quia semper laborat, vt Adam perdatur & destruatur corpus peccati, Ideo odit se & diligit proximum, Non quærit quæ sua sunt, sed quæ alterius, & in hoc est tota conuersatio eius. Nam in hoc, quod odit seipsum, & non quærit quæ sua sunt, facit sibi crucifixionem carnis, Quod autem quęrit quę alterius sunt, operatur charitatem, & sic vtroque facit voluntatem Dei, uiuens sibi sobrie, proximo iuste, Deo pie. Et in hoc imitatur exemplum Christi, & conformis fit imagini eius. Nam & hocipsum Christus requirit, vt sicut ipse omnia fecit pro nobis, non quærens quæ sua sunt, sed tantummodo quę nostra, & in hoc obedientissimus fuit Deo patri, Ita uult, ut & nos idem Exemplum ad proximos exhibeamus. *Effectus iusticiæ.* *Imitatio exempli Christi.*

Et hæc iusticia opponitur peccato actuali, & proprio nostro, vt ad Roma. 6. Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, ad iniquitatem, Ita nunc exhibete membra uestra seruire iusticiæ ad sanctificationem. Igitur per iusticiam priorem oritur uox Sponsi, qui dicit ad animam: Tuus ego. Per posteriorem vero uox Sponsæ, quæ dicit: Tua ego. Tunc factum est firmum perfectumque atque consummatum matrimonium, ut in Cant. Dilectus meus mihi, & ego illi Q. d. Dilectus meus est meus, & ego sum sua. Tunc anima non quærit amplius esse sibi iusta, sed habet suam iusticiam, Christum, quęrit ergo aliorũ salutem tantummodo. Vnde per Prophetam minatur Dominus synagogæ, Quod auferetur ab ea uox lætitiæ, uox sponsi, & uox sponsæ. *Roma. 6.* *Cant. 2.*

Hoc est, quod thema propositum dicit: Hoc sentite in uobis &c. id est, sic sitis animati & affecti erga inuicem, sicut uidetis Christum affectum erga uos fuisse. Quomodo? Qui, scilicet, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed exinaniuit seipsum, formam serui accipiens &c. *Philip. 2.*

Forma Dei hic non dicitur substantia Dei, quia hac Christus nunquam se exinaniuit, Sicut nec forma serui dici potest, substantia humana, Sed forma Dei est sapientia, uirtus, iusticia, bonitas, deinde libertas. Ita quod Christus homo fuit, liber, potens, sapiens, nulli subiectus, nec uicio nec peccato, sicut sunt homines cuncti. Talibus enim præstabat formis, quæ maxime Deo cõueniunt, & tamẽ in hac forma nõ superbiuit, nõ sibi placuit, nec alios fastidiuit atque contempsit, qui erant serui, & uarijs malis subiecti, Sicut ille Pharisæus, qui dixit: Gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri homines, Quem delectabat, quod alij essent miseri, utique nolens, quod essent ei similes. Et hæc est rapina illa, quam homo sibi arrogat, imo seruat, quæ habet, & non refert pure in Deum, cuius hæc sunt, Nec per ipsam alijs seruit, ut se similem faceret cæteris, & ita uolunt esse sicut Deus, in seipsis sufficientes, sibi placentes, in seipsis gloriantes, nulli debentes &c. *Forma Dei.* *Forma serui.* *Pharisæus.* *Luca 18.*

Christus

Christus autem non ita arbitratus est,non ita sapuit, sed illam formam retulit in Deum patrem, ac exinaniuit, nolens illis uti titulis contra nos, nolens dissimilis nobis esse, Quin magis nobis factus est, sicut unus ex nobis, & formam serui accepit (id est,omnibus malis sese subiecit) Et cum esset liber (ut Apostolus quoq; ait) omnium se seruum fecit,non aliter agens, q̃ si sua essent omnia ista mala, quæ nostra erant. Itaq; super sese accepit peccata nostra & pœnas nostras, & egit ut uinceret ea, tanquam sibijpsi, cum tamen nobis ea uinceret. Ita cum esset respectu nostri talis,ut Deus noster esse,& Dominus esse posset,tamen ita noluit,sed seruus potius fieri voluit noster,sicut ad Roma.15. Non debemus nobis placere,etenim Christus non sibi placuit,sed sicut scriptum est:Improperia improperantium tibi ceciderunt super me,quæ est eadem Sententia cum prædicta.

Christus formam serui assumpsit.

Roma.15. *Psal.69.*

Ex isto sequitur, Quod ista Autoritas negatiue debet intelligi, quam multi affirmatiue acceperunt,scilicet, quod Christus non arbitratus est esse se æqualem Deo, id est,noluit esse æqualis,ut fit per eos, qui id rapiunt per superbiam,qui dicunt Deo : Si non dederis (vt ait B. Bernhardus) mihi gloriam tuam,ipsemet mihi usurpabo. Non autem affirmatiue sic:Non arbitratus est se esse æqualem Deo, Id est, q̃ esset æqualis Deo, id non putauit rapinam.Hęc enim sententia non habet aptam intelligentiam,loquitur enim de Christo homine.

Christianus fiat, Christi exemplo, alterius seruus.

Apostolus id uult, ut singuli Christiani, exemplo Christi,fiant alterius serui. Et si quid habent sapientiæ, uel iusticiæ, uel potentiæ,quibus cæteris possint præstare & gloriari, tanquam formis Dei, non hoc seruent, sed in Deum referant,& omnino fiant,quasi non habeant, & efficiantur sicut unus illorum,qui non habent. Vt quisque sui oblitus, & exinanitus à donis Dei, agat cum proximo suo eo affectu,quasi sua sit propria infirmitas, peccatum, stulticia proximi,non glorietur, neque infletur, neque fastidiat,neq; triumphet aduersus illum,quasi Deus illius,& ęqualis Deo sit,quod cum soli Deo sit relinquendum,rapina fit per talem superbamq; temeritatem.

Forma serui.

Sic itaque accipitur forma serui,& impletur illud Apostoli Galat.5.Per charitatem seruite inuicem.Et Roma.12.ac 1.Corinth.12. Per similitudinem membrorum corporis docet,quomodo membra robusta, honesta,sana, non superbiunt aduersus infirma, inhonesta, ęgrota,tanquam dominentur & sint dij eorum,Sed econtra magis seruiunt illis, oblita suæ honestatis, sanitatis, potentiæ,Sic enim nullum membrum corporis sibijpsi seruit, nec sua quærit, sed alterius, & eo magis, quo fuerit illud infirmius, ægrius, inhonestius, & ut uerbis eius dicam : Inuicem sollicita sunt membra,ne sit schisma in corpore.

Galat.5. *Roma.12.* *1.Cor.12.*

Quod tibi uis fieri,alteri facias.

Ex istis nunc patet, quomodo agendum sit cum proximo,in quacunque causa. Et illa doctrina practicanda : Quæcunq; uultis, ut faciant uobis homines,& uos facite illis. Exempli gratia : Si estis offensi à proximo,statim suggeritis,uindicta peteda (Sic enim sapit natura ex Adam) Hic apparent illæ duæ Formæ, scilicet iusticia in offenso, & iniusticia in offensore,Si hic natura præualuerit, quid fiet ? Nempe sibijpsi placebit & inflammabitur aduersus offensorem, atque uelut iniustum despiciens per sententiam, & iudicat atque condemnat, & temere omnia agit contra eum, quæ Dei sunt, tanquam superior illo, Dei enim est gloria, uindicta, iudicium,Rom.12.Mea est ultio.Iohã.8.Est qui quærat & iudicet. Hic igitur fit homo

Matth.7.

Gloria, uindicta &c.Dei est.

Roma.12. *Iohan.8.*

homo sanguinum, iratus, inuidus, impatiens. Sed interim obliuiscitur, quod & ipse in plurimis alijs offendit Deum & hominem. In quorum tamen uno non uellet sic secum agi, sicut agit in isto unico, cum proximo suo, Nollet enim vindicari, iudicari, confundi &c.

SEcundo non uidet exemplar illud Christi, qui propter hoc, quod tam multipliciter est offensus, non solum nō quærit vindictam in eum, sed etiam uelut misero & insano compassus submittit sese formæ eius, ac pro eo peccato, quo offensus est, ipse non aliter agit oblitus formæ proprię, quam si ipse hoc fecisset. *Exemplar Christi.*

TErtio non videt, quod proximus ille offensor est, sicut membrum suum ægrotum, inhonestum & sanandum. Quod magis compassione misericordiæ fouendum est & sanandum, quam rigore iusticiæ exasperandum est & confundendum. Sic enim & nos à Christo fouemur, & non exasperamur, qui tamen quingentis talentis (id est, multo maioribus infirmitatibus & offensionibus ipsum lædimus) vbi nos proximus noster vix quinquaginta (id est, minoribus offensionibus) vrget & irritat. Ad hoc etiam oratio dominica cogit: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. *Proximus offensor.*

Quod si nos non volumus sponte exuere istas formas Dei, & induere formas serui, cogemur & inuiti exuemur. De quo nota Luc. 7. historiam, vbi Simon leprosus in forma Dei & iusticia sua sedens, superbe iudicabat atque despiciebat M. Magdalenam, in qua videbat formam serui. Sed vide iudicem, statim Christus exuit eum forma iusticiæ, & induit forma peccati, dicens: Aquam pedibus meis non dedisti, osculum mihi nō dedisti, oleo caput meum non vnxisti. Vide, quanta peccata, quæ ille non videbat, nec tam fœda forma sese putabat deformem. Non sunt in memoria vlla eius bona opera. Nescit Christus formam Dei, in qua ille sibi placens superbiuit, nō recitat, q̄ sit inuitatus ab eo, cibatus, honoratus, non est Simon leprosus iam nisi peccator factus, qui tam iustus sibi videbatur, detracta est gloria formæ Dei, sedet confusus in forma serui, velit nolit. *Luce. 7.* *Simon leprosus.*

AT contra, Mariam honestat forma Dei, & suam imponit ei & super Simonem exaltat, dicens: Hæc pedes meos vnxit, osculata est, lachrymis rigauit, capillis tersit. Vide, quanta merita, quæ nec ipsa, nec Simon videbat. Non sunt in memoria vlla eius demerita, nescit Christus formam seruitutis in illa, quam magnificauit forma dominationis, nec est Maria aliud q̄ iusta, & exaltata est in gloria formæ Dei &c. *M. Magdalena.*

Sic faciet omnibus nobis, quoties de iusticia uel sapientia, vel potestate inflamur, & irritamur aduersus iniustos, stultos, impotentiores nobis. Tunc enim (quæ etiam est maxima peruersitas) iusticia contra iusticiam, sapientia contra sapientiam, potentia contra potentiam operatur. Nam ideo potens es, vt impotentes non impotentiores facias opprimendo, sed potentes facias exaltando & defendendo, Et ideo sapiens, vt nō rideas stultos, ac sic magis stultos facias, sed suscipias, sicut teipsum velles, & erudias. Sic iustus es, vt iustifices & excuses iniustum, non vt condemnes tantummodo, detrahas, iudices, atque vindices.

Hoc est enim exemplum Christi erga nos, sicut dicit: Non venit Filius hominis, ut iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum. Et iterum Lu. 9. Nescitis cuius spiritus filij sitis, Non venit Filius hominis animas perdere, sed saluare. *Exemplum Christi erga nos.* *Iohan. 3.* *Luce. 9.*

At natura

At natura vehemens contra nititur, quia ualde delectatur in uindicta & in triumpho suæ iusticiæ, atque confusione iniusticiæ proximi sui. Ideo suam causam agit, quam gaudet esse meliorem quam proximi, causam uero proximi persequitur, & quodammodo cupit esse malam, Quæ peruersitas est tota iniquitas, contraria charitati, quæ non quęrit quæ sua sunt, sed quæ alterius. Debebat enim dolere, ꝙ causa proximi non est melior quam sua, & optare ut sit melior quam sua, non minori gaudio, ꝙ̄ quo gaudet suam esse meliorem. Hæc est enim Lex & Prophetæ.

SEd dices: An non licet malos castigare? Non decet peccata punire? Quis non tenetur iusticiam defendere? Hoc enim esset occasionem præbere delinquendi.

Respondeo.

Vindicta magistratuum.

Non potest hic simplex solutio dari. Ideo distinguendum de hominibus. Sunt enim homines uel publici uel priuati. Ad eos qui sunt publici, id est, in officio Dei constituti, & in præsidentia, nihil pertinent ea, quæ dicta sunt, ad ipsos enim ex officio & necessitate pertinet punire & iudicare malos, vindicare & defendere oppressos, Quia non ipsi, sed Deus hoc facit, cuius sunt in hoc ipso serui, ut Roma. 13. late Apostolus prosequitur dicens: Non sine causa gladium portat &c. *Roma. 13.*

Verum hoc est intelligendum in causis aliorum, non autem propria, Nullus est enim in vice Dei propter se & sua, sed propter alios. Si autem habet causam propriam, alium Dei uicarium ꝙ̄ seipsum requirat, iam enim non est Iudex, sed pars. Sed de his alij, & alias dicunt, latior est enim res, quam hic dici potest.

I.
Querentes uindictam apud uicarios Dei.

Priuati uero & propriæ causæ homines sunt triplices. Primi, qui uindictam quærunt, & iudicium apud uicarios Dei, & horum nunc est totus numerus. Hoc tolerat Apostolus, non autem probat 1. Corint. 6. dicens: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Imo dicit ibidem: Omnino no delictum est inter vos, ꝙ iudicia habetis. Sed tamen propter maius malum toleratur hoc minus malum, scilicet ne seipsos uindicent, & uim alter alteri faciat, reddendo malum pro malo, aut reposcendo sua bona, Sed tamen tales non intrabunt in regnum cœlorum, nisi fuerint mutati in melius, & licentia relinquant, sequendo expedientia, quia affectus ille sui commodi extinguendus est. *1. Cor. 6*

II.
Non resistentes malo &c.

Alij sunt qui non cupiunt vindictam, imo parati sunt (secundum Euangelium) tollenti pallium, & tunicam dare, & non resistunt ulli malo. Hi sunt filij Dei, fratres Christi, hæredes futurorum honorum Ideo uocantur in Scripturis orphani, pupilli, uiduæ, pauperes, quorum pater & iudex Deus vocari voluit, eo ꝙ seipsos non uindicant, Imo si præsidentes pro eis uindicare uelint, uel non cupiunt nec quærunt, uel solummodo permittunt, aut si sint perfectissimi, prohibent & impediunt, potius parati & alia amittere. *Matth. 5.*

Porta ducens ad uitam est angusta. Matth. 7.

Si dicis: Paucissimi sunt tales, & quis posset in hoc mundo permanere, si hoc faceret? Respondeo: Non est nouum hodie, quod pauci saluantur, & quod angusta sit porta, quæ ducit ad uitam, & pauci inueniant eam, Quod si nulli hoc facerent, quomodo stabit Scriptura, quæ tales pauperes, orphanos, pupillos, populum Christi prædicat. Oportet ergo sic fieri.

Igitur

Igitur isti magis dolent de peccato offendentium se, quam de suo damno & offensa. Idque potius agunt, quo illos de peccato reuocent, quam quod iniurias suas vlciscantur. Ideo formas iusticiæ suæ exuunt, & illorum formas induunt, orantes pro persequentibus, benedicentes maledicentibus, benefacientes malefacientibus, & pro ipsis inimicis suis pœnas luere & satisfacere parati, ut salui fiant, hoc est Euangelium & exemplum Christo.

TErtij sunt, qui sunt affectu tales, quales secundi iam dicti, sed effectu alij. Hi sunt, qui non adeo reposcunt sua, aut reddi vindictã cupiunt, quia sua quęrunt, sed per eam vindictam & redditionem suorum, quærunt emendam illius, qui rapuit, uel offendit, quem uident sine punitione, non posse emendari. Hi uocantur zelosi, & hoc in Scripturis laudem habet, Sed hoc non debet attentare, nisi qui in secundo gradu iam dicto perfectus est, & exercitatissimus, ne furorem pro zelo apprehendat, & quod amore iusticię sese credit facere, ex ira potius & impatientia fecisse conuincatur. Similis est enim ira zelo, & impacientia amori iusticiæ, ut nisi à spiritualissimis discerni satis non possint. Huiusmodi fecit Christus opus (vt dicitur) quando factis flagellis eiecit de templo vendentes & ementes. Et Paulus, quando dixit: In virga veniam ad vos &c. III. *Zelosi.* *Ira similis zelo est.* *Iohan. 2.* *1. Cor. 4.*

FINIS.

EXPLICATIO LOCI ECCLESIASTIS VII. NON est iustus in terra &c.

CONTRA SCHOLASTICORUM Sententiam.

QVOD iustus etiam inter bene operandum peccet, patet.

PRImo per illud Eccle. 7. Non est iustus in terra, qui faciat bene, & non peccet. Hic autem ab alijs dicitur, Quod iustus quidem omnis peccat, sed non quando bene facit. Quibus respondetur: Si id uellet hæc Autoritas, quid superfluit verbis? An Spiritus sanctus delectatur multiloquio & nugatione? Nam iste sensus fuisset abunde sic expressus: Non est in terra, qui non peccet, vt quid addit: Qui benefaciat? Quasi alius sit iustus, qui faciat male? non enim nisi iustus facit bene. At vbi de peccatis extra benefacto loquitur, sic dicit: Septies in die cadit iustus, Hic non dicit: Septies in die cadit iustus, quando benefacit. *Prouerb. 24.*

SEcundo, per illud Apostoli, Roma. 7. Quod nolo malum, hoc ago, Quod uolo bonum, non ago. Et infra: Condelector legi Dei secundum interiorem hominem, Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę. Ecce, simul delectatur & displicet, in lege Dei. *Lex in membris repugnans legi mentis. Roma. 7.*

Simul uult bonum secundum spiritum, & tamen hoc non agit, sed contrariũ. Hoc itaque contrariũ est noluntas, quia semper est, quando est voluntas Per hanc bene facit, & per illam male facit. Nolle est ex carne, & uelle ex spiritu. Ideo tantum ibi est peccati, quantum noluntatis, difficultatis, necessitatis, resistentiæ, Et tantum ibi meriti, quantum uoluntatis, pronitatis, libertatis, hilaritatis. Mixta enim sunt hæc duo in omni uita & opere nostro. Quod si sit tota noluntas, iam ibi est peccatũ mortale & auersio. Tota autem uoluntas in hac uita non est, Ideo semper peccamus, dum benefacimus, licet quandoq; minus, quandoq; magis. Hæc enim est causa, quare non sit iustus in terra, qui faciat bene, & non peccet. Est autem talis iustus in cœlo tantummodo. Sicut ergo homo sine ista noluntate non est, ita nec sine ea operatur. Ac per hoc nec sine peccato est. Quomodo enim sine ea operari potest, qui sine ea viuere & esse non potest?

Sic etiam Scriptura dicit: Quis gloriabitur se habere cor mundum? Idem Galat. 5. Caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem, Hæc duo enim sibijnuicem aduersantur, ut non ea, quæ uultis, faciatis &c. *Prouer. 20* *Galat. 5.*

TERtio, per illud Psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Hęc quæro, An ille iustus, qui fingitur, cũ in ipso iam pulcherrimo merito actualiter fuerit, etiam sit inter eos numerandus, qui uiuunt? Si est inter omnes qui uiuunt, ergo non iustificatur, Cur hoc, si non peccat in eodem merito suo? *Psal. 143.*

Ratione probo.

Quicunq; minus facit, quam debet, peccat, Sed omnis iustus bene faciens minus facit quam debet, Ergo. Minorem probo, Quicunq; non plena & perfecta dilectione bene facit, minus facit q; debet. Sed omnis Iustus ille est huiusmodi. Maiorem probo per illud præceptum: Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & totis uiribus &c. De quo Dominus Matth. 5. Vnum iota aut vnus apex non pręteribit à Lege, donec omnia fiant. Ergo oportet ex totis uiribus diligere Deum, aut peccamus. Sed Minor, Quod non ex totis uiribus diligamus, supra probata est, Quia uoluntas in carne & in membris impedit hanc totalitatem, vt non tota membra seu uires diligant Deum, sed resistit interiori uoluntati Deum diligenti. *Matth. 5.*

Sed dicunt illi: Non requirit hoc perfectum mandatum Deus à nobis. Quæro: A quo tunc requirit? An à lapidibus & lignis? An à pœcoribus? Error hoc est, Quia Rom. 3. Scimus, q; quæcunq; Lex loquitur, ijs qui sunt in Lege, loquitur. Ergo nobis præceptum est, à nobis requiritur. Per istam falsissimam huius dicti intelligentiam: Deus non requirit perfectionem, factum est, ut diceretur nõ esse peccatum, quicquid minus plenissima charitate fiat, Cum id ideo nõ requirat, quia ignoscit, Non quia sit licitum & non peccatum, Alioqui præceptum suum mutasset, quod est contra suum dictum: Vnum iota aut unus apex non præteribit à Lege &c. *Dictum Scholasticorum.* *Rom. 3.*

Arguo nunc contra illa.

PRimo dicit Iohannes in sua Canonica: Qui natus est ex Deo, non peccat. Item, Gene. 20. Abimelech Deus testimonium dedit, q; in simplicitate cordis fecerit, ergo non peccauit. Psal. 86. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, Et quæcunq; alia huc duci possunt. *1. Iohan. 3.* *Gene. 20.* *Psal. 86.*

Respondeo;

Respondeo: Vtrunque verum est, Quia natus ex Deo, non peccat, & peccat. Nisi forte Paulus Rom. 7. non fuit natus ex Deo, Aut ipse idem Iohannes mentitus contra seipsum dixit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus. Peccat scilicet in opere eodem, propter voluntatem carnis, Non peccat, propter contrariam voluntatem spiritus.

Rom. 7. *Natus ex Deo non peccat &c. 1. Iohan. 3.*

Dicis itaque: Quomodo ergo implemus legem Dei? Respondeo: Quod non implemus, ideo sumus peccatores, & Deo inobedientes. Nec hoc est peccatum ueniale ex genere & natura sua, Quia nihil inquinatū intrabit in regnum cœlorum, Ideo pro omni peccato requiritur damnatio, cum Christus dicat, quod nec unum iota, nec unus apex preterire debeat, donec omnia fiant. Rectissime ergo B. Augustin. 1. retracta. 19. Omnia mandata diuina implentur, quando quicquid non fit, ignoscitur, Ergo præcepta Dei implentur, plus ignoscente per misericordiam Deo, quam operante per iusticiam homine, Quia maior misericordia Dei, quam iusticia hominis. Hoc est quod illi dicunt: Non requirit Deus perfectionem, Vbi deberent dicere: Ignoscit Deus, Sed quibus? Nunquid securis, & peccatum illud non putantibus? Absit, Sed dicentibus: Dimitte nobis debita nostra, ex uero corde, hoc malum suum agnoscentib. odientib. Sicut Ezech. 20. Et displicebitis uobis in conspectu uestro, in omnibus malicijs, quas fecistis &c.

Matth. 5. *Quomodo Lex impletur. Augustinus.* *Quibus Deus ignoscat.* *Ezech. 20*

Psal. 32. Hoc est quod Psal. 32. dicit. Pro hoc orabit ad te omnis Sanctus, Si est Sanctus, non habet impietatem, nisi in peccato remissam. Pro qua ergo orat? Vtique pro remittenda orat, Nam pro remissa gratias potius agit. Deinde nō debuit dicere: Sanctus, sed: Omnis peccator, pro ea orabit, si de præterita uellet loqui, Sanctus est, cui remissæ sunt iniquitates, Et Sanctus orat pro remissione iniquitatis. Mira sententia, Nec potest solui per illorum stultam & carnalem glossam, quod Sanctus de præteritis orat, Quia Propheta non de se, sed de ijs, quos uidebat sanctificatos, remissisque peccatis eorum Sanctos, Et tamen dicit eos orare pro remissione, Nisi forte Propheta uel mentitur, vel adulatur, appellans eos Sanctos, quibus non essent peccata remissa, Sed orare, ut remittantur, cum ante remissionem utique peccatores dicere deberet.

Igitur.

Hæc est dulcissima Dei Patris misericordia, quod non fictos, sed ueros peccatores saluat, sustinens nos in peccatis nostris, & acceptans opera & uitam nostram, omni abiectione digna, donec nos perficiat atque consumet. Interim in protectione & umbra alarum eius uiuimus, Et iudicium eius effugimus, per misericordiam eius, non per iusticiam nostram.

Deus non fictos, sed ueros peccatores saluat.

Facessant igitur Argumenta fumi humani, Vnus & idem actus nō potest esse acceptatus & deacceptatus Deo, Sequitur enim quod sit bonus & nō bonus. Respondeo: Ergo nec potest homo simul timere iudicium, & sperare misericordiam? Dico itaque, quod omnis actus bonus est acceptatus, & non deacceptatus, Et econtra: Est non acceptatus, sed deacceptatus, Quia est acceptatus per ignoscentiam, ac sic non deacceptatus, quia ignoscit per misericordiam, quod minus acceptatione dignum est. Idem autem est deacceptatus, id est, peccatum, in quantum est ex carnis malicia actus. Sed tamen hoc Deus ignoscit in hoc tempore, Et requirit tam in hoc quam futuro tempore. Non enim est ullus actus, quem Deus acceptet simpliciter. (ista enim nomina ex humano corde ficta sunt) Sed omni actui nostro ignoscit & parcit. Illi autem præsumunt, quod sit aliquis quem acceptet, sine ignoscentia, quod est falsum. Quando ergo ignoscit, nō acceptat, neque deacceptat, sed ignoscit.

Omnis actus bonus &c.

 Et sic

Et sic acceptat misericordiam suam in operibus nostris, hoc est, faciem Iob. scilicet Christi pro nobis: Ipse est enim propiciatorium Dei, qui opera nostra excusat, & ignoscibilia facit, ita, vt quod minus est in nobis, per plenitudinem eius suppleamus, Ipse enim est iusticia nostra solus, donec efficiamur conformes imagini eius.

Denuo probo.

PRImo, Non est in me (id est, in carne mea) bonum, Multo minus in illis erit bonum, qui sunt omnino caro & sanguis. Apostolus enim in persona sua & omnium iustorum loquitur. Si ergo hi, dum faciunt quod extra eos est, & secundum gratiam, adhuc non faciunt quod debent, licet vehementer laborent, Quanto magis ij, qui id, quod sine gratia in seipsis est, facientes, non laborantes, contra faciunt q̃ debent? At hic iterum dicunt: Verum est, deficiunt, sed idem defectus non est peccatum. Respondeo: Ex natura sua peccatum est, sed gementibus Deus non imputat. *Math. 7.*

Cuncta cogitatio humani cordis ad malum prona. Gene. 6. 8.

SEcundo, per illud Gene. 6. Cuncta cogitatio cordis humani prona est ad malum ab adolescentia sua. Hic non dicit: Cogitatio, sed cuncta cogitatio, Et quicquid cogitat homo, malum est, quia quærit quæ sua sunt, nec potest aliter sine gratia Dei.

Charitas non quærit quæ sua sunt.

TERtio, 1. Corinth. 13. Charitati soli tribuitur, quod non quærit quæ sua sunt, Sine qua Apostolus Philip. 2. proclamat, Omnes quærere quæ sua sunt, non quæ Ihesu Christi, Sed quærere quæ sua sunt, est mortale peccatum. *1. Cor. 13. Philip. 2.*

QVarto, Oseæ 13. Perditio tua, seu perditio tibi Israel, Ex me tantummodo auxilium tuum. Non ait: Iusticia, sed perditio tua est, Nihil nisi perditum operaris ex teipso. *Osee. 13.*

QVinto, Non potest arbor mala fructus bonos facere. *Matth. 7.*

SExto, Qui non est mecum, contra me est, Sed contra Christum esse, est peccatum mortale, Et non esse cum eo, est extra gratiam esse. *Luce 11.*

SEptimo, Si quis non manserit in me, mittetur foras sicut palmes, Et colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Ecce extra Christum esse, est ignem mereri, & arescere assidue. Vtique operando quicquid operetur, quod utiq; de uenialibus non potest intelligi. *Iohan. 15.*

OCTauo, Virgines stultæ nonne reiectæ sunt, non quia non fuerunt operatæ, sed quia sine oleo operatæ fuerunt, Fecerant bona ex se, sed non ex gratia, Quia gloriam suam quęsierunt, quo vicio sine gratia impossibile est hominem carere. *Matth. 25*

NOno, Pluit Deus super bonos & ingratos. At ingratus est, qui Dei bona non refert accepta Deo, quod est mortale peccatum. Ac sic necessario sunt opera extra gratiam. *Matth. 5.*

DEcimo, Qui facit peccatum, seruus est peccati. Quomodo est possibile, vt seruus diaboli captiuus peccati, faciat aliud q̃ peccatum, cui seruit? Quomodo potest opus lucis facere, qui est in tenebris? Quomodo opus sapientis, qui est stultus? Quomodo opus sani, qui est ægrotus? Et multa *Iohan. 8.*

multa talia. Omnia ergo quæ facit, sunt opera diaboli, opera peccati, opera tenebrarum, opera stulticiæ.

VNdecimo, Si esse hominis est sub potestate tenebrarum, quomodo non etiam operari eius? Arbor est sub Diaboli tyrannide, & negantur fructus eius sub eodem esse.

Psal. 94. Psal. 33. DVodecimo, Illud Psal. 94. quod Apostolus adducit: Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt. Et Psal. 33. Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes pupulorum, & reprobat consilia principum. Hic quæro: An cogitationes hominum intelligas eas, quas homo cogitat ex se? Si sic audis reprobatas, & non tantummodo mortuas, Sed displicentes coram iudicio Dei, Si sunt autem cogitationes, quas homo non ex se, sed ex mala inclinatione facit, non debuit eas vocare hominum cogitationes. Certum est, quod ea consilia intelligit, quæ dictant homines ductu rationis naturalis, alioqui stulticias potius appellaret. Nunc id, quod est sapientiæ in hominibus, Deus reprobat, quanto magis stulticiam? *Cogitationes hominum uanæ sunt.*

TErtiodecimo, Illud Prouerb. 3. Ne innitaris prudentiæ tuæ. Hæc vniuersaliter, vel particulariter sunt intelligenda. Si vniuersaliter, nullum est dictamen rationis, non reprobatum & damnatum, Si particulariter, vt multi putant, ergo quandoque licet inniti sibijpsi, & suæ prudentiæ, contra hunc expressum textum. *Ne innitaris prudentiæ tuæ. Prouerb. 3.*

QVartodecimo, Si homo potest ex seipso aliquid facere sine peccato bonum, Ergo digne potest etiam sibi dare gloriam, pro modo bonitatis à se factæ. Dicat ergo se esse bonum, sapientem, fortem, & glorietur caro in conspectu Dei, contra Apostolum expresse dicentem, Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Psal. 81. QVintodecimo, Psal. 81. Dimisi eos secundum desideria cordis sui. Ecce pœna est peccati, secundum cor suum relinqui hominem, Ergo mortale peccatum. At cor suũ est etiã quæcunque voluntas hominis extra gratiam, Alioqui dixisset: Dimisi eos secundum desideria inimici, Et ibunt in adinuentionibus hostium, non autem suis.

SExtodecimo, Roma. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est, Quod B. Augustinus de fide Christi intelligit, Licet alij exponant de conscientia. Veruntamen etiam fides Christi est conscientia bona, Sicut Petrus ait, Conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, id est, quod in Deum bene confidit, Igitur si opus extra fidem non esset peccatum mortale, sequeretur, quod Paulus ibi propter veniale peccatum adeo laboraret, quod est falsum, cum sine veniali nullus possit viuere. Ergo omne, quod non est ex fide, peccatum mortale est & damnabile, quia & contra conscientiam est, conscientiam, inquam, fidei in Christum, quia non in fiducia eius operatur, Non enim credit sese placere Deo ad meritum, & tamen agit in tali infidelitate & conscientia. *Omne quod non est ex fide, peccatum est. Roma. 14.* 1. Pet. 3.

DEcimoseptimo, Melior esset conditio peccatoris, quam iusti, quia iustus in opere suo peccat venialiter, & impius non peccat, Quare necessarium est, vt plus peccare quam venialiter concedatur. Item, Iusti verentur opera sua, quanto magis impiorum opera sunt timenda, Aut iterum melior est conditio impij quam iusti, cum hic timeat, ille securus sit. Iob. 9.

DEcimooctauo, Si homini facienti quod in se est, datur gratia, Ergo homo potest scire, se esse in gratia, Probatur, Quia homo aut scit sese facere, quod in se est, aut non scit. Si scit, ergo & gratiam se habere scit, Cum dicant, omnino gratiam dari facienti quod in se est. Si non scit, frustra datur illa doctrina, & cessat eius consolatio, Quia quocunque opere facto, nescit an fecerit, quod est in se, ergo dubius remanet semper.

DEcimonono, Quæritur, quale sit illud opus, quod homo facit, quando facit quod est in se? Si nullum potest dari, Cur ita docetur facere, quod nescit quid sit? Si autem est, detur. Et datur a quibusdam actus diligendi Deum super omnia.

Hic (ut digrediar parum) dico primum, Tales Magistros gratiæ Dei nihil tribuere, præter ornatum quendam operibus nostris, Non ut sanet ægros, sed ut ornet fortes, Opera possumus facere, sed non colorata. Et ita gratia est res uilissima, donumq; non necessarium propter nos, sed propter uoluntatem, & intentionem præcipientis, ut dicunt. Et quis hanc iniuriam ferat Christianus? Christus ergo gratis mortuus est pro nobis, sed pro intentione Dei passus est, Nos non eguimus, sed intentio præcipientis, Siquidem nos potuimus implere Legem. sed Deus non erat contentus, quin ultra Legem exactionator esset gratiæ suæ, Et ita redit non Pelagius, sed peior blasphemator quam Pelagius. Sic Deum super omnia diligi naturaliter inuenimus, & non pudet dicere, super omnia. Sed tamen respondeo: Si actus diligendi Deum est facere quod est in se, adhuc stabit, quod homo nescit quando diligat, ac per hoc, nec quando faciat quod est in se, aut quomodo & quid faciat, ut faciat quod est in se, Aut certus erit de gratia, quod omnes negant.

Si dixeris: Debet conari ut faciat quod in se est. Respondeo, Iterum quæro: An scit se conari, & quomodo conetur? Si scit, iterum certus est, Si nescit, iterum uana est doctrina. Imo illud conari, aut est idem quod facere in se, & redit eadem quæstio: Aut aliud, Ergo homo non faciendo quod in se est, sed conando ad tale facere, facit quod est in se, Ergo faciendo quod est in se, nondum facit quod in se est.

VIcesimo, Cessent uana uerba, & experientiam consulamus. Faciat quisquis quod est in se, dum irascitur, irritatur, tentatur, imo præparet se ad illuminationem eius, quod ignorat, & uideamus an impetret. Agat, quæso, & incipiat, & uideamus quidnam faciat & fiat.

VIcesimoprimo, Si homo faciendo, quod est in se, gratiam obtinet, impossibile uidetur? q; non omnis, uel saltem maior pars hominum saluarentur. Quæro: Quando homo superbit, peccat &c. An faciat ipse homo tale opus, aut alius? Ipse utiq; An ex se & suis uiribus? An ex alio & alienis uiribus.? Ex se & suis uiribus. Ergo quando homo peccat, facit quod est in se. Quare econtra, quando facit quod est in se, peccat.

Sed hic dicitur, loquor de homine & uiribus, ut bonis naturaliter, non ut in abusu eius sunt. Respondeo: At uires naturales sunt semper in abusu, quia sauciæ, Est enim bona creatura, sed infirmata, Nec agit separatim a suis morbis, sed infecta morbo agit, Ideo non potest agere nisi ut infirma, etiamsi sit bona, Sicut securis corrosa, est ferrum, sed non agit nisi ut corrosa, quantumlibet sit ferrum.

VIcesimo-

VIcesimosecundo, Cur ergo concedimus concupiscentiam inuincibilem? Fac quod est in te, & non concupisce. At non potes. Quare nec Legem naturaliter imples. Quod si hanc non imples, multominus illam dilectionis. Item, fac quod est in te, & non irascere offendenti. Fac quod est in te, & non time periculum.

VIcesimotertio, Fac quod est in te, & non horreas mortem. Quęso: Quis hominum non horret, non diffidit in morte? Quis hanc non fugit? Attamen ex quo Deus eam vult nos subire, manifestum est, quod naturaliter plus nostram quam Dei voluntatem diligimus, Si enim plus Dei voluntatem diligeremus, cum gaudio mortem susciperemus, imo lucrum putaremus, sicut putamus, quando nostra fit voluntas. Ergo figmenta sunt quæ loquimur. Deum longe infra se diligit, imo odit, qui mortem (id est, voluntatem Dei) odit seu non diligit, At omnes sumus tales. Vbi nunc est amor Dei super omnia? Ecce non super vitam nostram & voluntatem nostram Deum diligimus. Quid etiam de inferno dicam? Quis hunc non odit?

VIcesimoquarto, Ipsa oratio dominica sola testis abunde est, quod mali sumus operarij in omni vita, Finge enim eum, qui facit quod est in se, An orandum sibi sit: Sanctificetur nomen tuum, Fiat voluntas tua. An potius sanctificatum est, & facta est? Si sanctificetur, ergo pollutum confidetur. Si fiat, ergo inobedientiam confitetur. Quod si id contingit in Filijs & Sanctis, quanto magis in impijs?

Anno M. D. XVIII.

INSTRVCTIO PRO CONFESSIONE PECCATORVM

Abbreuianda, secundum Decalogum. Autore. D. Mar. Luthe.

Anno M. D. XVIII.

PRæceptum I.

Non habebis Deos alienos.

DEVM habere, est talem aliquem habere, à quo confidas te adiuuari in omnibus malis, & prosperari in omnibus bonis, Quod cum non nisi vnus verus Deus facere possit, a nullo alio est expetendum, Ipse enim est & vult esse talis, id est Deus. Deum habere.

II.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Nomen Dei, est bonitas, iusticia, sanctitas, veritas, virtus, sapientia, & omne quod nominari potest, Quia solus est omnia, & solus vocatur omnia. Nomen Dei.

TRANSGRESSIO PRAECEPTO

III.

Memento, vt diem sabbati sanctifices.

Sabbatum. Sabbatum, requies vel vacantia dicitur, quæ optima est ea, qua homo seipso vacuus velut mendicus & pauper expectat eum, qui esurientes implet bonis, & diuites dimitit inanes.

IIII.

Deus Parentes loco suo constituit. Honora patrem tuum & matrem tuam.

Honor ultra amorem, etiam honorem & reuerentiam includit, Insuper opus & ueritatē honoris hic intelligi uult Dominus, ut patet in Euangelio. Parentes enim & maiores Dominus suo loco constituit, & uicarios suos haberi mandauit.

V.

Non occides.

Non enim tantum ille occidit qui infert, sed etiam qui non aufert mortem. Vnde B. Augustinus: Pasce esurientem, si non pauisti, occidisti.

VI.

Non mœchaberis.

Pessimum uicium adulterij nominauit, ut totam libidinem in omni differentia sua fœdam & malam ostendat, ex qua tam magnum malum uenit.

VII.

Non furtum facies.

Hoc solum mandatum prę cæteris non plectebatur morte, sed pœna restitutionis duplæ uel quadruplæ, uel quintuplæ, ut Exod. 22.

VIII.

Non loqueris falsum testimonium aduersum proximum tuum.

IX.

Non concupisces vxorem proximi tui.

X.

Non concupisces domum proximi tui, Non seruum, nec omnia, quę illius sunt &c.

Hæc duo præcepta exponunt præcedentia, nec pertinent ad confessionem, Cum de peccato fomitis inuincibilis in hac uita præcipiant, ut Apostolus Rom. 7. Quod nolo malum, hoc facio. Et Gala. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Nemo ergo sine concupiscentia & auaricia perfecte mundus est in hac uita. *Rom. 7. Gal. 5.*

Litera occidens.

TRANSGRESSIO SEV PRAEVARICAtio I. Præcepti.

Qui in rebus aduersis, magos, maleficos, incantatores, & diaboli pacta consulunt.

Qui tentant Deum subeundo pericula corporis & animæ sine necessitate.

Qui se literis, characteribus, herbis, consecrationibus superstitiosis, etiam sortilegijs contra aduersa tueri credunt.

Qui dies Aegyptios, signa Astrologorum, Hariolorum somnia, pro operibus suis obseruant.

Qui aduersitates suas diabolo, uel malis hominibus odiose attribuunt.

Qui non credunt omnia bona sibi uenire a Deo solo.

Qui

Qui non ſperant in omnibus malis iuuari à ſolo Deo, qui omnia poteſt, nouit, uult ſolus.

Qui non referunt in ſolum Deum dulci corde & cum laude, omnia ſua, ſiue bona, ſiue mala.

Qui etiam Sanctorum quorundam ſuperſticioſam culturam, neglecta ſalute animæ, pro ſola temporali ſecuritate exercent.

Generaliter.

Qui creaturam quamcunq; timent & amant plus ꝙ Deum.

Qui ſibi placent ac ſuperbiunt in iuſticia, ſapientia, aut quaecunq; virtute & bonitate.

II.

Qui iurant ex mala conſuetudine, & ſine cauſa.

Qui iurant mendaciter, aut vouent ma'a, aut bona vota violant

Qui maledicunt etiam in nomine Domini.

Qui in ſcurrilibus fabulis iocantur in nomen Domini, & in ſcripturæ verba.

Qui in aduerſis non inuocant nomen Domini, nec in proſperis benedicunt & gratias agunt.

Qui iactant & vane gloriantur de bonis Dei, & gloriam quærunt apud homines.

Rapina rerum & nominum, & ſuſpectus ſubtractio.

III.

Qui ludis, choreis, crapulis, ebrietatibus, ocioq; vacant, vel etiam libidini, turpibusq; operibus.

Qui ſpectaculis, fabulis, diſcurſibus ſeruiunt.

Qui diuina officia ſine cauſa omittunt, præcipue verbum Dei.

Qui contra Eccleſiæ præceptum loborant, & negociantur ſine neceſſitate.

Qui ficte ſabbatiſſant, tantum in victu, & amictu, ſine fructu interni hominis.

IIII.

Qui parentum ſuorum infirmitatem, paupertatem, ignobilitatem & humilitatem quamcunque erubeſcunt.

Qui neceſſitati eorum non ſeruiunt.

Qui eorum iuſſis non obediunt & ad iracundiam eos prouocant, vel etiam percutiunt vel detrahunt.

Qui non ſublimiter de eis propter Deum ſentiunt.

Qui Eccleſiæ præceptis non obediunt, & ſacerdotium eius non honorant.

Qui principes, dominos, ſenatores, & omnes ſuos maiores non honorant, tam bonos quam malos.

Huc omnes hæretici, ſuperbi, rebelles, ſchiſmatici, excommunicati pertinent atque apoſtatæ.

V.

Qui occidunt opere, vel conſilio, vel iuſſu.

Qui iraſcitur fratri ſuo, qui dicit ei Racha, id eſt, qui ex deliberato iraſcitur, Et ſigna quæcunq; mortalis iræ oſtenderit, & ſigna rancoris non depoſuerit.

Amor ſui uſq; ad contemptum Dei & proximi.

Qui dixerit

Qui dixerit fratri Fatue, id est, omnes maledictiones, blasphemiæ, contumeliæ, uituperia, detractiones, iudicia, suspitiones & uniuersa amaritudo, qua os earum plenum est.

Huc pertinent inuidi & iracundi, contentiosi, iurgia, bella, prædę, latrocinia &c.

Qui opera misericordiæ non exercent.

Qui inimicos non diligunt, non pro eis orant, non eis ignoscunt, non bene faciunt.

VI.

Qui libidinem opere stupri, fornicationis, adulterij, immundiciç, incestus etiam perfecerit.

Qui turpibus uerbis, cantibus, historijs, picturis, delectatus fuerit.

Qui obscœnis gestibus, libidinosis oculis, signis, gressibus, literis eam prouocarit.

Qui immoderato cultu corporis libidinem in alijs uel seipso irritauerit.

Qui cogitationibus cum consensu in libidinem delectatus fuerit.

Qui gulam, crapulam, ocium, pigriciam, somnolentiam, sexum, & alia fomenta libidinis non fugerit, quia qui amat periculum, peribit in illo.

Qui aliorum non tuetur & cauet castitatem, si potest, sed potius prodit & perdit.

VII.

Vsurpatio rerum proximi, & subtractio suarum.

Qui rapit aliena furto, sacrilegio, peculatu, abigeatu, plagiatu.

Qui vsuram agit.

Qui dolo & fraude in negocijs vtitur, falsis mensura & pondere, quo modo sibi fieri nollet.

Qui iniustas hæreditates possidet, vel accipit.

Qui quærit diues fieri, & cupidus & auarus est.

Qui proximo suo non gratis mutuat, aut necessitatem habenti non donat.

Possunt & huc opera misericordiæ applicari.

VIII.

Qui coram iudicio veritatem obticet vel suprimit.

Qui perniciose mentitur.

Qui adulatur.

Qui est susurro aut bilinguis.

Qui pacem turbat & discordias seminat.

Qui proximi vitam, verba & opera, sinistre interpretatur.

Qui eiusmodi pessimas linguas libenter audit & adiuuat.

Qui proximum suum non defendit, nec pessimis istis linguis resistit.

Compendium decem Præceptorum.

Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim Lex & Prophetæ. Matth. 7. Nemo enim vult sua concupisci, rapi, Nemo infamari, maledici, uxorem pollui, occidi, noceri, Nemo rebellionem, ingratitudinem, irreuerentiam aliorum tolerare, sed magis amari, foueri, honorari, laudari &c.

Quinq; sensus. Facile itaq; patet, quomodo quinq; Sensus in sexto potissimum præcepto includantur, aliquando & in quinto.

Sex opera

a Sex opera misericordiæ in quinto & septimo.

b Septẽ peccata mortalia, Superbia in primo & secũdo, Luxuria in sexto, Ira, Inuidia in quinto, Gula in sexto, Acedia in tertio, imo in omnibus simul.

c Aliena quoq; peccata in singulis præceptis sunt, quia potest iussu, consilio, auxilio fieri, quod proprio opere non fit contra singula mandata.

d Frustra quoque peccata clamantia seu muta seorsim nominantur, cum sint in quinto, sexto, septimo.

Item e septem dona spiritus, & octo beatitudines sine causa etiam adducuntur, Similiter & Sacramenta septem.

f Sex autem peccata in Spritum sanctum contra primum præceptũ sunt, quia contra fidem, spem, charitatem. Sed subtiliora sunt, q; ut simpliciores fatigandi sint eorum cognitione, multo minus confessione, ut sunt:

Obstinatio / Impugnatio — contra fidem

Desperatio / Præsumptio — contra spem.

Finalis impœnitentia / Inuidentia fraternæ gratiæ — contra charitatem Dei & proximi.

a Sex opera misericordiæ.
b Septem peccata mortalia.
c Aliena peccata.
d Peccata clamantia seu muta &c.
e Septem dona spiritus.
f Sex peccata in Spiritum sanctum.

PLENITVDO EORVM.

I.

Timor & amor Dei in plena fide & spe, quod est perfecta sui abnegatio & resignatio, id est gratia per Ihesum Christum Dominum nostrum.

II.

Inuocatio, laus, glorificatio sancti nominis Dei, ac nominis proprij, vanæq; gloriæ contemptus, id est gratia Dei per Ihesum Christum.

III.

Actuatio primi & secundi præcepti, id est, seipsum capacem gratiæ facere, & materiam sese præbere operaturo Deo, Quod fit orando, Missam & verbum Dei audiendo, Christi passionem memorando, & pro peccatis gemendo, quod est spiritualiter communicare, Totum gratia Dei per Ihesum Christum.

Abstinentia à rebus & nominibus Dei, & oblatio sui nihili.

IIII.

Obedientia & humilis subiectio omni humanæ creaturæ propter Deum. Seruare vnitatem Ecclesię, & suo sensui per omnia cedere, captiuum in obsequiũ Christi, & ædificationem proximorũ, id est gratia Christi.

V.

Mititas, benignitas, patientia, pax, beneuolentia, misericordia, Et omnino dulcis affectus cordis in omnes homines, etiam inimicos, Quod nõ habet natura, sed gratia Dei in Christo.

VI.

Castitas, pudicitia, verecundia, sobrietas, temperantia, ieiunium, uigilię, occupatio, & omnia, quæ castitatem promouent, & carnem subijciũt. Hic notum est præ cæteris gratia Dei opus esse, quæ sola strenuum & feruidum facit spiritum.

VII.

Paupertas spiritus, largitas seu liberalitas, communicandarum suarum rerum facilitas.

Charitas Dei & proximi usq; ad cõtemptũ sui.

VIII. Veritas

Abstinentia à rebus proximi, & exhibitio suarum.

VIII.

Veritas & simplicitas, accusatum defendere, tegere pauperem, & inopem iustificare, vt Psal. 82. dicit, Neminem fallere, nulli adulari.

IX. ET X.

Purissima castitas, & paupertas spiritus, radicitus euulsa libidine & cupiditate, Quod in hac vita incipit quidem & proficit, sed in futura perficietur.

Spiritus viuificans.

Duerte, q̄ magnus est error eorum, qui ad Sacramentum Eucharistię accedunt, arundini illi innixi, q̄ confessi sint, quod non sibi conscij sint peccati mortalis, vel pręmiserint orationes suas, & pręparatoria, Omnes illi sibi iudicium manducãt & bibunt, Quia his omnibus non fiunt digni & puri, Imo per eam fiduciam puritatis peius polluũtur. Sed si credant & cõfidant sese gratiam ibi cõsequuturos, hæc sola fides eos facit puros & dignos, quæ non nititur operibus illis, sed purissimo, pijssimo, firmissimoq; uerbo Christi dicentis: Venite ad me omnes, qui laboratis &c. In præsumptione, inquam, istorum uerborum accedendum est, & sic accedentes non confundentur. Vnde ait Aposto. 1. Corinth. 11. Probet autem seipsum homo & sic de pane illo edat.

Matth. 11.

1. Cor. 11.

Ista probatio alijs refertur ad discussionem peccatorum præteritorum, ut studio possibili peccata sua recordetur atq; pœniteat. Sed hæc est inicialis, & adhuc rudis probatio, quæ non nisi timorem & angustiam conscientiæ facit, plusq; retrahit à Sacramento q̄ attrahat. Ideo in ipsa nullo modo standũ est, sed procedendũ ad probationem, quæ ad præsentis status cõditionem refertur, ut hõmo probet & examinet, quo affectu sit formatus, An cupiat gratiã, iusticiam, salutem, An adhuc potius sitiat vel lucrũ vel honorem, uel uoluptatem. Hoc est q̄ alij dicunt satis obscure, An adhuc sit in proposito peccandi actuali. Nam summa & optima dispositio ad Sacramentũ est illa, Si homo sese probans inuenit se sitire gratiã, ac credere illam consequi ibi posse, displiceatq; sibi, ac miserũ se & egenum in spiritu cognoscit, plenũ multis atq; peruersis cupiditatibus. Talis est recte dispositus, quia secundum B. Augustinũ, Iste cibus Sacramenti nihil ita odit, sicut fastidientem & saturum, Nihil itaq; requirit, sicut esurientem & sitientem, Qui ita facit recte se probat.

Talis etiam Apostolo satisfacit, qui ista scribit contra saturos & superbos, qui inuicem alter alterum despicientes, mutuo dissentiebant, qualium morbus est non nisi alios probare, iudicare, examinare, seipsos vero, tanquã iudicio, probatione, examine sui non egeant, negligere, ac sic gratiam fastidire. Vnde dicit: Seipsum probet, quasi dicat: Cesset probare alios, & inueniet sese satis miserum & egenum gratia, Quo inuento, iam digne manducat, qui alias indigne manducat, dum superbit, & alios despicit.

Gala. 6.

Sic & Gala. 6. Opus suum probet unusquisque, & tunc in semetipso tantum habebit gloriam, & non in altero. Et hic infra: Si nos ipsos iudicaremus, non utiq; à Domino iudicaremur. Tota ergo uirtus uerbi est in isto pronomine, se ipsum, quasi dicat: Vos indigne comunicatis, quia inuicem dissentitis, ac despicitis, Et hoc, quia inuicem probatis, Sed omittite probare inuicem. Verum seipsum quilibet probet, ac sic de illo pane edat &c.

F. Mart. Luth.

Anno M. D. XVIII.

PIO

PIO LECTORI.

T semper inde usque ab initio Mundi in certaminibus Ecclesiæ, simul historiam & doctrinam considerari necesse est, Nam historia multa monet, qualia sint Ecclesię pericula, qui hostes, qualis defensio dogmatum & confidentium, qualis instauratio, Ita in hac lectione librorum Reuerendi Patris D. Martini Lutheri, magnopere prodest, & huius nostræ ætatis hominibus & posteritati, considerare Historiam & Doctrinam.

Ante hæc certamina, tristissimæ in Ecclesia tenebræ fuerunt, de maximis rebus, de pœnitentia, de iusticia fidei, de gratuita remissione peccatorum propter Christum, de vera inuocatione, de discrimine legum diuinarum & traditionum, quæ superstitione humana sine modo cumulatæ erant, de usu & administratione Sacramentorum. Non dissimiles erant ethnicis opinionibus ac ritibus emptiones & venditiones Missarum, funebria spectacula, inuocationes hominum mortuorum. Nec tantum Templa, sed etiam Scholæ plenæ erant & errorum, & insulsarum quæstionum, qualis est, An Deus possit præcipere odium sui? Sed hæc δύσφημα non sine dolore referre possum.

In hac tanta caligine ingeniosi homines multi, quia non tradebatur firma & explicata doctrina Euangelij, ethnicas & philosophicas opiniones de religione amplectebantur. Et malum hoc grassatum esset latius, nisi Filius Dei immensa misericordia sua, sicut subinde Ecclesiam instaurauit, excitasset Spiritu suo sancto Lutheri pectus & vocem, ad multorum errorum correctionem, & ad illustrandam Euangelij doctrinam. Sicut scriptum est de filio Dei: Sedet ad dexteram Patris, & dat dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Pastores & Doctores, Ne circumferamur omni uento doctrinæ, id est, subinde exuscitat Christus salutares Doctores ad instaurandam Ecclesiam, alias magis, alias minus claros.

Vt post Moisen excitati sunt, Samuel, Nathan, Dauid, Deinde Elias, Eliseus, Esaias, Ieremias, Daniel, Haggeus, Esdras, Simeon, Zacharias, Baptista, Christus, Apostoli. Et post hos Athanasius, Augustinus, Prosper, Taulerus, Hilten, & passim aliqui plusculum lucis habentes, qui aliquos crassiores abusus taxarunt, donec Lutheri uoce ad fontes reuocata est Doctrina, & tota repurgata est.

Hic igitur vtrunque faciendum est, Deploremus tenebras tam longi temporis, quæ adhuc remorantur multos, ne lucem aspicere possint, & in multis rebus emendationem impediunt. Agamus etiam

gratias Deo, q lucem restituit, Ac oremus ne extingui eam sinat. Hęc Lectoribus pijs in hac historia consideranda sunt præcipue.

POstea vide seriem certaminum, Vt Christus adolescens primum in Schola disputauit cum Doctoribus, Deinde vero post baptismum suum Pontifices & Sacerdotes taxauit, Postremo etiam apud Herodem & Pilatum accusatus est. Ita vides nunc initia fuisse in Schola, eruditissimas disputationes, de Pœnitentia, de immodicis pręconijs liberi arbitrij, de iusticia fidei, de gratia, & alias. Deinde Pontificum, Episcoporum, Monachorum errores, & tyrannicæ leges reprehensæ sunt, Et totum agmen Pharisęorum se aduersus Lutherum coniunxit, eumq; in Prætoria traxit.

Post inquisitorum citationem, accersitus fuit Lutherus ad conuentum Augustanum Maximiliani Imperatoris tempore, in quo erat Legatus Pontificius Cardinalis S. Sixti. Deinde bellum accendit maius Eccius, qui & Bullam a Leone X. extorsit. Deinde in conuentu Caroli Imperatoris in vrbe Vangionum, Lutherus ab ipso Carolo Imperatore & senatu Principum auditus est. Et paulatim doctrina latius sparsa est. Et quamquam Pontifices, Episcopi & Monachi non solum calumnijs, sed etiam ferro & igni confessores Euangelij oppugnabant, Tamen multi pij Gubernatores, Principes & populi Ecclesias pie, ad normam doctrinæ Lutheri, emendare cœperunt.

Anno 1518. *Anno 1521.*

Fuitq; mox Luthero dimicandum non modo cum factione Papistica, sed etiam cum alijs multis fanaticis hominibus, quorum alij, cum se iactarent Euangelij professores, passim agricolas ad arma uocarunt, Alij de Sacramentis, baptismo et cœna Domini, falsas opiniones spargebant. Hæc historia ex serie Librorum cognosci poterit.

Anno 1525.

CVm autem Christus præcepit Apostolis, cum pauissent populum, vt fragmenta colligerent, monuit, vt suorum Doctorum monumenta diligenter asseruemus. Ideo hæc Scripta & colligimus, & ordine distribuimus. Et pios omnes hortamur, vt ea studiose legant, & eorum lectione se ad veram inuocationem Dei & Filij eius Domini nostri Ihesu Christi excitent, & orent, vt Deus Ecclesiæ suæ reliquias seruet & regat, Amen. Die Bartholomæi,

M. D. XLIIII.

Casparus Crucigerus.
Georgius Rorarius.

Conuentus

CONVENTUS AVGUSTANUS ANNO M.D.XVIII.

EPISTOLA IMPERATORIS MAXIMIliani Augusti: missa ex Conuentu Augustano, Anno M.D. XVIII. De controuersijs Lutheri, ad Leonem X. Pontificem Romanum.

BEAtissime Pater, Domine reuerendissime, Accepimus nō adeo multos ante dies, quendam Fratrem Augustinianum, Martinum Lutherum, nonnullas Conclusiones in materia Indulgentiarum, scholastico more discutiendas, disseminasse, nec non in Concionibus suis & ea de re, & de ui apostolicarum Excommunicationum plurima docuisse, in quibus damnosa & hæretica pleraqꝫ videantur, Atque ea nunc per Magistrum sacri uestri Palacij notata esse. Quæ res nobis eo magis displicuit, quo pertinatius dictus Frater, vt edocti sumus, doctrinæ suæ inhærere, atque complures errorum suorum Defensores & Patronos, etiam potentes, consequutus esse dicitur.

Verum, cum suspectæ adsertiones, & periculosa dogmata a nemine melius, rectius & verius dijudicari queant, quam a Beatitudine vestra, quæ sola, vt potest, ita debet, vanarum Quæstionum, sophisticarum Rationum, & verbosarum contentionum Autores compescere, quibus pestilentiores Christianæ pietati nulli contigerunt, Huc tantum spectantes, vt quod ipsi didicerunt, id solum habeatur in precio, Quod præsentis seculi, & eruditiorum consensus, & pie antea in Christo defunctorum candida & solida doctrina comprobat.

Extat peruetustum Pontificij senatus Decretum, de constituendis Doctoribus, in quo de sophistica nusquam vnquam quicquam cautum est, Nisi ꝙ ista in Decretis vocantur in dubium, Vtrum fas sit, ea discere nec ne, atqꝫ horum studium a multis & magnis Autoribus improbatur.

Cum igitur, quod Pontificum autoritas iussit, negligitur, & de quo dubitatum, imo improbatum est, id solum recipitur, necesse est interdum hallucinari, somniare & cœcutire Magistros istos, quibus debetur, quod non solum hactenus Doctores ab Ecclesia recepti solidiores non lecti, sed pleriqꝫ deprauati sunt, atqꝫ mutili redditi.

Tacemus ijs Autoribus pullulasse longe plures, quam unquam damnatas fuisse hæreses. Tacemus Reuchlinianam infamationem, & nunc præsentem hanc periculosissimam de Indulgentijs atque censuris Apostolicis disceptationem, his perniciosis Autoribus in mundum emanasse, Quibus nisi Beatitudinis uestræ & reuerendissimorum Patrum autoritas legem finemque imposuerit, breui non solum imperitæ imponent multitudini, sed & principum uirorum sibi auram & fauorem in mutuam perniciem comparabunt. Quibus si conniuentibus oculis campus apertus atque liber dimittatur, futurum est, ut quod omnium maxime in uotis habent, ut pro optimis & sanctissimis Doctoribus istorum nenias præ oculis habere cogatur totus mundus.

Johannes Reuchlin.

Hæc pro singulari nostra in sedem Apostolicam reuerentia Beatitudini uestræ significauimus, ut sinceritas Christiana huiusmodi temerarijs Disputationibus & captiosis Argumentis, non lædatur & scandalizetur. Nos enim quidquid super his sancte statuerit in Imperio nostro, ad laudem & honorem Dei omnipotentis, & Christi fidelium salutem, ab omnibus obseruari faciemus.

Datum in ciuitate nostra imperiali Augusta, Die quinta mensis Augusti, Anno M.D.XVIII. Regnorum nostrorum, Romani tricesimo tertio, Hungariæ uero uicesimo nono.

5. Augusti. Anno 18.

RESPONSIO D. FRIDERICI: DVCIS SAXONIAE, SACRI Imperij Electoris, ad Epistolam (quam desideramus) D. Raphaelis, Tituli S. Georgij ad uelum aureum.

Euerendissime in Christo Pater, amicissime & Domine & amice, Charitatis vestræ literas, datas Romæ die III. Aprilis, mihi die VII. Iulij redditas, vt perlegi, ita amanter a Charitate vestra accepi atque intellexi. Maxime, quod adhuc Patris mei amantissimi beatæ memoriæ recordetur. Perpetuo enim honorem, & optima quæque mihi de Cha: vestra pollicitus sum, Quemadmodum Cha: vestra ex meis hactenus literis facile potuit deprehendere. Neque inferiora etiamnum mihi de Cha: vestra polliceor, paratissimus etiam vicissim, Cha: vestræ gratiam referre. Et quoniam intellexi Cha: vestræ, nescio quæ aduersa accidisse, grauatim vicem vestram tuli. Quod

Quod si res interim Cha: vestræ meliores factæ sunt, non sine magna animi & voluptate & læticia intelligerem.

Porro, quæ Cha: vestra de Doctore Martino Luthero scribit, cognoui. Itaq; Charitas vestra, Deo volente, nunquam intelliget me secus daturum atq; futurum, mihi etiam neq; animum neq; voluntatem aliam fore, q̃; me obtemperantem atq; dicto audientem sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ dandi.

Neq; etiam hactenus vnquam mihi sumpsi vel scripta vel conciones Doctoris Martini Lutheri tuendi, imo ne hodie quidẽ. Quemadmodum ego idipsum etiam pontificiæ Sanctitatis Legato Cardinali S. Sixti, Imo & Pontificio Nuncio Carolo Miltitio, tum literis, tum coram ostendi.

Cæterum, vt audio, Doctor Martinus nunquam non obtulit, se coram æquis, commodis, non suspectis & prudentibus Iudicibus, fide publica munitum, obedienter compariturum, doctrinam suam ipse defensurus, Et meliora atq; sanctiora ex scripturis Sanctis edoctum, sese obtemperantem & ductilem præstaturum.

Ad hoc audio ipsi admotum Commissarium Archiepiscopum & Electorem Treuerensem, amicum meum, Ad cuius vocationem, non dubito fide publica probe & satis munitum obsequenter compariturum. Vt nemo mihi quidquam hoc nomine possit iure crimini vertere. Ex animo enim mihi doleret, mea hac ætate errores in sancta fide Catholica suboriri, atque existere, Hocq; molestius mihi esset, errores a me prouehi. A qua impietate, vt oro, me Deus clementer præseruet intaminatum. Id quod Cha: vestræ ad literas ipsius nolui clam esse, flagitans, has meas literas non inamanter excipiendas atque intelligendas. Quam Deo omnipotenti foeliciter conseruandam commendo.

Datum ex Augusta, V. Augusti, Anno M. D. X V I I I.

LEO PAPA X.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO, FRIderico, Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperij principi Electori, S.

DILecte fili, Salutem & apostolicam benedictionem. Cum memoria recolimus nobilissimam Familiam tuam, teq; ipsum caput & ornamentum familiæ ad cæteras laudes proprias generis vestri hanc primam & potissimam esse voluisse, vt per vos Dei fides ac religio, & huius sanctæ Sedis honor ac dignitas, quemadmodum quidem decet & fas est, salua atq; illibata manerent, non possumus existimare errantem quempiā a fide, vel aduersus eam potius oblatrantem, tuæ nobilitatis fauore aut gratia fretum, superbiæ & iniquitati suæ frena tam audacter laxare.

Cum vero audimus, & ad nos vndiq; defertur, quendam iniquitatis filium, Fratrem Martinum Lutherum, ordinis Eremitarum, S. Augustini congregationis Alemanniæ, immemorem habitus, professionisq; suæ, quæ in humilitate & obedientia consistit, præuaricantem, in Ecclesia Dei iactare se, tanquam tuæ nobilitatis præsidio munitus, nullius autoritatem reprehensionemq; vereatur. Etsi cognoscimus falsum hoc esse, tamen eidem nobilitati tuæ scribendum duximus, Hortantes eam in Domino, vt pro nomine & dignitate boni catholiciq; Principis, qualis tu es, retinere splendorem optimæ famæ generis tui immaculatum ab hac calumnia velis. Neque solum culpam euitare, quod facis, nulla enim adhuc in te nostro iudicio culpa est, sed etiam suspitionem fugere huius culpæ, quam tibi illius temeritas inferre conatur.

Et quoniam ex doctissimorum ac religiosissimorum hominum relatione, ac præsertim dilecti filij Magistri sacri Palacij nostri, nobis constat, multa, dictum Fratrem Martinum Lutherum, impia & hæretica, audere asserere, & publice affirmare. Nos & eum citari ad respondendum iussimus, & dilecto filio nostro Thomæ, tituli S. Sixti Presbytero Cardinali nostro, & huius sanctæ Sedis de latere Legato, homini omnis Theologiæ Philosophiæq; consultissimo, quid eum agere oporteat, commisimus.

Sicut asinus ad Lyram.

Cum autem hæc res Dei catholicæq; fidei sinceritatem omnino concernat, sitque proprium officium Sedis Apostolicæ, fidei magistræ cognoscere, qui recte sentiant aut perperam. Hortamur denuo nobilitatem

nobilitatem tuam, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, vt & Dei, & Nostri, & sui honoris causa, dare operam & efficere velit, vt is Martinus Lutherus, in [b] potestatem & iudiciũ huius sanctæ Sedis, sicut a te Legatus prædictus requisiuerit, deducatur. Quod erit fidei catholicæ gratum & salutare munus, tuæ nobilitati, ob pietatis & religionis cultum, in primis honorificum. Siquidem ad honorem nominis tui & animæ salutem in primis pertinet, ne præsens & futurum seculum vllo tempore commemorare possit, hæresin perniciosissimam in Ecclesia Dei, fauore Domus tuę nobilissimæ, fuisse exortam, cui te periculo occurrere tua sapientia decet.

b ouis in potestatem Lupi.

Quod si forte aliquid tibi de eo in bonam partem persuasum est te apud Sedem apostolicam discussa, & veritate indagata, aut is, si erit innocens, cum bona nostra gratia remittetur. Aut si prauæ mentis inuentus fuerit, mens tua ab omni errore liberabitur. Nos & paterno affectu, & ex pastorali officio, neque innocentiæ pœnam vllam proponimus, & pœnitentiæ clementiæ nostræ gremium largiter aperiemus.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, Die XXIII. Augusti. Anno M.D.XVIII. Pontificatus nostri anno sexto.

23. Augusti. Anno XVIII.

Iacobus Sadoletus.

LEO PAPA X.

DILECTO NOSTRO FILIO Thomæ Tituli S. Sixti Presbytero Cardinali nostro, & Apostolicæ Sedis de latere Legato.



DIlecte fili noster, Salutem & apostolicam benedictionem. Postquam ad aures nostras peruenerat, quendam Martinum Luherum, Ordinis Eremitarum S. Augustini Professorem, in reprobum sensum versum, nonnulla hæretice, & ab eo, quod sancta Romana tenet Ecclesia, diuersa asseuerare, & super hoc Conclusiones, nec non famosos Libellos temeritate propria, & erecta ceruice, laxatis obedientiæ frenis, inconsulta Romana Ecclesia, fidei Magistra, in diuersis Germanię partib. publicare ausum fuisse, Nos temeritatem suam paterne corrigere volentes, Venerabili Fratri nostro

Hieronymus Episcopus Asculanus.

Hieronymo Episcopo Asculano, Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali auditori, commisimus, vt ipsum Lutherum ad comparendum personaliter coram eo, & se super præmissis examinandum, & qualiter de fide sentiret respondendum, sub certis pœnis moneret, Ipseq; Hieronymus auditor, cõtra dictum Martinum Lutherum monitorium huiusmodi, vt accepimus, decreuit.

Nuper autem ad noticiam nostram deuenit, q; dictus Martinus [a] benignitate nostra abusus, & audacior effectus, mala malis addendo, [b] & pertinaciter in hæresi persistendo, nonnullas alias Conclusiones ac famosos Libellos similiter publicauit, in quibus nonnulla alia hæretica & erronea continentur, Quod quidem mentem nostram non modicum perturbauit.

QVare, prout pastorali nostro incumbit officio, in præmissis occurrere, & ne pestis huiusmodi adeo inualeat, vt simplicium animos inficiat, prouidere volentes, circumspectioni tuæ (de qua tum ob singularem doctrinam & rerum experientiam, tum ob in nos, & hanc sanctam Sedem, cuius honorabile membrũ existis, sinceram deuotionem plurimum in Domino confidimus) per præsentes mandamus, vt eisdem præsentibus receptis, absque vlla mora, quoniam res apud nos, tum ex fama, tum [c] ex facti permanentia, notoria & inexcusabilis est, dictum Lutherum hæreticum, per prædictum auditorem iam declaratum ad personaliter coram te comparendũ, Inuocato ad hoc tam clarissimi in Christo filij nostri Maximiliani Romanorum Imperatoris Electi, q; reliquorum Germaniæ Principum, Communitatum, Vniuersitatum & Potentatuum, tam ecclesiasticorum, q; secularium, brachio, cogas atq; compellas, & eo in potestate tua redacto, eum sub fideli custodia retineas, donec a nobis aliud habueris in mandatis, ut coram nobis & Sede apostolica sistatur.

Ac q; si coram te, sponte ad petendum de huiusmodi temeritate ueniam, uenerit, & ad cor reuersus pœnitentiæ signa ostenderit, Tibi eum ad unitatem sanctæ matris Ecclesiæ, quæ nunquam claudit gremium redeunti, benigne recipiendi concedimus facultatem.

SI uero in pertinatia sua perseuerans, & brachium seculare contemnens, in potestatem tuam non uenerit. Tibi in omnibus Germaniæ partibus eum ac omnes ipsius adherentes & sequaces, etiam per Edicta publica, ad instar illorum, qui olim in Albo prætorio scribebantur, pro hereticis, excommunicatis, anathematizatis, & maledictis publicandi, & ab omnibus Christifidelibus, tanquam tales euitari faciendi, concedimus similiter facultatem.

Et ut

Et ut celerius & facilius morbus huiusmodi exterminetur, vniuersos & singulos Prælatos, & alias ecclesiasticas Personas, tam seculares quam quorumuis Ordinum, etiam mendicantium regulares, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, ac quascunque Communitates, Vniuersitates & Potentatus (præfato Maximiliano electo Imperatore excepto) autoritate nostra etiam sub Excommunicationis latæ sententiæ, & alijs infra dicendis pœnis moneas, & requiras, vt sicut reputari cupiunt, & haberi fideles, dictum Martinum, & eius adhærentes & sequaces capiant, & ad manus tuas transmittant.

QVod si, quod absit, quod nobis persuadere non possumus, prędicti Principes, Communitates, Vniuersitates, & Potentatus, aut aliquis eorum Martinum, aut adhærentes & sequaces prædictos quomodolibet receptauerint, seu eidem Luthero auxilium, consilium vel fauorem publice vel occulte, directe vel indirecte, ex quauis causa quomodolibet dederint, eorundem Principum, Communitatum, Vniuersitatum, & Potentatuum, ac cuiuslibet eorum Ciuitates, oppida, terras & loca, Nec non ciuitates, oppida, terras, & loca ad quæ prædictum Martinum declinare contigerit, donec dictus Martinus ibidem permanserit, & per triduum post, ecclesiastico subijcimus Interdicto.

Mandantes nihilominus omnibus & singulis Principibus, Communitatibus, Vniuersitatibus & Potentatibus prædictis, vltra præfatas pœnas, quo ad ecclesiasticos & regulares prædictos sub priuationis Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum ecclesiasticorum, nec non inhabilitatis ad ea in posterum obtinenda, Priuatione quoque feudorum. Quo vero ad Laicos, dempto prædicto Imperatore, infamiæ, & inhabilitatis ad omnes actus legitimos, ecclesiasticæ sepulturæ, priuationis quoque Feudorum, a nobis & sede Apostolica, vel quibusuis alijs etiam secularibus obtentorum pœnis, eo ipso incurrendis, quatenus mandata requisitionis & hortationes tuas sine exceptione, contradictione & replicatione aliqua ilico exequantur, & a consilio, auxilio, fauore, & receptatione prædictis omnino abstineant.

OBedientibus vero Indulgentiam etiam plenariam, seu retributionem aliquam, aut gratiã arbitrio tuo concedendi, tenore præsentium tibi tribuimus facultatem. Non obstantibus exemptionibus, priuilegijs, & indultis, iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia, roboratis, quibusuis ecclesiasticis seu cuiusuis Ordinis & mendicantium regularibus, Ecclesijs, Monasterijs siue locis,

locis, aut personis etiam secularibus, quomodolibet concessis, etiam si in eis caueretur expresse, quod excommunicari, suspendi, interdici, nullo modo possint, cum irritantis decreti appositione, quibus eorum tenores, ac si de verbo ad uerbum præsentibus insererentur, pro expressis habentes, ad effectum præsentium specialiter & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, Cæterisque contrarijs quibuscunque.

Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris,[d] Die XXIII. Augusti,
23. Augusti. Anno X VIII. Anno M. D. XVIII.
Pontificatus nostri anno sexto.

Iacobus Sadoletus.

POSTILLA F. MARTINI LVTHERI SVPER breue precedens.

a QVis dixit Pontifici, me [a] abusum benignitate sua, qua me per Dominũ Hieronymum citari fecit? cum tempore huius dati Breuis, aut certe huius benignitatis abusus, ego nõdum quidquam de Citatione audierim, ut infra scies, sed insulsus aliquis Leucocorax in Germania meam uidens fiduciam, ista crocitauit.

b Item, [b] Quod in hæresi pertinaciter post Hieronymianam citationem & monitionem perstiterim, & alios Libellos ediderim, est apertum mendacium, non solum enim ante datum huius Breuis, sed etiam ante datum monitorij, cessatum erat à libellis meis edendis, Exceptis resolutionibus, quas necdum citatus plene absolueram. Sed satis indicat nasus, displicuisse defensionem meam uulgarem, quibusdam cucullis, quibus cum non cederem, fingunt mihi, Pontificem quendam [c] de permanentia facti, de fama notoria & inexcusabili, diuinantem. Iste enim Leo X. quem illi fingunt, forte est inter rationem rei ratiocinabilis, & rei ratiocinantis natus.

Supra fol. 79. b.

c

d Vltimo & omnium suauissimum, Breue hoc datum est [d] XXIII. Augusti, Ego autẽ citatus & monitus fui VII. Augusti, & sic intra datũ Breuis & citationem cucurrerunt 16. dies. Calculum pone, Lector, & inuenies Dominum Hieronymum Episcopum Asculensem, uel ante mihi insinuatam citationem, aut intra decimum sextum diem, post insinuatã, processisse contra me, iudicasse, damnasse, declarasse. Si nunc quæram, ubi tunc sexaginta illi dies mihi dati in citatione mea, qui inceperunt à VII. Augusti, finiebantur autem circiter VII. Octobris? Est iste mos & stylus romanæ Curiæ, ut eadem die citent, moneant, accusent, iudicent, damnent, declarent, Præsertim tanto spacio absentem & ignorantem? Quid respondebunt, nisi sese oblitos & elleboro purgandos fuisse, quando hoc mendacium adornare parabant?

Breue apostolicum.

D. Hiero: Episcopus Asculensis.

IN fine,

IN fine, mi lector, accipe fidele meum monitorium, Vtcunque cesserit meis Propositionibus & quantūcunq; Indulgentias eleuauerint, ne in meam stulticiam aliquando cadas, moneo. Ego enim uere mihi donari merita Christi per Indulgentias aliquando credebam, Atq; hac stulta opinione procedēs docui, & iactaui in populū, quandoquidem tantę res essent Indulgentiæ, non licere eas relinquere, uiles & contemptas habere, Non aduertens omnium Bardorum bardissimus, q eo sermone, pene præceptum salubre, aut certe consilium necessarium facerem, ex permissionibus, licentijs, relaxationibus, Huc enim me perpulit sensus meus, opinionum & Extrauagantium male lucidis uerbis deceptus. Erraui, testis Lector, Reuoco, testis, Lector.

Postquam autem receptis oculis viderem, ab omnibus Doctoribus, una sententia, tradi, Indulgentias melius omitti q̄ redimi, & fœliciores esse eos, qui per se satisfaciunt, q̄ qui Indulgentias redimunt, esseq; Indulgentias aliud nihil, q̄ relaxationes bonorum operum, quibus satisfactio impletur, mox uidi procliui sequela, eas posse contemni, Imo saluberrimum esse consilium, ut relinquantur & uiles habeantur.

Porro contemnere, relinquere, uilia ducere, sacrosancta, preciosissima, inæstimabiliaq; merita Christi (id est, Indulgentias) horrendum sonabat, ac non tam consilij q̄ furentis impietatis uerba iudicabantur. Ad hæc perurgebat, quod Indulgentiæ sine nomine meritorum Christi uilissimæ essent, soloq; titulo meritorum Christi, rerum omnium preciosissimæ fierent, ac sic sacrosancta (heu) incomparabilia merita Christi, ad turpissimā fœdissimamq; seruitutem quæstus prætexerentur. Quis enim Christianorum, si audiat, uel nominari, nedum exhiberi uulnera, sanguinem, labores dulcissimi Saluatoris sui, non uitam quoq; nedum pecunias, prodigeret, idq; cum gaudio? At quo rursum dolore cruciaberis, si hæc omnia non nisi in teterrimum quęstum seruire uideris, ac non uno Iuda, nec semel, sed innumeris Iudis, singulisq; momentis uendi reuendiq; Christum.

Igitur non te fallat nomen Christi, recordare prædictum esse, multos uenturos Pseudochristos in nomine Christi, tantaq; prodigia & signa daturos, ut in errorem ducant (si fieri potest) etiam electos. Sit mea Propositio falsa, sint merita Christi thesaurus Indulgentiarum, Sed cogita, q hinc sequi necessarium est, & dicere te oportet: Merita Christi relinquenda, & uilia ducenda esse, fœliciores esse eos, qui merita Christi non redimunt, quam eos, qui deuotissime eadem quærunt, Et cum merita Christi, quam maxime (natura sua) ad bona opera impellant, in Indulgentijs tamen sibijpsis pugnantia, bona opera relaxant, & quod natura sua, uoluntateq; Dei faciunt, id uoluntate Papæ soluunt. Feci, quod debui, Lector, si deinceps erras, sine mea culpa erras,

Vale.

Matth. 24

Anno M. D. XVIII.

Epistolæ

EPISTOLAE DVAE ACADEMIAE VVITTEMBERGENSIS.

MAGNIFICO ET GENEROSO VIRO: DOMINO CAROLO DE MILtitz, Cubiculario secreto, & Nuncio Apostolico, Patrono nostro reuerenter colendo.

I.

NON sine graui animorum nostrorum dolore intelleximus, magnifice & generose vir, Reuerendum Patrem Martinum Lutherum Augustinianum, sacræ Theologiæ & bonarum Artium Magistrum, Academiæ nostræ membrum præstantissimũ, in tantam sanctæ Sedis Apostolicæ adductum inuidiam, vt citatus Romam, multiplici sua oblatione fidei, pietatis & officij, Christiano homine digna, impetrare non potuerit hactenus, vt causa in Germania commissa Iudicibus non suspectis, & locis tutis audiretur.

Sumus enim ita, cum erga totam Christianam religionem, tum erga sanctam Sedem Apostolicam & sanctam Romanam Ecclesiam affecti, vt si certum esset nobis, Doctorem Martinum lapsum, in tam fœdos & impios errores, primi omnium eum non solum permitteremus Legibus, sed etiam exigeremus eijceremusq́, Tantum abest, vt fauere velimus, a via veritatis euangelicæ erranti.

Verum experti multis ab hinc annis hominis eruditionem tam multijugam, q́ pene singularem, moribus integerrimis & defecatissimis coniunctam, eamq́ multis regionibus Christianæ fidei, nedum nobis cognitam. Nostri muneris putamus, rogare pro pio Patre, tam præclare de nobis merito. Nisi enim talis esset, neque Christianissimo & illustrissimo Principi nostro, Domino Friderico, Duci Saxoniæ, Sacri Romani Imperij Electori & Archimarscallo, Academiæ nostræ conditori, Patrono & Patri pientissimo, neque nobis in diem hodiernum fuisset tolerabilis.

QVapropter magnificentiam tuam etiam atque etiam uehementer rogamus, vt hominem pientissimum simul & eruditissimum, erga sanctissimum Dominum nostrum, D. Leonem X. Pontificem Maximum, ita habeat commendatum, vt impetrare possit, quod sese obtulit facturum pro defensione sua. Nam cum te gratiosum sciamus apud Pontificem summum, non dubitamus te adiutore, te Patrono, eo facilius consequuturum quod petimus, quo mitioris est ingenij

Pontifex

Pontifex Maximus, optimis & literis & Præceptoribus a puero institutus.

Da igitur, quæsumus, hoc patriæ tuæ, vt Germanus Germano non desis, præsertim eo calamitatis genere laboranti, vt nobis persuadeamus, multo fœliciorem futurum, si Ponti: Maxi: integritatem, pietatem & eruditionem viri certo cognouisset. Scimus enim omnia facturum, quæ Christiano Theologo conueniunt, & nihil minus commissurum, quam ut in scirpo nodum quæsiuisse insimulari possit ab æquo Iudice.

Quod si magnificentia tua nobis gratificabitur, habebit nos semper non minus sibi deuotissimos, quam perpetuos tuarum laudum præcones. Valeat magnificentia tua fœlicissime.

Datum Vuitembergæ XXV. Septemb. Anno M. D. XVIII. 25. Septemb. Anno 18.

Rector, Magistri, & Doctores Academiæ Vuittembergensis.

II.
EPISTOLA ACADEMIAE VVITEMBERGENSIS, AD
Leonem X. Romanum Pontificem, Testimonium præbens de integritate D. Martini Lutheri, Et excusans eum, quare Romam proficisci non possit.

NON temeritati neque impudentiæ nobis vertet, beatissime Pater, suauissima illa tua & vere pastoralis clementia, quod Sanctitatem tuam hisce nostris Literis adire præsumpsimus, Pietas ipsa & veritas vice nostræ verecundiæ abunde (speramus) nobis conciliabit pacientissimam tuam, & passim omnibus munifice expositam beneuolentiam.

FRater quidam, Martinus Lutherus, Artium & sacræ Theologiæ Professor, nostri studij fidele gratumque membrum (vt vocant) nobis supplex factus, fiducia nostræ intercessionis, Literas ad beatitudinem tuam postulauit, quibus testimonium perhiberemus & doctrinæ & famæ eius, quam a quibusdam iniquius damnari & accusari queritur.

Denique & nunc autoritate beatitudinis tuæ, per Commissionem propter disputatas aliquot apud nos Propositiones de Indulgentijs, citatus, & personaliter comparere in Vrbe iussus est. Quia vero &

 corporis

corporis valetudo, & itineris periculum, non patiuntur eum facere quod deberet & vellet, haec res supra vires suas esse videtur, Idcirco nos eius & necessitati & petitioni compassi, negare non voluimus id, quo sibi opus esse credit, testimonium nostrum.

QVare, beatissime Pater, humiliter & obnixe oramus, deuoti deditique filij sanctitatis tuae, vt hunc Virum eum credere dignetur, cuius apud nos opinio usque adhuc nullius peruersi & quod a sacrosanctae Romanae Ecclesiae sensu aberret, dogmatis labe respersa aut contaminata sit. Nisi quod ritu & facultate disputandi liberius forte quaedam posuerit (nihil asserendo) quam ferre potuerint quidam aduersarij sui. Nam nec nos ipsi tales vnqum videri voluimus, qui pertinaciter aduersus catholicum Dogma quidquam sapere statuerent. Parati per omnia, tuis & sanctae Ecclesiae voluntatibus parere in Christo Ihesu Domino Deo nostro, qui & sanctitatem tuam nobis faciat propiciam & exorabilem, & gratia sua hic praeueniat, & illic gloria aeterna subsequatur, Amen.

Datum Vuitembergae XXV. Septemb.
Anno M. D. X V I I I.

Tuae sanctitatis deuoti deditique filij
Rector, Magistri & Doctores
Academiae Vuitembergensis.

MARTINVS LVTHERVS PHILIPPO MELAN. S.

NIhil noui aut miri hic agitur, nisi quod mei nominis rumore Ciuitas plena est, & omnes cupiunt videre hominem tanti incendij Herostratum. Tu age virum, sicut agis, & adolescentes recta doce, Ego pro vobis & illis vado immolari, si Domino placet. Malo perire, & quod vnum mihi grauissimum est, etiam vestra conuersatione dulcissima carere in aeternum, quam vt reuocem bene dicta, & studijs optimis perdendis occasio fiam, apud hos, vt insipientissimos, ita acerrimos literarum & studiorum hostes.

Italia est in Aegypti tenebras palpabiles proiecta, adeo ignorant omnes Christum, & ea quae Christi sunt. Hos tamen Dominos & Magistros habemus fidei & morum. Sic impletur ira Dei super nos, quae dicit: Dabo pueros Principes eorum, & effoeminati dominabuntur eis. Vale mi Philippe, & Dei iram castis precibus auerte. Augustae feria secunda post Dionysij, Anno M.D. X V I I I.

Feria 2. post Dionysij. Anno XVIII.

F. Martinus Lutherus.

BREVIS

BREVIS COMMEMORATIO RERVM: QVAE AVGVSTAE, Anno M. D. XVIII. Peractis iam Comitijs, cum D. Martino Luthero, Ordinis S. Augustini, de Indulgentijs pontificalibus sunt gestæ, Atque a claris & fide dignis hominibus ad quosdam summi Ordinis viros inter alia perscriptæ.

VEstræ Celsitudini pro Nouitatibus hæc quoque obseruanter significãda duxi. Pridie, cum hęc scriberem, nempe die Iouis, dominus Philippus de Feilitsch, eques auratus, et [a] ego, Illustrissimi Principis Friderici Ducis Saxoniæ Electoris &c. nomine, causam nobis a sua Cel. commissam, pręsente Doctore Martino Luthero, apud Romanum Cardinalem, Ordinis Prædicatorum, virum alioqui doctum, egimus. Ibi Doctor Martinus exhibuit responsum & declarationem suarum Propositionum, quas antea refutauerat ipse Cardinalis, q̃ sibi aduersus Pontificem & Ecclesiam Romanam egisse videretur.

[a] D. Iohannes Ruel Iureconsultus.

Inter alia vero Cardinalis legem quandam seu constitutionem pontificiam obstinatissime vrgebat, atque huic, tanquam fundamento suæ causæ, pertinaciter insistebat, quasi Lutherus eam infringere niteretur. Cæterum Lutherus, tanquam vir integer & Christianus, minime infitias ibat, illam constitutionem esse pontificiam legem, Sed tamen patrocinari eam sententiæ Cardinalis pernegabat. Hoc ille moleste ferens, subito ad Libros confugit, & istam quæsiuit Constitutionem, quam cum diligentius introspexisset, veram esse Lutheri sententiam deprehendit. Cardinalis, etsi errorem hunc suum prætextu quodam verborum studiose excusaret, & nos, excepta Religionis autoritate, non multũ curaremus, neque quidquã etiam Indulgentijs derogaret, Lutherus tamen, vt vir doctus, illustre specimen eruditionis suæ præbens, susceptam causam multo dexterius, q̃ Itali volebant, defendit, Id quod domino Philippo a Feilitsch & mihi valde placebat.

Cardinalis postea, disputationem, quam Lutherus studio veritatis vehementer expetebat, admittere nolens, postulauit, vt hac in parte Lutherus suam Concionem retractaret. Sed hoc Lutherus omnino recusabat, asserens doctrinam suam veram, atque Scripturæ testimonijs fundatam esse, Quod si reuocaret, se non modo contra

suam conscientiam, sed etiam contra Pontificem facturum, Quemadmodum id etiam allegata Lex pontificia, cui tantopere Cardinalis inniti uideretur, apertissime demonstraret.

Tandem ubi Cardinalis nihil nisi retractationem quęreret, Lutherus eum supplex orauit, vt eiusmodi responsum una cū obtestatione promptissimaque sua uoluntate ad Pontificem Maximum transmitteretur, Simulq; rogans, ne tam duro atque rigido aduersus ipsum iudicio sanctitas sua uteretur. Se enim nihil magis spectare, quam ut ipsa ueritas palmam obtinere posset. Quod si certis & ueris Rationibus conuinceretur, nequaquam erubescere sese, quo minus, in honorem ueritatis, errorem suum reuocare uelit, Cardinalis tamen nihilominus in sua sententia perseuerauit.

Nemo preterea hic est, qui publica disputatione cum Luthero congredi audeat. Monachi, cæterique eius aduersarij omnes, qui plurima contra ipsum in his Comitijs scripserunt, iam nusquam apparent. Nos ita discessimus a Cardinale, & illo die cum Doctore Staupicio ac D. Luthero cœnati sumus. Post hęc eodem die Cardinalis ad se Doctorem Staupitz accersi iussit, cui inter alia dixit, Se Luthero iam amicissimum esse factum, eiq; ex animo fauere &c. Quid posthac futurum sit, ignoro. Cardinalis quidem uehementer laborat, sed tamen Lutherum in aliam sententiam perducere hactenus nunquam potuit, neque etiam persuadebit unquam, ut reuocare uelit. Lutherus omnia, quæ cum Cardinale sunt acta, publicis literis excudenda tradet. Veritati Dominus opem ferre dignetur.

ACTA REVERENDI PATRIS D. MARTINI LVTHERI

Augustiniani, apud Dominum Legatum Apostolicum Thomam Caietanum, Augustæ, Anno M.D. XVIII. in Octobri.

PIO LECTORI MARTI. LVTHE.

IGnosce mihi, charissime Lector, q; toties nugis meis horas tibi perdo, facio id multum inuitus, dandum rogo putes & hoc necessitati. Placuit in cœlo, ut & ego Fabula hominum fierem, quod tamē sic me debere Domino confiteor, vt non dubitem totum his quoq; hominibus tribuendum, quibus tanta est aurium pietas, vt suauissima pijssimaq; veritate offendantur vsq; ad insanam cordis & oris & operis impietatem.

Vexauerunt

Vexauerunt iam diu Iohannem Reuchlin secretarium Consultorem, Vexant nunc Me quæstionarium (vt sic dixerim) Disputatorem, nec consilia, nec disputationes passuri, Speramus fore deinceps, vt præ ocio suo infœlicissimo somnia quoq; & cogitationes mortalium vexent. Quis enim ab his Behemoth dentibus securus est, quando eos deuorant, qui secreto consulunt, aut aperte doceri tantum petunt? Nouum (Deum immortalem) & memorabile crimen, voluisse doceri, & quæsiuisse veritatē, atque id in Ecclesia regnoq; veritatis, in qua etiam oportet rationem reddi omnibus poscentibus. Sed hæc alias. *Iohannes Reuchlin*

NVNC, mi Lector, quod ago, tale est, Video Libellos edi, & rumores uarios spargi de actibus meis Augustensibus, Quanquam uere nihil ibi egerim, quam quod & tempus & sumptus perdidi, Nisi id satis abunde fuerit operis, quod nouam audiui linguam latinam, scilicet, quod veritatem docere, idem sit, quod Ecclesiam perturbare, Adulari vero & Christum negare, id est, Ecclesiam Christi pacificare & exaltare. Neq; enim video, quomodo, non tu sis barbarus Romanis, & Romani tibi, si hanc nescieris eloquentiā, etiamsi alias Ciceronis eloquentiam superes. *Veritatem docere, est Ecclesiam perturbare.*

Igitur ne in alterutram partem, uel Amici nimio eleuent, uel inimici nimio deprimant Causam, uolo ipse in publicum dare, ea quæ obiecta mihi, & quæ à me responsa fuere, simul uel hoc testimonio notum facturus, me præstitisse satis arduam, & abunde fidelem obedientiam Romano Pontifici.

Primum, quod pauperculus imbecillisq;, pedester tamen, tam longo itineri, & tantis periculis me dedi, nec iustissimas & honestissimas omnium iudicio, absentiæ causas apprehendi. Deinde coram eis sisti passus, qui de factione partis aduersariæ iustissime poterant à me reijci.

Has autem iniquas & difficiles conditiones (quantum nasus olfacit) ideo mihi videntur amici isti adornasse, & omnia præstruxisse, ut non ueritatis inquisitionem, sed perditionem meam facillime operarentur, nec aduentum meum sperasse, sed contumaciam meam desiderasse uidentur, quo latis mox censuris, Causaq; nec audita nec cognita, triumpharent. Cuius rei non leue argumentum mihi fuit, quod post aduentum meum primo cœptum est quæri, in quibus nam accusarer. Atq; usq; hodie sunt in domo Caiphæ scripta mea, ubi quæruntur aduersus me falsa testimonia, nec adhuc inuenta sunt. Etiam iste (ut uideo) nouus mos, nouumq; ius Romanæ Curiæ cœpit, ut Christum prius capiant, deinde quid obijciant, quærant. Duo tamen mihi, imo unum, quod speciem haberet, obiectum est, commentum Extrauagantis, ut uidebis statim.

IGitur ne & Illustrissimum Principem Electorem Fridericum Ducem Saxoniæ &c. frustra pro me laborasse permitterem (clementissime enim me & sumptu & Epistolis commendaticijs prouidit, atq; ut causa ex Vrbe committeretur, gratiosissime iam antea laborauerat) ueni Augustam, susceptusq; fui à Reuerendissimo D. Cardinale Legato satis clementer, ac prope reuerentius. (uir enim est omnibus nominibus alius, quam hi Fratrum uenatores robustissimi.)

Hic ubi se nolle mecum disputare dixisset, sed suauiter & paterne rem componere, tria mihi de mandato sanctissimi Papæ (ut asserebat) facienda proposuit. *Tria proponuntur Luthero à Cardinale.*

 Primum,

Primum, ut ad cor redirem, erratusque meos reuocarem.

Deinde, promitterem in futurum abstinere ab eisdem.

Tertio, & ab omnibus, quibus Ecclesia perturbari possit.

Ego, qui talia, etiam Vuitembergę sine periculis, sine labore tanto, me facere potuisse uidebam, nec in Augusta mihi fuisse quærenda, mox petij doceri, in quibus errassem, me non esse mihi conscium ullius erroris. Tunc protulit Extrauagantem Clementis VI. quæ incipit: Vnigenitus &c. Quod contra eam asseruissem Propositione 58. Non esse merita Christi Indulgentiarum thesaurum. Vrgebat itaque, ut reuocarem, instabatque cum fiducia, certissimus de uictoria, Confidebat enim, atque adeo securus præsumebat, me non uidisse Extrauagantem, fretus fortasse eo, quod non omnes Codices eam habent.

Extrauagans Clementis VI.

Propositio 58.

SEcundo obiecit, Quod propositione 7. inter declarandum docueram, Necessariam esse fidem, accessuro ad Sacramentum, aut in iudicium accessurum. Hanc enim nouam & erroneam doctrinam putari uoluit, Sed potius incertum esse omnem accedentem, gratiam consequeretur, nec ne. Faciebatque hac fiducia sua, præsertim arridentibus & pro more suo cachinnantibus Italis cæteris familiaribus suis, ut uicto similis uiderer.

Fides necessaria accessuro ad Sacramentum.

Propositio 7.

Ad hæc respondi, Mihi nō solum istam Clementis Extrauagantem esse diligenter uisam, sed & alteram eius emulam & analogam Sixti IIII. (uere enim legeram utrasque una cum uerbosissimo, & qui fidem illarum merito derogaret apparatu, tanta est refertus inscitia) uerum non habuisse eam apud me satis autoritatis, cum alijs multis, tum ea maxime causa, quod Scripturis sanctis abutitur, & uerba (si modo sensus usitatus subsistere debet) audacius torquet in alienum sensum, quem suo loco non habent, imo contrarium habent. Ideo Scripturas, quas ego in Propositione mea sequor, esse ei præferendas omnino, ac nihil inde probari, sed recitari duntaxat ac narrari opinionem S. Thomæ.

Extrauagans Sixti IIII.

Tunc cœpit aduersus me potestatem Papæ commendare, quoniam supra Concilium, supra Scripturā, supra omnia Ecclesię sit. Et ut illud persuaderet, reprobationem & abrogationem Concilij Basiliensis recitauit, ac Gersonistas quoque una cum Gersone damnandos censuit.

Potestas Papæ supra Scripturam.

Gersonistæ.

Hæc ut erant noua in auribus meis, Negaui contra, Papam supra Concilium, supra Scripturam esse. Deinde & Vniuersitatis Parrhisiensis appellationem cōmendaui, multaque confusa interlocutione, de pœnitentia, de gratia Dei, miscebamus, Nam alteram illam obiectionem cum dolore audiui nihil enim minus timuissem, quam hanc rem in dubium uocandam aliquando, Ita in nulla propemodum re conueniebamus. Sed ut altera alteram inueniebat (ut fit) ita semper noua surgebat contradictio.

Appellatio Vniuersitatis Parrhisiensis.

Cum autem uiderem ista contentione nihil agi, nisi multa inchoari, & nulla consummari, ac iam uere nos nihil nisi multas Extrauagantes comminisci, præsertim cum ille (ut uice Pontificis summi) nollet cessisse uideri, petij, ut tempus daret deliberandi.

ALtera die, præsentibus quatuor Cæsareę Maiestatis senatoribus, adductis Notario & testibus, protestabar proprie & personaliter, legens coram Reuerendissimo D. Legato, in hunc, qui sequitur modum:

In primis ego Frater Martinus Lutherus Augustinianus, protestor me colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis & factis præ-

Protestatio Lutheri.

ctis præsentibus, præteritis & futuris. Quod si quid contra uel aliter dictum fuit uel fuerit, pro non dicto haberi & habere uolo.

Verum ex quo reuerendissimus Dominus &c. mihi de mandato D. Papę, ut asserebat, proposuit & exegit, ut super Disputatione, quam de Indulgentijs habui, tria hæc facerem. *Disputatio de Indulgentijs.*

Primum, Redirem in mei cognitionem, & errorem reuocarem.

Secundum, Cautelam præstarem de futuro non repetendis.

Tertium, Promitterem abstinere ab omnibus, quæ Ecclesiam Dei perturbarent.

Ego qui disputaui, & ueritatem quæsiui, quærendo delinquere non potui, multominus ad Reuocationem compelli, non auditus neque conuictus. Hodie protestor me non esse mihi conscium aliquid dixisse, quod sit contra sacram Scripturam, ecclesiasticos Patres, aut decretales Pontificum, aut rectã Rationem, Sed omnia quæ dixi, hodie quoq; mihi sana, uera, catholica esse uidentur.

Nihilominus tamen sum homo, potens errare, submisi me, & etiam nunc submitto iudicio & determinationi legitimæ sanctæ Ecclesiæ, & omnibus melius sentientibus.

Tamen ad superabundantiam, offero me personaliter hic uel alibi, etiam in publico reddere rationem dictorum meorum. Quod si hoc non placet reuerendissimo Domino &c. paratus sum uel in Scriptis, suis obiectionibus, si quas contra me producere destinauerit, respondere. Et super illis audire iudicium & sententiam Doctorum insignium Vniuersitatum imperialium, Basiliensis, Friburgensis, Louaniensis. Aut si nec id satis est, etiam Parrhisiensis, studiorum parentis, & ab antiquo semper Christianissimę, ac in Theologia florentissimæ Vniuersitatis. *obiectionibus Cardi. uult respondere Lutherus in scriptis.*

Quo facto, repetijt disputationem hesternam de obiectione priore, Illa enim multam speciem pro sua sententia uisa est habere. Me uero tacente, & iuxta Protestationem in scriptis respondere promittente, rursus satis confidebat, Tandem admissa scriptili Responsione, abitum est. Tenor & textus responsionis est iste:

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO,

Domino Thomæ, Tituli S. Sixti, Cardinali, sanctę Sedis apostolicæ Legato &c. F. Martinus Lutherus Augustinianus, S.

Quam non detrectem respondere, libensq; velim rationem reddere de singulis specialibusq; meis dictis, Reuerendissime in Christo Pater, ut obiectionibus satisfaciam, quas heri & nudius mihi obiectas memini, hac uolui Epistola humiliter protestari, Nam duo sunt, quæ mihi sunt à Pat. tua Reue. obiecta. Primum, Extrauagans illa Clemen. VI. quæ incipit: Vnigenitus &c. In qua thesaurus Indulgentiarum asseri uidetur esse merita Christi & Sanctorum, quod ego in Positionibus meis uideor negare. *I. Extrauagans Clementis VI.*

Respondeo itaq; : Non fuit mihi incognita Extrauagans illa, cum istas meditationes meas meditabar, Sed cum certissimus essem, unamq; totius Ecclesiæ sententiam esse scirem, merita Christi in spiritu non posse committi hominibus, nec tradi per homines, aut ab hominibus, sicut tamen Extrauagans *Merita Christi non committuntur hominibus.*

uagans ista sonare uidebatur, uolui intactam relinquere, alijsq; ingenijs melioribus committere magnas illas molestias & angustias, quas pro tuenda Papæ reuerentia patiebar.

Occurrebat enim & mouebat, Primo, quod nuda essent uerba Pontificis, & aduersus contentiosum vel hæreticum, inualidum præsidium. Deinde, si quis diceret, Turpe esse, Principem loqui sine lege, Et iuxta Zachariam, Non uerba hominis, sed legem Dei requirendam ex ore sacerdotis. Item, quod uerba Scripturę torquet, & in alienum sensum eis abutitur, Nam quæ de gratia iustificante dicta sunt, ad Indulgentias trahit, quo videbatur magis narrare, & magis opinione quadam pia exhortari, quam solida demonstratione aliquid probare.

Legem Dei requirendam ex ore sacerdotis. Zacha. 2.

Vexabat etiam erroneas esse, quod fieri posse constat, Decretales aliquando erroneas esse, & contra sacras literas & charitatem militare. Nam licet Decretales Ro: Põtifi: tanquã uocem Petri oportet audire, ut dicitur di. xix. Tamen hoc ipsum intelligitur de his solum (ut dicitur ibidem) quæ consonæ sunt sacrę Scripturæ, & à prioribus Patrum decretis non dissentiunt.

Decretales.

Accessit ad hoc, quod de facto Petrus non incedens ad ueritatem Euangelij, reprehensus est à Paulo, Gala. 2. Ideo non mirum uideri, si successor eius in aliquo defecerit, Quandoquidem & Acto. 15. doctrina Petri non fuit suscepta, donec accederet & approbatio Iacobi minoris Episcopi Hierosolymitani, & totius Ecclesiæ consensus, Vnde fluxisse uidetur id iuris dogma, Legem tunc firmari, quando vtentium moribus approbatur.

Petrus à Paulo reprehensus. Gala. 2. — *Acto. 15.*

Præterea, quod multæ Decretales priores correctæ sunt per posteriores. Ideoq; & hanc forte pro tempore suo corrigi posse. Panormitanus quoq; li. 1. de elect. c. Significasti, ostendit, in materia fidei, non modo generale Concilium esse super Papam, sed etiam quemlibet fidelem, si melioribus nitatur autoritate & ratione, quam Papa, sicut Petro Paulus Gal. 2. Quod & illo 1. Corinth. 14. confirmatur, Si fuerit alteri sedenti reuelatum, prior taceat. Ideo sic uocem Petri esse audiendam, ut tamen liberior sit uox Pauli eam redarguentis, porro omnium superior uox Christi.

Panormitanus. — *Melius sentiens supra Papam.* — *1. Cor. 14.*

Maxime uero laborabam, quod eadem Extrauagans manifestissime mihi apparebat falsa quædam continere. Primo, Quod dicit merita Sanctorum esse thesaurum, cum tota Scriptura dicat, Deum ultra condignum premiare, ut Rom. 8. Non sunt condignæ Passiones huius temporis &c. Et B. Augustinus lib. 1. retract. xix. Tota Ecclesia usq; in finem mundi orat: Dimitte nobis debita nostra, Ergo non superfluere alijs posse, quæ nec sibi sufficerent, Inde uirgines sapientes noluerunt oleum communicare insipientibus. Et B. Augustinus lib. ix. Confessionum: Væ hominum vitæ, quantumcunq; laudabili, si remota misericordia iudicetur. Et Propheta: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Ideo Sancti non suis meritis, sed sola Dei misericordia salui fiunt, ut latius dixi in Resolutionibus.

Extrauagans falsa continet. — *Augustini dictum.* — *Rom. 8.* — *Matth. 25* — *Psal. 143.*

Ego uero, non eram tam insigni temeritate, ut propter unam decretalem Pontificis hominis, tam ambiguam & obscuram, recederem à tot & tantis diuinis Scripturæ testimonijs apertissimis, quin potius arbitrabar quam rectissime, uerba Scripturæ, quibus Sancti describuntur deficere in meritis, incomparabiliter præferenda uerbis humanis, quibus scribuntur abundare, Cum Papa non super, sed sub uerbo Dei sit, Iuxta illud Gala. 1. Si angelus de cœlo aliud uobis euangelizauerit, quam accepistis, anathema sit. Iam illud quoq; nonnihil erat, quod Petro hunc commissum thesaurum dicit, de quo nihil constat, nec in Euangelio, nec ulla Scriptura.

Sancti in meritis deficiunt. — *Papa non super, sed sub uerbo Dei est.* — *Galat. 1.*

HIS per-

HIS perturbatus molestijs, vt dixi, consilium mihi fuit, quiescere, & alios audire, cum Positiones meas uerissimas usque hodie quoque viderem. Nunc vero, cum urgeor ipse tentare, quod ab alijs, maxime à summo Pontifice expectare debueram, cuius solius est declarare ea, quae condidit, tamen pro uiribus ingenij & gratia Dei conabor pro tutela sincerissimae ueritatis, Positiones meas, cum Extrauagante concordare, utrasque seruando in ueritate.

PRimum, supponendo, quod Indulgentiae prorsus nihil sunt (metaphysice loquendo) quia certum est, eas esse aliud nihil) quam remissiones satisfactionis, id est, bonorum operum, eleemosynae, ieiunij, orationis &c. Ideoque certum est, eas esse bonum priuatiuum, dum permittunt non solui poenas debitas, aut non fieri labores operum, Quare necessario thesaurus hoc loco improprijssime accipitur, quia nihil confertur positiue, sed permittitur, ut nihil soluatur. *Remissio satisfactionis. Indulgentiae sunt bonum priuatiuum. Thesaurus indulgentiarum.*

SEcundo, Certo certius est, quod hunc thesaurum Papa non habet velut in loculo uel cista, sed in uerbo uel clauibus, uel potestate, quia erogando, nō cistam, sed uoluntatem & uerbum aperit, & sic donat.

TErtio, Ideo sequitur, quod thesaurus Indulgentiarū sunt merita Christi non formaliter, nec proprie, sed effectiue & improprie, Quia Papa non dat merita Christi formaliter, sed de merito Christi, id est, per claues, quas meruit dari Ecclesiae suae. Quia in uirtute clauium est, ut remittatur satisfactio, & sic patet, quod recte dixi Conclusione 60. Thesaurum hunc esse claues Ecclesiae merito Christi donatas. Et hoc sensu uerum est, Merita Christi esse thesaurum Indulgentiarum, scilicet improprie thesaurum & meritum Christi accipiendo, Patet ergo, concordantia Extrauagantis cum mea Positione. *Merita Christi, thesaurus Indulgentiarum.* *Concl. 60.*

QVarto, Hanc esse mentem Papae in ista Extrauagante, probant ipsa uerba Papae, ubi dicit, Hunc thesaurum Petro & successoribus suis à Christo commissum Sed constat & certum est, nihil Petro commissum, praeter has claues regni coelorum, quae sunt merita Christi (id est, de merito Christi donatae) improprie & effectiue, ut dixi, Et alterum uerbi thesaurum, de quo dicit: Pasce, pasce, pasce oues meas. *Iohan. ult.*

QVinto, Hanc autem thesauri Indulgentiarum intelligentiam, certum est, esse incognitam apud populum Christi & innominatam, ut dicit Conclusio 56. quia uere non dicuntur, nisi impropria & obscura illa nomina, thesaurus, merita Christi &c. Ideo fere credunt, sese bonum aliquod proprium & positiuum consequi, sicut donum aliquod aut gratiam, cum tamen non consequantur nisi ministerium clauium, quo soluuntur, ne satisfaciant pro peccatis, ac sic priuatiuum bonum accipiunt & improprium thesaurum. Et ille est inexhaustus & infinitus, quia uirtus clauiū est inexhausta, quę merito Christi immediate nititur, Indulgentiae uero mediate, Ac ideo potest etiam dici, merita Christi esse thesaurum Indulgentiarum, mediate. *Concl. 56.* *Intelligentia thesauri Indulgentiarum incognita populo.* *Virtus clauium &c.*

SExto, Similiter admitterem etiam, merita Sanctorum esse hunc thesaurum, scilicet improprie, id est, quod merita Sanctorū per fidem Christi incorporata, & unum cum eis facta, iam idem sint & faciant quod merita Christi, Iuxta illud, quod uita iusti non est ipsius, sed Christi in eo uiuentis. Gala. 2. Viuo ego, non ego, uiuit uero in me Christus, Nam merita Sanctorum, ut Sanctorum, nihil essent & damnabilia, ut supra dixi, ut B. Augustinus: Vbi non ego, ibi foelicius ego, quia Christus & Ecclesia sunt duo, in carne una. *Galat. 2.* *Vita iusti, non ipsius, sed Christi est.*

SEptimo, Verissimum tamen est, merita Christi non esse thesaurum Indulgentiarum positiue, proprie & immediate, ut aliquid conferant, sicut intelligunt rudiores, quia quando conferunt donum positiuum, faciunt id, non

ut Indul-

Thesaurus gratiæ uitalis.

ut Indulgentiæ thesaurus, sed ut gratiæ uitalis thesaurus, tunc enim formaliter proprie & immediate donantur sine clauibus, sine Indulgentijs, a solo Spiritu sancto, non aũt unquam a Papa. Quia per charitatem homo fit unus spiritus cum Christo, Ideo participat omnibus bonis eius. Et hoc est, ꝙ mea Conclusio 58. dicit, Nec sunt merita Christi, quia hæc sine Papa operantur gratiam hominis interioris. *Concl. 58.*

Merita Christi dupliciter accipiuntur.

BReuiter itaq; patet, quod merita Christi necesse est dupliciter accipi, si salua debet Extrauagans cõsistere. Vno modo proprie & formaliter & sic sunt thesaurus uitæ spiritus, & proprijssime a solo Spiritu sancto distributus, cui uoluerit.

Alio modo improprie & effectiue & literaliter, pro eo quod meritis Christi effectum est, Et sicut extrauagans improprie inducit Scripturas, ita etiam improprie thesaurum, improprie merita Christi, & omnia improprie accipit. Quo factum est, ut esset ambigua, obscura & occasio iustissima disputandi, ego autem proprie loquutus sum in meis Positionibus. Qui habet, det meliora, & reuocabo ista, non enim meum est interpretari Canones Pontificum, sed meis Positionibus adesse, ne contra Canones pugnare uideantur, Expectans humiliter, si alia fuerit mens Papæ demum declarata, paratus eidem parere.

Hæc omnia tamen dicta uolo pro reuerentia Sedis Apostolicæ, & reuerendissimi Domini Cardinalis &c. Nam si legitima & libera agendum mihi est sententia, cõtendo & probo eandem Extrauagantem esse proprie directe, aperte pro me meaq; Conclusione, Et contra sententiam reuerendissimi Domini Card. quia textus expresse dicit, ꝙ Christus thesaurum hunc acquisiuit Ecclesiæ &c. Hoc uerbum, acquisiuit, euidenter conuincit, atq; concludit irrefragabiliter, aliud esse merita Christi, quibus acquisiuit & aliud thesaurum, quem acquisiuit, quia aliud est causa, & aliud effectus, ut etiam Philosophi dicunt. Ideo Cõclusio mea stat inuicta, Quod merita Christi non sunt thesaurus Indulgentiarum, sed acquisierunt eum. Nihilominus tamen etiam hæc ipsa submitto iudicio Ecclesiæ, ut supra. *Acquisiuit.*



Biectio altera est, Quod in Conclusione mea 7. declaranda, dixi: Neminem iustificari posse, nisi per fidem, Sic scilicet, ut necesse sit, eum certa fide credere, sese iustificari, & nullo modo dubitare, ꝙ gratiam consequatur, Si enim dubitat & incertus est, iam non iustificatur, sed euomit gratiam. Hanc Theologiam nouam uideri putant & erroneam.

Ad quod respondeo:

Iustus ex fide uiuit.

PRimum, Infallibilis est ueritas, quod nullus est iustus, nisi qui credit in Deum, ut Roma. 1. Iustus ex fide uiuit, Ideo quicunq; non crediderit, Iam iudicatus & mortuus est, Igitur iusticia iusti, & uita eius, est fides eius. Quare & omnia opera fidelis, uiua sunt, & omnia opera infidelis, mortua, mala & damnabilia, Iuxta illud: Non potest arbor mala fructus bonos facere. Arbor autem, quæ non facit fructus bonos, excidetur, & in ignem mittetur. *Roma. 1.* *Matth. 7.*

Fides quid sit.

Verbum & fides coniuncta.

SEcundo, Fides autem est nihil aliud ꝗ̃ illud, quod Deus promittit aut dicit, credere, sicut Roma. 4. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iusticiam. Ideo uerbum & fides necessario simul sunt, & sine uerbo, impossibile est esse fidem, vt Isa. 55. Verbum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum. *Roma. 4.* *Esai. 55.*

TErtio, Nunc probandum est, quod accessuro ad Sacramentum necessarium sit credere, sese gratiam consequi, & in hoc non dubitare, sed certissima fiducia confidere, alioqui in iudicium accedit,

PRimo

Ebre. 11. PRimo per illud Apostoli Ebrę. 11. Oportet accedentem credere, ꝙ Deus est, & ꝙ inquirentibus se remunerator est. Hic patet, ꝙ non licet dubitare, sed firmiter oportet credere, ꝙ Deus sese inquirẽtes remuneret. Quod si oportet credere remuneratorem, omnino oportet etiam credere iustificatorem, & gratiæ largitorem in præsenti, sine qua premium non donatur. *Fides necessaria accessuro ad Sacramentum.*

Secundo necessarium est sub periculo æternæ damnationis, & peccati infidelitatis, credere his uerbis Christi: Quodcunq; solueris super terram, solutum erit & in cœlis. Ideo si accedas ad Sacramentum pœnitentię, & non credideris firmiter tete absoluendum in cœlo, in iudicium accedis & damnationem, quia non credis Christum vera dixisse: Quodcunq; solueris &c. Et sic tua dubitatione Christum mendacem facis, quod est horrendum peccatum. *Quodcunq; solueris super terram.*

Si autem dixeris: Quid si sim indignus & indispositus ad Sacramentum? Respondeo ut supra: Per nullam dispositionem efficeris dignus, per nulla opera aptus ad Sacramentum, sed per solam fidem. Quia sola fides uerbi Christi iustificat, uiuificat, dignificat, præparat, sine qua omnia alia, uel sunt præsumptionis uel desperationis studia. Iustus enim non ex dispositione sua, sed ex fide uiuit. Quare de indignitate tua nihil oportet dubitare, ideo enim accedis, quia indignus es, ut dignus fias, & iustificeris ab eo, qui peccatores, & non iustos, quærit saluos facere. Dum autem credis uerbo Christi, iam honoras uerbum eius, & ex eo opere iustus es &c. *Fides dignum facit.*

TErtio, Hanc fidem multipliciter nobis commendauit in Euangelio. Primo quando mulieri Cananææ dixit: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut credisti, Hic patet, ꝙ non de fide illa generali agitur, sed de speciali illa, quæ erat de effectu sanandę filiæ, quem mater petijt. Hunc enim effectum, ipsa fortiter credidit, posse & uelle Christum efficere, & sic impetrauit. Nunquam autem impetrasset, nisi ita credidisset. Ergo ad hunc effectum nulla dispositione, sed sola fide, digna facta est. *Fides Cananeæ. Matth. 15.*

Secundo, Quando ad cœcos illos dixit: Creditis, quia possum hoc uobis facere? Et illi: Vtiq;. Ait: Sicut credidistis, fiat uobis. Ecce certi erant, ꝙ fieret, quod petebant, Ideo & factum est, sine omni alia dispositione, Si autem dubitassent futurum, nec petissent bene, nec accepissent. *Duo Caeci. Matth. 9.*

Tertio, Centurio ille: Dic tantum verbum, inquit, & sanabitur puer meus, Non utiq; generali fide, sed speciali, de præsenti effectu credidit & impetrauit. *Centurio. Matth. 8.*

Quarto Iohan. 4 Regulus ille credidit sermoni, quem dixit illi Ihesus, Scilicet: Vade, filius tuus uiuit. En ipsa fide, meruit uitam filij. Ita certe oportet omnem accedentem credere, sese cõsecuturum, quod quęrit, aut nihil consequitur. *Regulus. Iohan. 4.*

Marci 11. Quinto illud Marci: Amen dico uobis, quidquid orantes petieritis, credite quia accipietis, & fiet uobis. Ecce dicit: Quidquid, nihil excipiendo. Patet autem ꝙ in Sacramento quolibet petimus aliquid (nemo enim Sacramentum accedit, nisi gratiam petiturus) Ideo hic audiendus est Christus dicens: Credite, ꝙ accipietis, & fiet uobis, Alioqui omnia nutarent in Ecclesia, & nihil certi constaret, quod est absurdissimum.

Sexto illud: Si habueritis fidem, sicut granum synapis, & dixeritis monti huic: Transi hinc, & non hæsitaueritis in cordibus uestris, Amen dico

Fides particularis. dico vobis, fiet. Et si totum Euangelium percurras, inuenies Exempla alia multa, quæ omnia non de fide generali, sed particulari, & quæ ad effectum aliquem præsentem pertineant, dicuntur. Quare necessaria est fides certa absoluendo, cum Sacramenta nouæ Legis, iuxta Magistrum, sint in exercitiū, & actuationem fidei nostræ instituta. *Matth. 17*

Petrus. Septimo, Hinc enim Discipulos & Petrum sępe arguit Dominus, quod essent modicæ fidei, non generalis illius, ut dicitur, sed specialis de effectu præsente, ut patet. *Matth. 14*

Octauo, Iacob. 1. Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, postulet autem in fide, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, similis est fluctui maris, qui uento mouetur, Non ergo existimet homo ille, quod accipiet aliquid a Deo. Ista est certe euidentissima autoritas, etiam cogens me ad hanc Sententiam, quod gratiam aut sapientiā nullus accipere potest, qui dubitat sese accepturum, nec uideo, quid ad eam responderi possit. *Iacob. 1.* *Dubitans non accipit gratiam.*

B. Virgo. Lucæ. 1. Nono, B. Virgo nunq̄ concepisset filium Dei, nisi Angelo nunciante credidisset, ita futurum, ut diceret: Fiat mihi secundum uerbum tuum, sicut prædicat Elisabeth: Beata quæ credidisti, quia perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino. Vnde fidem eius miratur diuus Bernardus, & uniuersa Ecclesia. Sic Samuelis mater, Hanna, postquam credidit uerbo Eli, abijt, & uultus eius non est amplius in diuersa mutatus. Contra, Filij Israel, quia non crediderunt uerbo promittentis terram Canaan, in deserto prostrati sunt. *Hanna Samuelis mater.*

Et breuiter, Quidquid illustre factum legimus in ueteri & noua Lege, fide factum esse legimus, non operibus, nec fide generali, sed particulari, ad præsentem effectum destinata, inde nihil aliud in Scriptura, quam fides commendatur, præsertim Abrahæ, Rom. 4. quę tamen fuit in filium nasciturum Isaac, & nihilominus est ei in iusticiam reputata. Sic & nobis in Sacramentis fiet, si credimus, consequimur, Si non credimus, in iudicium accedimus. *Fides Abrahæ. Roma. 4.*

Accedit uerbum ad elementum &c. Augustin: Decimo, Et B. Augustinus super Iohannem: Accedit uerbum ad elementum, & fit Sacramentum, non quia fit, sed quia creditur. Ecce Baptismus abluit, non quia fit, sed quia creditur abluere. Inde & peccatricem absoluens, dicit: Fides tua te saluam fecit, Vade in pace. Inde illud dictum commune: Non Sacramentum fidei, sed fides sacramenti iustificat, sine qua impossibile est, ut sit pax in conscientia, ut Roma. 5. Iustificati ergo ex fide, pacem habemus ad Deum. *Lucæ 7.*

Bernardus. Vndecimo, Et B. Bernardus Sermone de Annuncia: 1. Necesse est enim primo omnium credere, Quod remissionem peccatorum habere non possis, nisi per Indulgentiam Dei, sed adde adhuc, ut credas & hoc, quod per ipsum peccata tibi donantur, Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis iustificari hominem per fidem. Hæc ille. Istæ & multæ aliæ Autoritates tam expersse, tam copiosse, cogunt, captiuant, ducunt, me in sententiam, quam dixi. *Roma. 3.*

QVare, Reuerendissime in Christo Pater, cum diuino munere es unus insignibus dotibus præsertim iudicij acrimonia, donatus, Rogo humiliter Reue. tua Paternit. dignetur clementissime mecum agere, & conscientiæ meę compati, ac demonstrare lucem, qua possim hæc

hæc aliter intelligere, & non cogere ad reuocationem eorum, quæ etiam teste conscientia, non alia duco, quam ea, quibus me necesse sit consentire, Et stantibus his Autoritatibus, aliud facere non possum, nisi quod obediendum esse Deo, magis quam hominibus, scio.

Velitq; Reue. Paterni. tua, apud Sanctissimum Dominum nostrum Leonem X. pro me intercedere, ne tanta rigoris inclementia in me promoueatur, ut in tenebras proijciat Animam, quærentem non nisi lucem ueritatis, & paratissimam cedere, mutare, reuocare omnia, ubi aliter intelligenda esse edocta fuerit. Nec tam arrogans & uanæ gloriæ studiosus sum, ut hac causa pudeam reuocare male dicta, imo gaudium meum primum fuerit, uictricem fieri ueritatem. Solum ne quid contra conscientiæ meæ sensum tentare cogar, Nam sine omni scrupulo hanc esse Scripturarum sententiam credo. Dominus Ihesus regat & seruet Reuerendissimam Paternitatem tuam in æternum. Amen.

Lutherus lucem ueritatis quærit.

QVæ cum altera die obtulissem, primo contempsit & uerba esse, missurum tamen ea ad Vrbem sese, dixit, Interim ad Reuocationem urgebat, intentans censuras sibi demandatas, ac nisi reuocarem, abirem, & non redirem in conspectum suum.

Quo audito, cum uiderem eum esse firmatum in Proposito, nec uellet audire Scripturas, Ego quoq; firmassem propositum non reuocandi, abij sine spe redeundi. Nam quanquam dixit, & etiam nunc glorietur, sese paternæ, non iudicialiter mecum acturum, non intellexi tamen hanc paternitatem, nisi omni iudicio rigidiorem esse, ut quæ non nisi Reuocationem, contra conscientiam exigeret, nec saltem uellet aut posset potius ostendere & conuincere errorem. Nam cum uidisset à me reijci scholasticorum opinatorum commenta, promisit quidem, se acturum contra me, sacra Scriptura & Canonibus. Quod quomodo intellexerit, iterum ignoro. Nullam enim syllabam ex sacris Literis contra me produxit unquam, nec usque hodie, si quam maxime uellet, posset. Cum uno omnium consensu, firmatum sit, nihil de Indulgentijs in sacris literis haberi, quæ potius non nisi fidem commendant, & tam uacuæ sunt Indulgentiarum memoria, quam plenæ sunt fidei eruditione, ut impossibile sit, utrum illorum articulorum posse conuelli per ipsum.

Vbi uero ego Scripturas pro me attuli, cœpit homo, paterne agens, de corde suo mihi fingere glosas. Et qui tam uigilanter Extrauagantem contra me obseruarat, satis pulchre dissimulabat Canonem illum, quo prohibet Ecclesia, ne quis proprio ingenio Scripturas interpretetur, & iuxta Hilarium, non afferendas, sed referendas esse ex sacris literis intelligentias. Nec tamen hanc uiolentiam eius ęgre tuli, sciens eam facultatem interpretandi ex longa romanæ Curiæ consuetudine & Scholasticorum distinctorum usu sibi præsumptam. Creditum est enim iamdiu, quod quidquid Romana Ecclesia dixerit, damnarit, uoluerit, id mox omnibus dicendum, damnandum, uolendum esse, nec aliam reddi Rationem oportere, quam quia sic Sedes Apostolica & Romana Ecclesia sentit. Hinc, relictis sacris literis, & acceptis traditionibus uerbisq; hominum, factum est, ut Ecclesia Christi non mensura tritici pascatur, nec uerbo Christi, sed non raro teme-

Hilarij dictum.

Ecclesia Christi nō uerbo pascitur.

ritate & uoluntate alicuius indoctissimi Adulatoris regatur, & eo profecerit nostræ infœlicitatis magnitudo, ut ad Reuocationem & abnegationem fidei Christianæ, & sacratissimę Scripturæ incipiant compellere.

Porro, Si iste est modus reuocandi, nihil uideo futurum, quam ut præcedentem Reuocationem, sequente alia, sine fine reuocem. Nam si qua industria suum ipsius dictum, in eum ipsum retorsero, cito aliud cordis sui idolum mihi fingeret. (Est enim mire fœcunda distinctionibus thomistica Theologia, ac uere Protheus quidam) cui necesse esset denuo, reuocando obedire. Cum enim non in soliditate petræ, sed in arena cogitationũ suarum uagetur, nihil aliud quam perpetuum reuocandi negocium mihi incumberet.

Thomistica Theologia.

Igitur accepto mandato non redeundi, mansi tamen eodem die in loco, Tum uocato reuerendo & optimo Patre meo Iohanne Stupicio. Vicario, egisse dicitur multis, ut ad reuocationem inducerer spontaneam. Mansi & sequente die, & nihil mandabatur. Tertia die, scilicet Dominica mansi, & literas dedi, nec aliquid respondebatur. Quarta die mansi, & nihil fiebat. Idem silentium quinta die passus. Tandem consulentibus Amicis præsertim cum antea iactasset sese habere mandatum, ut & me & Vicarium incarceraret, disposita Appellatione affigenda, recessi, sat periculosam obedientiam me præstitisse arbitratus

D. Iohannes Stupicius.

M. L. PIO LECTORI.

Vnc, mi Lector, tu mihi conueniendus es. Posteriorem illam responsionem meam, etsi cum multa reuerentia dedi, ac uelut in arbitrium summi Pontificis reposui, non tamen id me fecisse credas, quod de re ipsa dubitem, aut animi sententiam sim unquam mutaturus. Veritas diuina est, etiam Domina Papæ, non enim iudicium hominis expecto, ubi diuinum iudicium cognoui, Sed quia oportuit reuerentiam seruare ei, qui uice summi Pontificis fungebatur, tum quod etiam uerissime dicta, oporteat cum humilitate & timore asserere & tueri.

Priorem uero nihil refert, utut acceperis, nam in ipsa nullum periculum est, stet siue cadat, nec Indulgentijs quippiam accedit, si ficta ac falsa fuerit, nec quidquam decedit, si uicerit ueraq; fuerit. Nec ad rem ipsam multũ pertinet, nisi quod per eius ingressum subdole totius Disputationis calumnia queritur. Nam si superbius uoluissem agere, non potuissem ad unũ uerbum cogi, cum tota Disputatio iam sit dedicata & oblata Pontifici, ita ut ad me amplius nihil pertineat, nisi expectare sententiam.

In posteriore uero Responsione certe summa pendet salutis, Non es malus Christianus, siue scias, siue ignores Extrauagantem, Non es autem nisi Hæreticus, si neges fidem uerbi Christi. Quid hic premam & taceam, credo te sentire, optime Lector, non sine gemitu.

Fidem uerbi Christi negare.

Vnum tamen te latere nolo, hac Disputatione nihil quæri, quam sinceram Scripturæ intelligentiam, quam nobis in multis locis sacra illa, ut uocant, Decreta, si non corrumpunt, certe uerbis detortis ac male tractatis obscurant, & uelut obducta nube purissimum Solem tegunt. De quo aliquando latius, si aliquis mihi Romanus adulator obstrepuerit, præstabo, Deo propicio, quendam Iuristotheologum, Sed qui parum sit placiturus,

Decreta corrumpũt Scripturam.

præsertim

præsertim Romanæ curiæ adulatoribus, iamdudum enim gestit animus ludere bellum, quod gessit Iosue aduersus Aitas. Interim hunc gustum tibi prælibo, quod Conclusio mea uere est contra Extrauagantem illam, ideo falsa & erronea, & reuocanda. Quare & reuoco eam solenniter in his scriptis, damnatamq; à meipso pronuncio, profiteor deniq;, quod ita posita est à me, & usq; hodie placet ipsa, atq; si posita non esset, adhuc ponerem. *Aitæ Iud. 7.*

Secundo reprobo, damno, detestorq; Extrauagantem illam, tanquam falsam & erroneam, meritoq; reprobandam, Profiteorq; bonum fuisse, eam alijs uerbis positam esse, Non quod sit falsa in suo sensu, sed quod in theologico sensu errat, cuius uerba inducit contra sententiam textus apertissimam.

Ecce Reuocationem, Iam satisfeci, etiam aduersarijs, spero. Quid? insanum me putas, Lector, aut ebrium censes? Non insanio, sed sobrietatis uerba loquor. Quod ut ostendam, etiam crassissimæ ruditati, clarum faciam, solere scilicet, Pontifices uim facere sacris literis in suis Decretis. Nam Reuerendissimus Dominus Legatus, omnium impatientissime tulit, quod nec Papæ sanctitati pepercerim (sic enim scribit ad Illustrissimum Principem Fridericum &c.) & relatione indigna dixerim, quod Papam torquere & abuti Scripturis dixerim, Nitendum itaq; mihi est, ut non possit negare, uim Scripturæ aliquando factam. *Papa scripturæ uim facit. Lege infra Epist. cuius initium est, Illustrissime & excellentissime Princeps &c. 205. b.*

Primo, Dicit Decretalis de consti. Translato sacerdotio, necesse est, ut translatio legis fiat. Hæc Apostoli uerba sunt ad Ebræos, dicentis, Temporale sacerdotium Legis, finitum & abrogatum, succedente sacerdotio æterno Christi. Hæc est germana & genuina sententia istorum uerborum. At Decretalis huius sententia est hæc, Sacerdotium Christi est translatum à Mose in Christum, & à Christo in Petrum. Sic enim interpretantur Iuristæ, & Pontifex permittit seu approbat. *Translato sacerdotio, fit & Legis translatio. Ebre. 7*

Quis autem non uidet alienam hanc, tortamq; & abusiuissimam esse uerborum intelligentiam? Imo prorsus talem, quæ nisi multo sudore moderetur, simul & indoctissima & impijssima sit. Impijssimum est enim dicere, Sacerdotium & legem Christi esse abrogata & finita, ut Petrus sacerdos & legislator amoto Christo sit. Id enim significat proprie uerbum Apostoli, translatio. Nolo Petrum aut Paulum sacerdotem habere, quoniam & ipse peccator est, non habens, neq; quod pro me, neq; quod pro se offerat, Vt interim taceam, fœdissimam arrogantiam, quam talis olet intelligentia, scilicet in solum Petrum à Christo fuisse translatum sacerdotium Christi, Quasi cæteri Apostoli remanserint Laici, aut à Petro ordinati fuerint sacerdotes & Apostoli. *Christus unicus & æternus sacerdos.*

Igitur, Si nunc posuero hanc Propositionem: Sacerdotium Christi, nec in Petrum, nec in Papam translatum est. Et reuerendissimus Dominus Legatus mihi hanc Decretalem opposuerit, cum gestu & tonitru maiestatis suæ, & urgeat me ad reuocationem, Et ego responderim, Papam ibi torquere Scripturas, & abuti uerbis eius, meam autem Conclusionem esse ueram in theologico sensu, Decretalē autem forte in aliquo alio abusiuo, putas me debere formidare minas uerbi humani, quibus terreor, quasi indignum relatu dixerim, & sanctitati Papæ non pepercerim? Honorabo sanctitatem Papæ, Sed adorabo sanctitatem Christi & ueritatis.

Item, Si illud Matth. 16. Tu es Petrus, Et tibi dabo claues regni cœlorum, quodcunq; solueris &c. tractarem uel in Scholis, uel in suggesto, & ponerem hanc Propositionem: Istis uerbis non potest probari, Ro- *Matt. 16.*

Romana Ecclesia non est superior aliis.
Pelagius Papa.

manam Ecclesiam esse cæteris per totum orbem Ecclesijs prælatam, Et mihi Reuerendus Dominus Legatus opposuerit (credo cum commotione præ relati indignitate) distin. xxi. ubi Pelagius Papa, tanta uoce clamat, non synodicis Decretis, sed euangelica uoce (bene uoce, sed non sensu) Romanam Ecclesiam esse cæteris Ecclesijs prælatam,& ad id inducat hunc Matthæi Apostoli locum, Credis ne me relicturum euangelicum sensum,& nō nisi Pelagij sensum amplexurum, qui uocem, non sensum Euangelij sese iactat sequi?

Non quod nouam Monarchiam nostri seculi Romanorum damnem aut negem, Sed quod uim Scripturæ uerbis fieri nolim, & insulsissimorum quorundam hominum stulticiam reprobem, qui nobis Ecclesiam Christi tempori & loco affixerunt, contra uerbum Christi dicentis: Non ueniet regnum Dei cum obseruatione, & Christianum esse posse audent negare, qui non sub Romano Pontifice, Decretisq; eius oppressus fuerit. *Luc. 17.*

Ecclesiæ totius Orientis & Affricæ nunquam fuerũt sub Pontifice Romano.

Vniuersalis Episcopus.

Ac sic plus, quam octingentorum annorum Christianos, totius Orientis & Affricę nobis ex Ecclesia Christi eijciunt, qui nunquam sub Romano Pontifice fuerunt, nec Euangelium unquam sic intellexerunt. Nam adhuc S. Gregorij tempore Romanus Pontifex, uniuersalis Episcopus non salutabatur, Imo ipsemet Greg. licet Romanus Episcopus, acerrime persequitur nomen uniuersalis Episcopi,& totius Ecclesiæ Pontificem, plus fere sex Epistolis, ut non dubitet uocabulum eiusmodi prophanum appellare, quod nostro seculo & solum appellatur Sanctissimum. Sicut enim Petrus cæteros Apostolos non creauit (sic enim hodie uocatur Episcopos ordinare) ita successor Petri, nullum successorem aliorum Apostolorum creauit, Deniq; non nisi fratrem & coepiscopum & collegam uocauerunt Romanum Pontificem, cæteri Episcopi, ut Cyprianus Cornelium, & Augustinus Bonifacium & alios)

Tibi dabo claues regni cœlorum.

Vnde S. Patres illud Matthæi: Tibi dabo, non intellexerunt ad sensum sacri istius Canonis, super cæteros fuisse Petro dictum. Sed unus, inquiunt, pro omnibus, ut æqualitas una omnium exprimeretur, dum quod Petrus respondet, omnes & singuli respondent. Vnde & alio loco in plurali eandem sententiam dicit: Quodcunq; ligaueritis &c. & quod uni dicitur, omnibus dicitur. Deniq; non primum super Petrum descendit Spiritus sanctus in die Pentecostes, nec in terris primum legitur insufflasse in Petrum, quod tamen, si quam maxime factum fuisset, non ideo Petrus Monarcha præ cæteris fuisset Apostolis. *Matt. 16.* *Matt. 18.*

Igitur Canon ille sit uerus, admitto, sed abusiue, mea euangelico & proprio sensu Conclusio uera est. Quod si Monarchia Papæ probari potest, potius ex illo Apostoli Roma. 13. probabitur, Omnis potestas à Deo est, & quæcunq; à Deo sunt, ordinata sunt, huius, inquam, uirtute (proprie loquendo) subijcimur Sedi Romanæ, donec Deo placuerit, qui solus, non etiam Romanus Pontifex transfert regna atq; constituit. *Roma. 13.*

Talia multa, mi Lector, in sacris Decretis inuenies & alia quædam, quæ si nasum sponsæ respectorem Damasci, id est, carnis & sanguinis, adhibeas, sæpius odore offenderis.

Extrauagans Clement. VI.

SI nunc de Extrauagante illa dico, Merita Christi non sunt thesaurus Indulgentiarum, quia sine Papa operantur gratiam. Hæc Propositio euangelica est, ubi scribitur in multis locis, Christi sanguine & obedientia nos factos & constitutos iustos, præsertim Rom. 5. Per unius, inquit, obedientiam (credo hanc esse merita Christi) iusti constituti sunt multi, Per Indulgentias autem nemo sanctus efficitur, Quod de meritis Christi affirmari, est contra tam apertas Scripturas. *Roma. 5.*

Igitur

Igitur, an sit ista Propositio contra uel Extrauagantem uel Intrauagantem, non curo, prior est ueritas Scripturæ, & post hoc, si hominis uerba uera esse possunt, uidendum. Nam ego certe non auderem unquam asserere, quod per Indulgentias amici Dei fiant, sicut expresse dicit Extrauagans, ducens uerbum sapientis, de participatione æternæ sapientiæ dicentis, ad participaticionem Indulgentiarum. Fuerunt istæ Scripturæ ueræ, ante tempus illius Extrauagantis, nec ab ipsa receperunt ueritatem, Nec potest dici, quod de Indulgentijs loquantur, cum per totam Ecclesiam notum sit, nihil in Scriptura haberi de Indulgentijs, ideo necessario sequi, si quæ Scripturæ de eis interpretentur, ut hic fit, uim eis fieri, & improprie ac abusiue accipi.

Nihilominus tamen reuerentiæ causa, ueram eam confiteor, & utrunque sensum uolo tueri. Et dicunt mihi, Imo istum (id est, deteriorem) sensum seruabis. Alterum (id est germanum) negabis. Ideo si meam Conclusionem cogor falsam dicere, faciam quidem, sed simul Extrauagantem bis falsam prædicabo. Nam quod in me criminantur contra communem consuetudinem me sentire de Indulgentijs, plane fateor ita esse, & dedita opera à me factum, ut discuteretur aliquando ista communis opinio, Iuxta quam merita Christi uocari thesaurum Indulgentiarum, non ignorabam, sed mihi falsa ad uerborum sonũ uidebatur, Ideo posui, quod claues merito Christi donatæ, essent hic thesaurus, nõ omnino reijciens ab Indulgentijs merita Christi, sed ad alium sensum exponens, quam haberet opinio communis, Quod nisi cum humilitate & reuerentia uoluissem communi huic opinioni contradicere, omisissem dicere, claues merito Christi donatas, ut penitus merita Christi excluderem. Nunc autem inuolui, ut mitior esset contradictio, Quin non peccassem mortaliter, si Extrauaganti in faciem restitissem. Et illud diui Hieronymi adduxissem, ubi de ijs loquens, qui quidquid dixerint, legem Dei putant, dicit: Nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint (nota senserint) Sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia, quasi grande sit, & non uiciosissimum docendi genus, deprauare sententias, & ad uoluntatem suam Scripturam trahere repugnantem. Sic certe facit hæc Extrauagans, Nam uerba de meritis Christi, quibus remittuntur peccata, trahit ad Indulgentias, quod qua fiat congruitate, aduerte quæso. *Dictũ Hieronymi.*

Merita Christi tollunt peccata, & augent merita, Indulgentiæ tollunt merita, & relinquunt peccata. Et potest idem textus de utrisque proprie intelligi? Credo, Orestes quoque hoc negabit. Et tamen ego, reuerentiæ studio, id admisi, & asserui, licet multa uiolentia, denique cum sit obscura uerbis Extrauagans, & uere quædam extrauagans, nunc sonans, quod merita Christi sunt, nunc quod acquisierunt thesaurum Indulgentiarum, dixi, quod & pro mea sententia stare potest contra communem sententiam, & super hac dubia, tortrice uerborum Dei, & deprauatrice (ut Hieronymus ait) sententiarum, Ego certam reuocationem faciam, non conuicto errore? nõ faciam, sed constanter & cum fiducia nego, Merita Christi esse in manu Papæ ullo modo (ut uerba sonant) Ipse uiderit, quomodo suam Extrauagantem intelligat.

Sat igitur sit pro hac uice ostendisse, Non in omnibus Decretis Pontificum haberi uerum legitimum sensum Scripturę, ideoque citra eorum iniuriam, posse aliter dici, teneri, sentiri, quam ipsi habent. Siquidem ipsimet Scripturæ interpretandi autoritatem Doctoribus tribuunt, sibi uero iudicium descindendarum causarum.

Deinde alia est facultas iuridica, quam theologica, multa permittuntur in illa, quæ in hac prohibentur. Eleuent Iuristæ suas traditiones, multo

magis nos Theologi puritatem Scripturæ seruemus, eoq; magis, quo uidemus nostro seculo, surgere nocentissimos adulatores, qui summum Pontificem ultra Concilia eleuent, scilicet ut uno Concilio per alterum reprobato, nullum nobis certum relinquatur, tandem omnia simul conculcet unus homo, Papa, Idem super Concilium & infra, supra, dum potest damnare, infra, dum accipit à Concilio autoritatem tanquam à maiori, qua fiat supra Concilium.

Adulatores Papæ.

Sunt quoq; qui Papam non posse errare, & supra Scripturam esse impudentissime iactitent, quæ monstra si admissa fuerint, Scriptura perijt, sequenter & Ecclesia, & nihil reliquum erit, nisi uerbum hominis in Ecclesia, Sed quærunt hi adulatores inuidiam, deinde ruinam & perniciem Romanæ Ecclesiæ.

Quare ego coram te, Lector, protestor me colere & sequi Romanam Ecclesiam in omnibus, solum illis resisto, qui nomine Ecclesiæ Romanæ Babyloniam nobis statuere moliuntur, uolentes quidquid cogitare poterint, modo linguam tantum mouere possint, ut Romanam Ecclesiam nominent, totum statim pro Romanæ Ecclesiæ sententia accipi, quasi non supersit Scriptura sancta, per quam (ut Augustinus ait) de omnibus iudicamus, contra quam sine dubio Romana Ecclesia nunquam sapit aut statuit.

De quorum numero esse credo suauissimos istos Sycophantas, qui dictarunt quoddam Breue Apostolicum contra me, cuius formam, ut uideas, quam prudentibus insidijs sint usi, uolo in publicum dare, Nam in Germania fuisse confictum, & aliqua deinde industria ad Romam missum, & forte solo nutu alicuius magnatis Romæ remissum ad Germaniam, statim addita Postilla, te uel certum uel suspiciosum saltem faciam, pertinet enim & hoc ad Actorum meorum partem.

Breue hoc uide supra folio 190. u. b. &c.

FINIS.

EPISTOLÆ DVÆ LVTHERI AD CARDINALEM Caietanum.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI ET DOMINO THOMAE, TITVLI S. Sixti, Presbytero Cardinali, sanctæ Sedis Apostolicæ per Germaniam de latere Legato &c. In Christo metuendo & colendo, Salutem & omnem subiectionem sui.

I.

Euerendissime in Christo Pater, Iterum uenio, sed per literas, dignetur reuerendissima Paternitas tua me clementissime audire.

Egit mecum reuerendus, mihiq; dulcissimus, Pater meus in Christo, Vicarius noster, Iohannes Stupicius, ut humiliter sentirem, & opinioni proprię cederem, & sensum meum submitterem, cõmendauitq; ac exuberantissime persuasit Paternitatẽ tuam reuerendissimã mihi esse gratiosissimam.

mam. Ea res, & Nuncius pariter me mirum in modum exhilararunt, Est enim homo hic talis & tantus in oculis meis, ut nullus sit in mundo, cui libentius audirem & obsequerer. Nec minus egit dulcissimus frater meus, Magister Venceslaus Lincus, qui ab ineunte ætate pari mecum studio adoleuit. Breuiter, non potuit reuerendissima Paternitas tua fortius & dulcius me mouere, quam his duobus Viris mediatoribus, quorum uterq; in solidum me habet in manu sua. Tanta est tua simul humanitas & prudentia, qua uideo tuam reuerendissimã Paternitatem non mea, sed me quærere, cum potuisset sola potestate in me dominari. Itaq; iam timor meus sensim transit, imo mutatus est, in singularem erga reuerendissimam Paternitatem tuam amorem, & ueram filialemq; reuerentiam.

NVnc, Reuerendissime in Christo Pater, fateor, sicut et alias fassus sum, me fuisse certe nimis (ut dicunt) indiscretum, acrem & irreuerentem in nomen summi Pontificis. Et licet acerrime fuerim in hanc irreuerentiam prouocatus, tamen meũ fuisse nũc intelligo, modestius, humilius & reuerentius hanc materiam tractare, & non ita respondere stulto, ut ei similis efficerer, De quo sincerissime doleo, & ueniam peto, & per omnia Pulpita in uulgus promulgabo, sicut & sępius iam feci, Daboq; deinceps operam, ut alius sim, & aliter loquar, Deo miserente. Imo promptissimus sum, atq; facilime promitto, me posthac materiam de Indulgentijs non tractare, atq; his finitis quiescere, Modo illis quoq; modus imponatur, aut sermonis aut silentij, qui me in hanc Tragœdiam suscitauerunt.

Promittit silentium de materia Indulgentiarum.

Cæterum, mi reuerendissime in Christo, ac iam dulcissime Pater, quantum ad sententiæ ueritatem pertinet, libentissime omnia reuocarem, tam tuo, quam Vicarij mei iussu & consilio, si ullo modo conscientia mea permitteret. Ego enim scio, nullius præcepto, nullius consilio, nullius gratia, me tantum debere permittere, ut aliquid contra conscientiam dicam aut faciam. Deinde narrationes diui Thomæ & aliorum tantæ non sunt, ut mihi in hac quæstione satisfaciant, cum dedita opera contra eas disputarim, ut optime perlectas & percognitas, uisæ enim sunt non satis firmo niti fundamento. Hoc autem unum superest, ut meliori superer Ratione, quæ est: Si uocem sponsæ audire merear, hanc enim certum est, uocem sponsi audire.

Reuocationem ueritatis recusat.

Ideoq; omni humilitate supplico, reuerendissima Paternitas tua dignetur ad sanctissimum Dominũ nostrum Leonem X. istam causam referre, ut per Ecclesiam hęc dubia determinata, ad iustam uel reuocationem uel credulitatem possit compelli. Nihil enim aliud cupio, quam Ecclesiam audire & sequi. Nam mea super dubijs & indeterminatis Reuocatio quid faciat, ignoro, nisi ꝙ merito mihi obijci posse

timeo, me, nec quid asseruerim, nec quid reuocarim, scire. Suscipiat reuerendissima Paternitas tua hanc humilitatis & paruitatis meæ supplicationem, & in filij uicem clementer commendatum me habere dignetur.

Datum pridie Lucæ Euangelistæ, Anno M. D. X V I I I.

Reuerendissimæ
tuæ Paternitatis
deditus filius
F. Martinus Lutherus Augustinianus.

I I.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI ET DOMINO THOMAE, TITVLI S. SIXTI, PRESbytero Cardinali, sanctæ Sedis Apostolicæ per Germaniam de latere Legato &c. In Christo metuendo & colendo, F. Martinus Lutherus salutem & seipsum.

IDit reuerendissima Paternitas tua, Reuerendissime in Christo Pater, uidit, inquam, & satis cognouit meam obedientiam, qua per tantum iter, ac per tot pericula, imbecillis corpore, & pauperrimus sumptu, huc me contuli. Et ad mandatum sanctissimi Domini nostri Leonis X. coram reuerendissima Paternitate tua comparui, & me obtuli. Præterea edito libello Resolutionum, me & omnia mea sub pedib. suæ sanctitatis proieci, expectans accepturusq; quidquid siue damnanti siue approbanti uisum fuerit. Et plane nihil me omisisse mihi conscius sum, quod ad deditum obedientemq; Ecclesiæ filium pertinere possit.

Libellus Resolutionũ supra fol. 79. b

Quare frustra hic tempus terere nolo, neq; possum, quia & sumptus deficit, & Patrib. his Carmelitis satis superq; fuerim & sim onerosus, maxime cum reueren. Paternitas tua mihi uiua uoce mandarit, ut si nollem reuocare, non redirem in conspectum reuerend. Pat. tuæ. Reuocare quid & quantum ualeam, prioribus literis signaui.

Supra folio 199. parag. 3. Vers. 3.

Itaq; nunc abeo, & alio me loco prouisurus migro. Et quanquã mihi consultum est, ab his etiam, qui uel maiores me mouere possunt, ut a reuerend. Paternitate tua, imo a sanctissimo Domino nostro Leone X. male informato, ad melius informandum (scio enim quod Principi nostro illustrissimo, gratum facturum appellando magis q̃ reuocando) appellem. Tamen quantum in me fuisset, non appellassem,

lassem, Primum, quod mihi non uideatur necessaria Appellatio uel commissio ad partes. Cum ego, ut dixi, omnia in iudicium Ecclesiæ retulerim, & non nisi sententiam eius expectem. Quid enim ultra facere debeo, aut facere possum? Neq; enim me reo aut responsore opus est, qui non quid ego dixi, sed quid Ecclesia dictura sit, attendo, nec Aduersarius contendere, sed Discipulus audire uolo.

Deinde, quod mihi pene persuasum est, hanc causam reuerendiss. Paternitati tuæ esse molestam, & Appellationem gratissimam, Ideocq; sicut non mereor, ita nec timere habeo censuras. Et si ego Dei gratia talis sim, ut censuras longe minus timeam, quam errores & malam in fide opinionem, sciens, quod censura non nocet, imo prodest, si sana fides & ueritatis sensus mecum fuerit.

Quare per Christi uiscera, & insignem tuam mihi exhibitam clementiam, rogo, dignetur hanc meam obedientiam hucusq; præstitam & completam, gratiose agnoscere, & sanctissimo Domino nostro Papæ benigniter commendatam facere. Atq; hanc meam abitionem & Appellationem, pro mea necessitate & amicorum autoritate paratam, boni consulere.. Nam eorum uox & ratio mihi insuperabilis est hæc: Quid tu reuocabis? Nunquid tua Reuocatione nobis legem fidei statues? Damnet Ecclesia prius, si quid damnandum est, & eius tu iudicium sequere, non illa tuum sequatur iudicium, atq; ita uictus cedo.

Valeat itaq; reuerēdiss. Paternitas tua in Christo, mihi obseruātiss.

Ex Carmelo Augustensi, die S. Lucæ Euang. Anno M. D. XVIII.

Reuerendissimæ
Paternitatis tuæ
deditus Filius
Martinus Lutherus Augustinianus.

APPELLATIO D. MARTINI LVTHERI PRIMA: A CAIEtano ad Papam, Facta Augustæ, Anno M. D. XVIII. Mense Octobri.

IN NOMINE DOMINI, AMEN. Anno à natiuitate eiusdem M. D. XVIII. inditione VI. die uero sabbati, XVI. mensis Octobris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Leonis, diuina prouidentia Papæ X. anno VI. In mei Notarij publici, testiumq; infra scriptorum, ad hoc specialiter uocatorū & rogatorum præsentia, personaliter constitutus reuerendissimus Pater, Dominus Martinus Lutherus Augusti-

Augustinianus, sacræ Theologiæ Professor, eiusdemq; in Vuitembergensi studio Brandenburgensis Diocœsis, Lector Ordinarius principalis, principaliter pro seipso tenens & habens in manibus suis quandam Prouocationis & Appellationis papyri schedulam, iuxta cuius continentiam & tenorem, se, ut asseruit, à quadam commissione, à præhibato sanctissimo Domino nostro Papa, non bene informato, ad eiusdem Procuratoris Fiscalis instantiam, signati, ac prætensis Iudicibus & citationibus, ac omnibus & singulis inde sequutis, sequuturis, nec non à quolibet grauamine futuro uelle dixit prouocare & appellare, quam in medium exhibuit, ac in continenti iuxta eiusdem continentiam ad prælibatum sanctissimum Dominum nostrum Papam, eiusdemq; S. Sedem Apostolicam prouocauit & appellauit, Apostolos petijt, se submisit, protestatus fuit, omniaq; & singula alia fecit, contenta in eadem schedula, Cuius quidem schedulæ Appellationis & Prouocationis tenor de uerbo ad uerbum sequitur, & est talis.

CVm Appellationis remedium in subsidium & releuamen oppressorum à Iuris conditoribus sit adinuentum, & non solum ab illatis uerum etiam ab inferendis & inferri comminatis grauaminibus & iniurijs, Iura appellare permittant. Idcirco ego Frater Martinus Lutherus Augustinianus, sacræ Theologiæ Professor, eiusdemq; in Vuitembergensi studio Brandenbugensis Diocœsis Lector Ordinarius, principalis, principaliter, & pro meipso coram uobis, Notario publico, tanquam publica & autentica persona, à testibus hic præsentibus, animo & intentione prouocandi & appellandi, Apostolosq; petendi & recipiendi, dico & propono.

Quod cum in materia Indulgentiarum uariæ & incertæ sint opiniones Doctorum, tam Canonistarum quam Theologorum, nec in his usq; hodie aliquid certum & determinatum habeat Ecclesia, Nisi quod ex C. Quod autem &c. & C. Cum ex eo, alijsq; quibusdam clarum est, Indulgentias esse remissiones satisfactionis pœnitentialis, à suo iudice impositæ. Satisfactio autem esse aliud non potest, quam optima illa opera, oratio, ieiunium, eleemosyna, ut est una omnium Theologorum & totius Ecclesiæ concors sententia. Et ex C. Abusionibus, in gloss. super uerbo, mendaciter, clare patet, quod per Indulgentias non extrahuntur animæ de Purgatorio, eo quod sunt diuino iudicio reseruatæ. Nec satis constat, nec per Ecclesiam determinatum est, quid sit, & quantum ualeat modus ille suffragij, per quem conferuntur Indulgentiæ defunctis, præsertim cum non tantum pœnæ, sed & culpæ quoq; remittantur in Purgatorio, ut dicitur distin. 25. Qualis, Culpas autem remitti a solo Deo, certum est, per infusionem gratiæ, quæ per Indulgentias infundi non potest.

Indulgentiæ remissiones sunt satisfactionis pœnitentialis.

Deinde in his, quæ sunt dubia & opinabilia, non solum est licitum disputare & contradicere sapientem sapienti (maxime uero in his, quæ non sunt præcepta, nec consulta, nec necessaria ad salutem) uerum etiam alteram contradictionis partem pertinaciter asserere, periculosum & per Spiritum sanctum prohibitum est, ubi dicitur apud Iohannem in Epistola: Probate spiritus, utrum ex Deo sint. Et apud Paulum: Omnia probate, quod bonum est tenete. Ita, ut & Ecclesia eodem spiritu rectore, præceperit in Cle. C. Abusionibus, ut non permittantur Quæstores proponere populo aliud, quam quod in literis eorum continetur.

1. Iohā. 4. *1. Thes. 5.*

Quibus Iuribus, imo præceptis nixus, disputandam hanc materiam suscepi, motus immodestissimis Declamationibus, nimiumq; indiscretis promulgationibus

mulgationibus, quibus Indulgentias diuulgabant quidam in nostris Regionibus, apostolici (ut asserebant) commissarij & quęstores, ita, ut sub Indulgentiarum prætextu inauditas auariciæ & scandalosas machinas exercerent, in grauissimum Romanæ Ecclesiæ & Clauium ecclesiasticarum ludibrium & contemptum, reuerentiæq; apostolicæ Sedis non mediocre detrimentum. Deniq; in seductionem populi, noua dogmata moliti sunt, ut auderent uerbis male sobrijs docere, & Libellos in uulgus edere, Indulgentias esse idem, quod, hominem consequi gratiam Dei iustificantem, donum scilicet inęstimabile pro uenijs uenundantes. Et alia, quæ passim ostendit Libellus eorum, qui instructio summaria uocatur, absurdissimis & falsis Propositionibus plenus, ad sui suorumq; autorum ignominiam.

Et licet ego non de fide, non de moribus, non de præceptis Dei aut Ecclesiæ, sed de Indulgentijs (ut dixi) disputarem, quæ nec præceptæ, nec consultæ, nec meritoriæ sunt, ita ut sine his nihilominus Ecclesia Christi bene & forte melius haberet, pluribusq; meritis (quæ per illas remittuntur) salui fierent fideles, imo expresse fateantur Doctores, etiam Scholastici, Melius esse per seipsum satisfacere, quam Indulgentias redimere.

Deinde sic disputaui, ut totam hanc disputationem submitterem, non solum Ecclesiæ, sed etiam cuiusq; melius sentientis iudicio. In primis uero sanctissimo in Christo Patri, & Domino nostro, Domino Leoni X. Papæ moderno, ut in Epistola mea Rosolutionibus meis præmissa, clare patet, ac ita res dubias, liberas, opiniosas, non determinatas, nec necessarias ad salutem, tractaui, disputandi gratia, Vt nulla prorsus esse possit iusta causa, & occasio citandi me, aut in ius trahendi, & merito debuerim à molestijs etiam inuidorum & malignorum tutus, & quietus uideri (quandoquidem de rebus serijs, necessarijs, diuinis disputatantes securi sunt)

Nihilominus quidam Mammonæ cultores & lucri mancipia inquieta, in quibus Christi non pascua, sed lac & lanam tantummodo quærentes, timentesq;, ne huius disputationis occasione fideles Christi eorum lucrosas & auarissimas insidias intelligerent, ac sic quæstus ipsorum, sicut dignus est, funditus periret, exarserunt sicut ignis in spinis. Atq; cum ipsi sic Indulgentias non solum indiscrete, sed & subdole, in fraudem Animarum quoque, ac longe lateq; à mente summi Pontificis, sacrisq; Patrum decretis, prædicando aberrarent, etiam hoc mali adiecerunt, ut friuolis quibusdam & mendacibus delationibus, pro auaricia sua & tyrannide impia coloranda, adeo me apud sanctissimum Dominum nostrum, Dominum Leonem X. Papam &c. & eximium uirum Dominum Martinum de Perusijs suæ sanctitatis Procuratorem fiscalem, fœdauerunt, & odiosum fecerunt, & tandem exacuerunt & exasperauerunt.

Vt dictus D. Martinus ad importunam eorum instantiam, causam contra me, tanquam de hæresi suspectum, & in Ecclesiasticæ potestatis iniuriam, uilipensionem, diminutionem, clauiumq; irreuerentiam, machinatum. Reuerendissimis in Christo Patribus, Domino Hieronymo de Genutijs, Episcopo Asculanensi, auditori Cameræ &c. & Syluestro Prieriati Ordinis Prædicatorum, Palacij Apostolici Magistro, commiteret, Quin imo per illum ipsi potius extorserunt. Qui quidem Iudices & Auditores cum mihi, salua semper eorum reuerentia, suspecti sint, quod ipse Reuerendus Pater Syluester alias contra me, exacerbatam affectionem suam abunde ostenderit, in Dialogo, quem contra meas Positiones edidit, in quo suæ opinioni plus æquo affectus, me hæreticum & insanum multisq; alijs nominibus criminum iudicauerit, & dammauerit.

D. Hieronymus de Genutijs, Episcopus Asculanus.

Dialogus Syluestri

Deinde

Deinde suis Fratribus, quos hæc res principaliter tangit, uerisimiliter præsumitur plus quam causæ fauere, atq; ita fieret, ut per ipsum Aduersarij ipsimet in sua causa Iudices fierent. Et ipsi Thomistæ, licet sibi ipsis contra me non constantes, sæpius tamen inuenti sunt pro suis opinionibus, maiora, & alia tentasse, quam cuiusq; merita postulassent, & æquitas Iuris pateretur. Deniq; cum idem Reuerendus Pater solum in scholastica Theologia sit institutus & enutritus, parumq; in Scripturis sanctis (ut apparet ex suis Scriptis uarijs) exercitatus. Et hæc materia Iudices quærat, in sacris literis & ecclesiasticis Patribus instructissimos, non præsumi potest, eum uel posse recte iudicare.

Reuerendus uero in Christo Pater, Dominus Hieronymns Episcopus &c. merito timetur alteri Collegæ suo adhærere, (quod pace ac reuerentia ac citra iniuriam dictum uolo) & qui Patri Syluestro ob Professionis Theologicæ nomen, facile iudicium cederet, atq; ipse, qui in causis alijs ciuilibus & huiusmodi satis idoneus esset. Hæc autem cum sint de fide & hæresi (ut Aduersarij dicunt) extra suæ Professionis modum esse, satis intelligatur, atq; ideo mihi utriq; suspectissimi, me citari fecerunt, & citauerunt, ad comparendum personaliter Romæ, in loco mihi omnium suspectissimo & non tuto, Cum omnibus constet, quantum & in quam multos sæuitum sit, qui se Romæ crediderunt, etiam habentes saluum conductum, Et luce meridiana clarius sit, ipsum etiam optimum Pontificem, sanctissimum Dominum nostrũ Leonem X. ac multos alios reuerendissimos Dominos Cardinales, sæpius in periculo mortis fuisse, nec satis tuto ibidem uiuere. Vt iuxta Esaiam de Roma fere dici possit: Iusti habitauerunt in ea, nunc autem homicidæ. *Esa. 1.*

Roma sedes homicidarum.

Atque si quam maxime Romæ omnia tuta & salua forent, tanti tamen itineris prolixitas imbecillitati corpusculi mei prorsus impossibilis est, tot etiam pericula uiarum, & maxime omnium insidiæ Aduersariorum, quæ tantæ ac tam multæ sunt, ut omnino mihi per Magnates & Principes utriusq; status consultum sit, & pro certo denunciatum, ne ullo pacto muros Vuitembergæ egrederer, certissimos scilicet sese nosse, aut ferri aut ueneni insidias paratas. Atq; cum sim de Ordine Mendicantium, nihil proprij habens, & sub obedientia alterius uiuens, ipsa sane paupertate abunde comparere prohiberer.

CVm itaq; metu huiusmodi iustissimo, & qui in constantem uirum cadere potest, & caussis his iustissimis impeditus, Romam ire non possem, solicitaui per illustrissimum Principem Fridericum, sacri Ro. Imperij Electorem, Saxoniæ Ducem, Thuringiæ Landgrauium, Misnæ Marchionem potentissimũ, Vt à Sede Apostolica causa Viris aliquibus doctis, probis & honestis committeretur, in partibus, in loco tuto, coram quibus & ibidem comparere, & omnia facere, quæ iusticia suadet, paratissimus essem.

Quod cum sanctissimus in Christo Pater & Dominus, Dominus noster Leo X. ut cuius clementia & ueritatis & iusticiæ obseruantia, per totum Orbem dignissime celebratur, per aduersarios suæ causæ timentes, ut in personam Reuerendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Thomæ, Tituli S. Sixti Presbyteri Cardinalis sanctæ Sedis Apostolicę per Germaniam de latere Legati, transferretur, sperantes, quod cum idem Reuerendissimus Dominus &c. de Ordine eorum fuerit ruinosæ & ægræ suæ causæ, facilius hoc ingenio mederentur.

Qui quidem reuerendissimus Dominus &c. etsi suspectus merito uideri poterat, quod de parte & opinione Aduersariorum sit & alijs quibusdam ue-

dam uerisimilibus causis, Tamen ut Vir est omnibus modis doctissimus & humanissimus, primum paterne quidem & clementer sese mihi exhibuit, meq; suscepit. Sed deinceps mihi (ut ait) consulere uolens, simpliciter instabat & urgebat ad Reuocationem meorum dictorum, antequam discuterentur & determinarentur, reiecta & posthabita omnium protestatione honestissima, quod uidelicet paratus essem uel publice denuo respondere, uel priuatim in scriptis rationem reddere, & omnia mea subijcere, inprimis iudicio S. Ecclesiæ Romanæ, Deinde illustribus studijs Basiliensi, Friburgensi, & Louaniensi, Ac si opus esset, etiam antiquæ illi studiorum Parenti, & in theologicis rebus præ cæteris uti florentissimæ, ita zelosissimæ Vniuersitati Parrisiensi.

His omnibus posthabitis & spretis, nec saltem docere uoluit, aut ostendere, in quibus & qua ratione errassem, ut cognitum errorem reuocarem. Nisi quod duos Articulos mihi opposuit, ad quos me satis abunde respondisse confido, ut in scriptis ad eundem Reuerendissimum Dominum datis, uideri potest. Sed simpliciter & nude me ad reuocationem adigere uoluit, minando mihi, quod nisi uel hoc facerem, uel Romæ in quodam termino, penso in citatione, per supradictos prætensos Iudices præfixo, comparerem, me & omnes mihi adhærentes & fauentes, sententia excommunicationis, innodare, ac cæteros quoscunq;, ad quos me declinare contigerit, ecclesiastico interdicto supponere uellet. Super quibus omnibus sese mandatum sufficiens à Sede prædicta habere dixit. *Vide supra pagel. 156. & sequentib.*

Ex quibus me grauatum læsumq; & oppressum sentio, cum & hodie fatear solummodo me disputasse, & omnia sub pedibus sanctissimi Domini nostri Leonis X. subiecisse, ut occidat, uiuificet, reprobet, approbet, sicut placuerit. Et uocem eius uocem Christi in ipso præsidentis agnoscam. Et legitime protestor me nihil dicere aut sapere uelle, quod non in & ex sacris Literis, & ecclesiasticis Patribus, sacrisq; Canonibus probari potest, Vt in libro Resolutionum mearum uideri potest. De quo denuo protestor, sicut alias sæpius protestatus fui.

IDcirco, a præfato sanctissimo Domino nostro Papa, non bene informato, eiusq; prætensa commissione, ad supradicti Domini Procuratoris Fiscalis instantiam (ut præfertur) signata, ac à prætensis Iudicibus & Citatione supradicta, ac prætenso Processu, contra me forsitan instituto & instituendo, & omnibus inde sequutis & sequuturis, & quolibet ipsorum, nec non à quolibet futuro grauamine, quod mihi ex eo uenire poterit, ad sanctissimum Dominum in Christo Patrem, & Dominum nostrum, Dominum Leonem, diuina prouidentia Papam X. melius informandum prouoco, & appello in his scriptis, Apostolosq; primo, secundo & tertio, instanter, instantius, & instantissime mihi dari peto, si quis sit, qui mihi hos dare uoluerit & potuerit, & præsertim à uobis, Domino Notario testimoniales, subijciens me mihiq; adhærentes, & adhærere uolentes, in his protectioni ac defensioni præfati sanctissimi Domini nostri Papæ, melius informandi. Et protestor de prosequendo hanc meam Appellationem suis temporibus, & locis congruis, per uiam nullitatis, & alias, prout melius potero, mihi reseruata facultate addendi, minuendi, mutandi, corrigendi, & in melius reformandi, omniq; alio Iuris beneficio semper saluo.

Super quibus omnibus & singulis præmissis, prælibatus reuerendus Pater D. Martinus Lutherus, sacræ Theologiæ Professor, & appellans, sibi à me Notario publico infra scripto, loco Apostolorum testimonialiū, unum uel plura publicum seu publica, fieri atq; confici petijt instrumentum & instrumenta.

Acta fuerunt hæc Augustæ, & ibidem in monasterio Ordinis Fratrum Carmelitarum, sub anno, indictione, die, mense & Pontificatu, quibus supra, Præsentibus ibidem honorabilibus uiris, Dominis Venceslao Steinbeiss, & Bartholomæo Vtzmair, presbyteris Augustensis Diocœsis, Testibus ad præmissa uocatis atq; rogatis.

ET ego Gallus Kunigender de Herbrachtingen, Laicus Augustensis Diocœsis, publicus sacris apostolica & imperiali autoritatibus, Notarius, quia supradictæ schedulæ Appellationi, exhibitioni, prouocationi, submissioni, Apostolorum petitioni, protestationi, omnibusq; alijs & singulis præmissis, dum (sicut præmittitur) fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus, præsens & personaliter interfui, eaq; omnia & singula sic fieri uidi & audiui. Idcirco hoc præsens publicum instrumentum, manu propria scriptum, exinde confeci, subscripsi, publicaui, & in hanc publicam Formã redegi, signoq; & nomine meis solitis & consuetis, signaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

ACTORVM, D. MARTINI LVTHERI, apud Legatum Apostolicum Augustæ.

FINIS.

EPISTOLA THOMÆ CAIETANI TITVLI S. SIXTI PRESBYTERI CARDINALIS, AD D. Fridericum, Saxoniæ Ducem, sacri Imperij Electorem. &c. De Lutheri causa, Post discessum eiusdem Lutheri ex Augusta, Anno M. D. XVIII.

ILlustrissime & excellentissime Princeps, Venit Frater Martinus Lutherus cum literis excellentiæ uestræ, Et antequam nos adiret, uoluit se munire saluo conductu, quem ab illis Dominis, Cæsareæ Maiestatis Consiliarijs, uestræ illustrissimæ Dominationis intuitu & fauore impetrauit. Non tamen sine scitu meo, Noluerunt enim hi Domini quidquam illi concedere, nisi me permittente. Quibus respondi, Facerent quidquid eis placeret, dummodo nomen meum non misceretur. Et hic cœpi mirari, Nam si excellentia uestra in me confidebat, non erat opus saluo conductu, Si non confidebat, non erat mittendus ad me, ut Patrem.

Adijt deinde nos Frater Martinus, primum excusans se super impetra-

impetratione salui conductus propter inimicitias &c. Deinde dicens, se uenisse, ut nos audiret, & ueritatem a nobis agnitam profiteretur. Nos hominem libentissime ac humanissime excepimus, paterneque complexi sumus. Dixi ante omnia, quod secundum solidam Scripturam sacram & sacros Canones interrogandus esset, & quod si se cognosceret, & de cætero caueret, possemusque secure dormire, ne reuer-
2. Pet. 2. teretur ad uomitum, omnia componerem, sanctissimi Domini nostri Papæ Leonis X. autoritate.

Ostendi deinde, monuique paterne, Disputationes & Sermones eius, esse contra Apostolicam doctrinam, maxime super Indulgentijs, citauique Extrauagantem Clementis VI. aperte contra ipsum stantem, tam super causa, quam effectu Indulgentiarum. Adduxi præterea antiquam & communem Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, ac interpretationem super alio etiam Articulo de fide Sacramentorum aperui, admonuique opinionem eius non esse sanam, sed manifeste dissentire a sacra Scriptura & recta Ecclesiæ doctrina, quæ illi omnino repugnat. Is ad Extrauagantem claram & apertam dixit, nescio quid relatione indignum, & petijt diem ad deliberandum, redituumque se affirmauit. Ego illum hortatus, ut se cognosceret, dimisi.

Redijtque postridie, una cum Patre Vicario generali congregationis Obseruantium, multisque stipatus. Et cum expectarem, ut se uere agnosceret, cœpit coram Notario, quem secum duxerat, protestari, Ego id subridens, iterum humanissime hominem hortatus sum, ut relicto huiuscemodi inani consilio, ad cor & sanitatem rediret, durum esse illi contra stimulum calcitrare. Addidit deinceps, in scriptis se uelle mihi respondere, & causam suam agere, Me anteriore die satis digladiatum uerbis cum illo fuisse. Ego audaciam hominis miratus dixi, Fili, neque tecum digladiatus sum, neque digladiari uolo, Tantum paratus sum, intuitu illustrissimi ducis Friderici, te paterne ac benigne (non disputandi contendendiue gratia) audire, ac pro ueritate monere ac docere, conciliare etiam (si uoles) sanctissimo Domino nostro Papæ Leoni X. & Romanæ Ecclesiæ.

Rogauit me tum is, tum Vicarius eius, ut illum in scriptis audire uellem. Dixi me libentissime auscultaturũ, & facturum omnia paterne, non tamen iudicialiter. Itaque abijt, reuersusque postea tertio est, & longam scripto exhibuit phylacteriam, in qua fatue admodum respondet ad constitutionẽ Extrauagantis Papæ, nec parcit etiam suæ sanctitati, quam dicit abuti autoritatibus sacræ Scripturæ. Ad illud uero de fide Sacramentorum implet papyrum locis sacræ Scripturæ omnino impertinentibus & perperam intellectis.

Ego postquam ostendi non ita esse intelligendum, quod in illa

Extrauagante, & sacris literis scriptum est, Iterum atque iterum Fratrem Martinum ut filium monui & obtestatus sum, Nollet plus sapere, quam oporteret, nec noua dogmata in Ecclesiam intrudere, Sed seipsum cognoscere, & saluare animam suam.

Venit ad me deinde Pater Vicarius congregationis, cum quo, præsente magnifico Domino Vrbano Oratore Montis ferrati, & uno Magistro Theologiæ dicti Ordinis, multasque horas tractauimus de negocio hoc, ut tolleretur scandalum, salua reuerentia Apostolicæ Sedis, & sine ulla nota Fratris Martini. Venit postea solus ille Theologiæ Magister, socius Fratris Martini, qui probauit & collaudauit tractatum.

Iactis his fundamentis, cum bene sperarem omnia, profectus est hinc idem Vicarius, insalutato hospite, ac me omnino inscio. Subsequutus est deinde Frater Martinus & socij eius, mihique omnino, imo sibi, perbelle illuserunt. Accepi interea Fratris Martini [a] literas, quibus petit fucatam ueniam, Non ideo uero reuocat maledicta & scandala, quæ catholicæ Ecclesiæ incussit.

[a] Supra fol. 201. b. 202. &c.

EGO, illustrissime Princeps, fraudulentum Fratris Martini & sequacium consilium, non solum admiratus sum, uerum etiam prorsus perhorrui & obstupui. Cum enim de bona illius ualetudine maxime sperarem, maxime sum frustratus. Non uideo tamen cuius fiducia hæc agat.

In causa uero tria affirmauerim. Primo, dicta Fratris Martini in Conclusionibus suis disputatiue esse posita, In sermonibus tamen ab eo scriptis, affirmatiue & assertiue esse posita, & confirmata in uulgari germanico, ut aiunt. Ea autem sunt partim contra doctrinam Apostolicæ Sedis, partim uero damnabilia. Et credat mihi illustrissima Dominatio uestra, quia uera dico & loquor, ex certa scientia non ex opinionibus.

Secundo, illustrissimam illam uestram Dominationem hortor & rogo, consulat honori & conscientiæ suæ, uel mittendo Fratrem Martinum ad Vrbem, uel eijciendo extra terras suas, postquam non uult paterna uia errorem suum cognoscere & cum uniuersali Ecclesia bene sentire.

Postremo, Illud sciat illustrissima Dominatio uestra, nequaquam hoc tam graue & pestilens negocium posse diu hærere, Nam Romæ prosequentur causam, quando ego laui manus meas, & ad sanctissimum Dominum, Dominum nostrum huiuscemodi fraudes scripsi.

Bene & fœliciter ualeat Excellentia uestra, cui me intime commendo. Ex Augusta Vindelicorum, XXV. die Octobris Anno M.D.XVIII.

ITerum

ITerum atq; iterum rogo, ut Dominatio uestra illustrissima, non permittat se decipi a dicentibus: Nihil mali continent Fratris Martini Lutheri dicta, Nec ponat maculam in gloriā Maiorum suorum, & suam, propter unum Fraterculum, ut toties promisit. Ego loquor puram ueritatem, & seruabo Ihesu Christi regulam: A fructibus eorum cognoscetis eos. Hæc pauca manu propria.

E. V. & illustriss. D.

ad obsequia

Thomas, S. Sixti Cardinalis, Legatus Apostolicæ Sedis.

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS: D. FRIDERICI, DVcis Saxoniæ, Romani Imperij Electoris, Responsio ad literas D. Thomæ, Tituli S. Sixti Cardinalis, præcedentes.

REuerendissime in Christo Pater, singulariter nobis dilectissime Domine, & amice, Vestræ Charitatis literas die XXV. Octob. Augustæ datas, die XIX. Nouemb. per tabellarium non peculiarem, sed fortuitum, redditas, accepimus, ad D. Martinum Lutherum Augustinianum pertinentes, quas undecūq; cum toto earum argumento percepimus atq; intelleximus.

Quoniam ergo dictus Martinus coram pietate uestra apud Augustam comparuit, sicut cum charitate uestra colloquuti Augustæ pollicebamur, nostræ satisfecimus promissioni. Præterea, persuaseramus nobis, uestram pietatem, audito Martino, secundum uestræ Reuerentiæ promissionem multiplicem, eum paterne & beneuole dimissuram fuisse, Neq; quamuis nondum cognita causa & sufficienter discussa, ut Martinus refert, coacturam ad reuocationem & palinodiam. Sunt enim plurimi eruditorum, in nostris principatibus & terris, & alibi in Vniuersitatibus studiorum, a quibus hactenus & in hodiernum usq; diem constanter & irrefragabiliter certiores fieri non potuimus, Martini doctrinam impiam, non Christianā, & hæreticam esse. Exceptis nonnullis, quorum rei priuatæ & utilitati pecuniariæ eruditio eius non profuit, qui ut propriæ commoditati consulerent, Martino sese aduersarios opposuerunt, suo tamen proposito contra Martinum nondum probato. Nam si aliquo constanti fundamento & ratione intelligeremus, D. Martini Lutheri doctrinam impiam &

instabilem esse, Dei omnipotentis auxilio & gratia, ipsimet ita nos doceremus, ut nulla indigeremus exhortatione atq; admonitione. Noster enim animus, nostra uoluntas, nostra mens, in hoc tota est, ut ad Christiani Principis officium sit paratissima, & qui Deo adiutore, & honori & conscientiæ suæ cupiat consultum.

Quapropter modis omnibus sperauimus, non futurum, ut in hoc rerum statu, hac afficeremur comminatione, scilicet Ro. curiam id causæ prosequuturam, & Reuerentiam uestram manus lauisse, uel ut a nobis postularetur, ut Martinum Lutherum siue Romam mitteremus, siue ex nostris Regionibus expelleremus, Non tamen ob alia, quam quod Martinus Lutherus criminis hereseos nondum conuictus est. Pelleretur enim incommodo nostræ Vniuersitatis, sicut in hanc diem notum est, Christianæ, & multos bonos & doctos & studiosos homines habentis.

Neq; omisimus D. Martino uestræ charitatis literas exhibere, ad quas nobis secundum tenorem exempli, his nostris literis inclusi, respondit.

Cum itaq; D. Martinus sese offerat ad aliquarum Vniuersitatum iudicium, & in locis tutis disputationem, & cognita causa permissurum se obedienter, ut doceatur & simul ducatur. Arbitramur eum merito admittendum, aut saltem ei ostendendos in scriptis errores, Id quod & nos petimus, ut sciamus, quamobrem tamen hæreticus esse debeat, & habeamus quod sequamur & faciamus. Neq; enim nos ita (nondum conuictum) pro hæretico reputandum & scribendum sentimus. Deniq; non libenter permitteremus, nos in errores pertrahi, Neq; ut inobedientes a sancta Sede Apostolica inueniri.

Hoc uestram charitatem (quam Deo omnipotenti diu fœliciter conseruandam commendamus) cælare noluimus.

Datum Aldenburg, die VIII. Decembris.
Anno M. D. XVIII.

EPISTOLA D. MART. LVTH. AD ILLVSTRISSIMVM ET CLEmentissimum D. Fridericum, Saxoniæ Ducem &c. In qua respondet ad ea, de quibus eum Legatus Apostolicus accusat, in Literis suis ad prædictum Saxoniæ Electorem ex Augusta missis.

ILLVS

ILLVSTRISSIMO ET VERE OPTIMO PRINCIPI, D. FRIderico Electori, sacri Romani Imperij Archimarschallo, Duci Saxoniae, Praesidi Thuringiae, Marchioni Misnensi, Domino suo Clementissimo, Deditum mancipium, F. Martinus Lutherus Augustinianus, foelicitatem, & quidquid potest oratio peccatoris.

Ccepi clementissime ac illustrissime Princeps, per amicissimum meum Dominum Georgium Spalatinum, literas una cum exemplo literarum Reuerendissimi Domini Thomae Caietani, Tituli S. Sixti Cardinalis, Sedis Apostolicae Legati, uoluntate illustrissimae Dominationis tuae ad me misso, Accepi autem & reuerenter & hilariter. Video enim pulcherrimam totius causae meae exponendae occasionem datam. Vnum solum ab illustrissima Celsitudine tua precatus fuero, ut sordidum hunc & mendicum Fraterculum splendor magnitudinis tuae clementissime tolleret balbutientem.

Primum uere scribit Reuerendus Dominus Cardinalis me saluo conductu uoluisse muniri meam Augustae praesentiam. Necp id feci aut meo aut illustrissimae Dominationis tuae consilio, sed amicorũ singulorum & omnium, quibus fueram literis commendatus, Excepto uno, magnifico Domino Vrbano Oratore, qui solus multis uerbis dissuasit. Sed necesse fuit mihi, ut omnes praeferrem uni, ne si quid temere mihi contigisset, me contempsisse scriberent, & illustrissimae Dominationis tuae commendationẽ, & ipsorum fidelissimã operam. Deinde non capitosi, sed naturalis affectus est, multos Germanos antea cognitos, atcp uita & autoritate celebres, a me Germano praeferri uni Italo. Ipsa enim Natio & multitudo me, spero, iustissime excusabunt, ne Orator ille Dominus magnificus se a me contemptum possit causari.

Non ergo tua, illustrissime Princeps, diffidentia arguenda fuit, imo plus in reuerendissimum dominum Legatum confisum est, quam sperauerant amici, Ita ut meam temeritatem mirarentur, seu (ut ipsi honorabant) audaciam, quod sine conductu essem ingressus Augustam. Mandauerat enim mihi illustrissima tua Dominatio per Spalatinum meum, non esse mihi necessarium saluum conductum, adeo illustriss. tua Cellsit. omnia bona de reuerend. Legato praesumebat.

Percurram & caetera Epistolae Reuerendissimi domini Legati membra, ac paucis respondebo ad ea.

Vere scribit me tandem comparuisse, & dilationem accessus ac salui conductus impetrationem excusasse. Dicebam enim me a magni Ordinis utriusq; status uiris fuisse monitum, ne muros Vuitembergę egrederer, esse enim mihi insidias aut ferri aut ueneni paratas. Deinde addidi & causam prædictam; scilicet amicorum studium nomine Illustrissimæ Dominationis tuæ mihi consulentium. Obtuli itaq; me prostratum ante pedes reuerendissimi Domini Legati, & omni reuerentia & humilitate petij ueniam, si quid temere uel dixissem uel egissem, esseq; me paratissimum doceri & duci (sicut & hodie sentio) in saniorem sententiam.

Hic me reuerendissimus Dominus Legatus paterne & clementissime suscepit, commendans & congratulans huic meæ humilitati, Statim tria mihi facienda proposuit, de mandato Sanctissimi Domini nostri Papæ Leonis X. sicut aiebat (nam exemplar Breuis petenti denegabat)

Primum, ut redirem ad cor, & erratus meos reuocarem.

Secundo, ut promitterem, in futurum abstinere ab eisdem.

Tertio, ut ab omnibus quoq; alijs abstinerem, quibus perturbari possit Ecclesia.

Ad primum petij, ut monstraret mihi, in quo nam errassem, Mox id obiecit, Quod Cõclusione 7. inter declarandum dixeram, Oportere eum, qui ad Sacramentum accedit, credere, se consecuturũ gratiam Sacramenti. Hanc enim doctrinam esse contra sacram Scripturam & rectam Ecclesiæ doctrinam uoluit. Ego uero constanter dixi in eo puncto me non esse cessurum, sicut nec hodie neq; in æternum sum cessurus. Tunc ipse: Velis, nolis, hodie oportebit te reuocare, alioqui uel propter hunc locum omnia tua dicta damnabo.

Et quanquam dicebat sese non opinionibus Doctorum, sed Scripturis sanctis & Canonibus mecum acturũ, nec syllabam tamen Scripturæ contra me produxit, cum ego contra multas Scripturas pro me adducerem, ut uideri potest in schedula responsionis meæ. Nisi quod de efficacia Sacramentorũ mihi Concilia recitabat, quæ non negaui, neq; contra me erant. Labebatur tamen inter dicendum semper in opiniones Doctorum. Et expecto, peto, rogo usq; hodie unam Scripturæ autoritatem, uel sanctorum Patrum, quæ sit contra meam hanc sententiam.

Et ut tibi, illustrissime Princeps, ex corde loquar, Doleo totis uisceribus hanc rem fidei nostræ in Ecclesia non solum dubiam & ignotam, sed etiam falsam putari. Verum, optime Princeps, coram Deo et Angelis eius protestor, fiat de alia mea Responsione quicquid fieri potest, sit falsa, sit contra Extrauagantẽ, sit damnanda, sit reuocãda, faciam hic omnia, si ita oporteat, Hanc autem sententiam moriens

confitebor

confitebor, & omnia potius negabo, quam illam reuocabo. Nam si-ue merita Christi sint thesaurus Indulgentiarum, non ideo Indulgen-tijs aliquid accedit, siue non sint, nihil ideo decedit. Manent Indulgen tiæ id quod sunt, quocunque tandem nomine honorentur & inflentur. Nec sum ideo malus Christianus, si Indulgẽtias nolim, quas ille tantũ solas extollit & pro eis pugnat. Sed si hanc fidei sententiam mutauero, Christum negauero. Sic sapio, sic sapiam, donec contraria senten-tia per scripturas fuerit probata, & adductæ per me autoritates disso-lutæ, Quod nondum est factum, neque fiet (Deo propicio) unquam.

Deinde quia Indulgentiæ mouebant plus, quã materia illa fidei, sicut & scribit, maxime (inquit) super Indulgentijs, attulit extraua-gantem Clementis VI. contra Propositionem meam LVIII. ubi ne-gaui merita Sanctorum & Christi, esse thesaurum Indulgentiarum, sicut adhuc nego, saltem ut iacent & sonant uerba, Quantumcunque ipse claram apertamque iactet Extrauagantem, Ego contra obscuram ambiguam, impropriam dico, Sicut in Responsione mea priore pa-tet.

Quod autem in Literis suis scribit, Me dixisse ad Extrauagan-tem nescio quid relatione indignum, Hoc tanquam Laico scribit. Il-lud indignum relatione (ut odium uerbi illius reuelem, & appareat, an hoc sit paterne me quærere) hoc fuit illustrissime Princeps, Quod dixi Extrauagantem illam non satis ualere contra meam Conclusio-nem, maxime cum torqueat in alienum sensum Scripturas & abuta-tur eis, Hoc uerbum, torquere & abuti, mire torquebat hominem & adhuc torquet, ut indicant literæ eius. Voluit enim & uult uerba hu-mana Pontificis simpliciter accipi, non habita ratione, an consenti-ant cum Scripturis, nec ne.

Verum, optime Princeps, permittat Celsitudo tua, ut & ego tanquam coram Laico hanc rem tractem, id est, crasse & aperte. Vo-lo interim obliuisci acerrimũ illud & omnibus doctissimis quoque for-midabile iudicium, quo Deus insigniuit præ omnibus, quos nostra uidit ætas, ingenium Principis Friderici. Dico itaque non esse rarum atque nouum, Scripturas sanctas a Pontificibus & Doctoribus sanctis fuisse tortas & in alienum sensum ductas, Quod ne multis agam, e-tiam crasso cuique Bubulco clarum faciam, uno extra propositum (ut uocant) exemplo adducto.

Dicit Decretalis quædam, de constitutionibus: Translato sa-cerdotio, necesse est ut legis fiat translatio. Hæc uerba Apostoli sunt apud Ebræos cap. 7. docentis temporale sacerdotium & legem ab-
Ebr. 7. rogata & finita, succedente æterno sacerdotio Christi. Hæc est pro-pria & genuina sententia uerborum Apostoli.

At in Decretali est ista sententia, Sacerdotium Christi est trans-

latum

latum in S. Petrum, sic enim Iuristæ interpretantur. Quis non uidet alienam esse hanc intelligentiam, & prorsus talem, quæ nisi multo sudore moderetur, sit impijssima omnium. Impijssimum enim est dicere, sacerdotium Christi æternum esse translatum, id est, abrogatum et finitum, & legem eius æternam esse abrogatam & translatam, ut Petrus sit sacerdos & Legislator amoto Christo.

Nolo Petrum aut Paulum habere sacerdotem, quoniam & ipse peccator est, non habens, quod neque pro se, neque quod pro me offerat. Vt interim taceam, quod in solum Petrum a Christo translatum dicitur, Quasi cæteri Apostoli Laici remanserint, aut a S. Petro in Apostolos ordinati fuerint. Quanto rectius ergo non sacerdotium, sed ministerium tantum sacerdotij in Petrum positum intelligeretur, aut alio quocunque sensu, qui illæsum permittat germanum Apostoli sensum.

Nunquid ergo male dico, si in faciem huius Decretalis dixero, hanc contrariam Propositionem: Sacerdotium Christi cum sit æternum, non est translatũ in S. Petrum: Aut etiam hic me coget reuerendissi. Dominus Legatus, ut uerum sensum negem, & Decretalis sensum solum amplectar? Talia sunt in iure Canonico multa, quibus (ut cum fiducia loquar) si non corrupta, certe obscurata est Scriptura.

Tale quid & in Extrauagantem a me factum est, Nam certissimum est Merita Christi non posse per hominem dispensari. Deinde etiam ipsa potius imponunt, quam relaxant bona opera (quod est Indulgentias esse) pœnitentiæ, ut Petrus aperte dicit. Christus pro nobis passus est, uobis relinquens exemplum, ut sequamini uestigia eius. Non ait, Passus est pro uobis, ne uos pateremini, aut ut uos relaxaremini, sed exemplum reliquit sequendi, non reliquit thesaurum omittendi &c.

Hæc est enim proprie uirtus meritorum Christi, armare ad opus, non ponere ceruical, & ponere puluinos sub cubitis & capitibus, ut ait propheta Ezechiel. Ideo contra Extrauagantem, imo contra malum eius intellectum opposui, & adhuc oppono. Nec est ista communis Ecclesiæ consuetudo, quam iactat, sed corruptela & abusus, contra Scripturæ ueritatem militans. Eze. 13.

Igitur permitto Extrauagantem esse ueram, sed nego sensum eius esse, quem adducta uerba Scripturæ habent in suo loco, Quæ uerba utique uera fuerunt plus quam per duodecim annorum centenaria, ante constitutionem huius Extrauagantis. Neque ab Extrauangante uel a tempore eius primum ueritatem acceperunt. Nam si ista uerba Scripturæ de Indulgentijs debent intelligi proprio & genuino sensu, iam possent ex sacra Scriptura probari & demonstrari Indulgentiæ, quod ad unum omnes constantissime negant.

Igitur

Igitur uolo utrunque seruare, Et dicitur mihi: Imo istum (scilicet peiorem sensum) seruabis, Alterum (scilicet meliorem) negabis. Ego autem nolo, sed sufficere puto, uerbo hominis me tantum reuerentiæ gradum dedisse, ut uerum esse confitear. Nolo uerbum Dei, qui mentiri (ut ille) non potest, propter illius uerbum negare. Non igitur relatione indignum est (nisi dum alteri uelis mortē & perditionem moliri sine causa) dicere, quod Papa aut sancti Patres aliquoties torserint Scripturas, & in alienum sensum abusi sint, Aut si id pertinaciter negatur, iam & Papam & Sanctos hæreticos & impios faciemus, Vt quos manifestum est, alium sequi sensum, quam sit in Scriptura, & id non paucis locis, neque raro.

HVcusque prima die actum est, id est, duo ista obiecta sunt. Petij enim diem ad deliberandum, & abij. Non enim e re mea fore uidi, uerbis rem agere, quod ille loco Pontificis sedens, quidquid diceret, ratum apud me esse uoluit, Rursum, quidquid ego opponerem, exibilatum fuit, explosum, imo derisum, etiamsi sacras aduceherem literas. Nam omitto dicere, quod potestatem Papæ & supra Scripturas & supra Concilia tollere conabatur, Allegans, quomodo iam Papa Concilium Basiliense abrogasset, Cum rursus Parisiensis Vniuersitatis appellationem allegassem, uidebunt, inquit, pœnas suas.

Tandem nescio, quos Gersonistas damnauit, Nam Basiliense Concilium, aut certe Gersonem allegaueram in Resolutionib. quod hominē mouebat. Breuiter paternitas illa toties illustrissimæ tuæ Dominationi promissa erga me, in hoc constitit, aut uim me passurum, aut reuocaturū, Non enim disputare sese mecum uelle aiebat. Ideoque consilium fuit, scriptis respondere, quæ id certe oppressis præbent solacium, quod aliorum quoque iudicio examinari possunt, & nonnihil conscientiæ atque timoris incutiunt alioqui uerbis præualenti.

ALtera itaque die redij, & mecum reuerendus Pater Vicarius Iohannes Supitzius, qui interim aduenerat, præsentibusque quatuor insignibus uiris Cæsareæ Maiestatis senatoribus, cœpi coram Notario, quem adduxeram, protestari, Me nihil uelle dicere aut dicturum esse unquam, quod contra sanctæ Ecclesiæ Romanæ doctrinam esset, paratumque esse doceri ac duci, sicubi errassem, subijciens mea dicta summo Pontifici. Deinde quatuor Vniuersitatibus, Basiliensi, Friburgensi, Louaniensi, Tandem si hoc non esset satis, etiam ipsi parenti studiorum, Parisiensi, ut schedula protestationis meæ indicat.

Hic iterum ridens meum hoc consilium, cœpit monere, ut ad cor redi-

cor redirem, ueritatemq; agnoscerem, Velle sese rursum me reconciliare Ecclesiæ & summo Pontifici, & his similia, quasi iam hæreticus, Apostata & extra Ecclesiam essem declaratus. Sed cum ego non uerbis, sed scriptis respondere promitterem, & peterem, Satis fuisse mecum anteriori die digladiatum. Hoc uerbum, digladiatum, mordicus apprehendit, & ridens, Fili mi, inquit, non sum tecum digladiatus, nec uolo tecum digladiari, sed monere, & intuitu illustrissimi Principis Friderici, paterne ac benigne audire. Hoc est (ut ego cogebar intelligere) ad nihil aliud quam ad Reuocationem urgere. Displicuit enim merito stulticia mea, quod pro disputare uel contendere (quod anteriori die egimus, reipsa, si non oportet negare) digladiari dixeram, elegantius, quam tunc res ipsa postulabat.

Interim me tacente surgit reuerendus Dominus Vicarius, petens, ut me (sicut & ipse petieram) in scriptis audiret. Quod tandem uix obtinuimus, Nam publicam Disputationem noluit, priuatim quoq; negabat se mecum disputaturum. In scriptis etiam respondere similiter usq; ad eam horam noluit concedere, Solummodo reuocandi uerbum inculcabat. Quod si fecissem, non dubito omnia fuisse uel paternissime composita, Benignissimus enim uir est, meo iudicio, sed qui reuocare libentissime audiuisset.

TERTIO reuersus, obtuli Responsiones ad obiecta duo in scriptis, Quas primo multa & inania uerba esse dixit (sicut & nunc scribit) me admodum fatue respondisse, & implesse papyrum locis scripturæ impertinentibus, seseq; ueram eorum intelligentiam dedisse. Verum cum dixissem tandem pro me stare, quod Extrauagans dicit, Christum suis passionibus acquisiuisse thesaurum Ecclesiæ suæ, Statim arripuit Codicem, legit & in uerbum, acquisiuit, impegit, sedulo tamen dissimulans sese impegisse.

Surgens tandem dixit: Vade, inquit, aut reuoces, aut in conspectum meum non reuertaris. Ego uero mox abij, credens me simpliciter non reuerti audere, quandoquidem propositum non reuocandi firmaueram, nisi aliud docerer. Taceo, quod rumor circumferebatur, permissum esse a reuerendo Patre Generali, me capiendum & in uincula, nisi reuocarem, conijciendum. Mansi tamen Augustæ eodem die. Erat tum feria sexta.

Post prandium uocato reuerendo Patre Vicario, tractauit cum eo, ut me ad Reuocationem adduceret, sine mea nota, ut hic scribit, id est, cum perpetua infamia, quæ solet eos sequi, qui timore hominum contra Conscientiam abnegant ueritatem. Quod ille quidem fecit, Sed rogatus, ut Scripturas mihi solueret, Dicebat, supra uires suas esse, Et

esse, Et ego, contra conscientiam meam esse reuocare, nisi Scripturæ mihi aliter elucidarentur. Mansi deinde & sabbato toto, nihil dicebatur, nihil mandabatur. Mansi & sequenti Dominica, vbi saltem per [a] literas adij reuerendissimum Dominum Legatum, Sed nihil fiebat. Mansi & feria secunda. Mansi & feria tertia. Et suspectum mihi & omnibus amicis silentium factum est. Ideo timens uim,[b] Appellatione disposita, reliqui Augustam, & feria quarta recessi, Confidens me præstitisse abunde arduam & fidelem obedientiam summo Pontifici, iuxta tenorem Citationis. Si quid autem vltra prosequentur, vigore eiusdem, nihil mirum, si iniuriam patiar.

a Supra fol. 201. b.
b Supra fol. 203. a.

DEinde vide, optime Princeps, quod vere Deus in altis habitet, & comprehendat astutos in astutia sua. Dicit enim, Tria affirmauerim in hac causa.

Primo, Dicta fratris Martini in Conclusionibus suis disputatiue In Sermonib. tamen ab eo scriptis affirmatiue & assertiue esse posita.

Respondeo: Si disputatiue posita intelligit, quid ergo me miserum & pauperem Hominem tot molestijs uexant, tot sumptibus extenuant, tot criminibus & ignominijs afficiunt, tot scandala & prope schismata excitant? Sunt Disputationes (inquit) gratias ago, absolutus sum. Imo & damnati sunt omnes, qui me in ius vocauerunt, Ipse enim reuerendissimus Dominus Legatus his verbis testis nobis sit, se frustra & iniqua ratione omnia contra me egisse, & ista quoque non sincere scripsisse. An nondum pudet eos suæ tyrannidis, quam proprio testimonio tam clare confitentur? Quid enim disputationi potest obijci criminis? Quid Disputatori, qualem hic me confitetur? Quid istis literis uoluit? An vt nosceremus Fratrem Martinum nihil egisse, nisi disputasse? Ideoq; contra eum motos fuisse eius Aduersarios, ipsumq; met reuerendissimum Dominum Legatum, & non nisi insidiose calumniam & iniuriam ei molitos fuisse? Nam super disputatione fuit citatus, non super Sermonibus, Super Sermones enim, postquam fuerat citatus, facti sunt certiores, Quos ego facilius defendam (Deo propicio) quam ipsas disputationes. Nam hic multa dubitaui & ignoraui, illic loquutus sum ex certa scientia, & non ex opinionibus.

Nunc hoc videamus, quod ea, quæ in Sermonibus dixi, partim damnabilia, partim contra doctrinam Apostolicæ Sedis asserit. Quia scilicet ei aliud est, esse damnabile, & aliud esse contra doctrinam Apostolicæ Sedis. Forte q̃ damnabilis non est, qui contra doctrinam Sedis Apostolicæ loquitur. Ac sic iterum absoluor & iustificor, qui in hoc maxime & solum accusatus sum, & citatus, q̃ contra doctrinā Sedis Apostolicæ fuerim loquutus, id est, non damnabiliter, ut hic distinguitur.

Quam vellem, illustrissime Princeps, hanc Epistolam ab aliquo Siluestro Prieriate fuisse scriptam, ut libertate plena ingenij eam liceret excutere. Ostenderem profecto, quod difficile sit, malam & sinistrā conscientiam dextera operire specie. At nunc reuerentia optimi & humanissimi uiri cogit me bullientis cordis mei premere æstus usque in aliud tempus.

Sed hoc pati non possum, quod ex prudentissimo & acerrimi iudicij Principe, nobis quendam facere Pilatum conatur. Nam cum Iudæi Christum coram Pilato statuissent, & interrogati fuissent. Quam accusationem afferrent, aut quid mali fecisset homo ille? Dixerunt: Si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. Ita & hic reuerendissimus Dominus Legatus, cum Fratrem Martinum Principi obtulisset multis odiosis uerbis, Et Princeps interrogare posset: Quid fecit Fraterculus ille? Respondet: Credat mihi, illustrissime Princeps, Dominatio uestra, quia vera loquor ex certa scientia, non ex opinionibus. Respondebo ego pro Principe, Fac, vt sciam hanc esse certam scientiam, ponatur in scriptis, formetur in literas, non uereatur publicum & lucem. Quod ubi factum fuerit, tunc mittam Fratrem Martinum ad Vrbem, imo ipse eum capiam & interficiam. Tunc consulam honori meo & conscientiæ meæ, & non ponam maculam in gloriam meam. Donec autem illa certa scientia lucem fugit, & non nisi uoce tantum prodit, nolo in tenebras confidere, quando nec lux satis tuta est. Sic enim ego responderem, Princeps illustrissime, Verum nec Doctore, nec Consule eget illustrissima tua Prudentia. Nam crassæ istę Italitates (ut sic dixerim) & Romanitates, iam pueris quoque cantatæ sunt.

NVNC iudicet illustrissima Dominatio tua, quid amplius facere debui aut debeo, Per pericula tanta uitæ & salutis, contra omniū amicorum consilium comparui, ut & hodie dicant, me non fuisse obligatū comparere. Deinde coram reuerendissimo Domino Legato reddidi rationem dictorum meorum. Poteram legitima libertate unum uerbum respondisse, nec me in aliquā examinationem dare, presertim, cum Resolutiones meæ essent oblatę & significatæ summo Pontifici, ita, ut ad me nihil pertineret hæc causa, nisi ut expectarem sententiam, Nam in arbitrium Ecclesiæ a me translatum iam reposueram, Et tamē ob reuerentiā reuerendissimi Domini Legati passus sum ultra hæc me etiam examinari. Non ego fraudulentus fui, sed uim iustissimo timore declinaui. Nihil me omisisse uideo, nisi sex istas literas, REVOCO. Cæterū damnent, doceāt, interpretentur, uel Reuerendissimus Dominus Legatus, uel ipse summus Pontifex, Non autem dicant solum: Errasti, male dixisti, sed in scriptis signent errorem, probent maledictū

Rationem,

Rationem, quam debent, reddant, dissoluant Scripturas a me inductas. Doceant sicut iactant, verbis sese fecisse, Instruant doceri cupientem, petentem, volentem, expectantem, quæ nec Turcus homo mihi negaret. Vbi videro aliter intelligenda, quam intellexi, si tunc non reuocauero, & meipsum non damnauero, illustrissime Princeps, tua Celsitudo sit prima, quæ persequatur me, expellat me, obruant me viri Academiæ nostræ, Denicꝫ cœlum & terram contra me inuoco, Perdatcꝫ me ipse Dominus meus Ihesus Christus. Loquor & ego ex certa scientia, & non ex opinionibus, Nolo mihi Dominum Deum ipsum, nolo vllam creaturam Dei mihi fore propiciam, si edoctus meliora sequutus non fuero.

QVod si me Fraterculum & mendicum præ nimia conditionis meæ vilitate contempserint docere & in viam veritatis reducere, Age faciat tua illustrissima Celsitudo, & oret reuerendissimum Dominum Legatum, vt saltem tuæ Celsitudini scribat, in quibus errauerim, & quomodo me errorem emendare oporteat, vt saltem per illustrissimam tuam Dominationem audire merear, quibus rationibus, quibus autoritatibus errorem meum confutare possint. Quod si etiam illustrissimæ tuæ Dominationi hoc denegauerint, scribant id vel Imperatori vel Archiepiscopo alicui in Germania. Quid enim aliud possum facere? Mira res est, ꝙ errasse arguor, & obtinere non possum (nec per tantum Principem) in quibus, & quare ipsi me errasse putent.

Videat igitur tua illustrissima Dominatio, Disputationem publicam mihi negat (quam vscꝫ hodie vel Lipsiæ, vel Erphordiæ, vel Hallis, vel Magdeburgi, vel vbicuncꝫ tuæ Dominationis valet imperium, seu saluus conductus, non detrecto, quin etiam oro, & vtinam exorem) Priuatam similiter negat. In scriptis etiam ostendere errorem negat. Quatuor illustrissimarum Academiarum iudicia recusat. Si nunc id addat, vt illustrissimi ac potentissimi Principis petitiones reijciat, quomodo possum aliud quam meram uim & insidias suspicari?

Iterum ego quocꝫ atque iterum, & tertio iterum rogo, illustriss. Dominatio tua non credat ijs, qui dicunt Fratrem Martinum male dixisse, antequam audiatur & doceatur male dixisse. Errauit Petrus, etiam post acceptum Spiritum sanctum, etiam errare potest vnus Cardinalis, quantumlibet doctus.

Consulat igitur illustrissima Dominatio tua honori suo, & conscientiæ suæ, non mittendo me ad Vrbem. Homo enim non habet hoc mandare illustrissimæ Dominationi tuæ, cum sit impossibile me tutum fore in Vrbe, Et id nihil aliud esset, ꝙ illustrissimæ Domina-

tioni tuæ mandare, vt traderet sanguinem Christiani,& fieret homicida,vbi nec ipse summus Pontifex satis tuto viuit. Habent papyrum & calamos,& atramentum in Vrbe,habent infinitos Notarios, facile erit in papyrum signare,in quibus & quare errauerim. Possum leuioribus expensis doceri absens per literas, q̃ perdi per insidias præsens.

Vnum ego intimo corde doleo,quod literis suis reuerendissimus Dominus Legatus oblique mordet illustrissimam Dominationem tuam,quasi fiducia potentiæ Celsitudinis tuæ moliar ista omnia. Sic enim & apud nos quidam sycophantæ iactauerunt, tuæ Celsitudinis hortatu & cõsilio,me ista disputasse, cum huius Disputationis nullus, etiam intimorum amicorum fuerit conscius,nisi reuerendissimus Dominus Archiepiscopus Magdeburgensis, & Dominus Hieronymus Episcopus Brandenburgensis. Hos enim,sicut intererat eorum ista monstra prohibere, ita [a] priuatis literis antequam Disputationem ederem,humiliter & reuerenter monui, vt super oues Christi vigilarent aduersus lupos istos. Bene sciebam hæc non ad Principes laicos, sed ad Episcopos primum referenda. Extat Epistola mea, multorum in manus deuoluta,horum omnium testis,Ista ego feci.

[a] *Quas lege suprà fol. 1. & 76.*

Sed quod nunc vellet reuerendissimus Dominus Legatus tuæ illustrissimæ Dominationi maculam inurere, totiq; sanguini Domus Saxoniæ,& in inuidiam summi Pontificis vocare, Adeo homines hodie credunt Christum esse sepultum, quasi nõ & nunc per Asinam loqui possit, & Apostolis apostolicisq; viris tacentibus,per ligna lapidesq; clamare.

Verum opto,oro,cupio,vt illustrissima tua Dominatio in omnibus adhæreat Ecclesiæ & summo Pontifici,mihi vero in omnibus aduersetur. Nisi id vnum pro me (imo pro sancta veritate, pro Ecclesiæ,& pro summi Pontificis,deniq; pro ipsius reuerendissimi Domini Legati honore,deniq; pro illustriss. tuæ Dominationis fama quoque) supplicet,vt rationes & autoritates appareant aliquando, quibus error meus conuinci putatur. Nam sine his me damnare, neq; tuæ illustrissimæ Dominationi,neq; summo Pontifici, neq; Ecclesiæ,neque reuerendissimo Domino Legato honorificum fuerit. Viuunt fideles, viuit Christus,viuunt vel homines certe,qui iudicent.

QVod vero reuerendissimus Dominus Legatus,illustrissimam tuam Dominationem admonet, vt nisi in Vrbem me miserit, vel eiecerit è Regionibus suis, Romæ causam prosecuturi sint &c. In exilium ire non magnopere abnuo, vt cui vndiq; ab aduersarijs meis insidias parari videam,neque facile usquam tuto degere possim. Quid enim ego miser & humilis Monachus sperem, Imo quid non timeam discriminis? Quid non metuam mali ab æmulis meis? cum

illustrissi-

illustrissimam quidem tuam Dominationem, quamuis tantum Principem, tantum Romani Imperij sacri Electorem, tantum Christianæ religionis cultorem, non dubitent ita insigniter offendere, ut multo meliora merito minari videantur, nescio quam calamitatem, nisi me vel in Vrbem mittat, vel e terris suis eijciat.

QVapropter, ne illustrissimæ tuæ Dominationi quidquam meo nomine mali (quod minime omnium velim) accidat, ecce Regiones tuas relinquo, iturus quo Deus misericors voluerit, & eius diuinæ voluntati me in omnem permissurus euentum. Nihil enim minus sequor, quam ut quisquam mortalium mea causa (nedum illustrissima Dominatio tua) vel in inuidiam, vel in periculum aliquod adducatur. *Valedicit Principi, cessurus Ducatu, ne inuidiam aut periculũ ei cõciliet.*

Quamobrem, illustrissime Princeps, illustrissimam tuam Dominationem reuerenter saluto, eiqꝫ simpliciter uale dico, gratias immortales pro omnibus suis beneficijs erga me agens, Ego enim ubicunqꝫ ero gentium, illustrissimæ Dominationis tuæ nunquam non ero memor, futurus semper sincerus & gratus pro tua & tuorum fœlicitate precator.

Porro, Quod ait reuerendissimus Dominus Legatus, reuerendum Patrem Vicarium abijsse insalutato hospite, Quid hoc ad illustrissimam Dominationem tuam? Vicarius non erat uocatus, nihil ad eum causa ista pertinebat, Poterat ire, redire, abire, uenire, omni hora ut uoluit. An etiam portas Augustæ ingredientibus & egredientibus propter me claudi oportebat? Sed timeo, quod vndecunque corrodatur & queratur causa contra me, Necesse est enim quæri causam ab eo, qui uult habere causam, vbi nullam habet causam.

Sed iam ignoscat illustrissima Dominatio tua uerbosissimis nugis meis. Ego adhuc gratia Dei gaudeo, & gratias ago, quod Christus Dei filius in tam sancta causa me pati dignum iudicauerit.

Qui conseruet illustrissimam Dominationem tuam in æternum, Amen.

XIX. Nouemb, Vuitembergæ, Anno M.D.XVIII.

Illustrissimæ Dominationis tuæ

precator indignus

F. Martinus Lutherus Augustinianus.

EPISTOLA ACADEMIAE VVITEMBERGENSIS AD D.Fridericum Saxoniæ Ducem &c. In causa Lutheri.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI: ET DOMINO, D. FRIDERICO, DVCI SAXOniæ, sacri Romani Imperij Archimarscallo, & Principi Electori, Landgrauio Thuringiæ, & Marchioni Misnæ, Domino nostro gratiosissimo, Gratiam & pacem a Domino nostro Ihesu Christo, cum sui commendatione.

Retulit nobis, illustrissime & clementissime Princeps, venerabilis uir Frater Martinus Lutherus, artium & Theologiæ Magister, nostræ Academiæ nobile & celeberrimum membrum, Quomodo reuerendissimus Dominus Legatus Sedis Apostolicæ, Thomas Tituli S. Sixti Presbyter Cardinalis, illustrissi. tuæ Celsitudini scripserit, & consuluerit, vt eundem ipsum Martinum, vel ad Vrbem mitteret, vel extra terram expelleret, propter quasdam Propositiones a se disputatas, ac iam diu summo Pontifici oblatas. Addiditque, quod & ad publicam sese Disputationem obtulisset, uel ad priuatam in scriptis responsionem, Petijssetque, vt errores sui in scriptis ei signarentur, adiectis rationibus & autoritatibus Scripturæ & Sanctorum Patrũ, quibus illustratus videre & agnoscere posset errores suos, Nullum tamen istorum obtinere potuerit, Sed simpliciter ad Reuocationem male dictorum suorum eum compulsum. Nec ei illud fidele Pastoris officium prius exhibitum esse, quo rationem reddere oportet omni poscenti, & non solum volentibus doceri, sed etiam nolentibus, oportune importune mandatum est instari.

ROgauit itaque atque impetrauit, vt apud illustrissimam tuam Celsitudinem intercederemus & supplicaremus, quatenus illustrissima tua Celsitudo dignetur, ad eundem reuerendissimum Dominum Legatum, vel ipsum summum Pontificem scribere, & gratiose interuenire, vt in scriptis sibi signarentur Articuli & puncta errorum suorum, & adderentur, vel Rationes vel Autoritates, quibus cognosceret sese errasse & sic reuocaret, Nec antea cogeretur damnare Sententias, quam cognosceret esse damnandas. Quum sic antiqua fuerit Ecclesiæ consuetudo, & Patrum sic doceant exempla, vt datis rationibus & autoritatibus,

ritatibus, ad emendationem erroris urgerent, Non autem nuda sua assertione & potestate damnarent ullius dicta.

Nos itaq;, illustrissime Princeps, etsi viri huius petitionem repellere non potuimus, vt iustissimam, narrationibus suis credentes, Tamen ante omnia mirifice placet, quod illustrissimæ tuæ Celsitudini simpliciter, & pure defert honorem sanctæ Ecclesiæ & summo Pontifici, Neque nos unquam aliud sapiemus. Deniq; id addimus, si repertus fuerit hic Homo in aliquo male sensisse, erimus primi, qui eum alienum habebimus, Nihil enim antiquius ducimus iudicio sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Idcirco id solum deprecamur, optime Princeps, & huius nostri studij, nunc Dei fauore, tuaq; opera florentissimi, unicum præsidium, ut illustrissima tua Celsitudo non uelit grauari, & postquam humilime & deuotissime Romanæ Ecclesiæ reuerentiam (vt sine magisterio nostro quam optime facturam scimus) per Literas exhibuerit, huius tandem Hominis petitionem, præsertim ob reuelandam ueritatis puritatem laborantis, non obliuiscatur, sed implorare dignetur lucem ei, quem in tenebris esse dicunt, Quandoquidem non negat sese in tenebris esse, optat vero illud iustissimum Christianisq; dignissimum officium, vt accensa luce, & datis testimonijs veritatis, e tenebris educatur, & non in ulteriores tenebras detrudatur. Non quod speret unquam id facturum sanctissimum Dominum Leonem X. Sed quod malignorum studia formidet, uel sub nomine sanctæ Ecclesiæ moliri, quod Ecclesia quam maxime esset amolitura, si cognosceret.
Dominus Ihesus seruet illustrissimam tuam Celsitudinem, nobis & toti Ecclesiæ suæ fœlicem longissime, Amen.

Vuitembergæ, nono Kalend. Decemb. Anno M.D.XVIII.

Illustriss. tuæ Celsitudinis

Subditi,

Rector, Magistri & Doctores Vniuersitatis Studij Vuitembergensis.

NOVA DECRETALIS LEONIS X. PONTIFICIS MAXIMI: DE INDVLGENTIIS, Anno M.D.XVIII. condita.

IN NOMINE DOMINI AMEN. Vniuersis & singulis præsens transsumptum seu publicum Instrumentum inspecturis, pateat, & euidenter sit notum, Quod anno a natiuitate eiusdem Domini, Millesimo, quingentesimo decimo octauo, inditione sexta, die vero decimatertia mensis Decēbris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Leonis, diuina prouidentia Papæ decimi, anno sexto. Ego Petrus Antonius Berrus Parmensis, publicus apostolica autoritate Notarius, ac in Romano Archiuo descriptus, Constitutus in Lintz oppido, Archiducatus Austriæ, in camera reuerendissimi in Christo Patris & Domini, Domini Thomæ Tituli S. Sixti S.R.E. Præsbyteri, Cardinalis ad Cæsaream Maiestatem &c. Sedis Apostolicæ de latere Legati, sita in monasterio Fratrum Conuentualium S. Francisci, oppidi prædicti ad infra scripta per reuerendissi. Dominum, Dominum Cardinalem, Legatum ibidem personaliter constitutum requisitus, vt exemplum seu transsumptum literarum Apostolicarum, de quibus infra fit mentio, & quarum tenor subinseritur, in forma autentica conficerem, easque transsumerem, & earundem ueram copiam siue transsumptum facerem, & cum originalibus mihi Notario infra scripto per præfatum reuerendissimum Dominum Legatum præsentatis & traditis collationarem, & facta collatione transsumptum, siue copiam huiusmodi in publicam formam redigerem, Quarum literarum apostolicarum post reuerendissimi Domini, Domini Cardinalis Legati earundem insinuationis exordium infra scriptum, tenor subsequitur & est talis:

Thomas miseratione diuina, Tituli S. Sixti, sa: Ro: Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, ad Cæsaream maiestatem &c. Apostolicæ Sedis de latere Legatus, Vniuersis & singulis Dominis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinarijs, Salutem in Domino, sinceræque dilectionis affectum, & præsentibus fidem indubiam adhibere. Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster, Dominus Leo, diuina prouidentia Papa, decimus, suas nobis transmisit literas, cū uera Bulla plumbea cum Cordulis ex Canopo, more Romanæ Curiæ bullatas, sanas siquidem & integras, non uiciatas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus uitio ac suspitione carentes, Tenorem qui sequitur, de uerbo ad uerbum continentes.

LEO

LEO Episcopus: seruus seruorum Dei, Dilecto filio Thomæ tituli S. Sixti, ad charissimum in Christo filium nostrum Maximilianum in Imperatorem electum, nostro & Sedis apostolicæ Legato, Salutem & apostolicam benedictionem.

CVM postquam Circumspectio tua Germaniam applicuerat, ad aures nostras peruenisset, quod nonnulli Religiosi, etiam ad euangelisandum verbum Dei deputati, super Indulgentijs, a nobis & Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris ab immemorabili tempore citra concedi solitis, publice prædicando, multorum cordibus imprimerent errores, idque nobis intelligere nimis graue & molestum esset, Alijs nostris Literis eidem circumspectioni tuæ, de qua propter eius singularem doctrinam & in rebus agendis experientiam specialem, in Domino fiduciam obtinemus, commisimus, vt autoritate nostra approbatione digna approbares, Ea uero, quæ minus recte dicta essent, etiam per eos, qui Rom. Ecclesiæ doctrinam se sequi paratos asserent, reprobare & damnare curares.

Et ne de cætero quisquam ignorantiam doctrinæ Rom: Ecclesiæ circa huiusmodi Indulgentias & illarum efficaciã allegare, aut ignorantiæ huiusmodi prætextu se excusare, aut protestatione conficta se iuuare, sed ut ipsi de notorio mendacio ut culpabiles conuinci, & merito damnari possint, per præsentes tibi significandum duximus, Roma: Ecclesiam, quam reliquæ tanquam Matrem sequi tenentur, tradidisse, Rom: Pontificem, Petri Clauigeri successorem, & Ihesu Christi in terris Vicarium, potestate clauium, quarum est aperire tollendo illius in Christi fidelibus impedimenta, culpam scilicet & pœnam pro actualibus peccatis debitam, Culpam quidem mediante sacramento pœnitentiæ, Pœnam uero temporalem pro actualibus peccatis secundum diuinam iusticiam debitam, mediante ecclesiastica Indulgentia, posse pro rationalibus causis concedere eisdem Christi fidelibus, qui charitate iungente, membra sunt Christi, siue in hac uita sint, siue in Purgatorio, Indulgentias ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum, ac tam pro uiuis quam pro defunctis apostolica autoritate Indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Ihesu Christi & Sanctorum dispensare, per modum absolutionis Indulgentiam ipsam conferre, Vel per modum suffragij illam transferre consueuisse. Ac propterea omnes tam uiuos quam defunctos, qui veraciter

Quam uere rugit hic Antichristus, iuxta Dani. 12. & 2. Thess. 2. collocans se supra Deu.

veraciter omnes Indulgentias huiusmodi consecuti fuerint, a tanta temporali poena secundum diuinam iusticiam pro peccatis suis actualibus debita liberari, quanta concessæ & acquisitæ Indulgentiæ æquiualet. Et ita ab omnibus teneri & prædicari debere sub excommunicationis latæ sententiæ poena, a qua illam incurrentes ab alio, quam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, nequeant absolutionis beneficium obtinere, autoritate apostolica earundem tenore præsentium decernimus.

Et ne quispiam de præmissis valeat ignorantiam allegare, circumspectioni tuæ mandamus, Quatenus vniuersos & singulos Germaniæ Archiepiscopos, Episcopos, & alios locorum Ordinarios, in virtute sanctæ obedientiæ & sub suspensionis a diuinis poena, moneas, eisq; districte præcipiendo mandes, vt præsentes literas siue earum transsumptum, infra tempus per circumspectionem tuam eis præfigendum, in eorum Ecclesijs, dum inibi populi multitudo ad diuina conuenerit, publicare, & circa Indulgentias prædictas supradicta sub simili excommunicationis latæ sententiæ poena tenere & prædicare debeant, Et nullus contra ea quouis modo directe vel indirecte venire præsumat. Tibi nihilominus contra præsumentes & inobedientes procedendi, illosq; debitis poenis, quibus tibi videbitur, puniendi plenam & liberam etiam per præsentes concedimus facultatem, in contrarium non obstantibus quibuscunq;.

Et quia difficile foret easdem præsentes Literas ad singula quæq; loca, in quibus expediens fuerit, deferre, Volumus, & dicta autoritate decernimus, illarum transsumptis manu publici Notarij inde rogati, subscriptis, & sigillo alicuius Prælati seu Personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, vel curiæ ecclesiasticæ, ea prorsus in iudicio & extra, ac alias ubilibet fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si fuissent exhibitæ vel ostensæ. DATVM Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis dominicæ, Millesimo, quingentesimo, decimo octauo, quinto idus Nouembris. Pontificatus nostri anno sexto.

Bembus.

Scriptor Albergatus.

A tergo vero Literarum apostolicarum præfatarum, Registrata apud me Bembum,

Quas quidem

Quas quidem literas Apostolicas cum ea, qua decuit, reuerentia, per nos acceptas debite executioni mandare, & mandatum sanctissimi Domini nostri, Domini Leonis Papæ decimi, nobis in hac parte directum, omniaq; & singula in præinsertis Literis apostolicis contenta reuerenter exequi (vt tenemur) uolentes, Nos Thomas Legatus Cardinalis præfatus, autoritate apostolica, qua fungimur in hac parte, Literas apostolicas prefatas de uerbo ad uerbum præsentibus, fideliter insertas vobis uniuersis & singulis Dominis Germaniæ Archiepiscopis, Episcopis, alijsq; locorum Ordinarijs præfatis, intimamus, insinuamus, notificamus, & quantum fieri potest, ad vestrum omnium & singulorum noticiam deducimus, Monentes uos omnes & singulos Dominos Archiepiscopos, Episcopos, cæterosq; locorum Ordinarios ante dictos, & requirentes primo secundo & tertio, uice ac nomine sanctissimi Domini nostri, D. Leonis Papæ decimi, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub suspensionis a diuinis pœna ac districte præcipientes, quatenus præfatas Literas apostolicas, siue illarum præsens Transsumptum, ac omnia & singula in eis contenta, intra mensem, a noticia præsentium publicetis, adimpleatis, & adimpleri mandetis ac faciatis, & quilibet uestrum adimpleat, adimplerique mandet & faciat, pro vt in dictis Apostolicis literis plenius continetur.

In quorum omnium & singulorum fidem præsentes literas, transsumptũ, intimationem, insinuationem, notificationem & monitionem præmissaq; alia cõtinentes, sigilli nostri minoris impressione fecimus communiri. Et vt efficatiores essent, rogauimus Notarium publicum infra scriptum, vt de omnib. & singulis præscriptis publicum Instrumentum, seu publica Instrumenta conficeret & publicaret.

Quocirca ego Petrus Antonius Berrus Parmen; Notarius supra & infra scriptus, Literas præfatas cũ ea, qua decuit, reuerentia, ad me recipiens, una cum infra scriptis Testibus ad hæc a me specialiter uocatis et rogatis, uidi, legi, et diligenter inspexi, quibus uisis & perlectis, vidimus seu transsumptum, atq; earundem literarum præsentem copiam cum ipsis originalibus diligentissime per me auscultatã in omnibus & per omnia concordare inueni. Ideo transsumptum huiusmodi siue actum autenticum in hanc publicã Formam ad præfati reuerendissimi Domini, Domini Cardinalis Legati instantiam & requisitionem redegi, signoq; & nomine meis solitis & consuetis signaui, Vt eisdem tanquam Literis originalibus vbilibet in locis omnibus & singulis, quibus oportunum fuerit, fides adhibeatur plenaria, & adhiberi possit; ac transsumpto huiusmodi in quocunq; foro siue iudicio & extra stetur, ac si originales ipsæ Literæ apostolicæ apparerent.

rerent. Super quibus omnibus & singulis idem reuerendissimus Dominus, Dominus Cardinalis Legatus, a me Notario publico infra scripto vnum vel plura publicum seu publica confici petijt instrumentum seu instrumenta.

Acta fuerunt hæc in Lintz oppido Archiducatus Austriæ, in Camera præfati reuerendissimi Domini, Domini Cardinalis Legati, sita in monasterio S. Francisci prædicto, Anno, inditione, die, mense, & Pontificatu, quibus supra. Præsentibus ibidem nobilibus uiris Dominis, Hilarione Vrsino nobili Romano, Petro Flauio Aquilano, ac Johanne Caspare Caracciolo Neapolitano, Testibus ad præmissa uocatis specialiter atq; rogatis.

ET Ego supradictus Petrus Antonius Berrus Parmen. publicus apostolica autoritate Notarius, ac in Archiuo Romanæ Curiæ descriptus, quia dictarum Apostolicarum literarum præsentationi, receptioni, requisitioni, transsumptioni, collationi, auscultationi, omnibusq; alijs & singulis præmissis, dum sic, vt præmittitur, fierent & agerentur, una cum prænominatis testibus præsens interfui, eaq; omnia & singula sic fieri vidi & audiui. Ideo hoc præsens publicum Instrumentum manu mea propria scriptum exinde confeci, subscripsi, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, signoq; & nomine meis solitis & consuetis signaui, vna cum reuerendissimi Domini D. Cardinalis Legati præfati minoris sigilli impressione, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum rogatus & requisitus.

Impressum Viennæ Pannoniæ, cum reuerendissimi Domini Episcopi ibidem assensu & voluntate.

Auscultata præsenti Copia, quia illam cum originali concordare inueni, ego Petrus Antonius Notarius, qui supra hic me propria manu subscripsi, sigilliq; præfati reuerendissimi Domini, Domini Cardinalis Legati impressione communiui, in præmissorum testimonium & fidem.

APPELLA-

APPELLATIO F. MARTINI LVTHERI: A PAPA AD CONCILIVM &c.

IN NOMINE DOMINI, AMEN. Anno a natiuitate eiusdem, M.D.XVIII. indictione VI. die uero solis, XXVIII. mensis Nouemb. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Leonis, diuina prouidentia Papæ X. anno VI. In mea Notarij publici, testiumq; infra scriptorum ad hoc specialiter uocatorum & rogatorum, præsentia, Constitutus reuerendus Pater Dominus Martinus Lutherus Augustinianus Vuittembergen. sacræ Theologiæ Magister, ac ibidem Lector ordinarius Theologiæ, principalis, ac principaliter pro seipso, citra tamen quorumcunq; Procuratorum suorum quomodolibet hactenus per eum constitutorum reuocationem, habens & tenens suis in manibus quandam Prouocationis & Appellationis papyri schedulam, animo & intentione prouocandi & appellandi, apostolosq; petendi, dicens, narrans, prouocans & appellans, certis & legitimis de causis, in eadem schedula contentis & comprehensis, ad Concilium proxime & immediate futurum, saltem in Spiritu sancto legitime congregatum, alijs uero congregationibus, factionibus & concionibus priuatis penitus seclusis, protestans aliaq; faciens, prout in dicta Appellationis schedula plenius continetur, habetur & describitur, Cuius tenor sequitur & est talis:

CVM Appellationis remediũ in subsidium & releuamen oppressorum à Iurium conditoribus sit adinuentum, & non solum ab illatis, uerum etiam ab inferendis, & inferri comminatis, grauaminibus, & iniurijs, Iura appellare permittant. Adeo, q; inferior de non appellando ad superiorem statuere non possit, & manus superiorum claudere. Sed cum satis sit in professo, sacrosanctum Concilium in Spiritu sancto legitime congregatum, sanctam Ecclesiam catholicam repræsentans, sit in causis fidem concernentibus supra Papam, euenit, q; nec Papa in causis huiusmodi, ne ab eo ad Concilium appelletur, statuere possit, tanquam id agens, quod ad officium suum non spectet ullo modo, Sitq; Apellatio ipsa defensio quædam, quæ iure diuino, naturali, & humano cuiq; competit, neq; per Principem auferri possit.

Idcirco ego Frater Martinus Lutherus, Ordinis Eremitarum S. Augustini Vuitembergen. sacræ Theologiæ Magister indignus, eiusdemq; ibidem Lector ordinarius principalis, principaliter & pro me ipso, coram uobis Notario publico, tanquã publica & autentica persona, ac testibus hic præsentibus, animo & intentione prouocandi & appellandi, apostolosq; petendi, & accipiendi, præmissa tamen expressa hac & solenni Protestatione, Quod cõtra unam sanctam & Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, quam totius orbis esse magistram, & obtinere principatum non ambigo, sanctæq; Sedis Apostolicæ autoritatem, ac sanctissimi Domini nostri Papæ bene consulti potestatem, nihil dicere intendo, Si quid autem ex lubrico forsan linguæ, sed aduersariorum potius irritamento, minus recte, & non ea, qua debeat, reuerentia dictum fuerit, paratissimus sum illud emendare.

Sed quoniam is, qui uicem Dei in terris gerit, quem Papam dicimus, cum sit homo, similis nobis, ex hominibus assumptus, & ipse (ut Apostolus

dicit) circundatus infirmitate, potens errare, peccare, mentiri, uanus fieri, nec sit exceptus ab illa Prophetæ generali sententia: Omnis homo mendax. Nec S. Petrus, primus & sanctissimus omnium Pontificum, ab hac infirmitate liber fuit, quin noxia simulatione contra ueritatem Euangelij incederet, Ita, ut rigida quidem, sed sanctissima reprehensione Apostoli Pauli opus habuerit corrigi, ut ad Galatas 2. scribitur. Quo nobilissimo exemplo per Spiritum sanctum in Ecclesia monstrato, & in literis sacratissimis relicto, fideles Christi erudimur, & certi sumus. Quod si quis summus Pontifex eadem Petri, uel simili infirmitate lapsus, quid præceperit uel decreuerit, quod contra diuina militet mandata, non solum obediendum ei non esse, uerum etiam cum Apostolo Paulo in faciem ei resisti posse, imo debere, ac uelut per inferiora membra infirmitati capitis, pia totius corporis solicitudine succurri. Et in huius exempli præsentem ac perpetuam memoriam, non sine singulari Dei consilio factum esse, non obscure intelligitur, ut non solum S. Petrus, sed etiam salutaris eius reprehensor Paulus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ iuxta & simul patrocinarentur, & præessent, ne scilicet solum literis, sed sensibili quoque monumento huius summe necessarij ac saluberrimi exempli, assidue moneremur, tam ipsa capita, quam nos membra. Quod si qua potentium ui armatus, tantum præualuerit, ut resisti ei non possit, unum certe illud prædictũ Appellationis remediũ, reliquum est, quo oppressi releuentur.

Gal. 2.

Ad quod & ego Frater Martinus Lutherus prædictus, modo & animo prædictis confugiens, dico & propono. Quod cum diebus superioribus Indulgentiæ à quibusdam Commissarijs (vt asserebant) Apostolicis indiscretissime prædicarentur, in regione nostra Saxoniæ, adeo ut ad exugendas populi pecunias inciperent, absurda, hæretica, blasphema quædam prædicare, in seductionem animarum fidelium, & summum ludibrium ecclesiasticæ potestatis, præsertim de potestate Papæ in Purgatorium, ut continet eorum Libellus, qui summaria institutio uocatur, cum tamen certum sit ex c. Abusionibus, Papam non habere prorsum ullam potestatem in Purgatorium. Deinde una totius Ecclesiæ sententia, omniumque Doctorum consensu, Indulgentiæ sint nihil, nisi remissiones satisfactionis pœnitentialis à suo Iudice impositæ, ut est clarus textus. c. Quod autem. Satisfactio autem pœnitentialis ab ecclesiastico iudice imposita, aliud non sit, quam opera ieiunij, orationis, eleemosynæ &c. Ideoque clauibus Ecclesiæ remitti non possit, quod eisdem non fuerit impositum. Item quod certum est ex distin. xxxv. c. Qualis, quod in Purgatorio non solum pœna, sed & culpa remittitur. Culpam autem Ecclesia remittere non potest, sicut nec gratiam conferre.

Summaria institutio.

Istis autoritatibus nixus, cum disputandi more fuissem reluctatus impuris & insulsis illorum dogmatibus, cœperũt illi, lucri studio furentes, Primũ publicis declamationib. ad populum declarare, me hæreticũ, temeritate impudentissima. Deinde apud sanctissimũ Dominum nostrum Leonem X. per quendã Dominũ Marium de Perusijs, Procuratorẽ fiscalẽ accusare, tanquam hæresi suspectũ. Et per eundẽ Dominũ tandẽ impetrantes Cõmissionem citandi mei in personas reuerendissimorũ dominorũ & Patrũ, Hiero. de Genu. Episco. Asculani, causarũ Cameræ auditoris, & Siluestri Prieria. Palatij Magistri, per eosdem me citari curarũt ad Vrbem, ad personaliter cõparendum.

D. Marius de Perusijs.

Cumque ego nec Vuitembergæ tutus ab insidijs, tantum iter perficere nõ possem, nec Romæ tuto consistere, & pauperculus & imbecillis corpore. Deinde Iudices præfati mihi multis causis fuissent suspecti, præsertim quod R. P. Siluester Aduersarius mihi fuerit. & [c] Dialogũ cõtra me iam ediderat, & in sacris literis minus eruditus, quam ista causa ferre possit. Dominus autem Hieron. in Iurib. quoque plus, quam Theologia doctus, merito timebatur syluestrinæ Theologiæ concessurus, & extra modum suæ professionis hanc rem habere.

[c] Suprà fol. 16. & seq.

Solicitaui

Solicitaui per illustriss. Principem, D. Fridericum Ducem, Saxoniæ, sacri Romanæ Imperij Archimarscallum, Landgrauium Thuringiæ, Marchionem Misnæ, vt causa ad partes committeretur, non suspectis, sed honestis & bonis viris.

Tunc illi crassa quadam & insulsa astutia instructi, apud sanctissimum Dominum Leonem &c. egerunt, ut causa in seipsos, hoc est, in personam R. Domini Thomæ, S. Sixti Cardinalis, tunc in Germania Sedis Apostolicæ Legati, transferretur, vt qui de Ordine Prædicatorum, & Thomisticę factionis, id est, aduersariæ uel primarius, facile speraretur, contra me pro ipsis definiturus, aut, ut uerisimile est, certe ut huius facie Iudicis absterritus, recusarē comparere, & contumaciam incurrerem. Ego tamen ueritate Dei fretus ad Augustam multo labore & magnis periculis ueniens, humaniter quidem à præfato R. Domino Thoma S. Sixti Card. &c. susceptus sum. Qui cū posthabita protestatione mea & obligatione, qua vel publice uel priuatim me responsurum obtuli, coram Notario & testibus, deniq; præsentibus quatuor insignibus uiris, Cæsareæ maiestatis Senatoribus, simulq; subijcerem me meaq; dicta sanctæ Sedi Apostolicæ, & iudicio quatuor illustrium Vniuersitatum, Basiliensi, Friburgensi, Louaniensi, tandem & studiorum Parenti, nobilissimæ Pariensi, me simpliciter ad reuocationem urgeret, nec uellet ostendere mihi errores meos, & quibus rationibus, uel autoritatibus error à me intelligi posset, nimio scilicet suæ factionis fratribus affectus, & iniquitatis faciem assumens, tandem nisi reuocarem, abiectis precibus & uotis discindi, & informationis petitionibus, minas diras ac crudelissimas uigore cuiusdam [a] Apostolici Breuis intentauit, ac ne redirem in faciam suam, imperauit. *Vide supra Acta Augustana 194. b.*

[a] Supra folio 89. b. 90. a.

Quibus grauaminibus læsus, tunc ab eius iniqua & uiolenta præsumptione & prætensa sibi Commissione, appellaui ad sanctissimum Dominum nostrum Leonem X. melius informandū, prout in schedula huiusmodi Appellationis plenius continetur. Nunc vero etiam ista Appellatione (ut dixi) contempta, cum usq; hodie cupiam, nō nisi ut ostendantur mihi errores mei, quicunq; tandem id possit præstare, De quo denuo legitime protestor, paratissimusq; sum reuocare, si quid male dixisse fuero edoctus. Deinde totam Disputationem meam subiecerim summo pontifici, ita vt nec ego amplius aliquid in ipsa facere habeam, quam expectare sententiam, quam & usq; hodie expecto.

Nihilominus tamen, ut audio, & idem reuerendissimus Dominus Thomas S. Sixti Cardinalis, [b] scribit ad illustrissimum Principem D. Fridericum &c. in Romana Curia procedi contra me, & autoritate eiusdem sanctissimi Domini nostri &c. Iudices prætensos causam prosequi in damnationem meam, Non attendentes meam fidelem & superabundantem obedientiam, qua tanta difficultate comparui Augustæ, nec curantes oblationem meam honestissimam, qua me ad responsionem publicam & priuatam obtuli, Deniq; contemnentes ouem Christi petentem humiliter doceri ueritatem, & reduci ab errore, Sed simpliciter nec audita, nec reddita ratione, mera autem tyrannide & plenitudine potestatis urgere ad Reuocationem sententiæ, quam ex conscientia uerissimam iudico, & ad abnegandam fidem Christi & ueram apertissimæ Scripturæ intelligentiam (quantum mea capit conscientia) seducere uolentes, Cum potestas Papæ non contra nec supra, sed pro & infra Scripturæ & ueritatis maiestatem sit, nec potestatem Papa acceperit oues perdendi, in Luporum fauces proijciendi, & in errores errorumq; Magistros tradendi, Sed ad ueritatem (sicut Pastorem & Episcopum, Vicarium Christi, decet) reuocandi. Ex quibus me lęsum, grauatumq; sentiens, cum tali uiolentia uideam futurum esse, ut nullus etiam ipsum Christum audeat confiteri,

[b] Supra fol. 205. b.

 nec

nec Scripturas sacras in Ecclesia sua propria profiteri, atque ita me quoque a uera, sana, christianaque fide & intelligentia, in uanas & mendaces hominum opiniones uiolenter protrudi, & in seductorias populi Christiani fabulas urgeri.

Idcirco a præfato sanctissimo Domino nostro Leone non recte consulto, supraque dictis prætensis Commissione & Iudicibus, & eorum citatione ac processu, & omnibus inde secutis & secuturis, & quolibet ipsorum, ac a quibusuis excommunicatione, suspensione & interdicti sententijs, censuris, pœnis & mulctis, atque alijs quibuscunque denunciationibus & declarationibus (ut prætendunt) hæresis & apostasiæ per eos uel alterum eorum quomodolibet attentatis, factis & molitis, attentandis, faciendis & moliendis, ipsarumque nullitate (suis honore & reuerentia semper saluis) tanquam iniquis & iniustis mere tyrannicis & uiolentis, Nec non a quolibet futuro grauamine, quod mihi ex eo uenire poterit, tam pro me, quam pro omnibus & singulis mihi adhærentibus, & adhærere uolentibus, ad futurum Concilium legitime, ac in loco tuto, ad quem ego, uel Procurator per me deputandus, libere adire potero, uel poterit, Et ad illum, uel ad illos, ad quem, seu quos de iure, priuilegio, consuetudine, uel alias mihi prouocare & appellare licet, prouoco & appello in ijs scriptis, Apostolosque primo, secundo, tertio, instanter, instantius, & instantissime mihi dari peto, Si quis sit, qui mihi dare hos uoluerit & potuerit, & præsertim a uobis Domino Notario, testimoniales, Et protestor de prosequendo hanc meam Appellationem per uiam nullitatis, abusus, iniquitatis uel iniusticiæ, & alias, prout melius potero, optione mihi reseruata, addendi, minuendi, corrigendi, & in melius reformandi, omnique alio iuris beneficio, mihi, ac mihi adhærentibus & adhærere uolentibus semper saluo.

Qua quidam schedula coram me & testibus infra scriptis, ut præmittitur interposita protestatus fuit, & protestabatur expresse se, per se uel Procuratorem, non posse ad eum accedere, a quo extitit appellatum, tum propter metum plurimorum, sibi, & uitæ suæ insidiantium, ac eius, a quo appellauit, tum propter uiarum discrimina. Ideoque petijt sibi à me, Notario publico, cum debita instantia apostolos tales, quales sibi de iure deberentur, dari atque concedi. Cui quidem petenti dedi apostolos tales, quales sibi debentur, uel saltem testimoniales præsenti Instrumento publico extunc exarandos. Super quibus omnibus & singulis petijt a me Notario infra scripto unum uel plura confici atque fieri publicum uel publica Instrumentum uel Instrumenta.

Acta sunt hæc Vuitembergæ, Brandenburgensis Diocesis, Sub anno, inditione, die, mense, & Pontificatu, quibus supra. Regnante Diuo Maximiliano Romanorum Imperatore, hora tertiarum, uel quasi, in capella Corporis Christi, in Parochiali ibidem cemiterio situata. Præsentibus ibidem Christophoro Beehr, Sacris apostolica & imperiali autoritate uice comite Constantien. Et Hieronymo Papiss Curiensis Diocesis Clerico, testibus ad præmissa uocatis rogatisque pariter & requisitis.

BREVIS

BREVIS EXPLICATIO DICTI EX VI. Cap. IOHAN: OMNE quod dat mihi pater. Autore D. Marti. Luthe.

IN Euangelio Iohannis, oportet longe alia, quam in ceteris Euangelijs, intentione, procedere. Nam huius Euangelij vnicus est ille Scopus, vt cognoscamus hominem ex seipso prorsus nihil posse aut habere, Sed tantũ ex diuina misericordia. Hanc autem misericordiam sic tractat, vt eam omnibus modis soli Patri tribuat, soliq; Patri gloriam, laudem, gratias referendas concludant. Et q̃ mirabilius est, in eodem simul textu, sic omnia soli Patri tribuit, vt tamen filio asserat omnia communia, vt quia Filius est Patris, ideo omnia Patris in Filio, solius patris sunt, cuius & Filius est, in quo omnia sunt quae Patris sunt, Et prorsus ineffabili Magisterio describit Patris & Filij aequalitatem & originem. Hinc illa contradictio, Doctrina mea, non est mea. Quomodo sua, non est sua? Et iterum, verba quae ego loquor, non loquor à me ipso, sed Pater in me manens, ipse facit opera. Ita hic.

Omne quod dat mihi Pater, venit ad me (Id est, Nullus venit ad me, nemo cognoscet me, nemo credit in me, nisi donante Patre, Quicquid ergo venit ad me, nõ suo studio, sed Patre miserente venit, vt infra eodem, Nemo potest uenire ad Me, nisi Pater meus traxerit eũ. Item: Erũt oẽs docibiles Dei, id est, non humano magisterio, sed Dei spiritu docebuntur. Sic Isai. 54. Isai. 54. Vnde hoc verbum sumpsit Christus: dicit: Dabo filios tuos uniuersos doctos à Domino. Quod Apostolus 1. Cor. 3. egregie tractans exponit, Neque qui 1. Cor. 3. plantat, neq; qui rigat, est aliquid, sed qui incrementũ dat, Deus, Q: D: Oẽs docemus verbo externo, Sed nisi interne à solo Deo doceantur, non ueniunt ad Christũ. Quare hoc uerbo, superbos & de seipsis presumentes, deijcit Christus, ut salubriter de seipsis desperantes, intelligant, vnde petendum sit, ut ad Christum veniamus, ac sic Deus solus glorificetur de misericordia, indignis praestita, ideo omne q̃ Pater mihi dat, hoc solum, & nullũ aliud, uenit ad me, ideo frustranea est vniuersa praesumptio nostrae virtutis.

Et eum, qui uenit ad me, non eijciam foras, Quia descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, Sed uoluntatem eius, qui misit me, Patris.

Hoc est, non solum hoc totum Patri tribuendum est, q̃ ad me, ipso donante, venitur, sed etiam idipsum, q̃ à me recipitur, & non eijcitur, qui uenerit, non enim nostris uiribus uenimus, Ita multò minus nostris uiribus seruamur, seu perseueramus, Quod aũt hoc Patri tribuendum sit ostendit, Quia non mea sed Patris uoluntate recipio uenientem. Ac sic dulcissime nobis cõmendat Patrẽ misericordiarũ, et in omnibus quę in Christo agi videmus, nos ducit ad amandũ, honorandum, glorificandũ Patrem, ut ne scilicet pedem figamus in humanitate Christi, per quã nobis misericordia exhibetur, sed per eam in inuisibilem Patrem rapiamur, admirantes eum, quem audimus tanta nobiscum facientem per humanitatem hanc Christi.

Et is est unicus & solus modus cognoscendi Dei, à quo longe recesserunt Doctores sententiarum, qui in absolutas diuinitatis speculationes, repserunt, Doctores sententiarum. omissa Christi humanitate, & ideo à magnitudine potentię, Maiestatis, sapientię eius, non potest subsistere anima, in quo studio ego miserrime & periculosissime sum uersatus & multi alij, Ideo repeto, iterumq; monebo. Quicunq; uelit salubriter de Deo cogitare aut speculari, prorsus omnia postponat preter humanitatem Christi, Hanc aũt uel suggentem uel patientem sibi prefigat, donec dulcescat eius benignitas, tunc ibi non sistat sed, penetret ac cogitet, Ecce non sua, sed Dei Patris uoluntate, haec & haec facit, ibi incipiet pla-

cere suauissima uoluntas Patris, quam in humanitate Christi ostendit. Hac uoluntate Deus Pater secure potest apprehendi, & cum fiducia: Ista uia neglecta, nō restat aliud, nisi præcipitium in æternum barathrum, Nam alia uia non uult adiri, cognosci, amari, sicut dicit. Ego sum uia, ueritas & uita, Nemo uenit ad Patrem nisi per Me. Audis absolutam sententiam, Neminem nisi per Christū ad Patrem uenire, In hac uia exercere, & eris breui profundior Theologus omnibus Scholasticis, qui hoc ostium & hanc uiam, non solum ignorant, sed suis infœlicibus præsumptionib. uelut machinis speculationū sibi præcludūt.

Illud uero, Non eijciam foras, iuxta tropum Scripturę, quæ per negatiuas uehementissime affirmat, intelligendum est ita, Non eijciā sed libentissime amplectar, ut sit expressio iucundæ & promptę obedientię Christi ad Patrem, simul & cōmendatio suę dulcissimę charitatis, qua nos donatos à Patre charissime complectatur (modo totum id, non suæ charitati aut uirtuti, sed paternæ uoluntati tribuatur) quem uult per se & in se glorificari & agnosci, Ac si diceret, Etsi ego uos ardentissime cupio & amplector, nolo tamē in hoc uos gloriari, aut sistere, sed vt eum agnoscatis & ametis, cuius optima uoluntate, iussus ego uos ita amplector. Sic enim diligit nō se nec suam gloriam, sed nostrā quęrit salutem & in hac nō nisi laudem & gloriā & amorē Patris, optime nobis uolentis & cōsulentis. Ideo ut hanc optimā Patris uoluntatem sibi demandatā nobis reddat cumulatissime cōmendatā exponit eā dicens.

Hæc est autem uoluntas eius, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.

Vides quare non eijciat uenientem, quia, inquit, ita placet Deo, ne forte mihi detur gloria & in me stetur, sed uoluntas Patris ametur, quæ uult, ut nullum eijciā uenientem ad me, imo non solum nō eijciam sed nec perdā. Videte ergo quam diligat Pater mundum, ut Filio imponat omnia, quibus nō eijciamini aut perdamini, sed seruemini. Quod autem addit, sed resuscitem illud in nouissimo Die, ad confutandam stultam carnis intelligentiam dicit, cum enim hoc diceret, Iudęi de perditione temporalis mortis, eū loqui accipiebāt, Ideo dicit adeo uult Pater ne aliquem perdā sed omnes seruem, ut etiā si corporaliter perditi fuerint, non perdantur, sed adeo seruentur, ut in nouissimo die resuscitentur, Sicut eiusdem Iohan. 11. dicit: Qui credit in Me, non morietur, etiamsi mortuus fuerit uiuet, Ego sum Vita & Resurrectio. Quare nō possunt perdi, qui ad Christū ueniunt, Imo eodem Textu manifeste ostendit, quid uelit intelligi per perditionem, Quia promittit se suscitaturū eos à morte, Ergo morituros pręd icit, & tamen nō perituros, nō enim suscitatur à morte, nisi mortuus, Quare mortui non pereunt illi, sed uiuunt ei omnia.

Si nunc quæras, Quę est ista uoluntas Patris? Quid pręscribit, quo facto ad te uenire & tibi dari, non eijci, non perdi, sed seruari & resuscitari mereamur, Hoc iam ponit dicens.

Hæc est autem uoluntas patris mei, qui misit Me ut omnis, qui uidet filiū et credit in eum, habeat uitā ęternā, et ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Habes nunc quid sit uenire ad Christum, exposuit uoluntatem Patris, quid uelit, nempe uenire ad Christum, est uidere eum & credere in eum & nō eijci, non perdi, uoluntate Patris, hoc est, æternam uitam habere, Voluntas ergo Patris est, ut omnes donati Christo, salui fiant per Christum in æternū.

Magna uerba & alio tempore satis tractata, quod fides Christi satis est ad æternam salutem, non dicit, sic ieiunabis, sic orabis, Hæc & hæc facies, sed crede in Filium, & saluus eris, sic uult pater. Verum ne iterum carnalis sensus uitam existimet dari æternam siue morte corporali, prædicit morituros quidem, sed tamen uitam æternam non amissuros, Quia resuscitandi sunt in nouissimo die. Vides quam Euangelij uerba seipsa exponāt, suasque glosas secum habeant, ut nihil necesse sit aliena & humana miscere.

Hucusque

Hucusque docuit hominem spiritualiter sapere de uita & morte, & omnia accepta Patri referre, nosque nihil ex nobis habere.

Sed nunc vide, & intende animum, quod asserat cõmunem sibi cum Patrẽ diuinitatem & omnia. Omnia dixit volente Patre se facere, ideo non dubiũ, quin Patris opera sint, quæ Christus fecit, sed & ipse eadem opera sese facere protestatus dicit, Et ego resuscitabo eum à mortuis, Certe uitam dare et resuscitare solius Dei est, Cum aũt unum & idem opus sit, manifeste patet, quod Christus uerus Deus & unus cum Patre sit, cum non sint duo Dij, Et tamen cum sese discernit à Patre, tanquam de alio loquens, & filium se nominans, pulchre concludit se a Patre uero Deo, uerum Deum esse, & utrumque non duos, sed unum Deum ęqualis uirtutis, eadem omnia potentem, facientẽ, uolentẽ,

Idem Argumentum, Quod non eiecturum se dicit, non perditurũ, Nam seruare uitam eiusdem est uirtutis, cuius est dare, Pater dat, & Filius non perdit sed seruat, Ergo alius quidem est, sed non diuersus Deus, eadem cum Patre habens ac potens.

Porro maxime omnium probat, Quod dicit, Qui credit in filium &c. Impietas est credere, nisi in unum uerum Deum, & Pater uerus Deus uult credi in Filium, Quid uult, nisi in uerum Deum credi? Non enim gloriã suam dabit alteri, at gloria est, ut credatur in eũ, Nulla enim creatura sufficit, ut possit in se credentem sustentare, aut ei prodesse, Soli Deo enim debetur fides, spes charitas, unde & Theologicæ uirtutes appellantur, Sed addit, Qui credit in filium habeat uitam æternam, Prorsus fides filij non posset uitam æternam prẽstare, nisi ipsemet esset Deus æternus & uerus.

Hæc mi Spalatine, ut ansam latius scrutandi tibi, accipe, Video & ego multa alia, sed non est ocium, ut me totum illis dare possim, occupatissimus enim sum, Horror autem est mihi in Euãgelio Iohannis per otiũ uersari, tantum est ibi inæstimabilis Theologiæ, sum hoc sẽpius expertus, Interim hæc breuiter degustata accipe, & me illustriss: Principi commenda. Vale.

ANNVS RESTITVTÆ SALVTIS M. D. XIX.

LEO PAPA X. DILECTO FILIO DEGENHARDO PFEFFINGER, DIlectissimi Filij, nobilis uiri Friderici Ducis Saxoniæ, Consiliario.

Dilecte Fili, Salutem, & Apostolicam benedictionem. Quanto affectu paternoque amore, sacratissimã auream Rosam, quotannis a Romanis Pontificibus quarta Dominica sacratissimẽ Quadragesimæ consecrari magno mysterio, & alicui ex primoribus Christianorum Regi vel Principi dicari & mitti solitam, hoc anno dilecto filio nobili Viro, Friderico Duci Saxoniæ, utpote suorum clarissimorum Progenitorum more, de nobis & sancta apostolica Sede bene merito, utque posthac magis mereri possit, dicauerimus, ex dilecto Filio Carolo Miltitz, Nũcio cubiculario secreto, ac familiari nostro, & quædam, quæ nos Sedisque prædictæ dignitatem autoritatemque respiciunt, deuotio tua plenius intelliget.

Scientes insuper, & merito quidem, quanta sit deuotionis tuæ apud eundem Ducem gratia, quantiue ille, salubre ac prudens consilium tuum, faciat, Deuotionem ipsam tuã hortamur in Domino, ac paterne requirimus, ut pro sua debita erga nos, eandemque Sedem deuotione & obseruantia, recte consi-

Hinc illæ lachrimæ hinc illa misericordia, mittentes rosam auream.

derans quanto decore, quoue munere eundem Ducem dignum duxerimus. Cõsiderans etiã q̃ detestabilis sit unius Satanæ filij, Fratris Martini Lutheri nimia temeritas, quæ etiam & notissimam hæresin sapit, & tanti Ducis clarum nomen, claram etiam suorum Progenitorum famam denigrare potest, eodem Carolo Nuncio nostro audito, ea eidem Duci suo sano consilio persuadere uelit, Per quæ nostræ & dictæ Sedis dignitati, & eiusdem Ducis decori recte consulatur, & dicti Martini temeritas comprimatur, & error, heu nimium grauis, qui in populo plerumq; nimium credulo ita seminatur, te uno potissimum rem iuuante, teq; bono consultore tollatur.

In quo deuotio eadem tua, Deo Saluatori nostro, cuius causa agitur, rem acceptam, & nobis, qui nihil magis, q̃ zizaniã loliumq; huiusmodi ex agro Domini extirpare pro posse studemus, gratissimã faciet, Pro qua in suis etiam pijs uotis & desiderijs deuotio eadem tua nos Sedemq; prędictam magis sibi propicios inueniet atq; benignos, Pro ut ex eodem Carolo a nobis plene instructo eadem deuotio plenius intelliget. Datum ciuitatis ueteris Viterbien. Diocesis, sub annulo Piscatoris, kalend. Ianua. Anno M.D. XIX. Pontificatus nostri anno VII. Euangelista subscripsit.

MAGNIFICO DOMINO DEGENHARDO PFEFFINGER, ILLVSTRISSIMI SAXONIAE Ducis consiliario, Amico nostro præcipuo.

AGnifice Domine, Amice noster charissime, Cum in præsentia contingat venerabilem Dominum Carolum de Miltitz, sanctissimi Domini nostri Cubicularium secretum, istuc concedere, ob quædam suę sanctitatis negocia, noluimus illum sine nostris ad uestram magnificentiam literis proficisci. Scimus enim, quantum, ob egregias eius virtutes et animi dexteritatem, apud istum illustrissimum Principem valeat & autoritate & gratia, quantumq; semper rebus sanctissimi Domini nostri, & Sedis apostolicæ affecta fuerit.

Idcirco rogamus eandem, velit continuo in eadem sententia permanere, ac nacta occasione, res huius sanctæ Sedis apostolicæ, isti illustrissimo Principi commendare, persuadens excellentiæ suæ, uelit sancta prædecessorum suorum vestigia imitari, qui inimicos sanctæ Romanæ Ecclesiæ vbique persecuti sunt, nec unquam eorum ciuitates & loca incolere passi sunt. Quod etiam istum illustrissimum principem facturum, & sanctissimus Dominus noster, & tota Romana Curia sibi persuadet, Nam illud & ipsius nobilitas & candidissimi mores omnibus pollicentur.

Cæterum ipsum Dominum Carolum uestræ magnificentiæ enixe commendamus, rogantes eandem, uelit illum & negocia sua apud istum illustrissimum Principem fouere. In quo magnificentia uestra, & sanctissimo Domino nostro, & nobis satisfaciet.

Bene valeat, ex Capite Montis, V. Ianuarij. Anno M. D. XIX.

Vicecancellarius.

Breue aliud Leo: X. prorsus eiusdem Argumenti cum proximo ad Degenhardum Pfeffinger. &c.

LEO PAPA X. DILECTO FILIO GEORGIO SPALAtino, dilecti Filij nobilis uiri D. Friderici Ducis Secretario.

TITVLI

TITVLI S. LAVRENTII IN DAMASO PRESBYTER CARD. DE MEDI. S. R. E. MAGNIFICO DOMINO

Georgio Spalatino, Illustrissimi Saxoniæ Ducis Secretario, Amico nostro præcipuo.

Agnifice Domine, amice noster præcipue. Cum uenerabilis Dominus Carolus de Miltitz, sanctissimi Domini nostri Cubicularius secretus, pro nonnullis eius negocijs, ad illustrissimum Principem, Saxoniæ Ducem, se conferat, desiderantes sibi, quo possumus, fauore et auxilio adesse, Visum est nobis magnificentiam uestram, quæ plurimum apud eius excellentiam autoritate & gratia ualet, enixe hortari, Vt non solum eiusdem Caroli rebus fauere, sed eidem in nonnullis, honorem & dignitatem sanctissimi Domini nostri, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ concernentibus, quæ coram melius explicabit, fidem adhibere, & res Ecclesiasticas præfato Principi commendare uelit, per illius excellentiā, prędecessorum suorum more fouendas & tuendas, In quo magnificentia uestra sanctissimo Domino nostro & nobis plurimum satisfaciet, cui nos offerimus, Quæ bene ualeat ex Corneto.

VII. Ianuarij. Anno M.D.XIX.



NNO a natali Christi M. D. XIX. in Germaniam ad illustrissimum Principem D. Fridericum Ducem Saxoniæ, Electorem &c. missus est a Leone Pontifice Romano Carolus Miltitius, natus in familia nobili Misnensi, adferens a Leone X. Rosam, ut uocant, auream, monstratam Romæ Dominica quarta Quadragesimæ, vt consuetudo est ibi. Etsi enim Dux Fridericus non profitebatur se defensorem esse eorum, quæ contra Indulgentias ediderat D. Martinus Lutherus, Tamen nec Iudicem se facere uoluit, nec ui opprimere D. Martinum Lutherum, rebus neq; cognitis neq; iudicatis.

Ideo Leo X. conatus est quibuscunq; officijs & nuncijs missis accendere Ducem Fridericum ad asperiora consilia. Exhibitaq; Rosa Carolus Miltitius querelas & mandata Leonis X. exposuit, & deplorauit discordiæ initia & semina in Ecclesia, & aperte culpam in D. Martinum Lutherum & tecte in Ducem Saxoniæ Fridericum contulit, & magnis obtestationibus petiuit, ut D. Martinus Lutherus opprimeretur. Hęc sępe, rediēs ad aulā Carolus Miltitius, sedulo agebat.

Cum autem deliberaretur de responsione danda Carolo Miltitio, reuerendus D. Martinus Lutherus in ædibus D. Georgij Spalatini Aldenburgi hæc capita responsionis annotauit.

PRimo, Arguendum esse summum Pontificem, & in hunc solum, totam, & summam congerendam accusationem, & omnia argumenta (Quorum quinq; annotauerat Carolus Miltitius. 1. Populum seductum

seductum in opinione Indulgentiarum, 2. Lutherum huius seductionis autorem, 3. Iohannem Tetzel occasionem dedisse Luth ro, 4. Episcopum Magdeburgensem impulisse Iohannem Tetzel ad opus studio quęstus, 5. Iohannem Tetzel excessisse modum impositi operis.) Nam hic pro officio suo debuerat, vel prohibere Episcopum Magdeburgensem, ne tot Episcopatus ambiret vnus, Aut certe gratis (sicut accepit a Domino) ei conferre, Nunc quia & ambitionem illius aluit, & suam auariciam expleuit, tot milibus pro Pallijs & dispensatione, necessitatem fecit Episcopo, pecunias isto modo querendi, & pro Indulgentijs populum Christi fœdissime deglubendi. Atq; in hoc ipsum iam tertia culpa, summus Pontifex eidem consensit.

Ex ista autem necessitate Episcopus coactus est, eum hominem quęrere, qui pecuniarum corradendarum & populorum deglubendorum, per multos annos, exercitatissimus esset artifex, atq; ad aliud nihil vtilis. Hic tandem, vt & Episcopo in uota responderet, sua quoque interim nihilominus curaret, despumauit virtutes iudulgentiarum in eam labem, quam hodie passim orbis abominatur.

Ibi primum populi miserabilem seductionem & exactionem impatienter ferens, inpatientissime uero Florentinorū illorum auariciā, qui simplicis ingenij Pontificem, in quem uoluerunt portum, imo naufragium, impellunt. Nam impudentissimorum illorum auaricia, pene sexcentis Tartaris insatiabilior cognita est. Ideo data aliquando in Romanam auariciam occasione, non inuitus apprehendi, & ea, quæ supra excusa sunt, & quæ subijcientur, contra Indulgentias emisi.

AD LEONEM X.

LVTHERI EPISTOLA.

BEATISSIMO PATRI LEONI X. PONTIFICI MAXIMO, F. MARTINVS Lutherus Augustinianus, Salutem æternam.



BEAtissime Pater, Cogit iterum necessitas, ut ego fex hominum & puluis terræ, ad beatitudinem tuam, tantamq; maiestatem loquar. Quare paternas ac uere Christi uicarias aures huic ouiculę tuę interim clementissime ac cōmodare dignetur Beatitudo tua, & balatū meū hunc officiose intelligere.

Fuit apud nos honestus hic uir Carolus Miltitius, Beatitudinis tuæ Secretarius Cubicularius, grauissime causatus nomine Beatitudinis tuæ apud illustrissimum Principem Fridericum, de mea in Romanam Ecclesiam & Beatitudi. tuam, & irreuerentia & temeritate, expostulans satisfactionem. Ego ista audiens, plurimū dolui, officiosissimum officiū meum tam infœlix esse, ut quod pro tuendo honore Ecclesiæ

Ecclesiæ Romanæ susceperam, in irreuerentiam etiam apud ipsum uerticem eiusdem Ecclesiæ ac plenam omnis mali suspitionē venerit.

Sed quid agam Beatiss. Pater? Desunt mihi consilia prorsus, Potestatem iræ tuæ ferre non possum, & quo modo eripiar, ignoro. Reuocationem expostulor Disputationis, Quæ si id posset præstare, qꝫ per eam quęritur, sine mora ego pręstarem eam. Nunc autem, cum resistentibus & prementibus aduersarijs, scripta mea latius uagentur, qꝫ vnquam speraueram, simul profundius hæserint plurimorum animis, qꝫ vt reuocari possint. Quin cum Germania nostra hodie mire floreat ingenijs, eruditione, iudicio, Si Romanam Ecclesiam volo honorare, id mihi quam maxime curandum video, ne quid vllo modo reuocem, Nam istud reuocare nihil fieret, nisi Ecclesiam Romanam magis ac magis fœdare, & in ora omnium hominum accusandam tradere.

Illi illi, heu Beatissi. Pater, hanc Ecclesiæ Romanæ intulerunt iniuriam & pene infamiam apud nos in Germania, quib. ego restiti, id est, qui insulsissimis suis Sermonibus, sub nomine Beat. tuæ non nisi deterrimam auariciam coluerunt, & opprobrio Aegypti contaminatam & abominandam reddiderunt sanctificationem. Et quasi id non satisfieret malorum, me, qui tantis eorum monstris occurri, autorem suæ temeritatis apud Beat. tuam inculpant.

Nunc Beatiss. Pater coram Deo & tota creatura sua testor, me neqꝫ voluisse, neqꝫ hodie velle, Ecclesiæ Romanæ ac Beat. tuę potestatem vllo modo tangere aut quacunqꝫ versutia demoliri, Quin plenissime confiteor huius Ecclesiæ potestatem esse super omnia, nec ei pręferendum quidquam siue in cœlo siue in terra, præter vnum Ihesum Christum Dominum omnium, Nec Beat. tua vllis malis dolis credat, qui aliter de Luthero hoc machinantur.

Et quod vnum in ista causa facere possum, promittam libentissime Beat. tuę, istam de Indulgentijs materiam me deinceps relicturum, penitusqꝫ taciturum (modo & aduersarij mei suas vanas ampullas contineant) Editurum deniqꝫ in uulgus, quo intelligant et moueantur, vt Romanam Ecclesiam pure colant, et non illorum temeritatem huic imputent, Neque meam asperitatem imitentur aduersus Romanam Ecclesiā, qua ego usus sum, imo abusus & excessi aduersus Balatrones istos. Si qua tādem gratia Dei, vel eostudio rursum sopiri queat excitata discordia. Nam unicū a me quęsitum est, ne auariciæ alienæ fœditate pollueretur Ecclesia Romana mater nostra, neue populi seducerentur in errorem, & charitatem discerent posthabere Indulgentijs. Cætera omnia, ut sunt neutralia, a me uilius æstimantur. Si autem & plura facere potero aut cognouero, sine dubio paratissimus ero. Christus seruet Beatitudinem tuam in æternum.

Promittit silentiū modo Aduersarij taceant.

Ex Aldenburgo III. Martij, Anno M.D.XIX.

EPISTOLA

EPISTOLA ERASMI
AD ILLVSTRISSIMVM D. FRIDERICVM, SAXONIAE DVCEM &c.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI FRIDERICO DVCI SAXONIAE, SACRI IMPERIJ Electori, Erasmus Celsitudini tuæ addictissimus, salutem ac fœlicitatem.

ILlustrissime Princeps, Tametsi mihi nunquam contigit, illustrissimam Celsitudinem tuam intueri coram aut alloqui, quod ego sane non in minima infœlicitatis meæ parte numero, Tamen inflammatus omnium prædicatione, miro consensu, cum eximias tuas dotes, uel summo dignas Imperio, tum mirificum quendam animum erga bonas literas prouehendas, laudibus uehentium, atque in me quoq; peculiariter & eximie propensum, ausus sum Cæsarum uitas per me recognitas, tuo dicare nomini, Nihil aliud uenans aut captans à sublimitate tua, nisi ut ei disciplinarum optimarum studia redderem cõmendatiora, aliquoq; pacto testarer, me tanti Principis ultroneo fauori, mutuo quodã amore respondere.

Porro, quo minus Volumen ad te miserim è Basilea, nam illic opus excusum est, in causa fuit, quod cum iter esset ingens, id enim temporis agebas Vuitembergæ, non dabatur certus quispiam, cui tuto committi posset. Mox uero uisum est superuacaneum, mittere Librum, qui nusquam gentium non esset euulgatus. Libuit tamen interim hasce Literas, uelut exploratrices mittere, quarum indicio cognoscam, grata ne fuerit nostra sedulitas, an secus. Si parum fœliciter cessit audacia, dabitur opera, ut quod hic admissum est errore, alias sarciatur. Neq; dubito, quin singularis illa tua, & nulli non prædicata clementia, culpã eam facile cõdonatura sit, animo sedulo certe propẽsoq;, cui, si iudicium defuit, studium non defuit demerendi magnitudinem tuam.

Sin bene cessit, quod ausi sumus, non aliud officij præmium poscimus, nisi ut pergas fauere melioribus literis, iam passim per nostram etiam Germaniam efflorescentibus, Atq; hanc quoq; laudis partem tuis asserere, quæ fortassis non minus dignitatis sit allatura, uel patriæ uel Principibus ipsis, q; hactenus peperit bellicæ rei gloria. Ea fœlicitas nobis continget, si & Principum benignitas fouebit optimarum literarum Professores, ac iuuenũ ingenia, quę spem non uulgarẽ de se præbere uidentur, & autoritas aduersus μισομούσους istos, ac ueteris inscitiæ tyrannidem, omnia armorum ui pertinacissime tuentes, sit nobis præsidio. Quid enim non moliuntur hostes deuoti bonorum studiorum? quas non technas? quas non Sycophantias? quas non insidias comminiscuntur? quibus non cuniculis conantur obrepere? quas non admouent machinas? quæ non tela in nos torquent lætali ueneno tincta? quæ conspiratio? q; arctum inter istos fœdus ad profligandas literas? quas quia pueri non didicerunt, pudet senes discere? cum minore pene opera discere potuerint, quàm impugnant. Quam hic concordes sunt, qui nusquam consentiunt, nisi ad lædendum? q; hic habent ingenium, ad meliora stupidi? q; hic uigilant, ad bene merendum oscitabundi?

Prodiere

PRodiere nuper lucubrationes aliquot Martini Lutheri, simulq; rumor allatus est, hominem supra modum grauari autoritate reuerendissimi Cardinalis S. Sixti, qui apud Sueuos, Romani Pontificis agit Legatum. Vt hic protinus exilierunt? ut gestierunt? ut gauisi sunt? occasionem, ut ipsis uisum est, maxime oportunam esse datam, lædendi bonas literas? Nam, iuxta Græcorum Prouerbium: Improbis præter occasionem nihil deest, quę uidelicet nocendi facultatem præbeat ijs, quibus adest perpetua nocendi uoluntas. Continuo sacræ apud populum conciones, scholę, conciliabula, conuiuia, nihil aliud crepabant, q̃ hæreses & antichristos. Atq; huic tam odioso negocio, præsertim apud mulierculas & indoctam plebeculam, miscuerunt homines callidi, trium linguarum, eloquentiæ, politiorisq; literaturæ mentionem, quasi aut Lutherus his præsidijs fideret, aut ex hisce fontibus hæreses nascerentur. Hæc impudentia plus quam sycophantica, cum optimis quibusq; displiceret, tamen ut bellum inuentum probabatur quibusdam, qui se Theologiæ antesignanos, & Christianæ religionis columnas existimant. Et uide, quam studio cæci, nostris blandimur uicijs, atrocem contumeliam, imo facinus hæresi proximum ducimus, si quis Theologũ Rabulam, quales sunt non pauci, pro Theologo ματαιολόγον nominet. Ipsi nobis ignoscimus, cum apud frequentem populum, hæreticum & Antichristum uocamus, cuicunq; succensemus. *Lucubrationes aliquot. M. L.*

Lutherus mihi tam ignotus est, quam cui ignotissimus, ut suspectus esse non queam, quasi faueam amico. Huius lucubrationes nec tueri meum est, nec improbare, ut quas hactenus non legerim, nisi carptim. Certe uitam hominis nemo qui nouit, non probat, quę cum longissime absit ab omni suspitione auariciæ atq; ambitionis, & morum innocentia, uel apud Ethnicos fauorem inuenit. Quam non congruit mansuetudini theologicæ protinus, ac ne perlecto quidem libro, tam immaniter debacchari in nomen ac famam probi uiri, Idq; apud imperitam plebeculam, quæ prorsus caret iudicio? Præsertim cum ille disputanda proposuerit, cum omnium iudicio sese submiserit, quorum oportuit, et quorum nõ oportuit. Nemo monuit, nemo docuit, nemo reuicit, Tantum uociferantur hæreticum, seditiosis clamoribus ad lapides prouocant. Dicas eos sitire sanguinem humanum, non salutem animarum. Quo inuisius est hæreseos nomen auribus Christianis, hoc minus committendum est, ut temere in quemquam impingatur. Non statim quiuis error hæresis est, Neq; protinus hęreticum est, quidquid huic aut illi displicet. Neq; semper fidei negocium agunt, qui prætexunt huiusmodi splendidos titulos. Imo, pleriq; suum agunt negocium, uel quęstui suo consulentes, uel tyrannidi. Quin præcipiti lædendi studio sæpe criminantur in alio, quod ipsi domi probant.

Deniq;, cum tot sint ueteres ac neoterici Scriptores, nec horum quisquã adhuc repertus sit, in cuius libris non fateantur inesse periculosos errores. Cur reliquos taciti placatiq; legimus, in unum aut alterum tam atrociter sæuimus? Si ueritati patrocinamur, cur non ex æquo offendit, ubicunq; reperitur, quod ueritati repugnat? Sanctissima res est, fidei religionisq; sinceritatem tueri, sed sceleratissima res est, prætextu defendendæ fidei, nostris seruire cupiditatibus. Si quidquid in Scholis receptum est, oraculum haberi uolunt, cur inter se Scholæ dissentiunt? cur scholastici Doctores inter sese pugnant ac digladiantur? Imo, cur in eadem Sorbona Theologus à Theologo dissentit? Imo, perpaucos reperias, qui consentiant, nisi conspirarint. Ad hæc, non raro deprehenduntur damnare in recentium libris, quod in Augustino aut Gersone non damnant, quasi ueritas cum autore mutetur. Eos, quibus fauent, sic legunt, ut omnia torquentes nihil non excusent, Quibus infensi sunt, sic legunt, ut nihil non calumnientur.

RESPONSIO DVCIS FRIDE:

Optima Christianismi pars est, uita Christo digna. Quædum suppetit, non debet esse facilis hæreseos suspitio. Nunc quidam noua comminiscuntur fundamenta, sic enim uocant, hoc est, nouas leges condunt, per quas docent, hæreticum esse, quidquid non placet. Quisquis alterum hæreseos accusat, ipse præstare debet mores Christiano dignos, charitatem in admonendo, lenitatem in corripiendo, candorem in iudicando, lenitudinem in pronunciando. Cum nemo nostrũ careat erratis, cur alienos lapsus tam inclementer insectamur? cur malumus uincere, quàm mederi? cur opprimere, quàm docere? At ille, qui solus omnium omni caruit errore, non comminuit baculum confractum, nec extinguit linum fumigans. Augustinus de Donatistis plus quàm hæreticis agens, non uult eos cogi, sed tantum doceri. Et ab horum ceruicibus magistratuum gladios depellit, quorum sicis ipse quotidie impetebatur. Nos quorum proprium munus est docere, cogere malumus, quia facilius.

Hæc, illustrissime Dux, eo scribo liberius, quo minus ad me pertinet causa Lutherana. Cæterum, ut tuæ Celsitudinis est, Christianam religionem pietate tua protegere, ita prudentiæ est, non committere, ut quisquam innocens, te iusticiæ præside, sub prætextu pietatis aliquorum impietati dedatur. Vult idem Leo Pontifex, cui nihil magis est cordi, quam ut tuta sit innocentia. Pater uocari gaudet, nec amat eos, qui sub ipsius umbra tyrannidem exercent. Neque quisquam magis paret animo Pontificis, quam is, qui quod æquissimum est, exequitur. Quid istic de Luthero sentiant, nescio. Certe hic uideo libros illius ab optimis quibusque cupidissime legi, Quanquam mihi nondum uacauit euoluere. Bene ualeat eadem tua Celsitudo, quam nobis diu incolumem fœlicem, florentemque seruet Christus optimus maximus.

Multæ admodum sunt Epistolæ Erasmi, in quibus mentionem facit causæ Lutheri, Qui eas uolet legere, euoluat opus Epistolarum eius.

Antuerpiæ XVIII. kalend: Maias
Anno à Christo incarnato M.D.XIX.

PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE DVCIS
Friderici Responsio ad Erasmum Roterodamum.

DEI GRATIA FRIDERICVS DVX SAXONIAE, SACRI ROMANI IMPERII Archimarscallus, Princeps Elector & Vicarius, Landgrauius Thuringiæ, & Marchio Misnæ, .S P.

Vamuis non dubitemus, Erasme eruditissime, te ex literis nostris, Iodoco Ionæ ad te nuper proficiscenti, datis, plane cogniturum, tuam erga nos singularem istam beneuolentiam, vt alioqui, ita in dedicatione Suetonij & aliorum historicorum illustrem, nobis esse gratissimam, Respondendum tamen tuis existimauimus,

mauimus, ad nos Antuerpiæ XVIII. Calend. Maias scriptis, cum ob alia non pauca, tum quod eruditissimæ simul & elegantissimæ tuam erga nos synceram & veram Christi eruditionem & euangelicam veritatem studium & amorem pientissimum iam pridem nobis exploratum fecerunt perspectiorem.

Est, vt scribis, mira osorum melioris doctrinæ conspiratio in id solum idonea, vt bonis, pijs, & probe literatis noceat.

Non damnari ab eruditis causam Lutheranam, & Doctoris Martini lucubrationes ab optimis quibusq; istic, cupidissime legi, lætamur. Eoq; magis, quod plerique bonorum & eruditorum in nostris quoque Regionibus & Principatibus, nedum externis, hominis tam uitam & mores, quam eruditionem, miro cõsensu laudant. Quod enim hactenus in Saxonibus nostris degit, non tam homini, quam causæ dedimus, Nihil minus unquam conati, quam ut dignos premijs poena premeret. Neque Deo omnipotente iuuante committemus, ut nostra culpa innocens quispiam sua quærentium impietati dedatur.

Ad hæc, Deo Autore, bonis literis & rectis studijs, & eorum tam Professoribus quam studiosis, non minus in posterum fauebimus, quam hactenus fauimus. Id quod pro præcipua nostra erga te gratia latere te noluimus in præsentiarum. Bene uale, doctissime Erasme.

Ex Arce nostra Grimnensi, Pridie Idus Maias. Anno M. D. XIX.

EPISTOLA F. MART. LVTH.

VENERABILIBVS PATRIBVS ET FRATRIBVS CONuentus Iutterboccensis, Ordinis Minorum.

Obiurgat rudes & ignauos suæ Doctrinæ censores.

Alutem & pacem. Oblatæ sunt mihi duæ Schedulæ, uenerabiles Patres, quarum una ad Reuerendiss. D. Episcopum, Dominum nostrum gratiosum Brandenburgensem, à toto Conuentu missa, meum nomen fœdissime conspurcat, & aliquot Propositiones uerissimas impudenti temeritate arguit erroneas esse. Ego sane fui satis admiratus, quod uos, qui obseruantiæ titulo inflammini, & populi uos Saluatores iactatis, & tunicæ inconsutilis zelatores, adeo fueritis obliti Euangelij, vt non ante Fratrem monueritis, inter te & ipsum (vt inquit) solum, ac magis uoluistis detractores alieni nominis, tum, quod fœdius est, iudices alienæ sententiæ, autoritate propria fieri. Est ista superbia & petulantia, religionis uestræ & obseruantiæ modus? *Matth. 18.*

Verum, ne reddam malum pro malo, optionem uobis do, Aut reuocate hanc temeritatem, & reddite mihi nomen meum, Aut ego publicabo per impressuram hanc uestram Schedulam, adiecta cõfutatione uestræ ignorantiæ, quod non erit honorificum Ordini uestro. Vos, qui, uestræ Obseruantiæ ritu, studia contemnitis, & literas sponte vultis nescire, sed tantum uisionibus & cogitationibus vestris populum occupare, decebat, vt sileretis, & alios studere permitteretis. Mea doctrina tribus annis in Vniuersitate nostra assidue est agitata, discussa & iudicata, disputando, legendo, docendo, prædicando, scribendo, cum acutissimis & diligentissimis uiris, necdum inuenta reproba. Et nunc post fornacem vestri Conuenticuli, ab vno aut duobus stertentibus Fratribus, qui Magistrum forte viderunt aliquando, & cognouerunt nunquam, debet hæretica damnari? Videte, ne uos inueniamini hæretici, & omnino tales, qualem me & meos criminati estis. Mihi non erit difficile (Deo propicio) defendere mea dicta contra vos, Sed vobis interim & Ordini vestro parcam, donec audiam, quid sitis facturi.

Omitto, quæ Lector vester Bernhardus, caput ineptissimum, blaterat, ad vicarium Episcopi, de scissura inconsutilis tunicæ. Quasi Ecclesia ideo sit peritura, si Thomas aut Bonauentura repudientur. Quis seruauit Ecclesiam, antequam Thomas & omnes Monachi essent in rerum natura? Deinde homo suauis Disputationem priuatam se habuisse confitetur, in qua solemus libere & familiariter loqui, & tenere quæ etiam non prædicaremus. Et nihilominus hanc ipsam Detractor iste in accusationem vertit, & nobis imponit, quod Laici querunt: Vbi in Euangelio dicatur de confessione & ieiunio? Videte hunc venenatum insidiatorem. Cur non & alias quęstiones Laicorum mihi imponit, aut etiam vetularum crepitus? Verum, vt dixi, Accipite aut Pacem aut bellum, vt volueritis. Attamen, vt superabundanter agam, breuibus hic Rationem signabo coram eorum, quæ cum Lectore vestro audio fuisse disputata.

PRimo dicitis fuisse dictũ, ꝙ Deus præceperit homini impossibilia. Respondeo: Cur ergo Paulus Rom. 8. dicit, fuisse impossibile, non tantum nobis, sed etiam Legi, vt iusticia fieret? Ideo necesse fuisse, ut Christus moreretur? Legite B. Augustinum de perfectione iusticiæ, & inuenietis vos potius *Rom. 8.* *B. Augustinus.*

vos potius

uos potius errorem schismaticum & pestiferum docere, quando negatis, homini esse impossibilia praecepta. Aut dicite, Si sunt possibilia, ad quid necessaria est gratia? Aut illuditis & irridetis misericordiae Dei beneficium?

Deniq; cur oratis: Fiat uoluntas tua, si per uos potestis facere uoluntatem Dei? Pudet me tam crassae uestrae temeritatis, q hanc Christianissimam doctrinam, appellatis pestiferos & perniciosos errores.

SEcundo errorem dicitis, q Deus exigit a quolibet Christiano summam perfectionem & totum Euangelium.

Primum quero ab insigni uestra prudentia, quibus sit Euangelium datum, lapidib. an lignis? Si hominibus, Cur ergo non tenentur praecepta Dei tenere, quando Christus dicit, Ne unum iota praeteriturum? Doleo miro modo uos Inconsutilistas & Tunicastros sic desipere, ut negetis homines esse debitores seruandae uoluntatis & praeceptorum Dei. Et nunc demum dubitandum ac disputandum sit, An obedire oporteat praecipienti Deo? O furor. Igitur omnes debemus totum Euangelium & omnia praecepta, Sed quia nō possumus, Ideo sumus peccatores, & currimus ad thronū misericordiae Dei. Haec est B. Augustini sententia in tota parte octaua. Vos autem homines à misericordia trahitis ad iudicium, dum non sinitis eos sese agnoscere peccatores & praeceptorum Dei debitores.

Math. 5.

Inconsutilistae.

Tertio, quod nulla sunt Consilia, sed omnia Euangelij sunt praecepta. Haec inuidia & nequicia uestra mentita est. Illi enim sic dixerunt: Praecepta sunt ultra Consilia, Et: Praecepta sunt plus q̄ cōsilia, Quia consilia sunt quaedam media, quibus facilius implentur praecepta. Vt uirgo & uidua aut celebs facilius seruat praeceptum: Non concupisces, quam coniugatus, qui concupiscentiae aliquo modo cedit.

Quarto, Quod Canones docent, luxuriam, auariciam, superbiam, Et q sunt contrariae Scripturis sacris. Et hoc Leuiathan uester sic addidit & peruertit. Nihil enim recte accipit unquam inuidia. Illi dixerunt, q Canones & Decretales olent seu sapiunt aliquando superbiam & auariciam, hoc est, q ij, qui statuerunt, aliquando quęsierunt quae sua sunt, plus q̄ charitatem. Hoc uos dicitis docere superbiā. Rogo uos: Non potest superbus & auarus praedicare ueritatem, & tamen sic praedicando olere, quaerere lucrum? Sicut uos in hac Schedula, etiam si uera dixissetis, tamen fraternam inuidiam & asininam inscitiam olerent uestra uerba. Deinde hoc uerum est, q Canones saepissime abutuntur Scripturis, & torte exponunt in alium sensum q̄ suo loco habent.

Et quid hoc mirum? Nonne & uos tunicam inconsutilem & Ecclesiae unitatem hic accepistis in cōtrarium sensum? Sed pro uestra stulta opinione, sine qua Ecclesiae unitas recte stabit, legite C. translato. de constitutione lib. 1. & uidete, an recte ibi Papa dicit, Sacerdotium Christi in Petrum translatum, quod Apostolus ad Ebraeos de sacerdotio Aaronis in Christum dicit.

Sed uos nec legitis quidquam, multo minus intelligitis, & adhuc iudicare uultis de doctrinis. Idem de libero arbitrio, quod nullum est teste B Augustino. Non enim potest nisi malum facere, nunquā autem bonum, nisi gratia adiutum. Ergo se solo non est liberum, sed seruum peccati, ut Augustin. libro 2. contra Iulianum docet. Sed rogo uos, cohibete temeritatem uestram, ac desistite ab insulsis uestris somnijs, nimis nihil sapitis in doctrina Christiana. Estote pro uobis Sermocinistae, Sinite nos doctores sanctos legere.

Liberum arbitriū.

August: contra Iulianum.

Quinto, Quod Laico habenti autoritatem (Scripturae) plus sit credendum, q̄ Papae, q̄ Concilio, imo q̄ Ecclesię. Hoc etiam Iuristae docent, vt Panormitanus c. Significasti. Et adeo est catholicū, ut Augustinus in mul-

tis locis hoc pro Regula habeat legendi Autores. Nec fuit ullus tam fœdus hæreticus, qui hoc negaret, nisi noui isti hæretici omnium temerarijssimi Iuterboccenses Obseruantini, qui fronte sua meretricia, sacratissimas Patrum doctrinas, quas nunquam legerunt, pronunciant pestiferas, absurdas, alienas à catholica doctrina. Nonne hæc est in Spiritum sanctum blasphemia?

Sexto, Quid Thomas prædicarit, nescio, nisi quod iterum uideo uestram maliciam prodere seipsam. Nam cum ille in generali Prælatos carpserit Papas & Episcopos, quod utique non solum licet, sed etiam debet fieri, nisi Scripturas uelitis negare & prohibere, ubi Christus fures, latrones, lupos reprehendit. Vos autem ei audetis pro culpa imponere. Quod tunc recte fecissetis, si ille aliquem nominasset indiuidualiter. Nunc autem detractatores & calumniatores estis, quia nihil legitis nec intelligitis. Quidquid autem allegatis, totum secundum cerebrum uestrum accipitis & secure pronunciatis, Quando satisfacietis illi & nobis pro tam graui detractione?

Septimo, iterum uos proditis, dum Magistrum Franciscum accusatis, quod de literis Cõfessionalium docuerit stuppæ retiaculum facere, & prohibuerit bona opera, confessionem & ieiunia. Nec pudescitis ipsi uos fateri, quod talia ipse negauit uobis. Vos autem ad detrahendum accensi, accusatis eum de ijs, quæ ignoratis, quæ ipse negat, quæ aliorum relatu audistis. O intolerabilem & pestilentem temeritatem. Cur non expectastis, donec sciretis? Cur non os uirulentum cohibetis, nec ei neganti magis creditis publice, quam alijs narrantibus? Est ista charitas uestra? Didicistis hoc ex Regula uestra? Quid faceretis, si & nos publice uos accusaremus de magnis horrendisque monstris, quæ uulgo de uobis iactantur? Nouus mos accusandi ex aliorum relatu, ex propria suspicione, ex temerario iudicio Fratrem negantem, nec conuictum accusare.

Si Laici quærunt de ieiunio aut confessione ex Euangelio, recte faciunt. Et uos tenemini ad responsionem, debetis enim scire Euangelium. Si non potestis respondere, desinite ijs, qui possunt, detrahere.

Vltimo, Quod Lector nunc negauit Papam solum esse Vicarium Christi, Et Petrum esse principem Apostolorũ in potestate, Et, nullũ esse casum reseruatũ iure diuino, recte dictũ est. Sed, vt uideo, nescitis, quid sit ius diuinum uel ius humanum, & estis in utroque iudices cum fiducia, iure diuino (ut D. Hieronymus multis locis probat) Apostoli omnes sunt æquales, Episcopi omnes sunt æquales. Imo addit idem Hieronymus, Quod Presbyter & Episcopus iure diuino sunt idem. Quid hic facietis? An Hieronymũ comburetis? An ipse quoque tunicam inconsutilem scindet uobis? Legite eũ in Epistola ad Euagriũ, & in cõmentarijs ad Titum et Ephesios, Et uidebitis uestrã negligentiam & temeritatem. Igitur Papa solum humano iure est Vicarius Christi, sicut etiam Romę scriptum est in Ecclesia, matre omniũ, Lateranensi.

Epistola Hieronymi ad Euagrium.

In fine expecto uestram Responsionem quantocius, ut sciam, an ceruices uestras uelitis inclinare, an erectis contra ueritatem pugnare. Ego, ne dubitetis, uos egregie tractabo, & omnibus exponam miram uestram sapientiã. Bene ualete, & Dominus det uobis recte sapere & uelle, Amen. Si uultis esse amici, ero gratissimus, Sin non uultis, Age facite quod facitis. Ego nomen meum & uerbum Christi non deseram, credite firmiter.

Vuitembergæ Dominica Iubilate,
Anno M. D. XIX.

F. Martinus Lutherus
Augustinianus.

ARTICVLI

ARTICVLI A FRATRIBVS MINORITANIS IVTTERBOCCENSIBVS DOCTORI Martino Luthero adscripti.

I Nihil tenet de Concilijs generalibus, Quia non repræsentant vniuersalem Ecclesiam.

II Papam negat Vicarium Christi.

III Petrum negat Principem Apostolorum.

IIII Canones dicit institutos propter auariciam summi Pontificis & aliorum Pontificum, Quia nullus esset Casus reseruatus de iure diuino.

V. Nulla dicit esse Consilia euangelica, sed omnia, quæ in Euangelio sint, dicit esse Præcepta.

VI Dicit etiam, Quod Deus exigeret summam perfectionem a quolibet Christiano, & obseruantiam totius Euangelij.

VII Confessionem sacramentalem dicit non esse de iure diuino, sed ex institutione Innocentij III.

VIII Canones dicit docere auariciam, superbiam, luxuriam.

IX Hominem dicit non habere Liberum arbitrium.

X Multos Canones contrarios sacræ Scripturæ, eamque extorte exponentes.

XI Quod plus sit credendum simplici Laico, Scripturam alleganti, quam Papæ vel Concilio Scripturam non alleganti.

XII Dicit non esse necessaria bona opera.

XIII Deum præcepisse homini impossibilia.

XIIII Christus nihil sibi meruit, sed tantum nobis.

XV Bohemos esse meliores Christianos nobis.

CONTRA MALIGNUM IOHANNIS ECCII IUDICIUM: SUPER ALIQUOT ARTICULIS, a Fratribus quibusdam ei suppositis, Martini Lutheri Defensio.

Errores item hæretici XXIIII. ex Eccij Fratrumq; dogmatibus consectanei.

MARTINUS LUTHERUS PIO LECTORI, S.



LEgimus in Euangelio, Iudæos, quãdo Christum perdere quærebant, nec haberent in quo accusarent, verba eius captasse, atq; deprauasse, & crimina aduersus eum mendacijs suis composuisse. Quale est, cum reddenda quæ sunt Cæsaris Cæsari docuisset, Quod homicidæ illi in aliam partem rapientes, criminati sunt, eum prohibuisse, tributa dari Cæsari. Ita, cum illos templum suum soluturos prædiceret in signum, Illi templum Dei ab eo soluendum & in triduo reædificandum interpretantes, tanquam Blasphemum accusarunt. Matth. 22

In tales & ego, mi Lector, nouos quosdam Sanctos nuper impegi, qui eadem inuidia languentes, cum Christi uerbis, per me expositis, resistere non possent, cœperunt mendosos aliquot Articulos effingere, mihiq; adscribere, vt ipsos ueros damnarent.

Et, ut totam noscas Fabulam, Sunt nobis finitimi quidam Fratres, qui, cum auditoribus meis ad se vocatis, familiariter congressi, priuato colloquio super doctrina mea contenderunt (nam, ut sunt homines de Deo penitus desperantes, fame se perituros timent, nisi populum suis nænijs ac fabulis, uel a se, uel suæ farinæ Fratribus excogitatis, sibi conciliarent) Quos cum neq; conuincere, neq; eorum doctrinæ resistere possent, collegerunt Articulos, quos ex eo colloquio male apprehenderant, sparserunt eos ubi poterant, obtulerunt sub nomine meo Magnatibus, ac iam vulgo quoq; me traduxerunt.

Ego, qui eorum ruditatem miseratus, hæc floccifeci, sciens, q; non modo citra, sed contra quoq; voluntatem suorum, tum Maiorum, tum omnium, qui eiusdem Professionis sunt, id tentarunt. Scripsi tamen eisdem, primum beneuole monens, ut sibi temperarent, ne forte incendium nouum contra seipsos conflarent. Aut si fiderent suo ingenio & scientiæ, proximã sibi Vuitembergam uenirent, disputaturi, ac confutaturi errores meos, Simul addidi, qui essent falsi, & qua ratione quiq;

intelli-

intelligendi. At Fratres, non hoc quærentes, quo veritatem agnoscerent, sed quomodo me detractionibus & calumnijs opprimerēt, sperauerunt fore, vt Ecciana autoritate ex mendacijs veritatem facerent, & quod male ac temere tentarant, illius nomine publice ornarent.

Eccius vero occasionem aduersus me insaniendi libentissime pro modestia sua amplexus, informationes effutiuit super eosdē, velut gaudens ac gratulans, q̄ me proscindere in tergum, neque monitum, nec cognitum liceret. Huc enim maligna eius inuidia ab initio nominis mei semper spectauit, Similem namq; ludum & in virulentis, Obeliscis suis iam antea in me luserat, quem ego iam diu beneuolentissime, nisi ei ignouissem, talem forte orbis Eccium spectaret, vt Siluester meus eius comparatione, & doctissimus, & speciosissimus haberetur. Nam mihi non est difficile, Eccium eccianamq; scientiam suis pingere coloribus, qui norim hominem intus & in cute, qui, vt lupus ad Philomelam dixit: Vox est, ac præterea nihil.

Ego vero, etsi indignior sum, quam ut his Christi Domini mei tentationibus conformer, qui inferna millies merui, Tamen quando sic placitum est in oculis misericordiæ Dei, non abijciam gratiam eius, & cum inuidia inuidisq; ac maleuolis calumniatoribus, libenter negocium habebo, non minore fiducia veritatem contra mendacia defensurus, quam illi præsumpserunt mendacia contra veritatem producere.

Quare, te Lector charissime, rogo in hac re, nec mihi, nec Eccio, nec Fratribus illis faueas, sed puræ & simplici veritati, purum & a studijs partium alienum animum aduerte, solumq; id specta, non q̄ multa illi vel ego adduxerimus, sed quam apte, quam proprie, vel ad sacram Scripturam, vel ad iustam rationis opinionem. Quod a te hoc nomine q̄ enixe peto, quod mei moris sit, non adeo multa, sed eadem proprie & quantum fieri potest, apte ad rem adducere. *Eccij scopus.*

Eccij contra, vnicus scopus sit, quam plurima, eademq; tum peregrina, tum pugnantia producere, solum vt multa saliua coacta, multum spuat, nulla prorsus ratione habita, unde, qua, quid aut quo ualeat quod loquitur, Neq; enim mihi in istis Sophistis aliud æque displicet, quam quod dedita opera, a uerbis sacræ Scripturæ fugiunt. Quorum vnus mos est dicere: Sancti sic dixerunt, Nunquid tu maior es Patre nostro Abraham?

Dictum Augustini. Tu vero, Lector, illud Augustini utrinq; adhibeto fidelissimum documentum, quo dicit: Ego solis eis libris, qui Canonici appellantur, hunc honorem deferre didici, vt nullum Scriptorem eorum errasse firmissime credam, Cæteros vero, quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, ita lego, vt non ideo uerum existimem, quia

ipsi sic

ipsi sic senserunt, sed si Canonicorum librorum autoritate, uel probabili ratione mihi persuadere potuerunt. Hoc est, quod B. Paulus quoq; dicit: Omnia probate, quod bonum est tenete. 1. Thes. 5.

Has Sancti spiritus regulas Eccius meus semper & egregie contempsit, verba textus in sacris literis prorsus pro fabulis habens, Quo fit, vt neq; Scripturas ipsas, neque Patrum, quos iactat, sententias, recte possit aut intelligere aut aptare, & hac temeritate impleat illud Pauli 1. Timo. 1. Volentes esse legis Doctores, cum ignorent, neque quid loquantur, neq; de quibus affirment. 1. Timo. 1. Quæ omnia, an vere de Eccio dixerim, iam ecce tu ipse Lector, clare uidebis.

Cæterum, q in Eccium mihi inuehendi digna esset occasio, qui pactum, quod tanto tumultu nobis Lipsiæ extorsit, ipse primus maledicæ scriptionis genere, sine causa rupit, interim dissimulabo, contentus, q fœdifrago & maledico calumniatori coactus sum respondere, gaudensq;, q non mihi, sed suæ temeritati imputare cogitur, pacti læsa iura. Vale optime Lector.

ARTICVLVS I.

Nihil tenet de Concilijs generalibus, quia non repræsentant uniuersalem Ecclesiam.

HVNC non esse meum, credo intelligit, quicunq; Resolutiones meas & Dialogum contra Siluestrum legerit, Quando id unice deploro ac gemo, nos dignos non esse uidere legitimum Concilium. Vt taceam, quod ipsa fraternalis latinitas, à tropo meæ locutionis abhorrens, satis indicat, inuidiæ commentum esse. Sed Eccius, si boni uiri uoluisset officio fungi, Fratres compescere debuit, aut Fratrum Mercurios, & sententiam meam (quam utiq; nouerat) ostendere. Nunc uero, ut ostendat se gaudere alienis malis, addit super dolorem uulnerum, & uirulenta [a] Fratrum mendacia confirmat, eo ipso, quo non compescit, præsertim non audita parte altera. Certus enim sum, hoc nolle ipsum à me sibi fieri, quod ipse facit mihi. Neque patiar eum se expurgare, quod meam personam non designatam à se forte dicet. Non enim alio studio nomen meum his suis laruis ineptissimis interseruisse credi potest, q ut hæc monstra mihi inureret, tantus est homini ex maledicta gloria inuidiæ morbus.

[a] Minoritarum in Iuterbock.

Credo autem auditores meos forte dixisse, Concilium generale sæpius errasse, & errare posse, tum q rara sunt Concilia illa legitime generalia, quale Nicenum fuit, hoc enim dicentes, uerissime dixerunt. At illi pro rusticitate sua, ex particulari mox intulerunt uniuersalem, omne uidelicet Concilium reprobatum assumentes. Hoc autem eo facilius credo, quod multa similia mihi ab eisdem impacta sunt, Nam cum docerem opera quædam bona male fieri, mox criminati sunt, quod omnia opera bona negarim. Et cum Sanctos inuocari pro pecunia & re temporali, parum Christianum esse docuissem, statim inuidia magistra iactauerunt, me cum Pighardis negare Sanctorum culturam, Adeo his eccianis Theologis placet error, & populi Christiani seductio, ut eos pro uentre suo non pudeat etiam apertæ ueritati resistere. Ita Concilium

Concilium quodlibet negari à me mentiuntur, ubi aliquod vnum, vel errasse vel errare posse dixi, Digni plane discipuli Eccio magistro.

II.

Papam negat Vicarium Christi.
Petrum negat principem Apostolorum.

HIc vide, quæso te lector, an Eccium meum debeas Theologum an Sophistam existimare.

Primum fraternalis inuidia, articulos non integre posuit, omittens hanc partem (iure diuino) nam si hanc addas, catholici sunt articuli.

Sed Eccij videamus inæstimabilem, & uere eccianam eruditionem, Assumens enim articulos confutandos, iure diuino, multam sane euomit probationum crapulam, autoritates Scripturæ & Patrum sic tractans, ut appareat à conuiuio, & à calicibus hanc crapulam ab eo eructatam.

Matth. 16. PRImo probat ex promissione Petro facta, Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo &c. Hoc est iuxta Eccium, Tu es Vicarius Christi, & Apostolorum princeps, Iste est enim modus Scripturæ interpretandæ apud Eccium. Neq; enim aliter decet eum, qui Grammaticam insigni fastidio contemnens, Grammatistas & puluerulentæ scholæ Magistros appellat, qui suas lamias in sacris literis non adorant. Sed videamus Sophistæ impias uerborum Christi deprauationes. *Tu es Petrus.*

PRincipio hoc verbum Christi: Tu es Petrus &c. oportet quod habeat unum, primum, principalem, & proprium sensum, in quo Christus ipsum protulit, Hic aũt, vel est iste, Quod per petrã intelligitur Christus ipse, uel Apostolus Petrus, uterq; principalis esse non potest, quia ex duobus sensibus nihil probari potest. Si utrunq; Eccius cõfitetur, iam prorsus nihil probat, quia qua facilitate ipse per petram Petrũ, eadem ego Christum accipiã. Imo non licet, nisi bono moderamine, quod infra dicam, uerbum Scripturæ de Christo dictum, alteri tribuere. Si autem alterum tantum sequitur, scilicet, ꝙ petra sit Petrus, nec simul permittit alium quoq; valere, iam impius deprauator est Eccius, quod demonstro. *Tu es Petrus.*

PRimo, Quod nusquam in sacris literis Petrus petra dicitur, sed Chri- *Christus petra dicitur.*
1. Cor. 10. stus, vt 1. Corinth. 10. Petra autem erat Christus. Et Matth. 7. Comparabitur
Matth. 7. viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram. Et infra: Fundata enim erat super petram. Adducat ergo Eccius etiam uel unum locum Scripturæ, vbi Petrus dicatur petra. Plus mihi ualet unus locus Scripturæ, quam omnes Doctores per Eccium adducti, quanquam nec ipsos recte adduxit, vt videbimus.

Secundo, etiam in præsenti loco Christus manifeste distinguit Petrum à Petra, Nam si vellet per petrã intelligi Petrum, dixisset: Tu es Petrus, & super te ædificabo Ecclesiam meam, At cum repetit petram, manifeste indicat, aliud esse Petrum & aliud petram, quam per pronomen, hanc, secernit à Petro, demonstrat & exprimit. Et sic ex textu præsenti facile prohibebo, ne Eccius possit ostendere, Petrum esse petram, sed & textum, ipse pessime sibi conscius, ob hoc maxime fugit, quod sentit eum contra se stare, nec posse quidquam ab eo promoueri per ipsum, Ideo ad Doctores fugit. *Non dicit, Super te ædificabo Ecclesiam &c.*

Tertio, Quæro, an Petrus sit pars Ecclesiæ, si est pars Ecclesiæ, ergo non *Petrus est pars Ecclesiæ.*

non potest esse petra in hoc loco, quia Christus dicit: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Quare Petrus cum Ecclesia aedificatur super petram, & non est petra ipsa, Nisi secciano interpretandi more, idem super seipsum aedificari garrias. Vides ne, quid sit relictis uerbis Scripturae, Patrum dicta sine iudicio legere? Aut ergo Petrus non est petra, super quam Ecclesia aedificatur, aut non est pars Ecclesiae, quae aedificatur super petram.

Aedificari. Quarto, uerbum aedificari, uerbum spiritus est, significans per fidem incorporari, & crescere in Christo. Ideo non sine prauitate cogi potest, ad potestatem regendae Ecclesiae, quae sine fide geri potest, Nam potest tam Papa quam subditus malus esse. Quare prorsus nihil ad rem pertinet tota ista autoritas, quae nihil de primatu, aut potestate regiminis (quae sine fide haberi possunt) sed de fide in Christum solum sonat. Sicut & Matth. 7. Fundata *Math. 7.* enim erat super petram, vbi loquitur de persecutionibus. *Domus fundata super petram.* Sed constat, quod potestas regiminis, qua fundat Eccius Ecclesiam, nihil potest in persecutionibus (cum & ipsa patiatur) sed fundatio fidei in Spiritu super Christum seruat. Ita 1. Pet. 2. docet Petrus, ut super Christum aedificemur domus spiritualis. *1. Pet. 2.*

Postulo ergo ab Eccio, ut mihi unum etiam locum ostendat Scripturae, ubi aedificare significet suum somnium de regimine, Quod ubi non fecerit, nihil est, quod Patrum dicta sine textu, sine iudicio profert, Non enim licet claro textui contradicere, per quorumcunque autoritatem.

Sed & illam sequelam, qua Dialectica didicerit, vellem scire, Ecclesia aedificatur super aliquid (vt Petrum) ergo illud est Vicarius Christi, & princeps Apostolorum. Ergo, si supra fidem aedificabitur (sicut uerum est) fides est Vicarius Christi, At hunc Vicarium quis uidebit? Non ergo Petro hic regimen promissum est, ut deprauator coecus errat, sed Ecclesiae constructio in spiritu fidei descripta, in cuius Petrus persona confitetur Petram, claues accipit, ut unanimiter dicunt S. Patres.

Petrus primus nominatus inter Apostolos &c. IAM secundo probat, Petrum esse iure diuino Vicarium Christi, aeque digno ecciana sapientia argumento, uidelicet ex nominatione, quia primus nominatur inter Apostolos, Matth. 10. Putas ne anxium istum Sophistam uehementer gauisurum fuisse, si potuisset inuenire, Petrum fuisse primo ad apostolatum uocatum, Nam qua gloria Eccius ex nominationis ordine Petro primatum tribuit, eadem alius ipsum Andreae tribuet, ex uocationis ordine, cum sit prior Petro in uocatione, praesertim cum ad hoc autoritas sit Pauli Apostoli, qui ideo antecessores & magnos Apostolos uocat, quia ante se fuissent uocati. Surgat itaque Andreae aliquis tutor, sicut Eccius Petri, & nominationi Petrinae obtendat uocationem Andreae, & uidebis apparere, Andream esse primum.

Doleo Theologiae titulos in haec ridicula commenta & aniles nugas descendere, quasi ideo aliquis sit potestate superior, quia nominatur prior, cum sic quamlibet rem mundi oporteat esse altera maiorem, quia potest primo nominari. Nonne inter Cardinales, Episcopos, imo ut in Scriptura maneamus, Ruben prior est inter Patriarchas nominatus, & tamen non iure diuino eorum fuit maior. *Ruben. Gene. 49.* Et Stephanus prior nominatur inter Diaconos, ergo iure diuino rector eorum. Et Lucas ante Iohannem in Euangelijs, Marcus ante Lucam nominatur, ergo rector eiusdem. Sed & Iacobus post Petrum ante Iohannem nominatur, ergo Iacobus rector erit Iohannis, iure diuino. Et ultimus Apostolorum a penultimo regetur, quia, quae ratio primi ad secundum, eadem erit secundi ad tertium. Tum vide cahos magnum quaestionis, Petrus, Iacobus, Iohannes, suo ordine nominantur frequentissime, At Matthei 10.

thæi 10. Andreas locum secundum habet, Philippus tertium, Bartholomeus quartum.

Galat. 2. Sed piget pudetq; me tam insulsæ Dialecticæ Eccij, ex ordinis primitate potestatem regiminis inferentis. Quid tum dicet ad Paulum Gala. 2. qui Petrum postponit Iacobo minori, Episcopo Hierosolymitano? Ergo Iacobus ex nominatione erit rector, Tenet consequentia ab autoritate Eccij, per Iohan. 20. nouam Dialecticam. Sed & Iohannis 20. Andreas primus & nominatur & uocatur ante Petrum. Itaq; uides, quam soleat Eccius ludere in sacris literis, quoduis ibi aliud, quam ueritatem quærens.

Matth. 17. TErtio probat Eccius egregius eundem primatum, ex solutione tributi, Matth. 17. Nisi esset sibi de errore & defectu ueritatis conscius, putas ne, tam anxie, tam ridicule quæreret suffragia? Quantis eget mendacium, ut uerum uideatur. Ista sane anxietas satis magnum argumentum est, se teste conscientia suscepisse mendacij patrocinium, Non eget ueritas simplicissima & aperta tam extortis ac uiolentis suffragijs, sed ipsa sibi satis est. Mendacium. Veritas.

Ad rem.

Gratias Eccio, quod Petrum solum æquatum Christo dicit in tributo dato, nam nunc discimus, Petrum Christo æqualem, cuius prius didicimus esse inferiorem, & Vicarium, Ita in arbitrio est Eccij, ex Petro facere, quodcunq; uisum est.

Obsecro, cur non uidit, aut oblitus est, quod æqualitas passionis, æqualitas miraculorum, æqualitas uerbi & multa alia, Petrum non fecit Principem, quarum quælibet multo maior est, quam æqualitas tributi dati? sed & omnes homines æquales sunt in humanitate, quæ est omnium summa & admiranda æqualitas, ex qua omnis dignitas hominibus, & tamen nulli ex hac sequitur Primatus regiminis.

Quid uero, si æqualitas ista census indicet minoritatem Petri, ut quia Apostoli alij liberi à censu fuerunt, ut & textus indicat, q; censum dare sit nõ filiorum Regis, sed seruorum & inferiorum, Ideo Christus cum Petro se subiecit inferioribus, quod alijs Apostolis non præcepit, Sed & Apostoli, cum idem argumentum conciperent, quod Eccius, suspicantes Petrum ob id primum fore, cœperunt quærere, Quis esset maior. Acceperunt autem solutionem argumenti eiusdem per interpretationem sequenti capite, prohibiti, ne quis maior inter eos esse cuperet.

Apostoli autem solutionem quidem acceperunt, sed Eccius forte maior Apostolis, & etiam Christo, inconclusibilis, non est cõtentus solutione Christi, Adhuc uersat quæstionem, & determinat partem contrariam Christo, laudabili more Scholasticorum, Et inuenit cum suis mendacibus Sophistis nouum genus illusionis (distinctionis uolui dicere) sacræ Scripturæ, dicens, Non maioritatem ibi prohibitam, sed ambitionem. Cum eadem ratione dicendum sit, non seruitutem, sed cupiditatem seruitutis præceptam, quando dicit Christus: Qui uult maior esse, sit uester seruus, Iste enim est mos impiorum istorũ deprauatorum. Itaq; autore Eccio, non est necessarium, ut seruiamus inuicem, sed sufficit, ut cupiamus seruire, sicut opus est non ambire maioritatem, est tamen maioritas adeunda.

Sed facessant laruæ lamiarum, & nocturni Eccij lemures, Christus occasionem ambitionis amputauit, tollens maioritatem, & præbet occasionem humilitatis, imponens seruitutem. Ille ergo maior est in Ecclesia, non qui multa ditione dominatur, sed qui multa humilitate seruit. Iste est sensus purus Euangelij, si uenena ecciana excluseris, cuius ingenium est Abimelech Isa. 44. imitari, & cæsis de saltu zelmon ramis, ignem facere, seu, ut Isa. 44. de ligno Maior in Ecclesia. Abimelech imitari. Iudi. 9.

Scripturæ sibi idolum facere, dum unum locum apprehendit, præcedentia & sequentia penitus contemnens.

Quis uero non rideat, si Dominus & seruus aliquo casu simul capiantur, simul soluant censum æqualiter, statim hunc seruum, cæteris omnibus seruis Dominum fieri hoc ipso casu. Sed ista mendicitas suffragiorum, indicat eccianam esse causam pessimam.

QVarto probat eundem primatum ex confirmatione ei commissa, & indefectibili fide, Luc. 22. Rogaui pro te, ut non deficiat fides tua, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Nec opus est, ut Eccius uerba ista ponderet, quid uelint, sed iuxta suam Dialecticam inferat, quodcunque voluerit, quia ad necessarium sequitur quodlibet. Quare & hic syllogissat, Confirma fratres tuos, ergo Petrus est omnium Princeps, prima pars est necessaria, quare, quodlibet sequitur, noua, ut dixi, Dialectica.

Confirma fratres tuos. Luc. 22.

Obsecro, quid hoc ad primatum Romanæ Ecclesiæ, quod Petri fides non sit defectura? An fides & potestas regiminis sunt idem apud Eccium? ergo quicunque habent fidem Petri, sunt principes Vicarij Christi, habent autem omnes fidem Petri, quia omnes credunt, quod Petrus, sicut Paulus, Ephe. 4. dicit, Vna fides &c. Non enim de fide Petri personali locutus est Christus, quia hæc cecidit, Sed de fide Ecclesiæ, quam Petrus tenebat, Nam & ego fidem Petri habeo, &, ut 2. Corinth. 4. habentes eundem spiritum fidei. Hæc, inquam, fides, nec cadit, nec deficit unquam, quia in Petro deficiens, orta est in Latrone.

Fides petri. *Ephe. 4.* *2. Cor. 4.*

Iam confirmare accipitur dupliciter (ut & ego distinguam) Vno modo, ut confirmationem potestatis significet, qua hodie Episcopi facta, verba confirmantur. Hoc modo Ecciana larua accipit hoc loco. Alio modo pro exhortari et consolari tribulatos & afflictos, Ita hic Christus accipit, quod ex uerbo Christi liquet: Et tu aliquando conuersus &c. vt scilicet lapsos corroboraret verbo.

Confirmare est exhortari infirmos & consolari afflictos &c.

Hic patet, quod nulla potestas traditur, sed officium fraternum & charitatis commendatur, quod nemo illorum quærit, qui primatum regiminis quærunt, quod sine primatu ipsum impleri potest, tam ad inferiores quam superiores, & æquales. Ergo generali sententia, nos omnes in vno Petro docemur, exhortari infirmos, & consolari lapsos.

Sed age, retorqueamus in ipsum autorem ineptas suas nugas. Si per verbum confirmare, datur primatus Petro, iam nullus est successor Petri, nisi confirmet Fratres suos, ipse primo conuersus & indefectibilem fidem habens. Aut ergo necessaria erit Papę fides, & exhortandi officiū, aut his verbis prorsus nihil potest gaudere, nec successor Petri haberi. Et vbi tunc erunt Pontifices, qui iam multis annis non confirmauerunt, sed fide & verbo inanes, solum fulminibus confregerunt substantias Fratrum, bellis, dolis, censuris, plus quam tyranni consumpserunt? Hos necesse est, Eccius fateatur non fuisse successores, quare nec Pontifices. Ita fit, & iusto Dei iudicio excæcentur Eccius & sui discipuli, dum diuinas literas de spiritu fidei & officio loquentes, trahunt ad dignitatis pompam, labantur in pestilentissimos Donatistarum & Pighardorum errores, vt si non volunt negare verba Christi, cogantur affirmare, malos Pontifices nō fuisse Pontifices, nec successores Petri.

Pontifices non confirmant Fratres &c.

Arrigat ergo aures Grammaticæ contemptor. Hic Christus apertis verbis Petro, non nisi conuerso, non nisi indefectibili fide credenti, imponit, nō dignitatem, sed officium cōfirmandi. An noua Eccij grammatica docendi sumus, Fidem non deficientem, significare potestatem regiminis? Quare successor Petri non erit, nisi conuersus fideque præstans, confirmet lapsos, At quis hominum ab his oneribus non fugiat?

Officium confirmandi, non dignitatem imponit Christus Petro.

Alijs

Alijs ergo uerbis iste ociosus dignitatis ac potestatis primatus, statuendus est, hæc uerba, fidem & officium Petri postulant, quod si Petri & successoris, aut nihil ad eum pertinent. At, quis nos certos faciet, quisnam conuersus fide præstet? Relinquitur ergo his uerbis, generalem omnibus tradi doctrinam, nihil Petro externi principatus conferri. Quare textus est quærendus, qui non de fide, aut conuersione Prælatorum, sed de sola potestate loquatur, quæ sine fide esse possit, qualis est illa Roma. 13. Omnis potestas à Deo &c.

Roma. 13.

Matth. 17.

Similiter dicemus de Tributo, quod Petri successor non sit, nisi qui æqualiter Christo & Petro soluerit Imperatori & Principibus mundi tributa. Vbi ergo manent Ecclesiarum priuilegia? Vides ne, quantum impię Eccij glossæ aperiant foramen laicis principatibus? Nam si tributi æqualitas probat primatũ in Petro, debet etiam eundem probare in suo successore, ne sit Christo inæqualis, & Petro dissimilis. Qua sapientia Eccij, quid aliud discimus, quàm omnes Pontifices fuisse impios & hæreticos, qui statuerunt de rebus Ecclesiæ non alienandis, censu, tributo, uectigali, liberis, Denique funditus hæc Ecciana sententia subruit ius Canonicum.

Aequalitas tributi in Petro &c.

Aut confitebitur Romanos Pontifices Petro inæquales, & per hoc non Petri, nec Christi, sed aliorum potius Apostolorum, esse successores, qui non soluerunt. Ita fit, ut quandoquidem tributi pensio honoris & dignitatis fuisse in Christo & Petro asseritur, successio Petri stare nõ possit, nisi clerici omnes subijciantur potestatibus temporalibus, maxime Romanus Pontifex, quem præ cæteris conuenit æquali honore & dignitate cum Petro fulgere, hoc est, omnium maxime subesse in temporalibus pensionibus.

O Eccium tutorem Romanæ Ecclesiæ, quo clamore me persequeretur, si hoc chaos malorum fuissem adortus contra priuilegia Romanę Ecclesiæ? Adeste ergo Principes terræ, utimini iure uestro, Euangelium uobis, autore Eccio, tribuit, ut Pontifices, Petri successores esse non possint, nisi uobis pendeant tributa. Imo auxilio uestro cooperemini, augete dignitatem & honorem illorum, id est, ut plus quam cæteri Christo & Petro æquales sint, plus pendeant omnibus alijs.

Eccius Romanæ Ecclesiæ defensor, qualis.

Sed huc rotari debet, qui Spiritus sancti uerba in suas nugas molitur transformare. Vides iam, hac ratione Ecciũ oẽs articulos Vuicleff & Huss, omniumque Bohemorum asseruisse, defendisse, Decreta, omnesque Decretales euacuasse, Concilium Constantiense articulorũ damnatorum caput, damnasse, & mirabili circulo id lusisse, ut dum pro Ecclesia cõtra Bohemos pugnat, uelut insanus, contra Ecclesiam pro Bohemis triumphat.

Tertio & illud: Tu es Petrus &c. quando uerba Christi sunt aperta, nõ cuilibet, sed beato Simoni Bariona, qui reuelante Patre, Christum cognouerat, & confessus fuerat, dictum est: Tu es Petrus, Tibi dabo. Non permittam hoc Eccio meo, ut hoc uerbum ulli alteri aptet, quàm ei, qui similis sit Petro, habens Christi reuelationem, et Spiritum sanctum. Nam talem successorem Petro hæc uerba quærunt, nec quidquam faciunt ad successorem, sine fide Petri, qui alijs quàm istis uerbis statui debet. Quare iterum Eccius Donatista & Pighardus cogitur dicere, malos Pontifices non esse Pontifices, aut hunc textum ad malos non pertinere, sed tantum ad bonos, At bonos certe nemo nouit.

Tu es Petrus.

Quare in persona Ecclesiæ ipsa per Petrum dicta, oportet intelligi. Nec habet Eccius, quod hic obtendat, nisi forte maiores insanias. Cum enim primatus Papæ sit res neutra, potens administrari, tum à bonis, tum à malis, Textus autem hic non de re neutra, sed necessaria, scilicet fide loquatur. Deinde primatus res temporalis & externa, fides res spiritualis & interna, clarum puto cuiuis, quàm apte Ecciana temeritas hęc uerba de primatu exponat.

Primatus Papæ res neutra.

Petrus os Apostolorum.

Sed & ipse sentiens Chrysostomum sibi contrarium, addit, Quod Petrus pro Apostolis responderit, tamen os & uertex Apostolorum dicitur. Hoc enim uolui, quod Petrus sit os Apostolorum, & pro Apostolis respondet, quod & Hieronymus hoc loco dicit, ergo non in persona sua, sed omnium loquitur. An non Eccius delyrat, quod hæc pro persona Petri inducit contra me, quę ipsemet fatetur pro me, in persona Apostolorum, cum Petro fuisse gesta. Sed, ut dixi, Eccio non fuit cura, quam bene, sed quod multa, diceret, nec rarum illi est, simul pro se, & contra se dicere.

QVinto, probat ex Bernardo, Quod Iohan. vlti. per mare totus mundus significatur, subijciendus Petro, qui in mari ambulauit.

Petrus ambulat super mare &c.

Quid audio? Mare significat mundum, & Petrus super mare ambulat, ergo est princeps Apostolorum & Vicarius Christi, Imo, quo sit huius Dialecticæ nouæ festiuior consequentia, Petrus ambulat super mare, ergo successor Petri est Dominus mundi.

Figura nihil probat.

Primum docendus est Eccius per Augustinum, quod figura nihil probat. Quare, siue mare significet mundũ, siue cœlum, oportet mundi uocabulum expresse poni ad literam, & ibi ostendere, Petrum ambulare super mundum, nisi forte Grammaticorum contemptor pro arbitrio suo quodlibet per quodlibet intelligere doceat.

Mare.

Secundo, Esto, mare mundum significet, uide Dialecticum insignem, Petrus ambulat super mundum, ergo est princeps Apostolorum. Ex quo sequitur, quod Apostoli sunt mare & mundus, quia Petrus super eos ambulat, id est, prælatus est eis. Sic Eccius. Si autem Apostoli sunt mare & mundus, Petrus quid est? Nondum, quæso, frons meretricis pudescit, à tam insulsis delyrijs suis?

Quilibet Christianus calcat mare.

Tertio, quid si uerius per mundum significantur uiciosi affectus, quibus inquietamur, uelut mare? At hos affectus, hunc mundum, hoc mare, cum quilibet Christianus calcet, & suspenso fidei gradu superambulet ad Christũ, in littore gloriæ stantem, Sequetur, quemlibet Christianum esse Papam. Et Eccius iterum donatissabit ac Pighardisabit, Papam non esse, qui mare non calcat, id est, affectibus mundanis non imperat, quia Petrum non refert, nec sequitur.

Conculcare mare.

Quod si mare conculcare sit aliud nihil, quam super homines dominari, sine affectuum suorum imperio, tantum externa pompa fulgere, Quid prohibet etiam Imperatorem temporalem esse Petri successorem, cum & ipse super mare hoc ambulet, potestate dominante, Sic Eccij temeritas, quæ ad Scripturas perdendas nata uidetur, audet.

SExto, probat ex commissis ouibus, Iohan. vlti. Vbi Papam constitutum dicit à Domino, secundum Chrysostomum & Gregorium, Hoc est, secundum lemures & somnia Eccij, cum nec nomen Papæ in Chrysostomo & Gregorio facile inuenias. Sed uideamus, hæc enim ultima est Eccij autoritas ex sacris literis perdita (producta uolui dicere.)

Pasce oues meas.

Est enim Dialectica eius hæc, Christus dixit ad Petrum: Pasce oues meas, ergo Petrus est princeps Apostolorum, & Vicarius Christi, Hæc enim enthymemata apud Eccium uel demonstrationibus sunt potiora. Syluestrum & Syluestrinos rudes passus sum, sed eruditos eos reddit Eccius excellentissima ruditate sua.

Dico

Dico ergo, Pascere oues, significat aliquando id quod dominari, præesse, regere secure in ocio, & oues nihil curare, & sic Eccius Grammaticæ nouæ magister accipit. Ita nullus est, qui non optet pascere omnes oues Christi, sicut uidemus in Romana Curia, ad hoc miris artibus contendi. *Pascere oues.*

Aliquando, imo sępius, significat uerbum Dei docere, orare pro ouibus, exemplo bono præesse, etiam animam suam ponere pro eis, totumque se impendere, ut Oues bene habeant. Hoc modo, nullus est hodie, qui non in plurimam partem solicitudinis, imo totam solicitudinem uelit uocari quam plurimos, & totum Primatum hoc modo libenter cedere. Pro hoc primatu nemo certat, nemo ad hunc aspirat, quem omnes libenter admittimus cuicunque, & non inuenimus, qui admissionem nostram curet. Qui contra hunc scriberet, bene tutus esset à censuris ac homicidis istis Romanis adulatoribus, Imò nec tantum possumus, ut huius primatus commissionem, uel super tres animas dignentur acceptare. Cur ergo nos persequuntur? Asserimus primatum, optamus, petimusque, vt Romanus Pontifex pascat omnes oues, tantum abest, ut nos, uel unguem latum, hanc potestatem ei imminuere uelimus, ut unice ploremus, quod ne unguem quidem latum ipsi dignantur eam acceptare.

Quare iterum Eccius deprauat uerba Dei, aut si integra relinquit, Donatistarum hæresim reuocat, statuens, Pontificem non pascentem, non esse Pontificem, quia hæc uerba Christi incorrupte seruata, officium imponunt (sane omnium maximum & periculosissimum, scilicet uerbi docendi, & moriendi pro animabus) aut nihil ad Pontificem faciunt. Iam enim erat Petrus quod erat, Apostolus scilicet & primus, quando audiuit officium pascendi sibi impositum.

ADdit tandem Eccius Coronidem his dictis, dicens: Sic sancta mater Ecclesia canit: Tu es Pastor ouium, princeps Apostolorum, tibi tradid t Deus omnia regna mundi. Primam particulam scilicet, Tu es pastor ouium, Eccius satis constanter paruipendit, sicut & ij, quos palpat, Quam si seruarent, primum, ut dixi, nemo principatum omnium non tribueret, Verum, neque pasturam, neque principatum hunc, neque Regna mundi hoc modo tradita, ullus Pontifex affectat, sed exhorrent omnes. *Tu es Pastor ouium.*

Quare, sicut uerba Christi sunt spiritualia, ita & Ecclesiæ. Omnia regna mundi tradita sunt Petro, ut doceat. Cui Petro? Non uni personæ, sed Ecclesiæ & Apostolorum, in cuius persona, ut diximus, audiuit: Tibi dabo claues regni cœlorum. Eccius uero tradita regna mundi intelligit, ad dominandum, non ad seruiendum. *Omnia regna mundi tradita Petro.*

POst hæc inducit Patrum dicta (nam in hac materia multum laborat) Primo Cyprianum de simplicitate Prælatorum deprauatissime inducit, ita ut maliciam plus quam insciciam Eccius suam prodat. Cyprianus ibi contra Nouatianos hæreticos loquitur, ubi Eccius maliciose decerpit, quę pro se uidetur stare, cæteris tacitis. Verba Cypriani sunt hęc: Quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat: Sicut misit me Pater, & Ego mitto uos, Si cui remiseritis peccata, remittentur illi. Tamen, ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem, sua autoritate disposuit. Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, Sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. *Cyprianus.* *Iohan. 2.1* *Sicut misit me Pater &c.*

Vbi hic Petrus princeps constituitur Apostolorum, sicut deprauator infoelix garrit, sua nobis pro Cypriani uerbis inculcans? Cyprianus parem honoris & potestatis gratiam palam asserit, sed quia unitas ab uno uenit, ideo *Par honor & potestas Apostolorũ.*

 hane

hanc potestatis parilitatem dicit inceptam ab uno Petro, quando dixit: Tu es Petrus, vt unitas Ecclesiæ monstraretur.

Vix similem & pulchriorem interpretationem uidi, Claret enim, mentem S. Martyris esse, non Petrum esse principem Apostolorum in regimine, quia clare dicit: Hoc erant cæteri Apostoli, quod Petrus, Sed quod potestas hæc omnium æqualis, sit primum data Petro, ut ab uno Petro, non potestas Petri (ut Eccius delyrat) sed unitas Ecclesiæ monstraretur. Non uult originem potestatis à Petro uenire in Apostolos. Sed sicut unitas multorum ab uno uenit, Ita exordium à Petro inciperet, licet æqualiter omnia omnibus donarentur.

Merum ergo & friuolum commentum est Eccij, Apostolos omnes fuisse pares in Apostolatu, sed non in regimine. Tunc enim ceteri Apostoli non fuerunt quod Petrus, nec parem habuerunt potestatem & honorem, ut Cyprianus dicit. An non est aliud regere, & aliud regi? Nonne inæqualis potestas & honor recti & regentis? *Cyprianus.*

Apostolatus. Etiam erroneum est, Apostolatum esse aliud quam regimen, quia Apostolatus officium regiminis est omnino. Distinctio ista nata est, quod cœpit distingui inter dignitatem & officium, quod iuridicum est, non theologicum. Alioqui Cyprianus fuisset hæreticus, qui sine autoritate Romani Pontificis Episcopos creauit, Concilia habuit, & ordinandorum Episcoporum regulas præscripsit. Quæ omnia Eccius nequissime tacet, ad statuenda mendacia sua contra ueritatem.

Hæretici cauendi. Vult igitur Cyprianus, Quod hæretici sunt cauendi, qui scindunt vnitatem Ecclesiæ, non semper Romanæ, sed cuiuslibet, in qua oriuntur, nam quælibet est vna, & tota uniuersalis est una, quam totius & particularis cuiuslibet unitatem dicit monstratam in vnitate Petri, qui sua vnitate, uelut origo sit cuiuslibet unitatis, & totius unitatis, non disponens autoritate sua, sed Christi (inquit) sic disposuit. Verum, legat Lector Cyprianum, & videbit Eccium esse Cypriano per omnia contrarium. Non ergo Cyprianus contra scissores primatus, sed vnitatis ecclesiasticę, loquitur, quę in vnaquaq; Ecclesia scindi & seruari potest. Aut si per vnitatem Eccius omnino potestatem intelligit primatus. Cæcus ille natus Iohan. 9. etiam Papa erit, quia sua unitate similiter unitatem Ecclesiæ repræsentauit, & quotquot alij, qui singuli à Christo sunt curati. *Iohan. 9.*

Augustinus. SEcundo, Augustinum inducit super Iohannem, cuius Ecclesiæ Petrus Apostolus propter apostolatus sui primatum gerebat personam. Obsecro, quanta est Eccij hebetudo? Augustinus dicit (quod ego semper uolui) Petrum gessisse personam Ecclesiæ, quod Eccius intelligit principatum Ecclesiæ, Quis enim negat Apostolum Petrum primum fuisse, primatum Apostolatus habuisse, etiam principem Apostolorum esse? Quid hæc ad rem? non per hoc potestatem super eos habuisse probatur, quos paris potestatis fuisse dictum est a Cypriano. Nunquid ipse Augustinus a Romano Episcopo fuit ordinatus? Ergo hæreticus Augustinus, si intellexit primatum potestatis, & tamen egit in uita, ut solum primatum honoris deferret Romano Pontifici.

Eccius dedita opera, sicut Scripturas deprauat, ita & dicta Patrum, vbi illi Petro tribuunt primatum honoris & ordinis. Hic mox suo Leuiathan autore addit, & nobis interpretatur potestatem, Nec aduertere præ crassitudine cerebri sui potest, quam S. Patres hanc potestatem nunquam agnouerunt.

SImul

SImul hoc quoque notandum, Quod multa dicuntur in laudem S. Petri, quæ nequaquam conueniunt eius successori ullo, Sic nonnulli S. Patres illud: Tu es Petrus. & : Tibi dabo &c. Petro tribuunt, quia certum erat ipsum esse sanctum, ideo ea verba ei aptari possunt, sed non mox ad successorem etiam pertinent, Neq; de successoribus ea ullus Patrum intellexit, sicut faciunt nouissimi Scripturæ deprauatores, omnia sine iudicio Romanis Pontificibus inflectentes, quæcunq; de Petro legere possunt. *Tu es Petrus.*

Sic Petrus potest petra dici, quemadmodum semel Augustinus facit & Ambrosius, quia reuera, quidquid de Christo ipso dicitur, mox de quolibet eius membro uero & proprio dici potest. Sic quilibet Christianus est agnus, iustus, sanctus, petra, fundamentũ &c. Verum hæc, quia uerba spiritus sunt, non mox successori aut Romanæ Ecclesiæ aptanda sunt, cum successor Petri nesciatur, an sit membrum Christi. *Petrus potest petra dici.*

Hic tamen sensus non est primus & principalis, quia de Christo omnia primo dici debent & proprie, de cæteris uero nequaquam, nisi pia digressione & abusu modesto, in quo, etsi non pugnant in contentione, (nec consequentibus conueniunt) tamen sine periculo fidei sic intelliguntur.

Error ergo est, q; quæcunq; de Petro, ut sancto locuti sunt Sancti, nostri palpones mox de successore Petri intelligant. Quanquam secundum rei ueritatem, non solus Romanus Pontifex sit Petri successor, sed omnes Episcopi, quos ipse instituit, ideoq; successor Petri lõge minor est, q̃ ipse Petrus. Nec sequitur, (etiamsi uerum esset) Petrus fuit super uniuersum orbem, ergo etiam Romanus Pontifex est super uniuersum orbem. Petrus in Romana Ecclesia nõ relinquere potuit Apostolatum suum, quem à Christo acceperat, sed Episcopatũ, quem ipse instituerat, Qare Romanus Pontifex non plus habet à Petro, q̃ quilibet alius Episcopus ab eodem Petro institutus. *Successor Petri longe minor est quam ipse Petrus.*

Et huius argumentum est, Quod Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius, & quicunq; sancti Patres, qui S. Petrum super omnes extollunt, honoris quidem ornant præconio, sed nec potestatem ei super omnes tribuunt. Nec ipsi in uita Romano Pontifici subditi fuerunt, nec unquam de primatu Romani Pontificis aliquid meminerunt, quod tamen Eccius suis fœdis adulationibus & deprauationibus statuere quærit.

TErtio Hieronymum inducit contra Pelagianos, Quid Platoni & Petro? Vt ille Philosophorum princeps, ita hic Apostolorum fuit, super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est. *Hieronymus.*

Respondeo: Placet similitudo, Sed nunquid Plato Philosophorum princeps, mox super Philosophos dominatus est iure potestatis? Non, sed excellentia doctrinæ & honoris. Ita Petrus princeps, non potestate, sed honore primatus. Et q; super eum ædificatam Ecclesiam dicit, uerum est sensu secundario, ut supra dixi, alioqui & ipse Petrus primario sensu, cum sit pars Ecclesiæ, super petram, non super seipsum, ædificatus est. Abusus est uerbo Euangelij Hieronymus hoc loco, qui alibi contrarium dicit, Euangelium interpretans ex animo.

QVarto Chrysostomum Matth. 16. Quid igitur Petrus, omnium Apostolorum os & uertex totius consortij, sublimiora ipsum sapere fecit, & Ecclesiæ futurę Pastorem constituit, Et infra, hunc uniuerso terrarum orbi Christus præfecit. *Chrysostomus.*

Hæc si intelligat de potestatis iure, sine autoritate dicuntur, quia uerba Christi hoc non habent, ut supra dixi.

Secundo, quia Chrysostomus ipse non seruauit, ordinatus Episcopus à Theophilo Alexandrino, non à Romano.

Tertio, quia etiamsi Petrus talis esset, non ideo Romanus Pontifex talis esset, tum quod Apostolus, ille Episcopus, tum ꝙ sanctus, ille forte peccator. Quare sensum Chrysostomi, ne cum præcedentibus pugnet, probo & accepto, ꝙ Petrus os Apostolorum fuit, ac per hoc non in sua persona locutus est, & audiuit: Tibi dabo &c. ita præfectus est toti orbi hon re, & in Ecclesiæ persona, quæ est mater omnium nostrum.

Leo. QVinto inducit Leonem, c. Beatissimus Petrus a Domino accepit primatum, Verum est, sed non successor Petri idem. Sed cum Decretis nihil ago, quia frigidissime tractant uerba Dei. Quod uero Bernardum inducit, non pugnat. Beda plus pro nobis facit, Petrum confitens Apostolorum personam gessisse, ideo subdole solum nomen eius Eccius retulit, metuens eius sententiam sibi noxiam, adeo sycophantissat Theologus.

Bernardus. *Beda.*

Dionysius. Iam & Dionysium cap. 3. de di:no. adducit, quasi hic de Papa Vicario Christi & Petro, super omnes Ecclesias constituto, dicat, cum nihil illorum uspiam sit in Dionysio. *Eccij temeritas.* Displicet mihi Ecciana ista audacia, quæ tam contemptim de omnium ingenijs & studijs sentit, ut speret se uniuersis, nõ secus ac stolidis & stupidis morionibus posse abuti, Allegans quæ nusquam sunt, deprauans quæ usquam sunt, omniaꝗ pro mera libidine tentans. Quod si omnino placet, nomina autorum coaceruare, consilium dederim, ut Martyrologium aut Calendarium apprehenderet, ne interim tot mendacijs Patrum & Scripturæ uerba conspurcaret.

Cyprianus. SExto, Cypriani locum, quem Lipsiæ non potuit indicare, nec modo audet nominare, nisi quod lib. 1. Epistolarum citat. Adeo non ipse legit autores, sed per Compilatores excerpit dicta, quæ suo seruiant errori quacunꝗ specie. Respondeo tamen, quod est Epistola tertia lib. 1. ad Cornelium, quam Lipsiæ nescio ad quem esse somniauit.

Post ista (inquit) adhuc insuper pseudepiscopo sibi ab hæreticis constituto nauigare audent, & ad Petri cathedram atꝗ Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est &c. Tũc infert Eccius, Ergo Romanus Pontifex iure potestatis omnibus superior est. Sic enim perpetuo delyrat, quidquid uoluerit in Patrũ dictis intelligens. Cyprianus hic cõtra hæreticos unitatem Ecclesię tuetur, nõ potestatem Romani Pontificis, principalem uocat Ecclesiam, & bene, quia primus Apostolorũ ibi Petrus, & inde orta est in alias Ecclesias unitas (inquit) sacerdotalis. Vnde ? à Petro scilicet, secundum superiorem autoritatem eiusdem Cypriani, non ꝙ Petrus omnes sacerdotes fecerit, sed ꝙ Christus Apostolis parem potestatem tribuens, ab uno Petro incipiens, unitatem Ecclesiæ monstraret.

Errat ergo Eccius, qui hoc uerbo putat sacerdotes omnes ex urbe Romana uenire, & debere haberi, Sic enim nulli Apostoli ordinassent Episcopos. Et ipsemet Cyprianus non ex Vrbe suum retulit sacerdotium, nec ullus Aphricæ & Orientis Episcopus. Quod Eccius fortiter transit, solum in literis & syllabis, sophistica pertinacia hærens, quo faciat nobis Cyprianum hæreticum, cuius uerba pro iure suo diuino, contra uitam eiusdem torquet.

Hieronymus ad Euagrium. SEptimo, Hieron. ad Euagrium, nec altera urbis Romæ, altera totius orbis existimanda est Ecclesia. Vide hunc audacem & impium impostorem. D. Hieronymus id agit ea Epistola, ꝙ omnes Episcopi sunt æquales inter se,

inter se, & Presbyteros eosdem, quos Episcopos esse. Breuiter, hæc Epistola, uel sola funditus euertit adulatorium dogma Eccij de primatu Papę, iuris diuini, ita, ut Lipsiæ per eandem à me petitus, coactus sit confugere ad commentum distinctionis suæ inter apostolatum & regimen, Clare enim ibi dicit Hieronymus, Episcopum altero superiorem fieri potentia diuitiarum, non sacerdotij dignitate, Eiusdem meriti, inquit, est Episcopus Romæ & Eugubij &c.

Plane ergo patet, Eccium his laruis aliud non quęsijsse, quam ut illuderet simplicium & rudium animabus, & S. Hieronymo imponeret suas impias deprauationes, dum ea allegat, quæ maxime contra eum pugnant.

Sed neq; quid uelit, possum diuinare, quando dicit: Non est altera urbis Romæ, altera totius orbis Ecclesia. Hieronymi sententia clara est, orbem esse maiorem Vrbe, sicut ibi dicit, ergo id sentiri in Roma, quod in toto orbe, cum sit una Ecclesia, nec Romana diuisa ab uniuersali Ecclesia. Eccius autem puluerulentas Grammatistarum scholas fastidiens, suasq; Dialecticas sequens, hoc uult, Non est altera Romæ, altera totius orbis Ecclesia, ergo Papa est Vicarius Christi, & princeps Episcoporum (nam hanc susceperat probandam) Et consequentia est clara, si modo insanire licet, & phrenetico capite syllogisare. Aut forte hoc uoluit, Non est Ecclesia dicenda, quæ non est sub Romana Ecclesia. Verum hæc Eccius, non Hieronymus, dicit, imo Hieronymus contrarium dicit. Vide Epistolam.

Quid ergo mirum, si Sophistæ eiusmodi Scriptorum discerptores, prorsus nec sua nec aliena intelligant, cum quidquid apprehenderint, suis afforment somnijs, & contaminent ludibrijs?

Eundem Hieronymum ad Damasum quoq; citat, sed nominetenus, facturus Lectori simplici suspicionem de re, quæ in Hieronymo non habetur. Nam id Eccius quærit solum, ut qua potest arte Lectorem subuertat potius quam erudiat. Hieronymus ibi cum Piscatoris successore loqui se dicit, & Romanam Ecclesiam cõmendat, quod nunquam sit hæretica prauitate contaminata, sitq; docente Christo supra petram ædificata. His dictis Hieronymi uerissimis Eccius addit aduerbium, tantum, quasi hæc soli Romanæ Ecclesiæ conueniant, quando Christus totam Ecclesiam suam (quæ non est sola Romana) super petram ædificaturum se promittat. Verum, quid Eccio & Christo? *Hieronymus ad Damasum.*

OCtauo, Ambrosium adducit ex Decretis, nam non vacat legere originalia. Non habent hæreditatem Petri, qui fidem Petri non habent. Obsecro, quis hæc unquam negauit? An est altera fides Petri & Pauli & omnium Apostolorum? Aut altera fides Romanæ Ecclesiæ, & totius orbis? Habet totus mundus fidem Petri, & Romanæ Ecclesiæ, imo, quod Eccius miretur, Romana Ecclesia habet fidem meam. Quid ergo? habet fidem Petri, ergo Petrus est Dominus omnium, iuxta noui huius Dialectici regulas. Sed & Prophetæ in ueteri Testamento habuerunt fidem Petri, sicut Paulus dicit 1. Cor. 10. eandem escam manducauerunt, ergo fuerunt sub potestate Petri, Aut Eccio magistro hæretici fuerunt. *Ambrosius.* *Fides Petri.* *Fides Romanæ Ecclesiæ.* *1. Cor. 10.*

Iam, si habere fidem Petri, est sub Petro esse, Quam fidem habet Petrus ipse? aut sub quo Petro erit ipse? Ita, si habere fidem Romanæ Ecclesiæ est sub Romana Ecclesia esse, Sub qua Ecclesia est ipsa? an sub se ipsa, quia habet suam fidem?

Credo te, Lector, iam diu saturum esse insulsissimarum istarum næniarũ Eccij, quas uides, quam sola grammatica potuisset Eccio diluere, quam ridet dici utilem ad sacram Scripturam magis, quam sua sordida phantasmata.

Eundem

Eundem iterum allegat, Typum Romanæ Ecclesiæ in omnibus sequimur. Et nos sane, quantum ad fidem attinet. In alijs Ambrosius non sequebatur, Nam sabbato non ieiunabat cum Romana Ecclesia, Et habet illa eadem Ecclesia Mediolanensis, usq; in diem hodiernum alium typum in ritibus, quam Ecclesia Romana. Nihil ergo est fumus iste Eccianæ loquacitatis. Sequimur typum Romanæ Ecclesiæ, ergo Romana Ecclesia est super omnes Ecclesias. Sufficit, quod Eccio ista probentur, qui nec dignus est melioribus duci rationibus, quia sponte errorem sequitur.

Ecclesia Mediolanensis.

Augustinus.

NOno, Iterum Augustinus: In Romana Ecclesia semper apostolicæ cathedræ uiguit principatus Manhu. Ecci, Augustinus Ecclesiam Romanam habere dicit principatum Apostolicæ cathedræ, qui & alibi, ut li: 2. ca. 8. doctrinæ Christianæ Ecclesias Apostolicas, cæteris solet præferre. Eccius uero de suo addens, Principatum apostolicę cathedræ, intelligit principatum vniuersalis Ecclesiæ, per cathedram, Ecclesiam: per apostolicam, catholicam: accipiens, nimirum, beneficio Grammaticæ contemptæ.

Post hæc dicit, se omittere Decreta, & bene facit, quia sunt contraria sibijpsis. Nam ea, quæ à sordidis Notarijs sunt consarcinata, definiunt pro Eccio. Quæ autem à doctis Pontificibus, vt Pelagio, Gregorio, statuunt pro me, ut ostendi in Resolutione mea nouissima.

Romani Pontifices docti.

Sed & Conciliorum nomina recitat, quia nihil in ijs, pro sua sententia statutum est, excepto Cōstantiensi, quod tamen hic tacet, quia nouit & ipsum esse dubium, imo contra se. Ego pro me habeo Nicenum & Aphricanum, Imo sex prima & celeberrima, ut in Disputatione Lipsica uidebitur. Nihil ergo quærit Eccius nominum istorum cumulo, quam ut Lectores idiotas & ignaros stupefaciat & illudat.

Disputatio Lipsica.

Cætera, quæ ad hanc materiam pertinent, uide, Lector, in Resolutione, ut dixi, nouissima & disputatis Lipsiæ.

IIII.

Canones dixit institutos propter auariciam summi Pontificis, & aliorum Pontificum, quia nullus esset casus reseruatus iure diuino.

HVnc erroneum probaturus Eccius, multa consarcinauit ex Decretis. Nam apud Eccium ius diuinum in Decretis humanis residet, quod apud nos in sacra Scriptura regnat, Ideo, quidquid ibi blaterat, omitto. Optime scio, non esse præcepta apostolica & statuta Maiorum contemnenda, Sed hoc quæritur, an iure diuino sit ullus casus reseruatus? Hoc Eccius nunquam probabit. Quia, supra probatum est, Episcopos omnes esse ęquales iure diuino, quare nullus poterit casum alteri excipere iure diuino, imo nec Episcopus Plebano.

Cyprianus.

Vnde Cyprianus Episto. 3. lib. 1. reprehendit eos, qui alibi circumcursant, quam in Ecclesia sua, ubi peccauerunt, dicens: Cum statutum sit ab omnibus nobis, & ęquum sit pariter & iustum, ut uniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis Pastoribus, portio gregis sit adscripta, quam regat unusquisq; & gubernet: Oportet utiq; eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum cohærentem concordiam, sua subdola & fallaci temeritate collidere, sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere, & testes sui criminis possint. Hæc ille.

Vides unicuique Pastori portionem gregis adscriptam, At nunc unus grex, quatuor, imo centum Pastores vel depastores habet. Vides nullum casum reseruatum, sed in sua Ecclesia quenque debere pœnitere. Si hoc est contra ius diuinum, Cyprianus est hæreticus in hoc dogmate, quod & Nicenum Concilium constituit.

Nec est quod garrit Eccius, disciplinam Christianam euerti hac sententia. Cur Cyprianus eam & Nicenum Concilium non euertunt? imo per Romanam Curiam & casuum reseruationem disciplina euertitur. Si seruaretur hoc Cypriani & Concilij Niceni Decretum, minus impunita esset peccandi hodie licentia. Plebani nullam habent potestatem, Paulo maiorem Episcopi, totã Romana Curia. At illic nemo disciplinatur, sed pro pecunijs omnia peccata venduntur, vbi est Vrbs meris Indulgentijs, id est, disciplinę euersionibus plena, usque ad clamorem in cœlum. *Per Casuum reseruationem Christiana disciplina euertitur.*

Miror autem, quod Eccius priorem partem articuli præterijt, An verum credat, nescio, Canones institutos propter auariciam. Hoc enim Fratres isti discipuli Ecciani addiderunt, Vere enim obseruant, nõ suam Professionem, nec seipsos, sed alios tantum, vt detrahant & criminentur.

Dictum est autem, Canones hodie & reseruationes Casuum, prorsus nihil esse, nisi laqueos auariciæ, non suo vicio, sed Romanensium tyrannorum. Impudentissima. n. auaricia est Romanæ Curiæ, si dederis pecuniam, Canones & omnia uenalia habes. Si non, casus est reseruatus, etiam si promptus sis omnibus Canonibus satisfacere, & omnem disciplinam Christianam ferre. Hi sunt ergo casus reseruati, hi Canones, qui euertunt disciplinam Christianam, & seruiunt auariciæ. *Canones.* *Auaricia Romanæ Curiæ.*

Post hæc recitat egregius Dominus Doctor, Iuris & Theologiæ & Dialecticæ Magister, articulos Constantiæ damnatos, asserens eos plenos erroris, scilicet hos:

PApa non est immediatus Vicarius Christi & Apostolorum.

Decretales Epistolæ sunt Apocryphæ.

Non est de necessitate salutis, credere, Romanam Ecclesiam esse super alias.

Petrus non est nec fuit Caput Ecclesiæ sanctæ catholicæ.

Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput Ecclesiæ particularis sanctæ, vel Romanus Pontifex caput Romanæ Ecclesiæ.

Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinuentionem sacerdotum Ecclesiæ, præter expressam autoritatem sacræ Scripturæ.

HOs Eccius omnes erroris plenos vocat, tanquam Dominus super Concilium, & Ecclesiam sanctam, cum Concilium non omnes erroneos iudicarit, quod ego ex verbis ipsius Concilij probabo, & probaui Lipsiæ.

In fine dicit, Petro commissam plenitudinem potestatis, quam habet suus successor, alij uocati in partem solicitudinis, sicut dicit sanctus & humilimus Gregorius. Respõdeo: Ergo est iure diuino potens. Tenet Cõsequentia ab autoritate Gregorij, cuius verbum apud Eccium est ius diuinum. Quam crassa autem astutia dissimulat Eccius, quod Gregorius idem, quod hic semel dicit, *Gregorius.*

dicit, decies ferme alijs locis contrarium dicit. Iustum ne est, ut Eccio credamus, unum locum ambiguum Gregorij adducenti, & decem alios locos certissimos eiusdem negemus? De quibus in Resolutione mea. Quanto rectius hic unus locus, præter intentionem dictus, ad decem alios locos exponetur, quam quod eccianis somnijs obtemperemus?

Dicit Gregorius in Epistolis, Primatum fuisse à Synodo Chalcedonensi oblatum Romanis Pontificibus, & tamen à nullo assumptum. Si fuit iure diuino primatus, utrique impie egerunt, illi, quod obtulerunt, quod non erat eorum offerre, sed reddere, hi, quod non assumpserunt. Ius enim diuinum, etiam per mortem assumi debet, & nulla causa relinqui. Sed, ut dixi, Eccius, qui in lucidis Scholis uersatur, alia curat, quam ut Grammaticam discat, Ideo ignoscendum inscitiæ eius, quod neque quid sit, neque quomodo seruandum sit ius diuinum, nouerit.

V. & VI.

Nulla dicit esse consilia Euangelica, sed omnia, quæ in Euangelio sunt, dicit esse præcepta.

Dicit etiam, quod Deus exigeret summam perfectionem a quolibet Christiano, & obseruantiam totius Euangelij.

FRatres, qui ex me audierant, non esse hunc articulum ab ullo dictum, nihilo secius effinxerunt, saltem priorem partem. Verum, Eccio eram ignoturus, quod alieno mendacio fuisset seductus, nisi uiderem suis nenijs sese ostendere ignarum tam præceptorum quam consiliorum. Ponam ergo articulum integrum. Sic dictum est: Consilia euangelica non sunt supra, sed infra præcepta, hoc est, consilia sunt quædam uiæ & cõpendia facilius & fœlicius implendi mandata Dei. Ideo etiam seruatis Consilijs, nondum impletum est præceptum Dei, Nam Rom. 7. Apostolus dicit, se seruire legi peccati, & habere peccatum in carne sua (quod utique est contra præceptum Dei) & tamen uiuebat in summo gradu consiliorum.

Consilia euangelica &c.

Rom. 7.

Non ergo distinctio est inter consilium & præceptum, quod consilium plus, quam præceptum sit. Sic enim errant & nugantur Theologi, sed quod sunt media commodiora ad præceptum. Facilius enim continet, qui uiduus aut uirgo est, separatus a sexu, quam copulatus cum sexu, qui concupiscentiæ aliquid cedit.

Proinde, quæ Eccius ex Apostolo adducit, qui loquebatur sapientiam inter perfectos, neque quid ibi Apostolus per sapientiam, neque quid per perfectos intelligat, nouit. Idem sapit de statu perfectionis, & satis ridicule argutatur, quod omnes oporteret fieri Monachos & Virgines, si ad perfectionem summam teneremur, quasi Monachos & Virgines perfectos faciat status perfectionis (id est, uocabulum perfectionis.)

1. Cor. 2.

Status perfectionis.

Quæram ego ab Eccio, cui sit datum præceptum illud: Non concupisces? An Virginibus tantum? Si omnibus hominibus, ergo omnes obligantur ad summam perfectionem, quia non concupiscere, est summa castitas, quam nec Apostolus Paulus se habere dixit, sed nec uirgines eam habent, & tamen omnibus præcipitur in communi Decalogo. Quid hic faciet? An Coniugium tollet de medio, quod sine concupiscentia stare non potest? at concupiscentia est contra præceptum Dei. Bulla Theologus. Audi ergo, Deus requirit ab omnibus non concupiscere, ad quod proxime accedunt uidui & uirgines, nullus autem attingit, Omnibus autem ignoscit, propter gemitum, quo dolent sese non posse attingere, & dicunt: Quis liberabit me de morte corporis huius? Vbi es ergo Ecci, qui Propositiones istas temerarias &

Non concupisces.

Coniugium.

Vidui.

Virgines.

Rom. 7.

rias & seductiuas ausus es asserere, uides me, te non adeo saltem profecisse, ut unum praeceptum Decalogi intelligas.

VII.

Confessionem sacramentalem dicit non esse de iure diuino, Sed ex institutione Innocentij III. Innocentius 3.

HVnc Eccius eximius noster errorem Graecorum uocat & Ebreorum, & probat per Augustinum, Ambrosium, Origenem, Petrum Alexandrinum. Obsecro te, si petat gentilis ius diuinũ, & tu ei hominum uerba reddas, insanum ne te, an sanum iudicabit? Tot annis Eccius Theologus est, & orbem fatigare promptus est, necdum scit, quid sit ius diuinum. Cyprianum miror, quod omiserit, qui omnium fortissime exomologesin asserit, sed eius compilator Grammaticam contemnens, forte exomologesin graecam, non intellexit latinam confessionem significare.

Dico ergo: Confessio illa, quae nunc agitur occulte in aurem, nullo potest iure diuino probari, nec ita fiebat primitus, sed publica illa, quam Christus Matth. 18. docet: Si peccauerit in te frater tuus. Et Paulus: Aduersus Presbyterum accusationem &c. Tunc enim testibus & accusatoribus crimina examinabantur, sicut supra ex Cypriano adduxi, donec confiteretur conuictus. Haec inquam, confessio est iuris diuini, ab Apostolis & sequentibus seruata, de qua scribunt Patres, per Eccium nihil intelligentem inducti. Non tamen damno istam occultam, nisi quod doleo ipsam esse in carnificinam quandam redactam, ut cogantur homines confiteri, & scrupulos facere de ijs, in quibus nullum est peccatum, aut ueniale tantum. Confessio occulta. Matth. 18 1. Timot. 5

Iam uideamus Scotistam nostrum, quomodo iure diuino probet confessionem, Iohan. 20. Quorum remiseritis peccata &c. ibi, inquit, Christus posuit Apostolos & successores eorum Iudices, absoluendo & ligando, Modo Iudex non potest pronunciare, nisi causa cognita, quod fit per confessionem. Vide, vt reptat languens iste Sophista. Iohan. 20.

Cuius fabula est haec, Nullum peccatum remitti, nisi confessione publicetur, cum uero nullus hominum nosse possit omnia peccata, fiet, ut ad impossibile obligetur. Nam hinc uenerunt torturae istae conscientiarum, quod discussionibus, & diligentiae adhibitionibus confitendi nullus sit finis, inde Confessionalia cum nepotibus, filiabus, speciebus, generibus peccatorum, ut ipsorum etiam memoria magis sit laborandum, cum sola conscientia in hac causa esset consulenda. Torturae conscientiarum.

Christus non dixit: Quorum uos non remiseritis, non erunt remissa, & quorum non tenueritis, nõ erunt retenta. Plura remittit & retinet Deus, quę sacerdos nec retinere nec remittere potest, licet quae remiserit, remissa sunt. Non sequitur, Ego ignosco tibi omnia, quae mihi male fecisti, ideo Deus omnia tibi remisit. Ita non sequitur, Ecclesia remisit tibi, quae confiteris, ergo omnia remissa sunt, sed reliquum est illud: Delicta quis intelligit? & illud Iob. Verebar omnia opera mea. Non est in Ecclesia negocium, quod aeque ut istud confessionis & poenitentiae indigeat reformatione. Nam hic omnes leges, quaestus, vis, tyrannis, error, pericula, & infinita mala omnium animarum, & totius Ecclesiae grassantur pleno impetu, quod Pontifices parum curant, & Sophistis animarum tortoribus relinquunt, Quod interim cum inscicia Eccij, transeat in tempus suum. Psal. 19. Iob. 9.

VIII.

Canones dicit docere auariciam, superbiam, luxuriam.

CLarum est, Fratres istos esse mendaces. Quis enim ita insaniat, vt hæc dicat? Nisi forte ista fuerit disputatio, Quod lex est virtus peccati, & per legem peccatum augetur. Atq; sic Fratres verbum docere posuerunt, pro causam esse. Nam hoc verum est, quod multiplicatis legibus multiplicantur peccata, Ideo infœlicissimum genus administrandi est, legibus multiplicatis, Ecclesiam Christi liberrimam onerare. Neq; enim Romana curia alia re magis nocuit Ecclesiæ Christi, quam multitudine & uarietate legum suarum, quæ mihi uidentur esse nouissima & omnium maxima persecutio, ut in qua tot irretitæ conscientiæ pereant irrecuperabiliter, ut turpissimum questum sileam, qui legibus istis alitur.

IX.

Hominem dicit non habere liberum arbitrium.

HVnc hæresim Manichæorum vocat Eccius, Ego autem inuidiam Eccianam toto corde detestor, quæ tantum candoris non habet, vt permittat eum pure & aperte docere ueritatem, etiam si eam noscat, Sed inuolucris gaudet, delectatus, quod alij in errore maneant, ut discipulos habeat, in utraq; parte contradictionis. Væ tibi gloria maledicta, & maledicat tibi omnis creatura.

Liberum arbitrium ante gratiam &c.

Scito ergo, Lector, & certus esto, Eccium nihil prorsus in hac re dissentire mihi, nisi ad meram vocem & speciem. Quod vt noscas, aduerte. Eccius Lipsiæ concessit, liberum arbitrium ante gratiam non ualere, nisi ad peccandum. Ergo non ualet ad bonum, sed tantum ad malum. Vbi ergo libertas eius? Nam omnis homo, saltem rudis, audiens liberum arbitrium, intelligit ipsum æque posse in bonum & in malum, prorsus non cogitans, quod solum possit in malum. Inde procedit in fiducia sui, præsumens, posse se ad Deum ex suis viribus conuerte. *Eccle. 15.*

Hæc esse impia Eccius bene nouit, nec tamen Fratres erudit, sed eorum errori impijssime cooperatur. Dico ergo, quod homo habet liberum arbitrium, non quia sit modo, quale fuit in Paradiso (de quo loquitur Eccle. 15. per Eccium inductus) sed quia fuit liberum, & potest fieri per gratiam iterum liberum, alioqui uere est seruum arbitrium. Non ergo liberum arbitrium, tam à facto esse, quam à debito esse dicitur. Vnde Augustinus lib. 2. contra Iulianum, uocat ipsum seruum arbitrium. Et Christus: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Et iterum: Nemo potest accipere quidquam, nisi ei datum fuerit, Iohan. 3. Sicut ergo ciuitas uastata, uel collapsa domus, habet quidem nomen & titulum, quem prius habuit & posterius habebit, non tamen idem potest quod prius, ita liberum arbitrium. *Iohan. 8.* *Iohan. 3.* *Seruum arbitrium.*

Quid autem cum indoctissimis Fratribus agam? Eccius respondeat, Si liberum arbitrium est liberum, cur in potestate Pauli non fuit Roman. 7. facere quod uolebat? Cur seruit peccato, quod odiebat? Ecce in gratia Apostolus captiuum se dicit in lege peccati, & tu homini peccatori tribuis liberum arbitrium? Sed iterum, Si liberum est arbitrium, cur oramus: Sanctificetur nomen tuum? Fiat uoluntas tua? An, ut facilius possimus, sicut Pelagiani dixerunt? Si oramus, impossibile est quod oramus, ac per hoc nullo pacto in libertate nostra. Quid moror? Augustinus dicit contemnendos esse, qui ex malicia resistunt ueritati, docendos, qui ex ignorantia. Eccius autem hæc *Roma. 7.*

non

non ignorat, ut dixi. Quando ergo S. Patres liberum arbitrium defendunt, capacitatem libertatis eius prædicant, quod scilicet uerti potest ad bonum per gratiam Dei, & fieri reuera liberum, ad quod creatum est.

X.

Multos Canones contrarios sacræ Scripturæ, eamq; extorte exponentes.

HVnc iniuriosum in summos Pontifices dicit Eccius & erroneum, & nomine meo interserto, reprehendit me, quod in Actis Augustensibus idem scripserim, & iniquissime ibi iudicarim. Deinde, confutaturus Acta mea, & defensurus Canones, dicit, B. Cyprianum exposuisse illud: Tu es Petrus &c. Quomodo Pelagius exponit distin. xxi. Similiter et B. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Bernardus, Beda, Glosa ordinaria, omnes per Petrum exposuisse petram. De his quidem superius satis est dictum. arti. ij. & iij. Quod maior pars Sanctorum, Petrum gessisse personam Apostolorum & Ecclesiæ dicit, & abusiue Petrum intelligi per petram. Nec uerba Euangelij posse per consequentiam pati hanc expositionem, quod absurdum sit, Petrum ædificari super seipsum, Ideo eos potissimum Patres esse sequendos, qui principalem & proprium sensum Euangelij sequuntur, ut Augustinum, Hieronymum, Bedam Origenem. *Acta Augustanæ.* *Tu es Petrus.*

Recte ergo dixi, Pelagium uiolenter exponere Euangelium, non quia per Petrum petram intelligit, quod hic Eccius peregrina sectatus causatur, sed quod personam Petri ibi non pro Apostolorum persona intelligit. Hoc enim tunc agebam, non an Petrus esset petra. Deinde, quod per petram, sibi potestatem super totam Ecclesiam uendicarit, quod uerba Euangelij non patiuntur. Ista debuit Eccius confutare, et non illic ignem extinguere, ubi nullus ardet, nisi quod, ut dixi, Eccio multa dicere fuit propositum, quam apte autem & recte, stupidis Lectoribus sciebat non esse necessarium, Qui enim uulgi iudicium & famam aucupatur, etiamsi delyret (modo sit copiosus) facile obtinebit.

Similiter & illud quam theologice confutat, quod Decretalis, quæ habet uerbum Pauli: Translato sacerdotio, necesse est ut legis translatio fiat, Dicit me potius glossam quam textum (ut qui sit Augustini & Pauli) improbasse. Ridiculum caput, quasi textum improbarim, quando Pelagium improbaui, in præcedenti puncto, ac non potius abusum textus, & extortam expositionem. Nunquid enim toto hoc negocio textus improbo, quando deprauationes impias Eccij persequor? *Ebre. 7.* *Translato sacerdotio &c.*

Ita hic non fuit propositum meum, textum improbare, sed quod Pontifices hunc textum male traherent ad suum sacerdotium, & leges suas, ut cuilibet patet legenti. Nam alias non potest dari causa, cur in eo loco de constitutionibus, hunc textum Pauli adduxerint, nisi pro legibus suis, sicut glossa dicit. Eccius Iuris Doctor est, & nescit ex titulo intelligere scopum Legis, in eodem positæ, An est iuris sorbilis forte Doctor magis quam intelligibilis?

XI.

Quod plus sit credendum simplici Laico, Scripturam alleganti q̃ Papæ, vel Cõcilio, Scripturam non alleganti.

HAnc Eccius (licet Gerson fortiter ei resisteret) procacem, tum promotiuam hæresis, augmentatiuam pertinaciæ, generatiuam singularitatis, inobedientiæ, & rebellionis, contra summum Pontificem & sacra Concilia, & sic similia pulchra latinitatis ornamenta ex Grammatica contempta.

Eccius asserit non credendum Scripturæ sacræ.

Tu uero, Lector, hic Eccium obserua (ut ecciano more insultem) an non intus & extra, à planta pedis ad uerticem usque perfusus totus sit hæreticissima prauitate, una cum suis discipulis Fratribus. Quid putas boni sentit, qui Scipturæ sanctæ non credendum asserit? Quis unquam auditus est hæreticus, qui verbo Dei non credendum docere præsumpsisset? Sic debent cadere, qui fraterna inuidentia & adulandi furore perditi, non nisi perniciem, & Ecclesiæ, & ueritati, pro maledicta gloria sua quærunt.

Quid hic faciet? Scriptura sancta est uerbum Dei, Quod si Asina diceret, audiendum est, etiam præ omnibus Angelis, si uerbum Dei non haberent, nedum præ Papa & Concilio, sine uerbo Dei agentibus. O furor, uerbo Dei non credendum, sed humanis uerbis docet Eccius Doctor sacræ Theologiæ (id est, uerborum Dei) Docent idem sui discipuli, uiperæ uiperina genimina. I nunc Ecci, & doceto, quod audire uerbum Dei, & credere Scripturam sanctam alleganti, sit promotiuum hæresis, generatiuum singularitatis, inobedientiæ & rebellionis.

Obsecro, vbi nunc est zelus Romanæ Curiæ, ubi Principes, ubi Pontifices, hæc monstra ferre potestis? Ego tot patior hostes, propter hominum opiniones neglectas, hic gloriam habet hostis uerbi Dei, abnegator Scripturæ sanctæ.

XII.

Dicit non esse necessaria bona opera.

HAnc hæreticam pronunciat Eccius, & bene probat. Sed nonne suam prodit maliciam & inuidiam, cum sciat me ita non sapere, & tamen à malignis Fratribus hanc libenter acceptans, ostendit se malle, ut tam insigniter errarem, quo liceret ei cõtra me gloriari, quam ut uera saperem. Quam pulchra fuisset modestia Ecciana, si istis fratribus restitisset, dicens: Falsum uos dicitis, Lutheri scripta legi, non ita sapit, sed iuxta Bernardum. Hoc pro Eccio.

Bona opera extra gratiam facta.

Cæterum, huius Propositionis originem puto esse, quod sæpius docui, Bona opera, quę extra gratiam fiunt, nihil esse. Deinde, soli fidei, sine operibus legis, iuxta Paulum, tribui iusticiam. Tum Fratres illi, neque quid opera Legis, neque quid opera bona significent, docti, pro operibus Legis, quæ necessaria nõ sunt, imo noxia sunt, posuerunt opera bona. Nam, quid de Lege aut operibus Legis scient, quibus professio nihil uelle discere, est, nihil scire, sed uisiones capitis sui pro pugillo hordei, & fragmine panis (ut Ezechielis uerbis dicam) miserrimo populo inculcare. *Ezechiel. 13.*

Stat ergo sententia:

Non sunt necessaria, imo sunt noxia opera legis cuiuscunque,
Sed necessaria sunt & salubria opera bona quæcunque.

XIII. Deum

XIII.

Deum præcepisse homini impossibilia.

Matth. 11. 1. Iohan. 5. HIC multas conuehens autoritates Scripturæ, in quibus iugum Christi leue, Matth. 11. Mandata non grauia. 1. Iohan. 5. Quæ, disperèam, nisi simulet, aut penitus ignoret, quid velint. Dixi supra Eccium mecum sentire, quod liberum arbitrium sine gratia non ualet, nisi ad peccandum. Obsecro, quæ tandem est tabes tanta inuidiæ, hanc nostræ miseriæ & impotentiæ scientiam abscondere à Fratribus nostris? Si non ualet nisi peccare homo, quomodo non sunt impossibilia ei omnia mandata Dei? Pereat ista maledicta Sophistarum simulatio & dissimulatio, quæ aliud nihil facit, quam quod aliud hic, aliud ibi dicit, ad seducenda corda simplicium. Sophistarum simulatio &c.

Philip. 4. 2. Cor. 3. Dico ergo: Mandata Dei, etiam leuissima & minima, sunt homini impossibilia per seipsum, Sed cum gratia Dei sunt facillima, ut Apostolus: Possum omnia in eo, qui me confortat. Qui alibi dicit: Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis. Cur enim oramus: Voluntas tua fiat, si sunt possibilia nobis? Recte ergo dicit Hieronymus, Anathema esse, qui dixerit impossibilia esse mandata Dei, sed non negauit nobis esse impossibilia, Deo omnia sunt possibilia, nobis nihil est possibile. Sicut dicit Psal. 139. Nec sermo est in lingua, quanto minus opus est in manu mea? Hieronymi dictum. Psal. 139.

Hanc elucidationem potuit Eccius dare, sed noluit, ne non haberet, quod in me criminaretur, & calumniaretur. Plus eum delectat, inuidiam mihi mouere, quam proximos veritatem docere, Malletque omnes homines in errore perire, quam tabidam suam inuidiam non explere.

Deut. 30. Transeo illud Deut. 30. Non est trans mare &c. quod tanta inscicia tractat, ut insanire uerius uideatur, quam loqui, Suo hæc tempori.

XIIII.

Christus nihil sibi meruit, sed tantum nobis.

DE hac Propositione ipse adhuc dubito, quia omnia erant Christi ab instanti primo suæ conceptionis, Ideo meritum hic æquiuoce accipi oportet. Sed nec scio, an unquam hunc dixerim, Hoc scio, quod quidquid Christus fecit & obtinuit, nobis fecit & obtinuit, ad implendam uoluntatem Patris, nihil enim sibi quæsiuit. Et hoc sensu, si ab aliquo meorum auditorum dictum est, recte dictum est, Nam id me in populum concionatum esse certus sum. Est ergo sensus: Christus merendo non sibi, sed nobis seruiuit, Sicut

Esa. 43. dicit Isa. 43. Seruire me fecisti in peccatis tuis.

Verum, hæc Propositio ideo offendit Fratres ruditatis, quod ipsi populum soleant seducere, & ad magna merita cumulanda exhortari, maxime operibus à se doctis & electis, Quo faciunt, ut homines assuescant quærere, quæ sua sunt in Deo, & propter merum commodum Deo seruire. Cum ad exemplum Christi, qui propter nullũ suum lucrum aut meritum, sed propter solam uoluntatem Dei ad nostram salutem, omnia fecit, Et nos, non propter ullum commodum debeamus Deo seruire, nec cogitare, quod magna mereamur, sed quod bene uoluntati Dei placeamus.

Hanc sanam doctrinam isti insani Fratres & Pseudoprophetæ non intelligentes, mundum replent erroribus, & Infernũ damnatis animabus, dum hominibus magis inculcant meritorum uocabula, quam diuinæ uoluntatis memoriam.

moriam. Quod Christum non sibi meruisse dixi, qui nec quid mereri sit, unquam cognouerunt, neq; cognoscere possunt. Mereri enim, non est animo merendi bona facere (ita enim solent isti mentium deceptores populũ Christi illudere) sed simplici corde, nullo meriti, aut præmij respectu, solo gratuito affectu, gratis diuinæ uoluntati obtemperare, Charitas enim non quærit quę sua sunt, merita uero & præmia sua sponte sine nostro studio sequuntur, ad obedientiam diuinæ uoluntatis.

Mereri.

XV.

Bohemos esse meliores Christianos nobis.

HVnc Eccius fotiuum hæresis derogantem sacro Concilio Constantiensi dicit. Nihil habet pannosus hic & penuriosus Theologista, quod iactet, quod Concilium Constantiense, quod alias satis dixi & errasse, & multa non pro hæreticis, nec erroneis statuisse, quæ Eccius hæretica & erronea, de proprio cerebro pro sua temeritate statuit. Apostolus hic audiendus est. Tu quis es, quis iudicas alienum seruum? suo Domino stat aut cadit.

1. Cor. 4.

IN fine, articulum de canonisatione Sanctorum, non satis expressit, ideo nihil possum adhuc dicere, nisi quod dicit, ipsum esse scandalosum, & derogatiuum papalis potestatis sibi traditæ. Valde uellem scire, ex quo loco scripturæ tradita sit potestas Papæ, Sanctos canonisandi? Deinde, quæ necessitas Sanctos canonisandi? Tandem, quæ utilitas Sanctos canonisandi? Sed, quia ipse hic transijt, transeam & ego, Nihil dicens, nisi quod mihi non satis placet canonisatio Sanctorum, more, quo uidimus multos canonisari, qui optime seipsos canonisassent: licet non damnem: Canoniset quisque quantum uolet.

Canonisatio Sanctorum.

VIdisti (inquam) Lector charissime, quam inique & malitiose me Eccius & Fratres quæsierint, ut, cum mea calumniari non possent, sua mihi figmenta imposuerunt, ut calumniandi libidinem utcunq; explerent, in qua re, si me non prohiberet Christiana professio, utrosq; mirifice possem tractare.

Verum, ne me tam stupidum arbitrentur, quasi eorum nequicias deprehendere nequeam, tentabo & ipsis, non mea, sed sua uenena proponere, & cogitationes eorum releuare, ut habeant tam ociosi criminatores negocium, quo occupentur. Producam ergo hic per ordinem Articulos hæreticos & errores, quos ex prædictis eorum calumnijs collegi, & uidebunt, quanto sit difficilius propria tueri, quam aliena carpere.

XXIIII ARTICVLI HAERETICI IOHANNIS ECCII ET quorundam Fratrum, ex illorum assertis & negatis, Per Martinum Lutherum deducti.

I. Nicenum Concilium cum quatuor sequentibus est hæreticum.

II. Aphricanum Concilium est hæreticum. Probatur ex Eccianis

cianis dictis, quia determinauerunt contra Constantiense Concilium, Romanum Pontificem non esse vniuersalem Episcopum super omnes Ecclesias, nec Episcopos ex vrbe Romana confirmandos.

III. Orientalis Ecclesia fuit plus quam per mille annos hæretica. Patet, quia uixit secundum statuta Niceni, contra Concilium Constantiense.

IIII. Aphricanæ Ecclesiæ cum Cypriano Martyre fuerunt hæreticæ. Quia vixerunt in eodem puncto secundum Nicenum Concilium.

V. S. Augustinus, Ambrosius, Martinus, Nicolaus sunt hæretici. Quia non fuerunt ordinati à Romano Pontifice, contra Concilium Constantiense.

VI. Gregorius Nazianzenus, Athanasius, Basilius Magnus fuerunt hæretici. Quia secundum Nicenum Concilium, contra Constantiense egerunt.

VII. Romani Pontifices omnes usq; in hodiernum diem sunt hæretici. Quia approbauerunt statuta Niceni Concilij, contra Constantiense Concilium.

VIII. Gregorius Magnus fuit hæreticus cum suis Prædecessoribus. Quia oblatum à Concilio Chalcedonensi primatum recusarunt, & sic iuri diuino restiterunt, contra Concilium Constantiense.

IX. Tota vniuersalis Ecclesia est hæretica per totum orbem, excepto Eccio & Fratribus. Quia tenet Nicenum Concilium Euangelio æquale.

X. Decreta Romanorum Pontificum plurima sunt hæretica. Quia determinant, Nicenum Concilium Euangelijs comparandum, contra Constantiense.

XI. Papa malus, non est Papa. Quia verbum Christi: Tu es Petrus &c. ei non conuenit, cum non sit Petra, nisi qui Petro similis sit, quoniam per Eccium isto verbo Papæ autoritas probatur. Hic est Donatistarum & Pighardorum articulus.

XII. Papa non prædicans Euangelium, non est Papa. Quia verbum Christi: Pasce oues meas, non seruat, quo Papa constituitur iuxta Eccium. Idem, Si non confirmat Fratres suos lapsos & tribulatos, per eundem Eccium.

XIII. Papa non diligens Christum, non est Papa. Quia iuxta Eccium Petrus Papa constituitur per verbum: Pasce oues meas, vbi prius dilectio requiritur à Christo.

XIIII. Præcepta Decalogi non sunt data, nisi ijs, qui sunt in statu perfectionis. Quia Præceptum: Non concupisces, nulli conuenit seruare, nisi in statu perfectionis, multo minus alia grauiora.

XV. Peccata non posse remitti, nisi cognita & confessa. Patet ex Iohan. ultimo: Quorum remiseritis, & ex glossa Eccij, sed hoc est erroneum & hæreticum, cum sint occulta & oblita.

XVI. Liberum arbitrium sine gratia esse liberum, ac non seruum. Contra Paulum Rom. 6. Serui fuistis peccati &c. Roma. 6.

XVII. Romanum Pontificem esse hæreticum. Quia exemplo Christi & Petri (quibus est æqualis) non pendit tributum.

XVIII. Clerus totus est hæreticus. Quia non soluit Principibus secularibus tributum, patet per idem.

XIX. Iura de priuilegijs & immunitate Ecclesiarum, & rerum, & personarum, sunt hæretica. Quia contra Christum & Petrum soluentes tributum, quibus debent æquari, cum per æqualitatem illam Eccius probarit Romani Pontificis potestatem.

XX. Reges & Principes Euangelio obediunt, si accipiant maiores pensiones à Papa & Clero, quam à Laicis. Patet per idem.

XXI. Verbo Dei non est credendum, sed verbo hominum. Quia Laico Scripturam habenti credendo, dicit Eccius fomentum hæresis fieri.

XXII. Concilium est supra Scripturam & verbum Dei. Quia Eccio Magistro, plus eis credendum, etiam sine Scriptura, quam Laico cum Scriptura.

XXIII. Papa est peior, quam Lucifer & Antichristus. Quia Lucifer & Antichristus tantum æqualitatem Dei quærunt, sed Eccius Papæ tribuit superioritatem Dei, dum cum præfert uerbo Dei.

XXIIII. Præcepta Dei sunt homini possibilia, & per consequens gratia Dei non eget, sicut Pelagiani dicunt.

HOS pestilentes & blasphemos errores protestatur Martinus Lutherus contineri in Eccianis & Fratrum articulis, cum earum declarationibus, & promittit eos conuicturum se de his omnibus & probaturum, nisi reuocarint sua pessime dicta.

Hæc autem, Lector, tentaui non curiose, longe plura inuenturus, si Eccij & Fratrum more, ad uiuam, quod dicitur, cutem, ea sim examinaturus, quę ipsi in papyrum expuerunt, quæ omnia in suum tempus reseruo refutanda. Nondum enim Eccium tractaui, quomodo me semper tractat. Erit autem forte, ut Canem dormientem irritet, & patientiæ meæ abusum semel soluat. Vale, & ora, ut Eccius meus sanus fiat, & liberetur à miseria insanæ adulationis & gloriæ, Amen.

DISPVTATIO

DISPVTATIO ET EXCVSATIO F. MARTINI Lutheri aduersus criminationes D. Iohannis Eccij.

D. MAR. LVTH. PIO. LECTORI.



ECcius meus irascitur, mi Lector, consecrauitque Sedi Apostolicæ aliam Disputationis schedam, plenam iræ suæ & criminationis mei, adiecitque prioribus Propositionibus vnam, fortiter irascentem, hoc est, nisi timerem Disputationi futuræ impedimentum fieri, pulchram occasionem maledictis suis semel respondendi. Sed omnia tempus habent, Hoc nunc satis fuerit.

Quod adductis aliquot S. Patrum dictis me hostem Ecclesiæ criminatur, sic intellige Lector, Per Ecclesiam Eccius opiniones suas & heroum suorum, qui sudauerunt in Indulgentijs, significat. Nam consecrator est Sedis Apostolicæ, & more opinatorum Heroum suorum loquitur, qui Scripturæ & Patrum verbis, vtuntur, velut Anaxagoræ elementis, ut quam primum ea consecrarint Sedi Apostolicæ, mox transsubstantiata in eorum arbitrium vocabula (mirum dictu) quodlibet ex quolibet fiunt, etiam id significare idonea, quæ vel per febrem ipsi somniant, vel per muliebris inuidiæ impotentiam delirant.

Denique tam infœliciter suæ eis cedunt disciplinæ, vt hoc ipsum, quod bonum didicerunt, nunquam bene intelligant, & iuxta Apostolum, non intelligunt, neque quid loquuntur, neque de quibus affirmant, hoc est, nec prædicatum cum subiecto, nec subiectum cum prædicato in Propositione cathegorica componere docti. Speramus futurum, vt simili dexteritate & alia testimonia nobis producturus sit in futura Disputatione, ne desit, quod etiam pueri rideant. Speraueram, Eccius didicisset ex epistola Erasmi literarum principis, hebetudinem capitis sui, verum patientia Ecciana vincit omnia, satis est, si cæteris omnibus displiceat, sibi saltem & heroibus suis placeat.

1. Tim. 1.

Erasmus literarum Princeps.

Quod autem me hæreticum & Bohemum conscelerat, dicens me ignire veteres cineres &c. pro modestia sua facit, aut pro officio consecrationis, qua quidquid consecrat, consecratum est, nullo alio vsus chrismate, quam veneno linguæ suæ.

Tu vero (ne hoc mali nominis agnoscam) interim scias, mi Lector, me de

me de Monarchia Rom: Pontifi. non spernere venerabilem consensum tot fidelium per Italiam, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Angliam, aliasq; Regiones. Vnum tantum a Domino precor, ne vnquam sinat me dicere aut sentire, quod Eccio, qui nunc est, placeat, Ne forte pro libero arbitrio Christum filium Dei ostentui habeam, & pro Rom: Ecclesia Christum in India & Oriente viuere & regnare negem, Seu, vt & ego quid enigmatizem festiuo huic Enigmatisti, ne cum Eccio cloacam Constantinopolitanam denuo recludam, & de antiquis Aphricæ homicidijs, noua celebrem Ecclesiæ martyria.

Nam vt venenati sui Enigmatis scandalo non lædaris, Scias, mi Lector, inter articulos Iohannis Huss censeri, etiam a nonnullis, hunc, quod Rom: Pontificis papalem excellentiam a Cæsare esse dixerit, quod & Platyna manifeste scribit. Ego vero non cæsareis, sed pontificijs Decretis eandem Monarchiam probari posui, Ita sane ipsamet Ecclesia Lateranensis in Vrbe, de frontis suæ peripheria cantat, dogmate Papali simul & imperiali, se esse matrem Ecclesiarum &c. Noti sunt versiculi. Quid igitur? Necesse est, vt ipsa quoq; Ecclesia Eccio sit Hussita, & igniat cineres. Deinde, quia mandato Papæ, consensu Cardinalium totius Romæ & vniuersalis Ecclesiæ, illa sic cantat, nihil mirum, si Eccius fastidiat antiquos cineres, & pro officio consecrationis suæ, consecrare anhelet nouum holocaustum Sedi Apostolicæ, semel Papam, Cardinales ipsamq; Ecclesiam Lateranensem in cineres nouos redacturus. Deo gratia, quod vnus saltem Eccius reliquus est, qui Catholice sapiat, singularissimus ille singularitatis persecutor, cæteris omnibus per virus Boemiæ perditis.

Iohannes Huss.

Sed quid mirum, quod Sophistæ eiusmodi Historias ignorent, quando suas Propositiones cathegoricas non intelligunt? Ego quidem hanc materiam nunquam tractaui nec cogitaui disputare, Verum Eccius iam diu grauissima in me exulceratus inuidia, has odiosas esse Propositiones sciens, cum in cæteris desperaret victoriam, hic saltem mihi conciliare sperauit indignationem, doctus catulum (vt dicitur) ferire coram Leone, & ex Disputatione veritatis, facere Tragœdiam inuidiæ.

Sed criminentur quantum velint, consecrent Sedi Apostolicæ suas adulationes, consecrent scamno & scabello, consecrent etiam cistæ Apostolicæ (quandoquidem hoc ad rem Indulgentiarum & Monarchiam maxime omnium pertinet) Transiliant altare sui Baal, clament voce maiore, Deus enim est, forsitan loquetur, aut in itinere, aut in diuersorio est, aut certe dormit, vt excitetur. Sufficit mihi, quod Sedes

1. Reg. 18.

apostolica

apostolica neq; vult, neq; potest quidquam contra Christum, Nec in hac re timebo, seu Papam seu nomen Papæ, multo minus pappos & puppas istas.

Vnum ego specto, ne nominis mei Christiani spolium cedat in doctrinæ Christi purissimum dispendium. Nam hic nolo, vllus meam expectet patientiam, Nolo Eccius querat, nec sub nigra, nec sub alba cuculla, modestiam. Maledicta sit impię illius clementiæ gloria, qua Achab dimittit Benhadab hostem Israel, Hic enim uellem non modo esse potentissimus mordendo (quod Eccio dolet) sed inuictus quoque deuorando, quo & Siluestros & Ciuestros, & Caietanos & Eccios, reliquosq; fratrores Christianæ gratiæ impugnatores, vno (vt Isaiæ verbo vtar) ore deuorare possem. Terreant alium per adulationes & consecrationes suas, Lutherus sacerdotes & consecratores Sedis Apostolicæ contemnit. Cætera in disputatione & post disputationem. Tamen interim gaudere permittimus, miseram cōscientiam, simulata spe triumphi, & vana minarum iactantia. Igitur addo & ego meis Propositionibus tertiamdecimam aduersariam Eccianæ iracundiæ, Dei fuerit ex ea Disputatione bonum promouere, quam tot malis inuidiæ & detractionis Eccius contaminat. Bene uale, mi Lector. 1. Reg. 22.

CONTRA NOVOS ET VETERES ERRORES DEFENDET D. MARTINVS LVtherus has Positiones sequentes in studio Lipsensi.

VOtidie peccat omnis homo, sed & quotidie pœnitet, docente Christo, Pœnitentiam agite. Excepto vno nouo quodam iusto, qui pœnitentia nō indiget; cum etiam palmites fructiferos quotidie purget Agricola cœlestis. 1.

In bono peccare hominem, & peccatum veniale, non natura sua, sed Dei misericordia solum esse tale, aut in Puerō post baptismum peccatum remanens, negare, hoc est Paulum & Christum semel conculcare. 2.

Qui

3. Qui opus bonum aut pœnitentiam, a peccatorum detestatione ante dilectionem iusticiæ incipi, nec in eo peccari, asserit, hunc inter Pelagianos hæreticos numeramus, Sed & contra sacrum suum Aristotelem desipere probamus.

4. Deus mutat pœnam æternam in temporalem, scilicet crucis portandæ, cuius Canones aut Sacerdotes, nec statuendæ, nec auferendæ, habent vllam potestatem, quanquam id ab Adulatoribus noxijs seducti, præsumere possint.

5. Quilibet Sacerdos debet absoluere pœnitentem a pœna & culpa, aut peccat, æque peccat superior Prælatus, si occulta sine causa reseruat rationabilissima, quantumlibet vsus Ecclesiæ, id est, Adulatorum, resistit.

6. Forte satisfaciunt animæ in Purgatorio pro peccatis, Sed quod Deus a morituro plus quam voluntariam mortem requirat, uanissima temeritate asseritur, quia nullis modis potest probari.

7. Neq; quid Fides, neq; quid Contritio, neq; quid Liberum arbitrium sit, ostendit se nosse, qui Liberum arbitrium actuum, siue bonorum, siue malorum Dominum esse balbutit, aut non sola Fide verbi, quem iustificari, aut fidem non tolli quolibet crimine, somniat.

8. Veritati & rationi contrarium est quidem, inuite morientes deficere in charitate, ideoq; pati horrorem Purgatorij, modo veritas & ratio sit idem, quod opinio Theologistarum.

9. Animas in Purgatorio esse certas de salute sua, nec gratiam in eis augeri, scimus a Thelogistis asseri, Sed miramur doctissimos viros, quod huius fidei suæ rationem, nec stultæ verisimilem reddere possunt.

10. Meritum Christi esse thesaurum Ecclesiæ, & Sanctorum meritis iuuari, certum est. Esse autem thesaurum Indulgentiarum, nemo, nisi fœdus adulator, Extrauagantes a veritate, & fictæ quædam Ecclesiæ praxes aut vsus simulant.

11. Dicere, Indulgentias esse bonum Christiano, est insanire, sunt enim verissime operis boni vicium, & improbare Indulgentias debet Christianus, ob abusum, quia Dominus dicit: Propter me deleo iniquitates tuas, non propter pecunias.

12. Papam posse remittere omnem pœnam pro peccatis debitam, huius & futuræ vitæ, & quod Indulgentiæ prosint non criminosis, somniant secure indoctissimi Sophistæ, & pestiferi Adulatores, non tamen vel nutu possunt ostendere.

13. Romanam Ecclesiam esse omnibus alijs superiorem, probatur ex frigidissimis Ro: Pontificũ decretis, intra quadringentos annos natis, Contra quæ sunt Historiæ approbatæ mille & centum annorũ, textus Scripturæ diuinæ, & decretum Niceni Concilij, omnium sacratissimi.

CONTRA

CONTRA F. MARTINVM LVTHERVM: IN LIPSENSI STVDIO, HAS DISPVTABIT POSITIOnes Eccius, IIII. Iulij, Anno M. D. XIX. hora VII.



Eque dictis sacræ Scripturæ, aut sanctis Patribus, Augustino & alijs concordat, Dominum & Magistrum nostrum Ihesum Christum, dicendo: Pœnitentiam agite, voluisse omnem Fidelium vitam esse pœnitentiam. Vnde & de sacramentali pœnitentia illud uerbum idonee potest intelligi. 1.

Etsi peccata venialia sint quotidiana, tamen Iustum semper peccare in omni opere bono, etiam bene moriendo, negamus. Sicut erroneum dicimus, iustum, manente iusticia, peccare posse mortaliter, aut in puero, post baptismum, alienæ voluntatis peccatum remanere. 2.

Astruentem pœnitentiam, non recte inchoari a detestatione peccatorum, recogitando grauitatem peccati & pœnæ, & quod faciat magis peccatorem, tanquam Euangelio & sanctis Patribus contrarium, non dicimus audiendum. 3.

Dicere, Deum remittendo culpam, remittere pœnam, & non commutare in pœnam aliquam temporalem satisfactoriam, per Canones & Saterdotis iniunctionem, in parte vel toto declaratam, ut sacræ Scripturæ, & usui Ecclesiæ repugnans, existimamus. 4.

Quemlibet sacerdotem, nullo Prælato dempto, suo subdito petenti, posse remittere, aut debere pœnas & culpas, ita, q̄ Prælatus non plenarie absoluens a pœna & culpa, peccet, uelut usui sanctæ matris Ecclesiæ aduersum, non acceptamus. 5.

Animas in Purgatorio non satisfacere pro peccatorum pœnis, a quorum culpis absolute, hic non satisfecerunt, reputamus erroneum, sicut non est sine errore, qui non credit Deum a morituro requirere aliam, q̄ mortis, pœnam. 6.

Errat, qui Liberum arbitrium hominis, negat Dominum actuum hominis ex eo, quia ipsum habeat se actiue ad malum, ad bonum uero tantum passiue, Sicut non est sine errore, qui fidem quolibet crimine corrumpi, contra Scholasticos existimat, nec sine maximo errore, qui nulla contritionis habita ratione, in sola Fide, quem absolui, procaciter prædicat. 7.

Ex imperfectione charitatis uel fidei, in Anima mortui, fieri horrorem & quasi desperationem, quibus in Purgatorio afficiantur, & 8.

quod illum horrorem ex timore mortis incurrant, quo quasi inuiti moriantur, non recipimus, quia veritati & rationi contrarium.

9. Animas in Purgatorio mereri maiorem gratiam, aut eorum premia minui, si alienis meritis liberentur, aut non esse certas de salute, aut suffragia nostra nolle, vt fidei nostræ & omni rationi aduersa, negamus.

10. Meritum passionis Christi, non esse thesaurum Ecclesiæ, ex quo dentur Indulgentiæ, quia veritati & apostolicis Decretis obuians, negamus, sicut claues esse thesaurum Ecclesiæ, imperitissimum opinamur. Meritis quoque Sanctorum nos adiuuari pie credimus.

11. Dicere, Indulgentias non expedire, est error, dicere item, Indulgentias esse uicium aliquod operis, quo ipsum minus valeat, error est pessimus. Quare & hunc errare sentimus, qui dicit, se teneri improbare Indulgentias, quia Dominus dicat: Propter me deleo iniquitates, non propter pecunias.

12. Papam non posse remittere pœnam, pro peccato debitam, per Indulgentias, error. Imo, erroneum est, cum non posse absoluere a pœnis animas in Purgatorio existentes. Omnium autem maxime non recipimus, quod morituri, infirmi, legitime impediti, non crimina publica habentes, Indulgentijs non egeant.

13. Romanam Ecclesiam non fuisse superiorem alijs Ecclesijs ante tempora Siluestri, negamus. Sed eum, qui sedem beatissimi Petri habuit & fidem, successorem Petri & Vicarium Christi generalem semper agnouimus.

Contraximus, quo ad fieri potest, Propositiones, & has paucas accepimus, & quod alia ab his pendeant.

AD LECTOREM.

HAbes hic, Lector, quisquis es, Disputationem illam celebrem, quam Lipsiæ uidimus & audiuimus inter insignes uiros, D. Iohannem Eccium, & Martinum Lutherum habitam. Erunt fortasse, qui nollent editam, alij uero & damnent excusam, quod communi consilio Partes utrinque conuenisse dicuntur, ne qua via Disputatio eiusmodi disseminaretur. Verum his sermonibus nihil mouearis, Lector, Si enim serio uoluissent occultatum iri hoc pelagus & chaos uerborum, non utique permisissent publico conspectu, a quouis libitum esset, excipi & in literas referri. Nam cum plus triginta Exemplaria sint illic excepta, & in diuersas orbis partes emissa, satis palam est, voluisse omnia inuulgari, Nisi forte Notariorum (qui ad

hoc

hoc ipsum seorsim designati erant) Exemplaria his legibus suis subiacere curarint.

Nos, si quid vtilitatis in ea pio Lectori afferre possemus, solliciti fuimus. Sunt in ea sane pleraq; talia, quae hucusq; aut non nouimus, aut non ausi sumus nosse. Quae si bene cedunt, quid ueritatis sint allatura, viderint ij, quorum interest, libertatis certe nonnihil paritura sperantur, qua de rebus Ecclesiae & Christianismo, audentius & loqui & audire contingere putantur.

Quanquam multa quoque sint in hac sylua, quae extra propositum dicta sint, noluimus tamen quidquam imminuere, sed simplici fide, ut dicta & gesta sunt, plene omnia reddere.

Porro, nostrae opis non ignari nec immemores, neutri partium quidquam arrogare aut derogare possumus, nec iudicium tentare, quo solet uel allici uel retrahi Lectoris affectus. Relinquimus autem omnia in omnium & singulorum iudicio, quod ut uarium futurum non dubitamus, ita vt optimum quodq; praeualeat, optamus, ad laudem Dei & communis rei Christianae incrementum. Vale Lector pie, & pie legas, quae pie monstrantur a nobis, Quod facies, si nostrum studium boni consulas.

DISPVTATIO EXCELLENTISS: THEOLOGO: IOhannis Eccij & D. Martini Lutheri Augustiniani, Quae Lipsiae coepta fuit IIII. die Iulij, Anno M. D. XIX. hora VII.

PROTESTATIO PATRIS MARTINI LVTHERI.

IN NOMINE DOMINI AMEN. PROtestationem egregij Domini D. Iohannis Eccij amplector & sequor. Hoc unum addo, quod pro reuerentia summi Pontificis & Ro: Ecclesiae libens hanc materiam, non necessariam & mire inuidiosam praetermisissem, nisi per Propositionem egregij Do. D. Iohannis Eccij in eam pertractus fuissem. Doleo etiam eos non adesse, quos maxime oportuit, qui cum & priuatim & publice toties me crimine haereseos profanarunt, nunc cum instet cognitio causae, se subtraxerunt, Haereticae prauitatis Inquisitores dico, qui fraternam monitionem & doctrinam postposuerunt criminationib. suis.

SCOPVS.

DE POTESTATE, PAPAE IMO DE primatu Ro: Pontificis, Eccij Protestatio.

IN nomine tuo dulcis Ihesu. Antequam in arenam descendam, Protestor coram vobis illustrissimis, nobilibus, magnificis & excellentissimis Dominis, omnia per me dicenda & dicta in primis esse subiecta iudicio primæ sedis, & Domini in ea sedentis. Deinde, quorumlibet aliorum, quorum est errantes corrigere, & ad veritatis cognitionem reducere.

Et quia Reuerendus Pater in præfatione sua quasi se excusando, testatur se libenter hanc omisisse materiam, pro summi Pontificis reuerentia, nisi per meam pertractus fuisset Propositionẽ. At meminerit Reuerend. Pater, nisi prius ipse in Resolutorio ante tempora Siluestri negasset, Rom: Pontificem alijs superiorem, non fuisse necessarium, me tredecimam illam posuisse Propositionem, Et quod in Actis Augustæ coram Legato Sedis apostolicæ B. Pelagium Pontificem euangelica scripta torsisse causatur, qui tamen maxime omnium ad sanctorum Patrum intentionem verba Christi accepit. Frustra ergo Reuerendus Pater in me causam torquere nititur, cui ipse non semel occasionem pręstitit. Sed iam ambagibus resectis, principale institutum, Deo duce, aggrediamur.

Reuerende Pater, Vestra Conclusio tredecima meæ contradicens, fatetur Ro: Ecclesiam esse alijs superiorem, iuxta frigidissima Ro: Pontificum Decreta, intra quadringentos annos nata, Quibus obstare dicitis textum sacræ Scripturæ, & Historias approbatas mille & centum annorum, Contra quam sic oppono.

Monarchia & vnus principatus in Ecclesia Dei est, de iure diuino, & à Christo institutus, Quare textus sacræ Scripturæ vel Historiæ approbatæ, ei non aduersantur. *Ecclesia militans.* Quoniam Ecclesia illa militans, quæ est velut vnum corpus, iuxta D. Pauli sententiam, est instituta & facta ad imaginem Ecclesiæ triumphantis, *Ecclesia triumphans.* in qua est una Monarchia omnibus per ordinem dispositis, usq; ad vnum Caput, scilicet Deum. Quare & talis ordo à Christo in terris est constitutus, cum fateatur Iohan. 5. Filium non facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem. *Iohan. 5.* Quare non de cœlo est, qui Capiti subesse recusat, sicut non de cœlo, sed de Lucifero est, qui Deo non uult subijci.

Quæ omnia latissime confirmari possunt, maxime per sacram illam Animam B. Dionysium Areopagitam lib. de ecclesiastica hierarchia, ubi ait: *Dionysius.* Nostra enim hierarchia a Deo traditis ordinibus sancte disposita, sanctis & cœlestibus Hierarchijs conformis est. Ita Gregorius Nazan. in Apologetico: *Gregorius Nazan.* Sacrosancta mysteria (ait) ad instar cœlestis imaginis celebrari, per quæ utiq; in terris cœlestibus ordinibus associamur. Nam quod monstrum esset, Ecclesiam esse Acephalam? quod omnes ferme hæretici moliti sunt (ut S. Cyprianus ad Rogationum & Puppianum innuit) *Cyprianus.* ut sic debilitato Capite errores suos & uirus impune possent mentibus hominum inculcare. Et hæc fuit ratio principalis cum alijs annexis, propter quam Parisiense fœlix studium Iohannem Tornacensem damnauit, *Iohannes Tornacensis.* negantem primatum Ecclesiæ Romanæ. Sic & error fuit Vuiklefficus, Romanam Ecclesiam alijs non esse superiorem de lege Euangelij.

LVTHERVS.

LVTHERVS.

QVando Dominus D. arguit, Omnino esse caput Ecclesiæ vniuersale, optime facit. Etsi est aliquis qui priuato pacto conuenerit cum dominatione sua ad defendendum contrarium, surgat in medium, ad me nihil pertinet.

ECCIVS.

QVia reuerendus Pater dicit, nihil ad se pertinere de contrario illius, q intendebam probare de iure diuino, esse Monarchiam in Ecclesia militante, sicut & triumphante. In quo eũ collaudo, q & in hoc D. Io-
Apoc. 21. hanni in Apocalypsi consentit: Vidi ciuitatem sanctam nouam descendentem &c. At propius ad rem accedentes. Si Ecclesia militans non fuit sine Monarcha, uellem audire, quis esset iste Monarcha alius, aut unq fuisset nisi Ro: Pontifex, aut quæ alia prima Sedes, nisi sedes Petri & eius Successorũ? Iuxta illud B. Cypriani, qui in Epistola 2. ad Cornel: Rom: Pontificem scri- Cyprianus.
bens, contra Nouatianos subdole Romam accedentes, inquit: Post ista adhuc insuper cedo Episcopo, sibi ab hæreticis constituto, nauigare audent, & ad Petri cathedram atq Ecclesiã principalem, unde sacerdotalis unitas exorta est, á schismaticis & prophanis Literas ferre, ne cogitare eos esse Romanos, quorum fides ab Apostolo laudata est, Ad quos perfidia habere non possit accessum. Et Hieronymus idem testatur contra Luciferianos: Ecclesiæ Hieronymus contra Luciferianos.
salus (ait) in summi sacerdotis dignitate pendet, cui si non exors quædam & ab omnibus eminens detur potestas, Tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes.

Et q ille summus sacerdos sit Romanus, liquet apud eundem B. Hieronymum in duabus Epistolis ad Damasum Papam, cuius ferme singula uerba ad institutum faciunt, uerum breuitatis studio illa signemus. Cum successore Piscatoris & discipuli Christi loquor. Ego nullum prēmium sequens, nisi Christum beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri consocior, Super illam Petram fundatam Ecclesiam scio. Et infra: Quicunq tecum non colligit, ille dispergit. Ex quibus quisq bonus Christianus facile conijcit, unitatem sacerdotalem à Ro: fluere Pontifice, & illam fuisse semper cathedram principalem, & omnibus alijs prælatam, & quod illa sit Petra, sicut Hieronymus dicit, se scire, super quam fundata sit Ecclesia. Vel reuerendus Pater assignet alium Monarcham Ecclesiæ priscis temporibus.

LVTHERVS.

MOnarchiam Ecclesiæ militantis prorsus confiteor, eiusq Caput non hominem, sed Christum ipsum, Idq autoritate diuina. Prima ad
1. Cor. 15. Corinth. 15. Oportet illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Et paulo ante. Deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & Patri, & euacuauerit omnem principatum. Quod Augustinus lib. 1. de Tri. ul. cap. Augustinus.
exponit de regno Christi præsentis temporis, Ita uidelicet, q Christus, Caput Ecclesiæ, per fidem transferet nos, qui Regnum eius sumus, ad speciem. Sic
Matth. 28 Matth. vlt. Ecce ego vobiscum sum, usq ad consummationem seculi. Item,
Acto. 9. Act. 9. audiuit Paulus de cœlo: Saule, Saule, quid me persequeris? ubi iterum Augustinus dicit, Caput loqui pro membris suis.

Quare prorsus audiendi non sunt, qui Christum extra Ecclesiam mili- Ecclesia militans regnum fidei.
tantem trudunt in triumphantem, cum sit regnum fidei, hoc est, quod Caput
Psal. 121. nostrum non uidemus, & tamen habemus, Iuxta illud Psal. 121. Illic sederunt

sedes in iudicio, super domum Dauid, multæ scilicet sedes, in quibus vnus sedet Christus. Sedes videmus, non sessorem vel regem.

1. PRoinde ad autoritates, egregie D.D. veniendo, quando asserit, in Ecclesia militante esse vnum Principatum, diuino iure & à Christo institutum, Sua dicit, sed nihil probat. Nam prima eius autoritas Pauli, nimirum Ephe. 4. quæ Christum Caput Ecclesiæ dicit, pro me contra eum valet; cum certissime loquatur ibi de Ecclesia militante, & Christum appellat eius Caput. Est etiam eadem sententia contraria huic, 1. Corinth. 3. Quid est Apollo? quid Cephas? quid Paulus? Diuisus est Christus? &c. vbi manifeste prohibet aliud Caput quam Christum. Ephe. 4. 1. Cor. 3.

2. Aequalitas Filij cum Patre. Secunda eius Autoritas Iohan. 5. Non potest Filius facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem, neque de Ecclesia militante, neque triumphante loquitur, sed omnium Doctorum sententia, de æqualitate sua cum Patre, quod nihil facit aut possit facere Pater, quin idem possit & Filius. Iohan. 5.

Omitto, quod dixit, Non esse de cœlo, qui Capiti subesse recusat, Et esse de Lucifero, qui Deo nō vult subijci, Quia sicut præcedentia male sunt assumpta, ita ad hæc male illata.

3. Dionysius. Tertia, quæ est Dionysij, nihil contra nos, non enim negamus Hierarchiam ecclesiasticā, Sed de Capite disputamus Monarchiæ, non Hierarchiæ.

4. Gregorius Nazan. Quarta, Quę Gregorij Nazan. adducitur, Quod per sacrosancta mysteria sociamur sanctis ordinib. cœlestibus, à quouis Grammatico intelligitur, nihil sonare, neque de Monarchia, neque de Capite.

Christus caput Ecclesiæ. Iam quod addidit esse monstrum, si Ecclesia acephala esset, fateor, sed hoc Caput neque ipse D.D. aliud dare possit, quam Christum. Quod probo euidenter, Quia si suum caput, quod Ro: Pontificem appellat, moritur, vt est homo, iam Ecclesia est acephala, Si autem Christus interim Caput est Ecclesiæ, donec alius eligatur, non minus monstrum est, Christum cedere viuo Pontifici, & succedere mortuo.

5. Cyprianus. Quinta B. Cypriani, qui Hæreticos insectatur, quod debilitato Capite moliti sunt errores suos impune hominibus inculcare, prorsus nihil facit ad Propositum. Loquitur enim non de Ro: Capite, sed de quolibet Capite cuiusque Episcopatus. Et si egregius D. D. voluerit stare autoritati Cypriani, hac hora finiemus disputationem. Ipse enim Cornelium Pontificem nunquam aliter salutat, nisi charissimum fratrem. Deinde describens Episcoporum electiones & confirmationes per multas Epistolas, ex diuinis literis efficacissime probat, ad plebem pertinere & vicinos duos Episcopos vel tres, quemadmodum & sancitum est in sacratissimo Niceno Concilio. Quin idem beatus Martyr, vt B. Augustinus allegat lib. 2. ca. 2. de baptismo, sic dicit: Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico errore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit, quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam ab alio iudicari non possit, quo modo nec ipse potest alterum iudicare, idsed expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Ihesu Christi.

Cornelius. Nicenum Conciliū.

Hierosolymitana Ecclesia mater omnium Ecclesiarum. Quod autem dicit, è Rom: & Petri cathedra ortam esse sacerdotalem vnitatem, libentissime admitto, quantum pertinet ad Ecclesiam occidentalem. Nam reuera etiam Ro: Ecclesia orta est ex Hierosolymitana, hæc est matrix proprie omnium Ecclesiarum. Sed nec valet consequentia, ex Rom: Ecclesia orta est sacerdotalis vnitas, ergo ipsa est Caput & Domina omnium prima, alioqui insuperabiliter concluderet, Hierosolymitanam esse Caput & Dominam omnium.

6. Hieronymus. Vltima autoritas diui Hieronymi non recte inducitur ab egregio D. D. etiamsi per omnia esset vera autoritas Hieronymi, quia D. D. intendit probare

probare Ecclesiæ Ro: potestatem monarchicam iure diuino à Christo institutam. Hoc verba Hieronymi non habent, quia dicit: Cui si non exors quædam ab omnibus eminens detur potestas, tot in Ecclesijs efficientur schismata, quot sacerdotes. Detur, inquit, hoc est, iure humano posset fieri consentientibus cæteris omnibus fidelibus. Nam nec ego hoc nego, si consenserint totius orbis fideles in Ro: vel Parisiensem, vel Magdeburgensem, vel quemcunque, vt esset primus Pontifex & summus, hunc propter reuerentiam totius Ecclesiæ fidelium sic consentientis, habendum esse summum Monarcham, Hoc autem neque factum est vnquam, neque fit, neque fiet, cum usque ad nostra tempora græca Ecclesia non consenserit, neque tamen sit habita hæretica.

Et hanc esse sententiam D. Hieronymi, probo ex Epistola ad Euagrium, vbi dicit: Vbicunque Episcopus fuerit, siue Romæ siue Eugubij, siue Costantinopoli, siue Regij, siue Alexandriæ, siue Thanis, eiusdem meriti, & eiusdem sacerdotij est. Potentia diuitiarum, & humilitas paupertatis, vel sublimiorem vel inferiorem facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Recitatur hæc Epistola in Decretis non frigidis dist. 93. ca. legimus. Idem super Epistolam ad Titum, Idem est ergo Presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego sum Cephæ, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquā vero vnusquisque eos, quos baptizabat suos esse putabat, in toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur. Et inductis autoritatibus Scripturæ dicit in fine. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, Ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quam dispositionis dominicæ veritate Presbyteris esse maiores. Ideo quod D. D. addidit, à Hieronymo intellectū esse, summum Pontificem Ro: dum dicit: Cum successore Piscatoris & discipuli Christi loquor, & beatitudini tuæ, id est, cathedræ Petri consocius, super illam Petram fundatam Ecclesiam scio, nihil facit, Non sequitur, consorcior huic Ecclesiæ, ergo hæc est sola prima. Nec sequitur, est fundata supra Petram, ergo sola est fundata.

Hieronymus in Epistola ad Euagrium.

Idem est Presbyter, qui Episcopus.

Accedit ad hoc decretum Concilij Affricani, dist. 99. ca. Primæ. Primæ, inquit, Sedis Episcopus non appelletur princeps sacerdotum, aut summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ Sedis Episcopus. Vniuersalis autem Pontifex, nec Romanus appelletur. Quare si diuino iure staret monarchia Ro: Pontificis, hæc omnia essent hæretica, quod est temerariū asserere, Et in fine audiamus ipsum Dominum, qui Lucæ 22. dicit, Facta est autem contentio Discipulorum, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur earum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur, Vos autem non sic, sed qui maior est vestrum, fiat sicut minor.

Decretum Concilij Affricani.

Vos autem non sic. Lucæ 22.

ECCIUS.

Reuerendus D. Pater satis instructus descendit in arenam, materiam suam habens bono ordine contextam in Libello impresso, & per eum composito, Quare illustriss: Dominationes vestræ, magnificentiæ & dominationes veniam dabunt Eccio, multo iam tempore alijs negocijs occupato, si nō tam rotunde et accurrate è uestigio tanta cumulare poterit, quātum reuerendus Pater iam congessit. Venit enim disputaturus, nō Librum editurus. Verum quid reuerendus Pater dixerit, per ordinem dispiciamus.

Primo omnium, Caput esse Ecclesiæ Christum, probare intendit, quod tamen fuerat superuacaneum, cum nullus hoc negare præsumat, nisi qui Antichristus sit, Miror tamen vehementer, quod hoc non perpendit, sicut pollicetur

Christus caput Ecclesiæ.

in Actis coram Legato Sedis Apostolicæ, posse se præstare quendam Iuristotheologum, plura esse posse capita subordinata, in quo mystici capitis ratio aut symbolici à ratione capitis naturalis deficit, Quare præter caput Christum, & aliud oportere quæri caput in Ecclesia statim probabitur. Neq; ei suffragatur, quod Apostolum inducit, 1. Corinth. 3. Diuisus est Christus? Nam etsi Paulus ibi Petri meminerit, non tamen falsum dixit B. Hieronymus libro 1. contra Iouinianum colum. 18. Vnus eligitur, loquitur de Petro, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. Clare appellat Petrum caput in Ecclesia esse constitutum. Sed hæc missa facimus, solutiones ad nostra inducta repulsuri. 1. Cor. 3.

PRImo, Cum respondet ad illud Iohannis 5. Neq; enim Filius potest facere quidquam, nisi quæ uiderit Patrem facientem, Dixit secundum S. Patres exprimi hic æqualitatem Patris & Filij. Verum legat attentius, quæso, reuerendus Pater B. & inadulabilem Patrem Bernardum lib. 3. de consideratione ad Eugenium, Vbi de forma Ecclesiæ loquens, & eam esse de iure diuino probans, nostram rationem formauit mihi, colum. 7. Nec uilem reputans formam hanc, quia in terra est, exemplar habet in cœlo. Neq; enim Filius potest facere quidquam, nisi quæ uiderit Patrem facientem, præsertim cum ei sub Mosi nomine dictum sit, Vide omnia facias secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Viderat hoc qui dicebat: Vidi ciuitatem sanctam &c. Ego enim propter similitudinem dictum reor, quod sicut illic Seraphim & Cherubim, & cæteri qui usq; ad Angelos & Archangelos ordinantur, sub uno capite Deo, Ita hic quoque sub uno summo Pontifice, Primates uel Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Presbyteri uel Abbates, & reliqui in hunc modum. Tunc subdit Bernardus: Non est paruipendendum q; & Deum habeat Autorem, & de cœlo ducit originem. Quis iam non intelligat hanc ecclesiasticam Hierarchiam, secundum Bernardum, à Christo institutam, & velut Deus caput est in cœlo, ita summus Pontifex Caput sit in militante Ecclesia? Neutiquam Christum excludendo, cuius se fatetur Vicarium. Iohan. 5. Bernardus ad Eugenium Papam.

Sed ad Ratiunculam plebeiam, quam induxit, Ecclesiam manere acephalam Papa mortuo, nisi ridicule diceremus, Christum cedere Papæ uiuo & succedere Papæ mortuo. Ridicula prorsus ratiuncula, quæ in re tam seria, inter tot præstantes uiros, uix est digna enarrari, Cum ab initio dixerim, Caput illud symbolicum à ueri Capitis naturalis ratione in aliquibus conuenientijs deficere. Neque Christus, cuius Regnum manet in æternum, & cuius sempiternum est sacerdotium, cedit Papæ vel succedit, cum ei sit data omnis Potestas in cœlo & in terra. Matth. vlt. Et defuncto Papa, modo cœtus Cardinalium, sicut defuncto Episcopo Capitulum, iura illa teneat, usq; quo nouus Pontifex deligatur. Ecclesia Acephala. Matth. 28

Quod vero secundo loco reuerendus Pater dicit, Cyprianum loqui de quolibet Episcopo, non de Ro: Pontifice, plurimum miror, cum intelligentia dictorum ex causis dicendi sit accipienda, & Cyprianus in locis per me adductis eos increpet, qui à Cornelio defecerunt, qui certe Romanus fuit Pontifex. Ob id sciat reuerendus Pater, me non nudis uerbis satiari, vt Sophistas pascere solemus. Quæ ex Cypriano pro se affert, opponendo, arbitror, cumulatius efficiet. Nam q; Cyprianus Cornelium fratrem appellat, & Apostolos fratres fuisse nemo nescit, Attamen Petrus, sicut & eius successor Cornelius, Caput fuit Apostolorum, apex & vertex, iuxta B. Dionysij ca. 3. uel 7. de diui. nominibus sententiam. Cyprianus. Cornelius Papa. Dionysius.

De electione

De electione & Concilio Niceno, & a Cypriano conscripta, nec promouent, nec impediunt negocium, & multo minus Augustinus lib. 2. cap. 2. de baptismo paruulorum debebat adduci post Cyprianum, Nam Augustinus arrogantiam & temeritatem eorum, qui per ambitionem & superbiam ad ecclesiasticas prælaturas se ingerunt, reprehendit, quod non debeant se constituere, nec alios cogere ad se constituendum, Cum quisque Prælatus expectare debeat, ut vocetur, sicut Aaron. *Conciliū Nic* *Augustinus.*

Tertio aliam Cypriani sententiam ex 2. Episto. ad Cornelium diluturus, respondit, Vnitatem quidem sacerdotalem in occidentali Ecclesia a Romana exortam, non in orientali. Obiicuit hic reuerendus Pater, quod Cyprianus præcedenter Romanam Ecclesiam appellauit Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, Sed quid sua Solutio possit, medullam verborum inspicienti est manifestarium, Nam reuerendus Pater, more grammatico, ortum vnitatis sacerdotalis intelligit, quo ad auspiciū & initium, Cum profecto Cyprianus voluerit explicare ortum commissionis, subordinationis seu influxus, ut ab uno Petro, uelut a capite, in cæteros omnes iurisdictio sit deriuata, alioqui non dabit unum sacerdotem, nec Hierosolymis. Taceo, quod eum non releuat glossula adiecta de occidentali Ecclesia, cum B. Hieronymus ab initio suæ Epistolæ ob id orientalem Ecclesiam ex Oriente scribens schismaticam dicat, quæ indiscissam Domini tunicam & desuper contextam minutatim per frusta discerpit. Christi vineam, inquit, vulpes exterminant, denotans scilicet Hieronymus, quod sponsa in Canticis cōquerebatur, capite nobis Vulpeculas, quæ demoliuntur uineam. Taceat ergo, quæso, reuerendus Pater, & nobis non insultet cum Græcis & Orientalibus, qui a Ro: deficientes Ecclesia, a fide quoque Christiana facti sunt exules. Consectarium est, quo pacto accipienda sit illatio. Est radix, ergo domina, Non enim de radice loquimur initij, vel temporis, sed de radice influxus & principalitatis. *Cyprianus ad Cornelium.* *Orientalis Ecclesia.*

Quarto loco nititur reuerendus Pater, se euoluere ex verbis Hieronymi, & illa uitare. Nam summo sacerdoti tribuit quidem & dari summam dignitatem, sed hoc fiat iure humano. Sed cur tunc B. Hieronymus Damasum Piscatoris appellat successorem, & cathedræ Petri vult associari? Illud diuinum citans Matth. 16. super illam Petram fundatam Ecclesiam scio. Quod ita reliquis Ecclesijs appropriari non potest, ut Bernardus ratiocinatur, & proh dolor cum summa Christianorum iniuria sumus experti portas inferorum præualuisse Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ addo quoque Boemicæ, Quod tamen de Ecclesia, quę fundata est super Petram, ueritas incorrupta Christi non patitur. Sed uerissimum est in ijs, quæ sunt fidei, quod Hieronymus in eadem Epistola affirmat, Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ. Profligato a mala sobole patrimonio, apud uos solos incorrupta Patrum omnino seruatur autoritas. At hoc in principali adhuc euidenter probauimus, non iure humano, primatum obtinere Ecclesiam Ro: sed diuino. *Matth. 16* *Matth. 24*

PRæstat tamen diluere, quæ uenerandus Pater pro se ex Hieron. adduxit, Primo ad Euagrium, vbi Episcopū Romæ & Egubij, Cōstantinopoli & Regij, eiusdem meriti dicit & sacerdotij, Hoc sciuimus, antequam Theognis nasceretur, Neque Papatus est ordo ultra Episcopatum, Nam sic & alio loco æquales dicit fuisse Apostolos, ubi tamen primatum S. Petro non abstulit. *Hiero: ad Euagrium.*

Sed quod reuerendus Pater tantopere a me efflagitabat, ne diuerticula quærerem, quod nunquam facere sum solitus, ipsum Canonem legimus, adducēs 93. distin. me ad hoc ducit Procardum, quod Domini Canonistæ & Theologi, an Episco-

an Episcopatus ordo sit proprio charactere insignis sacerdotio additus, de quo in præsentia velut impertinente nihil decerno. Hoc tamen dico, apparere mihi, saluo semper meliori iudicio, non talem fuisse in primitiua Ecclesia confusionem, vt Episcopus à sacerdote non separaretur, cum duodecim Apostoli septuaginta duos excedant discipulos. In cuius rei testimonium B. affero Dionysium, Hieronymo antiquiorem & primitiuæ Ecclesiæ Hierarcham, qui lib. de Ecclesiæ Hierarchia inter sacros ordines Episcopatum ponit, & supremum Hierarcham, & quo pacto is debeat consecrari, cui assentiens, Episcopos ab ipso Ecclesiæ initio commune sacerdotium excelluisse opinor.

72. Discipuli.

Canon Affricani Concilij.

Tertio, Adduxit Canonem Concilij Affricani 66. distin. can. .1. Vbi Concilium prohibet, nec Ro: Pontificem debere dici Vniuersalem, & quod Christus hoc prohibuerit, Lucæ. 22. Reges Gentium &c. Respondeo verum esse, fastuosum vniuersalis Episcopi nomen fuisse prohibitum, non quod Ro: Pontifex unquam à vero Christiano habitus sit non primus & summus Pontifex, sed quod Episcopus peculiariter Romanæ Ecclesiæ non sit proprius cuiusque Ecclesiæ Episcopus, sed primus, quod alioqui debitus honor Episcopis inferioribus non tribueretur. Verum nihil criminis inest, si quispiam Rom: Pontificem vniuersalem dixerit pro primo, rectius vero dicetur non Episcopus vniuersalis, sed vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, veluti est Christi Vicarius. Quod Dominus ambitiosam redarguit Apostolorum contentionem, qualis inter seculares quæritur, hoc primatum Ecclesiæ Romanæ non aufert, sed quod B. Gregorius primus fecit, & agnouit se ideo Ecclesiæ catholicæ Prælatum, vt seruum seruorum se esse agnosceret, In qua re sequentes Pontifices non conuitijs lacessere, sed orationibus, ut tales fiant, à Deo impetrare studeamus.

Lucæ 22.

Apostolorum contentio. Lucæ 22.

Gregorius.

HORA II. POMERIDIANA: IIII. die Iulij, Anno M. D. XIX.

LVTHERVS.

PRImam responsionem meam, qua ex autoritate Pauli 1. Corinth. 3. ostendi, ab Apostolo prohibitum, ne fideles sibi arrogarent, vel Cephæ, vel Paulum, vel Apollo, Ad istum modum confutauit D. D. egregius, quod etsi Paulus ibidem Petri meminerit, non tamen falso Hieronymus contra Iouinianum dicit: Vnus eligitur, quod capite constituto occasio schismatis tollatur, clare appellat Petrum caput in Ecclesia constitutum. Adiecit, sed hæc missa faciamus.

1. Cor. 3.

Respondeo: Non patior propter minorem autoritatem inductam me diuelli à maiore. Nec tantus est Hieronymus, vt propter eum Paulum deseram. Non ergo Paulus solum meminit ibi Petri, sicut conatur extenuare ista confutatio, sed cum plena autoritate docet, & prohibet, ne quis dicat se esse Petri. Vnde & eodem Capite concludit: Omnia vestra siue Paulus, siue Cephæ, siue mors, siue vita, Vos autem Christi, Christus autem Dei. Stat ergo ista Responsio mea adhuc inuicta, & nisi robustius confutata fuerit, oppono eam omnibus præteritis & futuris argumentis D. D. Verbum enim Dei super omnia verba hominum est.

1. Cor. 3.

Verbum Dei.

Ad Hieronymum autem dico, quod & ego missa facio ea, cum sit ambiguissimus locus, vt bene sensit D. Doctor.

Hieronymus.

Secundam

Secundam Responsionem meam ad autoritatem Iohan. 5. vbi dixi, Christum loqui de æqualitate potentiæ paternæ, iussit me D. D. attentius legere B. Bernardum, qui hanc Autoritatem inducit pro Ecclesia militante, sicut auditum est. Respondeo: D. Bernardum ueneror, & eius sententiam nō contemno, sed in contentione accipiendus est sensus genuinus & proprius Scripturæ, qui stare in acie possit, à quo sancti Patres nonnunquam locupletandæ orationis gratia digrediuntur, & sine culpa. Nunc autem ex præcedenti & sequenti textu clarum fit, Christum loqui de æquali omnipotentia sua cum Patre. Propterea persequebantur Iudæi Ihesum, quia faciebat hæc in sabbato, Ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Respondit itaque Ihesus, & dixit eis: Amen amen dico uobis, non potest Filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem. Et sic clare patet, quod Bernardus alio sensu tractat hoc verbum Christi.

Bernardus.

Aequalis potentia Christi cum Patre. Iohan. 5.

Ad tertiam, videlicet plebeiam, vt dixit & ridiculam ratiunculam, qua dixi, Etiam sine Papa Ecclesiam habere caput suum. Opposuit, quod nō esset digna enarrari coram tantis viris, & in re tam seria. Respondeo: Sit plebeia & ridicula modo sit inuicta, Nec dum uideo eam confutatam, Non enim intelligo, si Ecclesia ad tres vel quatuor menses non est acephala mortuo Papa, modo sint alij Episcopi, quomodo etiam non sit acephala cum nullus sit Papa, Nam quod adduxit de Cardinalibus, penes quos sit ius eligendi &c. Responsionem meam confortat, cum hinc sequatur, eo tempore, quo nondum erant Cardinales, vt tempore Hieronymi, non potuisse esse Papam.

Ad quartam Cypriani autoritatem, ubi dixi eum loqui de quolibet Pontifice, obiecit, quod ex textu peruincatur, eum locutum esse de Cornelio, Rom: Pontifice, contra Nouatianos. Respondeo: Mea non refert, nec eam Epistolam in memoria habeo, Hoc autem scio, quod D. Cyprianus per multas Epistolas in hoc totus est, vt asserat cuilibet Ecclesiæ suum Caput & suum Episcopum, per suffragium plebis, & iudicium vicinorum Episcoporum ordinari. Ideoque si est, ut D. D. allegat, contra Nouatianos, de Cornelio dico, certum est eum locutum de capite Ro: Ecclesiæ, non vniuersalis Ecclesiæ.

Cyprianus.

Item & illud confutauit, quod Cyprianus Cornelium semper compellat fratrem, nunquam autem Dominum, vt nunc Episcopi faciunt, ponentes relatiuum sine correlatiuo. Obiecit, quod & Petrus Apostolos habuerit fratres, & tamen caput & vertex Apostolorum fuerit, iuxta Dionysium. Respondeo: Si poterit egregius D. D. probare, quod Petrus unquam vnum Apostolorum ordinauerit, imo unum ex septuaginta discipulis, aut vllum illorum unquam miserit, cedo omnia, & volo esse victus. Si autē ego probauero, quod ne omnes quidem Apostoli potuerint vnum Apostolorum mittere vel ordinare, rogo, concedat mihi, Petro nihil fuisse potestatis super cæteros Apostolos. Quo sequitur, multo minus potestatis esse Episcopo successori Petro, super Episcopos successores cæterorum Apostorum.

Petro nihil fuit potestatis super cæteros Apostolos.

Nunc autem clarissimus textus est, Acto. 1. quod Matthias Apostolus ab vniuerso cœtu Apostolorum, & discipulorū ordinari non potuit, sed de cœlo, sicut & cæteri omnes, electus & ordinatus est a Christo, Ita & capite 13. Saulus & Barnabas, segregante Spiritu sancto, assumpti sint in opus. Error ergo est apertissimus, quod Petrus habuerit potestatem super Apostolos. Hoc sane fateor, Apostolum Petrum fuisse primum in numero Apostolorum, & ei deberi honoris prærogatiuam, sed non potestatis, æqualiter electi sunt, & æqualem potestatem acceperunt. Ita & de Ro: Pontifice sentio, quod honoris prærogatiua cæteris debeat anteferri, salua cuiusque æquali potestate, & non sicut Pelagius in frigidissimo suo decreto infert, Vbi maior autoritas, ibi maior potestas, & manet cæteros obsequendi necessitas.

Electio & ordinatio Matthiæ. Act. 1

Acto. 13.

Aequalis potestas Apostolorum.

Decretum Pelagij frigidißimum.

Ad quintam,

Ad quintam, Vbi electionem Episcopi ex Cypriano & Niceno Concilio attuli, Egregius D. D. satis rhetorice contempsit, dicens, Quod nec promoueant, nec impediant negocium, Sed per hoc non dissoluitur mea Responsio, stat ergo adhuc decretum Nicenum, Aut si non stat, & contra ius diuinum statuerunt, nō catholicum Concilium, sed diabolicum conciliabulum appellandum erit. Sic cum putaret Augustinum, non fuisse inducendum, & pulcherrima glossa sua Cyprianum per Augustinū adductum ita interpretatus est, Quod Cyprianus ambitionem & superbiam eorum reprehenderet, qui seipsos ingererent, antequam uocarentur, sicut Aaron. Hoc mera fiducia dixit, cæterum Textus satis clarus est, q̄ nullus Episcopus, qui iam sit Episcopus, se constituere debeat aliorum Episcoporum Episcopum, Stat ergo adhuc mea Responsio.

Ad sextam, Grauiter me reprehendit idem egregius D. Doct. quod in altera autoritate Cypriani obticuerim hoc uocabulum, Principalem Ecclesiam, Deinde uelut Grammaticum me naso suspendit, quod dixerim, ortam esse vnitatem sacerdotalem ex Petri sede. Ideo nouus Dialecticus vel Philosophus potius, ortum hunc interpretatur commissionis, subordinationis, seu influxus, Alioqui, inquit, nec ex Hierosolymis dabit vnum sacerdotem. Respondeo: Siue docuerim, siue locutus fuerim, hoc vocabulū principale idem est, nec enim potest principalis vocari respectu orientalis Ecclesiæ, vt satis dictum est.

Ecclesia ex Hierosolymis orta.

Deinde commentum suum de ortu influxus, eadem facilitate contemno, qua ipse finxit, & non est difficile mihi dari unum sacerdotem ex Hierosolymis, scilicet ipsum Christum, à quo incepit, & hinc orta & profecta est Ecclesia, iuxta illud Isaiæ 2. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Iam quod addidit, autoritate Hieronymi, orientalem Ecclesiam fuisse schismaticam, et indiscissam Domini tunicam minutatim discerpentem. *Esa. 2.* Nescio sane quid velit, nec enim potest dicere, quod tota orientalis Ecclesia, & semper fuerit schismatica. Hinc nec negare potest, quod & latina Ecclesia sua habuit aliquando schismata, & tamen mansit Ecclesia. Proinde nihil est, quod iubeat me tacere, & non insultare per græcam Ecclesiam, quia deficientes à Romana Ecclesia, simul facti sunt & à fide Christi exules. Ego potius rogo D. D. Eccium, vt pro Ecciana modestia, quam iactat, parcat tot milibus Sanctorum, cum vsq; ad nostra tempora durarit Ecclesia græca, & sine dubio vsque hodie durat & durabit, Non enim Christus accepit medium terræ Romanæ, sed omnes fines terræ in possessionem & hæreditatem a Patre, Psal. 2.

Latina Ecclesia.

Ecciana modestia.

Psal. 2.

Ad septimam, Quam ex Hieronymo de summo sacerdote opposuit, Meam Responsionem dixit esse euasionem, Ideo confirmaturus dictum suum adiecit. Cur B. Hieronymus Damasum Piscatoris successorem dicat, & cathedræ Petri vult associari: illud diuinum citans Matth. 16. Super illam Petram fundatam Ecclesiam scio, quod ita reliquis Ecclesijs appropriari non potest, Et deinde complorauit Hierosolymitanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ, tandem & Boemicæ casum, & quod eodem Hieronymo, teste apud solos Romanos incorrupta Patrum seruaretur autoritas. Respondeo, & rogo D. D. egregium, velit dicta Patrum allegare secundum conscientiam, ne pro Theologis videamur esse Sophistæ, Nam summum sacerdotem eo loci Hieronymus appellat Episcopū quemlibet etiam, ut qui de numero reliquorum sacerdotum sit eleuatus, ideo nihil pertinet proprie ad Romanum Pontificem.

Hieronymus dicit Damasum Piscatoris successorem.

Matth. 16

Deinde illa autoritas Matth. 16. non appropriatur Romanæ Ecclesiæ tantum, quod expresse indicant verba Christi, cum dicit: Ecclesiam meam, Quæcunq; ergo est Ecclesia, est ædificata supra petram, & non solum Romana.

mana. Aut si non conuenit cæteris Ecclesijs hoc verbum, Romana Ecclesia erit sola, & per consequens non prima. Quare vnitas Ecclesiæ nõ ab vnitate primatus Romani, sed longe melius iuxta Apostolum Ephe. 4. ab vnitate fidei, baptismatis, Domini, pendet, sicut & frequenter Cyprianus in Epistolis suis sentit. Nec mansit apud Romanos solos incorrupta Patrum autoritas, nisi forte eo tempore quo scripsit Hieronymus; Imo tradunt historiæ Liberium Romanum Pontificem cõcessisse Arrianis, & illud Hieronymus in viris illustribus scribit, Quod Achacius Cęsariensis Episcopus Arianus, Eusebij Ariani discipulus, autoritate Constantij Imperatoris ordinauit Fœlicem in Romanum Pontificem.

Ephe. 4. *Ecclesiæ unitas.* *Cyprianus.* *Liberius Rom. Pontifex.*

Octauo, confutans autoritatem Hieronymi à me inductam ad Euagrium, Dicit se sciuisse omnes eiusdem meriti, eiusdemq́ sacerdotij omnes Episcopos fuisse & esse, Sed papatum esse ordinem ultra episcopatum, sed non euicit responsionem meam, quia Hieronymus sublimitatem & inferioritatem Episcoporum non iuri diuino, sed consuetudini & potentiæ diuitiarum tribuit. Ideo adhuc maneo cum Hieronymo.

Hieronymus ad Euagrium.

Ad nonum, Super Canonem 99. dist. dicit sibi non apparere in Ecclesia primitiua fuisse talem confusionem, vt Episcopus à sacerdote non seperaretur. Respondeo: Quid hoc ad me? pugnet cum Hieronymo & Canonibus. Quod autem Dionysium inducit, inter sacros ordines episcopatum recensere, miror, q̃ non etiam inducit ex eodem autore Ro: Ecclesiæ monarchiam, cum habeat tantum momenti ad Hierarchiam, vt sine hac similitudo triumphantis Ecclesiæ consistere non possit. Decuit autem professorem scribendę Hierarchiæ argumento suscepto, præsertim in præstantiore eius parte satisfacere, At Dionysius usq; ad Episcopum solum deducit.

Dionysius.

Ad decimam, Ad Canonem 99. dist. vbi respondi, Prohibitum fuisse, ne Ro: Pontifex vniuersalis Ecclesiæ Episcopus appellaretur, Confutauit in hunc modum, Non q̃ Ro: Pontifex nõ sit primus & summus, sed q̃ Episcopus peculiariter Rom: Ecclesiæ non sit proprius cuiuslibet Ecclesiæ Episcopus. Respondeo: Quasi vlli mortalium possit tam stultus incidere affectus, vt vna persona velit omnibus Ecclesijs & singulis præesse, vt tantam insaniam necesse fuerit prohibere. Tamen relinquens hanc confutationem, rectiorem dedit, scilicet non Episcopum vniuersalem, sed vniuersalis Ecclesię Episcopum eum Ro: Pontificem dicendum. Nisi parcerem & ego suspenderem hanc Solutionem, sed iudicent iudices & auditores.

Vltimo, ad autoritatem Christi, vbi dixit: Vos autem non sic, dixit ambitionem fuisse redargutam, sed non primatum. Respondeo: Hæc est petitio principij, quasi iam obtinuerit, scilicet principatum. Deinde clarus est textus, q̃ non tantum ambitionem, sed ipsam maioritatem super cæteros prohibuit.

Vos autem non sic &c. Luc. 22.

ECCIVS.

AD defensiones Solutionum a reuerendo Patre datarum, dico de primo, Non increpasse Paulum eos, qui dixerant se esse Petri, quia habuissent intentionem principatus Apostolorũ, sed quia singularitatem aspiciebant personarum. Quod verba ipsa clare indicant diuisionis & schismatis. Et quanquam merito Paulum præferat Hieronymus, pie tamen credendum est, Hieronymum eo loco sententiam Pauli bene intellexisse. Nec locus est ambiguus, ob id caput in Ecclesia constitutum, vt schismatis tolleretur occasio, Quod grammatico satisfecit lectori, quam disciplinam præcipuam præ alijs partibus Philosophiæ Theologiæ subseruientem, dixit in disputatione quadam reuerendus Pater.

t Secundo,

Secundo, Nemo negauit Christum, Iohan. 5. æqualitatem cum Patre affirmasse nisi Arianos, neque alio sensu inducit Bernardus. Sed quod reuerendus Pater arbitratur sanctos Patres sanctam induxisse scripturam, locupletandæ orationis gratia, respuimus, quoniam talem ostentationem de eis suspicari non licet. Iohan. 5.

De tertio, De Papa mortuo tunc Ecclesiam esse acephalam, dico, Nunquam negatum Christum esse caput Ecclesiæ, iuxta etiam glossam Canti. 5. Caput eius aurum optimum, Glossa, caput, id est, Christus, Papa uero est eius Vicarius. In consistorio autem Episcopus & Vicarius computantur pro una persona, vnde appellare à Vicario ad Episcopum non licet. Cant. 5.

De Cardinalibus uero dixi, quod nunc, hoc est, iuxta Ecclesiam iam institutam, electio ad Cardinales uenerit, Nicolao quodam Pontifice ordinante, tamen tempore Hieronymi fuisse Cardinales credo, nisi Hieronymus nō fuerit presbyter Cardinalis. Nicolaus Pontifex.

Quarto de Cypriano. Certe fieri non potest, ut S. Martyris uerba in Romanæ diocœsis angustia coartet. Quia Episcopum Maximum ex Numidia, quæ regio est Affricæ ultra Atlantem, ut Ptolemæus & Strabo autores sunt, ad Romam aduentarunt. Quod uero Cyprianus Cornelium fratrem appellauit, arbitror collectoris fuisse, non Cypriani mentem, Nam si sanctorum Episcoporum epistolas legerimus, inueniemus clare ea tempestate vsitatiores fuisse cōscriptiones illas laudabiles & magnificas, quam modo fiat, Rom: Pontifici, ut de Ambrosio, Augustino, Hilario, cæterisque liquet Patribus, Nam mutuo se uocant, beatissimos, sanctissimos, Deo amabilissimos &c. Ad adiunctum, Causatur, quod quęram diuerticula, & ad rem non pertinentia, Cum bona venia libenter dicerem, Turpe est Doctori &c. Petit à me, vt probem Petrum ordinasse aliquem Apostolum, sed hoc ad institutum nostrum est impertinens. Non enim quærimus, quis vnum aut alterum ordinauit, sed quis primatum super alios à Domino Ihesu accepit. Subsequens omnino respuo, cum huiusmodi fecit illationem, Petrus nullum potuit ordinare Apostolum, Quare nec successor Petri successorem alterius potuit ordinare, vel super eo habere potestatem. Nam assumptum est verum, illatum est manifeste falsum, cum summus Pontifex modo potestatem habeat, & ordinet alios Episcopos. Verum Ratio enodandi nodum erit ista, quod Apostostolatus officium fundamentum Ecclesiæ, plus dicit, quam esse Episcopum. Quare Leo X. successor est Petri Apostoli, non Apostolus. Numidia. Cyprianus appellauit Cornelium fratrem.

Sed quod fatetur Petrum bene fuisse primum Apostolum, numero & honoris prærogatiua, & non potestatis, Illud non satisfacit instituto. Primo, quia Euangelistæ numerum Apostolorum non æqualiter inceperunt, sicut Chrysostomus super Matthæo annotat, & glossa videatur Matth. 10. Deinde, quod de potestate & honoris prærogatiua variat, expresse est contra S. Martyrem Cyprianum, qui in tractatu de simplicitate Prælatorum contra Nouatianum loquens, de diaboli astutia, Increpat eos, qui velut iusticiæ ministri asserit noctem pro die, interitum pro salute, desperationem sub obtutu spei, perfidiam sub prætextu fidei, Et infra: Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem tribuat potestatem, & dicat: Sicut me misit Pater &c. Tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, autoritate sua disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Discipuli quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris & potestatis, hoc ponderandum. Sed exordium ab vnitate proficiscitur, vt Ecclesia vna esse monstretur, Et infra: Hanc vnitatem qui non tenet, legem Dei non tenet, non tenet Patris & Filij fidem, vitam non tenet & salutem. Hæc notatu dignissima. Cypriani verba, qui inter prærogatiuam honoris & potestatis Apostolos non variat. Math. 10. Cyprianus contra Nouatianum. Iohan. 20.

Ad quintum,

Ad quintum, de electione, Dico vt prius, nihil nos disputare de modo eligendi, sed de qualitate, aut potius quantitate ipsius Electi, quare Concilium Nicenum non fuit conciliabulum. Sed quæ factum & conuersationem respiciunt, pro temporis, personarum & locorum, qualitate, mutari possunt, vt in multis Canonibus videmus.

Ad sextum, Quod obseruandus D.D. vti Dialecticum opponit me finxisse distinctionem de duplici ortu, iam audiuimus Cyprianum, & loquatur pro Eccio, cui non tantum suppetit ingenium, vt noua fingat, sed vetera Sanctorum dicta pro virili explanat. Dum vero omnium dat mihi sacerdotem Christū, Primo Cypriani attentionem non assequitur, nec Hieronymi, quoniam Petrum primum Apostolorum constitutum volunt, vnde reliquorum sacerdotum potestas defluat. Non quidem interius conferendo, quod Christi est velut Capitis, sed potestatem ecclesiasticam communicando.

Septimo, Quod desiderat eccianam modestiam, Græcos & Orientales pro damnandis iudicantem. Respondeo: Græcos longo tempore non solum fuisse schismaticos, sed hæreticissimos, vt tot errorum cumulus & peruicax obstinacia testatur Clementi:lum: Trini. Vt de Spiritu sancto, de confessione, de trium Euangelistarum falsitate, & innumeris alijs, quamuis sæpe fictā fecerint Ro: Ecclesiæ obedientiam, vt in Concilio Florentino Eugenij IIII. temporibus factum est. Quare si pauci Christiani apud nos multorum sententia saluari debent, quanto magis paucissimi aut nulli in Turcia saluantur, nisi religiosi aliqui, & eis adhærentes, qui Romanam tenent obedientiam. *Concilium Florentinum.*

De octauo, Rogat Reuerendus Pater, vt Autores allegem secundum conscientiam, in quo nihil hæsitet. Vellem, q̄ eos adducere possem, etiam secundum scientiam. At Hieronymum agnoscere Damasum velut summum Pontificem, nulli potest esse dubium. Sic quoq; Ecclesiam vniuersalem esse fundatam supra petram nemo ambigit. Sed petram illam esse Petrum & eius successores, alio tempore probabo. *Hieronymus.*

Suggillat tamen nonnihil Hierony. cum dixisset, Apud vos solos incorrupta prima omnino seruatur autoritas. Quasi & Ro: Pontifices non fuerint sine næuo. Si ad tempus Hieronymus refert, Liberius & Anastasius eum præcesserunt. Hoc dico, quod merito in mentibus fidelium est admirandum, nullum Ro: Pontificem, quantum cuiq; malū, uel errantem definiuisse iudicialiter, & ex constituto, quod unquam meminerim, quod est contra fidei Christianæ mandata, quamuis facto ipso sæpe errauerint, imo talia iudicia erronea facere attentarūt, Vbi diuino quoq; correpti sunt iudicio, ut de Leone Ariano aduersante Hilario, ut de Anastasio can: Anastasius xx. distin. *Liberius Papa.*

Ad nonum, De Canone, Legimus 93. distin. forte reuerendus Pater me non intellexit. Nunq; uenit mihi in mentem, Papatum esse ordinem ultra Episcopatum, sed dignitatem. Quod uero dicit, mihi bellum esse cum Hieronymo & Canonibus, dixi quid sentiam, præfero hoc loco Dionysij autoritatem uelut senioris. At cum rhetoricetur reuerendus Pater de Dionysio, Cur non Monarcham Ecclesiæ descripsit, imo ultra Episcopatum non progrediatur? Facile est quod dicam, Dionysius enim sacramenta Ecclesiæ perstringit, papatum autem eum ordinem esse negauerim, Episcopatus inter ordines omnium consensu supremum obtinebit locum. *Lucæ 22.* *Dionysius.*

Decimo, Quod neminem tam insanum existimat, qui crediderit aliquem esse Episcopum proprium singulis Ecclesijs. Quid est quod ego conqueror, nisi q̄ stultorū & qui singularitati student, infinitus est numerus. Legat reuerendus Pater Aluarum de planctu Ecclesiæ, Iohannem de turre cremata in summa Ecclesiæ, Vuilhelmum de Ocam in dialogo, & inueniet homines quandoq; illius fuisse insaniæ. *Aluarus de planctu ecclesiæ.*

 Quod

Quod uero suspendere vult solutionem nostram de eo, quod dixi, Papam vniuersalis Ecclesiæ Pontificem melius, q̃ vniuersalem Episcopum, Feci hoc diui Bernardi autoritate & summorum Pontificum consuetudine, Ait enim Bernardus lib. 2. de considera: ad Euge: col. 7. Nempe signum singularis Pontificij Petri &c. Infra ita: Cum quisq; cæterorum suam habet Ecclesiam, tibi una commissa est, grandissima nauis, facta ex omnibus ipsa uniuersalis Ecclesia, toto orbe diffusa.

Bernardus ad Eugenium.

Ad decimum, Verbo Christi non satisfactum, Lucæ. 22. quasi sit commentum meum. At non sine autoritate loquor, Adduco ei Richardũ Amarcanum, lib. 7. cap. 3. de quæstionib. Armeniorum, locum istum ita intelligentem. B. Leonis autoritate. Et q̃ hoc sit uerum, uerba indicant: Et qui maior est inter uos &c. Ergo præsupponebat Christus aliquem esse maiorem. Quis autem esset maior, non tunc indicauit, sed posterius, cum Petro diceret, de dæmone eos expetente, & quomodo rogaret pro eo, ut conuersus, confirmaret Fratres suos, ubi maioritatem eius declarauit.

Richardus Amarcanus. *Luc. 22.* *Luc. 22.*

MANE HORA VII. DIE MARTIS: quæ erat V. Iulij.

LVTHERVS.

Confutaturus Responsionem egregij D. D. in causa, ad illud 1. Corinth. 3. Quid est Paulus? quid est Cephas? Dixit ibi non esse intentam principalitatem, sed singularitatem personæ, idq; indicari per verba schismatis. Respondeo: Plus me mouet ipse textus Pauli, q̃ tam violenta & extorta distinctio, quæ nulla prorsus nititur Autoritate, cum tamen velit e diuino iure arguere. Clarum est autem, contentionem eorum fuisse de præstantia vel principalitate personarum, quod indicat ipsa confutatio Pauli, per tapinoses & comparationes, vrgens & dicens: Quid est Cephas? quid Paulus? Ministri, per quos credidistis. Itaque qui plantat & qui rigat, vnum sunt. Neq; qui plantat, est aliquid, neq; qui rigat, est aliquid, sed qui incrementũ dat, Deus. In quo manifeste detrahit personam, id est, occasionem schismatis. Quomodo & ad Gala 2. cum titulo præstantiæ Petri & aliorum Apostolorum Galatæ essent seducti, audet & dicit, Qui videbantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, id est, q̃ magni, nihil mea refert, Deus enim personam hominis non accipit. Q. d. Siue Petrus vel quicunq; Apostolus primus vel vltimus sit, nihil ad rem. Vellem ergo egregius D. D. Scripturas rectius legeret, antequam sic allegaret. Stat ergo, quod Primatus iste seu persona nihil pertineat ad Ecclesiam de iure diuino saltem.

1. Cor. 3. *Galat. 2.*

Transeo illud, Quod Hieronymum dicit Pauli sententiam intellexisse. Item & illud, quod concessit Iohan. 5. Item & illud de plebeia Ratiuncula transeo, quia non est confutata. Quod de Episcopo & Vicario in Consistorio adduxit, nihil ad rem est. Mea ratio hoc voluit, Si Ecclesia non ast acephala mortuo Papa, nec acephala nullo Papa. Transeo illud de Cardinalibus, quia omnibus notum, quando cœperint. Transeo & illud de Cypriano, quia ex propria saliua D. D. dixit, nescio de Numidia ultra Atlantem, quæ non est in rerum natura. Et illud, q̃ Cornelius frater appellatur à Damaso, transeo, quia non confutatum est, licet dictum sit, quod honestissimis titulis se honorauerint vt beatissimos, sanctissimos appellando, Nam & hoc ego dico. Non

Iohan. 5. *Numidia.*

autem

autem soli Ro: Pontifici, sicut hodie, sic scribebatur. Hoc enim probandum erat.

Transeo & illud, Quod dixerit impertinens esse ad institutum, an Petrus Apostolum aliquem ordinaret, Quia hic vnicus neruus est, & inuictus contra D. Eccium, ideo non inconsulte transit, ne irrecuperabiliter impingat. Item admitto, quæ ex Martyre Cypriano adduxit de honore & potestate æquali Apostolorum, & accipio tanquam gratiam mihi factam à D. D. Simili cura quod transijt à Niceno Concilio & à Cypriano descriptam Ecclesiam Episcoporum, placet, quia non potest confutari. Quod aūt repetijt de distinctione ortus sacerdotalis, vnde patet, ꝙ intentio Cypriani sit, de defluxu potestatis sacerdotalis, quia nihil dixit nisi sua verba, apud me nihil concludit. Cyprianus.

Illud quoq; magis attendendum, ꝙ Græcos hæreticissimos ausus est appellare satis modeste, cum in vniuersa Ecclesia nulla pars dederit plures excellentiores Scriptores, ꝙ̄ Græca. Nam ꝙ toties mihi submordens Bohemiā opproperat, aliasq; calūnias intertexit, ad Sophistas relego, indigniora sunt ꝙ̄ ut in graui & theologica Disputatione memorentur, nedum obijciantur.

Quare illud Matth. 16. Super hanc petram &c. Videamus. Vbi dico, aut petra significat hoc loco potestatem vel fidem, (confido enim Dominum D. nunquam satisfacturum suæ promissioni, ꝙ petra significet Papam seu successorem Petri) Si potestatem, superflue dicitur infra: Tibi dabo claues regni cœlorum, id est, potestatem, nisi dixeris, potestatem potestati traditam. Deinde si omnino potestatem significat, eadem erit omnium Ecclesiarum, quia dicit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, non Romanam tantum. Aut significat fidem (quod uerum est) iterum eadem est fides omnium Ecclesiarum. Ita patet, ꝙ hoc solum pronomen, meam, communem facit petram, quidquid significetur per petram. Super hanc Petram. Matth. 16. Petra significat fidem.

Ideo frigidissime inducunt hanc autoritatem Decreta Pontificum, pro singularitate principatus, quæ tamen constanter defendunt communitatem petræ Et sic concordat cum Apostolo ad Ephesios: Vna fides, vnum baptisma, unus Dominus. Non enim vt B. Hierony. ait ad Euagriū, alia fides Ro: Ecclesiæ, alia Britanniæ & totius orbis, ita nec alius Christus, nec alia petra. Quod si eadem fides & idem Dominus, & idem baptisma omnium Ecclesiarum, sequitur, ꝙ etiam eadem omnia reliqua, quæ ad fidem & ad baptisma, & ad Christum, sequuntur. Ephe. 4. Hieronymus ad Euagrium.

Vltimo ex Richardo Amarcano interpretatus est verbum Christi de ambitione non de maioritate, quia inquit, præsupponebat Christus, esse unū inter eos maiorem, licet non indicarit quis esset. Respondeo, Quidquid sit de Amarcano, præualet clarissimus textus obscuro Autori, quia scribitur, Quod contentio facta sit inter eos, quis eorum videretur esse maior. Et Christus: Qui vult inter vos esse maior, satis indicat, nullum suppositum fuisse esse maiorem, & ex consequentia textus patet, ꝙ noluit ullum esse maiorem &c. Quod autem pro confirmatione sua induxit illud Lucæ: Rogaui pro te Petre, & tu confirma, Pro me valet, quia fratres Petri Petro confirmandos præcipit, non maioritatem. Richardus Amarcanus. Lucæ 22.

ECCIVS.

DE Apostolis quod attulit reuerendus Pater, vt semel dicam, ex Cypriano Audiuimus & Hieronymo, quod & S. Martyr & Papa Anacletus testatur canone, in nouo, dist. 21. Aequalis fuisse eos in Apostolatu, ꝙ nemo negat. At æqualitas illa apostolatus non præiudicat primatui & principatui, nisi impudenter dicatur, S. Martyrem Anaclētum in eodem decretō sibi contradixisse. Quod vero tantum ponderis & præsidij locat in ordinatione Anacletus.

tione Apostolorum, scio quod Paulus ingenue scripsit. Postquam ascenderit Hierosolymam, nihil se recepisse ab ijs, qui videbantur aliquid esse, Verum si neruus iste tam inuincibiliter Eccium ligare debet, vtatur eo, cum copiam opponendi habuerit. Sed q; gratiam sibi factam ait ex Cypriano, Apostolos pari consortio præditos honoris & potestatis, Si istam appellat gratiam, Solutiones suas interimere, paratus sum sæpe ei talem gratiam exhibere. Nam distinxerat reuerendus Pater, Petrum fuisse priorem prærogatiua honoris, non potestatis, Cyprianus in utroq; eos æquiparat. *Galat. 2.*

Numidia. *Mauritania.* De Numidia, quam ait esse inter Mauritaniam & q; attulit, ad negocium est impertinens & diu Cosmographicum negocium non agens, non omnium etiam memini. Hoc scio Mauritaniam Turgaricam & Cæsariensem ab Atlante vergere usq; ad mare, Neq; Atlantem poni terminum Affricæ, sed Affricam pro magna sui parte diuidere ad plures gradus. Sufficiat venientes ad Cornelium ex Numidia non fuisse de diocœsi Romana, sed primam adijsse Ecclesiam. Ob id inuicta stat adhuc Cypriani illa sententia nondum soluta. De influxu miror, q; affert uerba mea fuisse, cum Cyprianum contra Nouatianum adduxerim, ad quem reuerendus Pater nihil respondit. *Cyprianus contra Nouatianum.*

De Græcis, fateor eos olim fuisse Christianissimos, & doctissimos, cum Rom: Ecclesiam primam appellabant sedem. Sed superbia elati & inuidia infecti, ab obedientia Ro: Sedis se subtrahentes, in pessimos inciderunt errores, & simul fidem cum Imperio perdidere. Quod uero diuinatur, me non exhibiturum pollicita, & argumentum fecit ex Matth. 16. Miror venerandum Patrem Sophistis tam infestum, & tamen Sophistarum cautelis pulchre vtitur. Et cum sit respondens, se ad partem opponentis transfert. Quare nihil iam respondeo, sed quod petit per me probari, probabo, ne semper tempus deliberandi ad partes suas veniat. *Matth. 16*

Postremo obscurum Doctorem Richardum Amarcanum reijcit, illius oblitus, q; Richardum dixi, id facere B. Leonis autoritate. Porro id ex litera non euincit, q; petit contentionem inter discipulos factam, Christus merito reprehendit. Quare & verba Christi sic sunt accipienda, vt contentionem reprimant, Primatum non auferant. Et textum posterius inductum credit reuerendus Pater facere pro se, Quod Christus Apostolos uocauerit fratres, & ita eum non fecerit maiorem. At si verba textus ponderaret, vti alias facere solet, iam videret Petrum alijs Apostolis superiorem, cum maior sit confirmans confirmato. Hoc de solutionibus dictum. *Luce 22.*

Venio ergo ad principale, quod petit, probaturus primatum Ecclesiæ Romanæ esse de iure diuino & constitutione Christi. Ita, q; Petrus fuerit Monarcha Ecclesiæ, a Christo institutus cum suis successoribus. Pro quo repeto rationem Bernardi inductam & nondum solutam. Repeto dictum Cypriani pariformiter, & tertio probo per illa uerba Christi, Matt. 16. *Tu es Petrus. Matth. 16.* Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Vbi glossa ordinaria specialiter illam potestatem Petro concessit, ut ad unitatem nos inuitaret, ideo enim eum principem Apostolorum constituit, ut Ecclesia unum principalem Christi haberet Vicarium, ad quem diuersa membra recurrerent, si forte inter se discuterent, q; si diuersa capita essent, uinculum unitatis rumperetur.

B. Augustin: contra Donatistas. Ita B. Augustinus in Epistola contra Dona: exposuit: Tu es Petrus, & super hanc petram, id est, Petrum, ædificabo Ecclesiam meam, Et quamuis idem Augustinus alicubi exposuerit super hanc petram, id est, Christum, ad mentem Apostoli, Petra autem erat Christus, tamen in lib. Retracta: expositionis suæ primę eum non pœnituit, Ita & B. Hieronymus libro primo contra Pelagia: mihi col. 5. ait: Quid Platoni et Petro, ut ille enim princeps Philosophorum, *Hieronymus contra Pelagianos.*

losophorum, ita & hic Apostolorum fuit, Super quem Ecclesia Domini stabili mole fundata est, quæ nec impetu fluminum, nec vlla tempestate concutitur. Ita B. Ambrosius Sermo: 47. Petrum dicit fuisse petram. *Ambrosius.*

Huic quoque sententiæ Chrysostomus astipulatur ab initio eiusdem capitis: Quid igitur Petrus, inquit, omnium Apostolorum os, vertex totius consortij. Et infra: Sublimiora ipsum sapere fecit, & Ecclesiæ futuræ Pastorem constituit, & post hunc vniuerso orbi terrarum Christus præposuit. Fatetur hoc S. Martyr Cyprianus ad Cornelium Papam dicens: Petrus, super quem ædificata fuerit ab eodem Domino Ecclesia, Vnus pro omnibus loquens, & Ecclesię voce respõdens, ait: Domine, ad quem ibimus? &c. Propterea S. Leo 24. q. 1. cum beatissimus, ingenue fatetur, Petrum Apostolum accepisse primatũ Ecclesiæ à Domino. Ita omnes consentiunt S. Petrum à Christo primatum totius Ecclesię obtinuisse, Iuniores prętereo: Bedam, Bernar. & similes. *Chrysostomus.* *Iohan. 6.*

Loquatur S. Papa & Mar. Anacletus, qui non à quadringentis annis frigidissima Decreta cõposuit, sed à mille & quadringentis annis ita intonat, Sacrosancta Romana & apostolica Ecclesia, non Apostolis, sed ab ipso Domino & Saluatore nostro Primatũ obtinuit. Sicut B. Petro Apostolo dixit: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Et infra: Hæc autem apostolica sedes caput & cardo, ut præfatũ est, à Domino, & non ab alijs cõstituta est. Transferentur hæc uerba can. sacrosancta. 22. dist. *Anacletus.*

Ita S. Marcellus 4. ante Siluestrum can. Rogamus, 24. q. 1. scribit, Episcopis Antiochenis, Licet prima sedes fuerit apud Antiochiam, posterius Domino iubente Romam translata est. Sic B. Iulius 3. q. 6. can. B. Petrus à Christo testatur Ecclesiam Romanam habere Primatum, & esse caput aliarum Ecclesiarum. *Marcellus.* *Iulius.*

Sic Pelagius Papa non à quadringentis annis, sed nongentis & 28. S. Patrum secutus sententiam, uerba Christi: Et super hanc petram &c. eodem modo accepit. Hinc inter damnatos & pestiferos errores Iohannis Vickleff damnatus est & ille, Non est de necessitate salutis credere Ro: Ecclesiam esse supremam inter alias. Sic inter pestilentes Iohannis Huss errores ille quoque connumeratur, Petrus nõ est nec fuit caput Romanæ Ecclesiæ S. catholicæ. Et alius, non est scintilla apparentię, quod oporteat esse vnum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper in militante Ecclesia conuersetur. *Pelagius Papa.* *Iohannes Vickleff.* *Iohannes Hus.*

Et ista papalis dignitas à Cæsare inoleuit. Et Papæ præfectio & institutio à Cæsare emanauit. Ita Bonifacius 8. hæreses condemnans Lugdunensium, contra errorem eorum decernit, esse de necessitate salutis, omnem humanam creaturam subesse Ro: Pontifici. Vt super hoc habetur decretalis, Vnam sanctam. Iohan. quoque 22. hæresim Marsilij Paduani cõdemnans, hũc quoque reprobauit, B. Petrum Apostolum non plus fuisse caput Ecclesiæ, quam alios Apostolos. Ita longa serie incipiendo à primitiua Ecclesia, semper in confesso fuit, apud bonos Christianos Ecclesiam Romanam primatum obtinuisse à Christo, non iure humano & populi consensu. *Bonifacius VIII.*

Fateor, quod Bohemi in suorum errorum pertinaci defensione illa commemorant, et his armis virulentis se defendunt, ut est videre in eorum oblatione facta in Concilio Basiliensi, & in alia Disputatione facta coram Rege & optimatibus regni inter Ragusium, & illum iniquitatis ministrũ Iohannem Rockenzcenam. Vnde veniam precor à uenerando Patre, si Bohemis (non loquor de Christianis, sed schismaticis) sum infestus tanquam Ecclesiæ inimicis, & quod eorum præsenti memor sum Disputatione, quoniam & Conclusio ipsa, & ea, quę heri allata sunt, primatum Ecclesiæ iure humano constitutum, meo paruo & exili iudicio, plurimum fauent erroribus eorum &, vt fama est, de hoc plurimum gratulantur. Hæc modo in præsentia afferre libet, auditurus reuerendi Patris & sententiam & allegatorum Solutionem. *Bohemi.* *Iohannes Rockenzcena.*

LVTHERVS.

PRImum diluam contumeliam, Quod me egregius D. Doctor insimulat Bohemicæ factionis studiosum, & plane Patronum, Parcat ei Dominus, præsertim in tanta corona tantorum virorum. Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit, quodcunque schisma, Inique faciunt Bohemi, quod se Autoritate proprio separant à nostra vnitate, etiamsi ius diuinum pro eis staret. Cum supremum ius diuinum sit charitas & vnitas spiritus.

Hoc ego quæsiui solum, & rogo quemlibet bonum Christianum, dignetur Christiana charitate perpendere, An non sit longe impudentissimæ iniquitatis, tot millia Martyrum & Sanctorum per annos mille & quadringentos in græca Ecclesia habitos, extra Ecclesiam eijcere, & nunc demum etiam regnantes, in cœlo velle deturbare? Nam si etiam insaniant omnes adulatores Ro: Pontificis, negare non possunt, Ecclesiam Christi fuisse 20. annos fundatam, coronatam, per multam orbis terrarum partem, antequam Ro: Ecclesia fieret ex Petro, vt clarissime patet ex epistola ad Galatas, vbi scribit Paulus, Se post tres annos venisse ad Petrũ. Deinde post quatuordecim annos iterum ascendisse ad Petrum, Qui si conferantur, inuenientur ferme decem & octo anni post ascensionem Christi, quando Petrus adhuc erat Hierosolymis, vt taceam annos, quibus sedit Antiochiæ. Vt non possit dici, Rom: Ecclesiam esse primam, & caput iure diuino. Iam illud magis vrget, quod græca Ecclesia usque ad nostra tempora nunquam accepit Episcopos suos confirmatos ex Ro: Ideo si fuisset ius diuinum per tantum tempus, omnes Episcopi Alexandriæ, Constantinopolis aliquot sanctissimi, vt Gregor. Nazan. & cæteri quam plurimi essent damnati, hæretici & Bohemici, Qua blasphemia nihil potest detestabilius dici.

Græca Ecclesia.

Romana Ecclesia non est prima &c.

Gala. 1.

Ad argumenta solutionum.

Quando egregius D. D. dicit: Aequalitas apostolatus non præiudicat primatui, & adducit S. Mar. Anacletum distin. 21. Ca: in Nouo testa. Dico breuiter, hoc est vnum de frigidissimis Decretis, quod impugno, nec vllus mihi persuadebit, hoc Decretum esse huius sancti Pontificis & Martyris. Ad secundum, Non posui uim in ordinatione Apostolorum, de quo in opponendo videbimus.

Anacletus.

Tertio, Quod Cyprianum induxit æquiparantem Apostolos tam in honore quam in potestate, cum ego dixissem B. Petrũ honore fuisse priorem, libentissime admitto, Et si opus est, libenter errare volo, modo D. D. obtineat hoc pro veritate, & dicat postea vbi postea maneat principatus. Dico tamen, quod æqualis est honor Apostolorũ ad alios, uerum inter se merito Petro primum locum dederunt. Vnusquisque enim Apostolorum in sua sorte, & sicut unusquisque Episcopus in sua Diocœsi æqualem habet honorem.

Cyprianus.

Quod exprobrat, me nihil respondisse ad Cyprianum, quæsiui Epistolam, & non inueni. Tamen satis responsum est ex præcedentibus, quod Cyprianus cuilibet Ecclesiæ tribuit suum caput per multas Epistolas. Hi, qui fuerunt ex Numidia, non probant ius diuinum esse, sed factum ostendunt. Sicut in simili Achatius de facto costituit fœlicem Rom: Pontificem, quod dictum est heri. Imo Epiphanius Episcopus Cypri deposuit maiorem Episcopum Constantinopolitanum, scilicet Iohan. Chrysosto. ut est in tripar: histo: Non tamen ex facto isto factum est ius, & multa alia Exempla.

Achatius.

Epiphanius.

Satis miror, D. D. instituisse probare ius diuinum, & usque hodie ne vnam quidem syllabam Scripturæ inducit, sed tantum dicta & facta Patrum eademque sibijpsi repugnantia.

Quod

Quod Græcos olim fatetur Christianissimos fuisse, postea recedentes ab obedientia Ro: Ecclesiæ fidem cum imperio perdidisse. Idem est, quod heri dixit eadem autoritate eccíana, Præualuisse aduersus eos portas inferi, sic tractans Scripturas, vt intelligat per præualentiam inferorum terrenæ vitæ vel rerum amissionem. Bellissima glossa certe, quasi non potuerit fides manere amisso imperio, & ita liceat diuinare, ꝙ nulli sint Christiani in Græcia, quia nullum imperium, Eadem ratione dicet & Martyres ab inferis esse superatos.

Portæ Inferorum quid sint, secundum Eccium.

Exprobat etiam dicens, Quod ex respondente factus sum opponens, gratus accipio monitionem. At hoc ideo fecerim, vt tempus haberem deliberandi. Non sunt tanta Eccíana fulmina (vt & ego quid glorier) vt necessaria sit mihi deliberatio.

Illud etiam, ꝙ Richardus Amarcinus non sua, sed Leonis autoritate, verbum Christi tractauerit, parum mouet. Ostendat ipse ex ipso textu, hoc est, iure diuino Propositum, & ero contentus.

Richardus Amarcanus.

Ad vltimum, vbi sic ratiocinatur, Confirmans est maior confirmato, ergo Petrus maior Apostolus, forte, ꝙ ex Aristotele putet agens suo passo esse præstantius. Sed argutabor & ego plane aristotelice: Confirmans est bene maior per se, sed per accidens bene minor, nisi fortassis confirmationem hic intelligat sacramentum confirmationis, quod non credo. Alioqui non rarum est, superiorem per inferiorem adhortari, consolari, confirmari, hoc ad confutationes eius.

Ad principale.

AD principale accedens, probauit, Petrum esse Monarcham iure diuino, & hoc ex autoritate Bernardi superius inducta. Cypria. Hiero. Ambro. Chryso. Augustini, Deinde omniũ Sanctorũ consensu. Item multis Decretis & Decretalibus diuersorum Pontificũ. Respondeo: D. D. Eccius voluit iure diuino probare, & mox sui oblitus incidit, in autoritates Patrum, quas pro maiore parte iam tractauimus, & uidimus eos in diuersis locis diuersa aliquando sensisse, & multo plures & sæpius pro me, quam pro D. D.

Secundo uideamus tamen per ordinem.

Prima Bernardi superius satis est dissoluta, Quod videlicet, nõ probat, sed suadet tantummodo, eo ꝙ nitatur in alieno sensu Scripturæ, ut ipsemet D. D. concessit Similiter & Cypriani autoritas de principalitate & de ortu sacerdotalis vnitatis, satis visa est.

Tertio probauit per illa verba: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. Quæ Augustinus sic exposuerit: Super hanc petram, id est, Petrum, & hanc non retractauerit. Respondeo: Quid ad me? Si vult pugnare contra me, conciliet ipse primum dicta contraria. Certum est enim Augustinum sæpius exposuisse petram Christum, et fortassis vix semel Petrum, ideo plus pro me, ꝙ̃ contra me facit.

Tu es Petrus. Matth. 16.

Quod si etiam Augustinus & omnes Patres, Petrum intellexerunt per petram, resistam eis ego unus, autoritate Apostoli, id est, diuino iure, qui scribit 1. Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præterꝗ quod positum est, quod est Ihesus Christus. Et autoritate Petri, 1. Pet. 2. vbi Christum lapidem viuum & angularem appellat, docens, ut superædificemur in domum spiritualem. Alioqui si Petrus esset fundamentum Ecclesiæ, lapsa fuisset Ecclesia ad vnius ancillæ ostiariæ vocem, quam tamen nec portæ Inferorum expugnare poterunt.

Fundamentum aliud nemo ponere potest &c. 1. Cor. 3.

1. Pet. 2.

Sequitur ergo, Quod sancti Patres, quando Petrum appellant petram hoc loco, vel humana patiuntur, vel aliquem alium sensum habent, de quo non pronuncio. Ideo illud Ambrosij dicentis, Petrum esse petram, facile admitto,

mitto, cum & quilibet Christianus sit petra propter Christum, in cuius soliditate firmatur, & vnum cum eo efficitur.

Quando autem Chrysostomus Petrum appellat Pastorem futuræ Ecclesiæ, & constitutum Præpositum vniuerso Orbi, sum contentus, modo intelligatur ista pastura non totius Ecclesiæ, ne Paulum Apostolum excommunicemus, qui multo plures Ecclesias pauit quam Petrus, & Petrum esse primum in honore in toto orbe confiteor, Et hoc etiam Chrysostomus tangit, quando dicit, Eum esse verticem totius consorcij apostolici. Vertex non est caput verticis, sed pars capitis. Imo apertius appellat eum Apostolorum os, quod & Hieronymus & Cyprianus asserunt, quia non in sua Persona solum, sed omnium Apostolorum & totius Ecclesiæ audiuit: Tibi dabo claues &c.

Petrus Apostolorum os.

Anacleti decreta.

Ad Decreta nihil dico, quæ dixi frigidissima, & præsertim istius Anacleti multũ iactati hac hora, quod bonus Christianus non credat Anacleti esse Martyris, qui Cephas interpretatur caput, & Roma: Ecclesiam vocat Cardinem.

Bohemorum criminatores.

In fine, quandoquidem adeo displicent Bohemi D. D. egregio, Ostendat memoriam & ingenium suum, scribat contra eos. Satis ego miror, tam multos inueniri Bohemorum criminatores & hostes, nullum tamen esse, qui fraterna charitate dignetur eorum errorem confutare in gloriam Romanæ Ecclesiæ.

D. Martinus petijt Eccium, ne uelit impingere tantam contumeliam, ut eum Bohemum faceret, quia sibi semper inuisi fuissent, ideo, quòd ab unitate dissentiant.

HORA II. CONTINVATA est Disputatio, eadem V. die Iulij.

LVTHERVS.

Articuli Vuickleff & Huss.

OBiecit egregius D. D. in fine, articulos Vuickleff & Iohannis Huss damnatos, & Bonifaciũ damnatorem earundem. Respondeo, sicut prius, Me non velle nec posse defendere Bohemorum schisma, sed græcam Ecclesiam mille & quadringentorum annorum, siue cum ea senserint Bohemi, nihil ad me, Certum habeo, ꝙ nec Ro: Pontifex nec omnes eius adulatores possint tantum numerum Sanctorum sub potestate Rom: Pontificis nunquam agentium de cœlo deturbare.

Vna Ecclesia uniuersalis.

Secundo, & hoc certum est, inter articulos Iohannis Huss vel Bohemorum multos esse plane Christianissimos & Euangelicos, quos non possit vniuersalis Ecclesia damnare, Velut est ille & similis, Quod tantum est vna Ecclesia vniuersalis. Hæc enim agentibus impijssimis adulatoribus inique est damnata, cum oret vniuersitas Ecclesiæ: Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem. Hunc nobilissimum articulum fidei inter articulos Iohannis Huss numerant.

Deinde ille, Non est de necessitate salutis, credere Rom: Ecclesiam esse alijs superiorem, siue sit Vuickleff, siue Huss, non curo. Scio ꝙ saluati sunt, Gregorius Nazanzenus, Basilius magnus, Epiphanius, Cyprianus, & innumerabiles alij Græciæ Episcopi, & tamen hunc articulum non tenuerunt. Nec est in potestate Rom: Pontificis, aut Inquisitorum hereticæ prauitatis, nouos

nouos condere articulos fidei, sed secundum conditos iudicare. Nec potest fidelis Christianus cogi vltra sacram Scripturam, quæ est proprie ius diuinũ, nisi accesserit noua & probata reuelatio. Imo ex iure diuino prohibemur credere, nisi quod sit probatum, vel per Scripturam diuinam, vel per manifestam reuelationẽ. Vt Gerson etiam etsi recentior in multis locis asserit, & diuus Augustinus antiquior pro singulari Canone obseruat dicens ad diuũ Hieronymum: Ego solis eis Libris didici hunc honorem deferre, qui Canonici appellantur, Cæteros autem ita lego, vt quantalibet doctrina sanctitateq; præpolleant, Non ideo verum existimem, quia illi sic senserunt, sed si ex libris Canonicis vel probabili ratione mihi persuadere potuerunt. *Gerson.* *Augustini Canon.*

Quinetiam ipsi Iuristæ, de quibus minus videretur in cap. Significasti, de ele. statuerint, præualere vnius priuati hominis sententiam, tam Pontifici Ro: quam Concilio & Ecclesiæ, si meliore Autoritate nixus fuerit vel Ratione. Ideo nihil est, quod Dominus egregius Doctor, volens ex iure diuino contra me arguere, dimisso iure diuino, arguit contra me ex collectaneis hæreticæ prauitatis Inquisitorum.

Proinde ista Propositio Iohannis Huss: Papalis dignitas à Cæsare inoleuit, si est falsa, eradatur Platyna in vita Benedicti secundi, vbi scribit Constantinum IIII. Imperatorem Græcorum sanxisse, Pontificem Ro: esse Vicarium Christi generalem, Quanq; nec sic sit obseruatum à Græciæ Episcopis. *Platyna in uita Benedicti II.*

Quare, quantum me vrget egregius D. Doctor per Bohemos nondum centum annorum, tantum ego vrgeo eum per orientalem Ecclesi, ãmeliorem partem vniuersalis Ecclesiæ, & mille quadringentorum annorum, Si illi sunt hæretici, quia Ro: Pontificem non agnouerunt, Hæreticum accusabo Aduersarium, qui tot Sanctos per vniuersalem Ecclesiam celebratos audet asserere damnatos. Per eadem dico ad Bonifacium VIII. qui qualis Pontifex fuerit, & qua fide eius Gesta recipienda, satis probant historiæ. *Bonifacius VIII.*

Proinde concludo & rogo, D. Doctor velit Ro: Pontifices concedere fuisse homines, & non constituere Deos, præsertim, quoties iudicauerunt in causa propria. Deinde nõ per seipsos, sed per indoctissimos adulatores, quando diuus Gregorius multis Epistolis, etsi Rom: Pontifex, reiecit à se primatum totius orbis, allegans ad hoc prædecessorem suum Pelagium, dicens inter cætera, quod veneranda Synodus Chalcedonensis obtulit hunc primatus honorem Ro: Pontifici, & nullus tamen ausus est acceptare. Si ergo ego erro, errat mecum Gregorius primus, cum suis prædecessoribus, & damnabiliter peccauerunt, q̃ oblatum primatum non assumpserunt. *Gregorius primus.*

Per hæc volo probatum, q̃ ex Decretis, damnationibus, approbationib. recentioribus Ecclesiæ Rom: nihil contra me agitur, cum sint suspectissima omnia, & antiquæ veritati & consuetudini per omnia contraria, Nihilominus tamen pro reuerentia & vitando schismate, libentissime tolero, & tolerranda persuadeo, modo non tantum iure diuino tot Sanctos præcedentes damnemus. Hæc habui, quæ dicerem de Articulis.

ECCIVS.

QVod reuerendus Pater, honorem suum excusaturus, negat se Bohemorum patronum. Si facta verbis responderent, magnificarem eum, At vltima primis non concordant, cum pestilentissimos Hussitarum errores non Christiane dicit Christianissimos. At de his posterius.

Conclusionem tamen illam odio, q̃ schismatici Bohemi & Picardi tanq; Deum acceptare possent, si pro eis staret ius diuinum. Græcos laudatissimos & sanctos Martyres semper laudaui. At reuerend. Pater, artis coquinariæ minus

minus instructus, commiscet Sanctos græcos cum schismaticis & hæreticis, ut fuco sanctitatis Patrum, hæreticorum tueatur perfidiam. Quoniam mille & quadringentos simul inculcat annos.

Lutherus protestabatur, dicens:

PRotestor coram vobis omnibus & publice, quod egregius D. D. hoc mendaciter & impudenter de me loquitur. Et Eccius protestatur se uelle probare scriptis & dictis, in quibus longo tempore maior Græcorum pars & Ecclesia fuit hæretica & schismatica, sed non est conuentio lucis ad Belial & schismaticorum ad sanctos Martyres & Confessores.

ECCIVS.

DE Ecclesia, ante Romanam uiginti annos existente, dicam, quam reuerendus Pater mihi componit, non moueor, quod Episcopi græci à Ro: Pontifice non fuerint confirmati, nam & Plebani seu Parochiani sacerdotes à Papa iam non confirmantur. Sed extremæ esset dementiæ, dicere, ob hoc summum Pontificem non habere Primatum super plebeios sacerdotes.

De frigidissimo Anacleti Decreto, dicam inferius, alia quoque Decreta defensurus. De Numidia reuerendus Pater dixit, esse factum non ius, quod est præter Cypriani sententiam, qui eos incusat uelut schismaticos, qui audeant ad cathedram Petri, & principalem Ecclesiam, unde unitas orta est, accedere. Quod Epiphanius, Cyprianus, Iohannem Chrysostomum Episcopum superiorem ab episcopatu expulerit, uiderit ipse, Hoc, inquam, factum non iustum fuisse censeo.

Anacleti decretum.

*

Præterea, Quod in me cauillos torquet, quasi non idonee sacras literas tractem, qui ob amissionem rerum temporalium & diuitiarum dixerim aduersus Græcos portas inferi præualuisse. Nunquam cogitatum mihi imponit, nam hæreses, schismata, errores contra Græcorum Ecclesiam inualuisse dixi. Verum est, quod & Imperij amissio cum magno Christianitatis pudore subsecuta est.

Deinde quod gloriatur reuerendus Pater, se iure diuino loqui Luc. 22. Ego obscurum uirum afferam Richardum Armarcanum etiam Leonis autoritate fretum, dicat & me eundem credere Euangelij scripturam & ius diuinum. At reuerendus Pater suo nixus intellectu, me respuit Antiquorum sequentem intelligentiam. Indubitatum est & Arium (Pater maior me est) hæreticum, & Athanasium habuisse Euangelium, Verum Arius erronee, Athanasius ut Spiritus sanctus efflagitabat, intellexit. De adiecta confirmatione non refert, cum quisque prudens intelligat eum, qui autoritate superioris sibi concessa, alios confirmat præstare in hoc confirmatos, De per se & per accidens, nescio quo pertineant, Hoc pro primo.

Richardus Amarcanus.

Arius. Athanasius.

Assumpturus reuerendus Pater argumenta mea, contra principalem intentionem, exprobrat mihi immodice institutũ meum fuisse, probare iure diuino Ecclesiam Ro: esse alijs prælatam, & tamen solum in dicta Patrum & Sanctorum inciderim, quasi amphoram facturus urceolum accipiam. Parcat mihi reuerendus Pater si intentionem meam noluerit uel non potuerit assequi. Nam hoc fore de iure diuino satis fit, dum tot S. patres de iure diuino esse dixerunt, Licet ius diuinum non obticuerimus Matth. 16. Super hanc petram, ubi autoritates S. Patrum induxi.

Matth. 16

De Bernardo, cuius autoritas & simul ratio est inuincibilis, nescio, quomodo

B. Bernardus.

quomodo reuerendus Pater sui oblitus, dixerit, me admisisse Bernardum alio sensu locutum, Quod nullis armis possit deuincere, Seruato enim vero & genuino Scripturæ sensu, æqualitatis Filij ad patrem, optime procedit S. Bernardi ratio.

De Augustino & alijs, qui Petrum dixit esse petram, tanquam contraria dicentem, insinuat se non recipere. Contra quem ego dico, Quomodo audeat tam sanctum, tam doctum Patrem credere sensisse contraria in eodem libro ? in eodem capite, in utriusq; sententiæ collatione, lib. 1. retract. ca. 21. Sed q̃ modeste & humiliter reuerendus Pater Augustinianus responderit, aliorum sit iudicium, cum unus se promiserit tot sanctis Patribus se oppositurum. Hoc est uerum Boemicum, plus uelle intelligere sacram Scripturam, q̃ summi pontificis Concilia, Doctores & Vniuersitates in magno uigore existentes, cum tamen Spiritus sanctus Ecclesiam suam non deseruerit, Et mirum esset, si illam ueritatem Deus tot Sanctis & Martyribus occultasset usq; ad aduentum reuerendi Patris. Necq; euincit quippiam B. Pauli inductio, φ eius dicta S. Patribus & Doctoribus minime aduersentur. Est Christus petra, est fundamentum, est lapis angularis, est caput Ecclesiæ indubitatum. *Augustinus.*

Porro illa non debere attribui eius Vicario, contra S. Patrum & Martyrum attestationem, non esse acceptandum. Ratiunculam adiecit etiam nuper in vulgari sermone disseminatam. Si super petram, quomodo super Petrum Ecclesia ædificari potuit, qui ad vnius ancillulæ vocem Christum & fidem Christianam abnegarat. Parcat mihi reuerendus Pater, cum Philosophiam Aristotelicam contemnat, & Grammaticam tanti faciat, Cur hic lynceis suis oculis verbum, Aedificabo, futuri temporis non perspexit, nõ enim Sponso præsente, vbi filij lætabantur, opus erat Vicario, Necq; tunc Christus ei potestatem dedit clauium, sed potius promisit. Ante ergo clauium & potestatis dationem ab ostiaria interpellatus fuit S. Petrus, quod & Ambrosius & Gregorius dehinc testantur. *Sermo vulgaris, Lutheri.*

Ad Chrysostomum respondit, Petrum superiorem fuisse honore, Nam & Paulus plures pauerit Ecclesias. Quasi reuerendus Pater non plus prædicauerit, q̃ iam summus Pontifex, Et ob hoc non sit dicendus maior Pastor q̃ Papa ? Sic nimis subtiliter se torquet in dictione, vertex, quasi Chrysostomus non Primatum voluit intelligere. Sed quis hoc feret, cum symbolicum sit, & vertex pro summitate in tali translatione & metaphora vsurpetur ? Sic & os Apostolorum dicitur, φ sæpe pro omnibus Apostolis fuerit locutus, φ & B. Chrysostomus ponderat. *Vertex.* *Os Apostolorum Petrus.*

De Decretis dicit, illa esse frigidissima decreta, De quo plurimum miror, cum in Disputatione sua posuerit, Ro: Ecclesiam esse omnibus alijs superiorem, probatur ex frigidissimis Ro: Pontificum decretis, intra quadringentos annos natis, Et ego ei multum vetustiora adduxerim, antecq̃ incepit refrigescere charitas multorum.

Subterfugium suum nõ accipio, quo negat cõstitutionem illam esse Anacleti, Nam sic omnium Conciliorum & summorum Pontificum decreta mihi sigillatim eluderentur, & sic tota facultas Iuridica falsitatis insimularetur, quasi falsis fundamentis sit innixa, in lectionibus, decisionibus, iudicijs & similibus. Et sic iura eorum Pontificia erunt de nigra faba, nisi consensu totius Christianitatis fuerint approbata. Vnde nullo pacto recipienda est reuerendi Patris sententia, cum omnium summorum Pontificum decreta & Conciliorum in pluribus locis reperiantur, & vt est audax hominum genus, dudum fuissent reperti, qui simiam illam Anacleti leonina pelle incedentem diripuissent, Nisi ergo ostenderit in Originalibus illa non haberi, fidem ei non adhibeo. *Anacletus.*

Criminatores Bohemorum.

Postremo de Bohemis dixit, certe non sine christianorum Doctorum contumelia, Plures esse criminatores Bohemorum, vbi sint qui ex charitate & bono zelo contra eos scribant & eos exhortentur, ibi exerceant ingenium & memoriam. Quid surdo narrarem fabulam? At Christianus negare non debet plurimos optimo zelo motos, cōtra Bohemos scripsisse, quales fuerūt Patres in Constantiensi Concilio deputati, qualis fuit Doctor respondens Bohemis in Cōcilio Herbipolensi, qualis Ragusius, qualis optimæ probitatis & doctrinæ Iohannes Capistranus D. Francisci sacerdos, omnib. fidelib. notissimus. Nicola: Cusanus Germanorum doctissimus cum pluribus alijs, ut objcit mihi reuerendus Pater, inquisitoribus, prætereo. Quare non defuerunt Bohemis, qui bona scriberent, sed ipsi defuerunt, qui in hæresi obstinati bona non sequerentur.

Patres in Constantiensi Concilio &c.

Nicolaus Cusanus.

Constantiense Concilium.

De græcis Sanctis diximus sæpius, sed hoc horrendum omnibus Christi fidelibus esse arbitror, Quod reuerendus Pater contra tam sanctum & laudabile Constantiense Concilium tanto consensu totius Christianitatis congregatum, non veretur dicere, Articulos aliquos hussiticos et vuiklefficos fuisse Christianissimos & Euangelicos.

Protestatur Lutherus.

(Non est verum, quod contra Constantiense Concilium locutus sim.)

Eccius contra offert, se probaturum ex dictis & scriptis, quos non possit vniuersalis Ecclesia damnare, Sicut pessime sonat, Inique esse damnatum articulum illum hussiticum, De necessitate salutis Ro: Ecclesiam alijs superiorem, de quo quidem dicto Bohemi non immerito exultant, & hoc orationibus suis apud Deum postulauerunt, verum magna Ecclesiæ iactura. Quod (sicut B. Augustinus alibi ratiocinatur) si vllum mendacium ad sacras Scripturas fuerit admissum, tota erit de veritate suspecta. Ita & damnati Hussitæ reuerendi Patris fulti patrocinio procul dubio (Mendacium est impudentissimum) dicturi sunt. Si Concilium errauit in his duobus articulis Christianissimis, ita eius apud nos in alijs Articulis vacillabit autoritas.

B. Augustini dictum.

Protestatur Lutherus.

Vnde in re prius condemnata nolo plura verba prodigere, ad quid cogendus sit Christianus aut admittendus, Hoc dico autoritatē Concilij vel Ro: Pontificis fieri, ut sententia sine suspicione hæresis defendi non possit, quæ alioqui citra fidei læsionem impune posset defendi. In promptu est exemplum, An essentia in diuinis generet. Quam sententiam Richardus amplexus lib. de trinitate minime inculpatur. At decisione per Concilium facta, nullus iam sine hæresis suspicione essentiam diceret generare, credo in capitulo: damnamus, de summa Trinitate.

Ad Augustinum de legendis canonicis Scripturis inductum, nihil moueor, Quoniam Conciliorum & summorum Pontificum Decreta, non excludit. Quid Domini mei Iureconsulti in c. Significasti, de elect. ponderent, iam non memini. At suæ Professionis memores velut iusticiæ cultores non dabunt, vt arbitror, leges pontificias pessundari. Quod uero Platynam adducit, quasi ille plus sit, q̄ summus Pontifex, uel Augustinus uel Cyprianus, qui in uita Benedicti II. renarret Constantium IIII. sanxisse, Ro: Ecclesiæ deberi primatum. Legat, queso, reuerendus Pater, quæ Domini Iureconsulti annotant in capitulo Ecclesiæ S. Mariæ de constitu: quid, quantum & quomodo ualeant secularium constituta in ecclesiasticis rebus, & uidebit, quo sensu uerba Platynę (ne dicam Ro: Imperatoris de Ecclesijs & hæreticis) debent accipi.

Platyna in uita Benedicti II.

Vltimo loco proponit, me urgere Bohemos Græcos, fateor schismaticos. Nam S. Patres græcos canonisatos nō damno, sicuti Gygantes uolebāt in fabulis Iouem e cœlo pellere. Sed tunc uere occurrit nobis reuerendus

Pater,

Pater, quando dabit Græcum inobedientem & rebellem Ecclesiæ Romanæ, qui sit canonisatus. Et quis est hic, & non laudabimus eum? Frustra ergo assumit se tolerare Monarchiam, quasi non esset de iure diuino, sed quadam tolerantia populi & consensu fidelium inducta.

Quod per maxime liquet ex Gregorio inducto, qui Primatum inter fideles sibi oblatum reiecit. An sensum sequatur reuerendus Pater, non uerborum corticem, & reperiet in Epistolis summam optimi Patris humilitatem, ut plus mititate & humilitate sua superbiam Patriarchæ Constantinopolitani infringeret, quàm quod suspitio elationis aut superbiæ de eo haberetur. Vnde etiam Seruum seruorum se primus scripsit. Et quòd hoc sit uerum, si tam diligens est reuerend. Pater Gregorij lector, potuit in eiusdem Epistola legere (sicut transponitur in Decre: can: 2. q. 6. de cætero) ubi potestatis suæ memor humillimus Pater diuitiarum & gloriæ contemptor scribit, Alios Episcopos, præter quàm Romanum, in partem uocatos sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Nemo est, qui hic dubitare possit, quin reliquis Episcopis partem, Ro: uero Pontifici plenitudinem ex grammatico sensu dare uelit. Ob id rogo, reuerend. Pater ea, quę dicta sunt, uel per alios, uel per me, non semper uelit reijcere in adulationis studium, quippe adulari non didici, adulari etiam nescio. *Seruus seruorum.*

VI. DIE IVLII: HORA VII. MANE.

Lutherus exorsus est.

POstquàm heri egregius D. D. non Partis, sed Iudicis officium usurpans, contra conuentionis pactum & uoluntatem illustrissimi Principis Georgij, Patroni nostri, me toties definiuit & proclamauit Hæreticum, cum sui officij fuisset solum adductis Rationibus & Autoritatibus, Iudicibus relinquere, essem hæreticus nec ne. In quo, si non est violata publica fides, viderint hi, quorum interest.

Ad causam primum obiecit, quòd errores Huss pestilentissimos uocauerim Christianissimos, De quo testor meam innocentiam. Nec hoc poterit unquã probare, & expostulo, ut assignet eosdem Articulos, quos pestilentissimos vocauerim Christianissimos, aut uocem suam reuocet.

Secundo criminatur, quòd commiscuerim Sanctos græcos cum schismaticis. Quid aliud faceret, qui non haberet quod diceret, Cum certissimum sit tempore nouissimæ uastatæ Constantinopolis fuisse integerrimos Christianos in Græcia, postea in Italia receptos. Atque etiam si hoc non urgeret, adhuc stat, quòd usque ad Concilium Nicenum saltem fuerint integri Christiani per totum Orientem, non subiecti Ro: Pontifici, Vt clarissime testatur Decretum eiusdem Concilij Niceni dicentis lib: 10. hist: Eccl. Et ut apud Alexandriam vel in urbe Roma uetusta consuetudo cõseruetur, ut ille Aegypti, hoc suburbanarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Idem Concilium non Romano, sed Hierosolymitano tribuit honorũ Primatum, dicens ibidem: Et ut Episcopo Hierosolymorũ antiquitus tradita honorum prærogatiua seruetur. *Christiani in Græcia fuerunt tempore Constantinopolis uastatæ. Anno. 1453.*

Quod si nec ista satis sunt, quod tamen adhuc concludit, quod egregius D. D. satis callide tacuit, quòd Ecclesia Christi uiginti annos ad minus fuit, antequam Ro: Ecclesia nasceretur. Ideo ridicula est eius confutatio, quòd fingit me miscere Sanctos cum schismaticis, cum suos schismaticos assignare nõ possit.

Tertio, Cum cõfutasset Rationem meam, quia scilicet non cõfirmarentur Episcopi Græciæ à Ro: Pontifice, dixit hoc nihil esse, cum nec Plebani passim confirmentur à Ro: Pontifice. Quis non uidet hæc perdendi temporis gratia dicta? cum Plebani tamen ab Episcopis ordinentur, Hæc omnia simul

 remitto

Hieronymus ad Euagrium.

remitto ad prius dicta de Hierony. ad Euag. Eadem causa & illud toties repetijt de Numidia, cum illi scribantur uenisse ad Romam non uocati, & accusentur, q̧ venerint. Et adhuc D.D. ius ex hoc facto Ro:Pontifici diuinum tribuit. Sed & illud, Quod Epiphanius Cyprius Iohannem Chrysostomum deposuit, non pro iure, sed facto accepit. Et sic vult confutasse, cum ille egerit secundum statutum Niceni Concilij, & autoritatem Cypriani de ordinandis Episcopis citra autoritatem Ro:Pontificis.

Stat ergo adhuc inuicte, Quod Ro:primatus aut non est iure diuino firmatus, aut totius orientalis Ecclesiæ Sanctos esse in æternum damnatos. Illud prætereo, q̧ præualentiam portarum inferi, interpretatur inualentiam hæresium, quod non curo, nihilominus non ostendit Græcos fuisse hæreticos, cum vulgatum sit etiam per iura, Græcos non haberi pro hæreticis. Transeo & illud Leonis & Amarcani, vbi dicit se sequi intelligentiam Antiquorum, accipiendo numerum pro numero, scilicet vnius Leonis singularis. Item de confirmatione fratrum Petro commissa nihil dicam, satis dictum est, cum nihil probet, nec adhuc confutatum sit.

Matth. 16.

Tu es Petrus &c.

AD rem principalem dicit, se tenuisse ius diuinum, quia illud Matthæi 16. Tu es Petrus, cum sententijs Patrum sit secutus, præsertim Ambrosij & Augustini, qui dixerint, Petrum esse petram, Ausus etiam hoc addere, quod Augustinus non retractauerit, Ego postea consulens Librum retracta: inuenio contrarium. Vere enim retractat, & dicit, Petrum non esse petram, sed confessum esse petram. Idem hoc dicit in homelia, quam omnes sacerdotes orant, in die Petri & Pauli, Vbi dicit. Super petram, non super te, sed super Petram, quam confessus es. Idem inuenio in Ambrosio, quanquam & ipse variet. Ad hoc est simul aurea illa glossa, vt gloriantur, super capi: Ita Dominus, dicens: Et super hanc petram &c. per hanc dictionem non credo Dominum aliud demonstrasse, q̧ hæc verba, quæ Petrus respondit Domino, cum dixit: Tu es Christus Filius Dei uiui, Quia super isto articulo fidei fundata est Ecclesia, Ergo super seipso fundauit Christus Ecclesiam.

Et super hanc petram &c.

Tu es Christus Filius Dei &c.

Nihil est ergo, quod gloriatur egregius D.D. dicta Patrum à se stare cum multo fortius inueniantur à me stare. Poterat ergo parcere linguæ suæ & auribus nostris, quando rhetorico boatu exclamauit, Me velle vnum esse doctiorem omnibus, plus velle intelligere Scripturam, q̧ Doctores, Vniuersitates, Concilia & Ro:Pontificem, & mirū esset, si mihi soli tam diu occulta veritas reuelata esset. Hoc enim nō fuit disputare, sed inuidiā mouere.

Quod uero ridet meam Ratiunculam, ubi dixi, Lapsam esse Ecclesiam negante Petro, si super eum esset ædificata, Adducens grammatice uerbum futuri temporis, ædificabo, quasi post mortem ædificata sit Ecclesia super Petrum, transeo, quod quisq̧ facile videat, qui valeat. Nihilominus tamen etiam post Spiritum sanctum missum grauissimo scandalo fidei cecidit Petrus. Galat. 2. cum redargueretur à Paulo, in quo permansit integra fides & cōfessio, in Petro quidem fides, sed simulatio aduersus veritatem Euangelij.

Petrus à Paulo redargutus. Gal. 2.

Admitto tamen, q̧ egregius D.D. hac Autoritate præcipue nixus nunc seipsum excludit ab ea, vt sic nihil iuris diuini relinquatur ei. Nam si promissio tantum facta est, eundem est ad locum, vbi exhibita promissio est, & inuenietur illud Iohan. vlti. vbi non dicit: Petre accipe Spiritum sanctum, sed æqualiter omnibus: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. Transeo & illud de Chrysostomo, vbi Petrum honore superiorem fuisse dixi, D.D. confutaturus opposuit, cum Paulus plus prædicauit, q̧ Petrus, plus etiam habebit honoris, quasi ego de multitudine laboris, ac non potius de primitate ordinis dixerim. Transeo de uertice & symbolico suo capite, quæ sunt mera verba.

Accipite spiritum sanctum. Iohan. 20

De Decretis,

De Decretis, Miratur me dicere frigidissima Decreta, & intra quadringentos annos nata. De quadringentis annis supersedeo, postea dicturus. Nā non fuit opus, ut docerer ante mille & ducentos, imo quadringentos annos, fuisse Decreta, imo fuisse & contentiones de primatu. Miretur interim ipse D.D. ꝙ autoritatem Matthæi intelligit promissionis uerbum esse, non exhibitionis, cum tamen Decreta ipsa super idem uerbum tanꝗ exhibitionis penitus nitantur. Necesse ergo est, aut Decreta improprie tractare, etiam autore D.D. aut ipsum errare. *Frigidissima Decreta.*

Quod uero non accipit negatum à me Decretum Anacleti, & quæ de sigillatis Decretis ibi ludit, transeo, nondum enim confutauit quod idem Decretum, Cepham interpretatur caput, quæ inscicia tanto Pontifici non est tribuenda, præsertim eo tempore, ubi floruerunt linguæ, & Iudæorum habebatur copia. Sed hoc constat librum Decretorum nondum esse approbatum. *Anacleti decretum.*

Illud etiam grauiter insectatus est, ꝙ dixi, Plures esse criminatores Bohemorum, ꝗ instructores. Vtinam mendacium fuissem locutus. Video quidem multa dici & scribi contra eos, sed satis infœliciter, ꝙ non nominentur fraterno nomine, quod tamen Paulus Galatas lapsos in perfidiam Iudæorum non dedignatur. Credo ego Bohemos esse homines & blandis sermonib. & concessionibus posse attrahi, qui criminationibus & opprobrijs hæretici nominis magis indurantur, Non est ergo, quod excusemur non esse narrandam fabulam surdo, cum præcipiente Paulo instandum sit importune, opportune. *Criminatores Bohemorum.* *Galat. 6.* *2. Tim. 4.*

De græcis Sanctis sæpius diximus. Illud autem tractandum est, quod ad concitandam inuidiam multum clamauit, Horrendum esse omnibus Christi fidelibus, ꝙ contra tam sanctum & laudabile Constantiense Concilium, non uereretur dicere, aliquot articulos Huss fuisse Christianissimos & euangelicos, quos non possit vniuersalis Ecclesia damnare. Respondeo: Inter articulos Huss est & ille: Vna est sancta uniuersalis Ecclesia, quæ est prædestinatorum vniuersitas. Item alius: Vniuersalis sancta Ecclesia tantum est vna, sicut tantum vnus est numerus omnium prædestinatorum. Hi duo non sunt Huss, sed Augustini super Iohannem ad uerbum prope, & repetuntur per Magistrum 4. sententiarum de sacra: Eucha: Tertius est: Duæ naturæ, diuinitas & humanitas, sunt vnus Christus. Hos articulos credo confitetur mecum D. Iohannes Eccius. Quartus: Diuisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel uirtuosa uel uiciosa, quia si homo est uiciosus, & agit quidquam, tunc agit uiciose, & si est uirtuosus, & agit quidquam, tunc agit uirtuose, &c. *Constantiense Concilium.* *Articuli Huss.* *Augustinus super Iohannem*

Iste articulus, vt audiuimus, præcedente hebdomada triumphatus est, ita, ut egregius D. D. Iohannes Eccius coactus sit Scotum & Scotistas, Capreolum & Thomistas cum vniuersis suæ factionis Doctoribus celebrioribus repudiare, & Antagonistæ suo consentire.

Proinde, quæ heri in me euomuit, ꝙ essem patronus Bohemorum, hæreticus pestilentissimus, & si qua similia, refero in sinum eius. Hic sentit cum Iohanne Huss, quidquid pro se dixerit, pro me contra eius criminationes dictum est. Illud addo, ꝙ recte dixi Christianissimos & euangelicos, præsertim illum: Duæ naturæ &c. Quare debuit mihi hoc admittere egregius D. D. ꝙ pro reuerentia Concilij Constan: crederem hos & similes articulos non fuisse ibi damnatos, sed ab aliquo impostore interfertos. Verum contra hæc cum ipsummet Cōcilium dicat, aliquos esse hæreticos, aliquos erroneos, aliquos blasphemos, aliquos temerarios, aliquos seditiosos, aliquos piarum aurium offensiuos, debuit prius egregius D.D. pro sua prudentia quemlibet in suum ordinem redigere, & non contra determinationem Concilij omnes in uniuersum hæreticos damnare, quos Concilium vix temerarios esse uoluit. Nam potest & ipsa purissima ueritas, temeritatis, scandali, seditionis, offen- *Concilium Constantiense.*

sionis aurium accusari, sicut Christo contigit. Nec ideo falsus est articulus, multo minus hæreticus, quia temerarius vel offensiuus. Et sic patet, quod nimis pręcipitanter & longe citra modestiam eccianam hæreticus accusatus sum, quem fortassis vix offensiuum poterit probare, imo cum ad eum non pertineat prorsus de Articulis istis iudicare, qui erronei, qui hæretici, qui temerarij, clarum patet, quam inique & temere me hæreticum, & pessissimo nomine accusat.

Proinde non esse de necessitate salutis, Romanam Ecclesiam esse superiorem alijs, nondum conuincitur esse Articulus hæreticus, etiamsi inter hæreticos numeretur.

Quod autem ratiocinatur Augustini exemplo: Si vllum mendacium in Concilio admittatur, vacillabit vniuersa autoritas Concilij. Infœlix similitudo est, Augustinus de Scripturis diuinis ratiocinatur, quæ sunt verbum Dei infallibile, Concilium vero creatura istius verbi. Ideo iniuria verbo Dei fit per hanc comparationem, cum concessum sit, Concilium posse errare, vt notat Panormitanus in capi: Significasti. Transeo illud de essentiæ diuinæ generatione, quia nihil ad propositum.

Panormitanus.

Ad Augustinum, qui excepta Scriptura, omnium scripta cum iudicio iubet legere, Dicit egregius D. D. Non esse exclusa per eum decreta Ro: Pontificis & Conciliorum. Hoc dicitur, sed non probatur, Quin solutionem meam confirmo autoritate Pauli ad Thessalo: Omnia probate, quod bonum est tenete. Ro: Pontifex & Concilia sunt homines, ergo probandi sunt & sic tenendi, nec eximendi ab hac regula Apostolica.

Omnia probate. 1. Thes. 5.

Quod per me adductum capi: Significasti, dicit se non meminisse, & Dominos Iuristas monet, vt nō pessundent leges pontificias, Quod & ipsum valet ad concitandam inuidiam mihi. Nec per hoc pessundantur leges pontificiæ, si eis præferantur leges diuinæ, Quod cum faciunt Domini Iuristæ, pessime faciunt Theologi, qui in hac re etiam resistunt optimis Iuristis.

Platynam per me allegatum, dicit non esse plus, ꝙ̄ Ro: Pontificem, Augustinum, Cyprianum, Quasi per Augustinum & Cyprianum, aut summum Pontificem iam probauerit Primatum, qui toties iure diuino se probaturum promisit, nec nisi decreta frigidissima exhibuit, & aliquod Patrum false intellectas Autoritates. Platynæ nihil tribuo, sed historiæ, quæ est mater veritatis, quam scribit Platyna.

Platyna.

Historia mater ueritatis.

Quod de Constitutionibus dicit, transeo.

Tandem fatetur, græcos Sanctos non esse damnatos, sed solum schismaticos. Hoc nihil est ad propositum, neq; ego enim unquam respondi de schismaticis Græcis, sed de sanctis præsertim Niceni Concilij, sicut nec credo ipsum sentire de schismaticis Latinis, quando de Ro: Ecclesia loquitur.

Gregorium à me inductum dicit esse sequendum, secundum sensum, non secundum corticem verborum, Et sic satis est confutata mea responsio, Sufficiunt enim sola verba Ecciana.

Gregorius.

Quod autem induxit 2. q. 6. ca. de cætero, vbi scribit idem Gregorius, alios Episcopos, præterquam, Romanum in partem vocatos sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Debuit D. D. ostendere, ꝙ omnes Episcopos intellexerit per Orbem, & non solum occidentalis Ecclesiæ Episcopos. Quod si ꝙ̄ maxime faceret, non ideo probatur ex iure diuino, Gregorius homo est, eoq; minus probatur, quo multo in pluribus locis diuersum sentit. Vt magis sit mihi ius dicendi D. Doctori, vt ipse sensum, & non corticem in suis adductis sequatur, aut primum eundem sibi conciliet.

Vltimum, Quando ego contra egregium D. D. induxi Paulum, 1. Corint. 3. Quod fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id ꝙ positum est, quod est Ihesus Christus, dixit etiam tribuendum Vicario Christi, ergo oportet

1. Cor. 3.

oportet sic dicere: Nemo aliud fundamentum ponere potest, præter id quod positum est, quod est Ro: Pontifex, & sic resistendum erit euidentissimæ autoritati Pauli, aut reuocandum, ꝙ hæc non sint tribuenda Vicario Christi.

Gal. 2. Similiter illud Gala. 2. vbi dixit Paulus, qui videbantur (loquitur de Petro, Iacobo, & Iohanne) quales aliquando fuerint, nihil mea refert, Deus enim personam hominis non accipit. Ibi Paulus euidentissime dicit, Petri magnitudinem & qualitatem nihil referre, nec eam accipi à Deo. Si autem est de iure diuino, certissimum est, Paulum hic mentiri, nam quod ius diuinum est, omnino accipitur à Deo, & multum refert. Ideoq; ista autoritas Pauli cogit primitatem vnius hominis Episcopi non esse de iure diuino, & ideo reuocandum, quod D. D. dixit de iure diuino, cum apparenter contradicat Apostolo hic. Sic dico, ꝙ nisi D. D. egregius suam Sententiam mutarit, tanquam euidentissime contrariam Paulo, non sim eum habiturus pro catholico. Hæc satis sint de mea Responsione ad obiecta D. D. Iohannis Eccij super Propositione tertiadecima de potestate & primatu summi Pontificis, quę relinquo iudicio Iudicum & omnium Lectorum.

ECCIVS.

CVM reuerendus Pater mihi improperet, ꝙ iudicis occupauerim officium, nihil ad rem, sum disputator. Neq; hæreticum dixi, sed dicta sua hæreticis & maxime Bohemis fauere & patrocinari, potissimum cum illud horrendum dicere auderet, Aliquos articulos Iohannis Huss per Concilium sacrum Constantiense reprobatos, esse Christianissimos & euangelicos. Ad rem potius descendamus. Duos heri protulit huiusmodi articulos, hodie aliquos addidit, de quibus infra. *Articuli Iohannis Huss &c.*

Quod vero ad Græcos attinet, mirum quo studio reuerendus Pater eos defendit, quos fuisse bonos asserit etiam in excidio Constantinopolitano, qui deinde in Italiam venerint, oportere me ostendere & nominare qui fuerint Græci schismatici & hæretici. Miror, ꝙ reuerendus Pater in sua Epistola obijcit mihi historiarum ignorantiam, & ipse hoc loco nolit scire, quod tota nouit Ecclesia. Nonne schismaticus fuit Nestorius, Macedonius, Eutiches, Achatius, Iohannes Constantinopolitanus, & longo tempore in schismate perseuerantes sub Eugenio IIII. in Concilio Florentino obedientiam fecerunt Ecclesiæ, quamuis pro pertinaci perfidia statim ad uomitum redierint. Alioqui si Græci non fuissent schismatici & Hæretici, non haberemus decisionem de summa fide catholica contra Græcos. Vel forte reuerendus Pater ignorat Thomam edidisse librum de erroribus Græcorum. *Nestorius. Macedonius. Liber Thomæ de errorib. Græcorū.*

Addo, quia induxit iam sæpius Ecclesiam orientalem non fuisse subiectam Ro: Pontifici, & Epiphanium, Cyprianum, repulisse S. Chrysostomum ab episcopatu, quod bene factum dicit reuerendus Pater autoritate Niceni Concilij & Cypriani, Sed cecidit in foueam, quam fecit, quoniam S. Chrysostomus odio Imperatricis fuit deiectus, & hæreticus Arianus substitutus, quem summus Pontifex Iulius mandauit recedere, & Iohannem Chrysostomum restituit. Quod dum factum non esset, Iulius Papa Iohannem Chrysostomum restitui præcepit, & Imperatorem excommunicauit. Ita & contra alios Episcopos hæreticos processit. Vt non semel, sed decies Græcos ab obedientia Ro: Ecclesiæ recessisse Historiæ tradant. Eat nunc reuerendus Pater, & dicat Ro: Pontificem de Ecclesijs orientalibus non disposuisse, vel iustificet tam S. Patris Chrysostomi repulsam. *Ecclesia orientalis.*

Tertio, de Nicena Synodo, quam ex Historia scholastica li. 10. adduxit, si ista est constitutio, quam in sua voluit Conclusione, bona est, inquam, sed ad propositum frigida. Iam Synodus nullo etiam eo tempore legitima *Nicena Synodus.*

arbitrabatur, quæ non foret autoritate Ro: Pontificis congregata. Ita Leo, ita Marcellus, ita Iulius, sancti non frigidi Papæ sanxerunt, circa idem tempus viuentes. Constitutiones eorum leguntur dist. 19. can: Synodum, & sequentibus. Vnde ꝙ Patriarchæ hierosolymitano prærogatiuam honoris dederunt, sed non primatum totius Ecclesiæ, hoc debebat probare Dominus Pater. Sexta autem Synodus expresse primam sedem dat Romanæ Ecclesiæ, quæ transsumitur xxij. distin. Quod & Leo Papa contra Imperatorem Michaelem, & B. Gregorius, contra Iohannem Constantinopolitanum, & Mauricium Imperatorem obtinuit.

B. Gregorius. Platyna. Vnde hoc loco id quoq; excutiam de B. Gregorio, quem ita inducit, vt primatum reiecerit, Quod constat esse falsissimum, cum Platynæ tantum tribuat, qui sic de S. Gregorio scribit. Præterea uero cum Iohannes Constantinopo: Episcopus, habita Græcorum Synodo, seipsum œcumenicum, id est, vniuersalem Patriarcham creasset, monuisset Gregorium Mauricius, ut Iohanni obtemperaret, Respondit homo constantis ingenij & fidei, potestatem ligandi atque soluendi Petro traditam, eiusq; successoribus, non Episcopis Constantinopolitanis, Proinde desineret iram Dei in se concitare.

Ex quo constat Gregorium sine dubio sanctum & humilem Patrem, primatum non solum non reiecisse, sed etiam asseruisse contra Imperatorem & Iohannem Episcopum Constantinop: Vnde ego nolo tam sancto Patri imponere, quod reuerendus Pater, vt sui minime constans, ꝙ contraria & pugnantia dixerit Gregorius, sed uniuersalem se esse Episcopum negauit, ad sensum datum, in priore disputatione, & tamen primatum obtinuit.

Epistola 92. Augustini. Quod autem semper iste fuerit mos, etiam tempore Concilij Niceni, obseruatus, liquet ex Epist. 92. Augustini & Coepiscoporum ad Innocentium I. vbi inquiunt, Quia te Dominus gratiæ suæ precipuo munere in Sede apostolica collocauit, talemq; nostris temporibus præstitit magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam, quæsumus adhibere digneris. Respondet Papa in Epistola sequenti. Diligenter ergo & congrue apostolici honoris consulitis fastigium, honoris, inquam, illius, quoniã præter illa, quæ sunt extrinseca, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum, super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia antiquæ scilicet Regulæ formam secuti. Quid expressius dici possit tempore Augustini, Papam habuisse sollicitudinem de omnibus Ecclesijs, & quod tunc non incepit, sed sit forma antiquæ Regulæ.

Deinde uenit reuerendus Pater, cum suo Hercule, hoc est, Ratione illa viginti annorum, Vbi Ecclesia fuerit ante Roma: Respondeo, Verum esse, Christum in Euangelio non expressisse Romanam Ecclesiam, sed Petrum principem Apostolorum constitutum. Vnde quia Petrus, cuius erat Principatus iubente Domino, transtulit sedem ab Antiochia ad Romam. Quare tunc non iure humano, sed iussu Dei facta est prima, iure prius à B. Petro habito, vt testatur Marcellus sanctus Martyr & Papa ca: Roga: 24. q. 1. Licet prima sedes in Antiochia fuerit, Posterius iubente Domino Romam translata est. Quis enim ita desipit, ut Primatum uelit loco affigere. Sed hæc est S. Patrũ sententia, quia iure diuino Petrus cõstitutus sit Christi Vicarius, & omnes successores, quales sunt Romani Pontifices, ubi locorum fuerint, sunt Vicarij Christi. Romanus Rex vel Imperator non est vel ob hoc Romæ. Ita uidetur sensisse B. Augustinus contra Manichæos, Palam est, inquit, quod in re dubia ad certitudinem fidei valeat autoritas Ecclesiæ catholicæ, quæ ab ipsis fundatissimis Apostolorum sedibus usq; ad hodiernam diem, succedentium sibimet & Episcoporum serie & populi consensu, firmatur, Quare in Epistolis catalogum refert B. Augustinus Romanorum Pontificum. Hec de præambulis.

Marcellinus Papa, martyr. Affigere. Augustinus.

Nunc

Nunc ad principale.

Math.16. RESponsurus reuerendus Pater inductis per me, dixi enim Petrum iure diuino cæteris Apostolis prælatum, Matth.16. Allegaui Hieronymum, Bernardum, Leonem & Cyprianum. Ad quos nihil respondit, quamuis manu sua in suo Libro fateatur, B. Cyprianum sensisse Ecclesiam fundatam supra petram, sed ausus fuit addere, ꝙ B. Cyprianus ibi fallatur. Ad Augustinum nisus est respondere, nam de Cypriano est indubitatum, qui alia Epistola ad Cornelium VIII. Rom: Ecclesiam vocat matricem & radicem aliarum. *Cyprianus ad Cornelium &c.*

Impingit mihi, ꝙ dictum citauerim ab Augustino retractatum. Lectoris iudicium obscurare nequit reuerendus Pater, nam adeo eum suæ prioris sententiæ non pœnitet, ut etiam pro firmamento B. Ambrosium introducat. Sed quod ab initio induxi, testatur Augustinus, se per Petram etiam exposuisse Christum, neutram retractans sententiam, neutram etiam præ eligendo subdit, Harum autem sententiarum, quæ sit probabilior, eligat Lector. Augustinus definire non audet, & reuerendus Pater vnam sententiam vult reijcere, tot S. Patribus acceptatam, & eam suo arbitrio acceptare. Vnde Augustinum non admitto in 9. capite dixisse contraria uel aduersa, sed diuersa. Quoniam ambas amplectatur sententias, quoniam petra est Christus, & Petrus fuit petra. Quare maneo cum Ambrosio, Hieronymo, Cypriano, Bernardo, & alijs sacris Concilijs ac Decretis. *Augustinus.*

Secundo, Cum ab Ostiaria sumpsisset Argumentum, reuerendus Pater, meam sententiam debellaturus, iussi eum, Vt grammatica ratione verba Christi melius ponderaret, omnium enim consensu, Matth.16. Super hanc petram ędificabo &c. Et tibi dabo &c. Christus promisit Petro, non tunc dedit. Sed dimittens Grammaticam suam, quam dixit tamen plus valere reliquis partibus Philosophiæ, opponit, quare tunc Decreta fundent se in illo loco Matth.16. & ipse me fundarim, à qua iam recedo. Respondeo: Quia Christus est uia, veritas & vita, ideo indubitate credendum est eum præstitisse Petro, quod fuerat pollicitus. Quare Decreta recte argumentantur ab illo loco, vbi Christus promisit, sed primo post resurrectionem præstitit. (Matth. 16; *Super hanc Petram &c.*; Iohan.14.)

Sed tacite obijcit, Christum non solum Petro, sed omnibus Apostolis hoc præstitisse, dicendo: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Noluit reuerendus Pater exprimere, vbi promissum principatum Petro dederit, nam in hoc conueniunt Doctores, in cœna Christum Discipulos fecisse sacerdotes, dando eis potestatem supra corpus Christi verum, dicens: Hoc facite in meam commemorationem, Lucæ 22. Et deinde in die resurrectionis, dedisse potestatem supra corpus mysticum: Accipite Spiritum sanctum. Sed primatum & prælaturã totius Ecclesiæ promisit Petro: Pasce oues meas, Iohan. ult. Hinc Gregorius, Chrysostomus, & alij S. Patres testantur, Ait enim Chrysostomus: Eximius Apostolorum erat Petrus, & os discipulorum, vertex collegij. Vnde & negatione deleta, promittit prælationem fratrum. Et Homilia 8. de pœnitentia: Sed eadem nocte Petrus lapsus est & resurrexit, Post illum tam grauem casum rursum eum ad priorem gradum duxit pœnitentia, & ei per totum orbem terrarum Ecclesiæ præsidentiam tradidit. Sic glossa 1. Pet. 5. Pascite qui in uobis est, ait, sicut Dominus soli petro totius gregis curam habere commisit &c. Quare prius promissum Christus tunc præstitit. Sicut & B. Gregorius consentit, Cura totius Ecclesię & Principatus Petro committitur, scilicet: Pasce oues meas. Quod si coram non monstrassem, vbi Christus dedisset, veritas tamen mentiri non poterit. Et multa sunt facta, quæ non sunt scripta, vt eleganter docet Alexander. 3. ca. Cum Marthæ &c. (Iohan. 20; *Accipite Spiritum sanctum.*; Lucæ 22.; *Hoc facite in meam commemorationem &c.*; *Pasce oues meas &c.*; 1. Pet. 5.)

Sed iterum

Sed iterum opponit reuerendus Pater, Quia post Spiritus sancti missionem adhuc Petrus peccauerit. Et satis magnificauit peccatũ Petri, sicut scribitur ad Gala. 2. Quamuis dissensio fuerit primo inter Apostolos Petrum & Paulum, Deinde inter Ecclesiæ Doctores, Hieronymum & Augustinum, Tamen nõ possum in hanc adduci sententiam, vt aliquis Apostolorum post missionem Spiritus sancti ceciderit in aliquod peccatum mortale, Sicut illud de sanctificatis in vtero etiam non admittitur. At illud præter institutũ, dato tamen & minime concesso, ꝙ scilicet Petrus in simulatione sua peccasset mortaliter, adhuc mansisset petra & caput Ecclesiæ. Nisi reuerendus Pater velit & hunc articulum Hussiticum defendere, quod non credo. Nullus est Dominus ciuilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus in peccato mortali, quod summam faceret Christianæ religionis incertitudinem.

Galat. 2.

Sanctificati in utero.

Quarto, De Decretis apud eum frigidissimis hoc dico, Toties in Ecclesia summorum Pontificum constitutiones in materia fidei receptas, & ꝙ plus est, olim Ro. Pontifex Episcopum non confirmabat, nisi mitteret schedam protestationis fidei, in qua profitebatur se credere Euangelia, quatuor Concilia, Synodos legitimas, & Decreta summorum Pontificũ. Ob eam rem Iohannes Papa Gilibrechtũ Coloniensem Episcopum noluit confirmare, ꝙ hanc fidei schedam nõ perfecte obtulisset, vt legimus can: optatum. 20. dist.

Gilibrechtus Episcopus Coloniensis.

Quod uero Anacleti Decretum reijcit, Diximus heri, qua autoritate id faciat uel qua probatione. Nam cum originalia sint præ manibus, nullus adhuc dixit istud Decretum S. Martyris Anacleti non esse. Sed Nico: Cusanus Germanorum doctissimus, qui fatetur se concordantiam fidei scripsisse, ex originalibus illud Anacleti allegat. Fucum addidit reuerendus Pater, quia in tam S. Martyre non sit talis inscicia, vt exponat Cepham, id est, caput. Quasi ad sanctitatem uitæ tanta requiratur scientia. Dicamus tamen vnum, quia Cephe aut Cephas debet esse Syriacũ, & Ebręis quoꝗ familiare, ualens tantum sicut Petrus uel solidum, ut Erasmus post Hieronymum refert. Addamus hoc & singulare, quod Cusanus chaldaice & ebraice doctus, in libris excitationum testatur, Petrus etiam ualere tantum, sicut caput domus. Quare non tanta inscicia laborauit Anacletus, si Cepham pro capite interpretatur. Sed vtcunꝗ sit, non video, quo fuco possit negare alia Decreta S. Martyrum & confessorum, Vt Clementis xx. dist. Marcelli, Iulij, Pelagi: Nicola: Agathonis, Simonis, Vigilij, Benedicti &c. Quare tantis Patribus & sacro Concilio malo condescendere.

Anacleti Decretum.

Nicolaus Cusanus.

Ad scrupos.

AT omnium inuitissime audiui, ꝙ reuerendus Pater cõtra illustrissimi Principis iussum, quo intacta manere uoluit illustrissimus Princeps à sacris Cõcilijs decisa, Reuerend. tamẽ Pater in hesterna obduruit sententia, & quatuor proposuit articulos inter Hussiticos cõdemnatos, quos reputat ipse catholicos & euangelicos, pulchre certe Bohemis patrocinatur. Pro Concilij tamen reuerentia, uoluit ab impostore aliquo additos. Primo omnium egregius Doctor & nobilis Hieronymus de Croatia, qui acta Concilij curauit imprimi, transsumi fecit sub forma autentica, & cum res ita manifeste acta sit Cõstantię, Hussitę tam diu nõ reticuisset articulos aliquos esse subditicios. Neꝗ poterit suspicari reuerendus Pater, ꝙ heri assumpserat, adulatoris pernicie in Ro: Põtificem factũ. Cum Iohannes Huss anno XV. fuerit cõbustus, Hieronymus collega suus anno XVI. Martino V. primum electo anno XVII. ipso die Martini. Quare S. Patres & uiri inadulabiles ex omnibus nationibus principalibus ad hoc deputati, Articulos illos discusserunt, & sacrosancta Synodus eos damnauit, reprobauit & autorem combussit.

Hieronymus de Croatia.

Iohannes Huss combustus Anno 1415.

combussit. Ideoq; à quolibet bono Christiano pro condemnatis & reprobatis habendi sunt. Nec imponat mihi reuerendus Pater, q velim de illis Articulis iudicare, quia iam iudicati sunt.

Non releuat, quod cum Synodus meminit aliquos esse hæreticos, alios temerarios, alios seditiosos, & ipsarũ aurium offensiuos. Quoniam in quemcunq; ordinem redegerit illos articulos, non possunt dici Christianissimi & euangelici, & quamuis non assumpserim hunc laborem defendendi totam Synodum in articulorum condemnatione, doceamus tamen aliquid, & breuibus.

Articulum primum iudicat Catholicum, & esse Augustini ca. 6. super Iohan. Dico, Forte reuerendus Pater benigniter interpretatur articulum, sed quia res nõ sermoni, sed sermo rei est subiectus, non fuerunt stupidi Concilij definitores. Verum est, vnam sanctam & vniuersalem esse Ecclesiam, sed quod si tantum vna, sicut est vnus numerus prædestinatorum ad Hussiticam intelligentiam, est hæreticissimum, quo ipse voluit existentes in peccato mortali, velut amissa fide, non esse in Ecclesia, Cum tamen regnum cœlorum à Christo comparetur decem Virginibus, vbi quinq; erant prudentes, quinq; vero fatuæ, cum reliquis parabolis eidem proposito deseruientibus. Neq; Augustinus tract. 26. super Iohannem, facit iotam ad Hussiticum propositum, communionem Eucharistiæ commendans, de quo Lectoris desidero iudicium. *Augustinus super Iohannem.* *Matth. 25*

Ita de alio dicit articulo. Duę naturæ, diuina & humana, vnus est Christus. Nihil pro hoc adduxit, nisi q sit de fide. In Athanasij symbolo aliter legimus, Deus & homo vnus est Christus, non deitas & humanitas. *Athanasij symbolum.*

In alio articulo, Diuisio immediata operum &c. quam ipse mire in me retorquet, Et quasi à me Iudex citatus, suum collegam exclamauit triumphasse. De quo uos omnes, qui interfuistis, potestis dare testimonium, quam verissime dixerit reuerendus Pater, & encomium prius cecinit ante victoriã Vuitembergæ, Iam aliud etiam, quasi perdita uictoria.

Ad rem.

Articulum illum nunquam reputabo Christianum, & ob hoc Grego. Arim. 28. dist. 2. repuli. Neq; actum fuit inter nos, an possit dari opus indifferens, vel an omnis vita infidelium sit peccatum, vel similia, quæ hunc respiciunt articulum. Vnde q palliando errores Hussiticos, innuit aliquando sinistre verba intelligi, sicut Domino Christo euenerit. Quę, rogo, comparatio lucis ad Belial? Iohannem Huss in hoc comparat Christo, non passus, quo ad veritatis sugillationem in parte admissam, me comparare sacra Concilia sacris Scripturis. In quibus vtrisq; est indubitata & infallibilis veritas. Nullum enim Christianum mouere debet, & q dicit, Concilia esse homines, & ita creaturas, & sic peccare posse, nam si errant, vt fuit Concilium Ephesinum à Leone, credo, Papa, damnatum, vt Ariminense, Aquisgranense, tunc non sunt Concilia, sed Conciliabula. Vnde potius hoc constantissima fide tenere debemus, quidquid Concilia legitime congregata in his, quæ sunt fidei, determinauerint & definiuerint, esse certissimum. Sic enim Christus manet nobiscum usq; ad consummationem seculi. Et si duo congregati fuerint in nomine meo. Prærancidum est, quia homines sunt in Concilio, & ita errare possunt, Nam etsi vt homines defectibiles sint, verum in Concilium legitime congregatum, non humano sensu, sed spiritu diuino, vt sat probata sint, quæ Concilium probauit, & non sunt per cuiusq; singularitatem vel capitositatem vlterius discutienda, sed captiuare debemus intellectum in obsequium fidei. Quare miror, q textum negaturus, Sicolum commentatorem admittit Panormitanum. *Iohannes Huss.*

Sic quod

Sic quod postremo adduxit ex uerbis Apostoli, patet, De fundamento semper dixi, hoc esse de omnium catholicorum sententia, Christum esse caput Ecclesiæ, ille enim est principalis Dominus. Sed quia Petrum constituit Vicarium, & potestatem ei super tota Ecclesia contulit, vbi S. Leo can: ita Dominus 21. dist. testatur. Et miror plurimum, quod relicto textu S. Leonis reuerendus Pater arripit ibi vnam glossam textui contrariam. Imo tantum confert Christo ascendenti ad cœlos, vt loco sui constitueret hic Vicarium caput, ad quod esset recursus in dubijs, & alijs casibus emergentibus, ne tota Christi Ecclesia esset unum confusum chaos Anaxagoricum. Istam sententiam tota tenet Ecclesia, sicut est in Responsorio, quo Ecclesia de S. Petro utitur: Tu es Pastor ouium, princeps Apostolorum. Tibi tradidit Deus omnia Regna mundi. Ita oramus in Ecclesia. Imo diuinus Franciscus sigillis stigmatum approbatus, Fratres suos & totum orbem terrarum docuit obedire summo Pontifici, & in Regula hoc præcepit. Ideo de eo canit Ecclesia: Franciscus uir catholicus & totus Apostolicus, tenere fidem Rom: Ecclesiæ docuit. Ita plurimi summi Pontifices, ita sacra Concilia definiuerunt, quæ breuitatis studio non adduco. Plurimæ quoque S. Patrum sententiæ idem sonant & approbant. Quæ omnia suo tempore, cum uidero reuerendi Patris tractatum super hoc negocio adducere non negligam.

Responsorium de S. Petro.

Franciscus.

Si tamen primatus Ro: Pontificis tantum iuri innititur humano, & eleuatur cōsensu populi, unde tunc reuerendi Patris mendicitatis priuilegium? Vnde iste religionis habitus? Vnde potestas confessiones audiendi, prædicandi, cum alijs innumeris priuilegijs, quibus à sede Apostolica obruuntur, Episcopis, Archiepiscopis & Curatis frequenter contradicentibus? Qui tamen ut filij obedientiæ Ro: Pontificem audiunt, & in eo Christum, ut sic per patientiæ bonum, uitam adipiscantur æternam.

Hæc breuia uolui adijcere in præsenti Disputationis negocio, quantum tempus dedit, plura alioqui allaturus, nisi fastidium me absterreret, & illustrissimi Principis iussus.

LVTHERVS.

DVO mihi incumbunt agenda, Primum respondendum confutationibus egregij D. D. Secundo pro conuentionis pacto opponendum idem. Et quia iam triduo respondi, tempusque consumptum est, ut nec unum possim explere, Dico breuiter.

Quod omnia inducta per egregium D. D. copiosissime quidem sunt dicta, sed prorsus nihil ad Scopum, cum iam per tres dies promiserit, diuino iure acturum se contra me, nec adhuc audita est una autoritas diuini iuris, præter illam Matth. 16. Quam omnes audiuimus, quam uarie tractetur à S. Patribus, & quod maior pars, eorumque sanior sententia pro me stet. Vnum ipse locum Augustini, & alterū Ambrosij pro se adduxit, cætera omnia fuerunt uocabula Pelagij, Anacleti, eorum, qui iura humana conscripserunt. Cyprianus uero fere totus mecum sentit, quod committo iudicio prudentis Lectoris. Similiter & clarissimus textus Hieronymi ad Euagrium & super Titum. Deinde Gregorij in registro per senas ferme Epistolas. Post hæc Historiæ & vsus orientalis Ecclesiæ. Neque enim quidquam facit ad rem, quod D. D. schismaticos Græcos allegauit, Nestorium & cæteros, Non erant illi Ecclesiæ orientalis. Possum & ego latinam Ecclesiam sic describere, per Pelagios, Manicheos, Iouinianos, Vigilantianos, Helpidia: & similia monstra. Sed absit, ut propter paucos malos & schismaticos totam aliquam Ecclesiam schismaticam appellem.

Matth. 16.

Cyprianus.
Hieronymus ad Euagrium.
Gregorius.

Cætera

Cætera non potero prosequi. Et reseruo mihi præcipue articulos Iohannis Hufs mihi obiectos, & inter eos nouissimum de humanis actibus ad calamum & papyrum, & cætera omnia, quæ habebam opponere, vt quę hic facere non possim exclusus spacijs præstem per Scripturam. Voloq; in hoc cedere & obediuisse illustrissimi Principis, studiorum Patroni clementissimi, iussis, de quo vos Dominos Notarios requiro, & Auditores in testimonium voco.

DIE VII. IVLII: ANNO M. D. XIX. Mane hora VII.

ECCIVS.



Via reuerendus Pater heri horam habuisset respondendi ad nostra, vt sic illustrissimi Principis iussa fuissemus executi, vbi respondendo plurimum per verbum, transeat, appellauit ad calamum, Tamen deliberatione habita, proposuit, se iam plenius responsurum. Cui ego non dissensi pro veritatis amore & elucidatione: Admiror, quomodo reuerendus Pater magno boatu audet coram tot doctis viris intonare, quia dixerim me probaturum de iure diuino, Monarchiam & primatum in Ecclesia, cum tamen solum allegauerim dicta S. Patrum, Decreta Pontificum, cum tamen adduxerim ei ius diuinum Matthæi 16. de promissione ædificationis supra petram, q; Christus specialiter rogauit pro fide Petri, quod specialiter ei promisit, vt confirmaret Fratres, q; specialiter ei commisit in præsentia Iohannis & Iacobi, ut pasceret oues, tribus vicibus. Et hoc ius diuinum ita esse intelligendum, tunc adduxi S. Patres, summos Pontifices & Martyres, consensum Conciliorum & omnium Vniuersitatum. Quare ex iure diuino probatum est, esse primatum in Ecclesia Dei, nisi q; reuerendus Pater intelligentiam suam proponit intellectui tot. S. Patrum, summorum Pontificũ, & sacri Concilij, Cum laudabile Constantiense Concilium talem Articulum inter pestilentes Iohannis Hufs damnauerit. Ad quod reuerendus Pater silet, si vult afferre meliora, pro veritatis elucidatione, quod heri potuisset fecisse, iuxta illustrissimi Principis iussum, sum paratus audire, eo pacto, q; dum fungitur officio Respondentis, iam in fine actus non transferat se callide ad personam opponentis, Sed quæcunq; oppositurus sit contra istam ineluibilem veritatem, paratus sum his adductis respondere, & ea diluere, de quo protestor.

Matth. 16.

Lucæ 22.
Iohan. 21.

LVTHERVS.

CVM heri statutum esset nomine illustrissimi Principis, patroni nostri, vt materia ista consummaretur eo die, & egregius D. D. maiorem partem temporis sine necessitate, & odiosius q̃ decebat hoc splendidũ Auditorium, consumpsisset, mihi pro triduana Responsione vnica fuit reliqua horula, qua tantæ farragini suæ responderem, simul & opponerem. Placuit postea gratuito affectu eidem illustrimo Principi nostro, vt copia daretur mihi & respondendi et opponendi, de quo gratias ago illustrissimę gratię suę q̃ maximas. Ideoq; ad propositum veniendo, antequã cœptam hesternã Responsionem continuem, primo hanc matutinam nebulam D. D. Eccij dispellam, Vbi more suo satis odiose & semper obijcit Hussiticas prauitates,

non obstante, ꝙ toties me expurgauerim. Ideoq; paulum præfabor germanice, ꝙ intelligam me pessime audire apud vulgum.

Declarabat autem se non impugnare, nec Christiane a quoquam impugnari posse primatum & obedientiam Romanæ Ecclesiæ. Verum eo pertractum esse, vt declarare se oporteat, Eum Primatum non esse de iure diuino, sicut neq; imperatoriam potestatem apud Germanos improbari posse, quamuis in sacra Scriptura non fundatam, quamuis D. Eccius dixit, verum esse, eam esse controuersiam, an primatus Ecclesiæ Romanæ sit de iure diuino, quod improbare, constat esse Hussiticum, & articulum à Constantiensi Concilio condemnatū, esseq; dolendum, si Christianorū corda tam frigida essent, vt nemo hoc defenderet. Post hoc cœpit D. Martinus latine prosequi.

Quod ergo inducit hanc autoritatem Matth. 16. contendens ibi primatum promissum esse, satis responsum est in præcedentibus, Quod D. egregius D. vix duos Autores habet, & eosdem ambiguos in suam sententiam. Cum tamen maior pars statuat Petrum ibi fuisse personam omnium Apostolorum & fidelium, quod & ipse textus consequentia sua vrget, dum Christus interrogat omnes, & non solum Petrum, dicens: Vos autem, quem me esse dicitis? Et ibi, Petrus os Apostolorum, ut Chrysostomus ait, & persona Apostolorum, vt Hieronymus & Origines dicunt, & Beda & Augustinus, & Ambrosius, respondet pro omnibus. Ideo dixi nihil probari ex hac Autoritate de primatu. Item, ꝙ textus ipse non dicit sic, Tu es Petrus, & super te, sed super hanc Petram, manifeste indicans petram aliam à qua Petrus dictus sit. Proinde cum sint vulgata iura, & ipsi Ro: Pontifices testentur interpretationem Scripturæ magis valere apud Doctores, ꝙ apud seipsos, in causis vero descindendis secus.

Vos autem quem me esse dicitis? Matth. 16.

Non dicit & super te.

De articulo illo Hussitico dixi satis heri, ꝙ nondum probatum est, eum esse hæreticum. Hoc pro responsione matutina.

Redeundo ad hesternam, Quando egregius D. D. secundo loco opposuit, depositionem Chrysostomi ideo factam illegitime, quia odio Imperatricis facta sit. Nego consequentiam, non ideo potestas ordinandi & deponendi per sacrum Nicenum Concilium statuta fuit illegitima, quia casu forte habuit malum vsum. Nam in eadem etiam Historia scribitur, ꝙ Rom: Pontifex Victor Martyr, uoluit Asiæ Episcopos excommunicare. At illi rursus tanquam superiores mandauerunt silentium, & vt Ecclesiam non perturbaret, iusserunt, lib. 5. Ecclesiasticę historię. Sed & Hyreneus Lugdunensis Galliæ Episcopus eundem Ro: Episcopum coercuit, & erant tunc temporis in Græcia Epiphanius celeberrime laudatus à Hieronymo, Gregorius Nazanzenus, Basilius, Christianissimi uiri, Non tamen sub Rom: Pontifice unquam fuerunt, sed iuxta Niceni Concilij statuta ab Episcopis Prouinciarum ordinabantur.

Victor Romanus Pontifex.
Hyreneus.

Epiphanius Nazanzenus.

Quod uero egregius D. Doct. inducit Iulium I. excommunicasse Arcadium Imperatorem, nihil facit ad rem. Nam & Bonifacius VIII. ausus est regem Francorum uelle è sede eijcere. Non probatur ius esse, quidquid Rom: Pontifices pro humana fragilitate quandoq; tentauerunt. Nec mirum est, sanctos istos viros ambitionis tentatione vexatos fuisse, quando plus ꝙ semel sanctissimi Apostoli, etiam præsente Christo laborauerunt eadem.

Iulius. I. Bonifa. VIII.

Quod dicit Episcopo Hierosolymitano datam honoris prærogatiuam, recte dicit, sed non probat primatum Ro: Pontificis, saltem iure diuino esse.

Etiam ibi optime dicit, egregius D. D. Quod sexta Synodus dedit Romanæ Ecclesiæ primatum, non autem præcedentes Synodi. Hoc est enim quod volui, ꝙ synodicis statutis & humano iure, consensu fidelium Christi, cui non

cui non licet resistere, datus sit iste primatus. Quod & D Gregorius in registro in hæc uerba dixit. Scitis, ꝙ ueneranda synodus Chalcedonensis huic apostolicę Sedi obtulit primatum, & tamen nullus prædecessorum meorum unquam præsumpserit acceptare. Proinde nihil facit, ꝙ egregius D. D. dicit, Gregorium non reiecisse primatum, sed asseruisse. Legat pius Lector, Epistolas Gregorij, & inueniet Gregorium prohibuisse Primatum, & œkumenicum pontificatum non uendicasse, ut ex supra relatis dist. 95. satis probauimus. *Synodus Chalcedonensis.*

Ad autoritatem Augustini, ad Innocentium Ro: pontificem, & huius ad illum. Respondeo: Legat Lector utriusꝗ uerba, & iudicet, an ne egregius D. D. nouas significationes uocabulis imposuit.

De uiginti duobus annis Ecclesiæ ante Romanam, dixit, cum Petro fuisse translatum primatum ad Romam, forte uolens hoc prouerbium: Vbi Papa, ibi Roma. Respondeo: Probandus erat primatus qui transferretur, non translatio, quam libens concedo. *Vbi Papa, ibi Roma.*

Induxit etiam autoritatem Augustini contra Manich: quam suspicor esse 2. lib. doctrinæ Christianæ c. 8. ꝙ in re dubia ad certitudinem fidei ualeat autoritas Ecclesiæ catholicæ, quæ ab ipsis Apostolorum sedibus succedentium sibimet & Episcoporum serie & populi consensu firmatur. Nihil de Ro. Ecclesia loquimur, sed uniuersali, & pro me facit, contra D. D. Quia successiones diuersarum sedium apostolicarum sibimet & consensu populi describit Augustinus, non autem confirmationem aliarum sedium per unam sedem.

Nunc ad rem ipsam.

Matth. 16. De autoritate matth. 16. Tu es Petrus, & ad inductos autores dicit me non respondisse, Quod committo uobis Auditoribus & Lectoribus, an uerum sit. Augustinum in tract: relinquentem electionem Lectori super duabus sententijs eiusdem autoritatis, opposuit dicens, se ambas amplecti sententias, quod mihi placet, & sic nihil contra me probat. *Tu es Petrus.*

Iohan. 21. Secunda Autoritas diuini iuris a dominatione sua inducta, est hec: Pasce oues meas Iohan. ult. et gaudeo tandem post tres dies aliquando audiri unam autoritatem diuini iuris, quo firmissime nitatur eius sententia, Sed uideamus & ipsam. *Pasce oues meas.*

Primum ista autoritas uidetur intelligi dupliciter. Vno, per uerbum diligere, id quod est, sibi ipsi fidere, & quiduis licere, Et per uerbum pascere, idem quod primum esse & regnare. Et sic erit sensus: Petre, si diligis me, id est, si tua quæsieris & omnia feceris, quæ adulatoribus tuis placent, pasce oues meas, id est, esto primus & dominus omnium. Hunc sensum non habeo in meo codice. *Diligere. Pascere.*

Alio modo, Si diligis me, id est, abnegas te ipsum, si ponis animam tuam pro me, si etiam omnem dignitatem respueris, & nihil nisi me dilexeris, ut egregie exponit Augustinus in eodem loco. Pasce oues meas, id est, doce, prædica uerbum, exhortare, ora, bono exemplo præcede, Nam uerbum græcum hoc loco non simpliciter regere & pascere significat, sed suauiter & molliter curare, & omnia facere, ne quid desit ouibus, & hunc sensum credo esse euangelicum. *Si diligis me.*

Proinde rogo D. D. Eccium, ut mecum roget Dominum Ihesum Christum, quo uelit inspirare, non solum summo, sed etiam omnib. pontificibus ut hæc uerba credant ad se pertinere, Non est dubium, quin totus Orbis obuijs manibus & profusis Lachrymis sit excepturus talem uirum, qui secundum hæc uerba se gerere uellet. Proinde si egregius D. D. textum diligenter inspiciat, non ius ibi conceditur & priuilegiũ, ut putatur, sed Præceptum

imponitur, & labor hodie intolerabilis iniungitur, & officium demandatur, ei qui de facto est, vel in primo, vel in medio loco constitutus, & non primũ constituitur. Quod si vrgeat Officium non posse administrari, nisi primum locus potestatis habeatur, placet, Sed tunc alio modo struendus est iste locus, hic hoc verbum non nisi officium commendat.

Proinde recte fecerunt Patres S. qui hunc locum ad omnes pertinere dicunt, nam hoc nemo potest negare, Si Petro hic sunt commissę omnes Oues, ꝙ ipse non omnes pauit, ut B. Augustinus dicit, & Apostolorum Acta euidenter demonstrant, & sic Christo inobediens fuit. Nec potest dici, ꝙ licet per se non pauerit, tamen per alios subordinatos. Primum, vt donemus, quod possimus reddere, non esse dictum Petro: Pasce per alium, sed ipsimet in persona propria: Pasce tu. Tamen hoc conuincit, quod nec Apostolus vllus nec Paulus, saltem à Petro sunt subordinati, qui multo plures oues pauerunt ꝙ Petrus. Ideo verbi intelligentia ex tota Scriptura & circumstantia rerum gestarum petenda est, quod hæc autoritas non ad solum Petrum pertineat, aut non ad omnes oues.

Tertio, si per ista uerba probabitur Primatus, incertus & nullus erit primatus, quia non ponitur primatus nisi sub conditione dilectionis, nec enim oportet Scripturam dirumpere in diuersas partes, sed magis concinnare. Ideoque cum sit incertum, quis diligat Christum, incertum quoq; erit nobis, quis sit pastor noster. Et si ei non est necessaria dilectio, nec nobis necessariũ erit agnoscere Pastorem. Rectius ergo dicitur, ꝙ hoc verbum sit præceptum datum vniuersis prælatis Ecclesiæ, vt contemptis diuitijs, dignitate, etiam ipso primatu, tandem uita & morte sese impendant pro ouibus Christi. Quis est hic & laudabimus eum?

Transeo ea, quæ ex Chrysostomo attulit de uertice Collegij, & quomodo Petro tradita sit præsidentia orbis terrarum, quia omnia concedo, ꝙ sit primus in honore, sed non solus in administratione, saltem iure diuino.

Lapsus Petri. Galat. 2. De casu Petri, Galat. 2. Vbi iterum egregius D. D. odiosius mihi articulum Hussiticum obiecit, Nullum esse Dominum spiritualem, vel ciuilem, qui sit in peccato mortali. Si dicerem, Petrum ideo non esse prælatum, quia peccasset mortaliter. Respondeo: Hoc non agebatur, & ad Rhombũ est ista disputatio, Scio & optime scio, ꝙ Prælatus malus non sit reijciendus. Ideo & ego damno Hussiticum articulum. Sed hoc voluit, ꝙ Petrus, quando in causa fidei præbuit scandalum, si non fuisset emendatus per Paulum, merito debuit amoueri à Prælatura, Nam hæreticus Pastor, aut is, qui simulat in periculum fidei, grauiter peccat. Nam hac simulatione Petri funditus peribat fides Christi, ut Paulus dicit, ideo potius fuisset faciendum, nisi emendatus fuisset Petrus, vt Petrus pro nullo haberetur, nedum pro summo Põtifice. *Peccatum. Heresis.* Peccatum mortale nocet personæ propriæ, sed hæresis nocet personæ communi & cõmunitati. Ideo gratias ago D. D. ꝙ saltem hoc didicit ex hac Disputatione, quod ædificare super petram, significat, subesse prælato, siue bono, siue malo. *Aedificare super Petram.* Nam hanc significationem ædificationis & petræ fateor prius ignoratam, quia dixit etiam: Si cecidisset Petrus mortaliter, adhuc mansisset Petra, id est, primus & prælatus.

Quod dicit, olim Episcopos non fuisse confirmatos, nisi pręstita scheda fidei, admitto, sum contentus, Verum nihil ad ius diuinum, nihil enim derogo Pontifici, quidquid tribuitur ei.

Nicolaus Cusanus. Post hæc adduxit Nicolaum Cusanum, & excusauit Anacletum S. virum, ꝙ nõ fuerit ei necessaria tanta scientia, tam sancto viro. Fateor. Verum tamen summo Pontifici, siue sancto, siue nõ sancto, turpe est Euangelia ignorare, cum sit pastor ouium & Doctor Euangelij. Cum autem Cephe interpretetur per Iohannem Euangelistam ca. 1. dicentem: Tu es Simon, tu vocaberis Cephe,

Cephe, quod interpretatur Petrus. Quando ergo filius tonitrui sic tonat, qui nouit omnium linguas, merito debet tacere uanitas terreni fumi, siue sit Nicolaus Cusanus, Chaldęus uel Ebręus, Non quod reprehendam egregium D. D. qui dixerit Petrum idem ualere, sicut caput domus Chaldaice, autore suo Cusano, Sed quod laudem imperterritum Disputatorem, qui audeat se committere in harenam Theologorum, nec tantum prius in Euangelio studuerit, ut primum caput in Iohanne legerit Euangelista. Similiter non habet in libro suo, quid sit Cephe, quod ignosco, legat tamen c. 1. ad Corinth. 1. & inueniet. *Cephe.*

Vltimum, de articulis Bohemorum non uult iudicare, licet nunquam desistat me sugillare, & ego de eis transeo, nihil dicens, nisi quod Gregorium Ariminensem dist. xxviij. reprobatum ab egregio D. D. ego approbo. Est enim totus aliud nihil, quam Augustinianus, & diuina Scriptura, resistens quidem omnibus Doctoribus scholasticis, tum maxime Aristoteli, sed nondum ab ullo confutatus est. *Articuli Bohemorum.* *Gregorius Ariminensis.*

Consentio cum D. D. quod Conciliorum statuta in ijs, quæ sunt fidei, sunt omni modo amplectenda, Hoc solum mihi reseruo, quod & reseruandum est, Concilium aliquando errasse, & aliquando posse errare, præsertim in ijs, quę non sunt fidei, Nec habet Concilium autoritatem nouorum Articulorum condendorum in fide, alioqui tot tandem habebimus articulos, quot hominum opiniones.

Quod in fine S. Franciscum induxit, debere nos summo Pontifici obedire, Miror contra quem dixerit. Item transeo istas criminationes de Fratribus mendicantibus, miser iste etiam habitus cruciat egregium D. Doct. Ego pro mea sententia pronuncio, uelle me, esse nullum Ordinem mendicantiū. Ecce hæc habui, quæ responderem ad obiecta egregij D. D. super Propositione 13. Quare nunc finita responsione, restat, ut ego moueam aduersus egregium D. D. quæ me mouent.

HIC intonuit Eccius, se obiectis uelle respondere, quasi & ipse respondens fuisset. Respondit Lutherus, hoc pacto nunquam finiendam Disputationem, accusans eccianam petulantiam, quæ solet singula etiam uerba aucupari. Contigit prorsus uirgula diuina, ut clementissimus Dux Georgius interesset, cuius nutu & pio sceptro concessum est Luthero, impetere eccianam Conclusionem, quæ contraria est huic iam discussæ.

LVTHERVS.

1. Cor. 3. CONtra sententiam egregij D. D. uidetur id militare, quod satis fortiter transilijt in confutando, & 1. Corinth. 3. ubi Paulus detrahens personam omnibus Apostolis, dicit: Quid est Apollo? quid Paulus? quid Cephe? ministri, per quos credidistis. Vbi Paulus prorsus uult tollere occasionem cōtentionis & schismatis, negat ullam Ecclesiam ad ullum Apostolorum pertinere, sed esse omnia omnibus communia. Vnde in fine 3. c. dicit: Omnia uestra, siue Cephe, siue Apollo, siue Paulus, uos autem Christi.

Nec ualet euasio, qua dicitur, eos non de principalitate, sed singularitate personarum contendisse, cum manifestus textus sit, quod de dignitatibus Personarum contenderint, quod alij præferebant omnibus Petrum, alij Paulum, *Galat. 2.* alij Apollo, alij uero solum Christum. Confirmatur per illud Gala. 2. ubi simili contentione seducti Galatæ, propter primitatem Petri commendatam. Paulum & doctrinam eius velut indigniorem reliquerunt. Contra quæ longo textu probat, nihil ad rem pertinere Petri maiestatem uel aliorum Apostolorum, dicens, Se neque ab homine, neque per hominem esse missum ad eos, nec uidisse quidem Petrum, nec didicisse ab eo, sed omnia sine Petro habuisse & tradidisse.

Si ergo autoritas Petri fuit necessaria & ius diuinum, erit Paulus in hoc loco manifeste impius & blasphemus, vt qui nolit etiam à Deo per hominem mitti uideri, & prorsus reijcit autoritatem Petri. Tertio & infra clarius, vbi dicit: Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt, & quales aliquando fuerint, nihil mea refert, Deus enim personam hominis non accipit. Ecce hic clare dicit, q qualitas Petri & aliorum Apostolorum nihil sua referat, quod esset impijssimũ dicere, si qualitas Petri iure diuino fuisset seruanda. Eadem impietate diceret: Deus personam hominis non accipit, cum ius diuinum, & ea quę sunt iuris diuini, etiam sub æternæ maledictionis pœna præcipiat. Quare uidetur primatus iste & maiestas, vel quocunq nomine censetur Petri persona, seu qualitas, non statui iure diuino.

ECCIVS.

DVM reuerendus Pater contra me inducit tres B. Pauli autoritates, dudum ab aduersarijs Sedis apostolicæ ventilatas, & per apostolicę Sedis defensores enodatas, facile ei respondeo, annectendo malos fucos, quibus dogma suum nititur palliare, & hominibus os & oculos oblinire. Dico primum, me non transilijsse, sicut imponit, locum Apostoli, 1. Corin. 3. quamuis ipse falsé adduxerit cum Paulo & Apollo Cepham, quia textus ab initio non habet, sed in fine meminit Cephe, sed statim glossa interlinearis fatetur eum maiorem omnibus. Non ergo suo capite, sed Sanctorum, accipiat sacram Scripturam reuerendus Pater. 1. Corin. 3.

Et dico Solutionem datam fuisse optimam & infringibilem, Et fucus reuerendi Patris, quo simplicibus illudit, nihil facit, testis est B. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, col. 18. mihi, vbi expresse dicit, supra Petrum ædificatam Ecclesiam. Ibi fortiter transilijt reuerendus Pater, & nihil dicit. Et infra, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio. Ergo quod Apostolus Paulus voluit cauere schismata, contentiones, per hoc primatum capitis non abstulit, q schismata melius tolli non possunt, nisi per caput. Vnde nec verbum facit nec apex ad propositũ de negatione primatus. Quare false auspicatus est hodie, me uix duos adduxisse S. Patres & eos ambiguos, cum certos & indubitatos adduxerim, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Leonem, Bernardum &c. Quod autem laudat, me amplecti ambas Augustini sententias libro 1. retract. cap. 21. affirmat & seipsum facere idem.

Hiero: contra Iouinianum.

Negauit Doctor Martinus.

Quod vero secundo loco inducit Paulum ad Galatas, quasi ille scripserit contra Petrum, uolens Galatas confirmare in fide, & toto ibi processu ostendat se æqualem fuisse Petro, & alijs, quia non ab homine, neq per hominem acceperit. Dico, q si reuerendus Pater tam diligens esset ueritatis inquisitor, sicut promittit, didicisset uera Fundamenta & intelligentiam Scripturarum, ut non opus esset ita iactanter eum in tanto consessu dicere, se vnum velle resistere mille. Ita habet ueritas & negocium in apostolatu & ordinis dignitate. Apostoli omnes fuerunt æquales, hoc sacra Scriptura, hoc S. Patres uoluerunt. Palam dicit Hieronymus non reprehendisse Petrum, si sciret se imparem. Ita Anacletus can: In nouo. dicit Apostolos æquali potestate dotatos. Ita Cyprianus, ita & alij. Cum ergo Paulus affuerit designatus Apostolus à Christo, ingenue dixit, se non ab homine, neq per hominem accepisse, & quod Iacobus & Petrus sibi nihil contulerunt, omnia enim ista ad Apostolatum referenda sunt. Galat. 1.

Aliud vero est de potestate regiminis & administrationis, vbi concors est S. Patrum sententia, Concilium contra Iohannem Huss, ad ipsum Petrum huiusmodi primatum pertinuisse. Non ergo recte vtitur sacræ Scripturæ testimonijs,

testimonijs,sed eas aliorsum trahit pro suo arbitrio,contra quam Sanctus spiritus efflagitat. Quod enim hodie ponderabat Paulum dixisse,nihil referre ad eum,quales fuerint, non hoc quod volebat reuerendus Pater,sed hoc significat, Petrum & Iacobum & cæteros fuisse idiotas & minus peritos,antequam cum Domino ambulassent,Et sic Deus personam non accipit.

Sed inquiet,ut est cordaculus, Hoc est commentum eccianum,legat Ambrosium eodem loco, qui sententiam Pauli non corrumpens,ingenue testatur,Ecclesiam fundatam supra petram. Quare nisi firmiora adduxerit rogo, ab instituto desistat. Vnde hodie,dum dixissem articulum esse Hussiticum, obedientiam ecclesiasticam non esse expressam autoritate Scripturæ sacræ. Respondit breuibus,Articulum non esse hæreticum. Mallem punctim agere cum reuerendo Patre, & dicere: Iste est articulus damnatus, & ipse tenet eum, itaq; tenet articulum damnatum & reprobatum.

Item quæro: Si articulus non est hæreticus,uel est temerarius,uel seditiosus,uel offensiuus piarum aurium, utcunq; dederit ipse Pater, erit uel temerarius, uel seditiosus, de hæresi suspectus, pias offendens aures, contra Theologicum institutum.

Matth.16. Mirum,quo colore pauonico ornet verba Christi Matth.16.Quia Christus omnes interrogauerat discipulos, & ita Petrus pro omnibus responderit,quis hoc negat? Sed de sua farina addidit, propterea Petro pro se & alijs Apostolis dictum: Tu es Petrus, & super hanc petram &c. quod tanquam commentum lutheranum non recipio cum sanctis Patribus.

De Chrysostomo, Mirum, quam facit iniuriam S.Patri,quasi legitime & secundum Decreta Concilij Niceni fuerit destitutus, cum exploratum sit ab historijs post Eusebium Antiochenum,credo schismaticum,cum alijs Ro: Pontifici rebellibus, Christianos Episcopos fuisse expulsos,quia prima sede refugium quærentes, ab impijs schismaticis repulsam passi sunt, vsque ad tempora Theodosij Christianissimi Imperatoris. Vbi tunc schismatici triginta annis sedem occupassent, S. Gregorius Nazanzenus Constantinopoli episcopatum accepit, non ambitione, sed ne alij schismatici succederent. Chrysostomus. Theodosius Imperator.

Sanctus uero Chrysostomus iniuria per Epiphanium pulsus, Arsatio scismatico substitutos Ro:Pontifici,autoritate regressus est Nec ualet,quod reuerendus Pater tunc Ro:Pontificem & Sanctos sibi adherentes calumniatur,quasi de facto,non de iure,processerint contra illos schismaticos. Quod nudis suis verbis ait,& tot Sanctos,etiam à D.Patre commendatos,Romano Pontifici non consensisse. Vnde sine causa S.illos Patres ante mille annos viuentes,reuerendus Pater iam incipit ambitionis insimulare, à quo vitio à tot seculis ab omni Ecclesia habiti sunt immunes.

Ita captiosum est,& simplicibus illudit, q; B. Gregorius noluerit se œcumenicum & vniuersalem Pastorem appellare,Nam Platynam tanti fecit pridie,historiæ,vt dicebat,secutus veritatem.Iam Platynam pro suo arbitrio reijcit,quod vbiq; existimat sibi licere. Platyna.

Decretum allegat pro se,si allegetur,respuit,& dum textus apertissimos etiam Leonis can: Ita Dominus 19.dist.cum similibus habeat sibi contrarios,glossam acceptat,sicut proci Penelopes,ut per iocum dicam, cum Domina potiri non poterant,ancillas sequebantur. Certum est,Sanctos quoq; Pontifices scripsisse se uniuersales Episcopos,ut Sixtus, ut Victor, & vt in Chalcedonensi Concilio acclamatum fuit Leoni, uiuat Leo sanctissimus œcumenicus Patriarcha. Quamuis humilitatis & Christi formam sequentes Pontifices,ab eo nomine sibi temperarunt,melius se seruos seruorum fatentes. Et ne crederentur velle se tollere Episcoporum autoritatem, ut dudum ad illa respondit S. Thomas li.de impugnatione fidei.

De Epistola Augustini facit vobis Dominis Auditoribus, negocium, ut uerba legatis, uerba audita fuere. Innocentius ante centum & mille annos, dixit esse veterum more consulendum Pontificem in ijs, quæ sunt fidei. Ita dictum contra Manicheos voluit reuerendus Pater transplantare in hortum suum. At hoc non faciet, si Epistolam Augustini legat, in qua non seriem Vniuersitatis Episcoporum, sed Romanorum Pontificum, enumerat ab ipso Petro usque ad tempora sua.

Solutionem per me datam de viginti annis, dicit per me non probatam, acutus est Disputator reuerendus Pater, hoc nondum sciui debere Respondentem probare suam solutionem, Semper arbitratus sum, respondentem offerre solutionem, opponenti improbandam. Debilis fuit Hercules suus, si alieno marte nititur.

Quod uero tanta laborat impudentia, ut audeat illustrissimis dominationibus, & reuerendis paternitatibus uestris suggerere, quasi primum caput Iohannis non legerim, insignis profecto temeritas, cum puer nondum decennis, demptis Prophetis, Bibliam totam legerim, Sed hoc nihil ad rem, quantum quisque legerit.

Anacletus. Dixi Anacletum defendendo, non vsque adeo inscitam fuisse interpretationem eius, Cephas, id est, caput, non ignorans quod Kephale græce caput significat, sed quia apud Iohannem, quem heri uidi apud Augustinũ, & glossam ordi: Cephe interpretatur Petrus. Petrus autem, Cusano autore, etiam significat caput domus, quæ omnia in risum trudit reuerendus Pater, de quo iudicent ordinandi iudices.

Pasce oues meas. At illud præstantius, quod autoritatem, Pasce oues meas, tantis ambagibus inuoluit, solum ut homines uidentes faciat non uidere, mitto, quod tam ridiculam attulit expositionem à se fictam. Sed ad alium eius sensum ueniam, ubi multa dixit. At ego non singularitati studens, quæ est mater errorum, S. Patrum secutus sententiam, et S. matris Ecclesiæ accepi uerbum, Pasce, quod eum pastorem ibi constituerit, & primatum dederit vniuersalis Ecclesiæ. Ita Gregorius, ita Chrysostomus intellexerunt, ita Ambrosius Lucæ vlti. heri per me non allegatus. Ad quos pulchre prætergrediens nihil dixit reuerendus Pater, Verum attulit Augustini sententiam, cuiusmodi debeat esse pastor, quem & ego admitto, & credo quemlibet fidelium orare, ut & summus Põtifex, quilibet Princeps, quilibet Prælatus quęreret honorem Dei, & subditorum salutem, quod hoc sit uerissima pastura, per quam, sicut hic principantur in terris, etiam eleuantur ut regnent in cœlis. Quare Augustinus nõ aduersa, non pugnantia, sed talia dicit, ex quibus Prælatus intelligere debet, qualis sua sit institutio.

Nec valet, Quod reuerendus Pater adduxit sub conditione ei commissas oues, cum nulla ibi adhibeatur conditio, nisi sua paternitas aliud habeat Euangelium, quam ego. At qualis debeat esse pastor, significans Christus, dilectionem & amorem Dei à Petro quærit, & sic eum pastorem totius Ecclesiæ fecit, sicut canit S. mater Ecclesia, & reuerendus Pater orat vel legit: Tu caput Ecclesiæ, pastor ouium &c. Quare iure diuino habemus hoc loco, debere Prælatum diligere Deum, habemus Petrum constitutum Pastorem ouium, sicuti S. Gregorius, S. Ambrosius & Chrysostomus etiam Græcus, intellexerunt.

Non refert prętenuis Ratiuncula, in diuersum à reuerendo Patre inducta, Petrum non omnes pauisse, quod nostro nomine agitur, & nos fecisse dicimur. Sicut Clemens 21. vlti. distin. testatur, Petrum ordinasse Presbyteros, Episcopos, & Diaconos, qui per vniuersum orbem terrarum Euangelium seminarẽt, vt legitur in can: illis, 80. uel 81. dist. Vnde missus a principali, sicut fuit S. Paulus, nõ cogitur mitti ab ipsius Vicario, tamen Paulus ascendit cum

cum Tito, ad Galat. 2. & contulit cum Petro Euangelium, qui dederunt ei dexteram societatis.

Porro, ꝙ cudit in me glossam, nunquam à me cogitatam, quasi dixerim, Aedificare supra petram, sit subesse Ro: Pontifici. O somnia, o uerborum portenta, nunquam hoc fuit mentis meæ. Christus enim ædificat Ecclesiam, non hi qui subsunt, Subditi enim ædificatæ Ecclesiæ esse debent.

De Gregorio Ariminensi, cuius sententia mihi displicet, ei placet, nihil iam ad propositum. Nolo ergo in ista diuerticula descendere. Sed ut accepimus, defendamus articulum Constantiensis Concilij esse verum, & quicunꝙ huic contradixerit, errare, & veritati & honori Concilij contradicere.

LVTHERVS.

ANtequam ad Autoritates a me oppositas veniam, breuiter discutiam, quæ egregius D. D. de hesterna & hodierna Responsione mea commiscuit. Vbi inter cætera, tanquam consumptis omnibus armis, desperans, in unum articulum Constantiensis Concilij extremum fiducię præsidium collocat, & odiosissime repetit & inculcat, quasi non abunde satis supra ad ipsum sit responsum. Dicam tamen adhuc semel.

Quando articulus de operibus hominum inter damnatos recensetur, & à S. Paulo & Augustino asseritur, deinde per Gregorium Ariminensem, per omnes Vniuersitates usꝙ hodie defenditur, nõ mouebor odiosissimis inculcationibus huius articuli, donec egregius D. D. probauerit, Concilium non posse errare, non errasse, aut etiam non errare, cum Concilium facere ius diuinum non possit, ex eo, ꝙ natura sua non est ius diuinum, ideo neꝙ hæreticum est, nisi quod contra ius diuinum est. Hæc pro isto Articulo.

Quod Chrysostomum legitime destitutum carpit, non intellexit me, cum clare dixerim hodie, potestatem ordinandi & destituendi Episcopi fuisse legitimam in B. Cypriano & Theophilo, quanquam an bene tum usi sint, an male, hac potestate legitima, nihil disputauerim. Sufficit mihi ꝙ citra autoritatem Romani Pontificis tot sancti & celeberrimi uiri Græciæ catholicissimi, nõ schismatici, potestatẽ habuerunt ordinandi et destituendi Episcopos. *Cyprianus. Theophilus.*

Eleuat etiam egregie, quod antiquos Sanctos insimulauerim ambitionis, nec attendit, quod dixi etiam in Apostolis hanc fragilitatem fuisse præsente Christo.

Quod Platynam ita nunc magnifacit aduersus sanctum Gregorium, mea autoritate, satis claret cuilibet uel mediocriter ingenioso, quid concludat. Ego enim ex Platyna historias accipio, & non amplius. Quod autem idem Platyna rationes quasdam adducit, respuo propter autoritatem Gregorij contrariam. *Platyna.*

Iam illud transeo, Quod Sixtus, Victor scripsere se vniuersales Pontifices, & Leoni acclamatum sit in Concilio Chalcedonensi, de quo hodie satis dictum est. Illud obseruandum, quod sequentes Pontifices dicit egregius D. D. humilitatis formam in Christo secutos, sibi temperasse ab hoc nomine, Quod ego aliter intelligere non possum, ꝗ quod causa humilitatis iuri diuino detraxerint, mendaces & inobedientes facti fuerint, si ius diuinum est, hoc est, præceptum, fuisse eos vniuersales Pontifices.

Innocentij responsiuam Epistolam ad Augustinum, repetens, dicit, ueterem morem fuisse consulendi Romanos Pontifices, in his quæ sunt fidei. Optime dicit. & placet, præsertim in latina Ecclesia, Sed quid fidei & primatui: hoc est, quid ad propositum?

Causatus est etiam, ꝙ exegerim ab eo probationem solutionis de uiginti annis, dupliciter deficit egregius D. D. primo, ꝙ ipse fuit opponens

semiquatuor

semiquatuor dies, & hac hora solum cœpit esse respondens. Deinde non exegi, ut probaret solutionem, sed translatum primatum cum Petro.

Excutiens se etiam de Cephe, quod Petrus interpretatur apud Iohannem, adhuc persistit in eo, quod Petrus etiam significet caput domus, quasi videlicet Iohannes Græcis interpretaturus Euangelium, non græce, sed chaldaice sit locutus, ne forte intelligeretur.

Pasce oues meas.

Verbum, pasce, sic accipit, vt constitutionem uniuersalis Pastoris significare velit, & ad hoc Grego. Ambro. Chrysostomum heri non allegatos adduxit, ad quos ego nihil dixerim. Dicam ergo nunc, si fui oblitus, & simul oppono Regulam diui Augustini, Quod omnium scriptorum dicta iudicanda sunt per diuinam Scripturam, cuius est maior autoritas, quam totius generis humani capacitas, Non quod damnem illustrissimorum Patrum sententiã, sed quod eos imiter, qui proxime Scripturæ accedunt, & præ omnibus, si aperta fuerit Scriptura, eam ipsam amplector. Cum ergo clarum sit, pascere, ui uocabuli & usu Scripturæ non significare nisi docere, curare oues, sicut Petrus accipit uult. Pascite, qui in uobis est, gregem. Non oportet uocabulum æquiuocare, & simplicem sensum sine necessitate relinquere.

Omnium scriptorum dicta iudicanda per diuinam Scripturam.

Dissoluit etiam, quod dixi esse conditionem in uerbo Christi: Si diligis me, quando ego arbitrer non modo conditionem, sed & pactum esse inter Christum & Petrum, dum ille dicit: Diligis me, & hic respondet: Amo te.

Omitto Dialecticam, in qua exercitatissimus est D. D. Et coniunctionem conditionalem, si. Vellem audire, quid diceret ad Decretalem de ele: c. significasti. Vbi paschalis pontifex manifeste dicit hic conditionem esse, si saltem adeo ualet autoritas Ro: Pontificis, sicut hucusque contendit, dicit enim ad sensum.

At Rationem meam sic confutauit, quod Petrus non omnes pauerit, quia, inquit, quod nostro nomine agitur, & nos fecisse dicimur. Quanquam non credo, per hoc D. D. uoluisse satisfactum Rationi meæ, dum dicere non possit Paulum nomine Petri prædicasse, qui contra ad Roman. 1. Apostolum se dicit, pro nomine Christi, quod ex eo conijcio, quia dicit Petrum, Roma. 1.
autore Clemente, ordinasse Episcopos, Presbyteros, Diaconos, qui per totum orbem Euangelium seminarent, inter quos Paulum non numerat.

Sed hoc uidetur ad rem facere, Quod missus a principali, non cogitur mitti ab ipsius Vicario. Hoc admitto, si fuerit primum probatum, Petrum esse Vicarium. Nunc uero non minus Paulus est Vicarius, quam Petrus, ut iam dictum est, quod nomine Christi sit Apostolus, & sic tot Vicarij, quot Apostoli.

Nunc ad propositum.

AD autoritatem pauli 1. corinth. 3. primum dicit, Cephe non esse 1. Cor. 1.
de textu ab initio. Sed in fine memorari, ubi glossa fateatur, Petrum maiorem omnibus, Leuiculum hoc est, transeo, cum in principio primi capitis utique ponatur Cephe.

Secundo, dicit aliud nihil, quam quod nec uerbum nec apex de negatione primatus sit in textu, & sic uult solutam istam autoritatem. Adiecit tamen autoritatẽ Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Chrysostomi, Bernardi, Leonis &c. dicentium, Petrum esse petram. Contra quæ dico, & replico, hoc secundũ dictum nihil est ad propositum, & supra satis disputatũ, an Petrus sit petra. Similiter & illud non soluit quod dicit, nullum uerbum, nullum apicem esse de negatione primatus, quod si etiam Hieronymus constituat caput, ut occasio schismatis tollatur, satis robuste contrapugnat textus apertus, tollit caput, ut occasio schismatis tollatur. Dicit enim: Quid Paulus? quid Apollo? uolens solum

solum Christum esse caput, quo uere tollitur omne schisma. Non est mihi satisfactum sic ad responsionem.

Ad autoritatem Gala. 2. Dicit quidem Apostolus omnes æquales, quod & Hieronymus & can: in nouo testantur. Sed aliud esse potestatem regiminis & administrationis, His tribus uerbis, soluere tantam autoritatem, est mihi satis mirabile. Sed & nec intelligo quid velit, quomodo distinguat regimen & administrationem.

Quod autem dixit, Paulum ascendisse cum Tito ad Petrum, vt conferat Euangelium cum eis, clarum est ex textu præcedenti & sequenti, vt & Hieronymus ipse exponit, non hoc fecisse Paulum, vt consuleret Petrum super Euangelium, quod iam plus 14. annis prædicarat, & non ab homine accepisse iactauerat, sed vt Pseudapostolorũ os obstrueret, Galatas confirmaret, eadem esse, quæ ipse & cæteri Apostoli prædicassent.

ECCIVS.

QVod reuerendus Pater articulum Iohannis Huss de obedientia ecclesiastica commiscet alteri articulo de operibus humanorum actuũ, autoritate Gregorij Arimi: qui per omnes Vniuersitates defendatur, quem adhuc in eo loco in nulla Vniuersitate, q̃uis in plurimis fuerim, audiui defensum. Petit tamen à me, vt probem ei, Concilium non posse errare, Nescio quid sibi velit ista petitio, an tacite laudabile & Constantiense Concilium uelit habere suspectum. Hoc dico vobis, reuerende Pater, si creditis, Concilium legitime congregatum errare & errasse, estis mihi sicut ethnicus & publicanus. Quid sit hæreticus in præsentia non discutiam.

De Chrysostomo, Non vult eius expulsionem se iustificasse, sed ordinationem Episcoporum à Niceno Concilio institutam laudasse. Placet mihi pro S. Chrysostomi reuerentia, Et semper Ro: Põtifices in diuersis Nationibus diuersos permiserunt modos Episcopos eligendi, Tamen ex Gregorio Nazanzeno & Chrysostomo restituto satis liquet, interuenisse autoritatem Ro: Pontificis, quod S. Athanasius Alexandrinus, S. Paulus & alij orientalis Ecclesiæ Episcopi, testantur, qui se ad Ro: Pontificem pro restitutione contulerunt. Quod in Apostolis quoq; quid humanæ fraglitatis fuisse assignat, nouimus. Sed cum publico fungerentur officio, absq; iudicio & causa tam S. uiris non est detrahendum.

De Platyna dicit, se recipere eius historiæ autoritatem, & ego neq; autoritatem ex Platyna adduxi, sed historiam.

Ad Innocentij Epistolam respondet, Eam nihil facere ad propositum, q de latina illum probat Ecclesia, & non de alia. Sed quia hæc est glossa Lutherana nulla autoritate fulcita, uel persuasione, ea facilitate contemno, qua adducitur,

De uiginti annis respondit, Me fuisse opponentem iam triduo. Deberem utiq; fuisse, nisi reuerendus Pater suis cautelis aliquando fecisset ex opponente respondentem. Non enim hoc opposui Argumentum, sed ipse posuit, & certe cathedram illam Petrus non secum sumpsit ad Romam, sed primatum transtulit.

De verbo pascere, vult dimittere Gregorium, Ambrosium, Chrysostomum, Quia simplex uerbum non debeat æquiuocari. Dico, quis hoc ignorat uerbum Pastoris esse nomen officij, honoris & etiam oneris? Vnde & prælationis accepit officium & simul pascendi onus. *Pascere.*

De conditione non recipio allegata per reuerendum Patrem, quia nec Christus sicut ipse, semper inhæret literæ, conditionem iunxit pasturæ. Nam sic error confirmaretur hussiticus, q non existens in charitate, non esset Episcopus, Prælatus, Pastor &c.

De capi

Gerson. De ca: Significasti, de elect. scio Gersonem & alios Doctores ponderare in materia, An Concilium sit supra Papam? Sed quia verba Decretalis non sunt adducta, nihil possum dicere, sed conijcio nolens me huc allegare, pastoralem conditionem accepisse pro qualitate.

De Paulo, qui primatum Petri non agnouerit, sed fuerit Apostolus Christi, Omnes sumus Christi, vt arbitror, tamen Petro primatum nullibi abstulit regiminis, sed & moriturus, vt in Epistola de transitu Apostolorum scribitur, Petrum valedixit, vt caput Ecclesiae, Quae Epistola an sit B. Dionysij vel minus, incertum habeo.

Paulum dixit Vicarium Christi, sed non generalem, nam etiam in Apocalypsi ponuntur duodecim fundamenta Ecclesiae, & tamen fundamentum aliud, scilicet principale, nemo ponere potest, quam quod positum est, 1. Cor. 3. scilicet Christum.

De secundo dixit, Non esse ad propositum, an Petrus sit petra, & est totum negocium nostrum. Tamen solutionem pridie per me datam, ad quam me retuli, ipse reticuit, cum expressum sit de litera Paulum improbare contentionem. Sed nescio, quo ingenio reuerendus Pater arbitretur propterea Paulum negasse primatum, vt tolleret schisma, forte non fuit in Prouincia, quae caruit Principe, Fuisset enim contrarium expertus, quot dissensiones, contentiones & dissidia emergunt, vbi non est Princeps & caput, inter causas dijudicans & agnoscens.

Et mirabile videtur ei, si tam paucis verbis, scilicet apostolatus & regiminis tantam uelim soluere autoritatem. Principia in quantitate sunt minima, in virtute maxima. Si reuerendus Pater illa duo minuta vocabula, apostolatus & regiminis, capitis principalis & secundarij attendisset, dudum pugnantes, vt sibi videtur, sacrae Scripturae, & S. Patrum sententias reconciliasset, quibus neglectis, necesse est exotica & aliena sequi dogmata.

DIE IVLII VIII

LVTHERVS.

AD Autoritates, a me inductas, Pauli ad Corinth. & ad Galatas, egregius D. D. more suo nihil respondet, nisi quod ingeminat Concilium Constantiense, & Hussitas, per quae non soluuntur mihi autoritates. Nam sicut dixi, Concilium Nicenum alia statuit longe sacratius & celebrius. Ideo quantũ ille nititur suo, tantum ego meo, Et dico, sicut heri dixi, quantumlibet allegetur Concilium, nondum habetur ius diuinum, de quo solo Quaestio est, ideo Concilium nihil ad propositum.

Secundo, vt eluderet autoritates potius quam solueret, aduexit dist. apostolatus & administrationis, quae quia humano arbitrio est reperta, neque in sacris literis, neque in S. Patribus eas interpretantibus habetur, non sum contentus, eam mihi esse redditam, praesertim quando Apostolatus, non vt ipse cum suis sentit, dignitatis nomen sit, sed officij, vt clarus est Apostolus ad Romanos, & vbique, vbi se dicit accepisse gratiam & Apostolatum, ad obediendum Roma. 1. fidei. Est enim Apostolus nuncius verbi, & apostolatus seu Apostolorum Apostolus. Apostolatus. officium verbi, & sic in sacris literis apostolatus siue administratio fere idem erunt. Nisi administrationem intelligat contentiones forenses de rebus temporalibus, ecclesiasticis, quae non est proprie administratio apostolica. Fateor quidem,

quidem, si ista permittatur libertas fingendi, fingens & ego S. Iohannem esse Cancellarium, & alium Apostolum aliud esse. Sed hæc omnia non sunt iuris diuini. Euanescit ergo principium illud, quod minimum in quantitate iactitatur, in virtute maximum &c. Et satis admiror, quod Dominus egregius sacras literas ita exhorret, & faciem eorum fugit, diuertens in istos cuniculos humanitus inuentos.

1. Cor. 1. Proinde adhuc stat Autoritas ad Corinth. quod pro schismate tollendo, Paulus tollit personam Petri, Pauli, Apollo &c. & solum Christũ relinquit, sibi relicto ministerio duntaxat verbi, quod est vere apostolatus & administratio Ecclesię. Nec valet, quod hanc robustissimam Autoritatem voluit dissoluere frigida ista similitudine, quod Prouincia sine capite, exposita sit schismatibus & periculis multis, nam non dabitur Ecclesia sine capite, quando dabuntur multi Episcopi sine Papa. *Apud Deum non est personarum respectus.*

Quemadmodum videmus fieri in fœderibus, vbi eo pulchrius administrantur Respub. quo minus habent commune caput, Nam hoc est ad oculum, quod regnum Franciæ, Anglię, Britannię, Galliæ, & infinitorum in mundo, sunt sine communi capite, & tamen non colliduntur quolibet Regno, suo rege contenti. Quod si in ijs temporalibus fluctuantibus tot diuersis ingenijs & moribus hominum, non habentibus, neque in cœlo, neque in terra, commune caput, stat pax & concordia terrarum. Quanto magis id fieri potest in spiritualibus rebus constantissimis, hoc est, vna fide, eadem charitate, eisdem moribus præditis hominibus. Deinde commune caput in cœlo habentibus, sicut Apostolus dicit: Vna fides, vnus Dominus, ad Ephe. Quare si decem essent Papæ, si mille essent Papæ, non ideo schismata fierent. Ephe. 4.

Quare peto adhuc D. D. velit autoritatem Pauli melius soluere, similiter & illam ad Gala: Deus personam hominis &c. vbi Paulus reijcit, quicquid in Petro & Apostolis personatum esse potest, seu qualificatum, vt dicunt. Vtraque nondum est tacta nedum soluta.

Quibus, vt finiam Disputationem, addo & illud, quod Paulus 1. ad Corin. 12. describens corpus ecclesiasticum, primo loco Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, & fere postremo loco Gubernationes, quas D. D. administrationes uocat, recenset. Si ergo primatus Petri tanta res, & tam necessaria esset iure diuino, insufficienter descripsisset Paulus Ecclesiam, vt qui principalissimum, quod in ea est, omisit. *Corpus Ecclesiasticum.*

Insuper & hoc adhuc stat, quod nec Petrus nec vniuersi Apostoli Matthiam ordinare potuerunt, Act. 1. nec ei administrationem dare. Ideo Ro: Pontifex plus sibi arrogat administrationis conferendæ per totum Orbem, quam in suo præcessore Apostolo non inuenit. *Ordinatio Matthiæ. Acto. 1.*

Similiter sentio de ordinatione Pauli & Barnabæ, Act. 13. Spiritus sanctus, non Petrus aut Ecclesia, segregauit. Ideo gloriatur non immerito, se nihil accepisse ab Apostolis magnis, Imo ad Corinth. scribens, dicit, Nihil minus se fecisse cæteris Apostolis. *Ordinatio Pauli & Barnabæ, Acto. 13.* 1. Cor. 15.

Galat. 2. Sed & illa autoritas adhuc Petrum arctius stringit, qua scribit ad Gala: Qui operatus est Petro in apostolatum Circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes. Et infra: Dederunt mihi dextras & Barnabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem, tantum vt pauperum memores simus. Qua autoritate, si vellem niti, non posset D. D. cogere, aut vllus hominum, apostolatum Petri latiorem esse, quam in Iudæos, iure diuino, & per hoc omnes Autoritates, quibus nititur, Pasce oues meas &c. &: Tu es Petrus &c. referendas esse ad terminos sui apostolatus, quemadmodum Christus clare Iohan. 10. oues Gentium secernit, ab ouibus Israel dicens: Habeo adhuc alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili. *Qui operatus est Petro.* Iohan. 20.

Et in fine, quod & D. D. heri tetigit Apoca. 21. describitur Hierusalem noua cum duodecim Fundamentis, præter illud fundamentū capitale Christus. Et tamen ibi nihil differentiæ ponitur inter Fundamenta duodecim, quod omnino faciendum erat, si tantum erat de primatu Petri sentiendum. Ad hoc idem valent plurimæ figuræ in Scripturis, vt duodecim boues, 3. Reg. 4. maris æneí. Item duodecim Leunculi troni Salomonis, duodecim lapides Iordanis, & similia, in quibus omnibus prorsus omnimoda ęqualitas omnium Apostolorum descripta est, Nec potest vlla inæqualitas in contrarium probari iure diuino. Apoca. 21

12. boues maris ænei. 3. Reg. 4.

Hæc sint dicta pro ista Conclusione, quam ego vsq; hodie uerissimam credo, Imo certe scio, nec spero, posse eam unquam conuelli. Quare rogo D. D. egregium, ex quo nullam adhuc posuit Autoritatem diuini iuris pro sua sententia, saltem dissoluat aliquas clare & sine diuerticulis, alioqui non habebo eum pro recte sentiente de Scripturis Theologo, & relinquo, imo refero ad iudicium, non inuidiæ neq; vulgi, sed ordinandorum Iudicum, & cuiuslibet prudentis Lectoris candidiq; Auditoris.

ECCIVS.

NEscio, quid reuerendus Pater velit, quod ab initio sermonis dicit, me nihil respondisse, & tamen in eius procursu Solutiones meas heri datas inuictas & robustissimas nititur infringere, an illa sibi constent, ipse uiderit.

Nicena Synodus.

Deinde, Quod autoritate Concilij Constantiensis non vult se artari, Viderit ipse, videant Iudices, q; iuste fecerit. Nicenam Synodum non respuo in ijs quæ sunt fidei, atque mores respiciunt, vt ordinationes Episcoporum pro qualitate temporum & locorum mutari possunt.

Postulat ex me, ut ius diuinum ei afferam, quod etsi sæpius fecerim, Conclusio tamen mea illud non habet, sed duntaxat, quia reuerendus Pater in Resolutorio dixit, Ro: Ecclesiam ante tempora Siluestri non fuisse alijs superiorem, quod in Conclusione mea nego, tamen fateor, primatum Rom: Pontificis esse de iure diuino, secundum allegata per me.

Pater maior me est. Iohan. 14. Arrius.

Deinde reprobaturus solutionem, dicit, distinctionem meam humano arbitrio inuentam, Quasi non liceat in Theologia distinguere, sicut Arrius uoluit Athanasiū irridendo, Nam nimis literæ tenax, dixit Filium esse creaturam, per illud: Pater maior me est. Quod diluens Athanasius distinguendo, Pater maior me est, secundū humanitatē, sed non secundum diuinitatem, Quia sacras Scripturas non distinxit Arrius, eam non recepit, & ita in errore pertinaciter mansit. Sic in præsentia, cum qui elucidant sacram Scripturam, uitam æternam habebunt. Diuersos passus Scripturæ conferendo, ne in sacris literis contrarietas admittatur, distinctiones dandæ sunt, ut literæ nimis tenax, occidatur, sed magis à Spiritu uiuificetur. Et quia Petrus alijs præfertur sæpius in sacris Scripturis, sæpe eis æqualis reperitur, ad contrarietatem uitandam necessarium est, distinctionem ponere, sacræ Scripturæ conformem.

Apostolatus.

Sic & Hieronymus innuit & Cyprianus per me allegati, Et Epistola 9. qui & ęqualitatem apostolatus fatentur, & tamen primatum Petro tribuunt, Quod fieri non potest, nisi ad diuersa referas. Placet mihi apostolatum dicere officium, ita tamen q; etiam dicat honorem. Sunt enim ista nomina & honoris & oneris, ut dixi, quod Apostolus ad Romanos indicat capi. 10. Quomodo euangelisabunt, nisi mittantur? Roma. 10.

De admi-

De administratione iterum assentior reuerendo Patri, illam scilicet in temporalibus esse multo inferiorem, quam illa in spiritualibus. Deum optimum rogemus, ut Episcopi nostri illud agnoscant, & spiritualia non per Vicarios, & temporalia per seipsos administrent. Denotaui ergo administrationem regiminis in spiritualibus potestatiue, Nec obstat, ꝙ reuerendus Pater dicit, sic se posse fingere Iohannem Cancellarium, Marcum Sigilliferum &c. quoniam, ut Augustinus ait, liberis verbis vtuntur Philosophi, nobis vero ad certam Regulam loqui fas est, ideo talia oportet afferre, quæ fundamentum recipiant ex sacra Scriptura, sicut primum membrum apostolatus in Apostolorum æqualitate, Alterum membrum regiminis in Petri primatu. Vnde fateor robustissimam esse autoritatem Pauli, & quę mihi nec in vna litera aduersetur.

Contempsit reuerendus Pater simile per me adductum, de schismatibus in Prouincia Præside carente, quoniam iam ita sit in regnis fidelium Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, quæ sunt sine capite, & tamen stat pax quia concordia. Inter illa miror quomodo reuerendus Pater tantarum cædium, bellorum, præliorum, iam fuerit oblitus, quæ non potest ignorare. Dicere nolo tam diuturnum dissidium & perpetuum odium inter Gallos & Anglos. Odium etiam inueteratum inter Gallos & Hispanos, qui toties pro regno Neapolitano cum maxima Christiani sanguinis effusione bella gesserunt, & vtinam tandem pax esset stabilis & permanens. Vnam fidem, vnum Dominum Christum agnosco cum Apostolo, sed Ro: Pontificem, vt Christi veneror Vicarium. Stat ergo prior Solutio inuicta & valida meo saltem exili iudicio, de quo Doctiores iudicent. *Odium inueteratum inter Gallos & Hispanos.*

Præterea obseruandus Pater dicit, uerba Pauli per me non tacta, Deus personam hominis non accipit, & sic minus soluta, Forte obaudiuit, quoniam tam ex Ambrosio, quam Hieronymo adduxi eorundem uerborum sententiam, Iohannes enim & Petrus idiotæ fuerant & analphabetici in Lege. Paulus contra doctus fuit, proficiens supra multos coetaneos suos, vt de se *Galat. 2.* testatur. Noluit ergo Paulus reputare, quales fuissent Petrus & Iohannes, quia personam hominis Deus non accipit. Ita enim elegi Piscatorem, sicut doctum Scribam. Sed per hoc primatus non tollitur, sed acceptio personarum Deo non imputatur, etiamsi vnum alteri prælegerit, ut de Cornelio *Acto. 10.* Petrus fatebatur: In veritate comperi, quia non est acceptio personarum apud Deum. Veniamus ad inducta per reuerendum Patrem. *Deus personam hominis non accipit.*

1. Cor. 12. Apostolum citat, 1. Corinth. 12. qui corpus mysticum describens, referat Apostolos, Prophetas, Doctores, & nouissime administrationem. Dico egregie quidem Apostolum descripsisse, sed primatum ibi nec negasse, nec astruxisse. Inualidum est ergo argumentum, Hic Paulus huiusmodi primatus non meminit, ergo primatus non est in Ecclesia. Tum quod pueri sciunt locum ab autoritate negatiue non valere, tum ꝙ etiam in sacra Scriptura vno loco non expressum, iuxta Augustini doctrinam, li: de doct: Christiana, ex alio loco accipi debet, sicut nos fecimus.

Apoc. 21. Pariformiter respondemus ad illud Apo. 21. Fateor, duodecim sunt Fundamenta, sint illa etiam figurata per duodecim Boues, per duodecim Leunculos, per duodecim lapides Iordanis, sed in ijs numerus duodenarius Apostolorum asseritur, primatus ob hoc non negatur. Ego autem eum locum ob hoc induxi, ꝙ oporteat passus sacræ Scripturæ concordes ostendere, Et cum *1. Cor. 3.* Apostolus vnum Fundamentum, Christum, posuisset, & nemo aliud ponere posset, Petrum per hoc fundamentum Ecclesiæ negari non debere, quia Iohannes & ipse sanctus duodecim posuerit fundamenta, ꝙ nisi distinctionem acceperis de fundamento fundamentorum, id est, principali & de fundamento substituto seu secundario, Paulum & Iohannem non concordabis. *12. fundamenta 12. Apostoli.*

Matthiae ordinatio. *Acto. 1.* Secundo loco induxit, Petrum non potuisse ordinare Matthiam, sic Spiritum sanctum segregasse Paulum & Barnabam. Respondeo: Cum Apostoli fuerint Episcopi, non memini me reperisse in sacra Scriptura ordinatos à Christo Episcopos, cum in ultima Cœna primum eos ordinauerit sacerdotes. Quare & illud in Petrum referre possum, quo ad episcopatus ordinationem, Attamen, quia apostolatus officium à solo Deo tributum admitto, non mirum, ꝙ diuinum postularunt præsidium, Sortes enim miserunt, non uulgari more, sed ut sacer Dionysius testatur, sors illa fuit Spiritus sancti uisibilis apparitio. *Dionysius.* Vnde locus ille pro primatu Petri facit, quia primatum sibi concessum executus est. In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum &c. Sicut & de Saphira & Anania, sicut in excusatione Apostolorum, ꝙ non essent musto repleti, sicut in responsione & defensione coram Concilio Iudæorum & alijs in Actis Apostolorum cõtentis, ubi regimen superioritatis exercuit. Vnde Matthiam credo Apostolum à Domino factum, & à S. Petro Episcopum ordinatum. Sic & de Paulo dudum concessi, ꝙ apostolatum à Deo acceperit, abundantius eum laborasse alijs, fateor. *Acto. 13.* *Acto. 1.* *Acto. 5.* *Acto. 2.*

Sed ad tertium veniamus, quod uidetur magis facere ad propositum inter alia per reuerendum Patrem adducta: Qui cooperatus est Petro, ad Gala. 2. Et dico, Paulum non promulgasse ibi ius diuinum, sed narrasse factum, quoniam & Petrus in Actis Aposto. Cornelium gentilem iussus est in fide instruere, & gentib. in Antiochia, vbi præsedit, & similiter Romæ, ubi tandem martyrio à Nerone gentili coronatus est, præfuit & docuit, simul cum Iudæis ad fidem conuersis & conuertendis. Vnde clare liquet, Paulũ factum tunc narrasse. Prætereo, ꝙ S. Paulus, non meminit officij regiminis uel primatus præsidentiæ, sed executionis apostolatus, secundum quem Apostoli diuersas sortiebantur Prouincias, in quo & Petrus alijs Apostolis æqualis fuit secundum Anacletum can: in nouo, secundum Hieronymum contra Iouinianum, & super Epistola ad Galatas secundum Cyprianum, in Epistola 9. ad Cornelium Papam, lib. 4. Qua de re sacra Scriptura intelligenda est cum effectu, ut aduertamus quando de officio apostolatus loquatur, & quando de regimine potestatis seu præsidentiæ. *Galat. 2.* *Acto. 10.* *Non est uerum, dixit Lutherus.*

Non refert, ꝙ reuerendus Pater adhuc negat, me adduxisse ius diuinum pro primatu, & non dissoluisse Autoritates per eum inductas, quia idem dicerem de eo. Attamen nullus ex S. Patribus ita intellexit autoritates per reuerendum Patrem inductas ad negationem primatus Petri super alios, sicut ipse induxit. Contra uero plurifariã sancti Patres intellexerunt Autoritates per me inductas loqui de primatu Petri. Vnde circa illam Conclusionem, si aliquando acerbius & durius quidquam locutus sum contra reuerendum Patrem, nollem arbitremini in personam suam dictum, sed causa ipsa, quæ uertitur tam pregnans, & necessaria mihi uidebatur, ut uerba aliquando acriora essent utenda. In reliquis Conclusionibus Eccianam semper experiemini modestiam. *Ecciana modestia.*

Vnde & ego istam Conclusionem uolo finire in præsentia, ꝙ repetam S. Petrum primatum totius Ecclesiæ à Christo tenuisse, ex promissione ei facta Matth. 16. sicut intelligit Hieronymus, Ambrosius, Cyprianus, & alij, ex nominatione, quia primus nominatur Matth. 10. secundum glossam ibidem. Ex solutione tributi, Matth. 17. vbi solus ipse fuit æquiparatus Christo, secundum Augustinum & Ambrosium. Ex eo ꝙ Christus rogauit pro fide eius indefectibili, & iussit eum confirmare fratres Lu. 22. secundum Chrysostomum & S. Leonem, Quod pastor ouium Christi constitutus est, Iohan. ulti. secundum Chrysostomum & Gregorium, Quod Christus ait ad Petrum: Sequere me, non solum scilicet genere martyrij, sed & ordine magisterij, secundum Theophylum, ꝙ solus iussus est Petrus, venire super mare ad Christum, *Matth. 16.* *10.* *17.* *Lucæ. 22.* *Iohan. 21.* *Sequere me.*

ftum, vt fic Mūdus per mare designatus, totus ei subiectus secundū Bernardum, de consideratione ad Eugenium, & per alia superius adducta, reputo Conclusionem illam à tot sanctis Patribus, & nouissime à Concilio Constantiensi probatam esse ueram Nolo tamen inniti propriæ prudentiæ, paratus captiuare intellectum meum, & in ijs & quibuscunq; alijs iudicio Iudicum ordinandorum sedi apostolicæ, & aliorum prudentium & bonorum Virorum.

SOLI DEO GLORIA.

HORA II.

LVTHERVS.

Cogimur adijcere coronidem, quia egregius D. D. diluens obiecta mea, simul plurima opposuit, et rursus me respondere coegit. Et quanquam id uoluissem præterire, tamen ut ordinandis Iudicibus per omnia meam sententiam declarem, paucis respondeo.

Primum opponebat, Quod Petrus præfabatur electioni Matthiæ, exhortans Apostolos &c. Credo autem nec ipsi D. D. uideri per hoc probari primatum Petri, si Petrus prædicat, cum in superioribus ipse mihi responderit, aliud esse Apostolatum, & aliud administrationem regiminis, Non recte ergo dixit, Petrum sic prædicando exercuisse administrationem regiminis, alioqui & Stephanus erit primus, & Papa, quia & ipse prædicauit & multa fecit in populo. *Stephanus. Acto. 6. 7.*

Et q; credit Matthiam Apostolum esse Episcopum ordinatum à Petro, sum contentus, ut credat quidquid volet, ego nō credo, nisi probet. Item, q; Petrus exercuerit primatum in percussione Ananiæ & Saphiræ, potest dici, Sed nō probatur, nam suscitauit mortuos, quod & alij Apostoli fecerunt. Item, q; excusauit Apostolos, ne uiderentur esse ebrij, Nec hoc indicium est primatus, cum, ut dixi, egregius D. D. semper distinxerit primatū ab omnibus operibus & administrationibus communibus cæteris. Item, q; Petrus ambulauit super mare, & Bernardus per mare interpretatur Mundum, concedo, Sed nihil ad primatum, cum & nos calcare debeamus mundum. *Ananias & Saphira. Acto. 5.*

Illud libens transeo, de fidei indefectibilitate, rogante Christo, promissa, concedo enim fidem Petri nunq; cecidisse, & si ipse ceciderit à fide. Tunc enim Latro credidit fide Petri, quando Petrus negauit, vt Augustinus ait, Longe aliud est fides, q; primatus.

Matth. 17. Item & illud, q; Petrus dedit staterem pro Christo & se, in quo æquiparatus dicitur Christo, concedo, sed nihil ad primatum, imo contra primatum, nam mox sequitur, ut & Hieronymus interpretatur, cæteros Apostolos ideo offensos, q; Petrum suspicarentur fore maiorem, cœperunt disputare, quis esset maior. Ideo Christus, aduocato Paruulo, cōpescuit eorum ambitionem, & sic sequentia textus fortius pugnant contra primatum, q; præcedentia pro primatu.

Illud Iohan. vlti. q; soli petro dictum est: Sequere me, interprete Theophylo, sit intelligendum, non modo de genere martyrij, sed & ordine magisterij. Nego Theophylum, cum q; Augustinus melius videatur sentire, dicens sic. Sequere me tēporalia mala perferendo. Et si Augustinus nō diceret, ipse textus Euangelij conuinceret. Exijt enim sermo inter discipulos, q; Discipulus ille non moreretur, cum audissent Christum dicentem: Si uolo illum *Sequere me, Iohan. 21.*

manere, quid ad te? Tu me sequere. Ideo manifestissimum est, q de genere martyrij & passionis imitatio ista intelligenda sit.

Quare ego rogo D.D omittat noua adducere, & præsertim ea, quę non faciunt ad rem, cum & ego possem inducere illud Act. 8. vbi Apostoli miserunt Petrum & Iohannem tanquam inferiorem, & Acto. 15. Iacobus sermonem Petri & confirmauit & mutauit. Sed nolui hæc & similia inducere, cum iamdudum concesserim primatum honoris Petro, solumq; negauerim primatum potestatis super cæteros Apostolos. Hæc est enim illa persona, imo & primatus honoris, quam Deus non respicit, vt superius induxi, non autem illa persona piscatoris & paupertatis, ut Ambrosius, referente Doctore, exposuit. Hieronymus enim melius de magnifica qualitate Paulum interpretatur, quam pseudapostoli ad Galatas, tanquam ab autoritate Petri, subuertere uoluerunt. Sum enim cōtentus optime, q D. D. suam Propositionem per autoritates Hieronymi, Ambrosij, Bernardi, Leonis confirmauit, præcipue super hanc autoritatem: Tu es Petrus, Modo mea sententia, ut in præcedentibus dictum est, eisdem & maioribus Autoritatibus & magis ad intentionem loquentibus, confirmatior habeatur, referens hæc quoque ad iudicium, vt supra.

Acto. 8. *Acto. 15.* *Primatus honoris, potestatis &c.* *Tu es Petrus.*

ECCIVS.

REuerendus pater recludit hodie conclusa, et ea, quę velut accessoria & emblemata in Conclusione adiecit Coronidem, repercutit ut principalia, & adeo metamorphosin curat, ut ignorem, an in opponentem uel respondentem sit transformatus. Ad rem breuibus.

Nunquam somniaui illam consequentiam, Petrus prædicatur, ergo fuit primus. Deinde credulitatem meam de Matthia improbat, & tamen rationem meam non diluit. Matthias & cæteri Apostoli fuerunt Episcopi, & non fuerunt ordinati à Christo, nec seipsos ordinauerunt, Quare non nisi à Petro fuerunt ordinati, quem Christus pastorem constituit. Quare mecum credat, uel aliud ad illud respondeat.

De excusatione Petri imponit mihi nunquam cogitatum, Quod primatum separauerim ab operibus administrationis aliorum Apostolorum, nunquam fuit mentis meæ, imo allegaui B. Gregorium, alios Episcopos uocatos in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

De Bernardo super transitu Petri super mare, dicit nihil facere ad primatum. De quo miror, quomodo dicere possit, si Bernardum legit, Nam ex intentione Bernardus uoluit probare ex hoc primatum Eugenij super alios, & totum Mundum debere ei esse subiectum, Non sic alijs Episcopis uel Apostolis.

De statere ex litera sequenti vult elicere oppositum, quod tamen non fecit, sed Christus murmur Apostolorum compescuit. At ego non meo capite, sed sanctorum Patrum, uerba sacræ Scripturæ accipio, Nam ex hoc B. Ambrosius uoluit denotatum, Petrum reliquis superiorem futurum, quod & Augustinus in quæst: Euange: testatur expressissime, Quæstio mihi non occurrit. Quare nostro sensui non innitamur, sed S. Patribus. *Math. 17.*

De fidei defectibilitate transijt Pater, adducens tamen illud Augustini, quod fidem, quam Petrus negauit, latro in cruce seruauit. Et ego de illo dicto transeo. Sciat tamen reuerendus Pater, quod S. Cyprianus uerbis Christi innixus, voluit nullas hæreses Romæ uel in alijs Ecclesijs exortas, sicut pridie dixi, quod in Romana Sede fuerunt ducenti & duodecim Papæ, & tamen ante eorum amotionem nullus definitiue & sententiam ferendo in fide errauerit.

Petrus. Latro.

Ad Theo-

Ad Theophylum, quem pro suo nutu negat, sine alicuius uel autoritatis, uel rationis inductu, Miror, ꝙ ecclesiasticos Patres ita contemnit, qui Sophistis est admodum infensus. Augustinum induxit, qui Theophylo non aduersatur, Christum locutum de genere martyrij. Sed doceat, vbi Augustinus ordinem magisterij negauerit, cum ibidem tract: 124. de Petro fateatur, cum fuisse abundantiore gratia, vnum eundemq; primum Apostolum. Et in Epistola 162. In Romana Ecclesia, inquit, semper apostolicę Cathedrę uiguit principatus. Quare non me roget, ut Conclusionem nostram, quam reputo veram, non defendam. *Augustinus.*

Act. 8. Suaq; adduxit de Petro, misso in Samariam, & per hoc primatum ab eo ablatum. Quasi nesciamus aliquem mittere seipsum, ut Filium Dei à Patre & à seipso missum, Non nouiter ista uentilari cœperunt, sed omnia dudum fuerunt soluta per Alpharum, Iohannem de tur:cre: & alios. Quod si Petrus Iacobo cessit Hierosolymis in Concilio, & loci & senectutis rationem habens, primatum Petro non aufert. Sed vt videatur aliquid facere, tribuit primatum honoris Petro, forte uelut ambitioso, cum ex me audierit Cyprianū, Hieronymum, & Anacletum, Apostolos æqualis fuisse honoris. Ergo primatum honoris reuerendus Pater tribuit Petro, quem S. Patres negāt. Contra, primatum regiminis negat Petro, quem concors S. Patrum sententia & Concilij Constantiensis Petro tribuit. *Alpharus. Iohannes de turre cremata.*

Desinat ergo, oro, gloriari, se contra tam S. Patres, contra tam celebre Concilium, se maioribus Autoritatibus nixum, ꝙ sæpe ostenderim autoritates per eum inductas, primatum non negare alicuius S. Patris sententia. Quare potius cum Græcis sero sapientibus, uelut de Troianis dicitur, tandem sapiat Ro: Pontificem uerum Christi Vicarium, primatum in orbe tenere locum, sicut Græci ipsi, Imperator, Patriarcha & Primates hoc confessi sunt, & obedientiam fecerunt Ro: Ecclesiæ Anno 1439. 22. Nouemb. & sic fiat pax in diebus nostris, quæ omnia, ut supra, committo iudicio eorum, quorum interest & intererit, Soli Deo gloria. *Annus 1439.*

LVTHER. Non displicent omnia ferme, quæ locutus est egre. D. D. præcipue illud Aug. ꝙ apostolicæ Cathedræ principatus uiguit semper in Ecclesia Ro: si addidisset et unum uerbum, scilicet principatus potestatis super omnes Episcopos, & Bernar. credo torquere textum de ambulante Petro super mare, cum sequentia manifeste fidei tribuant ambulationem illam, non primatui, dicente Christo, cum submergeretur Petrus, Modicæ fidei quare dubitasti? Et ꝙ cupit ut credam secum Apostolos cæteros fuisse ordinatos Episcopos à Petro Apostolo, modo non placet obsequi, cum omnes fuerunt Episcopi æqualiter Petro, ut textus per Petrum inductus probat de Iuda, Et episcopatum eius accipiat alter. Hæc de isto. *Bernardus.*

Psal. 109. *ECCIVS.* De episcopatu, ꝙ etiam Iudas fuerit Episcopus iuxta illud Psal. Et Episcopatum eius accipiat alter. Dico episcopatum ibi usurpari pro apostolatu, & non pro ordine episcopali. Nam apud plerosq; dubium est, an Iudas etiam fuerit sacerdos. Sed hoc nihil ad rem. Exijt tamen Iudas buccella sumpta, quare dum in cœna Christus ordinauerit Discipulos sacerdotes, Iudas non fuit Episcopus consecratus. Committo hæc iudicanda, ut alia.

DE PVRGATORIO.

Coutra nonam Conclusionem argumentatur Eccius.

ON solum apud Theologistas, sed etiam in sacra Scriptura, in S. Patrib. habetur, q uita haec praesens sit status & terminus merendi & demerendi. Quare existentes in Purgatorio amplius mereri non posse, & sic non maiorem gratiam accipere. Et hoc ita esse probo per Ieremiam 25. Reddam eis secundum opera eorum, & secundum facta manuum eorum. ita etiam Paulus ait: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, pro ut gessit, siue bonum siue malum. Scientes ergo timorem Domini, hominibus suademus. Ierem. 25 2. Cor. 5.

Addo Hieronymum, ut gradatim descendam, eo loco Apostolum intelligentem. Hoc dicit, inquam, q diu in mundo positi peregrinamur a Domino, conuersatione bona id agamus, ut ei in futuro placere possimus, non, ut quidam putant, q posteaquam excesserimus e corpore ibi aliquid operantes promereamur. Idem fatetur glossa ordinaria. Frustra ergo homo post corpus sibi hoc promittit, quod hic comparare neglexit. Ita etiam intellexit Ambrosius, solum facta corporis alibi premiari.

Ex quibus liquet, cum gratia augeatur ex meritorum respondentia, & animae in Purgatorio non poterunt aliquid operari meritorie, ex allegatis non poterit etiam in eis augeri gratia. Subscribit apertissime B. Augustinus in Ench. ca. 109. & 110. & repetit eadem verba principaliter quaest. 2. de 8. Dulcitij quest post multa. Quocirca, ait, hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc uitam releuari quispiam vel grauari. Nemo autem se speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Cessat ergo post mortem meritorij operis auctio, cessat & gratiae auctio meritis respondens.

LVTHERVS.

OPposuit egregius D. D. duas diuinae Scripturae autoritates, & quatuor S. Patrum. Prima Ieremiae, vbi Deus dicit: Reddam eis secundum opera eorum. Miror satis, q egregius D. D. haec & similia arbitretur contra me pugnare. Cum ego in Resolutorio meo multo plures adduxerim, in hanc formam, & exposuerim, quomodo nihil contra me pugnent. Aut aeque contra Purgatorium pugnant. Cum enim diuina Scriptura tota prorsus nihil habeat de Purgatorio, sed omnia loquatur vel de inferno, uel coelo, uolo hoc hac vna responsione ad omnes Autoritates respondisse, Quod non faciant ad propositum, sequenter & expositiones omnium Patrum, nisi expresse meminerint Purgatorij. Nam credibile est, q quando tractant Scripturas sanctas, sensum etiam Scripturae sanctae sequantur. Ideoq; alijs rationibus & autoritatibus doceri oportet, animas esse certas, & non augeri eas in charitate.

ECCIVS.

CVm reuerendus Pater plures se allegasse dicat autoritates in Resolutorio & exposuisse, vidimus, Vidimus quoq; glossam suam ad textu nihil facere, quod iam ostendemus. Hoc quoq; non accipimus, in sacra Scriptura nihil haberi de Purgatorio, q dictu quide Grecis & Picardis esset fauorabile, uerum Christianae fidei aduersum, ut recte meminit in Resolutorio, Sed ponamus solutionem suam vnicam ad aciem, qua dicit, adducta nihil facere ad propositum, quam concinne respondit. Apostolus dicit, Vnum 2. Corin. 5

quemq;

quemq; recepturum secundum quod in corpore gessit, D. Pater dicit, hominem recipere etiam secundum quod in Purgatorio gessit. Augustinus dicit, Omne meritum hic comparari, & D. Pater contradicit, etiam in purgatorio meritum comparari. Hieronymus dicit, postq̃ e corpore excesserimus, nihil nos promereri apud Deum, D. Pater contradicit, postq̃ e corpore excesserimus, adhuc in Purgatorio nos promereri, ita de Ambrosio. Iudicent iam illustrissimæ domnationes, excellentiæ & prestantię uestræ, an per me inducta nihil faciant ad propositum, quæ directe nihil dictis Patrum contrariantur. Peto ergo, q uere soluat, uel ostendat, quomodo ad propositum nihil faciat, nec mereatur, quomodo & ego plures sum ei adducturus Autoritates, ut manifestarium sit, hoc non esse Theologistarum, sed uerorum Theologorũ.

LVTERVS.

EGo, qui credo fortiter, imo ausim dicere, scio Purgatorium esse, facile persuadeor in Scripturis de eo fieri mentionem, Quemadmodũ illud Matth. inducit Gregorius in Dialogo, Non remittitur, neq; in hoc seculo, nec in futuro, uolens peccata quædam remitti in purgatorio. Admitto & illud 2. Machab. 12. Sancta est & salubris cogitatio pro defunctis exorare &c. Sed hoc uolo, q in uniuersa Scriptura non habeatur memoria Purgatorij, quæ posset stare in contentione & conuincere, nam & liber Machabæorum, cum non sit in canone, pro fidelibus potens est, contra pertinaces nihil facit. Et dictum Gregorij facilime eluditur, q neq; hic, neq; in futuro peccatum remittatur, id est, nunquam. Ideo nolo mihi suspitionem fieri, q fauerem Bohemis & Græcis. Hoc pro primo. *2. liber Machabeorum. 2. Machs. 12.*

Ad Replicam D. D. dicam nihil aliud, q̃ quod iam prius dixi. Idem en m repetit, ideo & idem respondeo.

Dixi enim, in sacris literis nihil haberi de Purgatorio, ideo non posse eas, neq; expositiones earum ad negocium purgatorij aptari. Redditur autem aut bonum bonis, aut malum malis post mortem. Medij sunt qui in purgatorio sunt, de quibus dictæ Autoritates non loquuntur, quibus neq; redditum est bonum neq; malum, & sic Purgatorium per medium autoritatum semper transijt.

ECCIVS.

QVod se excusat, credere se & scire purgatorium esse, bene accipio, & prius noui. Sed q negat in sacra Scriptura purgatorium probari, hoc tanq̃ falsum & græ anicũ respuo, in proposito manens, quanq̃ nec illud nec alia multo maiora contra proteruos & pertinaces conuinci possint, ut de Ario & alijs Patrib. At q propterea illud dicatur, non reperiri in Scriptura, quia contra pertinacem conuinci non possit, est omnino captiosum & religioni nostræ aduersum.

De libris Machabæorum, quos dicit facere pro fidelib. sed non esse in Canone, Et hoc, inquam, falsum est, quamuis enim apud Ebręos in canone non fuerint, tamen Ecclesia recepit eos in canonem, ut Pater Domini Patris Augustinus, lib: de ciuitate Dei testatur lib: 8. & S. Ipho in suis Decretis constitutionem inserit, qua Ecclesia libros illos in canonem recepit. *S. Ipho.*

Quod in suo proposito persistere uult reuerendus Pater allegata per me nõ facere ad propositum, quæ tamẽ de directo ei contrariantur. Primo enim, quod dicit autoritates illas respicere cœlum uel infernum, non iuuat, quia de directo faciũt mentionem de statu merendi & demerendi, & hunc statum definiunt morte terminari. Contra reuerendus Pater nullo S. Doctore innixus

innixus audet animabus à corpore existentibus, terminum merendi prorogare, & merita Purgatorij in cœlo remunerari, & apostolica clamat sententia, solum remunerari opera, quæ homo in corpore gessit. Quare dicta in Resolutione sua perpendi, sed tanquam insufficientia acceptare non potui, ut illas contrarietates prius aperiat.

LVTHERVS.

PRimum, Quod egregius D.D. dicit, non ideo aliquid negandum esse de Scriptura, quia pertinaces conuinci non possint, optime & verissime dicit, Sed loquor ego de his pertinacibus, qui nos nostra autoritate & proprio iaculo confodere possunt. Euidens enim est librum Machabæorum pertinere ad vetus Testamentum. Quando ergo S. Hieronymus Canonem Ebræum conscripserit, & eos solos libros valere in contentione, qui de Canone sunt, definiat, sitq; in hac sua sententia receptus, facile nostro telo verberabimur, nisi fidelibus persuadeamus.

SEcundo probat, librum Machabæorum esse receptum in Canonem, contendit ad æquiuocationem, & facile concordabimur. Scio, q; Ecclesia recipit hunc Librum, & hoc dixi, sed non potest Ecclesia plus tribuere autoritatis aut firmitatis Libro, q̃ per seipsum habeat, sicut & cæterorum Patrum opuscula approbat & recipit, sed non ideo confirmat aut meliora reddit. Transeo ergo ista, quæ in multis dicuntur, Canon & Canon.

TErtio dicit, autoritates inductas directe facere mentionem de statu merendi, & eundem morte terminari. Respondeo, sicut prius, quia nihil de Purgatorio meminerunt, sed tantum de cœlo & inferno. Ideo moriens ad cœlum non meretur, moriens ad infernum non meretur, & sic terminatur utriusq; status merendi, alioqui possit eisdem autoritatibus euidentissime probari purgatorium.

QVarto dicit, me nullo Autore inniti, & prorogare terminum merendi, Item, merita purgatorij remunerata asserere. Fateor, Hoc enim feci, ut disputarem & audirem meliora, q̃ ego nouerim. Ego enim nihil de Purgatorio noui, nisi animas ibi pati iuuandas operibus & orationibus nostris. Paratus humiliter doceri, si quæ plura de ipso possunt tradi. Quare Apostolus contra me inductus, q; solum opera in corpore gesta remunerentur, relatiue ad purgatorium acceptus est à D.D. quomodo iam dixi, non posse accipi, sed solum ad cœlum vel infernum. Ista relatio si obseruetur, patet, q; non pugnet contra me, aut demonstrabit Purgatorium.

IX. IVLII.

ECCIVS.

RImo, Cum D. Pater dicit, Autoritates inductas non intelligi de Purgatorio, placet, quo ad hoc, quia meritum solum in hac vita, ergo purgatorium excludunt in hac vita. Deinde, certum est, Augustinum in Ench. loqui etiam de purgatorio, quia ibidem probat animas suffragijs uiuorũ releuari. Et Hieronymus increpat eos, qui putant animas exutas mereri, qui purgatoriũ asserit Esa. ult. Esa. 66.

Quod uero dicit, Conclusionem suam esse Disputationem, quasi nõ habens de ea magnã fiduciam, miror plurimũ, cum iam post annum, illam uentilauerit,

tilauerit,& magnifico titulo Disputationem inscripserit contra nouos & ueteres errores, Sententiam quoq; recentiorum Theologorum nec stulto uerisimilem affirmat,ac contemptim eos Theologistas nuncupat. Quod uero diuinatur Canonis æquiuocationem, non patior, quoniam Augustinus in illo lib. 18.de ciui. Dei,eundem terminum,maxime in puncto aduersatiuo, non potuit æquiuocare, dicendo, ꝙ non fuerit in Canone apud Ebræos, sed apud Ecclesiam. Deinde exploratum est, cum plura essent Euangelia scripta autoritate Ecclesiæ quatuor,in Canone recepta,& sic libros Macchabæorum receptos testatur prologus, tamen ab Ecclesia inter diuinorum voluminum annotantur Historias. Sed melius ad rem.

Quia se fundat in hoc, Quod purgatorium non sit in sacris literis expressum,Contra quod est Concilij Flo. Decretum,quod & Græci abnegato errore assumpserūt. Deinde plures loci sacræ Scripturę,vt illud: Transiuimus

Psal. 66. per aquam & ignem,& perduxisti nos in refrigerium.Illud Eccle.4.De car-

Matth. 5. cere & cathenis egreditur ad regnum.Illud Matth. 5. dixit Dominus: Esto consentiens &c.ne in carcerem mittaris,Amen dico tibi,non exies inde,donec reddas nouissimum quadrantem. Vbi per carcerem intelligit locum Purgatorij, ex quo homo non liberatur,nisi plene satisfecerit,sicut interpretatur B.Gregorius in loco respondente super Lucam.Ratio tamē Gregorij,quam reassumit B. Bernardus ser. 66. super Canticis est valida,ꝙ Christus innuat aliqua peccata remittit in futuro seculo.

Esto consentiens aduersario tuo &c.

1.Cor.3. Sed apertissimus textus est.1.Corinth.3.Si cuius opus arserit,detrimentum patietur, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.Et dies Domini declarabit,quia in igne reuelabitur.Et vniuscuiusq; opus quale sit,ignis probabit,& ibi de stipula,fœno &c.vbi B.Ambrosius dicit, Apostolum expresse locutum de purgatorio.Idem testatur glossa interlinearis,glossa quoque ordinaria. Subscripsit B.Hieronymus lib:2.contra Iouinianum,B. quoque Gregorius de purgatorio accipit, ꝙ & B. Bernardus super Canticis facit, Et ne quis obijciat mihi Augustinum in Ench.ca.67.qui & de igne præsentis seculi verba illa posse intelligi ait,Legat eundem cōpletius ibidem,& quęst.2.de 8.Dulcicij quæstio. & reperiet Augustinum illa verba Apostoli, sicut sunt manifestissima, accipere quoq; de purgatorio.

Assertio purgatorij, iuxta Eccl. sententiam.

2.Mac.12. Quare nedum in libris Macchabæorum,quod vtiq; Ecclesiæ sufficeret, sed & in alijs Scripturis purgatorium asseritur, Nisi Gregorius,Ambrosius, Augustinus,Hieronymus,Bernardus,sint de numero Theologistarum,nescio aliqui quomodo reuerendus Pater possit fateri,se scire esse Purgatorium, cum literæ sacræ Scripturę ita valide uelit inniti,& cum clarissima sint Scripturę testimonia pro neotericis Theologis.Ipse nec vnum locum in Scriptura assignare poterit, vbi merita uel gratiam in purgandis augeri asseratur,

Eccle. 11. cum contra Sapiens dicat, Eccle. 11. Et si ceciderit lignum ad Austrum aut Aquilonem,ad locum vbi ceciderit,ibi erit. Glossa ordinaria, id est,locum quem hic tibi præparaueris,tunc habebis,quia in domo Patris mei,ait Christus, mansiones multæ sunt, Certa mansio morienti deputatur, ultra quam suis meritis in Purgatorio ascendere nequit. Sic Damasce.lib: 2.cap. 4. testatur.

Damascenus.

Scire autem oportet,ꝙ hoc est in hominibus mors,quod in Angelis ca-

Syrach.9. sus,& declarat hoc quo ad terminū merendi.Sic Sapiens Eccle.9. Quidquid potest manus tua instanter operare, sicut ad illum sensum allegauit deuotus ille & dignus Ecclesiæ minister, Iohannes Capistranus. Ita hoc Aposto-

Galat.6. lus docuit ad Gala.6.Nolite errare,Deus non irridetur.Quę enim homo seminauerit,hæc & metet. Quoniam qui seminant in carne sua,de carne metent corruptionem,Bonum autem facientes non deficiamus,ergo dum tempus habentes operemur bonum ad omnes. Glossa, quod homo seminauerit,

Iohannes Capistranus.

uerit, scilicet præsentis uitæ labore. Non ergo in Purgatorio seminantur merita, sed in præsenti vita. Quod & Chrysostomus confirmat per illud Iohannis 9. me operari oportet opera eius, qui misit me, donec est dies, Venit enim nox, quando nemo operari potest. Dies, ait Chrysostomus, est præsens vita. Ideo Augustinus hortatur nos, deberi operari, dum uiuamus, ne per noctem præueniamur. Accedat testis etiam B. Ambrosius, uolens Apostolum loqui de tempore præsentis uitæ nobis concessæ, ut iuste conuersemur. Quare egregius Psaltes ait, Psal. 104. Exiuit homo ad opus suum, et ad operationem suam usque ad uesperam. Iohan. 9. Psal. 104.

Postremo, expressa est illa Augustini sententia, præter superius allegata, vbi tamen Purgatorij meminit, sententia est eius cap. 3. de fide ad Petrum, Tempus acquirendi uitam æternam, in ista tantum uita Deus hominibus dedit. Hieronymus quoque lib. 3. super illud ad Gala. 6. Vnusquisque onus suum portabit, Ostendit, quomodo homines meritis suis iuuentur in hac uita, sed vocati ante tribunal, quod fit in morte, tunc nec Iob, nec Noe, nec Daniel possint stare pro quoque, sed vnusquisque portabit onus suum, Nam, ut pulchre B. Bernardus docet, in cuiusque hominis morte particulare fiet de eo iudicium, quod fieri non posset, si adhuc terminum haberet merita sua in Purgatorio cumulandi, & gratiam augendi, quia, ut per Prophetam Zachariam inquit, adæquabit gratiam gratiæ, gratiam gloriæ reddet in proportione ad gratiam fidei. Quod si etiam testimonia illa non essent ita clara, quæ tamen sunt apertissima, hoc unum deberet reuerendum Patrem in proposito absterrere, quod Theologus absque theologico Fundamento pro suo arbitrio non existens iudex, nec iudicis assessor, animabus exeuntibus terminum merendi vult prolongare. Quare, quo ad istam particulam concludendum uidetur, Animus in purgatorio satis pati & purgari à delictis, sed maiorem gratiam non mereri. Gala. 6.

De secundo principali, quo negat, Animas in purgatorio esse certas de salute, Hoc iterum arbitror nulla sacræ Scripturæ autoritate fundatum. In præsentia tamen, quod sint certæ de salute, adduco illud Apoca. 5. Vidi in dextra sedentis supra thronum &c. Et nemo inuentus est dignus aperire librum, nec in cœlo nec in terra, nec subtus terram. In inferno indubitate nulla est dignitas librum aperiendi, quare de Purgatorio loquitur. In quo etiam sunt aliquando S. uiri, miraculis coruscantes, sicut de S. Paschasio testatur B. Gregorius 4. dialogo, & historia de S. Seuerino Coloniensi Episcopo, natione tamen Sueuo. Illud idem asserit & infra: Et omnes cantabant, in cœlo, in terra, & subtus terram. Sed de Salute quasi desperantes, non cantant, Quare eo ipso, quod sacra anima tantum ibi esse asserit animas, certas de salute affirmat. Apo. 5. S. Paschasius. S. Seuerinus.

Præterea in Canone missæ, vbi pro defunctis in Purgatorio oratur, ita dicimus: Memento Domine famulorum tuorum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis &c. Ipsis & omnibus in Christo quiescentibus. Si ergo iuxta sacratissimum missæ Canonem animæ quiescunt in Christo, quomodo possunt esse in tali turbatione & horrore, quasi desperationis, sicut declarat reuerendus Pater in suo Resolutorio Conclu. 14. usque ad 20. Non enim video, quomodo in tali horrore, tremore, turbatione, & quasi desperatione, quæ omnia maximam dicunt inquietudinem, animæ purgandæ possint dici dormire in somno pacis, quod prædicta omnia paci aduersentur. Sed tunc à ueris Christianis recte censebuntur in pace quiescere, dum securæ expectant terminum suæ purgationis. Hæc sunt partim, quæ me mouerunt, & hodie mouent, ad dissentiendum reuerendo Patri, paratus tamen stare iudicio & informationi aliorum. Canon missæ.

LVTHERVS.

LVTHERVS.

TRia per ordinem egregius D. D. copiosissime contra me prosecutus est, Primum canonem Scripturæ comprehendere libros Machabæorum. Deinde purgatorium probari etiam alijs locis Scripturæ. Tertio conatus ostendere, Animas esse certas de salute sua.

Respondeo: De primis duobus nulla est inter me & dominationem suam cōtrouersia, Ideo nō erat necesse tot autoritates colligere ad eam rem, quam forte constantius affirmo, quam ipse, vt qui me scire professus sim, esse purgatorium. Sed hic vertitur scopus, an possit probari, animas in purgatorio mereri, & gratiam in eis augeri, Tamen transeamus per ordinem.

PRimo dixit autoritatibus heri adductis statui meritum solum in hac uita, ergo excludi in futura uita, Quod ipse intelligit purgatorium, Et sic aptat autoritates ad purgatorium. Ego autem concedo de futura vita, vel inferni vel cœli. Adduxit etiam Augustin. in Ench: loquentem de purga. & Hiero. increpantem eos, qui exutas animas mereri asserant. Vtrumq; concedo. Me etiam reprehendit, quod dixerim, me disputare hanc Propositionem, quasi non habens fiduciam de ea, qui magnifico titulo scripserim, Contra nouos & veteres errores me disputaturum, Sententiam recentiorum, nec stulto verisimilem affirmarim ac contemptim eos Theologistas nominarim. *Augustinus.* *Hieronymus.*

Dico, sicut heri dixi, me adhuc nihil scire de negocio Animarum & Purgatorij, & hoc appellem errorem, q; quidam audent asserere quod ignorant, & opiniones Patrum, vt B. Thomæ, Bonauenturæ & similium, quas ipsi non asseruerunt, ipsi tanquam certos articulos fidei pronunciant. Hos ego appello Theologistas, & non Theologos. Opiniones tractari debent in Scholis, in populum prædicari uerba & opera Dei. Psal: 19. Cœli enarrant gloriam Dei &c. Non ergo ego damno opiniones optimorum Patrum, Sed resisto fabulis istis, qui ex opinionibus hominum nobis conflant articulos fidei, quod non est boni Theologi officium. *Theologistæ.* *Psal. 19.*

Quod Canonem ego æquiuocauerim contra Augustinum lib: 18. cap: 26. coegit me diuus Hieronymus. Item Eusebius in histo: ecclesiastica recensens & antiquorum autoritates. Ideo stat æquiuocatio, cum aliter Augustinus aliter Hieronymus de antiquioribus, de Canone sentiunt, & per consequens nullum robur argumenti in contentione relictum est. An prologus Hieronymi inter diuina volumina libros Machabæorum enumeret, non memini. Transeo illud, quod quatuor Euangelia, autoritate Ecclesiæ recepta sunt. Hæc enim erit alia materia.

Post hoc dicit, contra Concilium Florentinum esse, q; purgatorium non sit in Scriptura expressum. Respondeo: Concilium nō potest facere de Scriptura esse, quod non est de Scriptura natura sua, sicut nec Ecclesia potuit facere Euangelia, etiamsi approbauit Euangelia. *Concilium Florentinum.*

Psal. 65. Quare videamus Autoritates, Primo illo Psal. 65. Transiuimus per ignem & aquam. Respondeo: Non ualet ad purgatorium, loquitur de persecutionibus Sanctorum, sicut in multis alijs locis, Psal. 17. Igne me examinasti. Item 26. Vre renes meos & cor meum. Et 1. Pet. 1. Modicum, si nunc oportet contristari in varijs tentationibus, ut probatio fidei uestræ multo sit preciosior auro, quod per ignem probatur. Et breuiter, tropus est iste vulgatissimus Scripturæ, per ignem & aquam intelligit tribulationes. Ideo nimis hæret in literis & Syllabis, quod mihi imponit D. D. qui ignem pro purgatorio accipit. *Transitus per ignem & aquam.* *Psal. 17.* *Psal. 26.* *1. Pet. 1.*

Eccle. 5. Item & illud Ecclesi. Quod aliquis de carcere & cathenis egreditur ad Regnum. Satis est clarus textus, de vanitate huius mundi disputantis, quod

casu uertente, is, qui nunc seruus est, fit rex, & qui rex est, fit seruus. His & similibus Autoritatibus, si contra negantes pugnaremus, nihil nisi ludibrium de nobis & Ecclesiæ aduersarijs faceremus. Quanquã ego libentissime omnia hæc admitto, & si qua sunt similia.

Esto consentiens aduersario tuo. Tale & illud est Matth. 5. Esto consentiens aduersario tuo, ne tradat te tortori &c. Vbi per carcerem dicit intelligi per Ambrosium locum purgatorij, libenter admitto, Sed quia alij Patres in diuersum exposuerunt, præsertim Augustinus de inferno & nunquam egressuro exponit, fit Autoritas dubia, fidelibus suadens, resistens non conuincens. Vt id taceam, ꝙ textus consequentia ne patiatur quidem de purgatorio intelligi, dicit enim de consentiente aduersario & dissentiente, uolens dissentientem damnabiliter, & contra Christi præceptum peccare, quæ pertinent ad infernum non ad purgatorium. *Matth. 5.*

Rationem Gregorij consentiente Bernardo, dicit esse ualidam, ꝙ Deus remittit aliqua peccata in futuro. Respondeo: Verum est apud fideles, sed inualida apud resistentes.

Post hæc dicit, Esse apertissimum textum 1. Corinth. 3. Si cuius opus arserit, detrimentũ patietur, Ipse autem saluus erit, Sic tamen, quasi per ignem, & Ambrosium & Hieronymum, glossa ordina: & interliniarem, Gregorium, Bernardum, intellexisse hoc loco Apostolum de purgatorio, licet Augustinus alicubi de præsentis seculi igne, eadem uerba posse intelligi dicat. Respondeo: Adeo non est apertissimus hic textus, ut ego hodie fatear, cum multa excusserim, me adhuc nescire germanum sensum Pauli, ita uariantib. Interpretibus, quanquam per me libens admittam de purgatorio. Verum cum Apostolus apertissime dicat, Opus uniuscuiusq; per ignem probari, in quo igne dicit reuelandam diem Domini, quæ declaret uniuscuiusq; opus, ut sunt aperta uerba, meo tenui iudicio uidetur loqui de igne conflagrationis & extremi iudicij, aut, ut Augustinus, tropologice de igne persecutionis temporalis, qua maxime probatur fides & fidei doctrina. Et quæcunq; super hæc ædificantur. *1. Cor. 3.* *1. Cor. 3.*

Quare adhuc nihil habetur ex sacris literis manifestum de Purgatorio, quod in contentione ualeat. Non ergo beatissimos Patres de numero Theologistarum habeo, quia Purgatorium cum eis confiteor, nec ipsi opiniones & ignorantias suas de statu Animarum pro articulis sanxerunt, sicut faciunt Theologistæ.

Miratur D. D. quomodo possim scire, esse purgatorium, & ego nec vnum locum habeam pro me in Scripturis, cum hæc, ut dicit, clarissima Scripturæ testimonia pro neotericis Theologis facere putet. Respondeo: Non est necesse confiteri, qua uia nouerim purgatorium, uel quæcunq;. Deinde, hæc testimonia clarissima pro purgatorio sunt adducta, non pro statu animarum in purgatorio.

In quocunq; loco ceciderit lignum &c. Iam illa Autoritas Eccle. 11. In quocunq; loco ceciderit lignum, siue ad Austrum siue ad Aquilonem, ibi erit. Vbi glossa ordinaria intelligit locum, quem hic tibi præparaueris, habebis. Nescio, quo ingenio ad propositum ducatur, Si enim per locum præparatum intelligit purgatorium, manendum erit in æternum in purgatorio, Si autem intelligit, ꝙ si hic præparaueris, id est, merueris, tunc non facit ad autoritatem Eccle. 11. qui nihil de merito loquitur, sed de morte hominis. *Eccle. 11.*

In domo Patris mei &c. Iohan. 14 Transeo illud, ꝙ Christus dicit, In domo Patris sui esse multas mansiones, & ꝙ certa mansio morienti deputatur, ultra quam ascendere nequit. Totum pro me est. Scio, ꝙ unicuiq; mansio deputatur post mortem, sed non statim peruenit ad mansionem post mortem, nisi mansionem iterum pro purgatorio accipiat, & sic morientes ab æterno Regno excludit.

Item &

Item & illud Damasce. Hoc hominibus mors, quod angelis casus. Respondeo: Si ergo post mortem ceciderit in purgatorium, sequitur, quod in æternum purgabitur, aut oportet Damascenum, sicut & omnia præcedentia, intelligi de duabus vltimis mansionibus, damnationis & beatitudinis, & non de purgatorio. *Hoc in Hominibus mors, quod in Angelis casus.*

Eccle 9. Ita & illa Eccle. 9. Quodcunque poterit manus tua instanter operare, quia nec ratio nec sensus apud inferos est, quo tu properas. Si de purgatorio intelligit, iterum purgatorium erit infernus. Ergo solum de inferno, citra memoriam purgatorij, loquitur.

Iohannem Capistranum libenter admitto, sed extra contentionem. *Iohannes Capistranus.*

Galat. 6. Iam, quod Apostolum Gala. 6. dicit contra nostram sententiam loqui, Quæ
Iohan. 9. homo seminauerit in carne, hæc metet, & illud Iohan. 9. Venit nox, quando nemo poterit operari, quod Ambrosius de præsentis temporis uita exponit, quomodo meremur, clarum est, quod nihil faciat ad rem. Apostolus enim non de purgatorio, sed de extremo iudicio loquitur. Et Christus per noctem, salua tamen reuerentia Chryso. intelligit infidelitatem, vt clarum est ex proximo textu, quamdiu ego in mundo sum, tam diu lux sum mundi, uolens, quod extra fidem Christi nemo possit bene operari, Tamen Chrysostomũ admitto, quia respicit ad extremum iudicium. *Nox.*

Psal. 104. Autoritas Psal. 104. Exiuit homo ad opus suum usque ad vesperam, permittitur trahi figuratiuo sensu ad uitam & mortem hominis, sed genuino sensu, & qui pugnet in contentione, loquitur de admirabili dispositione Dei, quod hominem ita disposuerit, quod homo exeat usque ad vesperam diei naturalis, ad operationes suas. Et Augustinus recte sentit capite 3. de fide ad Petrum, tempus acquirendi uitam æternam esse datum hominibus, tamen in ista uita, quia ut dixi, semper ad futuram uitam respiciunt, non ad purgatorium. *Augustinus.*

Galat. 6. Et Hieronymus super Galat. 6. Vnusquisque portabit onus suum &c. & bene ostendit, quod homines meritis suis iuuentur in hac vita, sed uocati ante tribunal, quod fit in morte, tũc nec Iob, nec Daniel possunt stare, pro quoquam. Respondeo, quod autoritas est robustissima contra egregium D. D. quia si verum est, hominem in morte uocari ante tribunal, & tunc nec Iob, nec Daniel possunt stare, frustra orat Ecclesia pro mortuis. Et sic negatur purgatorium. Quare de tribunali nouissimo loquitur Hieronymus, post finitum purgatorium. *Hieronymus.*

Bernardum etiam induxit, quod in hominis morte agatur particulare iudicium, quod non fieret, si haberet terminum adhuc merendi. Respondeo: Quidquid sit de particulari iudicio, consequentia non ualet. *Bernardus.*

Transeo autoritatem Zachariæ, Adæquabit gratiam gratiæ, quia tropologico & bono sensu exponitur, sed non proprio.

In fine huius Articuli dicit, Etiamsi non essent tam clara hæc testimonia, hoc tamen deberet me absterrere Theologum, quod sic absque fundamento pro meo arbitrio, cum nec Iudex, nec assessor fuerim, & tamen animabus exeuntibus terminum prorogarim merendi. Idem retorqueo in ipsum D. D. cum nec ipse Iudex nec assessor fuerit, & tamen animabus certum statum iuxta opiniones suas definiat absque fundamento, præsertim cum id nolit esse opinionem duntaxat (quod libentissime tolerarem) sed certam scientiam.

DISPVT: LIPSIAE HABITA ANNO XIX.

HORA II. CONTINVATA

Disputatio, per eundem D. Martinum Lutherum, qui dixit declaraturum, se recte & candide de Scripturis sentire.

ET quia mea sententia non satis intellecta videtur egregio D. D. quantum possum, apertius me expono, quod Scripturæ & S. Patres antiqui in suis sententijs respiciunt futuram uitam, qua uel saluantur uel damnantur Animę, nihil de purgatorio interim cogitantes. Ideo multæ illæ Autoritates, quæ abnegant statum merendi post hanc vitam, non pertinent ad purgatorium. Quod si adhuc non intelligitur, fingatur Purgatorium nullum esse, sicut non fuit eius cogitatio in mentibus eorum. Tunc adhuc stabunt & ueræ erunt omnes Autoritates inductæ, quod ante mortem est vita merendi. Deinde non sic de meritis loquor animarum in purgatorio, quod aliquid operentur, sed quod recipiant gratiam ampliorem. Cum apud omnes constet culpam non remitti, etiam uenialem sine augmento gratiæ, & in purgatorio culpas remitti scribat diuus Gregorius in dialogorum 4. Et recitatur dist. 25. ca. qualis. Sic tamen hoc assero, ut pro opinione habeam, imo ut fatear, pro ignorantia. Soli Deo credo cognitum esse statum animarum in purgatorio.

Ad tertium principale de scientia salutis earum, ubi induxit primo Apoca. 5. caput. quod nemo inuentus est nec in cœlo, nec in terra, nec subtus terram, qui dignus esset aperire Librum, uolens per subtus terram intelligere Purgatorium, ut in quo & aliquando sancti uiri fuerunt, sicut Paschasius & Seuerinus. *Apoc. 5.* *Paschasius Seuerinus.*

Dico, quod hæc glossa autoritatem non habet, ideo eadem facilitate contemnitur, qua probatur. Fateor quidem, Sanctos in purgatorio fuisse, imo nullum in purgatorio esse, nisi Sanctum. Posset ergo contentiosus dicere, subtus terram esse idem, quod infernus, uel quodlibet aliud, vt quod nec dæmones, nec homines, nec Angeli possint aperire Librum, Sicut dicitur, trina rerum machina colere Deum. Et apud Apostolum tam cœlestia, quam terrestria, quam inferna genu flectere. Siquidem & dæmones contremiscunt, imo, ut in eodem Libro modus est, Subtus terrā, significat etiam mortuos, ut dicit in alio capitulo: Terra dedit mortuos suos, & infernus dedit mortuos suos. *Subtus terram.* *Philip. 2.* *Iacob. 2.*

Quod autem sequenter inducit omnes, Cantabant in cœlo, & in terra, & subtus terram, desperantes autem non cantare posse. Respondeo: Non dixi Animas desperare unquam, sed quando vna Ecclesiæ sententia eadem est pœna inferorum & purgatorij, dixi eas similes esse desperatis, quomodo leguntur & in hac uita quidam tentati fuisse desperatione, ut in Psalterio in multis locis: Ne auertas faciem tuam à me, & assimulabor descendentibus in lacum. Deinde cantare Domino, non semper est lætari & gaudere, imo canticū nouum est canticum crucis, hoc est, laudare & portare Deum in medijs tribulationibus atque adeo in morte. *Cantare Domino.*

Quod tertio adduxit, Canonem Missæ, ubi pro defunctis orantes dicimus: Dormiunt in somno pacis, & quiescunt in Christo. Non uidet, ut dicit, quomodo possint dici dormire in somno pacis, si sint in tali turbatione, tremore & inquietudine maxima. Ideo interpretans hanc quietem pacis, dicit, quod expectant secure terminum suæ purgationis. Respondeo: Non satisfacit mihi hæc glossa, & idem per idem probatur. Nam esse eos inquietos, probat id quod sequitur in Canone. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus, *Canon Missæ.*

tibus, locum refrigerij lucis & pacis indulge, Et illud quod omnes oramus: Requiem ęternam dona eis Domine. Item: Dona eis pacem, Quod non potest intelligi, dona eis, expectare secure terminum suæ purgationis, quod D.D. interpretatus est esse pacem. Rectius ergo meo iudicio requiescunt in pace, quo ad corpus. Dormire enim in sacris literis in pace, significat quiescere in sepulchro. Et sic patet, ꝙ egregius D.D. non probauit scientiam salutis eorum, imo quodammodo tollit pœnas purgatorij, dum eis tribuit pacem.

ECCIVS.

QVia nobis constitutum est arctum tempus hanc materiam hodie finiendi, ut pro qualitate materiæ Solutiones nihili refutare non possim, & alia puncta purgatorij attingere, paucula quædam afferam, ut facile agnoscatur vitasse reuerendum Patrem, materiæ nostræ medullam, & diuerticula quæsiuisse. Vnde primo cum Augustino dixissem, Omne meritum hic comparatur, & ꝙ nemo speret, quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Similiter & Hieronymus dicit, se utrunque concedere. Sed quæ tunc est ista obstinatia, si Augustinum concedit, Omne meritum hic comparari, vt dicat gratiam in animabus, etiam in purgatorio augeri.

Neque valet in præsentia collyrium suum ad omnes Autoritates, quas dicit non loqui de purgatorio, Nam B. Augustinus illud idem dixit cum de animabus in purgatorio tractaret, & in Ench. & in libro de cura pro mortuis agenda c.1. Nam post mortem non possumus agere quod prodest, sed recipere quod egimus. In hanc enim inciderat Augustinus difficultatem, quomodo suffragia mortuis prodesse possunt, quia nihil mererentur? Recurrit ad hoc, ut in uita meruerint, quod eis post mortem prodesset, Quare frustra nitebatur me instruere de sensu suo, quem satis bene accepi. Nec persuasiuncula sua quidquam momenti habet apud Christianum, quia uenialia non remittantur sine augmento gratiæ. Probet hoc reuerendus Pater, nulla autoritate hoc est fulcitum, imo est falsum, cum peccatum ueniale Dei offensam non faciat ex Dei misericordia, Non opus est noua gratia in eius deletione, sed sufficit, ꝙ aliquis pro eo satis patiatur. *Augustinus.*

Quod vero secundo loco excusat se de errore, quia non uideo unam literam adductam per D. Patrem, pro sua noua doctrina. Ideo merito debet reputari suspecta, cum recentiorum Theologorum sententia tot sacræ Scripturæ & sanctorum Patrum nitatur autoritatibus. Nec hoc excusat, ꝙ aliquibus imponit facere opiniones Thomæ vel Scoti, sicut articulos fidei, de quo mihi non constat. Ego non Thomam vel Scotum, sed clarissima Ecclesie Lumina cum sacra Scriptura adduxi, uiderit ipse, quos Theologistas incuset.

Tertio ad Augustinum dicit de libris Machabæorum, fortiorem opponendo B. Hieronymum, At Hieronymus nullibi negat libros Machabæorum apud Ecclesiam esse de Canone Biblię, quin in prologo hoc constanter asserit fuisse annotatum inter diuinorum uoluminum historias. Quare opusculis S. Patrum in can: Rom. 15. dist. non debuit æquiparari.

Cum uero ei opposuissem de Concilio Floren. respondet, Concilium non posse facere aliquid esse de Scriptura quod non sit. Hoc quidem uerum, sed quid hoc est, Concilium tam laudabile tanta temeritate contaminare, ut hoc absurdum decernat. Cum uero doctissimi fuerint in eo Concilio uiri, malo credere Concilio, quod à Spiritu sancto regitur, ꝙ̃ Domino Luthero, non ꝙ Concilium faciat aliquid de Scriptura, quod non sit, sed ꝙ credam Concilium melius habere sensum & intelligentiam Scripturarum decernendo hoc esse de Scriptura, quod in Scriptura reperitur. *Concilium Florentinum.*

Euanida est sua excusatio, posse reperiri semper expositionem, ita, quod textus allegatus non ualeat in cõtentione contra pertinaces, nam illud esset omnium hæreticorum latibulum, qui semper aliquem expositionis fucum possent afferre, quibus contenderent catholicas ueritates in Scriptura sacrã non esse expressas. Ita hodie adhuc perfidi Arij duraret hęresis, ꝙ homousion ex sacris literis tam expresse probari non posset, quin in contentione pertinax qualicunqꝫ fuco non euaderet.

Arius.

Euangelium Nicodemi &c.

Similiter bene nouimus, Ecclesiam non posse facere Euangelia, tamen Ecclesia facit, ut relictis Nicodemi, Bartholomæi, Thomæ & aliorum Euangelijs, quatuor duntaxat indubitatam fidem adhibeamus, In quo Ecclesię iudicio standum est in Euangeliorum acceptatione. Ita & in sacrarum Scripturarum intelligentia & expositione.

Porro assumens Autoritates per me inductas ab initio, uoluit præter necessitatem hoc factum, quia & ipse crederet purgatorium esse, Non meminit, ꝙ ex tot Autoritatibus terminum merendi in præsenti uita statuentibus, uoluit se euoluere, quia purgatorium ex sacris literis non probaretur, Quod dictum, ne Picardi & alij Schismatici pro se arriperent, qui non sciunt purgatorium esse, sicut D. Pater, merito fuerat à me confutandum, Dimissis aliquibus, duos saltem conspiciamus locos.

Matth. 5. Noluit per carcerem intelligi purgatorium, quia & Augustinus, quod minime me latebat, per carcerem infernum intelligit. Addo ultra D. Patrem, Chrysostomum intelligere præsentem uitam, sed rectiorem esse Ambrosij sententiam, uel saltem non contemnendam, qui per Carcerem purgatorium intelligit, verba Christi hoc indicant, debere illum soluere usqꝫ ad nouissimum quadrantem, sed in inferno nulla est solutio, sicut nulla est redemptio. Neqꝫ fucus additus ad Ambrosij expositionem refellere potest, ꝙ in carcerem trudendus peccauerit mortaliter. Quoniam & propter peccata uenialia & propter peccata mortalia tamen contrita, in purgatorio puniuntur, quod ex Machabæis accipimus, dum inquit: Sancta & salubris est ergo cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis soluantur. Hi enim qui occisi fuerant, & pro quibus Iudas Machabæus oblationes fecit, peccauerant mortaliter propter spolia idolorum, quamuis credantur pœnituisse in ipsa cæde. iuxta glossam ordi: ibidem. Et illud Psal. Cum occideret eos, quærebant eum.

Matth. 5.

2. Mac. 12

Iudas Machabeus.

Psal. 78.

Quarto, dum apertissimum Pauli Apostoli locum 1. Corinth. 3. adduxissem, quem Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, Bernardus, Isidorus, cum glossa ordi: intelligunt de igne purgatorij, fatetur reuerend. Pater se germanum sensum huius loci non habere, Ideo contemptis tot Patribus, nouam attulit sententiam, Apostolum loqui de igne conflgarationis, quia Apostolus meminerit diei Domini, & ꝙ uniuscuiusqꝫ opus ignis probabit, Ego, qui semper audiui antiquiorib. maxime sanctis credi debere, S. Patrum exosculor sententiam, & nouam illam glossam, & uerba D. Lutheri non accipio, nisi probetur sacræ Scripturæ autoritate. Nec iuuant ea, quæ ponderat in præsentia, quæ & S. Patres bene legerunt. Quamuis enim peculiariter dies iudicij extremi dies Domini dicatur, ut Bernar. quoqꝫ meminit, tamen in cuiusqꝫ hominis morte, cum iudicium fit, dies Domini dici potest, neqꝫ tam exactam & captiosam accipiat distributionem, ut Sophistæ facere solent, in uocula vniuscuiusqꝫ. Sed de his accipiat, qui stipulam, lignũ & fœnum superædificarunt, sicut & August. complicat distributionem Iohan. 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Vnde inuicta est apostolica sententia, eos, qui super fundamentum ædificant lignum, fœnum, stipulam, salues fieri, sed per ignem purgationis, vt sic nullum malum maneat impunitum.

1. Cor. 3.

Dies Domini.

1. Corin. 3.

Iohan 1.

Ad illud

Luk.11. Ad illud Eccle.de casu ligni respondet. Si loquatur de purgatorio, sic probari perpetuo animam manere in purgatorio. Dico optime sensisse glossam, per lignum intelligi hominem, hinc & Ezech. 31. rationalem creaturam Ezech.31. significat, Omne lignum Paradisi &c. Et per casum mortem. Nec tamen sequi ideo perpetuo remanere in purgatorio, sed, ut egregie exponit B. Hiero. per Austrum bonum, per aquilonem malum, & damnationem significare, Quare sapiens non loca illa intellexit, sed statum, ꝙ in casu uel est bonus, & ita perseuerabit sine augmento gratiæ ob peccatorum deletionem, si est malus, perdurabit malignus.

De mansione apud Iohannem dixit, statim post mortem certam animæ deputatam mansionem. Quomodo ergo erit certa, si fiat accessio maioris gratiæ. Nam tunc necessario accedet altior mansio, consectarium quoq; esset, eum qui ad purgatoriū descenderet, cum pluribus uenialibus melius habere, ꝙ descendentem cum paucis, uel morientem cum nullis, quia maior fieret ei gratiæ accessio ad plurium uenialium deletionem. Addo, ꝙ noxium & damnabile esset orare pro mortuis, & plus prodesset eis, si in pœnis purgatorij perdurarent propter maioris gratiæ accessionem, sicuti alicubi scripsit reuerendus Pater, Animam alienis suffragijs liberatam minus beari, ꝙ si per se in purgatorio satis pateretur, Quod est non solum contra sacram Scripturam: Sancta ergo & salubris cogitatio &c. sed & contra obseruantiam & pietatem totius Ecclesię, quam mortuis impartiri debemus, ut B. Augustinus pulcherrime, libro de cura pro mortuis agenda, & lib: Ench. explanat.

Ad Damascenum porro respondit, eum non loqui de purgatorio, quoniam sic perpetuo durarent in pugatorio. Et ego sentio nec Damascenum, nec alias autoritates sonare de purgatorio, quoniam alioqui mihi obessent, & D. Patri prodessent. At cum de præsenti loquantur uita, in qua terminum ponant merendi & demerendi, non potest porrigi tempus merendi ultra terminum constitutum scilicet mortem, Quare nō aliam accipio expositionem quam auctor ipse uelit, qui de termino merendi in loco allegato loquitur. Damascenus.

Ita & de alijs dicere possum, neq; simili obiurgatione increpari possum, sicut reuerendus Pater, ꝙ autoritate S. Patrum & sacræ Scripturæ cursum & merendi terminum cum morte finiam. Ipse autem, nulla fulcitus sacræ Scripture autoritate, eis terminum porrigit & prorogat, contra Augustinum & contra Hieronymum, quamuis suæ sit modestię ut hanc dicat sententiā suam esse opinionem, sed tunc non debuit oppositum uocare errorem.

De autoritate Hiero. conatus est eam in me retorquere, nec Noe, nec Iob, nec Daniel stare pro quoquam post mortem, quia ibi de extremo loquatur iudicio, quod tamen ex litera non conuincit, Non solum enim in extremo iuditio, sed statim etiam post mortem, unusquisq; onus suum portabit.

Postremo ad aliam accedens particulam. Respondit ad illud Apo. ꝙ per sub terram intelligatur infernus. At tunc sequens de cantico stare nequit, quia dæmones & damnati non cantant, sed blasphemant & eiulant. Quare per sub terram necessario purgatorium & non inferos intelligere potest. Quamuis non negem in sacra Scriptura etiam dæmonum fieri mentionem in inferis, in Apostolo cœlestia, terrestria. Sed hoc nihil ad Rhombum. Cantare.

Apportauit autem glossam super illo uerbo, cantat, quod sit crucem portare & in tribulationibus Deum laudare, quam glossam, ut à D. Patre hoc loco fictam, ea facilitate contemno. Imo Iohannes non patitur sic se exponi, quia inquit: Cantabunt in Cœlo, in terra, modo in cælo non portant crucem, nec in tribulationibus laudant Deum, quoniam abstergit Deus sic omnem lachrymam ab oculis eorum, iam non est ullus labor & dolor &c.

Quod si etiam daretur expositio sua, & esset uera, sicut tamen literæ repugnat, adhuc hoc propositū non rumperet, nam laudantes Deum in tribu-

lationibus post mortem certissimum haberent futuræ beatitudinis signum, cum damnati contra consummato odio Dei in perpetuam prorumperent Creatoris blasphemiam. Quare animæ purgandæ de salute securæ cantant & Deum laudant, terminum purgationis expectantes.

Canon Missæ. Cum uero induxissem Canonem Missæ, quo eos dormire in somno pacis asseritur, non patitur illationem meam, si in somno pacis, ergo sunt securæ de salute, & non in horrore, tremore, pauore, & quasi desperatione. Rationem duplicem adduxi. Primo, quia sequatur, Vt eis locum refrigerij lucis & pacis indulgeas. Secundo, quia frequenter oramus: Requiem æternam dona eis Do. Et: Dona eis pacem.

Ideo aliam glossam dedit, Quod dormiant somnum pacis, scilicet quo ad corpus, non contentor, nec obiectione, nec noua sua glossa, quæ nullam habet apparentiam, nullum quoque fundamentum. Nam dicit Canon: Memento eorum, qui dormiunt. Et infra: Et omnibus in Christo quiescentibus. Non dicit: In sepulchro quiescentibus. Porro quid refert ad animam corpus habere pacem, uel minus, siue à mari iactetur, siue à feris laceretur, quemadmodum D. Augustinus testatur. Et quis hominum patitur corpus exanime & exangue dormire in pace? Vnde distinctiones in neotericis Theologis non libenter admittit, & tamen egregie hic de pace distinguit corporis & animæ.

Quare uereor amplectenda est sententia, animas purgandas, & dormire in pace, & quiescere in Christo. Vnde quies illa & pax turbationem animæ horrorem & quasi desperationem excludit, cum inquietissimæ sunt animæ, quæ hac turbatione mentis agitantur, ut quasi desperent.

Ad inducta uero non impendio respondemus: Orare nos & obsecrare Deum, ut det eis pacem, non pacem, quam modo habent, securitatis scilicet de salute, sed pacem æternam, quoniam pax est, ut Bernardus testatur, & à culpa & à miseria. Det ergo Deus animabus in purgatorio pacem a pœnis, sicut contulit eis gratiam contra peccata.

Quare ad huc uera & inconcussa est ueritas, Animas in purgatorio non quasi desperare de salute.

LVTHERVS.

Augustinus. Contra Solutiones replicat egregius D.D. ex Augustino dicente: Omne meritum hic comparatur, atque agente de purgatorio, ꝙ post mortem solum recipiamus, quod egimus. Respondeo breuissime: Ergo non est purgatorium, aut purgatorium erit, quod recipitur pro uita præterita. Quare patet, Augustinum non posse de purgatorio intelligi. Non enim hoc egerunt in uita præterita, ut purgatorium reciperent. Quanquam & hæc autoritas mihi patrocinetur, ꝙ meritum, quo merentur iuuari, hic meruerunt. Ego autem fateor intelligere me non posse, quomodo iuuentur animæ in purgatorio, & liberentur absq; ullo munere gratiæ, per solam ablationem pœnarum, intelligat qui potest.

Deinde dicit, hoc falsum esse, uenialia non remitti sine augmento gratiæ.

Quando ergo uult D. D. ꝙ uenialia possunt remitti absq; augmento gratiæ, non concedo, donec probet. Imo est contra expressum textum, ad Roma. 7. Gal. 5. Vbi Apostolus dicit: Venundatus sum sub peccato, quis liberabit me de morte corporis huius? Respondet: Gratia Dei per Ihesum Christum, certum est autem Apostolum non fuisse in peccatis mortalibus. Cetera relinquo futuræ disputationi inter egregium D. Doctorem N. & Iohannem Eccium. Et hoc erroneum est, quod ueniale peccatum Deum non offendat

cum

cum displiceat Deo omne immundum, & reprobet eum, qui minima solue-
Matth.5. rit. Matth.5. Nec probauit D.D. sufficere, ꝙ satis patiantur.

Secundo criminatur, ꝙ nec vnam literam pro mea sententia induxerim, cum ipse pro recentiorum sententia tot Scripturæ & Patrum induxerit autoritates. Respondeo: Eo magis mihi suspecta eius sententia, quo plures induxit, quia per capillos & obtorto collo adduxit, sicut in præcedentibus satis dixi. Minus peccat, qui dubitat in cogitationibus suis, ꝙ qui dubia sua uerbis diuinis nititur statuere.

Dicit etiam, non constare sibi, qui pro articulis fidei opiniones Thomæ uel aliorum statuerint, quia Ecclesiæ lumina cum Scriptura adduxerit. Monet ergo, ut videam, quos appellem Theologistas. Dixi hodie, & iterum dico, Permitto opiniones esse opiniones, neminiꝗ hoc uicio uerto, Sed trahere repugnantem Scripturam in alienum sensum, pro cōfirmandis opinionibus, & in hoc pertinaciter stare, hoc dico Theologistarum esse officium.

Ad aliud, de Canone librorum, ubi nixus Hieronymi & Concilij Floren. autoritate, mauult credere Concilio, quod à Spiritu sancto regitur, quam mihi, Et gratias ago. Pie enim sapit, nunquam uolui mihi credi. Sed respōdeo breuiter: Conciliet ipse primum Hieronymum sibi, qui in prologo galeato, Machabæorum libros & nonnullos alios manifeste inter Apocrypha recenset, qua autoritate fit, ut mihi liber Machabæorum sit gratus & probatus, sed contentiosis pateat ad repulsam. Satis hodie de Concilio dixi, imo, ut ipsemet D.D. dicit, Concilium non errat, si autem errat, non est Concilium, Et ut meo sensu loquar, credo Concilium & Ecclesiam nunquam errare, in his quæ sunt fidei, in cæteris non est necesse non errare. *Canon librorum.*

Quod uero exclamat, Latibulum hoc esse hæreticorum, qui hac fiducia quaslibet expositiones autoritatum refutarent uel reciperent. Respondeo: Quare hoc non sunt conquesti S. Augustinus, Hieronymus, aliiꝗ uictoriosissimi hæreticorum triumphatores, sed donatis ambiguis locis studuerunt certis & apertis locis pugnare. Hoc faciamus & de animabus in purgatorio.

AD rem, Ad autoritatum solutionem dixit, à me contemptos esse Augustinum, Ambrosium, Bernardum, Hieronymum, Gregorium, Isidorum cum glossa ordi: Hoc pro modestia, imo molestia ecciana dixit, nimis cupidus mouendæ inuidiæ. Dixi hodie, non esse contemptos à me, & iterum dico. *Ecciana modestia.*

Quod autem meam glossam non accipit, non curo. Probet autem ipse & suam. Cum textus sit clarus de die Domini, & igne in quo reuelabitur dies Domini. Quod etsi potest trahi ad purgatorium, vt dixi, & sic sententiam D.D non reprobaui, Purgatorium, scilicet esse, non tamen potest hac intelligentia opilari os contentiosum.

Matth.5. Item & illud Matthæ.5. de carcere, non contempsi pro Ambro. sententia, Quod addit D.D. uerba Christi indicare, debere solui usꝗ ad nouissimum quadrantem, ideo de inferno intelligi non debere. Respondeo: Hoc satis eluitur per diuum Hieronymum, qui aduersus Heluidium hanc dictionem, donec, recte exponit, ut non cogatur significare quod Ambrosius cum *Hieronymus aduersus Heluidium.*
Matth.1. D.D. hic ponit. Nam & sic Matth.1. scribitur de Ioseph: Nec cognouit eam donec peperit Filium suum, & tamen non sequitur, quod post partum cognouerit eam, Ita hic non sequitur, quod sit exiturus post solutionem, Sed soluet & non exibit.

Quod autem confutauit, ꝙ non peccauerit mortaliter, dissentiens aduersario, atꝗ ꝙ & mortalia non sint contrita, & uenialia purgantur in purgatorio. Dico, ꝙ hic textus non loquitur de contritis mortalibus, nam contritum mortale iam non est mortale, & pœnitens iam non est dissentiens aduersario suo, Ergo de dissentiente & sic permanente loquitur Christus.

Transeo

Transeo illud de casu ligni apud Ecclesiasten, ubi Hieronymus dicit, intelligere per Austrum statum bonum, & per Aquilonem statum malum, Concedo utrumq;, & nihil ad purgatorium. *Eccle. 11.*

De mansione apud Iohannem certa, vbi argutatur in hunc modum. Quomodo fiet certa, si fiat accessio gratiæ, cui debeatur altior mansio? Potest idem argui de quolibet fideli post Baptismum, cui est certa mansio ab æterno prædestinata. *Iohan. 14.*

Deinde in purgatorio existentes sic ordinati sunt, ut hoc modo ad certam mansionem ueniant. Illud etiam humanum Argumentum nihil concludit, q sequeretur descendentem cum pluribus peccatis melius habiturũ esse, q̃ eum, qui cum paucis. Si hæc ratio bona est, timendum est, ne meretrix melior fiat, q̃ B. Virgo. Quasi non sint differentes gradus Animarum in purgatorio, cum ipse hodie Sanctos, uelut præ cæteris præstantiores, in purgatorio asseruerit.

Siluestrinum argumentum. Deinde Siluestrinum argumentum inducit, quod prodesset eis, si perdurarent in pœnis, Nam sic & Martyribus expediret usq; in diem iudicij mori & pati, quasi ignoret D. D. ad certam mensuram pœnas esse animabus constitutas. Non ergo damnabile est, orare pro mortuis, sicut nec damnabile fuit, quod Apostolus pro se orauit, & orari petijt, cum tamen cresceret uirtus eius in infirmitate. Ita quilibet fidelis pro qualibet necessitate cuiuslibet fidelis debet orare, debet adiuuare, non obstante, q ille per necessitatem istam magis ac magis mereatur. *2. Cor. 12.*

Per idem uolo solutum, Quod contra obseruantiam Ecclesiæ & pietatem sit, q dixi, Animam alienis suffragijs liberatam minus beari, q̃ si per se satis patiatur in purgatorio. Hoc uelut corollariũ sumpsit ex dictis meis, vbi ego sensi animabus esse succurrendum, quantumlibet perfectius genus meriti esset iusticiæ diuinæ omnibus modis satisfacere.

Damascenum transeo cum termino meriti, & remitto ad præcedentia.

Item, iterum me carpit, q nullo fulcitus testimonio, prorogo terminum meriti, Ipse autem nitatur multis, & neget. Respondeo, Nullis nititur & ipse, nisi violenter intellectis, ut satis dictum est.

Capere etiam me in uerbis meis uolens, dicit, Me appellasse sententiam meam opinionem, ergo male oppositum appellauerim errorem. Dico sicut prius. Non solum opinionem, sed & ignorantiam appello meam sententiã, errorem appellaui non contrariam opinionem, sed quod opinionem pro ueritate statuunt.

Deinde Autoritatem de Noe, Iob & Daniel dicit, non ualere tantum pro extremo iudicio, nec possim hoc conuincere ex litera. Relinquo hoc iudicio melius sentientis, cum textus manifeste habeat, q pro homine ad tribunal, quod in morte fit, rapto, nec Iob nec Daniel orent, quod omnino de iudicio extremo intelligi oportet, aut saltem nõ de purgatorio, quia pro mortuis in purgatorio orant Noe, Iob, Daniel, & omnes Ecclesiæ.

Ad autoritatem Apoca. recte dicit, q dæmones in inferno non laudant, sed blasphemant Deum.

LVTHE. Reliqua exclusus tempore D. Martinus Lutherus, vult signare in scheda, & ostendere D. D. & dominis Notarijs, obtulit autem sequenti loco infra scripta.

Subtus terram. Quod dęmones in inferno non laudant, sed blasphemant Deum, scio, Sed q ideo subtus terram significet purgatorium, in quo cantent animæ, non sequitur. Primum, q sunt in tribulationibus & pœnis, necdum abstersit Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. D. D. autem negat cantare esse in tribulationibus laudare Deum. Ideo contra seipsum loquitur, dum subtus terram

terram in purgatorio laudem ponit simul & pœnas, in quibus non laudent. Nego autem & ego, Quod animæ ideo cantent, quia habent certissimum signum beatitudinis. Hoc enim signum certissimum fuit probandum. Deinde ego, sub terram, non dixi significare solum infernum, sed et alia, quæcunque sub terra sunt, in quibus omnibus laus Dei abundat, Omnia enim sunt plena gloria & laude Dei, qui laudabilis est in omnibus operibus suis. Alioqui oportet D. Doct. non solum purgatorium per subtus terram intelligere, sed
Apoca. 5. etiam aliquod quartum, per subtus mare, cum eodem Apocal. 5. etiam subtus mare recitetur, & omnia, quæ in eo sunt. Rectius ergo creaturas omnes hoc quaternario intelligimus significatas, quam ea, quæ D. Eccius imaginatur.

In tribulationibus laudare Deum, est cantare.

Quod autem in tribulationibus laudare Deum, sit cantare, probo non
Rom. 5. esse à me fictum, ut D.D. dicit, Quia Roman. 5. dicit: Gloriamur in tribula-
Psal. 42. tionibus. Et Psal. 42. In die mandauit Dominus misericordiam suam, & no-
Iacob. 5. cte (id est, tribulationibus) canticum eius. Et Iacob. 5. Tristatur aliquis, oret
Psal. 32. æquo animo, & psallat. Item: Benedicam Dominũ in omni tempore. Omni,
Psal. 49. inquit, tempore, etiam aduerso. Contra, uituperatur ille, de quo Psal. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Fateor autem hoc me non dixisse de damnatis subtus terram, Sed ut excluderem sententiam D. D. uolentis, quod cantare sit tantum de beatitudinis securitate in purgatorio.

De Canone Missæ non est contentus, quod dormire in pace ad corpus retuli, quia dicit Canon: In Christo quiescentibus non in sepulchro quiescentib. Porro quid referat ad animam, corpus in mari aut aere uersari ac non quiescere?

Item, quis (inquit) corpus exanime dicat dormire in pace? Respondeo: Nihil ista argutia ualet, Nam quiescentes in sepulchro aut ubilibet secundum
Apoc. 14. corpus iactati uere quiescunt in Christo, hoc est, ut Apoca. 14. requiescant à laboribus suis, uidelicet quod separata anima à corpore iam non laborat in corpore in uarijs huius mundi molestijs. Alioqui quomodo Christi corpus in sepulchro negabit dormire in pace, & quiescere in Deo, cum in tot locis de eo sic loquatur Scriptura, & cantet Ecclesia. In pace in idipsum dormiam,
Psal. 4. 16. & requiescam. Et Psal. 16. Et caro mea quiescet in spe. Item Apoca. 14. Beati
Apoca. 14. qui moriuntur in Domino. Item Stephanus Acto. 7. Obdormiuit in Domi-
Acto. 7. no. Quod sine dubio de corporali morte, tropo Scripturæ, dicitur. Si Eccio non dormit corpus exanime, sinat, quæso, illud dormire suscitaturo Deo & Scripturæ autoritati.

In fine dicit, Orari à nobis pro pace, Non quam habent, sed quam habere à miseria pœnarum contingat purgatis. Respondeo: Hoc est petitio principij, quia pax illa securitatis, quam habeant, nondum est probata, Relinquitur ergo, quod in pœna sunt, & ut ab hac soluantur, & pacem habeant, oremus.

Hæc omnia, sic uolo dixisse, ut ostendam me ignarum esse eorum, quæ in purgatorio agat Deus, nimis eos audere, qui huius ignorantiæ impatientes, potius fingere uolunt sua, quam confiteri se ignorare. Mea probare non possum, sed nec illi sua. Quare recte mea Conclusio id tantum uoluit esse, nec Scripturis, nec Rationibus probatum, animas certas esse saltem omnes de salute sua, & gratiam in eis non augeri, sufficit, quod scimus eas pati & nos debere ei succurrere, Cætera Deo relinquenda soli.

Acta sunt hæc X. Iulij, præsentibus &c.

ECCIVS.

ECCIVS PER SCHEDAM respondit XI. Iulij.

Olutiones reuerendi Patris apparent mihi insufficientes, potissimum quod Augustinum dicat, non loqui de purgatorio, cum maxime id agat, scilicet de purgatorio. Neqꝫ negandum est, Animas defunctorum pietate suorum uiuentium releuari, cum pro illis sacrificiũ mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt, sed hæc eis prosunt. Qui cũ viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possint, meruerunt. Est enim viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem, nec tam malus, vt ei non prosint post mortem. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam vel grauari. I nunc Luthere, & dic Augustinum hic non de purgatorio locutum.

Præterea non probat ad deletionem peccati venialis, requiri augmentum gratiæ. Fateor, augmentum gratię tollere aliquando uenialia, sed etiam veniale tollitur satispassione. Vnde Apostolus allegatus Roman. 7. non loquitur de veniali peccato, porro si loqueretur satispassionem non excluderet. At de eius consensu, velut impertinente, nihil dico in præsentia. Veniale, fateor, offendit, sed venialiter, quia hominem in odio Dei non constituit, nec inimicum Dei facit, ꝗ alioqui cum gratia staret, ideo in purgatorio habent quidem peccata venialia citra inimiciciam Dei. Roma. 7.

At quod causatur me torquere Autoritates per capillos ad propositum, Dispeream, si tota Disputatione vel vnam adduxerit autoritatem tam pertinentem, sicut ego hic adduxi. Sed hoc iudicent Iudices, non Lutherus.

Indignatur, cur non & Augustinus & Hieronymus causati sint hoc latibulum hæreticorum, quod dixi, Bone Deus, si non vbiqꝫ clamet Augustinus & Hieronymus contra Pelagianos, Cyprianus & Ambrosius contra Arianos & Nouatianos, eos pro arbitrio interpretari sacram Scripturam.

Petit, ꝗ probem meam Sententiam, cum suam probare non possit, meam uero probatam Iudicum relinquo iudicio.

De donec alia est ratio Hieronymi ad Helpidium, quia aliunde probatur ex Scriptura, Mariam semper mansisse virginem, Igitur donec ibidem non dicit consummationem, quod hic non potest facere.

Porro de Rationibus meis gratia breuitatis non moror. Sed quod dicit, me certum fecisse ex dictis suis, quod animæ suffragijs uiuentium liberatæ minus beentur, Male mihi imponit, Nec enim mihi somnia fingo. Reperietur enim in dilutione adnotationum mearum, noluisse Paschalem sua sibi minui premia, Ideo maluisse ardere, Sed missa hæc facio, & Iudicibus committo.

Paschalis.

Porro, non nego, quin in tribulationibus quis laudet Deum, Sed hoc loco accipi nõ potest, ꝗ & in cœlo cantare eos dicit, & ab illis absterserit Deus omnem lachrymam &c. Vnde liquet Lectori, quomodo sententiã meam inuertat, Vnde animæ in purgatorio cantant, secundum Iohannem, Deo, Et quero causam, explicet, nisi certitudinis gloriæ, Quare falsissime comminiscitur, quod contra meipsum loquar. Vnde non nego, bonos gloriari in tribulationibus, & cantare, Sed negaui illam glossam, quam ipse finxit, quod cantare sit in tribulationibus, Deum laudare, alioqui Angeli non canerent Deo & beati.

Cantare in tribulationibus.

Quod errorem patentissimum defendere conatur, scilicet animas dormire somno

mire somno pacis, scilicet quo ad corpus &c. Quoniam anima separata à corpore non laborat in corpore varijs molestijs. Vide vafriciem, qui cum soluendo ad corpus retulisset in sepulchro quiescentes, Iam se transfert ad quietem animæ à laboribus corporis. Sed heus bone vir, Est hoc quiescere à laboribus, quia videlicet, non in corpore molestias patiatur, tamen incomparabiliter maiores molestias sentiat extra corpus in anima? quid iuuat, si quiesco à febri, & infestor calculo?

De Christi quiete aliud est, Resurrectionem absq; corruptione expectante. Beati ergo, qui moriuntur in Domino. Sed quis dicturus est corpus beatum, nisi per redundantiam animæ in corpus? Sic de B. Stephano, qui in Domino obdormiuit.

Demum, inquit, me petere principium, Sunt in pace, & tamen eis petimus pacem. Et quia ridiculum est, referre pacem habitam ad corpus, sequitur, illam esse in anima scientiam securitatis.

Quod ait, Se sua probare non posse, reputo uerissimum, Contra alij sua probant, quamuis pertinax & ceruicosus etiam demonstrationibus non acquiescat, quin semper contenderet, non esse demonstrationem, velut Gregorius Arimi: & Petrus Aliacensis Aristoteli faciunt in rationibus de primo motore in 7. & 8. Physicorum. Quare cum communi concludo sententia, & in purgatorio gratiam non augeri, & eas certas esse de salute.

DE INDVLGENTIIS.

DIE XI. IVLII: QVAE FVIT dies Lunæ.

ECCIVS.

IN primis, antequam descendam in hanc Disputationem Indulgentiarum, protestor, nō esse mentis meæ, aut propositum, uelle hac mea disputatione cōtrauenire mandatis summi Pontificis, quibus mandat in Decreto incipiente: Cum postquam, non debere defendi uel prędicari contrarium certis punctis de Indulgentijs, sub pœna excommunicationis, Sed magis esse intentionis meę, defendere veritatem in eodem Decreto approbatam. Quo sic præfato, accedo ad impugnandam Conclusionem undecimam.

Dicere, Indulgentias esse vtiles Christianis, est uerum & pium, nec Indulgentiæ sunt vicium boni operis, Quare non uidetur bene dictum, q; hoc affirmantes insaniant. Hoc probatur, quia Ecclesia in ijs, quæ sunt fidei, non errat, & quæ respiciunt animarum salutem.

Imo, ut S. Cyprianus ait, Deus non permittit maiorem partem Cleri errare, Sed in Concilijs generalibus, & per uniuersitatem cleri iam à trecentis annis Indulgentiæ reputatæ sunt utiles & piæ Christianis. Quod patuit in Concilio Vienensi, ubi approbatæ sunt datæ per Vrbanum IIII. pro uenerabilis Eucharistiæ ueneratione, Nam Concilium hanc addidit rationem motiuam, ut Christi fideles essent magis parati ad obsequia uenerationis & honoris Sacramento impendenda. *Vrbanus IIII.*

Sic Innocentius III. in Concilio generali, ubi utilissimam constitutionem: Omnis utriusq; à tota Ecclesia receptam, edidit, de Indulgentijs quoq; *Innocent. III.*

dispoſuit hoſpitaliorum, dicens: Iniungimus uobis in remiſſionem peccatorum, quatenus de bonis vobis collatis grata eis ſubſidia charitatis erogetis, vt per ſubuentionem ueſtram ipſorum inopiæ conſulatur, & vos præponat, & alia, quæ Domino inſpirante feceritis, ad æterna poſſitis gaudia peruenire. In eodem quoque Concilio limitata fuit inferiorum Prælatorum Indulgentias dandi poteſtas, qui in Lugdunenſi Concilio deinde fuit approbata. Sed ſi Indulgentiæ eſſent uicium boni operis, & Chriſtianis inutiles, quid opus eſſet collationem uitij operis minuere in inferiori Prælato, & conferre in plenitudinem poteſtatis?

Lugdunenſe Concilium.

Conſtantienſe Concilium.

Accedit, quod laudabile Conſtantienſe Concilium, quod & inter errores damnauit Indulgentiarum contemptum, contulit Indulgentias omnibus in Concilio exiſtentibus, & feria ſexta ieiunantibus. Quod fuiſſet bona opera tantorum Patrum iniquinare & inficere. Et Gerſon, quem reuerendus Pater illuſtrem Theologum appellat, ſicut fuit ueri & honeſti ſtudioſiſſimus, is decidit, Indulgentiarū conceſſionem non eſſe paruipendendā ſeu contemnendam, ſed deuote amplectendam, in fide, ſpe & charitate Domini noſtri Ihesu Chriſti, qui talem poteſtatem clauium eccleſiaſticarum dedit hominibus. Conſtat enim, quod fructuoſior eſt & Deo acceptabilior operatio talibus Indulgentijs innitens, quam altera & cæteris paribus non innitens. Hæc Gerſon.

Gerſon.

Sic & alij Sancti & optime exiſtimationis uiri, tempore datarum Indulgentiarum, uoluerunt, quæ à B. Gregorio quoq; datæ ſunt ante nongentos annos, & Paſchaſio ante ſexcentos annos. Vnde ſola tanti Patris autoritas debet quemlibet Chriſtianū mouere, ut credat Indulgentias eſſe utiles Chriſtianis, Quamuis non ignorem, quod Vuilhelmus Altiſidorenſis referat non defuiſſe, qui etiam, uiuente B. Gregorio, ſancto Patri in Indulgentijs contradixerint.

Vuilhelmus Altiſidorenſis.

Porro hoc addam, Si Indulgentiæ ſunt uicium boni operis, hoc potiſſimum meo arbitratu ex eo ſuſpicari poſſem, quod ſunt ſatisfactoriæ, ſed per opus ſatisfactorium non minus meremur, quam ſi non eſſet ſatisfactorium, alioqui preſtaret nos nulla facere opera ſatisfactoria, ne merita noſtra pro iſto ſtatu minueremus. Sed in benedictionibus ſeminantes, de benedictionibus quoque metemus. Sed hic audiam reuerendum Patrem. Accedat tantus totius Chriſtianitatis conſenſus in Iubileis, per ſummos Pontifices celebratis, per bonifacium, Clementem VI. Vrbanum VI. Nicolaum V. integerrimum & doctiſſimum Pontificem Sixtum IIII. & quod communi conſenſu Chriſtianiſſimorum Regum & Principum pro paſſagijs & cruciatis, ſummus Pontifex pleniſſimas ſæpe dedit Indulgentias.

Cum ergo fides Eccleſiæ ſit indefectibilis, pro qua Chriſtus rogauit, ut non deficeret, Lucæ 22. & pollicitus eſt, ſe nobiſcum eſſe omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſeculi Matth. 28. Non eſt admittendum, Eccleſiam cum animarum pernicie tanto tempore erraſſe, & quia Decreta ſummorum Pontificum ab omnibus communionem Eccleſiæ ſanctæ habentibus, ſunt acceptanda, ut ait Gregorius can: Præceptis, 12. diſtin. Item can: omnia Decretalia, 24. quæſt. 1. cum multis concordantibus, & Pontifex modernus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ definiuit, Indulgentias eſſe utiles ad pœnam peccatis debitam, ijs, qui charitate iungente membra ſunt Chriſti, delendam. Et q huiuſmodi remiſſio ex merito Chriſti & Sanctorum, autoritate ſummi Pontificis, quaſi compenſetur. His omnibus perſuaſum uolo Chriſtiano fideli, Indulgentias non eſſe uicium boni operis, nec dicere, Indulgentias Chriſtiano eſſe utiles, eſſe inſanire, quod nihil aliud eſt, q dicere, totum clerum in Eccleſia tanto tempore inſaniuiſſe.

Lucæ 22. *Matth. 28*

Gregorius.

LVTHERVS.

LVTHERVS.

DVodecim Argumentis impugnat egregius D.D. Conclusionem meam undecimam, Ad quæ priusquam respondeam, primo diluam illud, ꝙ insaniam esse dixi, haberi Indulgentias bonas Christiano, esseꝙ eas vicium boni operis. Dico ergo, quando Propheta Psal. 40. audet insanias falsas appellare, & Psal. 119. iniquorum fabulationes, ipsas traditiones hominum, quæ de se non erant malæ, nisi ꝙ malam fiduciam aduersus iusticiam Dei præstabant insipientib. Quanto magis insania est Indulgētias, quę neꝙ præceptæ, neꝙ consultæ sunt, neꝙ necessariæ ad salutem, Imo remissiones sunt bonorum multorum operum, haberi pro bono Christianorum? Cum omne bonum nostrum & necessarium ad salutem comprehensum sit in Præceptis & Consilijs. Imo amplius dico, Quando saluberrima Dei lex, teste Ezechiele & Apostolo Paulo Ro. 7, non est bona homini, imo occasio peccati, sola autem gratia bonum Christiano, Quanto magis Indulgentiæ, quæ nedum cum gratiæ, sed nec cum legis ullius bonitate ullo modo comparari possint: cum sint nihil & priuatio quædam bonorum operum, haberi debent pro bono. Non ꝙ noxias aut pernitiosas arbitrer, ut dicemus.

Traditiones hominum, insaniæ falsæ sunt.

Psal. 119.

Roma. 7.

Quando ergo egregius D.D. dicit, Primo Ecclesiam in ijs, quæ sunt fidei, non errare, nec in ijs, quæ respiciunt animarum salutem, recte dicit, sed tales non sunt Indulgentiæ, ut dictum est.

Cyprianus.

Quod autem Cyprianus dicit, Deum non permittere, ꝙ maior pars Cleri erret, Viderit ipse quid dixerit. Certum est, quod tempore Arianæ perfidię maior pars & eloquentiorum Episcoporum & doctiorum uirorum errauit in tanto articulo fidei, adeo ut nullus catholicus Episcopus ferme resideret in cathedra sua.

Quod dicit, In Concilijs generalibus iam trecentis annis habitis, Indulgentias vtiles & pias Christianis, & in Concilio Vienensi approbatas, quas Vrbanus IIII. pro reuerentia uenerabilis Eucharistiæ infidelibus excitanda largitus est. Respondeo: Nunquam negaui esse utiles Indulgentias, sed non Christianis, hoc est, feruide agentibus, Christum secundum nomen suum amantibus & quærentibus, ijs enim ingrata est remissio operum, grata uero impositio operum. Secundo dico, Quod in ijs rebus non est respicienda persona ullius siue Concilij, siue Papæ, sed quid dicatur, præsertim quando hic error de Indulgentijs, ut in re non necessaria, non est periculosus, cæteris tamen paribus, hoc est, si sciant eas esse non necessarias, nec in eas confidant.

Vrbanus IIII.

Ad secundum, de Concilio generali & Innocentio III. qui iniunxit pro dispositione hospitaliorum, ut in remissionem peccatorum conferrent grata subsidia &c. Dico me adhuc non intelligere hoc uerbum Papæ, cum remissio peccatorum mihi uideatur esse aliud, quam indulgentiæ, atꝙ si esset idem, dico sicut prius.

Innocen. III.

Ad tertium. De Lugdunensi Concilio, in quo approbata dicitur limitatio potestatis conferendi Indulgentias inferiorum Prælatorum. Admitto totum. Quod autem sequitur, Si essent inutiles, non fuisse necessarium collationem uicij operis minuere in inferioribus Prælatis. Dico Indulgentias esse vocatas à me uicium operis, secundum quod impugnatus sum à D.D. Conclusione mea 42. in Resolutorio, vbi sic dixi: Non ꝙ veniæ sint malæ & noxiæ, sed ꝙ abusus peruersus nocet, dum tale opus non facerent, nisi ueniæ essent. Sic enim finis operis huiusmodi fit ipsa venia, & clarissimum est, ꝙ raro homines contribuerent, nisi Indulgentiæ promitterentur. Ideo semper ibi est periculum, saltem viciosi operis.

Lugdunense Concilium.

Constantiense Concilium. Quarto induxit laudabile Constantiense Concilium, quod inter errores cæteros damnauit cõtemptum Indulgentiarum. Respondeo: Nunquam ego contempsi aut contemnendas esse docui, nisi contemptus intelligatur hoc modo, ꝙ incomparabiliter meliora possumus eisdem expensis facere, quib. Indulgentiæ redimuntur, uel quam sunt Indulgentiæ ipsæ. Quare prærogatiua melioris non est contemptus deterioris. Sicut aurum nõ est contemptus ligni aut fœni, etsi præstantius.

Gerson. Per idem ad quintum, ubi Gersonem inducit, Indulgentiarum concessionem non esse paruipendendam, Addo, in suo genere, seu, sicut ipse dixit, cæteris paribus. Nec credo hanc sententiam D. D. satis placere, quod Indulgentiæ sint suscipiendæ in fide, spe & charitate, cum tenuerit satisfactionem impleri & remitti posse, etiam ijs, qui sunt extra gratiam. Admitterem quod fructuosior sit operatio innitens Indulgentijs, quam altera non innitens cæteris paribus, modo cætera illa paria recte comparentur, Sicut non nego meliorem esse posse unam orationem dominicam Laici, quam omnes horas Canonicas unius sacerdotis.

Gregorius. Pascasius. Sexto inducit B. Gregorium ante nongentos annos, Pascasium ante sexcentos annos dedisse Indulgentias, quamuis, recitante Vuilhelmo Altisidiorensi, aliqui contradixerint S. Gregorio. Respondeo: Nondum habeo fide dignam historiam de indulgentijs Gregorianis. Tamen quidquid sit, non ideo sequitur, Indulgentias esse aliud, quam Indulgentias, hoc est, remissiones bonorum operum, quas nemo bonas poterit appellare Christianis, quantumlibet sancta Concilia uel ꝗlibet sancti eas dederint uel approbauerint. Ideo D. D. non solum contra me agat solis nominibus autoritatum, sed & ipsius rei ueritate.

Septimo, Suspicatur eas esse ideo boni operis uicium, quia sunt satisfactoriæ. Dico ꝙ non sunt satisfactoriæ sed remissiones satisfactionis, nec habendæ ut opus satisfactorium. Ideo male hoc Argumento comparantur operibus satisfactorijs, quasi ideo merita nostra minuantur, si Indulgentiæ relinquantur, Imo contrarium uerius est, merita augentur dum Indulgentiæ relinquuntur.

Iubileus. Bonifa. VIII. Octauo, Dicit consensu fidelium receptum annum Iubileum Bonifacij VIII. Clementis 6. Sixti &c. Respondeo: Quis scit, si consensus fideliũ eum receperit. Nec est Bonifacius tantæ opinionis, ut quidquid gesserit, statim pro re bene gesta habendum sit, præsertim in re non bona nec necessaria ad salutem, Qui & alia monstra perpetrauit, quæ in rebus necessarijs malum exemplum præbuerunt.

Nono, Quod dederunt Romani Pontifices consensu Christianissimorum Regum & Principum indulgentias pro passagio. Dico sicut prius, non est miraculum, quod Deus hæc contemnat & sinat agi & agere, quę impertinentia sunt ad salutem, qui in hoc super nos uigilat, ut doceat utilia, ut Apostolus Titum 3. dicit, hoc est, præcepta sua & consilia. *Tit. 3.*

Fides Ecclesiæ indefectibilis. Decimo, Arguit fidem Ecclesiæ esse indefectibilem & Christum nobiscum, ideo Ecclesiam non potuisse errare tanto tempore cum animarum pernicie. Dico non tota Ecclesia errauit. Deinde si etiam erraret in ijs rebus nihili (semper de Christianis loquor) non est periculum salua fide, Variari opiniones & errare in temporalibus, non tollit Ecclesiam Christi.

Romani Pontifices. Vndecimo, Decreta Romanorum Pontificum acceptanda esse contendit. Respondeo: Sine dubio sunt acceptanda, Sed tamen cum iudicio, ut habetur dist. 22. ca. Anastasio, Quia Romani Pontifices homines fuerunt, & homines circũ se habuerunt, errare potuerunt. Deinde nullum est Decretum, ꝙ præcipiat indulgentias redimere, nec est usꝗ hodie, ꝙ indulgentiarum ualorem aperte declarauerit.

Vltimo,

VLtimo, De moderni Pontificis definitione, esse videlicet vtiles indulgentias, & de merito Christi & Sanctorum acceptas. Respondeo: Nec ipse satis exprimit, nec probat uel vna syllaba, quæ dicit: De qua re copiosius in actis meis Augustensibus dixi. Non sequitur ergo totum Clerum in Ecclesia tanto tempore insaniuisse, cum interim semper fuerint, quibus & displicuerint, qui & contradixerint saltem priuatim indulgentijs, ut testatur uulgatissimum prouerbium: Indulgentiæ sunt piæ deceptiones.

Indulgentiæ sunt piæ deceptiones.

ECCIVS.

ACcepi reuerendi Patris sententiam, in multis mitiorem & æquabiliorem, quam verba Conclusionum prætenderent, aut alia sua Scripta mihi videbantur significare. Neque mei est instituti, indiscretas indulgentiarum proclamationes aut abusus defendere, sed veritatem & quantum indulgentiæ rationabiliter datæ possunt prodesse, tutari. Et ut sim breuis, non discutio de excusatione suę Conclusionis. At cum assumit indulgentias non præceptas, non necessarias esse, fatemur. Sed in hoc toto meo exili iudicio apparet esse difficultas nostræ dissentionis principaliter, quia reuerendus Pater dicit, indulgentias non esse, nisi remissiones bonorum operum, quam interpretationem apud nullum indulgentias uel dantem uel admittentem memini me reperisse, quoniam sic indulgentiæ essent uere noxiæ, periculosæ & damnabiles. Cum sic Concilia & summi Pontifices remitterent hæc bona opera, ut uel sic homo non mereretur tantam beatitudinem, quod est contra animarum salutem, uel homines decepti remissione bonorum operum ad Purgatorium mitterentur, ut pœnas hic non dilutas ibidem sustinerent, quod reuera damnabile est. Vnde omnium uel dantium uel admittentium indulgentias vnus consensus est, indulgentias non esse bonorum operum remissiones, sed remissionem esse pœnæ temporalis pro peccato contrito adhuc debitæ, & non solutæ. Sicut Leo modernus Papa expresse in præfato Decreto definit, quod Sixtus IIII. ante eum expressissime fecit tempore Iubilei sui.

Leo X.
Sixtus IIII.

Vnde concordare non possum, quod reuerendus Pater in suis Resolutionibus dicit, Indulgentias solum datas pigris, quod etiam in Sermone uulgari affirmat non uolentibus implere Canones pœnitentiales. Et tamen in eodem Resolutorio dicit canones pœnitentiales pigris impositos, quod uiri, alioqui strenui, omnem vitam pœnitentiam agerent. Vnde infœlicissimæ essent indulgentiæ, si essent bonorum operum remissiones.

Sermo uulgaris de Indulgentijs D. M.

Soluturus ad primum respondit, Indulgentias non attinere ad animarum salutem, cum profecto maxime intersit salutis animarū, an salutem promoueant uel impediant. Interest etiam fidei nostrę, an Papa, ut Christi Vicarius, pœnas peccato debitas facta recompensatione per merita Christi & Sanctorum possit remittere & delere.

De Cypriano obiecit mihi, quod occurrebat Cyprianum legenti, quamuis non plene mihi constet, an sicut in Græcia, ita & in alijs regionibus Ecclesiæ maior pars Cleri fuerit infecta.

Deinde ad Concilia respondit, Indulgentias non esse bonas Christiano, id est, qui fide & charitate Christum sequatur. Hoc certe dicta Conciliorum destruit & indulgentiarum largitionem, quia non nisi Christi fidelibus & contritis & confessis sub communi forma conceduntur, Quare communi sententia indulgentiæ non sunt bonæ malis, quia eas non consequuntur, sed bonis & vere Christianis.

Non accepto, quod reuend. Pater dictum Senecæ hic vsurpat, Non attendendum, quis, sed quid dicatur, quoniam maxime in ijs, quæ sunt fidei,

Senecæ dictum.

 attendere

attendere oportet etiam quis dicat, & Concilium legitime congregatum est ab omni Christiano audiendum.

Dicit errorem non periculosum, si hic de indulgentijs erretur. At mihi contrarium uidetur, cum periculosi errores fuerunt iudicati, qui sacris ordinibus uestris fratrum Mendicantium ab initio detraxerunt.

Ad Innocentij in generali Concilio Constitutionem dicit, se non intelligere quomodo valeant, uel indulgentię sint remissio peccatorum. Dico, vt semper, non dabo tam solenne Concilium & legitimum potuisse errare, cum à Spiritu sancto non derelinquatur, & remissio peccatorum intelligenda sit quo ad pœnam, quia nomen peccati non semper pro culpa, sed etiam pro pœna culpæ debita usurpatur, sicut apud Machabæos, vt à peccatis soluantur, quod de culpa nequit intelligi mortali, sed de pœna culpæ debita. Etsi indulgentiæ dicantur dari, ut absoluantur à pœna & culpa, Eas consequentes nullus existimare debet indulgentias remittere culpam, sed quia Papa concedit ut à culpa, mediante sacramento pœnitentiæ, à deputatis Commissarijs absoluantur, & deinde indulgentias, id est, pœnarum remissiones consequantur.

2. Mac. 12.

Hic continuauit Eccius hora 2. diei 11. Iulij. 1519.

Quod uero se excusat, q̃ dixit, Indulgentias esse uicium boni operis, quia & ipse uoluerit cæteris paribus opus bonum cum indulgentijs esse melius, q̃ sine indulgentijs. Sed sicuti fieri soleat, quia ita homines indulgentias redimant, ut bona opera illa sine indulgentijs non facerent, Quamuis pleraq; super illo dicto afferri possent, & in simili, quando uicini propter amiciciam uicinorum conueniunt ad oblationes & offertoria plus quam intuitu mortuorum. Attamen mihi apparet meliori iudicio, semper saluo hoc non esse uicium boni operis. Primum ex eo, quia sacrum Cõcilium per indulgentias uult excitare homines ad bona opera. Secundo, quia esto, quod tale quid faciant, uel exhibeant, propter indulgentias consequendas, tamen ista opera ex illo fine non inficiuntur, quoniam finis iste indulgentiarum non discrepat à fine vltimo, ita quod pœnarum remissio congruenter in Deum ordinatur, alioqui præscindendo subordinationem finium paucissima uel nulla essent bona opera.

De contemptu indulgentiarum, per Constantiense Concilium improbatum, dicit reuerendus Pater, se illas non contempsisse, fateor ingenue, si eo semper fuisset usus moderamine, sicut se hodie exposuit, & forte eius interpretationi est standum, & in conscientia sine foro, Tamen scriptus eius Sermo uulgaris aliam exhibet intelligentiam Laicis. Sed hoc nihil ad me.

Gerson.

Ad Gersonem respondit admittendo, tamen arbitratur Gersonem mihi aduersari, qui indulgentias tunc utiles reputat, quando fide, spe & charitate percipiuntur, quod ego alias tenuerim posse fieri satisfactionem in peccato mortali. Dico & ipsum Christianissimum Cancellarium hoc tenere, aliquem posse satisfacere de iniuncta pœnitentia in peccato mortali, alioqui imprudentissime agerent confessionum auditores, durantem imponendo pœnitentiam. Sed an quispiam indulgentias in peccato mortali consequatur, nihil ad rem, Ratio diuersitatis est obuia, quoniam indulgentiæ non solent concedi, nisi contritis & confessis, Ideo non mirum, si peccatores harum non sunt capaces, quia indulgentiæ tantum ualent, quantum sonant.

Subiunxit reuerendus Pater. Orationem Dominicam Laici tantum ualere, sicut horas canonicas Clerici, si cætera sunt paria, illud non admitto.

De B. Gregorio dicit, se nondum receptam uidisse historiam. At tam constantissima fama, sicut B. Augustinus li. de tri: de Alexandria inquit, hoc negare non permittit, negat autem indulgentias esse satisfactorias, sed solum sint remissiones bonorum operum. In hoc credo principali nos dissentire, & magnam partem controuersiæ hic fundari. At prius memini indulgentias

gentias esse non remissiones bonorum operum, ut credit reuerendus Pater, sed remissiones pœnarũ peccatis debitarum. Vnde homo uere Christianus accipiens indulgentias, nõ minora, sed plura facit bona opera, quam si non consequeretur indulgentias. Sic autem intelligo indulgentias esse satisfactorias, sicut Papa Sixtus, Clemens VI. Papa modernus declararunt, non quod consecutus indulgentias satisfaciat, sed quia nullum malum manet impunitum & nullum peccatum manet inultum (can: sicut primi de pœni. dist. 1.) Ita Vicarius Christi dispensator eius thesauri, ubi homo pro pœna peccati non reddit æquiualens ipse ex thesauro sibi commisso merito Christi sufficientissimo illud recompensat, & pro eo satisfacit.

Quare concessi in prioribus, Indulgentias de se non delere culpam, sed pœnam, Et quod sit talis remisso pœnarum in indulgentijs, & non remissio bonorum operum, patet per illud Esaiæ: Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis, ac prædicarẽ captiuis indulgentiam, & clausis apertionem. Christus eadem uerba de se assumens, pro uerbo, indulgentias, remissionis nomen accepit. Sic Theophylus ait, ut B. Thomas renarrat, Nam prius ab inferis animæ omnium tenebantur, donec uenit, qui prædicaret captiuis remissionem. *Esa. 61.* *Theophylus.*

Deinde contendit reuerendus Pater, merita augeri relictis indulgentijs. Hoc ego non uideo, quoniam, ut dixi, non redimentes uel relinquentes indulgentias aliquando istam peccuniam in bonis conuiuijs uolũt consumere, nõ merita augere. Fateor, quod aliquando posset quis facere maius opus meritoriũ cũ illa pecunia, quam si redimeret indulgentias, casus nõ oportet speciuocari.

De Iubileis celebratis non uult admittere, accessisse consensum fidelium, & suspecta Bonifacij VIII. uita, potest suspectum facere eius Iubileum. Dico, satis magnum esse populi consensum, quod ex toto Christiano orbe in Iubileo Christifideles confluunt, quomodo alias consensum fidelium probare possit, non uideo. *Bonifa. VIII.*

Quod consensum Principum dixi pro passagio & cruciatis à summo Pontifice indulgentias datas. Respondet parum conficere, si hic errauerint in re nihili, Quasi nihil esset, Christifideles decipere, & vnanimem Christianorum Principum & Regum consensum in tam fallacem descendere Fidelium deceptionem.

Præterea, nullum, ait, esse Decretum expressum & clarum super indulgentijs. Oppono ei declarationem Sixtinam, & iam nouissime declarationem moderni Pontificis, vbi inquit, Romanã Ecclesiam, quam reliquę, tanquam matrem, sequi tenentur, tradidisse Romanum Pontificem Petri Clauigeri successorem, & Ihesu Christi in terris Vicarium potestatem clauium, quarum est apirere tollendo illius in Christo fidelibus impedimenta, culpam scilicet & pœnam pro peccatis actualibus deletam, Culpam quidem, mediante sacramento pœnitentiæ, Pœnam uero temporalem pro peccatis actualibus secundum diuinam iusticiam debitam, mediante ecclesiastica indulgentia posse pro rationabilibus causis eisdem Christifidelibus, qui charitate iungente sunt membra Christi, siue in hac uita, siue in purgatorio, indulgentias ex superabundantia meritorum Christi & Sanctorum, & tam pro uiuis, quam pro defunctis apostolica autoritate indulgentiam concedendo, thesaurum meritorum Christi & Sanctorum dispensare &c. Vbi clare determinat cum sequentibus, Indulgentias non esse remissiones bonorum operum, sed remissiones pœnarum, quæ fiat compensatione facta meritorum Christi. *Leo X.* *Vide suprà 215.*

Et quod ratiocinabar, Ecclesiam tot annis totam non errasse, Respondit, nõ totam Ecclesiam errasse, quia semper interea fuerint, quibus hoc negocium fuerit suspectum. Hinc vulgatum illud: Indulgentiæ sunt piæ deceptiones fidelium. Ad quod dico: Quando alicuius rei habenda est ratio, non quod *Indulgentiæ sunt piæ fidelium deceptiones.*

quisq; dicat, sed quod boni, docti, honesti & optimi statuunt, audiendum est. Quod enim fuerunt probatissimi & honestissimi viri, per totum Christianum orbem in trecentis annis & horum aliqui in catalogum Sanctorum relati, non tamen indulgentias hoc pacto probauerunt, etiamsi abusus eis sicut in omni re displicuerit. Thomas sanctus est, Bonauentura, Albertus Carmelita, Bernardinus & alij magni Viri. Ales, Gerson, Capistranus &c. qui tamen indulgentiarum concessionem non reprobarunt. Quare nihil refert, quod Iohanni Vuickleff & Vlrico Kalteisen in Anglia, Domino Iohanni de Vuesfalia, qui tamen hoc retractauit Maguntiæ, Bohemis indulgentiarum concessiones non placuerunt.

Quare concludamus, Indugentias rationabiliter datas, ad Dei honorem & fidei exaltationem, non esse inutiles Christi fidelibus deuotis non præsumentibus, sed eas cum humanitate & gratiarum actione accipientibus, abusibus resectis & repulsis, Vt sic potius de toto munere Deo gratias agamus, quam ut illud superbe contemnamus, Semper in animo habentes, optimam indulgentiam esse ueram contritionem. Tamen omnino, si hodie exposita sententia fuit mens reuerendi Patris, maluissem, ut illud clare dixisset, & simplicibus non dedisset occasionem aliud cogitandi, quia nemo est omnium Auditorum, qui sensum hodie datum intellexerit in Conclusione undecima: Dicere, Indulgentias esse bonum Christiano, est insanire, Sunt enim uerissime operis boni uicium. At sum bene contentus de sua expositione, quantum ad me attinet.

LVTHERVS.

CONtra Solutiones meas opponit egregius D. D. Primo, Indulgentias non esse remissiones bonorum operum, nec se uidisse, qui hoc assereret, Sequi etiam ad hoc, Indulgentias esse vere periculosas, noxias & damnabiles, esse potius eas uno consensu dantium et admittentiū remissionē pœnarum pro peccatis debitarum. Respondeo: Satis admiror, quid hæc uerba D. D. uelint, cum sine dubio per pœnas pro peccatis debitas, intelligant omnes labores satisfactionis, quæ tertia pars est pœnitentiæ. Inter quos certe sunt bona opera, eleemosynæ, orationes, ieiunia, uigiliæ & similia. Ad quod est expressus textus lib. 5. ca. Cum ex eo. Vbi Papa dicit, Per indiscretas indulgentias eneruari pœnitentialem satisfactionem, Et omnes Bullæ indulgentiarum ferme hanc clausulam habent. De iniunctis pœnitentijs relaxamus.

Sed age, dato, quod essent pœnæ & non opera, Dico peius esse, remitti pœnas, quam opera. Cū uita passiua & pœnosa plus perficiat aut prosit, quam mere actiua, ut Apostolus 2. Corinth. 12. Cum infirmor, tunc fortior sum. Purius est enim opus, quod solo Deo operante, nobis patientibus, perficitur, quam quod nobis cooperantibus efficitur. Iuxta illud Deutero. 32 Ego percutiam & sanabo, occidam & uiuificabo. Quare ad sensum egregij D. D. plura absurda sequuntur ex indulgentijs, quam ad meum sensum, Et sane nescio, an uerissime dicam. 2. Cor. 12 Deut. 32.

Secundo, Non potest concordare, quod dixi, Indulgentias solum pigris esse datas, & Canones similiter tantum pigris impositos. Dico: Non memini me dixisse, Canones esse pigris impositos, Si autem dixi, sensus meus est, quod strenui & feruentes siue pœnitentes plus faciunt, quam Canones exigunt.

Tertio, Contendit eas esse necessarias ad salutem, quia expedit nosse, an promoueant, nec ne, ad salutem.

Etsi non

Etsi non fateatur, necessarias esse ad salutem, expedit tamen scire, promoueant ad salutem, nec ne. Respondeo: nec hoc est necessarium scire, sed si nocerent saluti, Non enim est necessarium scire non necessaria ad salutem.

Item, Quod interest, An Papa per merita Christi possit remittere, Nescio an intersit. De meritis Christi postea.

Post hęc dicit, Meam sententiam destruere dicta Conciliorum & indulgentiarum largitionem, quæ communi forma concedunt contritis & confessis. Respondeo: Non ideo destruit mea sententia dicta Conciliorum, quia sunt contriti & confessi, qui pigri sunt ad soluendas satisfactiones, quos Scriptura etiam infirmos uocat, & propter hos damnandæ non sunt indulgentiæ.

Reprehendit etiam in me, quod usurpaui dictum Senecæ, Non quis, sed quid dicatur, ꝙ in his, quæ sunt fidei, attendere oporteat, etiam quis dicat. Respondeo: Hoc non est ad propositum, quia materia indulgentiarum non est materia fidei. Deinde, in materia fidei multo maxime opus est attendere, non quis, sed quid dicatur, quia non est respectus personarum habendus, sicut manifeste præmonuit Matth. 7. & 24. Attendite à falsis Prophetis, qui ad uos ueniunt &c. Item multi ueniunt in nomine meo dicentes: Ego sum Christus. Et Iohan. 10. Oues meæ uocem meam audiunt. Proinde etiam summo Pontifici non temere credendum est, ut stet regula Iohannis Apostoli; Charissimi, probate Spiritus, utrum ex deo sint. *Senecæ dictum.* *Matth. 7. & 24. Iohan. 10. Iohan. 1.*

Dicit deinde, Periculum esse in errore indulgentiarum ex eo, ꝙ periculosus error habitus sit eorum, qui ordinibus Mendicantium ab initio detraxerunt. Quidquid sit de detractoribus, per hoc non probatur error periculosus in indulgentijs, nec mox error est, quod ordines Mendicantium uel sacerdotes Ecclesiarum errorem indicauerint. Per idem ad id, quod dicit, Concilium nõ errare, quia regitur à Spiritu sancto, Addo ego, scilicet in his, in quibus regitur à Spiritu sancto, id est, in rebus fidei. Et ut aliquãdo dicam, non dixi errasse in concilio, in dandis indulgentijs, sed postea.

Transeo illud, ꝙ remissionem peccatorum intelligit remissionem pœnarum, cum sæpe peccatum pro pœna accipiatur, Machab. 12. Ego non sæpe inuenio peccatum pro pœna accipi, nisi forte, ubi de Christo scribitur, Quod peccata nostra ipse portauit, quod tamen & ipsum non ausim dicere simpliciter pro pœna accipi. Sed hæc extranea. *Gerson.* *2. Mac. 12. Esa. 53.*

Confutaturus illud, ꝙ uenias dixi esse uicium operis, dicit esse subordinationem finium in operibus, ideo si ueniæ referantur in Deum, non uicient opus. Respondeo: Da exemplum demonstrandi. Dixi enim hodie raros inueniri, qui tantum darent gratis & propter Deum, quantum dant pro indulgentijs, Ex fructibus ergo cognoscetis eos, Imo si audiant melius se posse facere, ꝙ redimere indulgentias, probabile est, nullas esse redempturos indulgentias.

De contemptu indulgentiarum dicit: Si fuissem usus hoc moderamine, standum esset eius declarationi. Verum uulgaris sermo aliam indicat Laicis intelligentiam. Respondeo: Videat diligentius eundem Sermonem egregius D.D. & inueniet me expressis uerbis dixisse, non esse contemnendas indulgentias, sed relinquendas liberas, Neminem esse absterrendum, sicut neminem urgendum, Esse uidelicet pigrorum solatia. Quare sine mea culpa hanc declarationem & satis moderatam sententiam non intelligunt.

Transeo illud de Gersone, ubi dicit, Aliud esse satisfacere in peccatis, & redimere indulgentias in peccatis. Quia in ijs obstat forma concessionis, quę solum confessis & contritis permittit indulgentias, Illic uero & ipse Iohannes Gerson secum sentiat. Dico: Relinquendo hoc tanquam extra capacitatem intellectus mei, uere enim non capio, quomodo peccator possit satisfacere in

cere in peccatis, & non etiam possit recipere licentiam nõ satisfaciendi, cum plus uideatur requiri ad operum perfectionem, q̄ ad omissionem.

De Gregorio, Etsi Historia non habeatur recepta, tamen famam dicit non permittere negari, Dico: Famæ temere nemo credat, & transeo.

Tandem ad id redeo, q̄ indulgentiæ sint satisfactoriæ, & non remissiones bonorum operum, sed pœnarum, fortassis contendimus in æquiuoco, q̄ satisfactorium D. D. appellat, quia permittitur virtute indulgentiarum, vt non satisfaciat, & hæc permissio non satisfactionis pro satisfactorio habeatur, Ego satisfactorium appello, quod implet satisfactionem, non omittit.

Spiritus Domini super me &c.

Adduxit etiam autoritatem Esai. 61. ubi Christus Lucæ. 4. legens ex Isaia, dicit: Spiritus Domini super me, eo q̄ unxerit me, prædicare captiuis indulgentiã, Vbi Christus remissionẽ dixit, Addidit Theophylum, qui exponit, q̄ animę tenebantur &c. donec, uenit qui prędicaret captiuis redemptionem, Quod illa autoritas nihil faciat ad rem, ipsa uerba & consequentia textus declarant, quia Christus ibidem dicit: Hodie impleta est Scriptura hæc in auribus uestris. Deinde, quia loquitur de uero anno Iubilei, hoc est, de plenitudine temporis, de corona anni benignitatis, & non de remissionibus pœnarum, sed de remissione peccatorum, de qua tota Scriptura loquitur, cum Iubileus Bonifacianus tanto post tempore cœperit. Item q̄ neget augeri merita relictis uenijs transeo, quia non per hoc confutatur, q̄ aliquando pecuniam eandem uolunt consumere in conuiuijs. Esai. 61. Luce 4.

Verus annus Iubileus.

De Iubileis celebritatis dicit, satis magnum esse populi consensum, q̄ ad indulgentias fideles in toto Orbe confluunt, excepta tamen Italia & Roma, nec videt quomodo alias possim probare consensum fidelium. Respondeo: Eum consensum ego probarem esse fidelium, qui re patefacta & ueritate indulgentiarum exposita, fideles ad confluendum moueret. Nunc uero confluunt ignorantes, quid & quare, cum maior pars credat se rem necessariam & meritoriam facere.

Post hoc de passagijs & cruciatis arbitratur egregius D. D. non esse rem parui momenti, tot fideles decipi, præsertim Magnates. Respondeo: Nec est res magni momenti, quandoquidem & diuus Hieronymus Matth. 23. de sanguine Zachariæ Prophetæ dicit: Non damnamus errorem, qui de pietate fidei descendit. Ita & hic error est sine damno animę, citra etiam lucrum pecuniæ, q̄ deferunt pro honore S. Ecclesiæ Rectoribus Ecclesiarum. Math. 23

Quando ego dixi, Nullum esse Decretum super indulgentijs, opposuit Sixtinam & Leoninam nouissimam, ubi declarantur virtutes indulgentiarum. Dico: Hæc alia quęstio est. Ego dixi, nullum esse Decretum, quod præciperet indulgentias redimere, ideo non esse necessarias.

Indulgentiæ sunt piæ fidelium deceptiones.

In fine, ad prouerbium illud: Indulgentiæ sunt piæ fidelium deceptiones. Per quod volui, non totam Ecclesiam errasse. Dicit, non esse audiendum quod quisq̄ dicat, sed quod boni & honesti uiri statuunt. Nunc uero aliqui etiam in Sanctorum catalogum relati, non improbant indulgentiam. Respondeo: Nec ego sane. Hoc tamen addo, q̄ Ecclesia accipiens opiniones, nõ facit ideo ex opinionibus ueritates. Ideo ad istam Leonis X. declarationem dico, sicut in actis dixi, Non probari nudis uerbis, præsertim hominum indulgentias esse de thesauro Christi sumptas, & soluere pœnas iusticia diuina requisitas, licet opinionem non damnem. Nam, ut dicam quod sentio, cum Christi merita siue accipiantur ut suffragia, siue quocunq̄ modo & nomine, nihilominus sunt merita Christi, nec propter usum uel applicationem metamorphosin subeunt. Si autem sunt merita Christi, gratia & veritas sunt. Iuxta illud Psal. 25. Vniuersæ uiæ Domini misericordia & ueritas. Et Iohan. 1. Gratia et veritas per Ihesum Christum facta est. Ibidem: Vidimus plenum gratiæ & veritatis. Quare etiamsi Angelus de cœlo aliud persuaserit, Psal. 25. Iohan. 1.

non

non credam esse in manu ullius hominis gratiam & veritatem dare, hoc est,
Gal. 1. merita Christi dispensare, non tamen resisto Pontifici. Sed ad declarationem in actis me refero.

ECCIVS.

QVia vt dixi, magna pars dissensionis iacet in eo, An indulgentiæ sint remissiones bonorum operum, uel pœnarum, ubi in meam partem dixi descendere Ecclesiæ Doctores & Rom: Pontifices, qui hactenus de indulgentijs scripserunt. Sed hoc reuellit acute & docte reuerendus Pater. Quia remittere pœnā esset remittere labores satisfactionis, inter quos sunt bona opera contra Decretum Innocentij, in ca: cum ex eo, de pœnitentijs, ne pœnitentialis satisfactio eneruetur. Dico bene remitti labores satisfactionis, sed non propterea bona opera, quamuis enim oratio, ieiunium &c. sint satisfactiones, tamen sunt bona opera, etiamsi ijs non satisfaciamus. Accedit, q satisfactio non solum fit labore bonorum operum, sed etiam satispassionis. Quare plerique uolunt, non debere cogi filium confessionis ad satisfactionem in se recipiendum. Iuxta illud commune, Melior est, ut confessor filium cum parua pœnitentia mittat ad purgatorium, quam cum magna ad infernum. Nec mirum, si Pontifex plenarias resecuit indulgentias ad satisfactiones pœnitentiales eluendas, si passim à Prælatis fiant. Sic particula Bulla de iniunctis pœnitentijs, id est, quę secundum iusticiam diuinam iniungi deberet, ut Doctores Ecclesiæ de indulgentijs scribentes declarant.

Porro, Quod argumentatur, Peius esse remittere pœnas, quam opera, non accipio, qui pro tanto pœnæ prosunt, ut homo instruatur bene operari, & sic uirtus in infirmitate perficitur, Sed hoc ad iudices. Et quia errare in indulgentijs esset animabus periculosum, ut hodie induxi, ideo Ecclesiæ non errant, si solum pigros contritos uolunt recipere indulgentias, Certe ad Carthusianos uenire non debent.

In materia fidei dicit maxime attendendum, quid dicatur. Ego autem autoritatem reputo in Theologia potentissimam, & quod audire præcipi-
Math. 23. mur sedentes supra cathedram Moysi, Ideo quis dicat, attendere debemus, ut
1. Cor. 10. captiuemus intellectum, iuxta præceptum Apostoli, in obsequium fidei, propterea Concilia habita sunt, ut eorum autoritate errores exterminarentur.

De Mendicantibus transeo.

Quod uero ait, Concilium in ijs, in quibus regitur à Spiritu sancto, non errare, Dico ego, antiquorum Patrum secutus sententiam, semper debere præsumi Concilium regi à Spiritu sancto, quam diu non constat de opposito scilicet de illegitimitate congregationis.

Sed adhuc fortiter stat reuerendus Pater in uicio boni operis, quod dans pecuniam propter indulgentias, alias non daturus, quasi hoc sit uicium boni operis. Quærerem à reuerendo Patre, si ipse cum suis Fratribus habet anniuersarium alicuius Principis uel Nobilis cum 30. Missis, quia dantur bonæ Præsentiæ, alioqui non habiturus anniuersarium, An hoc sit uicium boni operis?

De Indulgentijs ab eo non contemptis, iudicent, qui Sermonem uulgarem legerint.

Porro, reuerendus Pater factus interpres meus, dicit, indulgentias forte sic factas esse satisfactorias, quia propter istas aliquis satisfacere nō teneatur. Non iste est sensus meus, sed quia homo deberet pro peccatis etiam contritis satisfacere de suo, & per indulgentias satisfacit de alieno, quia summus Pontifex dat ei de thesauro Ecclesiæ, unde soluat, ut sic, iuxta communem Pa-

trum

trum sententiam, etiam in indulgentijs peccatum non manet impunitum, saluo eo, ꝙ etiam de proprio satisfacere non posset, non accedentibus Christi meritis.

De consensu fidelium, credo neminem esse tam stultum, qui credat rem esse necessariam indulgentias in Iubileo, Et si existimet iter Romanum esse meritorium, nec hic errat, Stat enim opus, per quod quis consequitur indulgentias esse meritorium, & tamen ipsas indulgentias non esse meritorias.

Porro, de uerbis Sixtinæ & moderni Pontificis non facio uim, quia cathedram Petri sequor, & eius sententiam, qui in ea sedet, quam diu in hæresin, quod absit, prolapsus non fuerit. Scio eum nõ probare, sed definire, quem ut Christi Vicarium definiendo arbitror esse indefectibilis fidei. Sed hæc omnia eorum committo iudicio, quorum interest, paratus errata expungere, si quæ ostendentur.

Iussit Lutherus addere. Et ego.

XII. IVLII. ARGVMENTATVS est Eccius, Respondente Luthero.

DE POENITENTIA.

In nomine tuo dulcis Ihesu.

Sermo de pœnitentia Supra fol. 13.a.

CONtra Conclusionem reuerendi Patris & partem Sermonis sui de pœnitentia, pro defensione optimorum Patrum prædicantium intendo probare, Pœnitentiam ueram incipere a timore etiam pœnæ, & ꝙ bene quis se præpararet discutiendo, recogitando &c.

Primo, quia talem modum prędicandi obseruauit Dominus Ihesus, & eius præcursor S. Iohannes. Luc. enim 15. filius prodigus gerit typum pœnitentis secundum Augustinum de quęst: euange. Ambrosium libro 2. de pœniten. c. 3. Chrysostomum, Hieronymum & alios, sed eum ita proponit nobis Christus, ꝙ in se conuersus dixit, quantũ mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo, Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam illi: Pater, peccaui in cœlum & coram te &c. Hic Dominus Christus modum pœnitentis describens, exponit primo motum pœnitentem pręmiorum magnitudine, scilicet abundant panibus, & timore poenę, scilicet, hic fame pereo, quibus gradibus euectus, pœnitentiam ueram cœpit meditari, scilicet, & dicam: Pater, peccaui. Et hoc Basilius explanat: Tres sunt ibi pœnitentię gradus, mercedis spes, suppliciorum timor, & bonitatis paternæ syncera dilectio. Et sic, antequam fiat amicus Dei, qui extitit inimicus, efficitur prius seruus.

Filius prodigus. *Luce 15.* *Basilius.*

Sic Iohannes incepit a timore, Progenies uel genimina uiperarum, quis monstrauit uobis fugere? &c.

Sic etiam in toto actum est ueteri instrumento, ut timore pœnarum ad mandatorum obedientiam homines traherentur, ut in legalibus Historijs, Prophetis hoc ubiꝗ reperitur. Sufficiat adducere unum locum, Psal. 89. Si autem dereliquerint filij eius legem meam, et in iudicijs meis non ambulauerint, Si iusticias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint, Visitabo in uirga iniquitates eorum, & in uerberibus peccata eorum, cum concordantibus. Quare Prædicatores sacram imitati Scripturam hactenus, bonum habuerũt modum de pœnitentia paranda, recogitando grauitatem peccatorum, æterni supplicij &c.

Psal. 89.

Accedit

Accedit ratio Dionysiaca, Quia sic Deus res administrat, vt ima ad superiora per media ducat. Quare cum peccator sit in imo, quia non est dignus pane, quo uescitur, volens ascendere ad superiora gratiæ, hoc faciat per medium timoris. *Ratio Dionysiaca.*

Bene esset perfectionis, quod aliquis immersus luto peccati posset se mero obtutu dilectionis Dei & amore iusticiæ erigere ad gratiam capessendam, Sed quis est hic & laudabimus eum?

Imo B. Augustinus approbat modum prædicandi nostræ tempestatis, docens expresse, nullum peruenire ad charitatem & ad veram gratiam, nisi præcedente timore, nō filiali, sed etiā seruili. Hæc Aug: sententia est tract: 9. Ergo incipiat timor, quia initiū sapientiæ, timor Domini. Cum autē cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei locū præparauit. Quantum enim illa crescit, ille decrescit: & quantum illa fit interior, timor pellitur foras: maior charitas, minor timor: minor charitas maior timor. Si autem nullus timor, non est qua intrat charitas (Dat comparationem) Sicut videmus per setam introduci linum, quo suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: Sic timor prius occupat mentem, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem. Allegat illud Psal. Conuertisti luctum meum in gaudium. Et infra sententia dicta est de Scripturis, Nam qui sine timore est, non poterit iustificari. Opus ergo est, vt intret primo timor, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas sanitas. Ex istis apertissime liquet, quia pœnitentia est medicinalis, & timor est medicamentum secundum Augustinum, & charitas non intrat nisi per timorem, ideo bene prædicatur, pœnitentiam à timore incipere. *Augustinus.* *Similitudo Augustini.*

Et non accipio, quod reuerendus Pater ab initio Resolutorij refert, reuerendi Patris Staupicij vocem quasi cœlitus demissam, Pœnitentiam incipere ab amore & dilectione: Nam huic expresse reluctatur B. Ambrosius, bonus animarum medicus, in Epistola ad Studium, Vbi pœna præscribitur, debet esse pœnitentia peccatorum: vbi remissio donatur, gratia est: præcedit pœnitentia, sequitur gratia. Neq; ergo pœnitentia sine gratia, neq; gratia sine pœnitentia. Debet enim pœnitentia prius damnare peccatum, vt gratia possit illud abolere. Illud idem testatur Chrysostomus toto Libro de cordis compunct. Et homilia 80. de pœni: Et Sermone 19. *Ambrosius.* *Chrysostomus.*

Addo etiam Isidorum libro 2. de summo bo. ca. 12. Compunctio cordis est humilitas mentis cum lachrymis, exoriens de recordatione peccati, & timore iudicij. Et toto libro de contritione cordis. Et speculo peccatorum Augustinus nihil aliud agit, imo hortatur peccatorem volentem pœnitere, ut recogitet tres abyssos, scilicet peccatorum suorum, pœnarum, & iudiciorum Dei. Sic B. Bernardus super Canticis ser. 16. & alijs pluribus locis. Gregorius in moralibus lib. 2. & 5. & item super ca. 29. Iob, Libro quoq; 2. super Ezech. vbi Homilia 19. inquit: Scriptum est: Inicium sapientiæ timor Domini. Constat proculdubio, quia à timore ad Dominum ascenditur, non autem à sapientia ad timorem reditur. Propheta ergo de cœlestibus ad ima loquebatur, cœpit magis à sapientia, & descendit ad timorem. Sed nos, qui à terrenis ad cœlestia tendimus, eosdem gradus ascendendo numeramus, vt à timore ad sapientiam peruenire valeamus. Idem lib. 1. super Ezech. dixit, duas esse pennas, scilicet timorem & pœnitentiam, quæ tegere corpora dicuntur, id est, peccata. *Isidorus.* *Augustinus.* *Bernardus.* *Gregorius.*

Ex quibus omnibus, quo ad vnam particulam de timore, volo habere conclusum, Bene prædicasse nostræ tempestatis & superioris Prædicatores, quod pœnitentia à timore incipiat: & quod nituntur sermonibus suis in populo timore Dei seminare, ut sic semen Diaboli extirpetur, iuxta illud Origenis lib. 3. super Iob: Bonus est timor pœnæ & iudiciorum, quem nisi de- *Origenes.*

mon expulerit, non poterit seminare semen peccatorum. Ex quo deinde consectarium est, pœnitentiam non incipere ab amore & dilectione iusticiæ, quamuis si sic inciperet, fateor eam esse laudabiliorem & perfectiorem, quam ꝙ à timore pœnæ inciperet. At fragilitas nostra id non patitur, cui Dominus Ihesus & Prædicatores condescendentes timorem prędicant, tanquam gradum, quo verum iusticiæ amorem consequamur.

LVTHERVS.

NOn est iste modus Scripturas diuinas fœliciter intelligendi, vel interpretandi, si ex diuersis locis diuersa decerpantur Dicta, nulla habita ratione, vel consequentiæ vel collationis. Imo iste est Canon errandi vulgatissimus in sacris literis. Oportet ergo Theologum, si nolit errare, vniuersam Scripturam ob oculos ponere, & contraria contrarijs conferre. Et sicut duo Cherubim aduersis vultibus vtriusq; diuersitatis consensum in medio Propiciatorij inuenire, alioqui cuiuslibet Cherubim vultus longe diuertet sequacem oculum à Propiciatorio, id est, vera Christi intelligentia.

Duo Cherubim Propiciatorij.

Proinde nunquam mihi egregius D. D. remotior visus est à sacris literis, quam hodie, atq; eo magis, quod concludendo fatetur, laudabiliorem & perfectiorem esse pœnitentiam, si ab amore iusticiæ inciperet, sicut ego sapio, quam si a timore pœnæ inciperet. Quasi non conandum sit, vt laudabiliter, & ut Iohannes ait, dignos fructus pœnitentiæ agamus. Nam hoc prorsus non accipio, quod dicit, fragilitatem nostram obstare, quo minus ab amore iusticiæ pœnitentiam incipiamus. Si secundum fragilitatem nostram agendum est, & Scriptura exponenda, nunquam pœnitebimus, sed de die in diem peiores fiemus. Quare antequam respondeam suis obiectis, primo declaro meipsum.

Matth. 3.

Omnis bona vita necesse est vt instituatur per aliquam legem, ideo Lex principium est pœnitentiæ cuiuslibet boni operis. Quare & in pœnitente ante omnia oportet uel reuelari uel suggeri Legem, contra quam fecerit, & secundum quam facere debet. Lege autem manifestata aut in memoriam reuocata, mox sequitur augmentum peccati, si desit gratia, Quia naturaliter odit uoluntas Legem, ut sunt expressa testimonia Pauli ad Rom: & ad Galat: Rom. 5. Lex intrauit, ut abundaret delictum. Gala. 5. Lex propter transgressiones posita est. Ideo B. Augustinus de spi: & lite: c. 3. Neq; enim liberum arbitrium ante gratiam quidquam ualet, nisi ad peccandum, non autem ad pœnitendum, ut D. D. dicit (hoc enim Pelagianũ est) Porro dicit Augustinus: Et cum cœperit cognosci se non latere, quod faciendum est, nisi Spiritus sanctus diffuderit charitatem in cordibus nostris, non diligitur, non suscipitur, non bene uiuitur. Ibi clarissime dicit Augustinus, ꝙ Lex Dei non potest diligi, nisi accepta gratia Spiritus sancti. Si autem non diligitur Lex, contrarium eius peccatum non oditur. Ergo impossibile est pœnitere ante dilectionem Legis. Hoc est quod Roma. 4. Apostolus uult: Lex iram operatur, hoc est, monstrat peccatum, sed non dat gratiam, ut odiatur peccatum. Ideo manet odium Legis & dilectio peccati, quantumlibet per increpationes forinsecas aut intrinsecas homo concutiatur timore seruili. Nam etsi abstinet ab opere peccati, non tamen abstinere potest ab amore peccati. Hoc & Christus Iohann. 6. docet, ubi dicit: Nemo uenit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Concedo ergo, ꝙ Lex, recordatio peccatorum, intuitus pœnarum possunt terrere peccatorem, sed nunquam faciunt pœnitentem.

principium pœnitentiæ est Lex.

Rom. 5. Galat. 5.

Liberum arbitrium ante gratiam &c.

Lex iram operatur.

Roma. 4.

Iohan. 6.

REspondeo ergo ad obiectionem primam, de filio prodigo Luc. 15. ubi incepit pœnitentiam a recordatione magnitudinis præmij dicens: Abundant

Filius prodigus. Lucæ 15.

dant panibus mercenarij &c. Dico, quod hic filius prodigus incepit vere ab amore iusticiæ, quia conuersus in se cognouit primo bonum: & ex cognito bono intellexit suum malum. Hanc autem conuersionem sui in seipsum non habuit ex fragilitate sua, aut ex timore pœnæ, sicut ipsemet D. D. dicit, quod timor pœnæ post præmiorum magnitudinem mouerit. Ergo non incepit à pœna & timore. Habuit autem eam ex trahente intus Patre, & dilectionem inspirante paternæ domus, dum dixit: Quanti mercenarij in domo Patris mei. Nam cum prius uixisset in peccatis, bonum nec cognouit nec dilexit, nec peccatum odiuit: cum tamen non posset ignorare peccatum. Ergo necessaria fuit alia affectio, id est, amor boni.

Secundo, Induxit Iohannem Baptistam, Luc. 3. Quod inceperit à timore dicens: Quis monstrauit uobis fugere? &c. Respondeo: Aliud est prædicare pœnitentiam: aliud incipere pœnitentiam. Aliud est prædicare bonum opus, aliud incipere bonum opus: Prædicator monet, terret, allicit &c. sed nihil sequitur, nisi gratia mouerit uoluntatem. *Iohannes Baptista. Lucæ 3.*

Psal. 89. Idem dico ad Psal. 89. Visitabo in uirga iniquitates eorum &c. Percuti *Ierem. 5.* potest peccator, sed nisi gratia cooperetur, nihil proficitur, ut Iere 5. Percussi *Esai. 1.* eos: & non uoluerunt. Et Esai. 1. A planta pedis usque ad uerticem non est in eo sanitas: super quo percutiam uos ultra? quia nihil profecit percutiendo.

Et satis admiror egregium D. D. quod oblitus luminis naturæ Aristotelis, audeat statuere alicuius uirtutis initium in timore urgente, cum ille tot uerbis iam receptissimis 3. Ethi. persuadere conetur: Oportere esse uoluntarium opus bonum & libera uoluntate fieri. At uoluntas certe aut amor est, aut soror amoris. Inde etiam dicitur, Oportere opus bonum fieri per liberum arbitrium. Addo & illud, quod Christus nunquam peccatores coegit timore ad *Ierem. 2.* pœnitentiam, sed suauiter allexit quoscunque uocauit, ut Zachæum, Magdalenam, Apostolos & omnes. Sicut & apud Iere. ca. 2. dicit: Perpetua charitate dilexi te, ideo attraxi te miserans tui. *Aristoteles. Zachæus. Magdalena.*

1. Reg. 2. Dico ergo, quod timor Domini quidem necessarius est, sed filialis. Quia sine amore impossibile est ferre conuersionem sui, in qua terretur, conteritur & humiliatur peccator, Iuxta illud 1. Reg. 2. Dominus deducit ad inferos, & reducit. Credo autem etiam ipsius egregij D. D. sententiam & omnium scholasticorum Doctorum mecum sentire: & contra obiecta eius pugnare, Cum omnes consentiant contritionem oportere fieri in charitate, si debet esse bona & meritoria pœnitentia. Quod ego sane intelligo, cōtritionem fieri mouente & imperante charitate, ut sic sit uoluntaria, hilaris, amorosa pœnitentia. Ideo licet Iohannes increpauerit Iudæos & terruerit, non ideo sequitur, pœnitentes incipere etiam à terrore. Aut si incipiunt à terrore, nisi accesserit gratia, hypocritæ sunt uerius, quam pœnitentes. *Timor Domini filialis.*

Adiecit D. D. rationem, quod Deus res sic administrat, ut ima per media ducat ad superiora, quod aptauit ad timorem, uolens, peccatum esse imum, timorem medium, amorem superius, quod ego transeo: & non accipio.

Dicit etiam, esse perfectionis, si homo posset se mere Dei obtutu & amore iusticiæ erigere ad gratiam capessendam. Sed quis est hic: & laudabimus eum? Respondeo: Nec timore nec amore potest se homo erigere ad gratiam capessendam: Sed gratia præuenit, & mouet ad merum Dei obtutum & amorem iusticiæ.

Ad Augustinum, qui doceat præcedere timorem ante gratiam, & intrante charitate pelli timorem, dico: Si recte intelligatur, admitto, hoc est, quod pœnitentia nondum est incepta, quando timor præcedit charitatem. Sed intrante charitate incipitur pœnitentia, id est, amor iusticiæ & odium peccati. Si autem charitas non intraret: timor non operaretur: nisi maiora peccata. Quare ista similitudo setæ & lini probatur mihi, modo non intelligatur, quod *Augustinus.*

timor inducat charitatem, quod ex ipsius D. D. uerbis capio, ꝙ nisi exeat seta, non succedit linum, hoc est, nisi timor, qui impedit pœnitentiam veram, pellatur per intrantem charitatem, nunquam uere pœnitetur, ut sic dixerim.

Ambrosius ad Studium. Ambrosium inductum in Epistola ad Studium, ꝙ præcedit pœnitentia, & sequitur gratia, & alia. Item, Isidorum de summo bono. Item tres abyssos recogitandas peccatorum. Bernardum super can: Gregorium in Moralibus, & alios Patres, qui docent à timore ascendendum ad sapientiam & pœnitentiam, à timore incipiunt, Libenter admitto, sed non contra Apostolum Paulum, de Lege & timore Legis docentem intelligo. Dico & ego habita charitate simul moueri hominem ad timorem Dei, & sic incipi pœnitentiam à timore in charitate, Alioqui stat firma sententia, ꝙ timor pœnam habet, bonum non operatur, sed odit Legem. *1. Iohan. 4.*

Non ergo egregius D. D. concludit, pœnitentiam non incipere ab amore iusticiæ, quantumlibet bonus sit timor pœnæ, ex Origine. Non enim timore pœnæ, sed timore Dei pœnitendum est, ꝙ ille sit seruus, non mansurus in domo, hic autem filius & hæres. Ideo & illud Prouerbio. 1. Principium sapientiæ timor Domini, non admitto intellectum de timore pœnæ, qui ante gratiam torquet hominem infructuose, cum expresse dicat: Timor Domini, non timor pœnæ. Timor pœnæ potius est principium insipientiæ. Videat ergo egreg. D. D. vt non in vnum chaos confundat timorem seruilem, & timorem filialem, ne sibi ipsæ Scripturæ & Patrum intelligentiam præcludat. *Iohan. 8.* *Prouer. 1.* *Timor pœnæ.*

ECCIVS.

REuerendus Pater fuco verborum conatur se euoluere, ex tam expressis sacræ Scripturæ & S. Patrum autoritatibus. Et ut hoc nobis persuaderet, ausus est dicere, me longe fuisse alienum à sacræ Scripturæ intelligentia, hoc loco diuerticulum quærens de Cherubim se respicientibus. Sed iudicent, quorum interest, vter rectius sentiat de sacra Scriptura. Tamen ut suas solutiones impertinentissimas excludam. Duo frequenter adducit, quorum in Sermone recitando secundum uiam communem non memini, nec ullus prædicatorum, quod meminerim, negauit. Et hunc quoꝗ timorem, in quantum disponit ad veram pœnitentiam præueniri inspiratione diuina. Nam indubitatũ est apud Christianum contra Pelagij perfidiam, quod salutis nostræ initium, Deo inspirante habemus. Quare non fuit necessarium, hoc afferre, vel ob hoc modum prædicandi reprehendere.

In vno tamen videtur mihi æquiuocatione falli, ꝙ hanc gratiam, qua Deus præuenit corda hominum mouendo, credit esse charitatem, cum sit aliud gratuitum Dei munus. Et per hoc resoluta est B. Augustini de spiri: & lite: sententia, contra improbos Pelagianos. *Augustinus.*

Alterum quod dicit, Timorem esse infructuosum, nisi accedente charitate, Quis hoc unquam uel Scholasticorum vel Prædicatorum negauit, qui omnes Apostoli Pauli ad Corinth. de charitate sequuntur sententiam? *1. Corin. 13.*

Porro, Quod laudabiliorem dixi pœnitentiam, quæ ab amore incipiat, assumpsit nos debere illam facere, iuxta illud Iohannis: Facite dignos fructus pœnitentiæ. Nam si secundum fragilitatem nostram esset agendum, nunquam pœnitebimus. Dico nos quoꝗ posse facere dignos fructus pœnitentiæ, etiamsi à timore inceperimus, & ad charitatem perueniamus. *Matth. 3.*

Et miror, quod D. Pater vult nos facere Angelos, & fragilitatis nostræ oblitos, cum B. Gregorius lib. 2. super Ezechielem expresse declarauerit, Prophetam descendisse de sapientia ad timorem, sed nos eosdem gradus ascendendo, *Gregorius.*

ascendendo, à timore ad charitatem peruenimus, sicut multa alia fragilitati nostræ condonantur.

Mentem suam declaraturus, ostendit, quomodo dilectio Legis præcedere debeat pœnitentiam. Quia per Legem abundauit delictum. Et ad Gal. 5. &c. Dico: Verum est, ut S. Augustinus contra Faustum lib. 22. testatur. Peccatum factum uel dictum contra Legem, ideo non esse peccatum, si non esset Lex prohibens, sed sicut Legis transgressione abundat delictum: ita Legis obseruantia augetur meritum. Quare omnino ista diuerticula ad propositum non conferunt: & solutiones datas, esse contra sacræ Scripturæ intelligentiam, post prandium manifestabimus.

Galat. 5. Gen. 5. Augustinus contra Faustum.

HORA II.

Continuauit Eccius semiplenam orationem.

Euerendus Pater ad illud de filio prodigo respondit, præcessisse amorem iusticiæ, iuxta illud: Et conuersus in se, quia memoriam paternæ domus habuerit, Sed hoc non diluit obiectum, quia conuersio illa fuit facta contemplatione pœnæ, dum neminem haberet, qui eum siliquis satiaret, durante enim pecunia non conuertebatur in se, sed famelicus est conuersus in se. Accedit, quod B. Augustinus ait, verba eius fuisse uerba pœnitentiam meditantis, nondum agentis. Quod si conuersus in se fuisset amore iusticiæ, iam pœnitentiam incepisset contra Augustinum. Quare solutio sua propositum non infringit, & Basilio manifeste reluctatur.

Lucæ 15. Prosequamur hodie incepta.

Ad Iohannem respondit, Aliud esse incipere, aliud prædicare, & alias dixit, Prædicatores terrere, sed non facere pœnitentem per pœnarum cruciatum. Iterum euanida est solutio, Quia si Iohannes prædicauit, certe intendebat fructum suæ prædicationis, & quia insinuauit eis timorem, signum est hoc pacto pœnitentiam auspicari. Et nostri Prædicatores prædicant, quomodo incipiant, scit Deus.

Porro, Quod pœnitentiæ initium gratiæ tribuit, & nostri Prædicatores & Doctores nunquam negauerunt, quia Deus aspirando præuenit.

Aristoteles.

Præterea Aristotelem non vult acceptare in Scholis Theologicis, & tamen audet eum mihi opponere. Sed dico constantem esse Ethnicorum sententiam, sistendo in timore pœnæ non esse perfectam virtutem, Iuxta Illud: Oderunt peccare mali formidine pœnæ, Oderunt peccare boni, virtutis amore &c. Nec opus virtutis debet esse coactum, sed liberum. Aliud tamen est liberum arbitrium induci, aliud est liberum arbitrium cogi. Fateor, Christus beneuolis verbis vocauit Apostolos, Zachæum, Magdalenam. Sed ipsum aliquando durius vocare, factum Pauli nobis innuit, de quo Augustinus ait 23. quæst. 4. can: Quis. Cui Christus vim intulit, quē coegit, Et in Euangelio, de vocatione ad cœnam dicit: Compelle intrare. Sicut pluribus verbis B. Gregorius in Homilia, prosequitur. Taceat ergo, quæso, reuerendus Pater, solum beneuolentem afferens vocationem.

Lucæ 14.

Præterea solum timorem filialem necessarium arbitratur pœnitenti, de quo plurimum miror, cum hodie me ad veram Scripturarum intelligentiam monuerit, q̄ seipsum primo non emendauit, Nam & B. Augustinus in loco hodie allegato super Iohanne, loquitur de timore seruili, quem foras mittit charitas, & de illo dicit loqui Sapientem: Initium sapientiæ timor Domini.

 Et ita

Timor seruilis. Et ita de timore seruili intellexit glossa super Psal. Inicium sapientiæ &c. Psal. III. Metus iudicij ianua est conuersionis ad Deum, & est glossa Cassiodori. Sic glossa super illud Apostoli ad Roma 8. Non enim accepistis spiritum seruitutis in timore, Dicit timorem seruilem esse bonum & a Deo. Sic Paulus testatur illum bonum 1. Timoth. 5. Peccantem coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant. Ita Augustin. super Psalmis ait, & Longobardus eum enarrat in. 3. Timor seruilis est, cum per timorem gehennæ continet se homo a peccato, quo præsentiam iudicis & pœnas metuit. Et infra: Bonus est iste timor & vtilis, licet insufficiens, per quem paulatim fit consuetudo iusticiæ. Beda quoque exponit: Inicium sapientiæ timor Domini, scilicet seruilis. Roma. 8. 1. Tim. 5. Longobardus. Beda.

Quare aliud quærat sibi patrocinium, & aliam det solutionem, quoniam ista S. Patribus non concordat. Quod si nolit dictis Sanctorum stare, habebit aduersum se sacræ Scripturæ locos. Nam dum timor Domini est initium sapientiæ, adhuc charitas foris pellit timorem, sed timor filialis iuxta Dauid in æternum permanet, & in seculum seculi. Quare alius est timor, quo sapientia inijciatur, alius est, qui cum aucta permanet. Vnde cum reuerendus Pater negat timorem inducere charitatem, expresse S. Augustino contradicit, qui in loco allegato hoc totum ait, timorem scilicet seruilem esse initium sapientię, & per charitatem iterum expelli. Subscribit sententię Augustinianæ mellifluus Bernardus Ser: 52. super Canticis, quem breuitatis gratia non adduco. Sed etiam plus dico, charitatem non sic expellere timorem, sicut vnum incompatibile aliud, sed successu ad augmentationem gratiæ minui timorem seruilem, & aucta gratia timorem omnino auferri. Psal. 19. Augustinus. Bernardus.

Nec refert, quod ponderabat hodie D. Pater: Timor Domini, Non timor pœnæ est initium sapientiæ, Quoniam & timor pœnæ & timor reuerentiæ uterque est Domini, & vterque est a Domino. Sola media timendi sunt diuersa, ut Beda & alij per Longobardum inducti testantur, præter Augustinum prius citatum. Et satis liquet ex verbis Christi, si nihil aliud haberemus, Matth. 10. Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam. Si enim timor seruilis esset damnabilis, sicut dicit reuerendus Pater, Cur Christus nos ad eum inuitaret? & Augustinum & alios ita intellexisse, confero in iudicium eorum, quorum intererit. Beda. Matth. 10.

Insuper dicit, Scholasticos omnes concordare, quod contritio nullius sit vtilitatis, nisi fiat in charitate, Hoc quidem uerum, sed secundum Augustinum, ad charitatem non peruenitur, nisi per timorem. Timor medicamentum est, charitas sanitas. Vnde non accedente charitate, omnes bene nouerunt timorem illum insufficientem, propterea in via illum constituunt non in termino.

Ad rationem ex B. Dionysio sumptam transiuit, sed non aperuit D. Pater, cum peccatum sit imum, & charitas superius, quod sit medium perueniendi à peccato in charitatem, & profecto aliud dare nequit, quam Basilius, Beda, Augustinus, Bernardus, timorem.

Deinde assumit gratiam præuenire timorem & amorem, Quod si loquitur de gratia motionis diuinæ, qua Deus nos aspirando præuenit, Fateor quidem tunc, Si autem loquitur de gratia charitatis, illud non accepto, Quia illius, quæ recte sapientia in Scripturis appellatur, initium est timor Domini, quamuis timor iste absque charitate sit infructuosus.

Porro, quod Ambrosium, Gregorium, & alios Doctores admittit, sed non contra Apostolum de timore Legis, nescio quas offundit nebulas. Dicat clare, aut isti S. Patres per me allegati repugnent dictis Apostoli, vel minus. Si repugnant

Si repugnant dicto Apostoli, hoc ostendat, quod nunquam fieri posse arbitror, Cum in sacris Scripturis fuerint exercitatissimi & Spiritu sancto repleti, Apostolum Paulum æque bene intelligentes, sicut nos. Si non repugnant dictis Pauli, stet eorum sententiæ, & Prædicatores modum contritionis & pœnitentiæ præfatum docentes non improbet, nec ab hominibus peccatoribus huiusmodi timorem seruilem utilem & quasi necessarium medium excludet.

Non releuat eum, q̃ existimat habita charitate, moueri mentem ad timorem, quoniam hoc esset cancrino more retrogradi, contra B. Gregorij sententiam lib. 2. Homilia 19. super Ezechielem. Constat proculdubio, quia à timore ad sapientiam ascenditur, non autem à sapientia ad timorem reditur. Habet ergo timor pœnam, quæ charitate aucta minuitur, & totaliter absorbetur. *Gregorius.*

Præterea, ob temporis angustiam, alia in eodem sermone contenta, quæ tamen omnino venirent discutienda, nisi hodiernus dies præfixus esset ad hanc materiam terminandam, Sicut est punctus de sigillata peccatorum confessione in spem, vti meminit Chrysostomus super caput 12. Matth. de puncto, q̃ Scholastici ponant tres partes pœnitentiæ, scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quas prius posuit Chrysostomus sermone 29. de pœnitentia. De duplici modo confitendi Sacerdoti, cum alijs punctis, quæ omnia prolixe possent tactari & excuti. Sed iacto iam Fundamento totum simul sermonem, & ea quæ adduxi, pro parte mea confero in iudicium Iudicum eligendorum. *Tres partes pœnitentiæ. Chrysostomus.*

LVTHERVS.

SPerabam egregium D. D. confutaturum meas Solutiones, præsertim ea, quæ pro Fundamentis ex Paulo induxeram de Lege, quæ ante charitatem non operatur nisi iram, & auget peccatum, taceo, q̃ disponat ad gratiam, quemadmodum timor seruilis fructus Legis iram operatur, & auget peccatum At ipse hæc fortiter transiliens, eandem cantilenam recantauit, ac nobis hæc, non succum sed medullam Scripturæ contendit persuadere, discurram per singula. *Lex ante charitatem operatur iram*

Rom. 8. Proinde dicit, Non fuisse necessarium afferre, q̃ initium salutis nostræ sit ex Deo inspirante, Vbi & timorem disponentem dari intelligit. Respondeo: Hæc plane omnia sunt erronea propter verbum Pauli, qui dicit, Impossibile esse Legem impleri, imo peccata non augeri, nisi Spiritus sanctus diffundat charitatem in cordibus nostris. Has Autoritates iam expressas oportuit confutatas, & illam B. Augustini ca. 3 de spiri: & lite: Cum cœperit non latere, quomodo viuendum est, nisi gratia donetur, non suscipitur, non bene viuitur. Vadat ergo cum suo seruili timore, qui non operatur, nisi odium Legis & Dei, & cum iniuria vocatur disponens ad gratiam. *Seruilis timor.*

Inuenit etiam æquiuocationem gratiæ, aliam esse charitatem, aliam donum, quo primum mouemur. Transeat hæc distinctio, nihil ad propositum, est elusio verborum Pauli. Clarissimus est textus Pauli, nisi gratia & charitas faciat nos diligere legem, Lex semper iram operatur, Hoc donum autem, quo primum mouemur, non diliget Legem, sed charitas spiritus.

Tertio, concessit timorem esse infructuosum sine charitate, & hoc nullum negasse Respondeo: Cur ergo docent infructuosas pœnitentias, & resistunt mihi fructuosam docenti? Relinquo hãc esse omnino subuersam, cum tot opusculis Augustinus, etsi Augustinus non faceret, tot fulminibus, tamen unus Paulus concludit, opera quæcunque ante charitatem esse peccata & damna- *Opera ante charitatẽ peccata sunt.*

& damnabilia et indisponentia ad gratiam. Et per hęc dicta ferme ad omnia sua replicata responderi potest. Ipse quidem pro more suo dicta Scripturæ diuinæ temperat ad dicta Patrum, imo trahit ad intelligentiam suam, quam habet in Patribus, cum potius contra scripta Patrum debeant conferri, & iudicari ab dicta Scripturæ.

Quarto, non accipit quod assumpsi, Nos debere facere laudabiliorem illam pœnitentiam, sed dicit nos posse etiam dignos fructus pœnitentiæ facere, si à timore inceperimus. Hoc secundum B. Augustinum sic expono, Si peccata peccatis addiderimus, cũ, vt sæpius iam dictum est, quidquid ante sanatam per gratiam voluntatem fit, fructus malæ arboris sit, quæ non potest bonos fructus facere. Ergo per timorem seruilem nunquam peruenitur ad charitatem.

Gregorius super Ezechielem.

Quinto, Innixus Gregorio super Ezechielem, qui descendit de sapientia ad timorem, sed nos contra descendere à timore ad charitatem. Docenti sic respondeo, Quod diuus Gregorius non debet excludere charitatem, nec exclusit à timore incipiente pœnitentiam, sicut D. D. intelligit, sicut nec à charitate excluditur omnis timor seruilis, præsertim in hac vita, cum charitatis officium sit expellere timorem seruilem, atq; id tota vita, & inducere timorem filialem.

August. contra Faustum. Peccatum.

Sexto, ad autoritates Pauli, Quod Lex propter transgressiones posita est, & auget delictum, dicit nihil esse ad propositum, & me diuercula quæsiuisse, adducens Augustinũ contra Faustum li. 22. Peccatum, esse dictum vel factum contra Legem Dei. Nescio quid velit D. D. Non est hic Disputatio, quid sit peccatum, ideo superfluis verbis hoc tempus perditum est. Scopus iste versatur, quod autoritate Pauli timor seruilis non possit esse nisi peccatum, & augere peccatum per virtutem Legis, si desit gratia. Et sic autoritates Pauli non sunt diuerticula, sed fulmina conterentia sententiam D. D. usque ad puluerem. Nõ ergo ego ex hominibus Angelos facio, oblitus fragilitatis, Sed doceo, ne Deos faciamus ex peccatoribus, dum obliuiscuntur fragilitatis suæ, qua non possunt nisi malum facere ante gratiam.

Conuersio Filij prodigi. Lucæ 15.

Quod conuersionem filij prodigi factam dicit contemplatione pœnæ, nego. Ad probationem, Quod neminem haberet, qui eum siliquis satiaret, dico: Nisi intus fuisset tractus & in se conuersus, potius fame mortuus esset, quam redijsset, vt stet sententia: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.

Quod Augustinus dicit, Verba eius fuisse verba pœnitentiam meditantis, nondum agentis, spero q; pro me faciat, quando meditari pœnitentiam, præsertim medullitus in corde, sit certe incipere pœnitentiam. Ergo illud nondum agentis oportet de perfectione ad extra intelligi.

Idem ad Basilium dicetur.

Lex. Gratia.

De verbo Iohannis Baptistæ, Dicit euanidam esse solutionem, Quod dixerim, Aliud esse pœnitentiam docere, aliud incipere. Respondeo: Salua reuerentia, egregius D. D. non videtur Paulum intelligere, nec virtutem Legis cognouisse. Lex enim docet quidem sancta, iusta, & bona, Sed sola gratia incipit, facit & perficit ea. Ergo etiamsi Iohannes timorem docuisset esse initium pœnitentiæ, non ideo sequitur, pœnitentiam incipere à timore. Sicut si insinuem quodlibet bonum opus per terrores & minas, non ideo incipit opus bonum à terrore & minis, sed à charitate.

Indignatur, q; Aristotelem ei obiecerim in Scholis theologicis, quem tamen non acceptarim. Fateor, minor est, q̃ vt valeat in theologica Schola, cum seductor fuerit scholasticorum Doctorum. Sed satisfacere volui Conclusioni meæ, quod contra sacrum suum Aristotelem desipiunt, qui pœnitentiam

tentiam à timore,& non libera uoluntate incipiunt. Nam distinctionem de libero arbitrio coacto & inducto transeo. Nam enim uerum est, ꝙ liberum arbitrium unquam cogatur ad bonum, aut cogi etiam possit. Si autem cogitur, in diuersa rapitur,& coactionem sui odit. Sola autem gratia trahitur, hoc est, uere liberum efficitur, ut Augustinus contra Iulianum lib. 2. & in multis locis. *Liberum arbitrium potest cogi ad bonum.*

Vbi Christum dixi vocasse Apostolos & Magdalenam blando tractu, contra opponit, Paulum vocatum esse durius, & in Euangelio iussum esse seruum, ut compelleret intrare. Primum satis admiror, ꝙ cum nos exemplum Pauli soleamus adducere pro defendenda gratia, ipsi nobis elabuntur dicentes, hoc esse miraculosum factum,& non facere Regulam. Hic tamen egregius D. D. quasi non pro miraculo habens, pro regula inducit. Sed hoc dimitto. Dico, non potuisse Paulum intus ex corde conuerti, nisi trahente gratia, vt B. Augustinus contra Epistolas Pelagiano. docet, gratiam Dei facere ex nolentibus ac resistentibus, uolentes & sequaces. Ita & illud in Euangelio soluitur, ꝙ seruus potest compellere verbo, sed nisi (ut Esa. loquitur) Dominus sibilet, nihil sequitur. *Lucæ 14.* *B. Augustinus.*

Ad illud Augustini, intelligentis seruilem timorem in uerbo Salomonis: Inicium sapientiæ timor Domini. Et ilud glossæ Psal. 110. Metus iudicij ianua est conuersionis ad Deum. Respondeo: Si adsit gratia, alioqui seruilis timor sine gratia (neꝙ enim Augustinus excludit) non operatur nisi iram. Oportet enim ꝙ Augustinus non pugnet, sicut uere non pugnat, cum Paulo, damnante omnia quæ sunt extra gratiam. Glossam super illud Roma. 8. Non accepistis spiritum seruitutis in timore, dicentem, esse seruilem timorem bonum, potius, reijcerem, tanquam expresse contra textum loquentem. Apostolus enim dicit: Non accepistis spiritum seruitutis in timore, damnans eum. Aut dico, ꝙ glossa textum non exponit. *Psal. 110.* *Roma. 8.*

Illud Apostoli ad Timoth. Argue coram omnibus, ut & cæteri timorem habeant, D. D ad seruilem timorem adaptauit, quod relinquo. Ego de filiali timore accipio, donec aliter probet. Quod autem Augustinus, Magistro recitante lib. 3. dicit: Timor seruilis est, cum per timorem gehennæ continet se a peccato, quo pœnitentiam iudicis, quo pœnas metuit &c. Continet, inquam, se a peccato externo tantum, intus tamen auget odium iusticiæ gehennam comminantis. Et infra: Bonus est timor & utilis, licet & insufficiens, per quem paulatim fit consuetudo iusticiæ. Hoc est meo iudicio consuetudo desperandi & odiendi Deum, si excludatur gratia: verum autem est, si includatur gratia. *1. Timo. 5.*

Non est ergo necesse, ut dem aliam Solutionem, nisi D. D. egregius primũ probauerit, S. Patres loqui de Seruili timore, exclusa gratia, Aut charitatem non habere negocium in expellendo timore seruili. Quare, quæ consequenter induxit de expulsione timoris, de initio sapientiæ, & quomodo expellat charitas timorem successu per augmentationem gratiæ, ex præcedentibus satis intelliguntur.

Superest robustissima autoritas Matth. 10. quam vnam sufficere putat. Nolite timere eos, qui corpus occidunt &c. sed timete eum &c. Ideo non esse seruilem timorem damnabilem, ad quem Christus nos inuitat. Respondeo primum: Si hoc uult D. D. contradicetur præcedentibus, ubi timor seruilis insufficiens dicitur, Ideo æque absurdum est dicere, Christum nos docuisse insufficientiam. Dico tamen ego, non esse ibi seruilem timorem Domini, quia et filialis timor timet offendere Deum,& separari ab eo. Atꝙ etiamsi de mero seruili timore loqueretur, nondum intelligitur exclusa gratia, imo inclusa, cum teste Apostolo & Augustino, omnis Lex & doctrina sit litera requirens Spiritum. *Matth. 10.* *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c. Matth. 10.*

Consensit

Consensit etiam Scholasticos uere dicere: Contritionem non ualere extra charitatem, sed non confutauit. Stat ergo eorum ipsorum Autoritas contra eos: nisi confutet contritionem in charitate esse id, quod à charitate incipit fieri.

Illud Augustini bene placet: ꝙ timor est mendicamentum: charitas est sanitas, timor scilicet in charitate imperfecta, & charitas perfecta.

Dionysius. Rationem illam ex Dionysio sumptam, de imo, medio & summo, dicit me transijsse, & non aperuisse: quod sit medium inter peccatum imum, & charitatem superiorem. Fateor me libenter transijsse, ut qui crederem ipsi D. D. satis esse perspectam hanc Rationem, nihil esse ad propositum. Dionysius enim loquitur de ordinibus infinitis, medijs & summis. At ego prorsus nullum habeo medium inter peccatum & gratiam. Sicut nec Christus, quando dicit: Qui non est mecum, contra me est. Et iterum: Aut facite arborem bonam: aut facite arborem malam. Sed & ipsum D. D. credo idipsum asserere, ꝙ gratia & peccatum apud Scholasticos immediate opponuntur.

Non accipit D. D. Quod gratiam dixi præuenire amorem & timorem, nisi loquar de gratia primæ motionis. Respondeo: Ego cum Apostolo & Augustino sentio: quod nisi Lex diligatur (quod est charitatis & non primæ motionis) non bene uiuitur. Ergo nec Deus timetur, nec colitur.

In fine, Instruit aduersus me cornutum syllogismum, aut Ambrosius, Gregorius, alijq; repugnant dictis Apostoli: uel non. si sic, quod ostendam: si non, ut stem eorum sententiæ. Respondeo & per medium transeo, non repugnant dictis Apostoli: & sto eorum sententiæ, non autem Eccianæ intelligentiæ, imo errori. Non enim excludunt charitatem à timore siue seruili siue filiali.

Dicit D. D. esse cancrino more retrogredi, quod dixi: Habita charitate moueri mentem ad timorem. Satis miror, siue scorpionem, siue cancrũ istum, cum & gentilis ille Poeta dixerit: Res est solliciti plena timoris amor. Quasi ignoremus, quod amor fons & caput est omnium affectuum. Ideo enim timetur pœna & infernus seruiliter, quia diligitur uita & uoluptas pueriliter & seruiliter. Ad hunc timorem & amorem extirpandum, diffunditur charitas Dei, qua amemus aliam uitam: & timeamus aliam mortem, id est, separationem à Deo. *Amor fons omnium affectuum.*

Transijt D. D. de punctis in Sermone meo signatis: & de toto Sermone confutando. Dico breuiter: Habet calamum & papyrum, aggrediatur eum cum fiducia, uidebitur, an Sermonem confutauerit, vel seipsum irriserit. Hoc relinquo iudicio ordinandorum.

ECCIVS.

Quia ob temporis angustiam respondere non possum ijs, quæ reuerendus Pater adduxit: refero tamen me ad Iudices, Me nihil transilijsse neq; fuisse de mente Prædicatorum aut Doctorum legem adimpleri sine charitate, Neq; aliquos docuisse infructuosam pœnitentiam: Sed quomodo per timorem seruilem ad fructuosam perueniatur. Et quod magnifico verborum apparatu recessit ab hodierna solutione, quia dixerat Sapientem loqui de timore filiali, Iam uero admittit loquentem de timore seruili: non tamen excludendo gratiam. Quod nec textus, nec S. Doctores patiuntur. Nam per sapientiam intelligit charitatem, & ita initium esset ante initium. Totus quoque Augustinus non laborat, quomodo timor seruilis cum charitate sit initium charitatis, sed quomodo timor seruilis primo occupet mentem, & primo ingrediatur &: sic inducat charitatem, quod etiam

etiam est de mente Gregorij improbantis reditum cancrinum, ubi reuerendus Pater pro Gregorio. Scorpionem mihi adducit: Res est solicita &c. Omnes ergo S. Doctores hodie citati, uolunt timorem seruilem esse initium charitatis, ad intelligentiam sæpe datam, & quam Prædicatores solent dare, de quo refero me ad Iudices.

XIII. IVLII: ANNO M. D. XIX. HORA II.

Circa materiam Conclusionum quartæ & quintæ.

ECCIVS.

Euerende Pater, quia tempus nobis præfixum, est nimis arctum, tamen tangendo fundum negocij aliqua obiter attingemus. Illud scilicet, quod quilibet Sacerdos absoluat a pœna & culpa, contra communem usum totius Ecclesiæ. Et quod in Sermone uulgari & Conclusione dicitis, Ex nulla Scriptura probari, diuinam iusticiam aliquam pœnam uel satisfactionem expostulare a peccatore. Et illis innitor, quia in absolutione sacramentali culpa remittitur simultanee, sed pœna peccato debita æterna commutatur in temporalem. Hoc liquet ex sacræ Scripturæ traditione, & S. Patrum usu. Et ut breuior sim, expresse hoc uoluit Ambrosius super Lucam, Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, Augustinus quæstion. 1. de octo Dulcicij quęstionibus, & pertinenter Ambrosius Luc. 5. testatur satisfactione pœnam peccati dissolui.

Scriptura est in promptu. Quoniam peccatum Adæ, culpa iam remissa, punitur in tota posteritate. Quare transeunte culpa, remanet pœna. Quam rationem tangit Augustinus tractatu. 124. supra Math. & glossa. 2. Regum. 12. Similiter de Dauid. 2. Reg. 24. ubi Dauid pœnituerat & percusserat cor eius, peccaui, dixit, valde in hoc facto, sed peto ut transferas iniquitatem serui tui. Modo peccatum nō transfertur quo ad culpam, quia, ut Propheta ait, Anima ipsa quæ peccauerit morte morietur. Restat ergo ut peccatum quo ad pœnam transferatur. Sic per Prophetam Natan dicitur Dauid. Transtulit Deus peccatum tuum. Vbi glossa, Deus delictum delet, sed inultum non deserit. Aut enim homo in se pœnitens punit, aut Deus cum homine uindicans percutit.

Peccatum Adæ. Dauid. ch. 18. mu. 11.

Et ut ad S. Patres ueniamus, a quibus usus & praxis Ecclesiæ principaliter ab Apostolis deriuatus est. Nam primo nullum peccatum manet impunitum, & pœna est ordinatiua culpæ. Quas rationes tangit Augustinus & refert Gratianus (sicut primi de pœnitentia distinctione. 7.) Nam Deus malum fieri non pateretur, nisi illud per iusticiam ordinando melius stare in mundo faceret. Inquit ergo Augustinus lib. de pœnitentiæ medicina. Non sufficit mores in melius commutare, & a factis malis recedere, nisi etiam de ijs, quæ facta sunt, satis fiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per cōtriti cordis sacrificium, eleemosynis cooperantibus &c. Non enim dictum est, ut tantum abstineatis a peccatis, sed & de peccatis, inquit, deprecare Dominum, ut tibi dimittantur etc.

Augustinus.

Sed si

Sed si reuerendus Pater, sicut in Resolutorio & alias, meo quidem sensu, facere nititur, satisfactionem illam fieri Ecclesiæ, sed Deum talem pœnam non requirere, & quam Deus requirat, homo non auferat. Contra ego oppono Primo quod Augustinus in Enchiridio inquit cap. 71. loquitur de Oratione dominica. Delet omnino hæc oratio, minima & quotidiana peccata, delet & illa à quibus vita fidelium scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata discedit. Vbi constat Orationem dominicam delere venialia & etiam mortalia, non quo ad culpam, sed quo ad pœnam, quia pœnitendo mutata, quæ mutatio Augustini intelligi nequit, nisi de mutatione pœnæ æternæ in temporalem.

Cyprianus ad Fidum.

Eos, qui fuerunt à quadringentis annis, non adduco Huc Vuilhelmus, Parisiensis, Vuilhelmus Altisidio: qui id pleno ore affirmant. Accedat Cyprianus in Epistola ad Fidum, vbi sic ait: Legimus literas tuas, charissime frater, quibus significasti de quodam Presbytero Victore, quod ei, antequam plenam pœnitentiam egisset, & Domino Deo, in quem deliquerat, satisfecisset, temere Therapius collega, præpropere pacem dederat. Hic S. Cyprianus non dicit Victorem Ecclesiæ non satisfecisse, sed Domino Deo.

Cyprianus ad Cor. Pap.

Idem Cyprianus ad Cornelium Papam de hæreticis ait: Elaborant vt opus suum diaboli malicia consument, ne vulneratos diuina clementia in Ecclesia sua curet. Miserorum pœnitentiam mendaciorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti satisfiat. Apertissime sacer Matyr hæreticos increpat, qui pœnitentiam ab Ecclesia iniunctam existimabant non esse satisfactionem Dei.

Quamuis reuerendus Pater citra medestiam sæpius mihi improperet, quasi Scripturarum sanctarum intelligentiam non idonee tractem, de quo iudicent hodie designati Iudices, vter rectius de fide & sacrarum Scripturarum sensu sentiat. Attamen, quantum ego video, vniuersi sacrarum Scripturarum tractatores in hanc sententiam descendunt. Ad quid enim Ecclesia vellet imponere tale onus graue pœnitentibus, cum Dominus & caput Ecclesiæ illud non exigeret? Quam rationem in annotationibus tetigi, non tamen fuit mea, sed Chrysostomi, sicut refert Gracianus 26. quæst. 7. can: Allegat homo, Cui graue pondus pœnitentiæ imponis, aut pœnitentiam reijciet, aut dum sufferre nequit, scandalizatus amplius peccat. Deinde etsi erramus, pœnitentiam modicam imponentes, nonne melius est, propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem? Vbi enim paterfamilias largus est dispensator, non debet esse tenax. Si Deus benignus, vt quid sacerdos vult esse austerus? Hoc pro confessoribus.

Chrysostomus. Gracianus.

Idem Homilia 31. ait super Epistola ad Ebræos: Peccatum confessione minuitur, sed non minuitur, quo ad culpam, quia impium est, vt Hieronymus ait, à Deo, dimidiam sperare veniam, ergo minuitur, quo ad pœnam.

Gregorius 4. morali.

Addo Gregorium 4. moral. ca. 49. post multa sic dicit: Sed quia nullum peccatum Deus inultum relaxat, aut enim nos hoc flendo insequimur, aut ipse iudicando. Restat, vt ad emendationem suam semper mens solerter inuigilet.

Hieronymus.

Hoc sensit & B. Hieronymus verba sua transscripta sunt can: Mensuram, de pœniten. dist. 1. Mensuram temporis in agenda pœnitentia. Idcirco non satis præfigunt Canones pro vnoquoque crimine, vt de singulis dicant, qualiter vnumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt, Quia apud Deum non tam valet mensura temporis, quam doloris.

Augustinus.

Augustinum quoque refert in can: Nullus, Nullus debitæ grauioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcunque etsi longe minorem, quam debeat, pœnam soluerit, ita enim impertitur a Deo largitas misericordiæ, & non re-

linquatur

linquatur iusticiæ disciplina. Hic habet Reuerendus Pater Augustinum in defensione mea adductum, cuius sententiam prosequi, non est instituti nostri in præsentia.

Accedat postremo Isidorus lib. 2. de summo bono, ca. 15. Quamuis per pœnitentiam propiciatio peccatorum sit, tamen sine metu hoc esse non debet. Quia pœnitentis satisfactio diuino tantum pensatur iudicio, nō humano. Quare pœnitentia iniuncta non est, quia satisfacit tantum Ecclesiæ, sed etiam quia satisfit Deo. Nam & apud Deum productior est pœna, ꝙ culpa, ut Augustinus testatur tract: 124. super Iohannem. *Isidorus de summo bono.*

Quibus omnibus pro indubitata ueritate habitis, faciliter patet improbatio Conclusionis quintæ, ubi dicit reuerendus Pater, Quemlibet sacerdotem debere absoluere pœnitentem a pœna & a culpa, Et ita quilibet sacerdos uillanus esset in sua parochia Episcopus, Archiepiscopus & Papa, Quod esse manifestissime falsum præter usum totius Ecclesiæ, non solum adulatorum. Probatur primo ex ijs, quæ dicta sunt, Quia per absolutionem sacerdotalem culpa deletur, pœna manet, licet cōmutata. Deinde, quia sacramentum pœnitentię est iudiciale, ut formā huius iudicij describit B. Augustinus ca. 2. de pœni: medi. Et ad iudicium ferendum pertinet iurisdictio, nisi uelit Anaxagoreum chaos & confusionem maximam facere in Ecclesia Dei.

Et cum iurisdictio se ad duo extendat materialia, in hoc Sacramento habita, Nam peccator pœnitens, & peccata ipsa sunt de materia pœnitentiæ, & nemo negat iurisdictionem in inferioribus Prælatis, ad confusionem tollendam esse coartatam, quo ad materiam peccantium, nam hinc proprij Sacerdotis habetur determinatio. Et quia sententia non lata à suo iudice est nulla, ideo absoluens non subditum nihil facit.

Sic a simili materia peccatorum potest coartari iurisdictio eadem ratione, & in criminum detestatione. Quod autem etiam a sibi commissis non possit plenarie absoluere, Ex eo patet, quia tanta potestas, nisi autoritate fundetur contra totius Ecclesiæ consensum, cuius praxis debet homini Christiano esse pro regula, non debet tribui. Sed in superioribus ostensum fuit per maiores Clericos, Cyprianum, Chrysostomum, & Augustinum, pœnæ debitum remanere post culpam. Ideo reuerendus Pater cedat S. Patrum autoritati, & consuetudini totius Ecclesiæ obtemperet, Aut cur id fieri non debeat autoritate sacræ scripturæ, Conciliorum uel sanctorum Patrum, exponat.

LVTHERVS.

ADmitto D. D. ꝙ habeat vltimum uerbum, quia sic vult. Arguit autem egregius D. D. contra Conclusionem meam, uolens probare, pœnam requiri a Deo, Et pro primo inducit Scripturam, Gene. 3. ubi peccatum Adæ, etiam remissa culpa, punitur in posteritate, ergo pœna remanet, transeunte culpa. Volo D. D. obstrictum hoc exemplo, & non replicet, nisi confirmet, aut sententiam cedat. Si ista pœna requiritur pro peccato, & similiter sentiendum est de qualibet pœna, ut infert, Habeo propositum, ꝙ pœna non possit remitti per Papam aut ullum sacerdotem, quia nullus adhuc remisit mortem, infinita genera pœnarum, morborum, & similium miseriarum, quæ omnes pro peccato primo sunt illatæ. Et sic probatio D. D. probauit Conclusionem meam contra seipsum. *Adam. Gene. 3.*

Secundo, Quod a Dauid translato peccato, non est translata tamen pœna, etiam pro me facit, sicut & in Sermone eodem uulgari sequenter dixi. Quia erat pœna, quam Deus requisiuit, ideo nemo auferre potuit. Si D. D. non intellexit me, legat diligentius, Ego enim dixi & dico, Quod hanc *Dauid.*

pœnam Deus non requirat, quam Papa vel homo possit soluere: Quam autem ipse requirit (scilicet immediate loquitur) non possit homo soluere.

Tertio, induxit glossam: Deus delictum delet, sed inultum non dimittit: nihil pugnat contra me. Vlciscitur enim, siue per ipsummet hominem conterendo, siue per Ecclesiam emendando, siue per seipsum iudicando. Et hoc ultimum & primum genus pœnæ in nullius hominis arbitrio est: sicut Apostolus 1. Cor. 11. dicit: Si nos ipsos iudicaremus, non utiq; iudicaremur a Domino: cum autem iudicamur a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur. Ibi clarum est, quomodo Deus pœnam requirat, & non requirat. 1. Corin. 11.

B. Augustinus. Quarto, Augustinum per Gratianum relatum, Quod Deus non permitteret malum fieri, nisi per iusticiam illud ordinando melius stare faceret. Miror D. D. q; has & similes Autoritates ita consarcinat, cum nemo eas neget, aut contrarium sapiat. Ego enim hoc solum impugnaui semper, q; uirtute clauium iactant solui pœnas per iusticiam diuinam requisitas. Hoc enim non credo esse uerum, nec probabitur. Non enim dixit ad Petrum: Quod ego ligo, tu solues: Sed, Quodcunq; tu solueris, solutum erit.

Matth. 16.

Quinto, Illud de pœnitentiæ medicina: Non sufficit mores in melius commutari, nisi etiam satisfaciat Deo, de ijs quæ facta sunt per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. Hæc omnia ego quam maxime uolui semper. ut quid ergo per indulgentias ista iactantur remitti: Si non sufficit, mores in melius commutare, & diuina iusticia has requirat satisfactiones. Frustra ergo gloriatur D. D. q; non dictum sit, q; tantum abstineatis à peccatis, sed de præteritis deprecare Dominum. Et sic patet, q; adhuc nulla Scriptura contra me adducta est, quanquam ego possem multo fortiores inducere contra me.

Post hæc, adducit Augustinum in Enchiridio: Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata, delet & illa, a quibus uita fidelium scelerate gesta, sed pœnitendo in melius mutata &c. Hoc est quod dixi, peccatorem post conuersionem teneri ad crucem & passiones uitæ, secundum quod Deus intulerit, quas non possit homo soluere, Et iterum hæc autoritas pro me facit.

Cyprianus ad Fidum. Eos, qui a quadringentis annis fuerunt, non adducit: & placet. Ad Cyprianum, epistola ad Fidum, ubi damnat Therapium, q; præpropere pacem dederat Victori, antequam plenam egisset pœnitentiam, & Domino satisfecisset. Ecce, inquit, non Ecclesiæ, sed Domino non satisfecisse dicit Victorem. Respondeo: Legat & conferat Cyprianum bene D. D. & inueniet eos etiam, quos paci dederant, ideo datos esse paci etiam præpropere, ut cruces & martyria expeditius sustinerent. Quæ ipse per multas Epistolas exponit esse pœnas & flagella pro peccatis à Deo inflicta. Quare Victor hoc modo nondum satisfecit Deo: & tamen satisfecit, Quia Ecclesiæ, quam nos vult audire Deus, satisfecit. Hoc enim habent uerba Christi, q; Ecclesia debet imponere pœnas, quando dicit: Quodcunq; ligaueris. Et hoc modo possem admittere, Deum requirere pœnas, quas Ecclesia possit soluere, quia pactum fecit cum illa.

Cyprianus ad Cor. Papa. Altera autoritas Cypriani ad Cornelium, qua iterum scribit, Hæreticos impedire peccantes, ne indignanti Deo satisfaciant. Quanquam Cyprianus ibi de pœnitentibus non loquitur, sed de Hæreticis, qui tanquam iusti & quasi bene fecissent, excusauerunt & defenderunt se in peccatis suis, Tamen respondeo sicut ad priorem.

Post hæc addidit rationem: Ad quid Ecclesia uellet onus imponere pœnitentibus, si illud Dominus non exigit: & longam autoritatem allegat Capitulum. quæ inducit omnia transeo, & dico, Quod Ecclesiæ mandatum est, ut castiget

vt castiget & iudicet peccatores, quod si nō fecerit, Deus irremissibiliter faciet, iuxta sententiam Pauli superius adductam 1. Corinth. 11. & sic non potest solui. 1.Corin.11.

Item, Idem Homilia 31. super Ebræos: Peccatum confessione minuitur. Ex quo verbo colligit D.D. in hunc modum. Non minuitur, quo ad culpam, ꝙ impium sit a Deo sperare dimidiam veniam. Ergo quo ad pœnā admitto totum, secundum prædicta.

Iam illa autoritas Greg. 4. Mor. Aut enim nos hoc flendo insequimur, aut ipse iudicando, Vix aliud aptius pro me adduci potuit. Similiter & illud Hiero. c. Mensuram, admitto, quod tamen Hieronymi esse dubito. *Gregorius 4. Moral.*

Admitto totum, ꝙ Canones non satis præfigunt, Ideo relinquo arbitrio sacerdotis. Addo & ego, multo magis arbitrio Dei, qui solus est ponderator spirituum, & non ignarus neq; iniquus iudicat.

Placet & illa autoritas Augustini c. nullus. Ita impartitur à Deo largitas misericordiæ, vt non relinquatur iusticiæ disciplina, Potest pro me, & pro D. D. valere, transeo. *Augustinus.*

Et Isidorus, quamuis non satis grauis autor in his rebus, placet tamen, ꝙ pœnitentis satisfactionem tantum diuino pensari iudicio dictat, non humano. Ergo multo minus remitti potest humano iudicio, cum clauis potestatis non debeat operari, nisi prior sit clauis scientiæ, quæ sciat quid & quantum soluat. *Isidorus.*

Apud Deum productiorem esse pœnam ꝙ culpam ex Augustino concedo, salua tamen autoritate Pauli Roman. 7. dicentis: Non inuenio in me, hoc est, in carne mea, bonum. Cuius sententia est, pœnam & peccatum simul finiri. Roma.7.

Hæc de prima Conclusione. Sed contra aliam dicit, esse manifestissime falsam & præter vsum totius Ecclesiæ, ꝙ quilibet Sacerdos debet absoluere à pœna & culpa pœnitentem. Et hoc probat primo ex dictis, id est, ex nihilo. Secundo per rationem, quia Sacramentum pœnitentiæ sit quoddam iudiciale: & ad iudicium ferendum pertinet iurisdictio. Iurisdictionem autem esse coartatam in inferioribus Prælatis ad tollendam confusionem, tam in peccantibus ꝙ in peccatis, Secundo in detestationem criminum, alioqui quilibet Villanus sacerdos esset Episcopus, Archiepiscopus & Papa.

Respondeo & dico duo, Primum, me nescire usq; in hodiernum diem, an coartatio istius iurisdictionis fecerit hoc, quod prętenditur, scilicet, criminum detestationem, & confusionis ablationem. Hoc certum est longe secius euenisse, Nam peccata crassissima etiam ridentur in maioribus curijs, quæ in proprijs Parochijs possent pulcherrime puniri, si seruatus esset modus, quem instituerunt Apostoli, & seruauerunt S. Patres usq; post Nicenum Concilium, Vbi definitum est, & longe post seruatum, vt Dioceses nō permiscerentur, & vnusquisq; pœniteret in sua Diocesi. De quo extat cum alijs præclarissima Epistola Cypriani ad Cornelium Romanum Pontificem III. *Cyprianus ad Cor. Papa.*

Nam cum statutum sit ab omnibus nobis, & æquum sit pariter & iustum, vt vniuscuiusq; causa illic audiatur, vbi est crimen admissum, & singulis Pastoribus portio gregis sit adscripta, quam regat vnusquisq; & gubernet, rationem sui actus Domino redditurus, Oportet vtiq; eos, quibus præsumus, non circumcursare, nec Episcoporum concordiam coherentem sua subdola & fallaci temeritate confidere: sed agere illic causam suam, vbi & accusatores habere & testes sui criminis possint &c.

Loquitur enim de ijs, qui in Africa peccauerunt, & ad Romanum Pontificem Cornelium cucurrerant. Et sic patet vsus primitiuæ Ecclesię de ligandis & soluendis peccatoribus.

Acto.20. Cum autem, vt Apostolus Acto. 20. ostendit, idem sit Episcopus & Presbyter. *Idem Episcopus & Presbyter.*

byter. Et ad Tit. 1. quælibet ciuitas suum Episcopum habere debeat iure diuino. Longe vtilior esset ad corripienda peccata modus, si quilibet Sacerdos in sua parochia ligaret & solueret pœnitentem, Quod exemplum monstrauit Apostolus, 1. Corinth. 5. vbi cum Corinthijs præsens spiritu, tradidit fornicarium Satanæ, obiurgans q ipsi non fecissent. 1.Cor. 5.

Quo vero iure, aut qua Ecclesiæ fœlicitate, hic modus diuino iure præscriptus, & in tantum tempus roboratus, sit sublatus, viderint alij. Ego quidem negare non possum, quia ad oculum uidemus ita fieri, ita statui, q tam peccantes q peccata reseruentur, & uni animę sex uel septem Pastores secundum sub & supra imponantur. Sed an ita debeat fieri, aut expediat, non definio. Scio, q inferior tenetur obedire restringenti & vexanti, quanquam nullo iure diuino. Superior tamen, ut dicit Conclusio mea, grauissime peccat, si reseruet occulta peccata sine rationabilissima causa, Imo adhuc dubito, & quantum capio, credo sine temeritate, nullum occultum peccatum debere reseruari aut posse, optans audire Probationem contrariam.

Secundo dico, Ecclesia non esset ruitura, si idem Plebanus, Episcopus, Archiepiscopus & Papa esset, ac sola concordia cohęrente, ut Cyprianus ait, Et sicut usus prioris Ecclesiæ fuit, iungerentur.

Proinde, q & damnatus fertur articulus in Constantiensi Concilio, de istis Reseruationibus, non satis curo. Hoc scio, q probatus fuit, & reprobata ista reseruatio in primitiua Ecclesia & institutione Apostolorum, Et nunc quoq;, ut miserrima Ecclesiæ experientia docet, esset utilissimus & saluberrimus ad cohercenda peccata, & tollendam detestabilem confusionem omnium Episcopatuum, quam hodie videmus. Qua causa autem sit suo tempore mutatus, transeo. Mutabilem inuenio, mutabilem relinquo. Hæc in arbitrium Iudicum. Hora transijt.

XIIII DIE IVLII, MANE HORA VII

Continuauit Eccius præter pactum.

ECCIVS.

Euerendus Pater ab inicio satis glorianter paruipendit per me adducta, quasi sibi minime obstent, quæ maxime aduersantur. Nam ipse voluit in Sermone vulgari non fieri commutationem pœnæ æternæ in pœnam temporalem, & opinioni communi contradicit, Quasi non possit probari, Deum exigere aliquam satisfactionem, præter portationem crucis. Et in Sermone latino collaudat dictum uulgarium ultra omnem doctrinam Doctorum scholasticorum, de pœnitentia datam: Nimer thun/die höheste Busse. Optima pœnitentia noua uita, secundum glossam eius. Addiderunt talem persuasionem ipse & propugnator, quia si auerterit se impius a iusticia sua &c. Si ad nouam pœnam imputat, quomodo dicitur non recordari, & patet Conclusio sua manifeste dicens, peccare sacerdotem, qui non absoluat a culpa & pœna. Huic errori ego contradixi S. Patrum autoritatibus, quibus ipse uoluit illudere, & auditores fascinare, quasi apud eum solum esset potestas interpretandi sacram Scripturam.

Optima pœnitentia, noua uita.

Vnde

Vnde bene adduxi contra eum Augustinum. Non sufficit mores in melius commutare & à malis factis recedere &c. Vbi est liquidissimum, doctrinā ex Sermone allegatame, sse falsam, Quia noua vita non est optima poenitentia, cum non sufficiat secundum Augustinū. Et bene etiam doctrina illa improbatur per B. Ambrosiū. li. 2. de poeniten: c. 5. Apostoli secundū Christi magisterium docuerunt poenitentiam. Et infra: Qui enim agit poenitentiam, non solum diluere debet lachrymis peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire & tegere peccata sua. Clarissima S. Patris verba, quod emendatioribus factis agendo poenitentiam tegere debemus peccata.

At cum Autoritates forent expressissimæ, Deum non remittere peccatum impunitum, cōfugit ad mirabilem poenarum distinctionem, qui tamen solitus est, Scholasticos ob distinctionū vsum improbare, & dixit, poenam, qua Deus vult peccatum punire, non posse auferri per hominem vel per Papam, quod est omnium falsissimum, & potestatis clauium anullatiuum. Nam in poenitentia facta commutatione poenæ, certe homo potest soluere illam poenam, per ipsum Apostolum, per reuerendum Patrem inductum, 1. Cor. 11. Si nos ipsos iudicaremus, non utiq; iudicaremur à Domino. Quare, si nos pro hac poena satisfacimus, Deus pro peccato à nobis aliam nō exigit, alioqui contra Prophetam, illud quod nos puniremus, si Deus vellet punire, iam bis puniret idipsum. 1. Corin. 11.

Præterea, Clara fuerunt verba Cypriani, Chrysostomi, Gregorij IIII. Hieronymi, ꝙ poena iniuncta à sacerdote in satisfactionem, est poena Deo debita, & ita Victor, quia non impleuerat poenitentiam iniunctam à Cypriano, dicitur nondum satisfecisse Deo. Quod & Theodorus in suo poenitentiali, quem sequitur quasi ad verbum Beda, idipsum testatur, Quamuis forte nec ij Autores, sicut nec Isidorus ei satisfaciunt.

Vnde quidquid dicat ore, autoritates omnes facere pro eo, tamen necessariū est, ꝙ corde dissentiat. Cū hæ autoritates doctrinā eius & Conclusionem subuertant. Si enim Sacerdos peccat non absoluendo a poena & culpa, tunc Episcopi peccassent nō absoluentes Victorem à poena & culpa, & omnes sacerdotes peccarent per orbem Christianum absoluentes extra indulgentias.

Neq; releuatur in eo, ꝙ debeat crucem portare, & hanc poenam exigat Deus. Quia ista crucis portatio non est aliud, ꝙ̃ vita Christiana, sicut ipse reuerendus Pater docte hoc exposuit, Sed cum hoc oportet de præteritis satisfacere, & Dominum deprecari de præteritis.

De reseruatione casuum Conclusio mea nihil habet, tamen reseruationes moderatas credo esse vtiles, quod etiam Prælati in monasterijs experiuntur. Fateor ingenue, me esse in voto Gersonis, in Concilio Constantiensi interpellantis pro delenda immodica reseruatione casuum, & potissimum displicet mihi illa reseruatio, sicut & Domino Patri, quando habet auariciam comitem, id est, pecuniarum poenam annexam.

Ecclesiam non dicit ruituram, si Sacerdos in sua parochia esset Episcopus & Papa, Certe apparet mihi, si esset illius pulcherrimi Ordinis hierarchici corruptio, ꝙ etiam esset Ecclesiæ subuersio.

Sed maneam in principali, quia peccatum non manet impunitum, secundum Augustinū, Gregorium. Quare satisfactio merito tertia pars poenitentiæ asseritur. Et plene probauit Augustinus in Ench. per orationem dominicam nos satisfacere pro scelerate gestis. Et vt vere dixit heri reuerendus Pater, Deus fecit pactum cum Ecclesia, si Ecclesia non facit, Deus facit. Ergo habeo propositum Scholasticorum & prædicantium, ꝙ oportet vel nos satisfacere, aut Deus exiget. Quod si per orationes nostras vel bona opera satisfacimus, cur illud non posset fieri accedente virtute clauium, quas Deus non frustra suæ sponsę Ecclesiæ contulit. Et cum iuxta Gregorij sententiam Cant

de cætero 2.q.7. alij Episcopi sunt uocati in partem sollicitudinis, Papa habet plenitudinem potestatis, per indulgentias ab eo datas satisfit pœnæ pro peccatis debitæ, solutione ex thesauro Ecclesiæ facta, vt post Sixtum declarauit Papa Modernus, præcipiendo sub pœna excommunicationis ita doceri, teneri, & prædicari. Quare si reuerendus Pater contra doceat, prædicet uel disputet, iam est anathemate percussus. Placuit tamen mihi, quod vltra clauem potestatis heri posuit clauem discretionis, cum tamen plures claues contra scholasticos Doctores neget Conclu:7. Resolutorij.

Hæc volui omnino adijcere, ut futuri Iudices apertius intelligerent, quæ nostra esset controuersia in hoc puncto, Quoniā si reuerendus Pater stat sententiæ Doctorum per me allegatorum, nō aduersabitur nec Scholasticis, nec Prædicatoribus, nec mihi. Quare si voluerit etiam sententiam suam pro informatione dominorum Iudicum, poterit clarius exprimere.

LVTHERVS.

AD istas nenias & ineptias D. D. heri satis respondi, repetit enim eadem, & velut ridiculus Citharedus chorda semper oberrat eadem.

Secundo scopum controuersiæ non attigit. Non enim quæstio est, An Deus peccatum inultum dimittat, quod satis copiose probaui, sed an Papa uel Ecclesia remittat, quas pœnas Deus exigat? De hoc nihil probauit, quod relinquo iudicio Iudicum & omnium auditorum.

Tertio, obticuit hodie Scripturas sanctas, Ideo sto in eius probatione hesterna prima, ex Gene. 3. vbi probauit, Pœnas requiri à Deo, quas ibi Scriptura ostendit irremissibiles. Doleo, quod D D. ita profunde penetrat Scripturas, sicut tippula aquas, imo uidetur fugere a facie earum, sicut Diabolus crucem. Quare, saluis reuerentijs Patrum, præfero ego autoritatem Scripturæ, quod commendo Iudicibus futuris.

ECCIVS.

QVia impatiens monachus scurrilia quædam addidit, præter grauitatem theologicam, de quo integri uiri iudicent, an recte induxerim contra eum, Iudices iudicabunt. Sed hanc fuisse materiam nostram, patet ex Conclusione 4. dicere, Deum remittendo culpam remittere pœnā &c. Hoc erat saxum per nos voluendum, & quia præfert autoritatem sacræ Scripturę Patribus, quasi ipse velut alterum oraculum Apollinis solus habeat Scripturarum intelligentiam, vltra S. Patres, & apparenter inducit Autoritatem heri per me citatam. Dico duo.

Primo me adduxisse in eum finem, vt ostenderetur, cum impius auertisset se ab iniusticia sua, Deum adhuc recordari, non quo ad culpam, sed quo ad pœnam, quod facit pro Scholasticis & Prædicantibus.

Secundo, Cum reuerendus Pater reflectit autoritatem illam contra me, quia pœnæ istæ a Deo peccato Adæ impositæ sint irremissibiles a Papa & homine, Verum est, & fateor. Quia istæ sunt pœnæ, quę non solū cōsequuntur personam, sed etiam consequuntur naturam, Et ergo non est mirum, quod istæ pœnæ sunt irremissibiles ab homine, sed per hoc non probatur pœnas personales pro peccato debitas non esse a Papa uel sacerdote remissibiles. At in his remitto me ad Iudices, paratus mutare sententiam, si me aliter ad melius docuerint.

Finita sunt hæc XIIII. die Iulij, hora VIII. præsente frequenti Concione auditorum.

Soli Deo honor & gloria. Anno M.D.XIX.

SERMO

SERMO LVTHERI

LIPSIAE IN ARCE PRAEDICAtus in ferijs Petri & Pauli, Anno M. D. XIX. tempore Disputationis illic habitæ, vna cum excusatione aliquot Articulorum, a maleuolis falso intentatorum.

Aud dubie plerisq; omnibus notum est, quomodo ego Martinus Lutherus abusum Romanarum indulgentiarum taxarim, vrgente me, ad hanc lernam aggrediendam, Christiano studio et cōmodandi pijs amore, cum viderem tam misere, aliquorū Concionatorū insano instituto promiscuæ populi multitudini imponi, cuius simplicitati illi prætextu indulgentiarū perdite insidiabantur, nō solum cum Animarum dispendio, sed etiam victui necessaria suis præstigijs miseris subtrahendo. Ex quo propenso meo in commune studio multum odij & periculi mihi contraxi, multos labores sustinui, multa insumpsi. Ad hæc nominis mei, & non negligendæ Christiano existimationis grauem iacturam feci, cum passim traducerer a quibusdam sapientibus & sanctulis pro suggestu, in angulis, plateis, & vbi non? idq; grauissime, quod iam ad biennium citra intermissionem durauit.

Quanquam in his omnibus illud maxime me turbauit, ꝙ per eiusmodi clamores & calumnias, tot Christiani commoti sunt & accensi ad odium, inuidiam, obtrectationes, temerarium iudicium, & id genus grauia peccata, cum tamen si non perditissima auaricia instigaret, non tanti sint indulgentiæ, vt earum nomine unius hominis cor odio aut maleuolentia inficiatur, aut aliquod Dei præceptum violetur, cum nec a Deo, nec ab hominibus illæ præceptæ sint, & citra indulgentias salus melius constet. Atqui cum diuina gratia & ope veritas & fundamentum indulgentiarum omnibus iam pateat, ut nihil opus sit, Aduersarios meos mendacij & uanitatis arguere, siquidem lux eorum tenebricosa opera per se accusat, ut plane uideri & tangi queat, ꝙ tam insanas uociferationes & tragœdias ad oppressionem ueritatis & meam perniciem excitarint.

Et quamuis harum iniuriarum Antesignanos in ius uocare potuerim, & meam existimationem per hoc restituere, Remisi tamen noxam, quod Deus ita facere iusserit, qui mihi multas myriadas delictorum condonauit, & ut in posterum, ut spero & credo, condonabit, a quo uno verę indulgentiæ fluunt. Facit & hoc me placatiorem, ꝙ expertus sum, quantum in uexanda ueritate inuidia virium habeat, nihil tamen, quamlibet sese torqueat, ad illam opprimendam obtinere misera possit.

Verum cum iam hæc tempestas magna ex parte sopita esset, Ecce tibi nouus ludus occipitur. Nam ex proxime Lipsiæ habita concertatione, omnem priorem audaciam & furores, quibus in me inuecti sunt, tegere conantur, noua in me comminiscentes. Siquidem intentant mihi, quod Bohęmorum hæresin instituam propugnare, & vt uerisimile hoc faciant, sigillū talibus mendacijs dignum appendunt, multa alia leuia & puerilia commenta in me confingentes. Huic Papam omnino in ordinem redigo, huic baccas orarias dicor auulsisse, alijs aureis annulis digitos reuinxi, huic serta gestaui, & huius

generis alia, indigna sane, quæ coram grauibus hominibus percenseantur. Ita deplorata & perdita inuidia cum sua firmare veris nesciat, multo laboriosius ipsi est mendacia fingere, quam mihi ea sustinere, id quod prius etiam in re indulgentiaria vsuuenit.

Facile à quouis honesto & bono viro iudicari potest, q; sicut illi prius mendacijs me traduxerint, ita & porro facturos, maxime cum tam puerilibus Fabulis se prodant, q; parati sint ad perdendū, si modo technæ procederent. Et cum hactenus Christiano digna egerim, & contra omnes istorum calumnias innocens repertus sim, Bene sperandum, me & nunc non nisi Christiane acturum, quanquam inuidiæ paulisper cedendum est, & alacriter crimina, quæ Christiano nomini meo impinguntur, ferenda.

Atqui mearum partium est, ne mihi in hac re desim, & quemlibet pium & Christianum admoneam, vt suam Animam à talibus obtrectationibus tutetur, Nec temere iudicādo, aut licenter calumniando, Dei indignationem incurrat. Quocirca hac Scriptione mea, omnibus innocentiam meam testatam esse uolo. Siquidem, conscientia mea teste, aliud nihil mihi conscius sum, q; omnia, quæ Lipsiæ propugnaui adeo Christiana esse, vt non dubitem in ea persuasione fato meo defungi, gratia & subsidio Dei mihi aspirantibus. Hoc confido sane, & suo tempore palam faciam, ac facile tutabor, multo quidem facilius, q; rem indulgentiarum falsam esse ostendi.

Ne quenq; existimo bonæ fidei virum, qui de me affirmare possit, q; alicuius hæreseos, siue ea bohemica siue gallica vocetur, conuictus fuerim. Eiusmodi virum velim coram & videre & audire, siue doctum siue indoctum, qui tale quiddam de me in lucem & medium proferre ausit. Quocirca hic me excusatum volo. Quod si quis posticis calumnijs me proscindet, hic nihil incommodi mihi afferet, sed in suum Iudicem incidet. Porro ne mihi vni inseruiam, sed ut aliquid etiam emolumenti consequatur, qui hæc legit, Sermonem in medium dabo, quem Lipsiæ in arce habui, qui incendij magna ex parte occasio fuit, Ita tamen agam, vt molliam, quæ forte in odium incurrere possint, & germanam sententiam explicatius tradam.

ENARRATIO EVANG. MATT. XVI.
In festo Petri & Pauli.

HOc Euangelium vniuersam materiam totius Disputationis hic agitatæ cōtinet, Nam de duabus rebus potissimum loquitur. Primo de gratia Dei, & libera voluntate nostra. Secundo de potestate Petri, & clauium. Prior inuadit magnos, sapientes & sanctos, quos omnino in nihilum redigere conatur, cum ipsi persuasi sint, se sua sapientia & operibus omnia posse efficere. Atqui Dominus hic docet hæc omnia nihil esse, quidquid caro & sanguis est & potest. Siquidem Christum cognoscere nemo potest, multo minus sequi carnis & sanguinis ductu, sed vt Pater, qui in cœlis est, reuelet, oportet, id quod hic diuo Petro accidit. Hoc ipsum etiam innuit, q; quærit, Quid homines de se loquantur, nec aliquid certæ & firmæ responsionis datur, verum variæ & vacillantes opiniones vulgi percensentur, Quo quidem ipso ostenditur citra gratiam Dei hac & illac declinari, & incertas opiniones de Christo fingi, donec Pater reuelet, tum demum cognoscit homo, quid Christus sit.

Quidquid caro & sanguis potest, nihil est &c.

EX hoc sequitur, liberum arbitrium hominis, quamlibet laudibus vehatur, ex seipso nihil prorsus posse, nec in sua esse potestate bona cognoscere

Liberum arbitrium.

aut facere, sed id esse tantum gratiæ Dei, quæ ipsum liberum reddit, qua destitutum in peccatis & erroribus captiuum iacet, & per se liberari nequit. Sicut & Christus Iohan 8. Veritas liberabit uos. Et paulo post: Qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in eternum. Si ergo uos Filius liberos reddiderit, uere liberi estis. Ita & diuus Paulus Rom. 3. ait: Non est distinctio, Omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria Dei. Et paulo supra ex Psal. 14. & 53. dicit: Non est iustus, ne vnus quidem, Non est qui intelligat, non est qui exquirat Deū. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum. Quod si à nobis boni aliquid faciendi inicium esset, cur Christus iubet nos pro gratia orare, & in Dominica precatione dicere nos docet: Tua uoluntas fiat, quemadmodum in cœlo, sic etiam in terra? Quo probatur, nos Dei uoluntatem facere non posse ex libero nostro arbitrio.

Iohan. 8. *Rom. 3.*

Vltra sequitur, Liberum arbitrium nunquam sic rite nominari aut accipi, nisi Dei gratia redimitum sit, citra quam magis serua uoluntas q; libera vocandum erat. Nam sine gratia uoluntati diuinæ se non attemperat, sed suæ ipsius uoluntati, quæ nunq; bona est. Libera quidem in Adam fuit, verum nunc per lapsum ipsius perdita & in peccatis capta, nomen duntaxat libertatis retinet, eo quod libera fuerit, & per gratiam rursus libera reddenda sit.

Liberum arbitrium.

Quare, si quis scire cupiat, quomodo iusti euadere & bona operari debeamus, quæ iam uulgaris & vsitatissima questio est, Prius dixi, primum hoc & præcipuum esse, ut sciat aliquis, quod ex seipso non possit iustus fieri, aut bene agere. Proinde de seipso desperet oportet, manus & pedes ferri permittat, hoc est, suarum virium & operum fiduciam abijciat, se tanquam hominem inutilem coram diuinis oculis reputet, & sic gratiam Dei imploret, in qua sola firmiter confidere debet. Qui aliam rationem aut viam ad iusticiam perueniendi docet aut quærit, quam hanc præscriptam, hic errat, & tam se, quam alios seducit. Vt faciunt illi qui dicunt: Heus, tu liberam voluntatem habes, fac quantum in te est, Deus etiam suum faciet. Et disputant, hominibus non persuadendum esse, ut de se ipsis desperent. Minime quidem fieri debet, ut desperationis alicui autores simus. Verum de desperatione distincte docendum erat. De gratia Dei obtinenda nemo quisquam desperare debet, sed contra totum mundum aduersus omnia peccata firmiter Dei misericordia nitendum, At de seipso prorsus desperandum, & nullo modo libero arbitrio confidendum est, etiam ad minimum opus Deo gratum efficiendum.

Iusti quomodo fiamus.

Desperandum de seipso.

Quocirca bene Hieronymus super hoc Euangelio dicit, scilicet notandum esse, quomodo Christus Discipulos suos interroget, quid homines de se loquantur? Postea, quid ipsi de se loquerentur, quasi ipsi homines non essent. Siquidem verum est, hominem gratia adiutum, plus quiddam & augustius esse, quam hominem, Atq; adeo gratia Dei ipsum deiformem reddit & quasi deificat, ut & Scriptura ipsum Deum, & Dei filium vocet.

Gratia ex hominibus deos facit.

Ita hominem supra carnem & sanguinem exui oportet, & plus quam hominem fieri, si iustus coram Deo esse cupiat. Hoc tum fit, cum cognoscit homo hoc sibi impossibile, & deiecto animo gratiam Dei quærit, ac in seipso penitus desperat, Postea demum bona opera sequuntur. Cum iam ita obtenta est gratia, tum vere liberam voluntatem habes, tum quod in te est, facito. Fieri nequit, ut Deus alicui gratiam suam neget, qui ad hunc modum ex toto corde imbecillitatem & suam indignitatem agnoscit, & de se prorsus desperat. Hæc optima & proxima est ad gratiam præparatio, vt diua Virgo in suo hymno docet ac dicit: Esurientes bonis implet, & diuites inanes dimittit.

Hæc præ-

Praeparatio ad gratiam.

Hæc prædicanda essent, & homines prius exuendi sua propria persuasione, & falsa fiducia, post vero bonis operibus implendi. Contra illi plura de bonis operibus subinde inculcant, & mire pauca de initio faciendi bona opera, in quo plus situm est, q̃ in bonis operibus. Vbi enim inicia non bene habent, raro exitus fœlix sequitur. Vbi autem gratia Dei obtenta est, abunde operum sequetur.

Huiusmodi desperatio sui, & gratiæ inquisitio non horam aut aliquantum temporis durare debet, post desinere, verum omnia opera nostra, verba, cogitationes, quoad hic viuimus, non aliter ordinata sint, q̃ eo, vt nunquam non nobis ipsis desperabundi simus, & in Dei gratiæ desiderio & siti permaneamus, vti Propheta in Psal. 42. inquit. Eiusmodi sitim ad Deum & ad iusticiam perueniendi gratia incipit, & ad mortem vsq; durat. Quapropter iuxta etiam desperatio sui ipsius durare debet, & sui falsa fiducia omittenda. *Psal.42.*

ALTERA PARS
de potestate diui Petri.

Clauibus quomodo utendum.

IMperito vulgo nihil opus est, multa de potestate diui Petri aut Papę disputare, In eo plus situm est, vt sciatur, quomodo ea fœliciter vtendum sit. Verum est, claues diuo Petro esse traditas, sed non ipsi, vt suæ personæ sed in persona Christianæ Ecclesiæ, adeoq; mihi & tibi traditæ sunt in consolationem conscientiarum nostrarū. Diuus Petrus & quiuis sacerdos, minister est in clauium officio. Ecclesia domina & sponsa est, cui seruire debet potestate clauium, vti quotidiano vsu obseruamus, q; Sacramenta omnibus, qui ea a sacerdotibus petunt, porriguntur.

Porro vt percipiatur, quomodo Clauibus fœliciter vtendum sit, supra dixi, cum coram Deo iusti seu accepti esse cupimus, & nostræ possibilitati nuncium remittendo, gratiæ capaces iam facti sumus. Postea in eo tantum res sita est, vti sciamus, an gratia Dei obtenta sit, vel secus. Siquidem scire oportet, quomodo cum Deo nobis conueniat, si modo cōscientiam exhilarari & roborari volumus. Etenim, si quis dubitet, nec certo persuasus sit, se propicium Deum habere, certe eum non habet. Sicut credit, ita & habet. Proinde nemo scire potest, q; in gratia sit, & Deum propicium habeat, nisi per fidem. Si credit hoc, saluus est, si non credit, condemnatus est. Talis enim fiducia & bona conscientia, uera & probata fides est, quæ Dei gratiam nobis adfert.

Vide, huc tibi Claues ancillantur, ad hoc sacerdotes instituti sunt. Cum sentis cor tuum vacillare aut dubitare, se non esse in gratia coram diuinis oculis, tum peropus est tibi, vt Sacerdotem accedas, & absolutionem delictorum tuorum petas, ac ita potestatem & consolationem Clauium queras. Cum iam sacerdos pronunciat & te absoluit, idem est, ac si dicatur: Remissa sunt tibi peccata tua, Misericordem Deum habes. Hic demum sermo consolatione plenus est, & verba Dei sunt, qui sic fidem suam obligauit, & in cœlo solutum esse vult, quod sacerdos solutum pronunciat.

Hic tibi etiam atq; etiam videndum est, ne quid dubites sic se habere. Atq; citius non vnam mortem obire debes, q̃ de Sacerdotis iudicio dubitare. Nam Christi & Dei iudicium est. Si hæc ita credere potes, oportet vt cor tuum præ læticia rideat, & sacerdotis potestatem deamet, Deo gratias agat,

eumqꝫ laudibus efferat, ꝙ tuam conscientiam ita per homines consolari dignatur. Sin uero credere nescis, & te huius condonationis indignum iudicas, nequaquam existimes te satisfecisse pro tali fide obtinenda Deo, supplicato, hanc enim nisi habeas, æternum tibi pereundum est, estqꝫ hoc certum signum te in fide non satis instructum esse, in operibus autem plus satis.

Millies plus in eo situm est, ut certo & constanter credas sententiæ absolutionis, ꝙ quomodo dignus sis, & satisfacias, Adeoqꝫ talis fides dignum te reddit, & ueram satisfactionem præstat. Atqꝫ ita potestas clauium adiuuat, non sacerdotes ut sacerdotes, uerum tantum, ut infirmæ & peccatis obrutæ conscientiæ, quæ gratiam per fidem accipiunt, pacentur, & firmam in Deum fiduciam concipiant. *Pax & gaudium conscientiæ.*

Ex quo postea sequitur, ꝙ omnis uita & afflictio leuiter feratur, & homo hilaris suo propicio Deo inseruire queat, qui alioqui per cordis æstum & perpetuam dubitationem, nullum unquam uere bonum opus facit. Hoc demum
h.11. dulce illud onus est Domini nostri Ihesu Christi, de quo Matth. 11. loquitur: Iugum meum commodũ est, & onus meum leue. Atqꝫ hęc de hoc Euangelio.

RESOLVTIONES LVTHERI, SVPER PROPOSITIONIBVS suis Lipsiæ disputatis, emendatæ.

OPTIMO ET ERVDITO VIRO: D. GEORGIO SPALATINO, Illustrissimi Principis Friderici Saxoniæ Electoris Imperij, eiusdemqꝫ Vicarij &c. A libellis & sacris suo, S.



Istoriam famosæ huius Disputationis, quam Lipsiæ habuimus, optime Spalatine, cupis nosse, ea vel maxime causa, ꝙ audieris Eccium nostrum, & Eccianæ factionis aliquot homines iamdiu & secure triumphare, Encomiaqꝫ cantare. Ego sane gaudeo, & gratias ago, si tam vera est victoria, quam magna est iactantia. Quid enim Christianis, præsertim Theologis, magis optandum, quam vt veritas triumphet, error traducatur? Sed rursus, quando unquam auditum est a seculo, hanc esse gloriam veram & stabilem, quæ seipsam prædicat, & ante tempus iactat? Nonne in hanc sunt Prouerbia edita: Encomium ante victoriam: Rumor ante salutem? Deinde illud Triuij: Propria laus sordet, & laudet te os alienum? Tum Christus, Si gloriam meam quæro, gloria mea nihil est. *Quid homini maxime optandum, præsertim Theologo &c.*
.8.
r.20. Et Prouerbiorum autor Salomon, hæreditas (inquit) ad quam in prin-
17. cipio festinatur, in fine benedictione carebit. Iustus enim (vt Scriptura dicit) in principio non est iactator, sed accusator sui: Pharisæus autem primo est laudator sui, simul accusator omnium aliorum. *Iustus accusator sui.*

DE Eccio

DE Eccio nostro autem eo facilius credo, iactasse eum victorias, quo iam olim mihi est ingenium hominis perspectum, vt gloriæ miserrimum mancipium, tum quod iam magis expertus sum, solere eum in Disputatione magis criminari quam disputare, & more indoctorum Declamatorum, tempus conuicijs & contumelijs hominum perdere. Ideo nihil mirum, si non nisi gloriam quærat. Mihi vero, qui iam duos annos patior multos eiusmodi victoriæ iactantissimos & vanissimos gloriatores, rabidosque criminatores, Deinde contempsi, nescio, quæ tartara mihi intentata, Pro minimo est, hanc eorum simulatam gloriam audire, quorum magis misereri, quam pigere oporteat. Nam si conscientia eorum idem gloriaretur, ne dubites, foris neque gloriarentur, neque criminarentur.

Lipsica disputatio, non ueritatis inquisitio, sed temporis perditio fuit.

TAmen vt tibi satisfaciam, breuiter rem ipsam secundum veritatem describam, & ita describam, ut intelligere possis, Disputationem illam fuisse perditionem temporis, non inquisitionem ueritatis. Deinde Ecciu, Eccianosque simulare in gloria aliud, & aliud sentire in conscientia. Nā quantum in Eccio fuit, fere nullus scopus tactus est. Sin tactus est, non nisi notissimis & uulgo proculcatis Argumentis certatum est. Nam Deus nouit, quod totam istam Conclusionum cohortem multo acrius & ualidius nostri Vuittembergenses duobus annis oppugnauerunt, & ita examinauerunt, ut ossa earū numerare licuerit, quas Eccius uix in facie cutis leuiter perstrinxit, Nisi quod multo fortius clamauit una hora, quam nos integris duobus annis, ac gestibus immaniter fastuosis & gloriosis, etiam seipsum clamatorem superare uelle uisus est. His enim moribus, sane quietis & tranquillis, pacificam illam, & insilentio ac mysterio profundissime quietissimeque latentem Theologiam quæsiuit hucusque Ecciana modestia. Ita me Deus amet, fateri cogor, nos esse uictos clamore & gestu, hoc est Ecciana modestia, sic enim ipse uocat.

Ecciana modestia.

Verum, antequam rem ipsam dicam, præfabor, & veniam petam, si homines quosdam inuoluam pariter, libenter omissurus, si ipsi sese non inuoluissent sine causa, & ut dicitur, neutrales & indifferentes habuissent utrinque. Ideo non mihi, sed sibi imputabunt, si tangantur & ipsi, quos par gloriæ studium, & inueterata iam diu inuidia coegit, pro Eccio contra nos machinari, non bonas machinas. Non sane omnes dico, Nam sunt in ea Academia præclarissima candidissimi & rectorum studiorum optimi assertores, Atque hoc ipso tamen nomine alterius illius fermenti hominibus, uelut sudes in oculis, & offendiculum a latere, ut Iosue uerbis dixerim. Sed & prudentissimus senatus, ornatissimique ciues, tam absunt ab hoc maligno ingenio, ut nemo magis abominetur, hoc peruersum & bonis literis inimicum genus.

Assertores rectorum studiorum Lipsicæ Academiæ laudantur.

Omnium autem maxime laudandus est illustrissimus Princeps Dux Georgius, qui uere principali clementia & munificentia, nihil omisit, quod ad fœlicissimum huius Disputationis fructum facere possit, si talis fuisset, ut pura ueritas, post habita gloria, quæreretur. Denique & sua splendidissima præsentia id negocij dignatus est mirifice illustrare, omnia cauens & monens, ut modeste & quærendæ ueritatis studio agerentur. Nihil ergo optimæ huic Academiæ me debere confiteor, quam omnem honorem, & omne officium,

officium, Duntaxat inuidiam quorundam (ut sunt res mortalium ex nulla parte integræ) fateor mihi satis displicuisse.

IGitur hæc est siue Tragœdia, siue Comœdia huius Disputationis (quam Satyram potius dixeris) Primo ruptum est pactum, quo inter Eccium & nos conuenerat, ut libere disputaretur, & excepta per Notarios in publicum totius Orbis iudicium ederentur, quemadmodũ in literis vtrinq; editis legitur. Nam uoluit potius Eccius noster sine Notarijs, meris & liberis clamoribus rem agi. Consenserunt in idem suæ factionis uiri, vbi hoc obtinere non potuerunt, ad aliam pacti illusionem itum est, scilicet ne excepta per Notarios ederentur, nisi Iudicibus nominatim & communiter electis oblata, accepissent sententiam. Additum est commentum, quo velut honestissimo titulo hoc fœdifragium apud idiotas ornaretur, videlicet, Oportere Iudices certos habere, quos si recusaremus, iam haberent, quo in odium vulgi nos traherent, & iactarent, Nolle scilicet nos pati ullos Iudices. *Quid initio disputationis actum sit.*

Ita solidissima veritas Eccij & Eccianorum, metuit lucem & publicum, sibi scilicet optime conscia, Quasi orbis, & cuiusq; optimi viri iudicium parum sit, quo recepta sunt tam multa, quæ olim S. Patres dixerunt, scripserunt, disputauerunt. Fecerunt ita forte, quod Iudices fore sperarent eos, quos in Academijs passim contra nos, pro se stare sciebant, Aut quod magis suspicor, quod Eccius meus conscius sibi non intellectæ à se Scripturæ, latibulum huius conscientiæ hac ratione quæreret. Nam etsi est homo in literis humanis & opinionib. scholasticis varie & copiose eruditus: Tamen sacrarũ literarum ego inanem inueni Disputatorẽ, Quod mihi pro modestia sua ignoscet, Quia verum dico, & suo tempore probabo, vbi ea non suffecerint, quæ ipsemet in papyrum effudit testimonia imperitiæ huius credibilia nimis. Non quod mihi soli vendicem Scripturarum sanctarum scientiam (sic enim me solet criminari, quando aliud quod dicat, non est ad manum) sed quod arbitrer me in sacris literis tantum versatum & exercitatum, vt de scholastici Theologi scientia, qui sacras literas uix à limine salutauit, possim sine periculo pronunciare. *Eccij eruditio.*

Altera machina fuit, Carolostadius iam non noster, secum libros attulerat. Cum sit honestissima disputandi & tutissima ratio, ex præsentibus Libris loca ostendere, & Dicta vel probare vel refutare, magno tumultu hoc Eccius noster detrectauit. Nam videbatur cuiusdam Compilatoris ingenio & opera fretus, multas consarcinasse autoritates S. Patrum, studioq; factionis suæ auxisse, Vbi periculum erat, ne sicut aliquoties conuincebatur, ita semper conuinceretur, male induxisse dicta Patrum. Nam cum præcedentia & sequentia non vidisset (nec enim veritas, vt dixi, quærebatur) ita alias aptauit ad propositum, ut nihil minus valeret ad propositum, nisi quod delectabat eum aliquando & risum miscere Auditorio. *Honestissima tutissimaq; disputandi ratio, quæ fit per præsentes Libros.*

Statuerunt itaq; pro Eccij voluntate, Libros domi relinquendos esse, & solius memoriæ & linguę viribus, ac libertate disputandum, hoc est, q; optimi quidam dixerunt, Hanc Disputationem non de veritate, sed de laude memoriæ & linguæ agitari. Prætexuit tamen & hic Adam ille, folium fici pulcherrimum, quod sane nullus, nisi sit stipes, intelligat, videlicet, Puerile & ridiculum esse, Theologum è Libris aut schedis disputare. Et mirum, quam blandum sibi vulgi murmur hoc ingenio inuenerunt, quod de his rebus iudicat, sicut de puerorum scholasticis exercitamentis, Quasi non & Augustinus contra Manichæos & Donatistas collatis Libris pugnauerit. Verum, veritatem ille quærebat, non gloriam. *Pugna Augustini contra Manichæos & Donatistas.*

Præterco, quod Eccio necesse fuit vltimum verbum cedere, siue opponeret, siue responderet, vt sic Argumenta insoluta, facilius victoriam simularent. Tum si alicui rei finiendæ dictus fuisset dies, liberum illi fuit hoc non obseruare, nos religiosos & obseruantes esse oportuit. Breuiter, qui pugnatum veneramus contra errores & hæreses, cum inuidia & vana gloria negocium habere coacti sumus. Nam quod ad me pertinet, cum me tot Concionibus in populo fabulam & sibilum faceret, ita uolentibus suis squamis, libens transeo, ut qui nihil æque optarim, quam nominis mei obliuionem. Nec sic tamen quidquam promouerunt, Nam uelint, nolint, testari coguntur & ipsi, D. Bodenstein Propositiones, domum saluas rediisse, nec vna vel syllaba refutatas, quas etiam crudas deuorare Eccius statuerat.

Quin egregius iste scholasticorum Doctorum Patronus, quo caueret, ne uictus uideretur, inter disputandum Protheum imitatus subito, ea quæ in principio magno impetu impugnarat, in fine omnia concessit, imo affirmauit, tum præoccupans gloriatus est, quod in sententiam suam Carolostadium pertraxerit, Audens etiam hoc dicere, scholasticos Doctores nunquam aliter docuisse & sapuisse. Quod cum sentiret impudentius dici, quam audire possit quicunque Scholasticos legisset, sic sane temperauit, ut Scotum cum Scotistis suis, & Capreolum cum Thomistis suis constanter negaret, antiquiores Altisiod. Bonauen. & nescio quos autores allegans. Credo autem, quod hæc suæ farinæ hominibus magnæ cruci fuerint, etsi risum miserrime simularent, cum Ducem suum, tam fortiter aggressum certamen relictis signis, mox senserunt (si tamen senserunt) desertorem exercitus & transfugam factum. Nam id Carolostadio satis erat, scholasticorum Doctorum tres celebriores Sectas fuisse ab Eccio eadem hora negatas, quas nisi negasset, Pelagianus Ingolstadium reuersurus erat. Certum est enim, Modernos (quos vocant) cum Scotistis & Thomistis in hac re (id est, libero arbitrio & gratia) consentire. Excepto vno Gregorio Ariminensi, quem omnes damnant, qui & ipse eos Pelagianis deteriores esse, & recte & efficaciter conuincit. Is enim solus inter Scholasticos, contra omnes Scholasticos recentiores, cum Augustino & Apostolo Paulo consentit.

Gregorius Ariminensis.

Pelagiani.

Scholasticorum somnia.

Nam Pelagiani, etsi sine gratia opus bonum fieri posse asseruerint: non tamen sine gratia cœlum obtineri dixerunt. Idem certe dicunt Scholastici, dum sine gratia opus bonum, sed non meritorium fieri docent. Deinde super Pelagianos addunt, Hominem habere dictamen naturale rectæ rationis, cui se possit naturaliter conformare voluntas, Vbi Pelagiani hominem adiuuari per legem Dei dixerunt. Nec hanc metamorphosin Icciano ingenio alienam existimes, est in ea promptissimus. Nam hac die quidem cum Gregorio (ut dixi) sensit & Carolostadio, Rursus altera mecum congressus, eundem mihi Gregorium in eadem etiam materia negauit, propter articulum Hussiticum in Constan. Concilio damnatum. Ita uere mirificus est, & cui non uiderim similem, disputator Eccius, apud quem nihil sit uel periculi uel vitii, Gregorii Arimi. sententiam cum D. Carolostadio contra omnes Scholasticos pugnantem, pro Scholasticis amplecti, eundem rursus pro Scholasticis eisdem, in eadem re repudiare. Sic habes uictoriam, qua gloriatur Eccius, gloriaturque suum fermentum, quod negatis fere omnibus scholasticis Doctoribus, quos tutandos susceperant, cum Ecclesiasticis consentiunt.

Sed & nos Vuitembergæ sciebamus scholasticos Doctores, si cum tenebris suis, id est, lumine naturę secundũ Ecciũ, Aristotele negentur, posse conuenire cum Ecclesiasticis. Verum hanc negandi rationem, & pernega-

tionem

tionem concordandi Vuitembergæ ignorantes, Lipsiæ didicimus, quam & tibi & omnibus qui uolunt, ecce libenter communem facimus. Primum, ut in exordio Disputationis, alicuius dicta fortiter impugnes, protestatus etiam per publicas schedas, te contra nouam doctrinam pro veritate fidei & honore S. Ecclesiæ pugnaturum, ita vt montes parturire putentur, Tamen in negocio sensim & subdole cedens, ne quis te victum sentiat, idem constanter affirmes, & simul vicisse glorieris. Deinde multa confidentia fingendum tibi est, nullum eorum, qui adsunt, habere vel memoriam vel sensum communem, vt libere queas dicere, te ab initio ita sensisse, & hanc non nouam, sed veterem esse doctrinam, Nihil moratus interim, si amiseris totum exercitũ Doctorum, quos defendere proposueras. Atq; hic quidem est modus & euentus Carolostadianæ & Eccianæ disputationis.

Post hæc mecum congressus est, de primatu Rom: Pontificis, de Purgatorio, de Indulgentijs, de Pœnitentia, de Potestate absoluendi cuiuslibet sacerdotis. In quibus omnibus quid fecerimus, suo videbitur die. Nam de me parcius mihi dicendum est, ne mihi præco fiam. Interim hoc dico, quod de Pœnitentia & Purgatorio ipse pene ignoro, quantum dissenserimus. Nam pœnitentiam incipere ab amore iusticiæ, laudabile quidem esse, sed non necessarium voluit. Quod ego omnino necessarium assero usq; adhuc, cum ante gratiam (quæ est charitas) non possit fieri vllum opus bonum, ut ipsemet concesserat. Causa dissidij mihi visa est, q; ille multis Autoritatibus inductis, pœnitentiã à timore etiam seruili incipi contenderit, vel ignorans uel dissimulans, q; seruilis timor in hac uita non penitus tollitur. Ideo etiam infusa gratia, quę incipit pœnitentiam, timorem seruilem commouet, simul operans timorem filialem, cum sint opera Dei terribilia, dum uiuificaturus occidit &c. An autem animæ essent certæ de salute & gratia in eis augeretur, dixi me nescire, iuxta Disputationem meã in Resolutorio, necdum ipse demonstrauit contrarium, Ita adhuc media pendet sententia.

Congressus Lutheri cum Eccio.

Opus bonũ non fieri ante gratiam.

De Indulgentijs pene concordamus, quæ & prope in risum abierunt, siquidem & ipse palam in uulgus quoq; concionatus est, Non esse quidem eas condemnendas, nec tamen in eis fidendum, Quomodo si fuissent per Indulgentiarios prædicatæ, nec Lutheri nomen hodie vllus forte nosset. Sed & in seipsis iam diu corruissent, morientibus præ fame Commissarijs, si populus nouisset, non esse in eas fidendum. Itaq; quam ego fore putabam summam Disputationis & rem omnium periculosissimam, adeo sine negocio confecimus, ut nihil fere segnius tractauerimus, imo nunq; infœlicius & miserius habuerunt Indulgentiæ.

Indulgentiæ.

Quare satis tutus mansit Sermo meus de Indulgentijs vernaculus, cum his quæ in Resolutorio & contra Siluestrum in hanc rem scripsi, Licet vel more suo, vel iussu fermenti sui non potuerit eum irreprehensum relinquere, causans q; deciperem homines uerbis meis, & vitam nouam & crucem, quam à Deo requiri in peccatore, dixeram, tam profundus Theologus non intellexit, includere omne genus mali etiam mortis in hoc mundo. Nec mirum, quia non Scripturas, nec tropos eius, sed lumen naturæ, Aristotelem, & illuminatos eodem lumine Doctores duntaxat legit. Et tamen uelut Moab arrogantissimus plus præsumens q; posset, omnia quæ unquam dixissem calumniari & traducere conabatur.

Proinde miror, quid nunc dicturi facturiq; sint Fratres illi, qui me passim apud Principes & vbiq; terrarum Hæreticum, & nescio quot nominibus cri-

minati sunt, propter Indulgentias, tum schedulas satis amplas Disputationis contrarias, magno(ut dicitur)stipendio, alienoq; studio paratas, inuulgarunt, & Christi populum suis impudentibus imposturis, & in Anima seduxerunt & in corpore rebus suis spoliauerunt, cum uideant causam istam ita friguisse in hac Disputatione, quam inferno ardentiorem esse uoluerunt. Sufficit mihi, q summa causæ cecidit in fœlice Lipsia, & omnium iudicio indulgentiæ, clamatoresq; earum ridiculum fuerunt.

De primatu Romanæ Ecclesiæ acrius certatum est, Ego primatum honoris non negaui, nec potestatis dedi, saltem iure diuino, nihil repugnaturus, imo constanter confessurus ac defensurus, si facto vel iure humano eum habeat. Nihil enim minus quæro, q ne à summa sede S. Petri & Pauli vlla causa quisquam recedat, aut obedientiam debitam subtrahat. Solum ne tot S. Patres in cœlo regnantes, qui in Oriente uiuentes, sub Romana sede non fuerunt, contra ius diuinum egisse concedam. Ille contra, iure diuino vtrunq; conatus asserere, cum multas autoritates Patrum conueheret, inuentum tandem est, eos ambiguos & varios esse, in alteram sententiam aliquando videri inclinasse. Quanq; pro me robustius & locupletius sentirent, præsertim ubi id agunt ex animo, ut Euangelium interpretentur.

Tu es petrus.

Iam illud Matth. 16. Tu es Petrus. Item illud Iohan. 21. Pasce oues meas. Et: Sequere me. Item Lucæ 22. Confirma fratres tuos, & nonnulla minus ad rem, quam hæc, facientia, cum non urgerent, Tandem confugit ad Concilium Constantiense, plena fiducia, q esset illic determinatum contrarium, & sententia mea inter articulos Huss & Vuickleff damnata. Hic totus immoratus anhelabat, quo poterat odiosius mouere inuidiam, quia aliud non habuit, quo suo fermento palparet blandius. Vbi enim defecit in iure diuino, cucurrit ad ius humanum, probaturus per ipsum ius diuinum. Neq; sic tamen rideri oportuit, quæ tantus Theologus tentaret. *Matth. 16. Iohan. 21. Lucæ 22.*

Concilium Nicenum. Aphricanum.

Cui ego duo Concilia antiquiora & celebriora, Nicenum & Aphricanum, contra unum opposui, Deinde & ipsum Constantiense non recte fuisse ab ipso & fermento nequiciæ(cui tum seruiebat)intellectum. Nicenum enim Concilium decreuit, Romanum Pontificem debere curam habere Ecclesiarum suburbanarum, sicut Alexandrinum Aegypti, Deinde Episcopos, nō, vt modo, ex Vrbe emptis pallijs & potestate, sed per vicinos Episcopos ordinandos esse, vt lib. Ecclesia: histo: 10. scribitur. Hic vero anguilla ista, aiebat, Hoc vt fieret, permissum esse à Rom: Pontificibus, fingens (ut solet) ex capite proprio glossas nouas, Quasi non impijssime & hæreticissime fecissent, tam Romani Pontifices, quam Nicenum Concilium, si vel statuerent vel permitterent, quod esset contra ius diuinum. Nam si est ius diuinum, Romanum Pontificem omnia in omnibus Ecclesijs posse, non est in eius potestate permittere contrarium, vel vna hora fieri, nec in Concilij potestate contrarium, aut de Romano Pontifice, vt inferiore suo disponere, aut diuersum, aut aliud statuere, non magis certe, quam in potestate eius sit, permittere aut statuere stupra & adulteria licere, Ita fiebat, vt miser Romanæ potestatis tutor & patronus, Primatum hunc tueri non posset, nisi blasphemaret, tum sacratissimum Nicenum Concilium, tum ipsos Pontifices, dūm eos soluisse ius diuinum asseruit. Quid est hæreticum & blasphemum, si hæc Ecciana modestia non est hæresis & blasphemia? Sed sic loqui debet, qui loquitur, vt hominibus placeat.

Iam cum

Iam cum Concilium Aphricanum, vt habetur dist. 99. C. Primæ, prohibuisset Ro: Pontificem appellari vniuersalem Pontificem, dicens in hunc modum: Vniuersalis autem Pontifex nec Romanus appelletur. Hic sibi temperauit quidem à blasphemia, non dicens, quod contra ius diuinum aliud permissum aut statutum sit, sed glossam certe tanto Theologo dignā effinxit, q̃ non ponerem, nisi eam scirem gloriæ auidissimo Disputatori satisfacere, & gloriam absolutam ei parere. Dixit enim: Etsi Ro: Pontifex non sit appellandus Vniuersalis Pontifex: tamen appellari debet vniuersalis Ecclesiæ Pontifex. Risum, quæso, teneas amice, sine suum fermentum ridere, nemo enim dignius rideat ad tam insignem glossam. Ego glorior me tot expensis, non frustra Lipsiæ moratum, saltem hoc didicisse. Non est vniuersalis, est tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, non est forte etiam Moguntinus, est tamen Moguntinæ Ecclesiæ Episcopus. *Concilij Aphricani statutum de Romano Pontifice.*

Hæc ad mea duo Concilia ille opposuit, Nam Nicenum per uerbum, permisit, Aphricanum per nomen, Ecclesię, soluit. Adeo facile est, Magistris Nostris eximijs magnas quęstiones soluere, & etiam Conciliorum autoritati detrahere, qua tamen mirum est, q̃ soleant alios strenue ad hæresin adigere.

Nunc vide, an ego melius vel peius ad suum vnicum responderim, certum est, non omnes articulos Constantiæ damnatos, esse hæreticos, sicut temerarie & impudenter latrabat Eccius. Quod probo euidenter, Primum ex ipsius Concilij verbis, quæ sic habent: Quidam ex eis sunt notorie Hæretici, quidam erronei, alij blasphemi, alij temerarij & seditiosi, alij piarum aurium offensiui. Hæc ibi. Nonne clarum est, hæc verba esse eorum, quos hæreticæ prauitatis Inquisitores uocamus, quos in eo Concilio apparet tyrannidem obtinuisse? Nam horum pene alia non est uox, q̃ hæc, Ista Propositio est hæretica, ista schandalosa, ista seditiosa, ista offensiua, Vel certe Spiritum sanctum nimio pręsentem, illis ludentibus aut dormitantibus uigilasse, ut coacti sint omnino imprudentes propria uoce testari, se quosdā damnasse, nec hęreticos, nec erroneos, ac per hoc catholicos, Christianos & veros. Nam si dixissent sine discrimine, omnes esse & hæreticos simul & erroneos, simul temerarios, simul offensiuos, non pateret ueritati locus aut fuga. Nunc ipsi discernunt hæreticos ab erroneis, & ab vtrisq; temerarios & seditiosos. *Non omnes articuli in Concilio Constantiensi damnati, sunt hæretici.*

Dicam ergo, quid ad me, si temere & offensiue loquar, modo uere & catholice loquar? Tuo te urgeo gladio, alios Hæreticos dicis, ut quos in fidem peccasse certum sit, alios erroneos, forte, qui in mores & statuta hominum peccent. Iam de reliquis triumphamus, eos neq; in fidem, neq; in statuta morum peccare, etsi forte teneras auriculas, ueritatis impatientes mordacius offendant, sufficit q; sint fideles & ueri. Semper ita fuit, q; veritas esset temeraria, mordax, seditiosa, & offensiua. Ita ego credo hunc unum esse offensiuorum, Ro: Pontificem non esse iure diuino dominum omnium in potestate. Quid enim atrocius offendit? quid magis temere dici hodie, & à multis annis potuit? Ita & ille in auribus Thomistarum offensiuus est, quem Gregorij Ariminensis esse, imo Pauli & Augustini supra esse dixi, Omnem scilicet actum hominis esse, aut bonum aut malum. *Veritas semper temeraria &c.*

Ego quidem rogabam mihi donari, ne omnes articuli a Concilio damnati dicerentur, sed ab aliquo Thomista quosdam Christianissimos intrusos, ut est iste: Omnis actus hominis aut est bonus aut malus, Sicut omnis arbor, aut est bona aut mala, iuxta Euangelium: Sed noluit. Verum quid ad me, q; Thomistæ offenduntur ueritate? Sufficit, q; sit neq; Hæreticus, neq; erroneus. Aut si est hęreticus & damnatus, iam quid Eccius faciet, qui contra

laudabile illud Concilium Constantiense pro laudabili eodem Concilio disputans, concessit Carolostadio, ipsum esse verum & catholicum, nec scholasticos Doctores aliter sapuisse, vt dixi supra. O horrendum facinus, quod Eccio Ecclesiæ sanctæ patrono, sit intollerabile, quod Bohemorum & hæreticorum (vt eius verbis tonem) patronus cum Concilio contra Concilium sentit, & ut cum suis Doctoribus Christianus sit, hæreticus efficitur. Sed vt dixi, Eccianæ modestiæ priuilegium est, subijsi libere dissentire, & in re eadem contradictoria tenere, Sicut & Viennæ fecisse se testatur, & forte etiam Bononiæ.

Priuilegium Eccianæ modestiæ.

Claret ergo, Concilium Constan. non contra me pugnare, nec hæreticum, nec erroneum, imo catholicum & veracem ex eodem me probari, Vt sic stet concordia cum Niceno & Aphricano Concilio & Constantiensi. Quod autem hæc non videt Eccius, & sua farina, Deinde & hæreticæ prauitatis Inquisitores, in causa videntur esse, quod omnes hi promptiores ad contumeliam hæretici opprobrij sunt, quam tantos deceat populorum Magistros, & hac cæcitate percussi, sicut Scripturas sacras & S. Patres legunt, ita & omnia alia, hoc est, non cogitant quam bene & quam diligenter, sed ad quantum odium & inuidiam aliorum legant. Ideo quidquid alienum à suo sensu audierint, mox hæreticum quoque affirmant, suam iuxta & oscitantiam in legendo, & temeritatem in iudicando omnibus ludibrio exponentes.

Conciliorum concordia &c.

Deinde, si non placet ista Conciliorum concordia & pertinaciter mihi Constan. vnum contra duo obtendatur, Iam non difficile mihi erit statuere, vtrius Autoritas debeat præponderare. Nam cum Concilium possit errare, potius Constan. quam Nicenum & Aphricanum errasse confitear, quod hæc longe fœlicius quam illud processerint & egerint, ac iam diu sacris Euangelijs etiam præ cæteris Concilijs comparata sint, præsertim Nicenum, ad quam gloriam Constantiense necdum peruenit. Et in hoc imitabor nouissimum Rom: Concilium, in quo Basiliense damnatum est, & Constantiense quoque passum non parua suæ Autoritatis detrimenta, dum Papam supra Concilium esse sanxit, cuius contrarium in Constantiensi definitum est. Atque ita inuicem sese reprobantia Concilia, interim satis nos tutos reddunt, & liberos ad contradicendum utrisque. Quæ enim sibi diffident, cui conuenient? Atque hæc latius, Deo dante, cum Eccius in publicum se dederit.

Concilium Romanum nouissimũ &c.

Verum, quando, vt dixi, hac Disputatione magis tempus est perditum, quam ueritas quæsita, uolo Propositionum mearum Resolutiones in lucem dare, confisus, maiorem cognitionis fructum hinc prouenturum, quã si bis septies ad hunc modum disputetur. Quare, si cui videar errare, age, confutet errorem, si odit, aut rectiora doceat, si diligit.

Resolutiones.

HAbes, mi charissime Spalatine, historiam fere totam, nam si qua alia non dixi, ad reuerentiam Academiæ Lipsensis, mihi charissimæ, non dixi, ne regis Idumeæ ossa ad cineres redigerem. Quanquam nisi scirem hoc meis peccatis debitum, satis indigne ferrem, me tam sterilibus negocijs occupari de indulgentijs, Primatu & priuilegijs, alijsque ad salutem nihil necessarijs rebus, quibus ab optimis nostro seculo studijs auocor indignabundus. Nam vt illustriss: Princeps Dux Georgius, prudentissime ambos nos uerberans dixit: Siue hoc sit iure diuino, siue humano, Rom: Pontifex est, & manet summus Pontifex, Ita uere dixit, & non leuiter inutilem hanc nostrã Disputationem insigni hac modestia taxauit.

Dux Saxoniæ Georgius.

Persuasus

PErsuasus vero sum, vbi hæc viderit Eccius meus Eccianaq; factio, statim vociferaturos esse, Non seruasse me fœdus, nec conuentioni paruisse, vbi cautum est, ne Disputatio inuulgetur ante decretum Iudicum. Quasi vero ullum pactum nobis unquam seruauerint ipsi. Respondeo tamen, me conuenisse, ne per nos Disputatio euulgetur, ea quæ manu Notariorum excepta est, Cætera uero exemplaria, sicut permittebatur cuilibet, sibi eadem colligendi potestas, quis prohibebit ne edantur? Sed esto, nec ipsa edantur, meum Notarij exemplar non edetur, pulchre ita seruato pacto. Verum, ne præterea scriberem, non pepigi, imo palam protestatus sum, cum iniquioribus nostram libertatem conditionibus vexarent, ne præsumerent, me taciturum, itaq; nolo tacere. *Disputationis fœdus.*

Sed finge me ita pepigisse, rogo, vter primo soluit pactum? Nonne Eccius, qui vt audio, ampullosis & iniquissimis literis, etiam illustriss: Principē & Patronum nostrum (quem suæ factioni stupidissimæ similem somniat) corrumpere molitus est, pessima de me, quantum potuit, recensens. Quasi negassem S. Patrum simul omnium sententias, mihi soli arrogarim Scripturæ intelligentiam, Concilia negarim, Hæreticos defenderim. His enim mendacijs, homo ille purus & S. Theologus, tam sacrū & venerabile caput ausus est tentare, & me coram optimo Principe tam egregie commendare. Quid ad alios, putas, scribit & loquitur (sine scilicet pacti violatione) qui ad nostrum Patronum ista scribit? Aut quid apud æmulos meos uerum dicet, qui ad talem, tam prudentem, tam formidabilis iudicij Principem, mentiri nihil pudet?

Audio deniq; conflasse eum, quasdam interpretationes super Articulis quibusdam, mihi per inquietos & mali sui cupidos Fraterculos impositis, atque iterum me coram Magnatibus, mira charitate Manichæum, Hussitam, Vuicklefistam, & nescio quot generibus hæreticum descripsisse. Sic solet Ecciana modestia seruare pactum. Verum hanc suam insaniam mihi facile est contemnere, qui norim hominis ferme totam suppellectilem. Atq; vbi illa sua genimina in manus meas venerint, spero q̄ Eccium meum digne & magnifice tractare possim, si qua tandem uia intelligere possit, quid sit multa pacisci, & nihil seruare, & tamen ab alijs seruanda expostulare, atq; his omnibus aliud nihil quærere, q̄ vt noceat, & veritatem conculcet.

INterim sufficit mihi, quod carnifex illa conscientiarum Theologistria, cui totum debeo, quod mea conscientia patitur, cecidit in hac disputatione. Nam prius didiceram, Meritum aliud esse congrui, aliud condigni, Facere hominem posse, quod in se est, ad obtinendam gratiam, Posse remouere obicem, Posse non ponere obicem gratiæ, Posse implere præcepta Dei, quo ad substantiam facti, licet non ad intentionem præcipientis, Liberum arbitrium posse in utrunq; contradictorium, Voluntatem posse ex puris naturalibus diligere Deum super omnia, Posse ex naturalibus haberi actum amoris amicitiæ, & id genus monstra, quæ pro primis ferme Principijs feruntur scholasticæ Theologiæ, & omnium libros & aures impleuerunt. At nunc hi omnes errores, sub Ecciano præsidio & triumphabundis signis, satis strenue ceciderunt, sine vllo ferme marte, conterriti ad solum conspectum duarum Propositionum illarum, quarum prior hæc Augustini: Liberum arbitrium sine gratia nihil valet, nisi ad peccandum. Posterior Ambrosij hæc: Liberum arbitrium sine gratia tanto citius propinquat iniquitati, quanto fortius intenderit actioni. *Scholastica theologia, carnificina conscientiarum.* *Principia scholasticæ theologiæ.*

Quid sentiat Lutherus de indulgentijs.

Similia trophæa & spolia retulerunt ferme & indulgentiæ ex hac pugna, quas non mitiore (vt garriunt) sententia vtiles esse admisi, sed vtiles solum pigris & stertentibus. Cæterum insaniam esse defendi, si quis eas bonas & vtiles esse Christiano homini dixerit. Hæc, inquam, mihi interim satis sunt euenisse ex hac Disputatione, quæ ideo recitaui, vt iactantiam gloriosam Eccianæ hæresis aliquantulum iuuarem, Cætera ubi hæc quispiam eorum impetierit, fortasse dabit Dominus in lucem uenire.

Excusatio Eccij, aduersus Philip. Melanth.

VIdisse te credo Eccij excusationem aduersus Philippum nostrum satis dignam Ecciano ingenio, in qua homini etiam in sacris literis, terque quaterque omnib. Eccij doctiori, denique & sordidæ illius Eccianæ Theologiæ non gnaro, opprobrat pro magno vitio grammaticam professionem, Tam recto sunt iudicio Magistri illi Nostri eximij, ut eruditionem metiantur secundum qualificationes suas, & inanes titulos. Conatus est & eundem mihi inuidiosum reddere, dum mihi & ingeniũ & eruditionem, nescio quantam tribuit. Nam vt hoc etiam scias, me quoque nonnihil gloriæ retulisse ex Disputatione ista, Tribuit mihi Eccius eruditionem, tribuunt & Lipsenses, adeo (quantum fama cepi) ut nisi Eccio, subsidiarias opes suffecissent ipsi, fateantur Eccium à me fuisse prostratum, atque ita uictoria iam ab Eccio in Lipsenses incipit migrare. Rursus dicitur, illum magnificum contemptorem Lipsenses habuisse, pro bonis quidem hominibus, sed in quibus longe plura sperasset, & se solum omnia fecisse.

Ita uides nouam quandam Iliada & Aeneida illos cantare, & me saltem Hectora & Turnum arbitrari, quo illum, Achillem & Aeneam statuant, Nisi quod in hoc uictoria fluctuat, an suis id Eccius præstiterit, an Lipsensium uiribus & copijs, Certum est ipsum solum semper clamasse, illos autem semper tacuisse, putas ne magnas me illis debere gratias?

Philippus Melanthon.

Sed redeo ad Philippum, quem tantum abest, ut ullus Eccius mihi reddere possit inuidiosum, ut in omni mea professione nihil ducam antiquius Philippi calculo, cuius vnius iudicium & autoritas mihi stant pro multis milibus sordidorum Ecciorum. Neque me pudet, etsi Magistrum Artium, Philosophiæ & Theologiæ, & omnibus pene Eccij titulis insignem, si huius mihi Grammatistæ dissenserit ingenium, meo sensu cedere, Quod & sæpius feci, et quotidie facio, ob diuinum donum, quod Deus in hoc fictile uasculum (Eccio quidem contemptibile) larga benedictione infudit. Philippum non laudo, creatura est Dei, & nihil, sed opus Dei mei in ipso ueneror. Nec Eccium uitupero, sed crassas istas seminandæ discordiæ & inuidiæ concitandæ vafritias toto corde detestor abominorque, quas neque frequentiores, neque maligniores usquam uidi, quam in Eccio, quibus & pene totius nostræ Disputationis farraginem fermentauit. Nam hac una sola pene re pessima, potens est Eccius, ad rem theologicam ὄνος πρὸς λύραν.

Eccius.

Sed iam ad Resolutiones accedo, tu interim cura, vt illustrissimo Principi Eccium commendes, sicut seipsum commendari meruit.
Quanquam nihil hoc officio sit opus apud tantum Principem.
Vale. Vuitembergæ, Anno M. D. XIX.
Assumptionis Mariæ.

CONCLV.

CONCLVSIO I.

VOtidie peccat omnis homo, sed & quotidie pœnitet, docente Christo: Pœnitentiam agite, Excepto vno, nouo quodam iusto, qui pœnitentia non indiget, cum etiam palmites fructiferos quotidie purget Agricola cœlestis.

ISta Conclusio pendet ex eo Fundamento, Quod omnis actus humanus aut est bonus aut malus, nec datur actus neuter, seu, ut illi dicunt, moraliter bonus, Ideo primum mihi sunt amolienda duo, quæ his opponi solent.

Primum, est autoritas Scholæ omnium fere Theologorum per orbem, qui contra sentiunt, His quanquam omnem debeam reuerentiam, ueniam tamen mihi dabunt, ꝙ eis diuinas literas præfero. Quare obsecro, si cui displiceo, non mihi statim opponat: Tu solus sapis, & Ecclesia huc usq; sine te errauit, nec tot Capita videre potuerunt quod tu vides, atq; his similibus suasionibus mecum expostulet. Vt enim omittam, ꝙ per Asinam quandoq; locutus est Deus, quod Prophetam cælauit, & Samueli puero ostendit, quod sacerdoti Israelis Eli non reuelauit, Saltem suo exemplo mansuescant, & quod ipsi sibi mutuo & inuicem concedunt, mihi quoq; permittant. Surrexit Scotus unus homo, & omnium Scholarum & Doctorum opiniones impugnauit & præualuit. Idem fecit Occam, fecerunt & multi alij, faciunt vsque in præsentem diem, Et cum singulis eorum liberum sit omnibus contradicere, Cur ego vnus hac gratia priuor? Deniq; cum & ego in alijs multis sententijs sine querela omnibus contradixi, Cur in hac vna nouam legem patior?

Deus per Asinam locutus.

Scotus.

Occam.

Itaq; rogo, attendat qui volet, non quis, aut contra quos, sed quid, & contra quæ dicam. Cedat respectus personarum, quas Deus non accipit. Legimus in Euangelio, præcipiente Christo, Scribas & Pharisæos in cathedra Mosi sedentes audiendos esse, non quia personæ essent, id est, Scribæ & Pharisæi, sed quia Mosen docerent. Alioqui cum sit iam seculum corruptissimum, temporaq; periculosissima, in procliui erit, si superbia & contemptu cœperimus agere, vt incurramus illud Psal. 14. periculum: Consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est Quare memores inuicem, quod omnes sumus homines, ꝙ facile sit errare, ꝙ raro & difficile contingat vera sapere, & recte agere, communi studio veritatem quæramus potius, quam inuicem solo gloriæ, aut sensus proprij tuendi studio, mordeamus & consumamur.

Matth. 23.

Psal. 14.

Seculum nostrum corruptissimū &c.

Secundum, quod mihi obijcitur, Quod hic articulus in Constantiensi Concilio est inter Hussiticos expresse damnatus. Hic si non mox sileo & reuoco, continent aures, & impetu facto, ignem mihi minantur, neq; enim dignantur hic vllam moram vel excusationis. Sed obsecro, est ne is modus veritatem quærendi, statim obstruere os quærenti veritatem? Et vbi est, ꝙ Petro præcipiente, ratio reddenda est omni poscenti? Deinde, Nonne Concilia sæpius errauerunt? Nonne Cyprianus cum totius Aphricæ Episcopis habito Concilio, errauit etiam in articulo grauissimo fidei, de uirtute Baptismatis? Et quid mirum, si hodie quoque Concilium non omnia attingat, quando sumus in tempore longe frigidiore, ꝙ Cyprianus? Et vt plane & libere dicam quod sentio, credo me Theologum esse, Christianum, & in regno veritatis viuere, ideo me debitorem esse, non modo affirmandæ veritatis, sed etiam asserendæ & defendendæ, seu per sanguinem, seu per mortem.

1. Pet. 3.

Cypriani & aliorum Episcoporum errores.

Proinde

Proinde uolo liber esse, & nullius, seu Concilij, seu potestatis, seu Vniuersitatum, seu Pontificis autoritate captiuus fieri, quin confidenter confitear, quidquid uerum uidero, siue hoc sit à catholico, siue hæretico assertum, siue probatum, siue reprobatū fuerit à quocunq; Concilio. Nec uerebor etiam ipsam inuidiam, quæ me hæreticorum Patronum forte criminabitur. Quod sciam ueritati cum inuidia nihil esse commercij, sicut dicit Sapiens. 6. Nec cum inuidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. Quid ergo ad me, quod mendax inuidia me criminatur? Laus est impijs displicuisse. Displicent & mihi hæretici, sed quando hodie nullo opprobrio Sophistæ magis insaniunt, faciunt ut pene apud hæreticos, sola reliqua sit Ecclesia catholica Christi, Hæreticos, inquam, non qui sunt, sed qui illorum furore appellantur.

Sapien.6.

Laus est impijs displicuisse.

Et sequar in hoc meo proposito Iurisperitorum quoq; definitionem (ne solus & temere id facere existimer) Dicit enim Panormitanus de Elect: c. significasti. Plus credendum uni priuato fideli, quam toti Concilio, aut Papæ, si meliorem habeat autoritatem uel rationem. Si hæc uera sunt, cur non liceat vti? cur non audeam tentare, si unus meliorem ostendere possim autoritatem quam Concilium?

Panormitanus.

ITaq; de Cōcilijs videamus, Nonne omnibus notum est, Contraria aliquando fuisse damnata ab Ecclesia, uelut illa: Deus facit malum, Deus non facit malum? Quanquam ego nescio, an Ecclesia fuerit, quæ hæc damnauit. Nam Ecclesia non habet potestatem damnandi, expressam sententiam sacræ Scripturæ, etiam ad uerbum in textu positam, Nam illa: Deus facit malum, expresse ponitur Esa. 46. & Amos 3. & multis alijs locis. Nec quidquam facit quod dicitur, propter hæreticorum falsam intelligentiam esse damnata. Non sunt damnanda Scripturæ uerba propter cuiuscunq; falsam intelligentiam, Alioqui damnandum erit propter Arianos, & illud: Pater maior me est. Imo tota Scriptura damnanda erit, & sola, cum è nulla alia hæreses ortæ sint. Quid autem insanius isto præsumi potest? Absit enim, ut pius & simplex Christianus quidquam in sacris literis recte didicerit, quod ubi in quosdam Inquisitores impegerit, quorum pedes ueloces ad effundendum sanguinem, cogatur, propter aliorum falsam intelligentiam damnatam, ipse quoq; damnare. Nam hac ratione uiam faciemus, semel vniuersam sacris literis autoritatem conuellendi, & surgent omnium blasphemorum impijssimi illi blasphematores, qui dicunt, Bibliam esse librum hæreticorum, Christianos oportere alijs libris, scilicet Doctorum, sese tueri.

Deus facit malum.

Esai.46.
Amos.3.

Pater maior me est.Iohan.14.

Blasphema uox, Bibliā esse librum hæreticorum.

Ita inuenio & in Constantiensi Concilio duo contraria. Primum determinatum illic est, Concilium esse supra Papam, Quod ego uerissimum iudico. Nam & B. Hieronymus ad Euagrium dicit: Si autoritas quæritur, maior est orbis urbe. Ita tota Ecclesia maior est vna Romana Ecclesia. Atq; ita Romana Ecclesia, non est super vniuersalem totam Ecclesiam, sed contra, tota Ecclesia (& Concilium, quod illam representat) super Romanam Ecclesiam, sicut super quamlibet aliam particularem, Totum quoq; maius est sua parte, cum Romana Ecclesia pars sit totius Ecclesiæ vniuersalis.

Constantiense Concilium.

Quod si hæc uera sunt, apparet Concilium Constantiense male damnasse hunc articulum Iohannis Huss: Papa non est iure diuino super omnes Ecclesias. Nam si Romana Ecclesia & Papa est iure diuino super omnes Ecclesias, & super Concilium, contra ius diuinum determinatum est (quod est impijssimum & hæreticum) Papam & Romanam Ecclesiam, esse infra Concilium & totam Ecclesiam, quia non est in manu Ecclesiæ aut Concilij ius diuinum infringere, Ideoq; non potuit Papam uel deponere uel constituere.

Articulus Iohannis Huss condemnatus.

ſtituere. An credis paſſurum Epiſcopum Lugdunenſem, ſeſe deponi vel conſtitui per Epiſcopum Mogun: ſi iure diuino ſe ſuperiorem Mogũtino ſciret, quantumlibet meritus fuerit? Imo non id pati deberet, niſi mallet impius & hæreticus eſſe. Ita Rom. Epiſcopus non poteſt nec debet pati ſe à Concilio regi & ſtatui, ſi eſt ſuper Concilium & Eccleſiam iure diuino. Eius enim eſt regere, non regi, qui iure diuino ſuperior eſt.

Ius diuinum infringere, non eſt in manu Eccleſ. &c.

Atq; ita patet Conſtantienſe Concilium, aut articulum Huſs male damnaſſe, aut contra ius diuinum impie determinaſſe & egiſſe.

Sed vltra vide Spiritus ſancti præſentiam in Eccleſia, id quod in Conſtantienſi Concilio determinatum eſt, Papam ſcilicet eſſe infra Concilium & Eccleſiam, ac per Baſilienſe confirmatum, iam nouiſſimo Romano Concilio eſt reprobatum, & totum Baſilienſe abrogatum, atq; ſtatutum, Papam eſſe ſuperiorem Concilio. Quid hic dicemus? neceſſe eſt aut Romanum aut Conſtantienſe Concilium hæreticum eſſe, ſi non licet à Decretis Conciliorum recedere.

Concilium Baſilienſe.
Concilium Romanum.

Deniq; uia iam nobis facta eſt eneruandi autoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum geſtis, ac iudicandi eorum Decreta. Nam ut dicunt, ſi in uno Articulo erraſſe deprehenditur, iam tota eius uacillat autoritas. Quis eſt igitur tam audax, qui me præſumat hæreticum arguere, etiamſi uniuerſa Decreta Concilij, tam Romani q; Conſtantienſis negem, qui habeam hoc munimentum, & hanc excuſationem, q; Concilio incumbit probare ſua Decreta, & oſtendere ſe non erraſſe, poſtq; conſtitit, ipſum aliquando erraſſe & errare poſſe.

Quid ergo putas nobis præſtant uicariæ illæ Conciliorum noſtri ſeculi determinationes & reprobationes, niſi quod nos reddunt (ſi in illas nixi fuerimus) incertos, ubi tandem quærendus ſit Chriſtus, Eccleſia, Concilium, Spiritus ſanctus, omniaq; plane in primum chaos confundantur.

SEd ad Conſtantienſe reuertor, quo magis impetor, cuius damnationem in articulo illo Huſſitico: Papa non eſt iure diuino ſuper omnes Eccleſias, etiam ideo iniquam aſſero, q; ſit contraria Niceno Concilio & Aphricano, & toti orientali & Aphricanæ Eccleſiæ, Cum non niſi ſexta Synodo Calcedonenſi oblatus ſit Primatus (non iure diuino) ſed ab Eccleſia Ro: Pontificibus, Nec ſic tamen ab eis aſſumptus, ut ſcribit S. Gregorius. Nam ſi iure diuino ſtaret primatus, Nicenum cum quatuor ſequentibus eſſet hæreticum, omneſq; in Eccleſia Orientis hæretici, hæretici Ro: Pontifices, qui oblatum reſpuerunt. Quare volo, autoritati Conſtantienſis Concilij in hac parte nihil cedere. Non enim patiar ulla ratione maiorem partem Eccleſiæ hæreticam fieri propter Conſtantienſe Concilium, quod erraſſe palam eſt. Nec mirum, cum adminiſtrata hæc ſint potiſſimum machina Inquiſitorum & ſociorum ſuorum.

Primatus Ro: Pontifici oblatus in 6. Synodo Chalced.

Sunt & multi alij articuli Huſſitici ueriſſimi ibidem damnati, quos expediam, cum aduerſarius me excitauerit, nam hoc ipſius Concilij uerbis euidenter probabo, Iohannis Huſs ſententiam nõ fuiſſe, q; malus Pontifex, aut in peccato mortali exiſtens, non ſit Pontifex habendus, licet ſanguinarij Inquiſitores multos articulos ei in hanc rem impoſitos damnari curarint. Nec hic curo, quod me Bohemorum patronum uociferantur, Ipſius Concilij, quod contra me iactant, oſtendo & ſequor verba, quæ ſi falſa inuenta fuerint, quid ad me? Sin vera, cur non ſequar? Meum eſt, ut dixi, contra omnem uocabulorum, titulorum, nominis, dignitatis ſtrepitum, uerum dicere, & falſum negare. Sic enim Chriſtiano faciendum eſſe credo. Et rogo, ſi non placeo nomine Chriſtiani, fingant & ſinant me interim uelut Turcam, aut quemuis

Iohannis Huſs articuli multi ueriſſimi damnati in Conc. Conſt.

infidelem

infidelem eis opponere, meas Rationes & Autoritates, vt saltem sic videant & experiantur, quo studio possint fidem suam tueri, & quam facile sit dicere: Concilium sic determinauit, & quam difficile sit idipsum bene determinatum esse tueri.

Omnis actus hominis, aut est bonus aut malus.

Dico ergo, quod iste articulus sit male damnatus Constantiæ: Omnis actus hominis aut est bonus aut malus, Ac respondeat qui se putat determinationem illam defendere.

Primum dicit Apostolus Roma. 8. Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Item, Quod si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Hic quæro, cuius sit ille, qui non est Christi? Nonne diaboli & peccati? At qui seruus est peccati, facit non nisi peccatum. Rom. 8.

Locus Apostoli Galat. 3. explicatus.

Secundo, Dicit idem Gal. 3. Quicunque ex operibus Legis sunt, sub maledicto sunt. Ecce, hic opera Legis extra gratiam, dicit esse maledicta. Ergo non neutra. Et dicit: Quicunque, neminem excipiens, nec aliquod medium inter maledictum & gratiam faciens. Nec valet, quod Apostolum hic de lege ceremoniali loqui dicunt, quod ea tunc mortifera fuerit. Nam ex sequentibus patet, quod de omnium legum operibus loquitur, cum inducat Mosen dicentem: Maledictus, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis. Deinde dicit, Christum nos redemisse de maledicto Legis. At Christus vere nos non redemit de lege ceremoniali post mortem eius abrogata, sed de lege quacunque, dans gratiam vt possit impleri. Si ergo omnia (vt Moses dicit, autore Paulo) opera Legis sunt maledicta sine gratia, quanto magis nulla alia opera sunt neutralia, seu in genere morum bona. Galat. 3 Deut. 27.

Tertio, Luc. 12. Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum. Hic nihil medium Christus permittit intelligi, sicut & ibidem dicit: Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Vides, quod aut cum Christo colligendum aut dispergendum, vel cum eo vel contra eum esse oporteat, At contra eum, non est nisi peccatum, nec dispergit, nisi qui peccat. Lucæ 12. Lucæ 12.

Quarto, Iohan. 15. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Ecce arescit & perit, quisquis extra Christum est, Et tu dicis, neutrum, quod nec arescat neque uirescat, sed medium se aliquando habet. Iohan. 15.

Quinto, Roma 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est, quod B. Augustinus pro Regula habet. Quod autem dicunt, Ibi fidem pro conscientia accipi, & Apostolum loqui de ijs, qui contra conscientiam operantur, Quanquam hoc B. Augustinus repellit, tamen age, sit ita. Adhuc stat sententia, qui non habet fidem in Christo, non habet conscientiam bonam erga Deum. Ergo vel non credit, vel dubitat se placere Deo in operibus suis. Si dubitat, peccat contra conscientiā, Quia non credit firmiter, se Deo placere. Quare agit quod credit non bonum, & ita semper peccat. Sola autem fides firmiter confidit se placere Deo, & hac fide fit, ut placeamus Deo, quia hæc fides vere de Deo bene sentit, ac pro Deo vero eum habet, præsumens bona de ipso, iuxta illud Sap. 1. Sentite de Domino in bonitate. Impossibile est enim hominem saluum esse, & bene viuere, nisi de Deo erga seipsum bene sentiat. Rom. 14. Sapien. 1.

Sola fides firmiter confidit se placere Deo.

Ratio Augustini.

Sexto, (vt omittam plura, ne prolixior sim) Adduco rationem, qua vtitur fere S. Augustinus, præsertim contra Iulianum lib. 4. & repetit eandem Gregorius Ari. lib. 2. q. 28. quæ est hæc: Virtutes discernuntur finibus, non officijs. Iam quælibet uirtus extra gratiam, quærit quæ sua sunt, nec potest quærere quę Dei sunt. Quia non potest in opus charitatis, de qua dicitur laude propria, 1. Corinth. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt. Quare nulla 1. Cor. 13.

nulla virtus habet Deum pro fine, nec potest Deum diligere super omnia & propter Deum, alioqui gratia non esset necessaria. Atq; hac sola causa fit, vt omnia opera bona gentium aut naturalia, sint mala, quia fine debito carent. Hoc est, quod Apostolus Roman. 3. inuoluens prorsus omnes homines, tam Iudæos q; Gentes, licet illi iusticia, hæ sapientia, quantum poterant, præstabant, dicit: Non est iustus, non est intelligens, non est requirens Deum, Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Ecce, nemo requirit Deum, & omnes declinant, nullus intelligit Deum, nedum pro fine Deum habet in opere suo. Vnde fidenter concludit dicens: Conclusit Deus omnes sub peccatum. Ecce neminem excipit, omnes sub peccatum, quod & Dauid dicit: Omnis homo mendax, A mendace vero quid verum dicetur? Ab immundo quid mundum fiet? ait Sapiens.

Rom. 3. — Non est iustus &c. — Rom. 11. — Psal. 116.

Quod vero dicitur: Nonne Caiphas prophetauit verum? Nonne Matth. 7. Multi prophetauerunt in nomine Christi, & multas virtutes fecerunt? Respondeo: Vera, sed non vere dixerunt, bona, sed non bene fecerunt. Quis enim non dubitat, quando meretrix, tam bonum aurum gestet quam pudica matrona, & tam formosa quoq; membra habeat? sed non tam bene gestat & vtitur. Eodem modo & bona illa opera sapientiæ, virtutum, donorum, cum sint gratuita dona Dei, bona sunt valde, sed quia non in finem debitum referuntur, bona faciunt, sed non bene. Quare è bonis donis Dei, mala opera nostro vicio fiunt. Ideo Christus illis dicturus est: Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Quomodo sunt operarij iniquitatis, qui tanta bona fecerunt? nisi quia bonis male usi sunt, etiam si hoc male vsi, alijs profuerunt.

Matth. 7. — Caiphas prophetauit uerum. Ioh. 11. — Operarij iniquitatis. Matth. 7.

Septimo, Si iustus in gratia non potest facere bonum, quin simul peccet, quanto magis iniustus non facit bonum? Ac per hoc concludo, Aut bonum aut malum esse actum hominis quemcunq;, nec dari actum medium & neutrum. Antecedens probabitur euidenter Conclusione sequente.

QVare ad rem Propositionis redeundo, Omnis Christianus quotidie pœnitet, quia quotidie peccat, non quidem perpetrando crimina, sed non perficiendo mandata Dei. Et ad hoc probandum, sufficeret autoritas Iohan. in Conclusione posita, quod fructiferos palmites quotidie purgat cœlestis Agricola. Si sunt purgandi, sunt immundi, si sunt immundi, sunt peccatores, si peccatores, pœnitentia indigent. Quare ad eos pertinet verbum Christi: Pœnitentiam agite.

Omnis christianus quotidie pœnitet. — Ioh. 15.

Secundo, Illud eiusdem 1. Iohan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Quam autoritatem B. Augustinus in multis locis adducens, ponderat in verbo, habemus, præsentis temporis, q; non dicit, habuimus, sed habemus. Quare quotidie peccamus, & quotidie peccatum purgamus, ita ergo pœnitemus, Nisi pœnitentiam dicas non esse peccatorum purgationem, contra omnium sententiam, qui contritionem culpæ deletricem, pœnitentiæ potissimam partem ponunt. Deniq; hoc verbo Iohan. nixus B. Augustinus lib: de natura & gratia, audet dicere: Si omnes Sancti in vnum congregati quærerentur, an peccatum haberent, quid essent (inquit) dicturi, quam: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est? At nullum peccatum sine pœnitentia tollitur.

1. Iohan. 1. — Pœnitentia.

Tertio ilud Psal. 32. Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno. Ecce omnis Sanctus orat pro impietate peccati sui, hoc autem est pœnitere vtiq;, nec potest dici quod pro præterito, aut pro pœna præteriti peccati oret, sed pro præsenti. Nam ut hoc ostenderet, adiecit: Impietatem pec

Omnes Sancti orant pro impietate peccati sui. Psal. 32.

 cati mei,

cati mei, pro hac orabit, non scilicet pro peccato, quo aliquando pœna significatur, sed pro impietate peccati, quæ est culpa, nam pro remittenda oratur, pro remissa gratias agimus.

Quarto, Illud 1. Timoth. 1. Venit Ihesus Christus peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, Non dicit fui, sed sum peccator, Iuxta illud Roma. 7. Scio q non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Quod nolo malum, hoc facio. Et: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Sic Gala. 5. Caro concupiscit aduersus Spiritum, & spiritus aduersus carnem. At concupiscere contra spiritum, peccatum est, quia prohibitum præcepto Dei: Non concupisces. Quare hoc peccatum est proprie peccatum, & per pœnitentiam diluendum, sicut Roma. 6. docet, destrui corpus peccati, & non obedire desiderijs carnis. At desideria carnis, peccata & contra legem sunt diuinam. Quare pœnitentia pro eis opus est.

1. Timo. 1. Roma. 7. Concupiscere contra spiritum. Galat. 5. Rom. 6. Desideria carnis.

Quinto, Luc. 13. Putatis quia ipsi debitores fuerunt præ omnibus hominibus habitatoribus Ierusalem? non, Dico vobis, nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Ecce, omnibus pœnitentiam indicit. Ita Luce. 24. Oportuit prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes gentes. Ecce totum Euangelium nihil est, q prædicatio pœnitentiæ. Ergo uita euangelica est aliud nihil, quam pœnitentia. Ideo Bernardus recte dicit: Qui non assidue ad pœnitentiam festinat, facto ostendit se pœnitentia non egere, quasi scilicet sit longe absurdissimum, esse aliquem, qui pœnitentia non egeat.

Luce 13. Luce 24. Euangelium. Bernardus.

Sexto, Tota Ecclesia, teste Augustino, usq in finem mundi orat: Dimitte nobis debita nostra. Hæc autem vox est pœnitentiæ, ita ut Christus dicat: Si non remiseritis hominibus peccata eorum, nec Pater uester remittet uobis peccata uestra, Loquitur ad Apostolos sanctos filios Dei, & vbi sunt eorum peccata? venialia quidem sunt, sed mortalia erunt, nisi remittantur. Sane sunt quidam, qui hanc orationem pro pœnis peccatorum orari garriant, quos oportet tanquam verbi Dei deprauatores cauere. Nam quid dicent ad illud: Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum, Fiat uoluntas tua? hoc sanctissimi etiam orant, at orando confitentur se nondum sanctificasse nomen Dei, nondum in eis esse regnum Dei, nec iusticiam eius, Sed quærunt hac oratione regnum Dei & iusticiam eius, nondum se fecisse voluntatem Dei. At hæc omnia sunt debita culpæ, & peccata contra legem Dei, qui uult nomen suum sanctum esse, in nobis regnare, uoluntatem suam in nobis fieri, Nec putandum, q ficte oretur.

Dimitte nobis debita nostra. Sanctificetur nomen tuum.

Quare sequitur, omnes uere orare, & uere sibi hæc deesse confiteri. Et ita patet, q sola oratio Dominica nos docet, Primo, esse nos quotidianos peccatores, & semper peccare. Deinde totam uitam esse pœnitentiam & orationem & contritionem. Ex quo ulterius sequitur contra Concilij Constantiensis determinationem, Omnem actum hominis esse malum extra gratiam, quando etiam actus iustorum in gratia non est bonus, nec implet mandatum Dei.

Oratio dominica.

Vltimo ad hoc urgent tot Apostoli Pauli exhortationes, Vt mortificemus membra, quæ super terram sunt, Col. 3. Et facta carnis, Roma. 8. Et renouemur in nouitate sensus, Roma. 12. Et carnis curam non faciamus in desiderijs eius. Roman. 13. Crucifigamus carnem cum concupiscentijs, Galat. 5. Quæ omnia eo tendunt (ut clarum est) q assidue pœnitendum sit, quia peccatum fomitis assidue mouetur, & noua desideria profert, ceu spinas & tribulos terra maledicta Gene. 1.

Colos. 3. Rom. 8. Roma. 12. Roma. 13. Galat. 5. Gen. 1.

Cætera in Resolutorio Conf. 1. 2. & 3. & con. Sed nec adhuc video huius Conclusionis sententiam confutatam, Neq enim tacta fuit Lipsiæ in vna syllaba. Eius sententiam si neges necesse est, ut neges omnes ferme libros B.

Augusti.

Augustin. contra Pelagianos editos, qui totus per omnia in hanc sententiam procedit.

Sequitur ergo, hanc non esse doctrinam nouam, ut Eccius calumniatur, Sed Eccij Propositio contraria huic, est nouus & vetus error, ad hæresin pertinens Pelagianorum, nec Concilium quicquam contra statuere habet, nisi velit errare, sicut sæpius fecit.

CONCLVSIO II.

In bono peccare hominem, & peccatum veniale non natura sua, sed Dei misericordia solū esse tale, aut in Puero post baptismum peccatum remanens, negare hoc, est Paulum & Christum semel conculcare.

TRia ista Conclusio comprehendit, Esse peccatum in bono opere, Deinde peccatum non natura, sed misericordia Dei esse veniale, & peccatum post Baptismum remanere.

Primum ita ostenditur.

.64. Esa. 64. Et facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iusticiæ nostræ. Hæc vel sola Autoritas obstruat omnium contradictorum os & gulam, cum sit apertissima, Esse nos omnes immundos, & non modo iniusticias, sed iusticias quoq; nostras apud Deum.

Sed scio, quid hic soleant opponere, scilicet Prophetam loqui de iusticia nostra, quæ ex Lege est, quam Apostolus quoq; damnat. In hanc sententiam & D. Hieronymus cedere videtur. Sed verba Prophetæ sunt manifesta, loquitur enim in persona sua, & totius fidelis populi, qui non iusticia legis, sed
.10. gratiæ iusti erant, Siquidem & ipsi eandem escam manducauerunt, & eundem spiritum fidei habuerunt, vt Apostolus dicit, Neq; enim iusticia Legis *Iusticia Legis.* confitetur Deo in humilitate, non est accusatrix sui in principio, sed inflata excusat se, & iustificat, Quare solius gratiæ iustificantis est dicere & confiteri, sese esse immundum & iniquum. *Gratia iustificans.*

Secundo, Non dicit, iusticiæ nostræ, aut nos, sed omnes nos, & vniuersæ iusticiæ nostræ, neminem excipit, & nullam iusticiam mundā asserit. Ergo non potest trahi ad aliquos, qui non fuerint gratia iustificati, nec ad solam legalem, sed ad omnes, & ad omnem iusticiam eorum. At certum est, aliquot inter eos fuisse, qui plus q̄ legali iusticia iusti essent, & aliam quam iusticiā legalem tunc fuisse simul, Et tamen dicit omnes immundos, & vniuersas iusticias pollutas. Quare vincit hæc Autoritas, & tam aperta verba cogunt cuiuscunq; interpretationem posthaberi suo apertissimo sensui.

Sed & illud malo intelligendi usu dicitur, quod iusticia legalis fuerit immunda ad iusticiam euangelicam comparata. Quia Lex vtcunq; ceremonialis erat bona, & à Deo instituta, quare iusticia eiusdem non erat de se immunda ullo modo, cum tunc non minus cogerentur ea seruare, quam Decalogi præcepta. Ideo, qui de iusticia Legis tanquam immunda loquuntur, solum respiciunt ad tempus Euangelij, in quo est abrogata, non quia immunda, sed quia fiduciam præbebat stultis contra gratiam Dei, ut Apostolus ad Gala. & Rom. docet. Quare sicut ceremonialis iusticia erat bona & recta, & tamen immunda, ita & Decalogi eorum iusticia erat immunda, quantumlibet bona. Propheta enim pro suo tempore loquitur, quo iusticia Legis nondum erat abrogata, alioqui dicendum, q; Deus eis præcepisset immunda seruare, quod est detestabile. Stat ergo verbum vniuersæ iusticiæ nostræ immundæ, & omnes nos immundi.

Non est iustus in terra &c. Eccle. 7.

Secundo, Illud Eccle. 7. Non est iustus in terra, qui bene faciat, & non peccet. Solet autem & hoc uerbum sic eludi, Quod iustus aliquando bene facit, aliquando peccat, Sed hoc non stabit. Si enim hoc voluisset, suffecerat dicere: Non est iustus qui non peccet, quid enim superflueret verbis, quasi aliquis sit iustus, qui faciat male? Non enim nisi iustus facit bene, & à benefaciendo iustus est. Ideo ut exprimat vitium, addit, qui faciat bene, & non peccet. Nam dum de operibus extra benefacta loquitur, sic dicit: Septies in die cadit iustus, & toties resurgit. Hic non addit, iustus qui bene facit.

Quod nolo malum, hoc facio &c. Rom. 7.

Tertio, Illud Roma. 7. Quod nolo malum, hoc facio, Quod volo bonum, hoc non facio. Et infra: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ &c. Hic aduertamus Apostolum, cedant huic ratio & autoritas, siue Ecclesiæ siue Concilij. Quoniam hic docetur, cuius contrarium, Si Angelus de cœlo docuerit, non credam. Nemo hunc locum Apostoli mihi superabit, nec euadet.

Repugnare legi Dei. Rom. 7.

Noluntas.

Primum, Hic idem vnus homo Paulus S. Apostolus, plenus gratia, simul delectatur in lege Dei, simul repugnat legi Dei, simul vult bonum secundum spiritum, non tamen agit propter carnem, sed contrarium. Ergo peccat, dum bene facit. Nam repugnare legi Dei, quis aliud quam peccare audeat intelligere? Non agere bonum, nonne contra legem Dei est? At dum vult hoc bonum, eo ipso non facit hoc bonum, sed malum contrarium, Cur ergo nunquam sit sine repugnantia, nunquam sine uitio bene facit, nunquam ergo plene implet legem Dei. Quare, vt sic dixerim, Noluntas illa legis Dei in carne semper est, quando uoluntas est, legis Dei, Per hanc bene facit, per illam malefacit. Nolle est ex carne, uelle ex spiritu. Ideo oramus, ut fiat uoluntas Dei in terra (carne) sicut in cœlo (id est spiritu) fit. Sic dicit: Velle mihi adiacet, perficere non inuenio. Hoc & Scholastici dicunt, Quod homo sit difficilis ad bonum, & pronus ad malum, Et tamen audent dicere, non esse peccatum in opere bono, quasi difficultas, quæ impedit hilarem & liberam Legis dilectionem non officiat, quo minus legi Dei satisfiat, Quæ non nisi puro & libero amore impletur. Psal. 1 In lege Domini uoluntas eius, & 1. Timoth. 1. Finis legis charitas. Ita de Christo Psal. 45. Dilexisti iusticiam, & odisti iniquitatem.

Rom. 7. *Psal. 1.* *Psal. 45.*

Concludit ergo Paulus: Igitur mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quid expressius dici potest, idem seruus, eadem seruitute legi Dei & legi peccati seruit? Adhuc negas peccatum esse, seruire legi peccati? Eadem fronte neges, bonum esse seruire legi Dei. Est ergo omne opus bonum uitiosum cuiuscunque hominis in hac uita, propter seruitutem peccati, qua tenetur captiuus in carne, ut legi Dei semper debitor & peccator maneat, hoc uno saluus, quod cum Apostolo clamat: Infœlix homo ego, quis me liberabit de morte corporis huius?

Rom. 7.

Quarto eadem eiusdem sententia est Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, Hæc enim sibi inuicem aduersantur, ut non ea quæ vultis, faciatis. An etiam hic non satis apertus est Paulus? Concupiscere aduersus spiritum, peccatum est, & contra legem Dei. At hæc duo manent, quamdiu caro manet, ita non faciunt quod uolunt. Volunt legem Dei seruare, ne concupiscant aliquid contra legem Dei, sed non faciunt, nec implent hoc uelle, Ideo manent peccatores, et non vnum saltem opus faciunt, in quo nihil sit debiti, aut defectus à lege.

Galat. 5.

Hic

Hic vero obstrepunt, dicentes: Hic defectus proprie peccatum non est, Ideo tenendus est vsus loquendi, & loquendum ut multi: Respondeo. Tuus usus est perniciosus, qui à loquendi vsu recessit, qui in sacris literis est, cuius Theologos oportet esse constantissimos obseruatores. Paulus dicit, ꝙ seruit legi peccati, & contra Legem agat. At peccatum magis proprie dici non potest, ꝙ id quod contra Legem est, & legi peccati seruit. Valeat ergo tuus loquendi abusus. Sed de hoc infra in peccato veniali. *Peccatum.*

Igitur tantum est ibi peccati, quantum noluntatis, difficultatis, repugnantiæ, Et tantum tibi meriti, quantũ uoluntatis, libertatis, hilaritatis. Mixta sunt hæc duo in omni uita & opere nostro, Non enim sine carne sumus, nec sine ea operamur, At qualis est caro, talia operatur. Quod si sit tota noluntas, iam est peccatum ibi mortale & auersio, Tota autem uoluntas in hac uita non est, ideo semper peccamus, dum bene facimus, licet quandoq; minus, quandoq; magis, secundum ꝙ caro minus fuerit importuna, cum suis immundis desiderijs. *Peccamus etiam bene facientes.*

Hæc ergo est causa, quare non sit iustus in terra, qui faciat bene, & non peccet, Est autem talis iustus solum in cœlo. Cum autem homo sine ista noluntate non sit, nec sine ea operetur, per hoc nec sine peccato in opere bono erit. Quomodo enim sine ea operari potest, qui sine ea uiuere & esse non potest? Quare iustus est velut instrumentum corrosum rubigine, quod Deus suscepit expoliendum, quod vbi corrosum est, male secat, donec perfecte sit expolitum. *Eccle. 7.* *Iustus.*

Luce 10. Quinto, Ad hoc valet illa Parabóla (Luce 10.) Samaritani, qui semiuiuo homini infuso vulneribus oleo & vino, alligauit quidem uulnera, sed nunquid mox sanauit? non, sed curam eius commisit Stabulario, donec rediret. Itaq; Ecclesia stabulum est, in quo accepta gratia Baptismi, quotidie curamur à peccatis, Et opera nostra talia sunt, qualia eorum, qui incipiunt sanari, sanati autem nondum sunt, Quia patet, ꝙ sint partim ęgra, partim sana, multum ab his distantia, quæ sani perfecte faciunt. Inde Christus Matth. 7. Apostolos plane malos appellat, dicens, Vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs uestris. Si autem sunt mali, iam stabit eiusdem Domini sententia. Arbor mala non potest fructus bonos facere, & tantum faciunt bonos, quantum sunt arbor bona, & econtra. *Parabola de Samaritano.* *Stabulum Luc. 10.* *Matth. 7.* *Vos cum sitis mali.*

Quod autem hæc intelligentia aut vsus loquendi apud Theologos perijt in causa est, quod relictis sacris literis, ceperunt de his rebus diuinis humano, id est, faciliore (ut ipsi putant) modo loqui, & sic paulatim amiserunt, & sensum Scripturæ, cuius verba tanquam uasa reliquerunt simul, Qui cum in Baptismo remitti omnia peccata scirent, statim intulerunt, nullum ibi relinqui peccatum, Fomitem non peccatum, sed infirmitatem, contra expressum textum Apostoli appellantes, cum peccatum remittatur ibi, non ut non sit, sed vt non imputetur (ut B. Augustinus ait) Est ergo peccatum ibi verissime, nisi quod non imputatur, eo ꝙ ceptum est ex pelli, Reatus quidem solutus est, ipsum autem manet, donec & ipsum expellatur. Sumus enim in phase, id est, transitu de peccato ad gratiam. Quod si cesses illud expellere, ac pro non peccato habeas, iam pactum non seruas baptismi, & redit reatus eius. Pactus enim es, te peccatum expugnaturum, ac Diabolo pompisq; eius reluctaturum, Quod cum de peccatis extra te positis intelligis, & tuum peccatum intus nullum esse putas, Nec recte Baptismi sacramentum intelligis, nec accipis. Nihil ergo differt peccatum fomitis à quolibet crimine post vel ante Baptismum, cum sit æque contra legem Dei, sicut quodlibet aliud, nisi ꝙ non imputatur. *Fomes.* *Peccatum in baptismo remissũ &c.*

 Quare,

Scholastica Theologia. Quare, quid alij in Theologia scholastica didicerint, ipsi viderint. Ego scio, & confiteor, me aliud nihil didicisse, quam ignorantiam peccati, iusticiæ, baptismi, & totius Christianæ uitæ, nec quid uirtus Dei, opus Dei, gratia Dei, iusticia Dei, fides, spes, charitas sit. Breuiter non solum nihil didici (quod ferendum erat) sed & non nisi dediscenda didici, omnino contraria diuinis literis. Miror autem, si alij fœlicius didicerint, Qui si aliqui sint, candide eis gratulor, Ego Christum amiseram illic, nunc in Paulo reperi. *Matth. 13.*

Parabola de fermento. Sexto, Huc parabola Matth. 13. pertinet, Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum Mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. *Satum.* Satum genus mensuræ est, Ebraicum modium & dimidium continens autore Hieronymo. *Farina.* Quæ autem sint tria sata ista farinæ, modo non est locus dicere. *Fermentum.* Sat nunc est farinam esse nos homines, fermentum absconditum, Christum, gratiam nobis largitam in spiritu fidei. Sed sicut fermentum non subito fermentat consperſionem totam, Ita gratia infusa, non mox diffunditur per totum corpus, sed paulatim totum hominem fermentat, sibique similem reddit. Quare peccatum ibi reliquum est, sed quia ceptum expurgari, non imputatur expurgatori, hoc est enim in Baptismo omnia peccata remitti, non imputari scilicet, non autem penitus euacuari.

Formale peccati. Materiale peccati. Error ergo est, & humana sunt commenta, Quod peccatum, quo ad formale suum tollitur. Formale autem appellant priuationem gratiæ, Materiale ipsum fomitem uel habitum. Reatus tantum tollitur, formale autem tantum manet, quantum materiale, hoc est, priuatio gratię, tanta ibi est, quanta est concupiscentia reliqua. Oportet enim in locum concupiscentiæ succedere charitatem, quæ nō est, vbi concupiscentia est, Causa erroris est, quod subiectum gratiæ dant solam animam, eiusque nobiliorem partem. Deinde, quod carnem & spiritum distinguunt metaphysice, tanquam duas substantias, cum totus homo sit spiritus & caro, tantum spiritus, quantum diligit legem Dei, tantum caro, quantū odit legem Dei. *Totus homo est spiritus & caro.* Sic sanitas & morbus iuxta sunt in eodem corpore, aut eodem loco carnis. Ideo enim iuxta Salomonem, Nemo gloriari potest se habere mundum cor, Quia caro, id est, affectus carnis & concupiscentia, quæ est fermentū vetus nequiciæ, totum hominem corrupit. Iuxta Gene. 6. Non permanebit Spiritus meus in homine, Quia caro est, inquit, non carnem habet, quia toto affectu cordis carnem sapit. Quare fermentum nouum, quæ est charitas, rursus miscetur huic fermento veteri, ut ipsum è toto homine eijciat, primum de corde, deinde de toto corpore & omnibus membris. *Gen. 6.*

Non intres in iudicium cum seruo tuo. Septimo, Illud præualidum in Psal. 143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. *Psal. 143.* Hic quæro, An ille iustus, quem fingunt, cum in ipso pulcherrimo merito iam actualiter fuerit, etiam sit numerandus inter eos, qui viuunt, cum Psal. omnis viuens vniuersaliter dixerit? *Psal.* Si inter eos numeratur, non iustificabitur coram iudicio Dei, ut hic dicit. Cur hoc, quæso? Si sine peccato est in opere bono, non potest damnari à Deo, qui iusticia est ipsa, nihil magis amans quam iusticiam, Nec timendum quod iustus iudex iusticiā damnet, Si autem damnatur, iam sine peccato non est, & contra legem Dei inuenitur egisse. Non enim damnatur, nisi qui legi Dei non satisfecit.

Quod si is non iustificabitur in iudicio Dei, qui seruus Dei est, nec omnes viuentes, inter quos necesse est sanctissimos aliquot esse, si Ecclesiam sanctam,

ſanctam, Sanctorum communionem in terris viuere credimus, qui tamen legem implent, Qalis putas furor eſt eorum, qui citra gratiam & extra Eccleſiam inſaniunt, Legem poſſe impleri ex naturalibus uiribus, quo ad totam ſubſtantiam facti, licet non ad intentionem præcipientis? Ad hoc, ut iterum ad articulum Huſſiticum Conſtantiæ damnatum redeam, quantus error eſt, Actum neutrum & non malum inueniri dicere, quando actus iuſtorum non eſt iuſtificabilis coram Deo? Quibus recte illud Iere. 49. dici poteſt: Ecce quibus iudicium non erat, ut biberent, bibentes bibent, & tu innocens eris? Non eris innocens. Et 1. Pet. 4. Si iuſtus vix ſaluabitur, peccator & impius vbi parebunt? *Ierem. 49.* *1. Pet. 4.*

Et vide monſtra quæ hinc ſequuntur. Impio extra gratiam, in ſuo opere bono tribuunt, nec veniale peccatum, ſed ſolummodo non meritorium, Cum hic iuſto in opere bono tribuatur adeo peccatum, vt ſi iudicio Dei ſiſtatur, non poſſit iuſtificari (hoc eſt, mortale & damnabile) Quanto ergo magis impij opera bona ſunt damnabilia & mortalia, nequaquam neutralia ſeu media. Et adhuc gloriantur, Theologiam ſcholaſticam non eſſe contra Theologiam ſacram, cum hac ratione melior eſſet conditio peccatoris ꝙ iuſti, vbi ille non peccaret, in quo iuſtus peccaret. Hinc iam uidemus, unde fluant S. Patrum ſententiæ. *Scholaſtica Theologia.*

Auguſtinus li. 9. Confeſſ. Væ hominum vitæ, quantumcunq; laudabili, ſi remota miſericordia iudicetur. Quid hic, quæſo, ſequitur? Nonne omne peccatum eſſe omnino mortale ex natura ſua, ſola autem miſericordia Dei veniale? Nec mirum ſane, quia omne peccatum eſt contra legem Dei, At contra legem Dei eſſe, iam grauiſſimum eſt, quantum in ipſo eſt. Neceſſe eſt enim perpetuo ſeparari à Deo, quidquid quomodocunq; contra legem Dei eſt, cum nihil inquinatum intraturum ſit in regnum cœlorum. Deinde cum nec apex ſit præteriturus à Lege, qui non fiat, neceſſe eſt nec veniale quidem peccatum remanere. Eloquia enim Domini caſta, argentum igne probatum, purgatum ſeptuplum. Ita purum eſſe oportebit & hominem, alioqui ſaluus non erit, aut apex vnus præteribit. *Auguſtini dictum.* *Omne peccatū contra legem Dei eſt.* *Matth. 5.* *Pſal. 12.*

Quocirca grauis error eſt iterum Theologorum, peccatum veniale penitus nihil curantium, & garrientium, ꝙ veniale peccatum Deum non offendit, aut ſolum uenialiter offendit. Si tam leuis offenſio, cur iuſtus uix ſaluus erit? cur non ſuſtinet iudicium Dei, & iuſtificari iuſtus non poteſt? Cur tam ſerio, & non venialiter nec improprie orare cogimur: Dimitte nobis debita noſtra. Et: Fiat uoluntas tua, Adueniat regnum tuum, Sanctificetur nomen tuum? Nonne apparet hos Theologiſtas, primum extinguere timorem Dei in hominibus, deinde puluillos & ceruicalia ſub manibus & capitibus eorum ponere, vt Ezechiel dicit, ac orationes eorum remittere, & Spiritum extinguere? Non eſt res leuis momenti (dicant quid uelint) Legi & uoluntati diuinæ, uel vno pilo diſſentire, Nec res eſt leuis miſericordia diuina, quæ ueniale ignoſcit. Ita illi Legem & voluntatem ac miſericordiam diuinam pene pro ignauia habent, ne ferueat oratio, neue ardeat gratitudo iuſtorum. Attendamus ergo à fermento iſto phariſaico. *Error Theologorum.* *Ezech. 13.* *Fermentum Phariſaicum.*

His interim ſatisfactum eſt. Eccianam ſecundam Propoſitionem eſſe & erroneam & impiam, quando negat, iuſtū in omni opere bono peccare. Aut iuſtum peccare mortaliter (ſi iudicium diuinum ſpectes) Aut peccatum in baptiſato remanere. Hæc enim humanis ſomnijs concepit, qui in ſacris literis, quid peccatum, aut opus bonum ſit, nec legit, nec intellexit. *2. Eccij Propoſitio erronea & impia.*

Iterum Auguſti. lib. 1. retract: 29. ubi quæſiuiſſet, An mandata Dei fuiſſent ab Apoſtolis impleta omnia, dicit: Omnia mandata implentur, quando *Omnia mandata implentur, quando quid-*

quidquid non impletur, ignoscitur. August.

quidquid non impletur, ignoscitur, Quia in eisdem mandatis est & illud, quod tota Ecclesia usque ad finem mundi orat: Dimitte nobis debita nostra.

Vides, quod mandata non operantibus hominibus, sed ignoscente Deo, implentur. Quid autem ignoscitur in operibus mandatorum nisi peccatum? At non leuis est ignoscentia, quam diuina maiestas donat. Desinant ergo, veniale peccatum leue facere, ad cuius remissionem nō homo, non Angelus, sed Misericordia æternæ maiestatis necessaria est. Deinde non leue mandatum est, quod eadem maiestas iussit orare (ut Augustinus hic dicit) Dimitte nobis debita nostra. Diuina Maiestas ueniale peccatum tanti facit, vt pro eo delendo, præceptum statuat orandæ misericordiæ suæ, & homo sibi securitatem in illo fingit? Væ illi, per quem tantum scandalum uenit.

Augustinus Epist. 29. ad Hierony. Virtus quid.

Iterum, Idem Augustinus Epist. 29. ad beatum Hiero. de virtutibus disputans, dicit, Et vt generaliter breuiterque complectar quam de virtute habeam notionem, quod ad recte viuendum attinet. Virtus est charitas, qua id quod diligendum est diligitur. Hæc in alijs maior, in alijs minor, in alijs nulla est, Plenissima vero, quæ non possit augeri, quamdiu hic viuit homo, est in nemine Quamdiu autem augeri potest, profecto id quod minus est quā debet, ex vitio est. Ex quo uitio, non est iustus in terra, qui benefaciat & non peccet, Ex quo uitio, non iustificabitur in conspectu Dei omnis uiuens, Propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium habemus dicere, Dimitte nobis debita nostra, cum iam omnia in Baptismo, dicta, facta, cogitata dimissa sint. *1. Iohan. 1.*

Hæc clarissimi Patris clarissima sententia, nonne prædicta omnia confirmat, Quod defectu charitatis reliquam nimirum concupiscentiam causam facit peccati in quolibet opere bono? *Psal. 31.*

☞ *Hieronymus.*

D. Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, tranctans illud Psal. 31. Dixi, confitebor aduersum me iniusticiā meam, & tu remisisti impietatem peccati mei, Pro hac orabit ad te omnis Sanctus in tempore oportuno. Si Sanctus est, inquit, quomodo orat pro impietate? Si iniquitatem habet, qua ratione Sanctus appellatur? Tandem plurima Scripturæ testimonia, præsertim Iob. adducens, concludit: Ecce Iob noster immaculatus & sine querela, & abstinens ab omni malo, quali fine iusticiæ coronatur, ut misericordia Dei indigeat.

Iusti sunt qui fatentur se peccatores.

Idem lib. 1. Tunc iusti sumus, quando nos peccatores fatemur, & iusticia nostra non ex proprio, sed ex Dei consistit misericordia. Quare miserentis est & ignoscentis Dei, non uolentis neque currentis hominis.

Gregorius in moralibus.

Addamus Gregorium in moralibus primo, super illud Iob 9. Non iustificabitur homo compositus Deo, Sanctus, inquit, uir, quia omne meritum virtutis nostræ vicium esse conspicit, si ab interno arbitrio districte iudicetur. Ideo recte subiungit, Si uoluerit contendere cum eo, non poterit unum respondere pro mille.

Secundo, ibidem super illud: Si repente interroget, Quis respondebit ei? Quia, inquit, si remota pietate discutitur, in eo examine etiam iustorum vita succumbit. *Hiob. 9.*

Humana iusticia.

Tertio ibidem super illud: Si habuero quippiam iustum, non respondebo, sed meum Iudicem deprecabor. Vt enim (inquit) sæpe diximus, Omnis humana iusticia, iniusticia esse conuincitur, si districta iudicetur, Prece ergo post iusticiam indiget, ut quæ succumbere discussa poterat, ex sola iudicis pietate conualescat.

Quarto, ibidem: Verebar omnia opera mea, sciens quia non parcis delinquenti. Ecce vir Sanctus in operibus omnibus non malis (quæ non faciebat Sanctus, ut testatur Dominus de eo in principio Libri) timet & deliquisse *Iob. 9.*

quisse se sentit, ac minus fecisse. Ibi Gregorius dicit, Quæ aperte egerim video, sed quid intus latenter pertulerim, ignoro.

Quinto ibidem: Si fullerint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus tinges me &c. Grego. Quia quousq; pœna corruptionis astringimur, quantumlibet rectis operibus, veram mundiciam nequaq; apprehendimus, sed imitamur. Et infra, Quamuis per studia rectæ operationis exercear: in tua tamen noticia uideo. Quia mundus non sum. Et in fine moralium: Quis inter ista remanet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona nostra, quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt.

Vides ergo, omne opus bonum esse partim malum, etiam in tantis viris. Imo quod amplius est & mirabile, Quomodo potest utrunq; uerum esse, q̄ Iob sese confitetur peccatorem per totum librum, quem Deus in principio eximie laudat & iustum pronunciat? Neque enim Deus mentitur, neq; Iob mentitur, quem non mentiens Deus, vtiq; de veritate laudat. Est ergo uerissime peccator Iob, sicut uere confitetur, Est etiam uerissime iustus, sicut Deus eum commendat. Quomodo hæc conuenient? nisi q̄ reuera peccator fuit, sed sola Dei ignoscente misericordia iustus. *Iob peccator & iustus.*

Dicunt autem hic quidam: Verum quidem est, Nullus est iustus, si cum Dei iudicio comparetur, imo, inquiunt, sic nec Angeli iusti sunt. Respondeo: Hoc ultimum blasphemum est. Quia Deus mirabilis est in Beatis (ut Apostolus ait) nec eorum iusticia, nostræ iusticiæ modo pensanda est. Sunt enim plene & pure iusti, etiam Dei iudicio. Verum nos, quia in peccato nati, & peccatum, uelut naturam induti, sine peccato non sumus, donec similes Angelis erimus. *Responsio ad obiectionem.*

Primum autem pro me facit, Nam ideo dixi, nullum esse peccatum natura sua ueniale, sed omnia damnabilia, Quod autem uenialia sunt, Dei gratiæ quæ magnipendenda est) tribuendum est. Ideo ne paruipendatur diuinæ maiestatis misericordia, necesse est uenialia peccata maximi facere. *Nullum peccatum natura ueniale.*

Rationem etiam addemus dictorum.

NEcesse est hoc mandatum impleri: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota anima tua, ex totis uiribus, ita ut nec iota nec apex prætereatur. At cum ex Apostolo Roma. 7. probauerimus, peccatum & concupiscentiam in membris repugnare legi Dei, clarum est, q̄ nec ex toto corde, nec ex tota anima, nec ex totis uiribus diligere vllus possit. Vbi enim concupiscentia in corde, in anima, in uiribus est, ibi non totum cor, non tota anima, non totæ vires diligunt, ac per hoc tantum peccant, quantum ibi reliqua est concupiscentia, seu peccatum. Atq; sic Deus hoc præcepto omnes sub peccato tenet conclusos, ut omnium misereatur. *Diliges Dominum Deum ex toto corde.* *Rom. 7.* *Roma. 11.*

Verum inuenerunt hic glossam, qua in mille annis uix data est pestilentior, scilicet, q̄ Deus non requirit perfectam impletionem huius & similiū legum, Cum Christus clare dicat, nec iota, nec apicem à Lege pretereundum. Ideo timendum est, istos Doctores esse inter eos, quos describit Christus, dicens: Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & sic docuerit homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. Non ergo dicendum est: Deus non requirit perfectum mandatum, hoc enim est mutare mandatum Dei, sed ignoscit quod minus facimus. Non autem ignoscit stertentibus, sed operantibus, timentibus & cum Iob dicentibus: Verebar omnia opera mea, sciens quoniam non parcis delinquenti. Illi uero docent, q̄ parcat delinquenti, dum dicunt, non requirit. Caue ergo, ne putes à te non requiri *Glossa Sophistarum.* *Matth. 5.* *Iob. 9.*

totum

totum mandatum, ne forte ignores te quantum debeas Deo, ac per hoc superbias ac tepidus fias, gratiam eius fastidiens, ad quam te quod maxime urgere voluit mandato tibi impossibili.

IN fine iterum induco orationem dominicam, quæ sola plus & melius erudit animam de libero arbitrio, gratia, & peccato, quam omnes recentiorum Theologorum libri & argutiæ disputationum.

Sanctificetur nomen tuum.

Qui ergo orat: Sanctificetur nomen tuum, petit sine dubio, quod non habet, Non enim fictis verbis apud Deum ludere licet, Si non habet, ergo pollutor est nominis Dei. At nomen Dei non sanctificare, sed polluere, leue existimamus?

Adueniat regnum tuum.

Ita qui orat: Regnum Dei aduenire, quod est iusticia & pax, & intra nos (ut Christus & Paulus docent) nonne confitetur se iniustum & iusticia indigentem? At hæc orant, non nisi filij Dei, iusti & sancti.

Fiat uoluntas tua.

Ita, qui dicit: Fiat voluntas tua, nonne rebellem se Deo esse confitetur? An non est peccatum, Dei voluntatem non fieri? Vbi nunc liberum arbitrium? An non hic de se desperat, ad solam gratiam confugit, non nisi peccatum sibi tribuit, & impossibilia mandata Dei sibi esse confitetur? Vbi hic est facere quod in se est, quando iusti orant, & peccatores sese tot modis confitentur? Ita in omni ore hæc oratio uoluitur. Et adhuc Theologi liberum arbitrium, peccatum, gratiam tot studijs & quæstionibus non inuenerunt quid faciant aut possint. Recte ergo dixi, Oportere hominem de suis operibus diffidere, & velut paralyticum, remissis manibus & pedibus, gratiam operum artificem implorare, licet hanc sententiam Eccius cum factiosis suis in singulare suæ inscitiæ argumentum damnauerit.

Facere quod in se est.

Facessant ergo nugæ & argumenta humana, quæ dicunt: Vnus & idem actus non potest esse acceptatus & deacceptatus, quia esset bonus & non bonus. Hoc enim subtilitatis Scoticæ induco, vt ostendam, quod longe absint à ueritate, dum res istas diuinas humanis Ratiunculis incipiunt metiri. Nam nisi Scripturæ veritatem ignorararent, ista non dicerent, Et si recte intelligerent materiam gratiæ, peccati, & liberi arbitrij, non istas cauillationes pro bonis Rationibus ducerent.

Idem actus acceptatus.

Dico ergo: Idem actus est acceptatus & non deacceptatus, Quod autem non deacceptatur (oportet enim eorum uerbis uti) non est bonitas actus in causa, sed ignoscentia diuina, quæ nisi esset, nullus esset acceptatus. Quare satis patet, quod sunt ignari diuinę misericordiæ, ac per hoc & Christi, dum opus bonum inueniunt acceptatione dignum, sine misericordia ignoscente.

Qui natus est ex Deo, non peccat.

Dicerent rursus: Cur ergo 1. Iohan. 5. dicit: Qui natus est ex Deo, non peccat. Respondeo: Impossibile est, ut peccet filius Dei quicunque. Tamen simul uerum est, quod peccat, Sed quia ignoscitur ei, ideo uere etiam peccans non peccat, Nisi Paulus non fuit natus ex Deo, Roma. 7. ubi seruire se dicit legi peccati, aut ipse Iohannes mentitus est contra seipsum, ubi dicit: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Sequitur. n. expositio & concordia, quam dedi: Si autem, inquit, confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra. Sic confitentibus remittit, & facit, ut peccatores non sint peccatores, Negantibus autem reseruat & facit, ut iusti non sint iusti. Proinde definitio iusti in hac uita est hæc: Iustus primo accusator est sui, Ideo iusticia Christiana, est accusatio sui, quam cito perit accusatio sui, statim recedit

1. Iohan. 5. *Rom. 7.*

Definitio iusti.

quoque iusticia, Hos confessores Christus gestat in triumpho suo: Ihesus Nazarenus Rex Iudæorum, id est, confessorum, hoc est verbum bonum & suaue, quod Apostolus 1. Timoth. 1. iucundissime resonat: Fidelis sermo, & omni acceptatione dignus, quia Ihesus Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.

Igitur stat mea secunda Propositio, & claret, quomodo peccatum remaneat post Baptismum, & in omni opere bono sit peccatum (si misericordia non succurrerit) mortale, & nullum esse natura sua veniale. Quare iterum stabilitur, quod multo magis actus impiorum, sunt mere mali, & sic omnis actus aut bonus aut malus contra determinationem Concilij Constantiensis, id est, Thomistarum, quos ibi regnasse apparet. *Peccatum post baptismum remanet.*

Ex his etiam infertur, Liberum arbitrium esse mere passiuum in omni actu suo, qui velle vocatur, & frustra garriri distinctionem Sophistarum. Actum bonum esse totum à Deo, sed non totaliter. Est enim totus & totaliter à Deo. Quia voluntas, gratia nō nisi rapitur, trahitur, mouetur, qui tractus redundans in membra, & vires seu animæ seu corporis, est eius actiuitas, & nulla alia, Sicut tractus serræ secantis lignum, est serræ mere passiuus à sectore, nec ad tractum suum quidquam cooperatur, sed tamen tracta iam in lignum operatur, impulsa magis impellens, quæ serratio opus eius cum serratore dicitur, cum tamen mere patiatur. Sed de hoc suo tempore latius. *Liberum arbitriū.* *Simile.* *Actus serræ.*

CONCLVSIO III.

Qui opus bonum aut pœnitentiam a peccatorum detestatione ante dilectionem iusticiæ incipi, nec in eo peccari, asserit, hunc inter Pelagianos hæreticos numeramus, sed & contra sacrum suum Aristotelem desipere probamus.

ISta Conclusio ex præcedentibus firmiter probatur. Si enim verum est, adeo nullum opus bonum ante gratiam fieri posse, ut nec in gratia pure bonum fiat, Pœnitentia autem bonum opus nimirum sit, Necesse est eam gratia præueniente inchoari. De pœnitentia enim salutari loquimur, non de pœnitentia Iudæ, aut damnatorum. Est ergo expresse hæresis Pelagiana dicere, Pœnitentiam ante dilectionem iusticiæ incipi, Dilectio autem iusticię, gratia Dei est, non natura. Verum ut Eccianæ Propositionis impietatem manifestius videamus, rem paulo altius incipiamus. *Pœnitentia salutaris.*

Docui ego in Resolutionibus & Sermone de pœnitentia, peccatorum recordationem ante amorem iusticiæ nemini esse salutarem, sed noxiam. Ideo primum conandum, ut iusticia diligatur, tum amore iustitiæ peccata detestentur. Quam doctrinam Ecciana modestia, non hæreticam quidem nominauit, sed Euangelio & S. Patribus contrariam asseruit. Ideo magnifico titulo suis Propositionibus præfixo, contra nouam doctrinam (eadem modestia) se disputaturum ebuccinauit. *Sermo de pœnitentia.*

Age, Paulum Apostolum videamus, qui Rom. 4. dicit. Lex iram operatur, Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Et 5. Lex subintrauit, vt abundaret delictum. Et Galat. 3. Lex propter transgressionem posita est. Et 1. Corinth. 15. Virtus peccati Lex. Quibus omnibus id vult Apostolus, quod *Lex iram operatur.* *Rom. 4. Rom. 5. Galat. 3 1. Cor. 15.*

quod per Legem peccata potius augentur, quam tolluntur, & concupiscentia magis irritetur, quo magis prohibetur. Sed omnium manifestissime Rom. 7. occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. *Rom. 7.*

Lex occidit & auget peccatum &c. Stat ergo sententia, Quod sine gratia, Lex occidit & auget peccatum, etsi foris cohibet manum: tamen intus eo magis inuitum accendit animum. Cum ergo peccator ante gratiam iussus peccata sua discutere, necessario legis Dei memor sit, contra quam peccauit, necesse est, ut concupiscentias refricet, & Legem odiat, quam sola gratia diligere facit. Ita fit, vt hypocrita fiat, & peior, quam prius dum simulat se odisse peccata, quæ vere nec odit nec odisse potest, nisi Legem prius dilexerit, imo plus iam diligat peccata, quam prius, atque idipsum si auderet, sine dubio fateretur & ipse. Quare istis pestilentibus & hæreticis doctrinis, repletur Ecclesia hypocritis, dum raro de dilectione iusticiæ, semper autem de odio peccati docent, nec quomodo ad odium peccati perueniatur, aut sciunt, aut docent.

Liberum arbitrium ante gratiam. Et quid moror? Cum ipse Eccius meus concedat liberum arbitrium ante gratiam non valere, nisi ad peccandum, Qua insania dicere audet in ista Pelagiana Propositione, quod non modo non peccet, sed secundum Euangelium, & secundum Patres agat, qui pœnitentiam à detestatione peccati incipiat, hoc est, à peccando, pœnitere incipiat, cum ante gratiam, non nisi peccare detur in homine.

Scholasticorum sententia. Deinde etiam Scholasticorum sententia est, contritionem fieri oportere in charitate, Ergo charitas prior contritione. At charitas amor est Legis & voluntatis diuinæ. Quod si & ipse suam Propositionem intelligit de peccatorum detestatione ex charitate fluente, Quæ est ergo impudentia & temeritas, hoc appellare doctrinam nouam, & contrariam Euangelio & S. Patribus? Quare dico: Si Propositionem suam meæ vult esse contrariam, hæreticam, Pelagianam tenet sententiam: Si consonam, temere & stulte eam nouam doctrinam, & contra Euangelium esse iactitat.

Aristoteles. Actus uirtutis. Deinde nec Aristotelem suum intelligit, qui & ipse, licet cæcus gentilis, acutius tamen Eccio meo vidit, omnem actum uirtutis ab electione libera & uolũtate ac amore proficisci, atque priuationem nec nosci nec odiri posse, nisi cognita & amata re positiua, Peccatum autem priuationem esse omnes dicunt, iusticiam autem rem positiuam. *Peccatum. Iusticia.*

CONCLVSIO IIII.

Deus mutat pœnam æternam in temporalem, scilicet crucis portandæ, cuius Canones, aut Sacerdotes nec statuendę, nec auferendę habent vllam potestatem, quanquam id, ab Adulatoribus noxijs seducti, præsumere possunt.

HVius Propositionis nullam adhuc confutationem audiui, nisi quod in contraria Eccij Cõclusione dicitur, Hoc esse repugnans Scripturę & vsui Ecclesiæ, Verum an aliam ille Scripturam & Ecclesiam habeat, ignoro, forte Ecclesiam malignantium, & eius abusum intelligit, & Scripturam, bullas & literas eorum.

Mihi sufficit, quod Ecclesia in his, quæ Deus vult & facit, prosus nihil possit, prẹter orationem, claues habet, quibus vtitur in terris, Nec video quomodo ligare aut soluere possit, cuius prorsus nullam potest habere noticiam, cum vsui clauium necessaria asseratur scientia. De ijs abunde in Resolutionibus meis, quas vbi confutatas videro, cedam.

CONCLV-

CONCLVSIO V.

Quilibet Sacerdos debet absoluere pœnitentem a pœna & culpa, aut peccat. Aeque peccat superior Prælatus, si occulta sine causa reseruat rationabilissima, quantumlibet usus Ecclesiæ, id est, adulatorum resistit.

ET hanc vsui matris Ecclesiæ aduersam Ecciana arguit Propositio. Ego uero, non quid fiat, sed quid fieri debeat, disputo. Quod autem Sacerdotes restringuntur per Episcopos, & Episcopi per Papam, quo minus id possint quod debent: quo iure id fiat, fateor me ignorare. Vsum uideo, ius quæro, ius, inquam, diuinum: nam humanum & usum pro eodem accipio. Cum enim Presbyteri & Episcopi iure diuino sint idem, & olim idem fuerint, dum populorum curam haberent prædicando, & ministrando: non uideo, quo iure, Episcopi relicto officio Presbyteris, ius tamen presbyterorum secum ascendentes sustulerunt. *Presbyteri & Episcopi.*

Multa sunt & alia in iure & usu Ecclesiæ, quæ non capio, quomodo fieri potuerunt, Quale est iuramentum Episcoporum, quod pro pallijs præstare coguntur, & in meram seruitutem iniquissimæ Romæ capiuntur. Qualis est mensis papalis, & gratiæ expectatiuæ. Quales seruationes Casuum, & infinita his similia. Quæ fiunt quidem, sed contraria fieri debent. *Iuramentum Episcoporum. Mensis papalis.*

CONCLVSIO VI.

Forte satisfaciunt animæ in Purgatorio pro peccatis, sed quod Deus a morituro plus quam voluntariam mortem requirat, vanissima temeritate asseritur, quia nullis modis potest probari.

ET hanc nemo adhuc tetigit, & abunde satis de his rebus alibi scripsi. Nec multum nocet, quod Ecciana Propositio, erroneum dicit, quidquid hæc mea Propositio statuit: quia multi multa loquuntur. Ne ergo eadem repetam, illuc remitto ubi dixi.

CONCLVSIO VII.

Neque quid fides, neque quid contritio, neque quid liberum arbitrium sit, ostendit se nosse: qui liberum arbitrium actuum suorum, siue bonorum siue malorum, Dominum esse, balbutit: aut non sola fide uerbi quem iustificari, aut fidem non tolli quolibet crimine, somniant.

Tres errores Eccianos hic signaui.

Roma. 6. PRimus, Quod liberum arbitrium sit Dominus actuum suorum, quod una solius Apostoli autoritas satis confutat, Rom. 6. Fuistis serui peccati, liberi autem a peccato, serui facti estis iusticiæ. Ita in quocunque uitæ

ſtatu ſumus, ſerui ſumus, ſeu concupiſcentiæ, ſeu charitatis. Vtraq; enim dominabitur libero arbitrio. Sic Chriſtus Iohan. 8. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Ita & Petrus, 2. Petri. 2. A quo enim quis ſuperatus eſt, huius & ſeruus eſt. 2. Pet. 2.

Si dices: Eſt tamen aliquo verum ſenſu liberum arbitrium eſſe dominum, non excludendo gratiam. Reſpondeo: Siue ſit ſenſus ſiue non, Theologum decet loqui ad vſum Theologiæ & ſacræ Scripturæ. Et cum in ſuas repertas loquendi Regulas cogant omnes Chriſtianos, cur tam liberi ſunt contemptores Regulæ diuinæ? Fateor, liberum arbitrium poſſe dici Dominum, Principem, Epiſcopum, Regem, & alia quæcunq;, ſed hæc periculo gratiæ Dei, & Scripturæ intelligendæ dicuntur, quæ ſeruitutis vocabulo nos ſignat, & qui aliter liberum arbitrium intelligit, non intelligit.

ALter error, magis noxius, & qui euidenter indicat, Eccium meum neſcire, quid fides ſit, dum negat per eam ſolam iuſtificari hominem, ſed nec quid ſit iuſtificari intelligit.

Dicimus ergo cum Paulo Rom. 1. Iuſticia Dei reuelatur in illo ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide uiuet. An Apoſtolus ab Eccianis docendus fuit, ut gloſſam illam mirabilem adderet, ſed non ex ſola fide? Item Rom. 10. Corde creditur ad iuſticiam. Vide, ut hic ſoli fidei tribuat iuſticiam, adeo, ut ſolum cor nominet, cæteris membris, quæ operentur, tacitis. Ore, inquit, confeſſio fit ad ſalutem, ſed ubi iam iuſtificatus eſt per fidem. Rom. 1. Rom. 10.

Sola fides iuſtificat. Dicam ergo, ut nugas iſtas inſulſas Sophiſtarum prætercam, Nulla opera iuſtificant, ſeu iuſtum faciunt: Sed ſola fides. Iuſtificatus autem facit opera. Sic enim habet ſenſus Scripturæ, ut iuſtificatio ſit prior operibus, & opera fiant à iuſtificatis. Non enim, ut errat Ariſtoles, iuſta faciendo, iuſti efficimur: Sed iuſti facti, operamur iuſta. *Iuſti facti, iuſta operamur.* Sicut non fit Epiſcopus, opera Epiſcopi faciendo: ſed Epiſcopus factus, facit opera Epiſcopi. Sic non opera fidei faciunt fidem, Sed fides facit opera fidei. Sic non opera gratiæ faciunt gratiam, ſed gratia facit opera gratiæ. Inde eſt quod Deus reſpicit primum ad Habel (in quo ſibi placet) & ſic tandem ad opera. Gen. 4. Hoc eſt, quod uult Apoſtolus, quod ſola fide iuſtificamur, non operibus, licet opera iam iuſtificati nō omittamus.

Lex iuſto non eſt poſita. Et inde latius audet dicere, Quod Lex iuſto non eſt Poſita, Quia iam iuſtus ex fide, non eget Lege, Sed ſua ſponte facit opera. 1. Timo. 1. Hunc loquendi & intelligendi modum in operibus ſuis ſubmerſi, nunquam intelligunt Sophiſtæ huiuſmodi. *Non auditores, ſed factores Legis iuſtificabuntur. Roma. 2.* Nam quod Romano. 2. dicit: Non auditores Legis, ſed factores Legis iuſtificabuntur, loquitur, quod reputantur iuſti, non quod per opera iuſtificentur. Atq; facere Legem, eſt implere Legem, quod eſt credere in Chriſtum.

Fides ſine operibus mortua. Quod autem Iacobi Apoſtoli Epiſtola inducitur: Fides ſine operibus mortua eſt. Iacob. 2. Primum, ſtylus Epiſtolæ illius longe eſt infra apoſtolicam maieſtatem: nec cum paulino ullo modo comparandus. Deinde de fide uiua loquitur Paulus. Nam fides mortua non eſt fides, ſed opinio. At uide Theologos, hanc unam Autoritatem mordicus tenent, nihil prorſus curantes, quod tota alia Scriptura fidem ſine operibus commendet. *Mos Sophiſtarum.* Hic enim mos corū eſt, una abrepta oratiuncula textus, contra totam Scripturam cornua erigere.

Debebant ergo hi, qui titulo Theologiæ inflantur, diſcere primum, quid eſſet fides & opera iuxta Scripturas: ac non mox damnare, quidquid contra ſuas opiniones inueteratas offendiſſent. Quod ſi populus his offenditur, ſuis imputent infœlicib. ſtudijs, quod populum non docuerunt intelligere, uerba Dei, & tropos Scripturæ neceſſarios ad ſalutem. Ipſi autores ſunt ſcandalorum huiuſmodi. Multo periculo prædicantur, opera præ fide: fides autem ſine opere nullo periculo prædicatur, propterea quod facilis eſt, & procliuis

procliuis populus in fiduciam operum, & opera facile preponderat fidei. Vbi autem pura fides recte docetur: sponte sua, & sine periculo uenient opera, dum didicerint, maiorem uim, imo totam, in fide positam, quæ faciat opera.

Horror est intendere, quam ignari sint etiam Theologi, nedum populi, in cognitione fidei, quam profitentur: adeo Ecclesia repleta est iactantia operum externorum, vt Christus de nostro tempore dixisse videatur: Filius hominis cũ uenerit, putas inueniet fidem in terra? Breuiter, Cum fides sit recta & bona opinio de Deo: Opinio autem quælibet per se solam hominem trahit in opera: Non est dubitandum, quin omnia opera faciat, qui fidem habuerit. Si enim opinio & amor mulieris, non sinit esse ociosum, sed sine lege & magistro facit plura, quàm postuletur: Quomodo nõ fides multo magis idẽ prestet? Mundus regitur solis opinionib. & sola fide nõ possit regi Christianus? Denique quis docet Sophistas Theogolos: tot & tanta facere, pati, cogitare, uitare pro opinionib. suis? Nonne sola affectio opinionis suæ? Sed alias plura.

Theologi in cognitione fidei ignari.

Amor mulieris.

TErtius error impijssimus, Quod fidem non tolli quolibet crimine dicit, cum fides sit iusticia, crimen autem contrarium iniusticia. At scio quod mihi commentum de fide infusa & acquisita obijciat. Sed nunquid hoc est boni viri, nedum Theologi, officiũ, scire alicuius Propositionẽ esse uerã: & tamen alium sensum quærere, quo eandem garrias esse falsam, & ita ad uocem, & vocabuli æquiuocationem veritatem calumnieris? quam eximia vero Theologia hæc est, ut hanc: Canis est animal latrabile, oppugnes & dicas: Contra, Canis est sydus cœleste, cum scias certissime canem ab illo aliter acceptum, quam abs te.

Fides infusa & acquisita &c.

Ista Sophistica & odibilis duplicitas, seu rectius multiplicitas, cui non odiosa sit in Protheo, nedum in Theologo? Verum quando Eccius titulo præfixo contra nouam Doctrinam disputare se dicit: intelligo eum pro simplicitate theologica, non de alia fide loqui, quàm ego loquutus sum: alioqui non contra meam nouam doctrinam loqueretur, & titulus mentiretur. Ideo dico, quod sua hæc contraria Propositio sit omnium, quas uiderim unquam, hæreticissima & impijssima, ut quæ fidem solam iustificatricem, contra Paulum Apostolum, & Euangelium Christi neget: & eam nullo crimine tolli affirmet. Deinde liberum arbitrium actiuum dominum contra Scripturas defendit.

CONCLVSIO VIII.

Veritati & rationi contrarium est quidem, inuite morientes deficere in charitate, ideoque pati horrorem Purgatorij, modo veritas & ratio sit idem, quod opinio Theologistarum.

HAec nullum adhuc habet Confutatorem: & de eadem multa in Resolutorijs dixi. Ne sim tædio, repetere nolo.

CONCLVSIO IX.

Animas in purgatorio esse certas de salute sua, nec gratiam in eis augeri, scimus a Theologistis asseri: Sed miramur doctissimos viros, quod huius fidei suæ rationem nec stulto verisimilem reddere possunt.

HAnc multis impetijt Eccius, sed nihil effecit, cum nullus hominum scire possit, quid cum Animabus agatur in purgatorio. Hac ignorantiæ professione, facile eludo omnium contraria Argumenta, quod nullus possit docere, quod nec uidit, nec audiuit, nec in cor hominis ascendit. Opinari possimus de ijs & similibus, quantum volumus, sed solis Theologistis conuenit, ut quæ opiniones sunt, pro Articulis certissimis fidei iactent.

Status animarum in purgatorio.

Ad argumenta uero, quorum caput est & una uirtus illud, Hic omne meritum comparari, non illic, Respondi satis in Resolutorio. Nec ego eas mereri dixi, sed gratiam augeri: & in statu merendi non esse eas, dixi nondum demonstratum esse, postquam fuerit demonstratum, cedam.

CONCLVSIO X.

Meritum Christi esse thesaurum Ecclesiæ, et Sanctorum meritis nos iuuari, certum est. Esse autem thesaurum Indulgentiarum, nemo nisi fœdus adulator, extrauagantes a ueritate, & fictæ quædam Ecclesiæ praxes, aut vsus simulant.

Articulos fidei statuere, non est in manu Papæ.

HIc forte propter illam declaratoriam Leoninam, addenda sunt quædam ijs, quæ copiose in Resolutionibus dixi. Primo, quidquid sit de Extrauagante illa & declaratoria, certum est in manu Ecclesiæ aut Papæ prorsus non esse, Articulos fidei statuere, imo nec leges morum seu bonorum operum, quod hæc omnia in sacris literis sint tradita. Ideo reliquum est, ut articulorum declarandorum tantummodo potestatem habeat, deinde ceremonias ordinare ad externam speciem ecclesiæ Dei, quas rursum destituat, si pietatis ratio postulet.

Gerson.

Deinde in declarandis fidei articulis, oportet, ut non eos adhibeat, qui humanis traditionibus, iuribus & opinionibus sunt exerciti, hi nihil boni declarabunt, sed Theologos insigniter eruditos, uitaque probatos, ut & Iohannes Gerson censet. Non sicut hodie errant quidam pontificij adulatores, qui sine literis, sine ratione bonæ uitæ, pronunciant de capite suo, uelut certi, quod Spiritus sanctus eos regat. Fatemur, Ecclesiam non deseri spiritu Christi, sed Ecclesia ibi non intelligitur Papa & Cardinales, aut etiam Concilium. Ideo ponenda est ista stulta fiducia præsentis spiritus, securitasque pronunciandi, & cum timore consultis sacris literis res gerenda.

Ecclesia non deseritur spiritu Christi.

Merita Christi.

Gratia Dei non datur per hominem.

Iohan. 1.

Secundo dico, Quod merita Christi sunt spiritus & uita, sunt gratia & ueritas, ut Iohan. 1. Gratia & ueritas per Ihesum Christum facta est. Cum autem in nullius hominis potestate sit, gratiam & ueritatem, spiritum & uitam tribuere, Ideo non poterit Papa vel Ecclesia merita Christi dispensare, id est, gratiã & ueritatem. Et hanc sententiam ita teneo ac tenebo, etiamsi Angelus de cœlo, nedum Papa, aliud dixerit, Quandoquidem & vniuersa Ecclesia, omnesque in unum Doctores negent, gratiam Dei per hominem dari.

Merita Christi.

Quod si dixeris: Applicare tamen potest merita Christi, quo uolet. Respondeo: Merita Christi sunt gratia & ueritas, siue dentur, siue uendantur, siue dispensentur, siue applicentur. Non enim fiunt aliud, quam merita Christi, in quocunque eorum usu. Ideo sicut nec dare, ita nec applicare ea potest homo, dicas quid uelis.

Indulgentiæ.

Rursum dices: Ministerialiter dat merita Christi. Hæc concedo, sed non pro Indulgentijs. quia indulgentiæ sunt contrariæ meritis Christi, merita Christi sunt gratia & ueritas, quæ faciunt meliorem in spiritu, & sanctiorem eum qui consequitur. Indulgentiæ vero nihil boni conferunt in spiritu: sed remittunt bona spiritus contra merita Christi. Quare ipsi viderint sua verba & vsum suum, Ego, salua eorum reuerentia, dico, quod, vt verba sonant, merita Christi non esse posse thesaurum Indulgentiarum, sed contra, thesaurum impositionum, & pœnarum ferendarum omnino contraria Indulgentijs.

Ideo fateor ea conferri ministerialiter in absolutione culpę, ibi enim res spiritus agitur, ibi merita Christi operantur ad verbum sacerdotis, si credat peccator, alias nequaquam.

Quare declaratoriam illam nõ damno, sed in suo sensu eam relinquo. Si autem aptata fuerit, ut contra prædicta militet, respuo, & postulo, vt reddatur ratio dictorum. Deinde ostendatur potestas faciendi articulos fidei, aut proferatur probata reuelatio, nudis uerbis prohibet me Paulus credere.

CONCLV.

CONCLVSIO XI.

Dicere, Indulgentias esse bonum Christiano, est insanire. Sunt enim verissime operis boni uicium. Et improbare Indulgentias debet Christianus ob abusum, quia Dominus dicit: Propter me deleo iniquitates tuas, non propter pecunias.

Psal. 40. PRopheta Psal. 40. appellat insanias falsas hominũ doctrinas, quibus colitur Deus, cõtempto eius mandato. Quanto magis insaniunt ij, qui, cum Indulgentiæ sint remissiones bonorum operum & salubrium pœnarum, audeant hæc bona profiteri Christiano, cuius bona sunt, esse plenum bonis operibus & pœnis crucis, imagine Domini sui Christi. *Insaniæ falsæ.* *Indulgentiæ.*

Deinde semper sunt vicium operis, dum non daretur id, quod datur, nisi Indulgentias scirent reddendas. Ita propter malum suum, seu minus bonum, faciunt bonum suum, vbi certum est, ꝙ non quæritur Deus, sed ipse homo.

Tenta, et videbis me verũ dicere. Nã in Italia, vbi gratis sunt Indulgentiæ passim expositæ, nemo eas curat, In Germania contra, nisi des, eas nemo tibi dabit, Ita mirum est ingenium Indulgentiarum, quod aliter in Italia, aliter in Germania regnant.

Hanc Propositionem Iohannes Eccius Lipsiæ impugnauit, sed ita, ut in sibilum pene ierint vniuersæ Indulgentiæ, neq; ipse enim visus est eas magnifacere, atq; vtinam iam diu sic fuissent commendatæ, sicut ab Eccio nostro sunt commendatæ, minus rapinarum & spoliorum Romana auaricia tulisset e Germania, tum non ita irrisissent Germanorum barbaram ruditatem Romanenses populorum illusores. Cætera in Resolutorio. *Romanenses populorum seductores.*

CONCLVSIO XII.

Papam posse remittere omnem pœnam pro peccatis debitam huius & futuræ vitæ, & quod Indulgentię prosunt non criminosis, somniant secure indoctissimi Sophistæ & pestiferi adulatores, non tamen vel nutu possunt ostendere.

ET hanc nemo aggressus adhuc, quem viderim, præter Propositionis eccianæ ventum, ad quem non est secuta pluuia. Verum quia & hæc est contra nouissimam declaratoriam, quæ dicit, Ecclesiam remittere pœnas pro peccatis secundum iusticiam diuinam requisitas. Hic dico.

Sępius dixi, Ecclesiam nihil posse contra iusticiam diuinã, præter orationem, nisi ęquiuoce iusticiam iustinam accipias. Nam mihi nullũ dubium est, pœnas, quas Ecclesia requirit à peccatore, simul requiri a iusticia diuina, per pactũ ꝙ fecit cum Ecclesia, dicens: Quodcunq; ligaueris super terram, ligatũ erit & in cœlis. Vbi clare dicit ligari apud se, ꝙ in Ecclesia ligatũ est, & ita consonat iusticia Ecclesię et Dei super peccatore. Verum hoc modo nõ habet usus loquendi, qui per iusticiã diuinam intelligit aliam seorsim extra pactum iusticiam Dei, secundum quam Ecclesia non imposuit aut imponit. De hac dico, si declaratoria loquatur, non ei credam. Sinam tamen esse opionem, sicut & sumpta est ex opinionibus. Nam, ut dixi, nouos fidei articulos non recipio a quocunq; statuantur, nisi assit probata relatio. Nec declaratoriam articuli cuiuscunq;, nisi per diuinas Scripturas declauerit, quarum ne syllabam quidem habet ista declaratoria iuristica magis ꝙ̃ theologica. *Pactum Christi cum Ecclesia.*

An hic mihi obstrepunt, magnam & infallibilem esse autoritatem Ecclesię, quæ Spiritu sancto regatur. Deniq; iuxta Augustinum: Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ crederem. Hic sane nouum pelagus Disputionis nauigandũ est. Dico, sicut paulo ante dixi, magnam & infallibilem esse Ecclesiæ autoritatem, ꝙ spiritu Christi regatur, pleno corde confiteor. Sed Iurisperditis quibusdam et assentatoribus Theologis debemus hanc intelligentiã, ꝙ *Ecclesiæ autoritas infallibilis.*

Ecclesia ibi pro Notarijs & pœnitentiarijs, aut Magistris Palacij Papę accipitur (nam ipsi Pontifices raro has res curant) cū de uniuersali Ecclesia tota loquatur, non de Romanæ Ecclesiæ quadam parua, & nonnunquā vilissima parte. Et inde habemus etiā bullas & definitiones ex Vrbe, dignas tali Ecclesia. Ad Autoritatem Augustini dico primum.

Augustini dictum, Euangelio non crederem &c.

Esse eius vulgatam quorundam sententiam hanc: Euangelio non crederem, nisi Ecclesiæ crederem, id est, Plus credo Ecclesiæ, q̄ Euangelio. Et q̄ hæc eorum sit sententia, ex eo patet, q̄ Papæ hinc tribuunt autoritatem interpretandæ Scripturæ, soli etiam. Deinde eam opponunt omnibus, quos audiunt vel dubitare vel reluctari Pontificum vel literis vel factis.

Qua sententia, nec Lucifer ipse, nec omnes hæretici simul sumpti, damnatiorem imo nec similem impietatem cogitauerunt. Nam hinc sequitur, Papam & Notarios Palacij esse supra Euangelium, ac per hoc supra Deum, cum Lucifer solum æqualis Deo esse conatus fuerit. Qua sapientia noua, Papam nobis hominē illum statuūt, de quo dicit Paulus: Qui extollitur supra omne quod colitur, aut q̄ dicitur Deus. Ecclesia enim cretura est Euangelij, incomparabiliter minor ipso, sicut ait Iacobus: Volutarie genuit nos uerbo ueritatis suæ. Et Paulus: Per Euangelium ego uos genui, Vnde idem uerbum, uocatur uterus & uulua Dei, Esa. 46. Qui gestamini in utero meo, et portamini in uulua mea, quia scilicet ex Deo nascimur & portamur uerbo uirtutis suæ.

2. Thess. 2. Iacob. 1. 1. Cor. 4. Esa. 46.

Si hoc uoluisset B. Augustinus, sicut ei innocentissimo imponunt, quis nō Augustini mallet nunquam audiuisse nomen? Igitur ad fontem eundum est. Scribit enim B. Augustinus contra Epistolam fundamenti Manicheorum, non Vincentij (ut illi dicunt) capite 5. Adeo studiosi sunt tum librorum tum verborū, ut nec ad originem, nec ad sensum curent pedem mouere. Deniq; uerba Augustini, quæ sic habent: Euangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoueret autoritas, illi (Thrasones sic reddunt: Euangelio non crederem, nisi crederem Ecclesiæ. Inde nihil mirum, si tantum sit laboratum in huius Dicti intelligentia, & tot sensuum riuulos inde ductos. Iustus enim labor his est, ut multis torqueantur interpretationibus, qui librum & autorem non dignantur lectione, sed de suis capitibus diuinare conantur, undelibet decerptis deprauatisq; dictis intelligentiam.

Euangelio non crederem &c.

Primum, familiaris tropus est B. Augustini, dicere: Se esse commotum huius uel huius autoritate. Sic enim li. 1. Retract: Postea cum legissem nonnullos diuinorum eloquiorum tractatores, quorum me moueret autoritas &c. Deinde per Autoritatem non intelligit potestatem, ut uulgo intelligitur, Sed, ut latinissimi, quo modo Plinius, vino uel gemmæ solet prę cæteris autoritatem tribuere, cum nullius sint in alias potestatis, quasi dicas, preciosam opinionem & valorem.

Ecclesia.

Secundo, Ecclesiam hoc loco, nec Papam, nec Romam accipit, sed per totum orbem diffusam uniuersalem Ecclesiam, ut mox ibidem secutus dicit: Euangelio enim catholicis prædicantibus credidi.

Est ergo argumentum, scopus & summa B. Augustini eo loco eiusmodi: Vobis Manichæis nō credo. Quare? quia in Euangelio nihil de uobis lego. Cum autem catholici uos per totum mundū detestentur, Euangelium autem commendent mihi, & constanter vbiq; prædicent, Euangelio autem non credidissem, nisi totus orbis tam concorditer docens, hac Autoritate sua me moueret ad credendum, simul eadem autoritate moueor ad uobis non credendum, Quia nihil de uobis lego in Euangelio, cui motus autoritate totius orbis credo. Ex quibus clarum est, Augustinum hoc velle, Posse scilicet probari tanto omnium consensu, Euangelium & Ecclesiam, & improbari hæreses contrarias tantæ multitudini, præsertim ubi hi, cum quibus agitur, libros acceptant, ex quibus id probatur.

Hunc esse sensum B. Augustini, patebit quibuslibet, qui præcedentia & sequentia

sequentia conferunt, & scopum Augustini obseruant. Frustra Gerson, frustra Mayron, frustra & alij, hoc de primitiua Ecclesia, alij de Ecclesia cum Christo Deo incluso intelligunt. Nam & lib: Confess. idem dicit, se non leuiter motum ad Christi fidem, quod uideret sacris literis à Deo tantam esse datam autoritatem, quod toto orbe haberentur in summo autoritatis fastigio. Sic hic dicit se motum, tanto per orbem populo in Euangelium consentiente, in quo tamen nihil inuenisset de Manichæis, ideo non posse se Manichæis credere, quos illi detestarentur, quos Euangelium uidebat ita constanter recipere, vt eorum moueret autoritas ad credendum hoc esse Euangelium. *Gerson. Mayron.*

Nec hoc ergo recte dicitur quod approbante Ecclesia, Euangelium noscatur, cum de approbatione Augustinus nihil dicat, præsertim si Romanam Ecclesiam intelligas, sed de multitudine totius orbis, quæ res non leuis est autoritatis, cum sine Dei maximo miraculo fieri, tot resistentibus Tyrannis, tot morientibus Christianis, non potuisset, ut Euangelium sic maneret & cresceret. Si enim hoc non uidisset fieri, Euangelio non crederet. Quid hoc? An non crederes etiamsi totus orbis insaniat contra Euangelium?

Dixi ergo, quod magis loquitur de conuincendis hæreticis, & probanda fide catholica (hoc enim tunc agebat) quam de sua propria fide, quæ non vllorum autoritate, sed spiritu solo Dei oritur in corde, licet per verbum & exemplũ moueatur homo ad eam. Sed quia hæreticis hoc exemplo pro fide fortiter resistitur, quasi diceret: Fidem, quam habeo in Euangelium, non possem ita tueri contra uos, nisi Ecclesiæ ista moueret autoritas. *Propria fides.*

Et est simile, Sicuti Deo non credidissem, nisi Paulo prædicanti credidissem, quia fides non nisi ex auditu. Quomodo enim credent ei, quem non audierunt? Ita probatio fidei non nisi ab exemplo totius Ecclesiæ per orbem, quomodo enim persuadebit, etiamsi solus fortissime credat, nisi proferat & aliorum exemplum, & hoc quo poterit potentissimum?

Igitur non crederem, necessario intelligitur, id est, non possem persuaderi, & persuadere ad credendum, alioqui falsissime diceret, cum solus Spiritus sanctus faciat credere quemque.

1. Iohan. 3. At iterum simile esto: Iohan. dicit: Qui non diligit Fratrem, quem videt, Deũ quomodo potest diligere, quem nõ videt? Cum sit impossibile fratrem diligi, nisi in Deo prius dilecto. Est ergo sensus: Non probatur diligere Deum, quem non videt, qui non ostendit se diligere fratrem, quem videt. *Qui non diligit fratrem quem videt &c.*

Vides ergo, quam longe abierint ab Augustino, qui hunc tropum non obseruauerunt, & quam inepte ad Romanum Pontificem & Ecclesiam Romanam ista directa sint.

Lucæ 22. Dicis iterum; Christus rogauit pro Petro dicens: Vt non deficiat fides tua. Si deficere accipitur latino tropo, manifestum est, Petri fidem defecisse, quando cecidit negato Christo. Quare Petri fides tum non in Petro, sed in virgine Maria mansit, & in Latrone dextro orta est. Eadem enim est Petri fides, quæ omnium, sicut Augustinus de Tri: dicit lib: 1. Hæc mea fides est, quoniam hæc catholica fides est. Atque hoc modo fides Petri nihil ad Romanam Ecclesiam, quod sensus est, Fidem Christi (quæ totius Ecclesia est) quę tunc in petro fuit, nunquam defecturam. *Petri fides. Fides Christi.*

Si autem ebræo tropo deficere accipitur pro finiri ac penitus cessare, nec aliquando reparari, clarum est, Petri fidem cecidisse quidem, sed non defecisse, quia reuersa est à lapsu, Verum ex hac personali fide nihil pro vllo Episcopo infertur, nec aliquid ad successorem pertinet de hac fide quantum verborum proprietas facit. *Fides Petri cecidit, non defecit.*

CONCLVSIO XIII.

Romanam Ecclesiam esse omnibus alijs superiorem, probatur ex frigidissimis Romanorum Pontificum Decretis, intra

quadringentos annos natis, Contra quæ sunt Historiæ approbatæ mille & centum annorum, textus Scripturæ diuinę, & Decretum Concilij Niceni omnium sacratissimi.

HAnc edita Resolutione aliquanto declaraui, plura dicturus futuris aduersarijs. Interim, quia scandalosa est Propositio in auribus pietatis, id est, inuidiæ & superbię, pauca iterum, ne nuda prodeat, addam. Pro quo primum probo, Quamlibet ciuitatem habere debere Episcopum proprium iure diuino, quod ex Paulo Tit. 1. ostendo dicente: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt quæ desunt, corrigas, & constituas Presbyteros per ciuitates, sicut ego disposui tibi. Hos aūt Presbyteros esse Episcopos, testatur Hieronymus & textus sequens ostendit dicens: Oportet.n. Episcopum esse irreprehensibilem &c. Sed & B. Augustinus Epistola 29. ad Hieronymum Episcopum, descripturus, rationē addit & dicit: Erat enim ciuitas, quasi diceret, non erat simplex Presbyter, sed Episcopus, de quo loquor, quia erat ciuitas, cui præerat.

Secundo suppono.

Christum habere, aut aliquando habuisse Christianos in omni termino terræ, ut in extrema parte Indiæ & Aethiopiæ, & alijs finibus iuxta Psal. 2. Possessionem tuam terminos terræ. Et Psal. 72. Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usq; ad terminos orbis terrarum. *Psal. 2. Psal. 72.*

Tertio suppono.

Fideles Christianos posse esse perfectos & pauperes, relictis omnibus suis rebus, ita ut nihil proprij habeant.

Tunc arguo.

Dentur hi fideles in extremo aliquo termino terræ, perfecti & pauperes, credis ne Christum, qui legem suam uoluit esse suauem, voluisse, vt per tantum iter, tantis sumptibus fideles sui Episcopum è Roma palliatum & confirmatum acciperent? Nam hinc vere plus imposuisset oneris Ecclesiæ suæ, quam unquam imposuit Synagogę. Quin coegisset eos, paupertati euangelicæ renunciare, & contempto præcepto eius, curam habere & sollicitos esse, Quomodo diuitias & sumptus coaceruarent, quo pallia & confirmationes impetrare possent. Nam si est ius diuinum, Episcopos omnes è Roma accipere: Non licet hoc ullo vel loci uel rerum casu infringere, Ac per hoc infringere oportet aliud ius diuinum, scilicet, ne solliciti sint de castrino, ut Matth. 6. docet. Impossibile est enim, à tot & tam remotis finibus terrę, tantum iter confici ab his, qui iuxta Euangelium solliciti non sunt de crastino, non enim habebunt sumptus.

Iure diuino non oportuit omnes Episcopos Romæ accipere.

Matth. 6.

Si dicis: Potest Romanus Pontifex committere vicinis Episcopis potestatem suam. Respondeo: Tunc non erit ius diuinum ex urbe Roma, Episcopos petere, Quia ius diuinum nō potest mutari aut transferri in alium, ab eo cuius est. Et cur hodie quoq; Primatibus non confert hanc potestatem? Quid enim hic obstat, nisi detrimentum lucri & gratiæ?

Sed finge aliquam Ecclesiam ab hostibus captam, vt non possit ad Romam mittere pro Episcopo. Quid hic faciet? Si est ius diuinum, captiuitas non excusat. Ius enim diuinum est nulli rei alligatum, sed super omnia omnibusq; seruandum. Si dicis: Sufficit votum mittendi. dico: Cur non & in alijs Episcopatibus hoc uotum sufficit, qui exhausti sunt; & tam longe à Roma positi, vt magno suo detrimento (contra charitatem) Episcopum emere cogantur?

Ius diuinum.

Secundo, Sequitur ex verbo Pauli, quo cuilibet ciuitati Episcopum tribuit (qui nunc Plebani dicuntur) Episcopos, Patriarchas, Primates, qui hodie sunt, esse iuris humani tantum, quod & Decreta indicant, quibus Ro: Pontifices sibi tribuunt omnium Ecclesiarum & dignitatum constitutionem,

Paulus cuilibet ciuitati Episcopum tribuit.

Atq;

Atq; ita iure diuino, Papa nulli est superior omnino, aut solis Plebanis superior est. Cæteris medijs ac maioribus suo iure & usu superior est, quo & Cardinalibus. Atq; vt Plebanus alteri non præfertur iure diuino: ita nec ullus Episcopus vlli Episcopo. Omnia enim hæc per Ecclesiam ordinata sunt.

Ex quo ulterius sequitur, Quod cum vnus Romanus Episcopus non possit omnium Parochiarum curam habere (quibus solis est superior iure diuino, si superior est, ut dixi) non esse credendum, quod Christus ad impossibile eum voluerit iure diuino astringi, ac per hoc nec iure diuino superiorem esse omnibus. Quod si non omnibus, eadem ratione, nulli particulariter, ac sic omnes omnium ciuitatum Episcopi æquales iure diuino sunt.

Iam quod in principio egimus: Concilium Constantiense determinauit, Concilium esse supra Papam, sicut & huius determinationis usum ibidem seruauit, deponendo & statuendo Papam. At si in iure diuino Papa omnibus superior est: Concilium hæresim, & fecit & definiuit. Quia hæreticum est, diuinum ius damnare, & contrarium statuere. *Concilium est supra Papam &c.*

Quod si dixeris: Concilium non Papam, sed hominem dat uel aufert, papatu semper manente. Respondeo: Hoc est ridiculum & insulsum commentum. Sequitur enim, quod non Papam ut Papam, sed hominem tantum deponit, Ergo Papa depositus Papa erit. quia manet idem qui prius, cum in eius papatum nihil sit actum. Quid moror? Non in hominem agit, sed in Papam ut Papam, quia administrationem ei aufert tanq; habens potestatem tradendæ administrationis, non secus, quam Papa ipse Episcopum statuit, ubi utiq; non hominem ut hominem, sed Episcopum ut Episcopum, statuit, conferens ei administrationis ius. Alioqui & hic dicetur, Non Episcopum statui aut Pontificem, sed hominem episcopatu manente. Has laruas inuenerunt, dum episcopatum non officij, sed dignitatis uocabulum (nescio in quo uniuersali reali latentis) fecerunt.

Quod si Papa est iure diuino, non licet eum deponere ullo modo, siue sit malus siue bonus, siue hæreticus, siue catholicus, sed est tolerandus usq; ad mortem. Sicut Saulem à Deo unctum iure diuino regem Dauid tolerauit. Quare iterum errant, & hæretica erunt Decreta, quæ statuunt, Papam pro hæresi deponendum, quia contra ius diuinum statuunt, cum non sit superior, qui eum deponat. Si autem est ullus superior, ut Concilium (quod verũ est) iam ipse non est omniũ superior iure diuino, sed accipit hanc Superioritatem humano Concilij iure, cui eam rursus debet mutandam eius arbitrio. *Error Decretorum.*

Plura (vt dixi) prouocatus. Nam seruanda sunt, & in præsidio arma aduersus pertinaciam æmulorum.

In fine repeto, quæ in principio dixi, Me prorsus confiteri & tueri primatum Romani Pontificis, quantus quantus est, fuit aut futurus est, Solum, quod nouum dogma esse scio, iure diuino eundem stabiliri, quia nullus antiquorum Patrum meminit eius articuli fidei, qui tamen omnia tam pie & sollicite, quæ nostræ fidei sunt, exquisierunt, nec secundum eundem egerunt aut uixerunt, quos omnes hæreticos dici nulla ratione patiar. Atq; in dies magis mihi placeo & superbus fio, quod uideo nomen pessimum mihi crescere. Veritatem enim, id est, Christum, oportet crescere, me autem minui. Plus gaudeo ad uocem sponsi & sponsæ, quam tumultum & clamorem luxuriosorum procorum metuo, Certus, quod homines, qui uidentur mihi aduersarij, ipsi non sunt malorũ autores, nec eos odio habeo, Sed Behemoth ille Princeps malorũ, quem per umbras suas uideo, uellet mihi formidabilis fieri, si posset, & veritatem è regno suo mei occasione exturbare, Sed maior est, qui in nobis est, quam qui in mundo, quo duce, nihil proficiet inimicus iste, Amen.

..n. 3. *Christus est ueritas.*

Præsens male iudicat ætas, Iudicium melius posteritatis erit.

RESOLVTIO

RESOLVTIO D. M. L. SVPER PROPO: XIII. DE potestate Papæ, per Autorem locupletata.

MARTINVS LVTHERVS Pio Lectori, salutem in Christo.

SVper Propositionibus tredecim Resolutiones meas nuper tumultuario negocio edidi, vt ferebat & temporis & occupationum mearum ratio: Ita enim cogor pene imparatus, pessimo nomini, quod mihi a multis intentatur, occurrere: Quas cum videam maiore studio peti, quam speraueram, visum est eas sub incudem reuocatas augere, vel emendare saltem, si qua digniore facie in publicum venire possint.

IN qua re, optime Lector, te primum oro, ne styli mei uarietatem mireris: Sum plane aliquando sordidior, penitusq; mei dissimilis, quod de industria facio, quod mihi non sit spes nominis & memoriæ diuturnæ, nec tale quippiam vnquam quæsiui. Sed sicut vi in publicum tractus sum: Ita cogito semper quam possim citius redire in meum angulum, saluo Christiano meo nomine. Habere enim puto Theatrum meum suam horam, Post me alius sequetur, si Dominus volet, vbi ego tempori meo satisfecerim.

Videor & multis paulo durior in Aduersarios, & velut modestiæ theologicæ oblitus. Hic si qua & alia vitia mea inueniantur, non magnopere deprecor culpam, quod hoc me alia causa facere non sum mihi conscius, q̃ nimio publici tædio & odio, in quod me mergunt illi, plurimum mihi preciosissimi temporis suffurantes. Deinde, quod tam præfactos & obstinatos oblatratores patior, vt e quauis syllaba mihi ignominiam, sibi victoriam nominis Christiani insidiosissime & pertinacissime quærant, vt malo nodo malus mihi cuneus necessarius videatur. Quanq̃ videor mihi stomacho meo multam semper fecisse vim, ne facerem quę possem. Et nescio, si molliter simul & vtiliter tangi queant, qui inueteratissima iam diu consuetudine opprobrandi hæretici nominis, ita in iudicandis aliorum Scriptis obstupuerunt, & ad audiendam veritatem obduruerunt, suisque opinionibus obsurduerint, vt vix caduceo diuino quopiam excitari posse videantur.

Vt id taceam, quam intollerabile sit leuiter arguere eos, qui e templo Dei speluncam latronum fecerunt, & e Scriptura Dei negocium hominum, abominationem eam e loco sancto: & Christus flagellis pepulit, & Paulus dure increpandos censuit hos vaniloquos. Nam id coguntur, velint, nolint, confiteri, sacras literas passim in vniuersalibus Studijs fuisse neglectas penitus, quantumuis sese iactent Scripturas intelligere religiosius humano aliorum sensu, quam illarum proprio. Ego mihi nolo hanc cantari cantilenam, nec saltitabo ad eam. Volo, non iudice humano die, Scripturam, sed Scriptura iudice, omnium hominum scripta, dicta, facta intelligere.

Postremo, omnium criminum nomina modeste & patienter tulisse, laus esto. At spolium nominis Christiani, rapinam gloriæ Dei, abnegationem Christi (quod moliuntur, qui hæreticum tam facile quam temere pronunciant) agnouisse, ac non potius usque ad sanguinem omnibus viribus reclamasse, anathema sit.

Proinde, qui me patientem desiderant, primum alio quam hæretico, perfido & apostatico nomine criminentur: Aut, quod debent, talem me esse prius conuincant. Neque enim mihi retaliasse videor quenquam talium criminatorum, etiamsi sexcentis nominibus malis eos onerassem. Hæresis enim similia sibi monstra non habet, cum sit peccatum in Spiritum sanctum. Quanquam intutus omnium Sanctorum exempla, & impotentem illorum animum, qui tam celebre hoc crimen faciunt, pene mihi persuadeo, non minus ferendum esse hæretici, quam cuiusque vitij opprobrium. Quando & Christum habere dæmonium Iudæi insaniebant, obsequium Deo se præstare arbitrati. Hæresis. Iohan. 8.

Verum, utut sit, nullius Persona unquam mihi erit odiosa, qui sperem omnes nos tandem pacatos in regno Christi victuros in æternum. Causam vero Scripturæ sanctæ, si concitatiore zelo egero, veniam mihi, spero, iustam non negari, quod non possit esse par vllius læsio seu iniuria, cum iniuria diuinæ Scripturæ collata. Hic enim vita nostra læditur æterna, illuc putridum nomen corruptibilis hominis. Dominus autem ipsa Ihesus regat & seruet nos omnes custodiatque corda & intelligentias nostras,

AMEN.

Vale, optime Lector.

GLORIA

RESOL·D·M·L·SVPER PROPOSITIO: GLORIA IN EXCELSIS DEO·

PROPOSITIO ECCIANA.

Romanam Ecclesiam non fuisse superiorem alijs Ecclesijs ante tempora Siluestri, negamus. Sed eum, qui sedem beatissimi Petri habuit & fidem, successorem Petri & vicarium Christi generalem, semper agnouimus.

PROPOSITIO LVTHERANA.

Romanam Ecclesiam alijs Ecclesijs fuisse superiorem, probatur ex frigidissimis Decretis Romanorum Pontificum: contra quæ sunt textus diuinæ Scripturæ, Historiæ approbatæ mille centumq; annorum, & Decretum Concilij Niceni omnium sacratissimi.

PRimum vides, Lector, de re ipsa nos non admodum dissentire, sed de causis & origine rei. Nam nec ego nego Romanum Pontificem esse, fuisse, fore primum, nec de hoc disputo, nec hoc quæritur: Sed, An probationes ualeant, quibus id asseritur. Mihi sane, quod fateor, maxime omnium displicet, quod in Ecclesia aliquid assertum studio adulationis uel mendacijs probatur, quibus Ecclesiam & fidem nostram aduersarijs ludibrio exponamus. Non eget Ecclesia Christi nostris mendacijs: Super fidei Petram stabilitur: Non abhorret discuti & inquiri. Inde factum est, ut Romanorum Pontificum adulatores in hoc primatu, iam diu suspitionem tyrannidis passi sint: dum velut malę fidei Possessores, non permiserunt huius rei ueritatem libere inquirere & disputare: quod tamen in omnibus etiam diuinis rebus (modo primatum hunc non tangerent) libentissime permiserunt.

Ecclesia super Petram fidei stabilita.

Omitto itaq; Eccianam Propositionem. Primum, quod eam, ut inuidiose & subdole positam, mihi non capere uideor. Nam sine vlla causa hanc in publico mihi inuidiam mouit, cum hanc materiam in nullo meorum dictorum tractarim: sed adulator sua quæsiuit, etiam cum Fratris sui pernicie. Deinde, q homo suauis, Vicarium Christi & Petri successorem non asserit, nisi & fidem habeat. In quo aut insanit, aut multos Pontifices Romanos negat uicarios Christi fuisse, & fore posse, vt quos fidem habuisse nesciamus, atq;, quod omnium intolerabilissimum

Eccius Romanum Pontificem onerat.

rabilissimum

rabilissimum est, Romanis Pontificibus sanctitate & pietate necessarijs eos onerat, cum apud nos ratus sit, etiam eius uicariatus & pontificatus, qui sine fide & sanctitate sit.

SEd age, lubricam hanc anguillam differam, & duo in mea Propositione faciam. Primo, adducam firmamenta, quibus primatus iste stabiliri fideliter posse mihi uideatur, ita, ut per ipsa etiam hæreticis & schismaticis efficaciter resisti posit. Deinde ostendam, quod nihil faciant Decreta & probationes, quibus hucusque nixi fuerunt, qui eundem Primatum statuerunt.

DE PRIORE PRIVS.

PRImum, quod me mouet, Romanum Pontificem esse alijs omnibus, quos saltem nouerimus se Pontifices gerere, superiorem, est ipsa uoluntas Dei, quam in ipso facto uidemus. Neq; enim sine uoluntate Dei in hanc Monarchiam unquam uenire potuisset Romanus Pontifex. At uoluntas Dei, quoquo modo nota fuerit, cum reuerentia suscipienda est. Ideoq; non licet temere Romano Pontifici in suo primatu resistere. I.

Hæc autem Ratio tanta est, ut si etiam nulla Scriptura, nulla alia causa esset: hæc tamen satis esset ad compescendam temeritatem resistentium. Et hac sola ratione gloriosissimus martyr Cyprianus, per multas Epistolas confidentissime gloriatur, contra omnes Episcoporum quorumcunq; aduersarios, sicut 3. Reg. 12. legimus. Quod decem tribus Israel discesserunt à Roboam filio Salomonis, & tamen quia uoluntate Dei, siue autoritate factum est, ratum apud Deum fuit. *S. Martyr Cyprianus.* Reg. 12.

Nam & apud Theologos omnes uoluntas signi, quam uocant operationem Dei, non minus quam alia signa uoluntatis Dei, ut præcepta, prohibita &c. metuenda est. Ideo non uideo, quomodo sint excusati à schismaticis reatu, qui huic uoluntati contrauenientes, sese à Romani Pontificis autoritate subtrahunt. Ecce, hæc est una prima mihi insuperabilis Ratio: quæ me subijcit, Romano Pontifici, & Primatum eius confiteri cogit. *Voluntas signi.*

SEcunda, Si iuxta præceptum Christi cedere aduersario iubemur, & qui angariarit nos mille passus, eundum est cum eo & alijs duobus millibus: Quanto magis, si Romanus Pontifex exegerit in suo Principatu cedendum, siue id iuste, siue iniuste egerit. Nam incomparabiliter minor res est, Principatus iste, quam ut unitas & charitas & humilitas propter ipsam per nos dissoluatur. Ideo non dubito peccare eos, qui in dissenssionem sese tradunt, & spiritus æternam unitatem propter hanc temporalem, terrenam excellentiam fugiendam, dissoluunt. Ferenda enim sunt omnia, quæ non sunt peccata. II. [...]tt. 5.

TErtia, Quod si propter peccata nostra nos Deus uoluerit premere multis Principibus, sicut in Prouerbijs dicit Salomon: Nunquid resistendum est flagello Dei? Propter peccata (inquit) populi, multi Principes eius. Proinde, quando nostrum non est definire, irata ne an propitia uoluntate Deus nobis quoscunq; Principes dederit, hoc nostrum est, III. [...]. 13. *Consilium Dei non definiendum.*

uoluntatem eius pio simplicicꝗ timore suscipere. Quo modo, etiam si sub Turca nos esse uellet, Turcæ subesse libenter deberemus.

IIII. Quarta, Rom. 13. Apostolus dicit. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas, nisi à Deo: Quæcunꝗ autem à Deo sunt: ordinata sunt. Itaꝗ, qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt: qui autem Deo resistunt, ipsi damnationem sibi acquirunt. Hæc certe omnium robustissima, quantum ego capio, causa, nos Romano Pontifici subiecti sumus, in qua clare asserit, nullam potestatem nec esse quidem posse, nisi à Deo. Cum autem Romani Pontificis potestas iam sit robustissime stabilita, ut uidemus, certe non oportet Dei ordinationem hanc impugnare: sed quanta quanta est, humiliter sustinere, etiamsi iniusta esset: & iudicium Deo relinquere. Rom. 13.

V. QVinta, Est B. Petrus docens, Vt subditi simus omni humanæ creaturæ, quia sic est uoluntas Dei. At humanam creaturam uocat Magistratus, hominum arbitrio institutos, ut clarum est ex sequentibus, ubi dicit: Siue Regi tanquam præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis. Cum autem & Romani Pontificis potestatem arbitremur, humano Decreto statutam, & ordinante Deo sic roboratam: sine crimine non est, qui sese sua autoritate subduxerit. 1. Pet. 3.

Humana creatura.

VI. Sexta, Ad hoc facit unus ille consensus omnium Fidelium, qui hodie sub Romano Pontifice sunt. Nam, cum potestas illa sit res temporalis & longe submittenda unitati Fidelium: non sine fœdissimo crimine esse poterit, si propter rem temporalem, hunc tot fidelium communem sensum despexerit, hoc est, Christum negauerit: & Ecclesiam contempserit. An possibile est, Christum non esse inter tot ac tantos Christianos? Si autem Christus ibi est & Christiani: cum Christo & Christianis standum est in quacunꝗ re, quæ contra Dei præceptum non fuerit.

Hæc, inquam, ratio fortis est, & insolubilis. Et ex ijs possunt multæ aliæ formari: Quin huc potest uniuersa Scriptura duci, ut quæ ubiꝗ charitatem, humilitatem, unitatem spiritus, & timorem Dei commendet, non uiolandas esse, pro ulla re mundi, nedum pro unius uno Pontificatu uel primatu, etiam si solo iure humano esset institutus. Et hac Ratione, ut mihi uideor, longe melius stabiliretur Romani Pontificis monarchia: si uoluntatem Dei & consensum Fidelium, non tantum subditi, sed & Romani Pontifices attendere & timere cogerentur, quam, dum uelut iure diuino teneant, ui & terrore extorquent, non nisi odium sibi accendunt in subditis: & sese per securitatem in tyrannidem paulatim confortant.

DE POSTERIORE.

QVod Probationes hucusꝗ habitæ, nihil sint, tripliciter ostendam. Primo, Scripturas adductas dissoluendo. Secundo, Canonum seu Decretalium inefficacem probationem. Tertio, Rationes robustissimas adducendo.

Ad primum duæ sunt autoritates Scripturæ, quibus creditum est, stabiliri primatum Romanæ Ecclesiæ.

PRimo

Matt. 16. PRimo, Adducitur illa autoritas Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Et tibi dabo claues regni cœlorum &c, Ex hoc enim textu clamant, Petrum solum accepisse Claues præ cæteris Apostolis. *Tu es Petrus.*

Sed quod hæc nihil ad hoc faciant, probo.

Primum, quod ipsimet Iuristæ primatus huius assertores, recedunt ab hoc sensu, & negant hoc uerbo, Petro datam primitatem, consequenter & Romano Pontifici, Sicut gloss. in c. considerandum, dist. 50. Et Panormitanus de elect. c. Significasti, unde dicunt, Non hoc uerbo, sed illo uerbo, Pasce oues meas, Petro esse collatum pontificatum Ecclesiæ. *Pasce oues meas, Iohan. 21.*

Si ergo ipsis Iuristis licet nagare tot Textus expressos Decretorum, & dissentire omnibus, quæ distin. xvij. xviij. xix. xxi. xxij. tam copiose & pertinaciter ex hoc uerbo Matth. 16. statuuntur, Cur mihi non liceat frigidissima Decreta appellare Theologo, cum ea negare & annihilare liceat Iuristis? Persequantur primum seipsos, maioris criminis reos, aut, si ueniam merentur Decretorum negatores & cassatores, sine peccato erit, qui inefficaces asserit, & frigidas Decretorum probationes. Neq; enim ego ea negaui, sicut illi, sed frigere tantum ad probandum dixi, sicut reuera frigent, Nisi quod ad locupletandum locum ualent, exemplo eorum, quæ per uim dicuntur, & in alienam sententiam trahuntur.

NIhil ergo probatur hoc textu, à quo ipsimet discedunt. Nihil istis Decretis probatur, quæ ipsimet negant, neutrisq; confidunt. Et mouentur ad hoc satis forti Ratione, quæ aduersarios reddat inuictos, scilicet hac, Quod Christus (ut etiam B. Hiero. eodem loco exponit) non tradit Petro claues, sed promittit duntaxat. Ideo currendum esse ad locum, in quo tradit claues, Et tunc inuenitur illud Iohannis ultimo, quod non ad Petrum, sed ad omnes dicit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Ex quibus uerbis liquet, non solum, quibus in Petro claues promiserit (nempe toti Ecclesiæ) sed etiam quid per claues promissas intelligi uelit, nempe, remissionem & retentionem peccatorum. *Accipite Spiritum sanctum Ioh. 21.*

Secundo, Quod idem uerbum Christi male Decreta aptant soli Petro & Romano Pontifici. Nam apud S. Patres, Christus hoc uerbum dixisse ad Ecclesiam & omnes Apostolos, in persona Petri, asseritur. Quorum primus est D. Hieronymus, qui hoc loco interpretatus uerbum Petri, dicit: Petrus ex persona omnium Apostolorum confitetur, dicens: Tu es Christus filius Dei uiui. Et in hoc sequitur suum (ut solet) Origenem, qui idem eodem loco sentit. *D. Hieronymus. Tu es Christus filius Dei uiui. Matth. 16.*

Chrysostomus autem, etsi hunc locum totum in Petri laudem trahat, dicens eum caput & Pastorem constitutum Ecclesiæ futuræ, & toti Orbi præpositum: Tamen & ipse uocat eum os Apostolorum, quod uice omnium responderit, dicens: Petrus omnium Apostolorum os, & uertex consortij totius, cum omnes interrogati essent, ipse solus respondet. Ergo non solum ad Petrum iste locus pertinet, sed ad omnes, etiamsi primus & princeps inter Apostolos ipse fuerit. *Chrysostomus.*

B. Augustinus Psal. 109. Sicut quędam dicuntur, quę cum ad Apostolum Pe- *Augustinus.*

lum Petrum proprie pertinere uideantur: nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cuius ille agnoscitur in figura gessisse personam, propter primatum, quem in Discipulis habuit. Sicuti est: Tibi dabo claues regni cœlorum, & si qua huiusmodi. Ita Iudas personam sustinet quodammodo inimicorum Christi &c. Vides, quod claues Ecclesiæ in persona Petri datas asserit. Idem lib. 1. de doct: Christia. c. 17. Has igitur claues dedit Ecclesiæ suæ, ut quæcunque solueret in terra, soluta essent in cœlis.

Tibi dabo claues regni cœlorum.

Et cur non nos ipsi potius textum & uerba Christi consideramus, qui nos clarius perseipsum instruet?

Dicit itaque: Venit Ihesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogauit discipulos suos: Quem dicunt homines esse filium hominis &c. *Matt. 16.*

B. Hieronymus.

Vbi significanter B. Hierony. obseruat, aliter Christum interrogasse de se, quando hominum, aliter quando Apostolorum sententiam quæsiuit. Illos uocat homines, hos autem Deos esse significat. Deinde de hominibus quærens, Filium hominis se appellat, uelut uago nomine. At ex Apostolis quærens, me, inquit, certam & singularem personam monstrans. Atque ubi de hominibus quærit, nullus designatus Discipulus respondet. Ad significandum, quod sine nomine sunt, qui indigna de Filio Dei sentiunt. Quibus adde & hoc, quod opiniones inconstantes sunt hominum de Christo. At ubi Apostolos de se interrogat, ibi designatus unus certus respondet, & constantem absoluit & pronunciat fidei confessionem, ut ueram Christi cognitionem in unitate & firmitate consistere, non multorum opinionibus, uelut arundinem agitari, doceret. Vides ergo adhuc nihil ad Petrum proprie pertinere, nisi quod commune organum est, omnium Apostolorum.

Petrus cõmune organum omnium Apostolorum.

Iam illud uide, quod & à Laicis obseruatum ipse didici (est etiam in Laicis spiritus Christi) uerbum hoc Christi non posse ad solum Petrum dictum intelligi, quia Christus non solum Petrum, sed omnes Apostolos requisiuit dicens: Vos autem, quem me esse dicitis? non dixit: Tu Petre, quem me esse dicis? Nisi ergo per Petrum omnes Discipuli respondissent, certe Discipuli non fuissent, nec Magistrum audissent, nec satisfecissent interroganti, quod est impium de Apostolis sentire.

Vos autem, quem me esse dicitis?

Relinquitur ergo, quod Christus responsum Petri acceptarit, non pro solo Petro, sed pro toto collegio Apostolorum & discipulorum, Alioqui & alios quoque denuo interrogasset.

[illegible]

Ex quibus ulterius sequitur, Quod sicut Christus personam respondentis Petri pro omnibus acceptat: Ita sequenter quoque non ad solum Petrum, sed ad omnes, quorum persona Petrus loquitur, dicat, Tu es Petrus, Tibi dabo claues &c. Alioqui Scriptura non recte intelligitur, nisi precedentia & sequentia recte conferantur.

Tu es Petrus.

Atque ut hoc eo sit certius, non soli Petro à Christo aliquid dictum esse, exponit seipsum Christus, cui loquatur, & cui tradat claues, dicens: Beatus es Simon Bariona, caro & sanguis non reuelauit tibi: sed Pater meus, qui est in cœlis. Obsecro, quid hic potest contra uel fingi, quid apertius dici, quam quod Petrus in hac persona non est Petrus, non est caro, neque sanguis? Sed est is, cui reuelat Pater, Omnino Petrus extra hominem ponitur, & iam non est ulla persona per se, sed reuelantis Patris auditor.

Beatus es Simon Bariona.

Non Si-

Non Simon Barlona hæc respondet, Non caro & sanguis, sed reuelationis Paternæ auditor. Potest ne hic calumniator ullus uerbum Christi ad Petrum hominem torquere? Quid ergo? Is qui auditor est paternæ reuelationis, huic dantur Claues, non Petro, non filio Iohannis, non carni & sanguini.

Quod si ita est, pronum iam sequitur, quod nulli priuato homini datæ sunt Claues, sed soli Ecclesiæ. Quia de nullo priuato homine certi sumus, habeat, nec ne, reuelationem Patris. Ecclesia autem ipsa est, de qua dubitari non licet, Cum sit corpus Christi, una caro, eodem spiritu uiuens, quo Christus. Ipsa est Petrus ille auditor reuelationis, & acceptor Clauium. Quia sic symbolum stat firmiter: Credo Ecclesiam sanctam, communionem Sanctorum, non, ut nunc aliqui somniant: Credo Ecclesiam sanctam, esse Prælatum, uel aliud quod fingunt. Totus mundus confitetur sese credere Ecclesiam sanctam Catholicam aliud nihil esse, quam communionem Sanctorum. Vnde & antiquitus articulus ille, Sanctorum communionem, non orabatur, ut ex Ruffini symbolo exposito uidere licet. Sed glossa aliqua forte, Ecclesiam sanctam catholicam exposuit esse, Communionem Sanctorum. Quod successu temporis in textum relatum, nunc simul oratur. Sed o necessarium & optabilissimum factum, propter eos, qui Ecclesiam hodie quiduis uocant, quam communionem Sanctorum.

Claues datæ Ecclesiæ, nulli priuato homini.

Ecclesia sancta catholica.

SEquitur autem: Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Si per hanc petram intelligimus potestatem Papæ, uide quid facimus. Primum sequitur, quod Ecclesia primitiua Apostolorum non fuit Ecclesia, quia Petrus (ut solidis probem Argumentis) anno decimo octauo adhuc fuit Hierosolymis, nec dum uiderat Romam. Quod ex Paulo ad Galatas clarum fit, qui scribit, se post conuersionem sui abiisse primum in Arabiam. Deinde post annos tres, uenisse Hierosolymam, uidere Petrum. Ac postea, post quatuordecim annos ascendisse, & contulisse cum Iacobo, Petro & Iohanne Euangelium præputij.

Et super hanc petram &c.

Galat. 2.
Galat. 1.

Quis autem ita insaniat quæso uel Orestes, Ecclesiam Hierosolymitanam, & Catholicam, non fuisse Ecclesiam, Quia potestas Romanæ Ecclesiæ nondum fuit nec forte fides eius. Non ergo super Petram, id est, potestatem Romæ Ecclesiæ, sicut Decreta quædam exponunt, sed supra fidem à Petro, sub totius Ecclesiæ persona confessam, ædificata est, cum & uniuersalis & Catholica ecclesia, tanto tempore ante Romanam ecclesiam fuerit.

Hierosolymitana Ecclesia.

VLterius Matth. XVIII. in plurali numero dicit, non ad Petrum, non ad Apostolos, sed ad Ecclesiam, dicens:

Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Amen dico uobis, Quæcunque ligaueritis super terram, ligata erunt & in cœlo.

Si Ecclesiam non audierit &c. Matt. 18.

Accede nunc, qui uoles, & hunc cum illo loco confer. Ille sonat, soli Petro datas claues, hic negat, & non soli datas asserit. Quomodo utrunque stabit? Concordandum utique est utrunque uerbum, quod idem Christus dixit. Si soli Petro collatæ sunt, mendacium est, quod hic dicit omnibus collatas. Quis autem non uideat, hunc posteriorem locum esse interpretem prioris, & in hoc rem esse clare expositam. Illic uero in Petro uni-

 tatem

tatem multorum in Ecclesia commendatam. Perspicuum est itaq; , claues esse Ecclesiæ datas , nec est quod huic loco possit opponi , quando dicit. Dic Ecclesiæ, Si Ecclesiam non audierit. Non dicit , Dic Petro, si Petrum non audierit &c.

Claues Ecclesiæ datæ.

Quin uide quoddam mirabile. Illic incipit ab omnibus , dicens. Quem uos me esse dicitis , & finit in uno Petro , dicens , Tu es , & tibi dabo. Hic contra incipit , ab uno dicens , Si peccauerit in te frater tuus &c. & desinit in omnibus , dicens , Quæcunq; ligaueritis &c. Nonne clarum est , per unum Petrum illic idem uoluisse , quod hic per uniuersos , & Claues non esse ullius hominis singularis , sed Ecclesiæ & communitatis , ut firmum sit , Sacerdotem non suo iure , sed ministerio (quia Ecclesiæ minister est) Ecclesiæ clauibus uti , nec tanquam suis aut sibi , sed Ecclesiæ traditis.

Tu es Petrus.
Si peccauerit in te &c.

Credo iam hæc ferme , fidem factura hanc Matthei autoritatem, neq; ad Petrum neq; ad Successorem , neq; ad unam aliquam Ecclesiam , sed ad omnes Ecclesias pertinere. Quia (ut dixi) quis poterit negare , illi esse Claues traditas , qui reuelante Patre Christum confitetur ? Quo posito, necesse est , ut ubi sit reuelatio Patris & confessio Christi , illic & claues . At hæc in qualibet Ecclesia est , non autem in ullo uno singulari & incerto homine.

Verus clauiũ usus.

Quod , ut Christus nobis commendaret , statim post gloriosam istam Petri commendationem , cum eum Petrus prohibuit , ne moreretur , audiuit : Vade post me Satana , non enim sapis ea , quæ Dei sunt. Quid hoc est ? non sapit Petrus quæ Dei sunt ? nonne Pater reuelauit ei ? Si hæc ante commendationem Petri facta fuissent , aliquid momenti haberent, Petrum pro sua & Successorum aut unius Ecclesiæ persona fuisse commendatum, At nunc, cum post commendationem uituperetur,ut ignarus Dei, clarum fit , illum superiorem Petrum , qui claues accepit , non fuisse Petrum filium Barlona , sed Ecclesiam filiam Dei , quæ uerbo Dei genita, uerbum Dei audit & confitetur perseueranter in finem , non aliquando non sapiens quæ Dei sunt , & retro abire iussa , sicut Petrus.

Vade post me Satana.

Aut , si hoc ad Romanum Pontificem & Ecclesiam pertinet , quod ad Petrum dicitur : Tibi dabo claues , Iam irrefragabili sequela etiam ad eandem & illud pertinebit : Vade post me Satana , non enim sapis quæ Dei sunt, Quia & hæc ad Petrum Romanæ Ecclesiæ futurum Episcopum dicta sunt. Aut , si hæc non ad se pertinere putant , iam nulla ratione conuincere possunt ea , quæ superius dicta sunt , ad se pertinere.

Tibi dabo claues &c.
Vade post me Satana.

SEd age latius , Si omnino ad rigorem istum grammaticum se recipiunt , quod soli Petro dictum est : Tu es Petrus , Tibi dabo claues &c. Quomodo resistemus hæreticis , si qui hoc nostro rigore uerborum nixi , nos urgeant & dicant : Esto , ad solum Petrum hæc dicta sunt, Ergo non ad successorem , Ergo Ecclesiæ claues cum Petro uenerunt & abierunt. Vbi ergo nunc Ecclesia ? Non enim ad plures pertinere potest, quod ad unum dicitur , sicut illud : Cum iunior esses , cingebas te &c. quod ad solum Petrum ita dictum est , ut cum Petro impletum & finitum sit , ad nullum successorem eius pertinens.

Tu es Petrus.
Cum iunior esses &c.
Iohan. 21.

Si autem ad Successorem & aliquam Ecclesiam dictum est , iam nulla Ratione prohiberi potest , quin ad omnes dictum sit , Imo necessaria ratione ad Apostolos omnes, qui præsentes erant, magis,quam ad unius Petri suc-

tri successores, qui nondum erant, dictum accipietur. Quod si ad omnes Apostolos, iam etiam ad omnium Apostolorum, & non unius Apostoli successores dictum intelligitur.

Sed respondeat tamen mihi qui potest, Quis nam credendus sit habere claues, etiam in Romana Ecclesia? An ipsa Ecclesia an Papa? & attende quod dico. Quando Papa eligitur, an secum affert claues an non? Si affert, ergo erat Papa antequam eligeretur, Si non affert, a quo accipit? nunquid ab Angelo de cœlo? nonne ab Ecclesia? Item quando Papa moritur, cui relinquit claues? aufert eas secum? Si non aufert, cui relinquit nisi Ecclesiæ, a qua accepit? Quid igitur potest dici contra hanc euidentissimam experientiam, optimam Euangelij interpretem, Claues, nec Petro, nec successori, sed soli Ecclesiæ datas, a qua tanquam minister accipit, usurus eis sacerdos. Vbi nunc est, quod soli Petro dictum esse putatur: Tibi dabo claues, imo, ubi nunc est, quod soli Ecclesiæ Romanæ claues datæ sunt? Necesse est, ut in qualibet Ecclesia claues sint, ut dixi supra.

Claues nec Petro, nec successori, sed soli Ecclesiæ datæ.

Rom. 4. ADhuc unum dicam, & utar Apostoli Pauli argumento, Ro. 4. ubi probat ex circumstantia temporis & facti, Abraham non ex circūcisione, sed ex fide iustificatum. Nulla alia ratione usus, quam quod Abraham ante circumcisionē fuerit iustus apud Deum per fidem. Si hoc eius Argumentum ualet, sicut necesse est ualere, Necesse erit & hoc ualere, quod nunc produco in hunc modum: Petrus, quando claues accepit a Christo (si omnino personam eius solam contendis accipere) nondum erat Episcopus urbis Romæ (imo proprie nunquam fuit Episcopus ullius ciuitatis, sed Apostolus, Episcoporum institutor, maior omnibus Episcopis) Sed erat unus inter Apostolos. Ergo claues non sunt ei datæ, secundum quod postea uel factus uel mutatus est, uel loco uel officio. Sicut Abrahæ non est iusticia reputata, qualiscunque post fidem factus est. Sed prout fuit Apostolus tantum, & præsertim habens Patris reuelationem, Quare prorsus nihil hæc autoritas ad Romanum Pontificem pertinet, etiamsi soli Petro dicta fuisset, Quanto nunc minus pertinet, quando nec soli Petri personæ dicta conuincitur.

Abraham non ex circumcisione, sed fide iustificatus.

Rom. 4. Galat. 3. ADdo & aliud similis formæ Argumentum, quo Paulus Rom. 4. & Gala. 3. utitur, dicens: Quod sicut Abrahæ ex fide reputata est iusticia, Ita & omnibus qui credunt, reputabitur iusticia. Quare & his sicut Petro habenti reuelationem Patris, & Christum confitenti, Claues dantur, Ita necesse est, omni similiter confitenti & reuelantem habenti Claues donatas esse, Quod nulli nisi Ecclesiæ, id est, communioni Sanctorum conuenire potest, cum nullus singularis fidelis, constanter & certo ac perseueranter habere possit hanc confessionem, cum nec Petrus ipse in eadem perseuerarit, Quia non modo aliquando, sed mox post acceptas Claues errauit, Et tamen non sunt ei Claues rursum ablatæ, quia non in sua, sed Ecclesię persona eas accepit. Quod si hæc Argumenta non concludunt, nec illa Apostoli Pauli, quæ allegata sunt.

Ecclesia Sanctorum communio.

VErum, ut opinionem contrariam penitus iugulemus, Age, si ista uerba: Tibi dabo claues &c. ad Petrum & successorem eius pertinent, Necesse erit, ut & præcedentia & sequentia, ac ui sententiæ cohærentia, ad eosdem pertineant. Non enim in sacris Euangelij uerbis admittendi sunt, qui pro arbitrio sensus sui, partem huc, partem illuc torquent & rapiunt, Sed ex consequentia sensus & uerborum & ex circumstantijs intelligentia referenda est, iuxta Hilarij documentum.

Tibi dabo claues regni cœlorum.

S. Hilarius.

Cum igitur Christus Claues noluerit tradere, nisi prius omnibus Discipulis de sui Confessione exploratis. Deinde non nisi accepto & approbato responso Petri, ex reuelatione Patris loquentis, clarum est, Claues non esse, nisi eius qui talis est, qualis tunc Petrus fuit. Quo sequitur absurdissima absurditas, quod malus Papa uel Episcopus non esset Papa nec Episcopus. Quia non haberet fidem, quæ constituit acceptorem Clauium.

Portæ inferi non præualebunt aduersus Ecclesiam.

Deinde sequitur, contra textum & sensum eorum, Quod nec Petrus Claues acceperit aut retinuerit. Quia Christus dicit, Quod portæ Inferi non præualeant aduersus uel Ecclesiam uel fidem, quam tunc Petrus tenuit. At contra Petrum præualuit etiam ancilla ostiaria. Si itaq; illorum sententia staret, necessaria omnino sequela sequetur: Aut Romanos & omnes Pontifices oportere esse sanctos, & habere Patris reuelationem, nec esse carnem & sanguinem. Aut eos non esse Pontifices, nec habere claues. Nec uideo, quid contra hæc dici possit, cum stet tam clarus textus, Quod claues sunt datæ, non nisi ei, qui carnem & sanguinem non audit, sed Patrem cœlestem, hoc est, sanctum & iustum in spiritu. Alioqui omnis Pontifex est Satanas, non sapiens quæ Dei sunt.

Donatistarũ error

At, si hoc dicimus, iam hæreticorum nouorum & antiquorum Donatistarum errorem renouamus, Qui malum Episcoqum non esse Episcopum asseruerunt, quod absit à nobis, qui sanctæ & iustæ Ecclesiæ ministrum impium & malum esse posse confitemur. Ita fit, dum per hæc uerba, uolunt ex Romano Pontifice solum, & omnem, & uniuersalem Pontificem facere, nullum pontificem, nobis relinquant, ut uideant, quo stipendio Scripturas uiolent [illegible] adulatores & ambitiosi.

Reliquum ergo est, Euangelium hoc loco, nec ad Petrum, nec ad successorem eius, nec ad ullum Episcopum aut ullum hominem singularem pertinere, sed ad communionem Sanctorum, quæ est Ecclesia, hæc deinceps potest Claues committere, tum digno, tum indigno. Indigno inquam, coram Deo. Quia nescit, utrum dignus Deo, alioqui non nisi digno coram hominibus committere debet.

Decreta euangelico sensui contraria

Quare satis patere arbitror, quando Decreta quædam hunc textum ad Romanam sedem & Pontificem trahunt, non modo frigidissime (quod modeste dixi) sed etiam contrarie sensui euangelico uerbum Christi tractare, quod clarius faciemus, quando ea inferius examinabimus. Interim de hac Autoritate, satis sit in summa dictum. Quod si cui Claues arrogantur, huic necessariam quoq; esse fidem Petri. Quod si fides Petri necessaria esse negabitur, eadem ratione, negabitur & Claues esse ei datas, cum utrunq; copulet & exprimat, imo fidem magis, & primo quærat Christus. Quare non nisi de Ecclesia Christum esse locutum clare intelligitur, nec de una aliqua, sed de qualibet, in qualibet parte mundi.

Simon diligis me &c. Iohan. 21.

SEcundo, adducitur illud Iohan. ultimo: Simon diligis me, Pasce oues meas. Hoc enim, quia ad solum Petrum dictum putatur, ipsum super omnes constitutum arbitrantur. Verum, quod & hæc nihil efficiat, ostendo. Primo, quia certissimum est, à Petro nullum Apostolorum esse uel creatum uel missum. Quare nec uerum, nec possibile est, Petro omnes oues esse commissas, Sed generali sententia omnibus dictum: Pasce oues meas. Non enim dicit omnes, sicut ad omnes Apostolos dicit: Ite in orbem uniuersum, & docete omnes gentes.

Verum,

Verum, ego non possum satis admirari, quod tot ac tanti uiri, contra tam expressas Scripturas, tam euidentem experientiam, omnes oues Petro arrogant, qui tamen unanimiter confiteri coguntur, singulos Apostolos in suas sortes esse missos, & Paulum de cœlo in Apostolatum gentium uocatum, In quibus omnibus, quomodo Petrum adhuc omnium Pastorem asserere audemus? qui nullum illorum misit, præsertim Paulum, ut ad Galat. 1. multis uerbis contendit. Sunt hæc tam aperta, ut confutatione opus non uideatur. Illi, inquit Marcus, profecti, prædicauerunt ubiq;. *Singuli Apostoli in suas sortes missi.*

Sequitur ergo, aut Petro & successori suo non esse omnes Christi oues commissas: Aut oues, quas non Petrus, sed Paulus & cæteri Apostoli pauerunt, ad oues Christi non pertinere. Quo quid blasphemius? Ergo Corinthij, Galatæ, Philippenses, & aliæ Gentes, quia nec pascente, nec Pastores mittente Petro, pastæ sunt, oues Christi intelligendæ non sunt. Sed quid moror in re tam aperta?

Si dicis: At uerbum Christi ad solum Petrum dicit: Pasce oues meas. Respondeo: Non dixit, omnes oues meas, alioqui peccasset Petrus, si non omnes pauisset solus, sine cæteris Apostolis. Peccaret etiam hodie Romanus Pontifex, quod non pascit, nec Pastores mittit ad Turcas & alias Gentes. *Pasce oues meas.*

QVin aliud dicam: Ex isto uerbo nihil potest cogi aliud, quam ut Petrus pasceret oues, quæ fuerunt ex ouili Iudæorum, & sic nihil ad eum pertinet, nec ad Romanum Pontificem & successorem eius: Aut non ad solum eum pertinet. Quod ex Apostolo Paulo Gala. 2. probo, ubi Petrum uocat Apostolum circumcisionis, & se Apostolum Gentium. Ergo si quis pertinax esset, nulla ui posset cogi, hoc uerbo Christi aliud intelligi, quam pasturam ouium, quæ fuerunt ex circumcisione: Aut, si extenditur ad Romanum Pontificem, iam nec prohiberi potest, quin ad omnes pertineat, & extendi pari negocio ad omnes queat. *Oues ex ouili Iudæorum.*

Secundo, ego rogarem, ut adulatores Romani Pontificis omitterent hoc terribilissimum uerbum, allegare, pro statuendo primatu eius. Neq; enim terribilius ego uerbum in tota Scriptura legi, quod Romanum Pontificem & omnem Pontificem magis terrere possit. Primum, quia si pascere non significat id, quod esse primum aut principem, ideo ex ipso nihil aliud probatur, quam quod Romanus Pontifex debet prædicare, doceréq; uerbum Dei. Quod si hoc debet, iam ei deponendus est totus iste Primatus, die ac nocte in literis sacris uersandum, pure orandum, periculis & morte pro uerbo laborandum. Breuiter, tota Roma ut hodie est, longe in aliam faciem mutanda. Desinant ergo, propter Deum, uerba Christi spiritualissima, suis cupiditatibus aptare. Hæc enim si Romano Pontifici aptantur, sequitur irrefragabiliter necessarium esse, ut doceat uerbum: Aut, si non docet, nihil ad eum pertinet. *Pascere quid.*

VErum, magis obserua, Christus non imponit pasturam Petro, nisi prius diligat. Obsecro te, quid hoc est? Nonne sequitur, quod si non diligat, non sit audiendus? At quis nos certos faciet, de amore Pastoris? Dubitabimus ergo, quem nam audiamus? Nam si audire nobis Pastorem necesse est, etiam illi amare Christum necesse est. Aut, si amare Christum non est necesse, nec audire Pastorem necesse est, cum utrunq; Christus copularit, nec pasturam, nisi amanti commiserit. Quid hic faciemus? scio, quod si recte pensaret hoc uerbum Christi quilibet Episcopus, desperaret, se medium unius Ciuitatis pascere posse. *Pasturam Christus non committit, nisi amanti &c.*

Igitur

Igitur hoc effecimus, quod ista Autoritate nihil probatur, nec ualet ad probandum primatum. Si autem aliquid facit, tunc hoc urgebit, non esse Episcopum in Ecclesia, qui non doceat, nec docere aliquem debere, nisi diligat. Hoc, inquam, & non aliud ista uerba concludunt, nisi noua Grammatica usus dicas: Si diligis me, pasce oues meas: idem sit, quod, si diligis te, esto primus super totam Ecclesiam.

Episcopus non est, qui non docet &c.

Rectius ergo facies: Si hoc uerbum Christi accipias pro exhortatione, imo praecepto, non quo oues ad subiectionem, sed quo Pastores ad diligendum Christum & pascendum populum astringantur. Porro dilectio Christi (ut B. Augustinus hic exponit) etiam mori pro ouibus Christi requirit.

Dilectio Christi.

Atque utinam hoc uerbum ad se pertinere crederent Romani Pontifices. Haec est enim totius Orbis quaerela, quod dilectionem & doctrinam alijs relegantes, ad se nihil putant pertinere. Intelligunt enim, haec uerba ad populum pertinere, ut per quae cogere ad subiectionem omnes uolunt: & tamen pascua & auditum uerbi (quod uerba sonant) nemo ex eis intelligit. O foelix ambitio, si quis usquam inueniretur, qui omnium Pastor esse ambiret. Quis hunc non libentissime admitteret? Nunc autem libenter permittunt cuicunque diligendi & pascendi officium, sibi uero Titulum diligendi & pascendi, & quae Titulum sequuntur, lucra scilicet & honores, reseruant. Desine itaque à uerbis Christi torquendis. Quia ea, quae per hoc Pontifici tribuis, penitus auferunt: & omnia ea imponunt, quae non tribuis, & ille quam maxime exhorret.

Querela totius orbis.

At dicis: Pascere non potest, nisi sit superior. Ergo, licet non faciat officium Pastoris, non per hoc superioris amittit locum. Respondeo. Quid hoc ad me? Quaere ergo alia uerba, quibus locum potestatis asseras. Haec uerba, aut amantem & pascentem requirunt, aut prorsus nulli conueniunt, nisi iterum noua latinitate, diligere plus his, accipias pro eo, quod est, praeesse caeteris omnibus. Et pascere, omnium iura & opes possidere. Proinde nihil mirum, si primatum tanto aestu quaerunt, quem si uerbis in suo significatu acceptis, gerere deberent, nec Deum ipsum pro praemio essent expectaturi. Vides ne ergo, quid sit illudere Scripturas, seu, ut modestius dixi, ex frigidissimis Decretis, primatum hunc probare?

Illudere Scripturas

Sequitur ex ijs, quod praeesse caeteris, & nec diligere, nec pascere, non est euangelicum, neque Christianum officium, sed mundanum & humanum. Dic mihi, si subditi erecti aduersus Pontificem dicerent: Nolumus te audire, nec habere pro Pontifice, quibus uelles eos uerbis compescere? Nunquid his? Pasce oues meas? At ipsi dicent: Quando autem pascis? quando diligis? ubi opus & res huius uerbi? Ergo alio uerbo cogendi essent, non isto. Quare sequitur quoque, quod his uerbis, nec ulla potestas, nedum Primatus committitur, sed potestatem habenti, officium diligendi & docendi imponitur, sicut Petro iam in Apostolatum uocato, haec dicuntur.

Et hoc est, quod istos adulatores, uerborum Christi oscitantes & stertentes Lectores, ab intellectu sano propellit, quod non discernunt, uerbum officij & potestatis. Vocatio Petri fecit eum primum, & qualem ipsi uolunt statuere. Sed impositio officij, per uerbum pasce, nullum ei maiorem gradum contulit, nec conferre potuit, nisi dicant: Petrum super seipsum etiam eleuatum per uerbum, pasce.

Pasce oues meas.

Dicis autem: Sufficit, quod per alium doceat & diligat, non est necesse, ut per

Per alium docere & diligere &c.

ut per se solum faciat. Respondeo: Admitto, sed hoc isto uerbo Christi non traditur: & alio uerbo hanc licentiam astrui oportet. Hoc uerbum insuperabiliter concludit, Aut Pastores esse debere, etiam per seipsos amantes & docentes: Aut, si non per seipsos amant & docent, nihil hoc uerbum ad eos pertinere. Atq; ita nihil probatur ex ipso, pro monarchia Romana, sed potius contra pugnatur. Cum tot amari & pasci ab uno, sit impossibile.

Vidimus quidem officium diligendi & pascendi à Pontificibus Romanis tradi Episcopis, retento titulo pastoris & amatoris: & Episcopi eodem nomine seruato, tradunt Curatis, Curati Capellanis, nomen per omnes transit & hæret: officium transit, & in nullo hæret. Sed & Fratres mendicantes sumpto ab illis officio, strenue eos imitantur. Maiores & Magistri officium docendi fratribus Terminarijs imponunt, ipsi nomine officij contenti. Adeo molestum est uerbum Dei docere, diligere & pascere, propter quod unum Filius Dei uenit in mundum, misitq; Spiritum sanctum: & omnia fecit, ut officium hoc esset officiosissimum.

Curati.

Docere, diligere, pascere molestum est &c.

Quod si satis est, per alium docere, quid amplius facit Episcopus, quam Laicus? Nonne uel Turca potest iubere aut permittere, ut alius diligat ac pascat? Quid Ergo necesse fuit Petro, tot uicibus repetitis, mandare hoc officium, & tam instanter urgere? Est iste modus Euangelij interpretandi: Pasce oues meas, id est, permitte, iube, ut alius pascat? Si ille, alius item per alium pascat, & tertius per quartum, ac sic sine fine, usq; ad neminem, ubi manet uerbum Christi? Aut qua decentia cæteri sequaces pascent, quando Primores, & qui plus ijs debent, non pascunt? Cur Christus non fecit idem? cur Petrus non etiam ociatus per alios pauit?

Pasce oues meas &c.

Igitur, si ista uerba ad Pontificiam potestatem cogas seruire, in neruum res tua ibit: Et concludes à tempore Gregorij Magni, non fuisse Pastorem in Romana Ecclesia. Hic enim fere ultimus est eorum, qui sacras literas tractauerunt. Quare, si gloriaris dictum esse Petro: Diligis me plus ijs, bene, fac hoc & uiues, dilige plus cæteris, pasce plus cęteris. Et induentur arietes ouium, & ualles abundabunt frumento, clamabunt, & hymnum dicent. Quod si per diligere plus his, intelliges, maiorem te alijs esse, iam uerbo Christi alienam intrudis intelligentiam. Non enim aliquid iubetur subditis, per hæc uerba, sed Petro. Non dicit: Estote oues sub Petro: sed: Petre, pasce oues: Et tamen illud uolunt, hoc nolunt.

Gregorius Magnus.

Diligis me plus his?

Credo itaq; manifestissimum esse, has duas Euangelij autoritates nihil ad rem facere: & frigidissimum atq; inefficax esse, quidquid hucusq; per ipsas in hac re formatum est. Ex ijs iam facile est, Decreta ipsa iudicare, quam infirmiter sua probent. Quod ut clarum faciam, aliquot adduco.

PRimus est Leo dist. xix. c. Ita Dominus noster, inquit, Ihesus Christus humani generis Saluator instituit, ut ueritas, quæ antea Legis & Prophetarum præconio continebatur, per tubam Apostolicam, in salutem uniuersitatis exiret, sicut scriptum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Sed huius muneris sacramenta, ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere uoluit, ut in beatissimo Petro, omnium Apostolorum summo principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi

Verba Leonis.

quasi a quodam Capite dona sua, uelut in corpus omne diffunderet, ut exortem se intelligeret diuini mysterij esse, qui à Petri soliditate recederet. Hæc ille.

Soliditas Petri. Matt. 16.

Quis, obsecro, non uidet sanctum & eruditum hunc uirum, humana passum? Nam si per soliditatem Petri intelligit fidem, qua Petrus Christum confessus est Matth. 16. recte & euangelice dicit. Hæc enim fides est petra, à qua Petrus nomen habet. A qua qui recesserit, merito exors est diuini mysterij. Verum, si per soliditatem Petri, intelligit iurisdictionem & potestatem Petri & Romani Pontificis, quilibet facile capit, quod uerbo Euangelij abutitur & fallitur. Nonne omnes Apostoli fuerunt in soliditate Petri, & tamen sub Romana Ecclesia non fuerunt? S. Stephanus & alij à Paulo persecutionem passi, in soliditate Petri fuerunt, antequam Romana Ecclesia fieret. Deinde, eadem humani affectus labilitate, dicit in Apostolo Petro principaliter collocatum munus docendi, trahens ad singularem Petrum, quod Propheta plurali & indiscreto numero dixit: Sonus eorum & uerba eorum. *Psal. 19.*

Sed & hoc manifeste falsum est, quod Petrus caput sit totius corporis, à quo dona sua Christus in omne corpus diffundat, Nisi intelligat partem Ecclesiæ, quæ docente Petro erudita est, ut est Latina & occidentalis Ecclesia. Nam etiam per alios Apostolos, præsertim Paulum, dona sua diffudit in multo plures quam per Petrum, ut mihi Miraculum sit, tam profunde huius Pontificis mentem fuisse occupatam, ut hæc scribens, non meminisse potuerit Pauli & aliorum Apostolorum. Si ergo dixisset, per quem dona sua in corpus diffunderet: recte dixisset. Sed in omne corpus, nimium dictum est.

Verba Leonis.

Sequitur idem Leo, Hunc (Petrum) enim in consortium indiuiduæ unitatis assumptum, id quod ipse erat, uoluit nominari dicendo: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei, in Petri soliditate consisteret.

Iterum per soliditatem Petri, non fidem uniuersalis Ecclesiæ, sed potestatem Romanæ Ecclesiæ significat, & uerbum Christi, sub persona propria Petri, non autem Ecclesiæ, accipit dictum, ut clare ex sequentibus patet, ubi dicit. Verum hanc firmitatem Petri istius sanctissimam, Deo (ut diximus) ædificante constructam, nimis uult impia præsumptione uiolare, quisquis eius potestatem tentat infringere, fauendo suis cupiditatibus, & id quod accepit a ueteribus non sequendo.

Soliditas Petri.

Ecce seipsum exponit, soliditatem Petri, esse potestatem Romanæ Ecclesiæ, Idem per secretissimam fidem spiritus, & externam iurisdictionis potestatem intelligens, non sine uerbi euangelici iniuria. Non ergo infringit soliditatem Petri, qui sub legibus Romanæ Ecclesiæ non uiuit: sed qui non id credit, quod Petrus confessus est.

Protestor autem ego, quod Decreta quidem huiusmodi non damno. Nihil enim meæ saluti deperit, si tolero alicuius uiolentam Scripturæ interpretationem, modo uera & legitima intelligentia iuxta salua sit. Sed hoc adnitor, ut rem & fidem nostram constanti & solida intelligentia discamus firmare. Quamuis enim eiusmodi abusiones Scriptuæ ualeant pro ijs, qui iam credunt, & tolerandæ sint. Tamen oportet etiam, si cum contentiosis oriatur bellum, habere simplicem et germanum sensum Christi, qui

Abusiones Scripturæ.

stare in

stare in acie uictor possit, ne Ecclesiam & omnes nos ludibrio exponamus. Neque enim cum illis sentio, qui Romanos Pontifices non errasse putant: & apud eos solos esse ueram Scripturæ intelligentiam, cum longe contrarium hic & multis alijs locis uideatur. Homines fuerunt, sicut & cæteri Episcopi.

Simplex & geminus scripturæ sensus &c.

Neque sane grande miraculum est, sanctos hos Pontifices humana infirmitate sibi ambiuisse primatum, quando & ipsi Apostoli præsente Christo, non solum ambiuerunt, sed etiam non semel inter se contenderunt, Quis eorum uideretur maior. Sicut ergo Christus benigne tulit eorum humanitatem: ita & Ecclesia talium Pontificum ambitionis reliquias ferendas discit: & Decreta eiusmodi, ideo non penitus reijcit. Porro illis & manibus & pedibus resistendum est: qui non contenti, quod huiusmodi Decreta humiliter ferimus: sed eo insaniunt, ut tanquam non sit alius in Scriptura sensus, ea pro necessarijs articulis fidei nobis sancire: & omnem alium sensum hæreticum proclamare audent, omnia sine ullo iudicio legentes. Qua temeritate necessario tandem fit, ut legitimum Christi sensum amittamus: & in humanum arbitrium & arenam ædificemur.

Contentio Apostolorum de maioritate inter se.

Si enim uerum esset, quod hic Leo iste dicit: & tanquam diuino præcepto eius uerbis obediendum esset: Iam tota orientalis Ecclesia ab initio sui usque ad finem fuisset exors diuini mysterij: quia nunquan sub Romanæ Ecclesiæ potestate fuit. Tolerandus itaque error huius Leonis: non autem propter eum alius & uerior sensus relinquendus.

Orientalis Ecclesia

SEcundus est Leo IIII. distinct. xx. c. de libellis, dicens: Quam ob causam luculentius & magna uoce pronunciare non timeo: Quia qui illa (quæ diximus) S. Patrum statuta, quæ apud nos Canonum nomine prætitulantur, siue sit Episcopus, siue Clericus, siue Laicus, non indifferenter recipere conuincitur, nec catholicam, nec apostolicam fidem, nec quatuor Euangelia utiliter & efficaciter ad effectum suum retinere, uel credere probatur.

Leo IIII.

Vere nimis nihil times, mi Leo, pronunciare, audens humana statuta Euangelijs æquare: & audacter satis affirmas, ijs non seruatis, nec fidem catholicam seruari. Si de contemptoribus, & ijs, qui sub te sunt, diceres, recte diceres. Nunc contra, quando mores & fidem, traditiones cum Euangelio: uerbum hominis cum uerbo Dei confundis: nonne homo es? Quis ferat, ut Euangelium & fidem non seruare putetur, qui sub statutis illis non fuerit? Tu cum tuis serua statuta & Canones: Illis, qui sunt in Oriente, alia sunt statuta, sed idem Euangelium.

TErtius, distin. xxi. c. Clero: Quod capitulum ego nunquam credam esse ab aliquo Romano Pontifice constitutum: sed uidetur Isidori comentum esse. Qui Metropolim mensuram ciuitatis, & Acolytum cæroferarium aliosque gradus egregia inscicia describit, & inuenit tamen autoritatem.

Isidorus.

Pontifex, inquit, Princeps sacerdotum est, uel esse dicitur, quasi uia sequentium. Ipse enim summus Sacerdos, Ipse Pontifex maximus nuncupatur: Ipse enim efficit Sacerdotes & Leuitas; ipse omnes Ordines ecclesiasticos disponit: ipse quod

unusquisque facere debet. Antea autem Pontifices & Reges erant, Nam maiorum hæc consuetudo fuit, ut Rex esset Sacerdos & Pontifex. Vnde & Pontifices Romani Imperatores appellabantur.

Hunc diuinatorem contemptum præterijssem cum erroribus suis, nisi uiderem hinc sumi hodie a nonnullis, quod Papam, Imperatorem, maximumque Pontificem iactant. Ideo non inter Canones, sed inter Canes hunc deputo.

Canon Concilij Aphricani.

ET ne id sine iudicio faciam, opponam ei contraria Decreta, quæ simul sententiam nostram iuuabunt. Dicitur enim dist. xcix. c. Primæ: Primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotum, uel summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus. Et sequitur. Vniuersalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur.

Hic ego in iudicium uoco ipsos Canones & Canonistas, doceant me, quæso, quid hic dicam. Iste Canon probatus est, sed uide quanto maiora crimina committat in summum Pontificem, quam ego unquam ausus essem cogitare. Primo, non solum frigidos asserit, sed & negat & prohibet, ac damnat eos Canones & Canonistas, qui Romanum Pontificē, principem, caput, summum, maximum appellant. Deinde primatum ei auferens penitus, eum reliquis primarum sedium Episcopis, id est, Patriarchis, æquat. Vbi sunt ergo, qui me noua posuisse garriunt, qui frigidissima Decreta dixi superiora: & credo, non inique. Nam hic Canon Concilij Aphricani, eo plus illis præferendus est, quo longius ab ambitione recedit, & Euangelicam modestiam sapit.

Concilium Aphricanum.

Qui ergo me Hæreticum accusant, obsecro, parcant saltem huic Canoni, si mihi nolunt parcere. Ego omnia admisi, quæcunque Romano Pontifici hodie tribuuntur, rem non nego, facto non contradico, Sed de iure eius disputo & sentio: Quod non iure diuino, sed Decretis hominum, talia tribuantur. Quid amplius faciendum mihi est? an non solum debeo factum confiteri, sed etiam mendacijs & corruptionibus Scripturæ idem stabilire? Absit. Igitur damner, quantum uolunt, hic habeo Canonem, qui damnat Romanum Pontificem, uniuersalem pontificem uocari, quod ego tamen nunquam damnaui. Sed addamus plura.

Pelagius.

IBidem Pelagius omnibus Episcopis scribit in hunc modum: Nullus Patriarcharum uniuersitatis uocabulo unqnam utatur. Quia si unus Patriarcha uniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc a Fidelibus, sibi uelle quempiam arripere, unde honorem Fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte uideatur. Quapropter charitas uestra neminem unquam, etiam in Epistolis suis, Vniuersalem appellet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem infert indebitum,

Vides, quod honoris fraterni imminutio fit, si unus omnibus præferatur, etiam Romano Pontifice autore.

B. Gregorius.

IBidem B. Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino. Ecce in præfatione Epistolæ, quam ad meipsum, qui prohibui, direxistis, superbæ

superbæ appellationis uerbum, uniuersalem Papam me dicens, imprimere curastis. Quod peto mihi dulcissima sanctitas uestra ultra non faciat. Quia uobis subtrahitur, quod alteri plus, quam ratio exigit, præbetur. Nec honorem esse deputo, in quo Fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque est honor uniuersalis Ecclesiæ, meus honor est Fratrum meorum solidus uigor. Tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim uniuersalem Papam uestra sanctitas me dicit, negat se hoc esse, quod me fatetur, uniuersum. Sed absit hoc, recedant uerba, quæ ueritatem inflant, & charitatem uulnerant.

Obsecro, quid hic dicemus? An adhuc pecco, quod frigidissima Decreta uocaui aliquorum Romanorum Pontificum, forte confictorũ nominum? qui ista sequutus debueram appellare uerba ueritatem inflantia (id est, leuem & uanam facientia) & charitatem uulnerantia. Quid si ego ista dixissem, esse uidelicet non modo inefficatia, sed etiam inimica ueritati, & contraria charitati.

HIs adde & senas ferme Epistolas B. Gregorij in Regestis suis, quibus ad Imperatorem Constantinopolitanum, & Patriarcham eiusdem acerrime idem prosequitur: Protestans, oblatum fuisse a Concilio Chalcedonensi Romano Pontifici hunc Primatum, & tamen à nullo asumptum. *Concilium Chalcedonense.*

QVod si dixerint Canonistæ nouelli, esse hæc abrogata, uel per consuetudinem desijsse. Gratias ago, hoc uolui. Sequitur ergo, quod non uerbis euangelicis & iure diuino iste Primatus stet, sed iure hominum & usu. Hoc admitto, hoc confiteor, alioqui, si iure diuino staret, nunquam debuit non esse & fuisse, & peccassent mortaliter hic Pelagius & Gregorius, sicut cassantes ius diuinum, & Euangelium deprauantes. Quando ergo iura humana sic eum asserunt, ut per uerbum Euangelij conentur probare, nonne necesse est, ut frigidissime & inefficacissime & uiolentissime id faciant? sicut uidemus in prædictis, & nunc ecce amplius uideamus.

QVartus Anacletus xxi dist: c. In nouo, In nouo, inquit, Testamento, post Christum Dominum, a Petro sacerdotalis cœpit ordo. Quia ipsi primo pontificatus in Ecclesia Christi datus est, Domino dicente: Tu es Petrus &c. *Anacletus.*

Hæc si intelligit, quod sacerdotalis ordo cœpit a Petro in Ecclesia latina, potest utcunque sustentari, Quemadmodum & B. Cyprianus Epistola tertia, sedem Petri principalem, & unde sacerdotalis ordo cœperit, appellat, aut sic cœpit, quod Petrus, primus inter æquales Apostolos fuerit. Si autem intelligit, quod à Romana sede omnis ordo sacerdotalis primo & solum ueniat, ex dictis satis patet, quam sit erroneum. Nec hoc tunc Anacleti est Decretum, sed ficti alicuius Anacleti palea. *Cyprianus.*

QVintus, Pelagius eadem distinct. xxi. Sancta Romana Ecclesia catholica & Apostolica (forte quod cæteras, nec *Pelagij uerba.*

sanctas, nec catholicas reputat) nullis synodicis constitutis, cæteris Eccesijs prælata est: Sed euangelica uoce Domini & Saluatoris nostri Primatum obtinuit, Tu es, inquit, Petrus.

Hic magis erumpit & audet, non tantum contra prædicta dist. xcix. adducta Decreta, sed etiam quod uerbum Christi ad Petrum, omnino torquet de fide, ad potestatem iurisdictionis & pompam Primatus. Deinde, solam Petri personam in uerbis Christi accipit, reiecta persona Ecclesiæ, quam uere Petrus tunc gessit. Ergo noua grammatica: Tu es Petrus, significat, tu es primus. &: Tibi dabo claues, id est, soli Romanæ Ecclesiæ, cæteris Ecclesijs nihil habentibus. Sed piget me omnia commemorare.

Tu es Petrus. Tibi dabo claues &c.

In summa, ut dixi, si his uerbis Christus Romanam Ecclesiam significauit, cum Romana Ecclesia uix uicesimo anno Ecclesiæ primitiuæ nata sit, Sequitur quod ipsa primitiua non fuerit Ecclesia, & deinceps omnes, quæ Claues ex Romana Ecclesia non acceperunt, Christo inobedientes fuerint, Et ita S. Stephanus, cum tot milibus Martyrum orientalis Ecclesiæ damnati censebuntur. Vt omittam, Quod si per uerbum Christi potestas Romanæ Ecclesiæ intelligeretur, ut hic uult, & Christus super hanc petram Ecclesiam suam se ædificare promittat, Sequitur, quod uniuersalis Ecclesia non super fidem, sed super potestatem Romanæ Ecclesiæ ædificata est: Super quam tunc ipsa Romana ædificata est? non super petram, id est, suam potestatem, nec super fidem, Ergo super nihilum, Quis ferat hæc?

Quo tempore nata sit Ecclesia Romana.

Vides ergo quam possum inuehi in istos hominum sensus, si uellem libere agere. Nunc autem sufficit mihi ostendere, quod his Decretis contra hostes & in contentione nihil effici potest, Sunt enim languidissima, frigidissima, & penitus ineptissima, ad contentionem, Sat est, quod tolerantur pro fraterna charitate, non etiam adorentur pro solida & germana charitate.

Decreta frigidissima.

Sed nec hoc ferendum est, quod infert: In his omnibus quanto gradus celsior, tanto maior autoritas inuenitur. In maioribus siquidem est regendi iubendiq; potestas, In minoribus obsequendi necessitas.

Vide, ut necessitatem omnibus imponit, & sibi soli (contra charitatis officium) libertatem arrogat, Sed pessima consequentia. Non enim mox maior autoritas est, ubi gradus celsior est. Petrus enim primus Apostolorum fuit, sed nullam in eos autoritatem habuit unquam, imo contra, Apostoli in Petrum habuerunt autoritatem, ut Act. 8. scribitur, quod Apostoli miserunt Petrum & Iohannen, qui tunc Primores erant inter Apostolos, & tamen missi sunt ab Apostolis, tanquam maioribus, ad Samariæ fideles. *Acto. 8.*

Labitur ergo Pelagius hoc loco satis aperte. Quanquam ego credo, hos & similes Canones nihil præter nomen de Romanis Pontificibus habere, Esse autem compositos ab eorum Officialibus & Scribis, in Theologia parum doctis. Ideo nihil euangelicum, nihil ecclesiasticum spirant, sed humanum affectum, carnem, & sanguinem.

Autores Canonum.

Nicolaus Papa.

SExtus, Nicolaus Papa eadem dist. c. Inferior, uolens robustissime probare, quod inferior non potest superiorem absoluere (intelligit

telligit autem Constantinopolitanam Ecclesiam inferiorem, Nam hæc multorum Canonum causa fuit pro isto primatu) inducit illud Esa. 10. Nunquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum qui trahit eam? *Esa. 10.*

His inquit, ex diuina Scriptura commemoratis, sole clarius exhibuimus, non posse quenquam, qui minoris autoritatis est, eum, qui maioris potestatis est, iudicijs suis subijcere.

Quis non miretur? Adeo iste autor sub nomine Papæ, Scripturas tractat apposite, Deum facit ex Papa, cæteros Episcopos, non fratres, non homines saltem, sed instrumenta facit, Hoc est nimirum, sole clarius exhibere, id est, tenebras offundere. *Deus Papa.*

Vt omittam, quod hoc Syllogismo probat, non posse inferiorem superioris esse Iudicem, qui probandum suscepit, quis esset superior & inferior, Tam apte & acute disputari, dignus fuit iste primatus ambitionis fœdissimæ.

Deinde in fine, Romanam Ecclesiam matrem uocat omnium Ecclesiarum. In quo mirum est cuius filiæ & disciplinæ fuerint Ecclesiæ Iudeæ de quibus Paulus ad Galatas dicit: Eram ignotus facie Ecclesijs Iudeæ, Et quæ Ecclesia fuerit, quam Paulus uastabat. Siquidem Romana Ecclesia tunc erat adhuc in lumbis Patris sui Petri, qui Hierosolymis erat. Quid, quæso, Hierosolymitana Ecclesia didicit à Romana? Cur mentitur Paulus Roma. 15. dicens, Pauperes Sanctos in Iudæa, iuste accipere collectam à Romanis & alijs gentibus, quod spirtualium illorum participes facti essent? Quo uerbo Apostolus Hierosolymitanam Ecclesiam matrem, matricem, radicem signat omnium plane Ecclesiarum totius orbis, etiam Romanæ, quod & uerum est. *Ecclesiæ in Iudæa uetustiores Romana.* *Galat. 2.* *Rom. 15.*

Quis enim negare potest, Ecclesiam Gentium posteriorem esse Ecclesia Iudeorum, & ex hac illam natam? cum tot in locis hoc de Gentibus Prophetæ predixerint, cum in Actibus Discipuli dispersi solis Iudæis predicasse uerbum, & de Gentium salute obstupuisse legantur? Et Paulus Roman. 15. Iudeorum ministrum fuisse Christum, & Gentes misericordiam consecutas, ad ruinam Iudeorum doceat? Sed & Christus Iohan. 4. Salus, inquit, ex Iudæis. Modeste itaque dixisset, Matrem Ecclesiarum, matrem uero omnium Ecclesiarum, Hyperbole est nimia. *Ecclesia Gentium posterior Iudæorũ.* *Roma. 15.* *Iohan. 4.*

SEptimus, Nicolaus iterum dis. xxij. c. omnes, de quo textu nescio quid dicam. Nam prope corrigo meam Propositionem, & dico, quod Romanam Ecclesiam alijs esse superiorem probatur, ex delyramentis cuiusdam ineptissimæ Paleæ, nomine Romanorum Pontificum, Ecclesiam Christi illudentis. *Nicolaus.*

Audi, quæso per Christum, quid hic dicat.

Omnes, inquit, siue Patriarcharum, siue cuiuslibet apicem, siue metropoles, primatus, aut episcopatuum cathedras, uel Ecclesiarum cuiuscunque ordinis dignitatem instituit Roma: Ecclesia, Illam uero ipse solus fundauit, & supra fidei petram mox nascentis erexit, qui B. Petro æternæ uitæ clauigero, terreni simul & cœlestis Imperij iura commisit.

Rogo te, Lector, de Rom: Pontificibus & ipsa Rom: Ecclesia, tot milibus Martyrum in cœlo & terra fulgente, alia quæ potes, sentias, modo propicius tibi sit Christus, ne hoc Decretum credas editum ab ullo Romano Pontifice, saltem sciente.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiā meam.

Primo, uerbo Christi solam Romanam Ecclesiam fundatam garrit hic impius, quisquis est Romani nominis ementitor. Cæteras autem (sequitur) non Christus, sed Romana Ecclesia fundauit. Quia Romanam Ecclesiam supra fidei petram erexit, supra quam petram, quæso, alias Ecclesias erexit? An supra harenam? Non credunt idem Romana Ecclesia & aliæ Ecclesiæ? Non sunt ipsæ etiam Ecclesiæ? Si sunt Ecclesia Christi, cur tu impijssimo ore resistis Christo dicenti: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? Quid significat Ecclesiam meam? Non est nisi una Romana Ecclesia sua Ecclesia? Si autem quælibet alia etiam Ecclesia Christi est, & Christus affirmat eam ædificandam supra petram fidei, impio iam errore dicitur, ad solam Ecclesiam Romanam pertinere, & non ad alias omnes.

Impijssima Decreta.

Te nunc appello, Lector, ut iudices, an hæc Decreta modeste an immodeste frigidissima dixerim, quæ uerius impijssima dicere debuissem, Non quod Romanorum Pontificum sint, sed quod nomine eorum uulgentur, & per ipsa iam multis annis adulentur summis Pontificibus, has insanias nihil curantibus, quin & suauiter audientibus.

In adulatores Pontificum.

Igitur Euangelium, hoc interprete, sic intelligemus & locupletabimus, Ego supra fidei Petram ædificabo Ecclesiam meam Romanam. Romana autem ædificabit supra suam sententiam Ecclesias suas, non meas. Quia meam supra fidei petram ædificabo. Ecce nunc eant adulatores, & statuant nobis Scripturæ sanctę interpretationem ad Romani Pontificis scribas pertinere.

Iuristas dominari in curia Romana.

Deinde uide, quid sit in Curia Romana, Iuristas dominari, & sine Theologis ac sacris literis, de sola potestate & Spiritus sancti præsentia præsumere, hoc est, per solam potentiam Scripturas tractare. Cæterum iuxta Augustini regulam, & Romanus & omnis Pontifex subiacet cuiuslibet fidelis etiam iudicio, maxime in materia fidei.

Blasphemia impijssima.

Iam illud quam euangelice dictum est, Quod Cœlestis imperij & terreni iura Petro commisit, Obsecro, non est hæc res omnibus lachrymis digna, quod hæc non modo legere, sed etiam credere pro oraculis Spiritus sancti urgeamur, & ita urgeamur, ut ignem minentur, si contra quid mutiamus? Atq; ita fit, ut hæc maiore timore & religione amplectamur, quam ullum aliud, uel fidei uel morum præceptum diuinum, ubi ignem nemo minatur, quin glorificantur, Et adhuc bonum statum Ecclesiæ somniamus, nec Antichristum in medio templi agnoscimus.

Igitur, uox ista blasphemia est impijssima, quod Petrus iura cœlestis imperij teneat, cum solum ministerium uerbi teneat in terra, Christus solus sit Dominus cœli & terræ. Deinde imperium terrenum & Christus docuit & Petrus contemnere. Hic non solum non habere, sed etiam iura eius in manu Petri constituit.

Rom. Pontifex Dominus constitutus in utroque regno &c.

Hinc sequutum est malum, quod adulatores Romanum Pontificem in utroq; regno Dominum constituunt, quod nec Christo quidem datum est, qui suum Regnum negat ex hoc mundo esse. Mirum autem, quod Petrus Neronem Principem passus est, non modo in Roma, sed etiam in sua cruce

ſua cruce, qui potuit ei iura terreni imperij auferre, aut certe friuolum & impium eſt, ſucceſſorem Petri hoc præſumere, quod in Petro non fuiſſe cernitur. Pereant ergo arrogantiſſima uocabula iſta, Imperij, iura imperij, cæleſtis & terreni Imperij. Soli Deo hæc conueniunt, Miniſtro Eccleſiæ & ſacerdoti, Chriſti ſeruo, modeſtiora tribuantur.

Sequitur eadem Palea.

NOn ergo quælibet terrena ſententia, ſed illud Verbum, quo conſtructum eſt cœlum & terra, per quod denique omnia condita ſunt elementa, Romanam fundauit Eccleſiam. *Verba paleæ.*

Vide monſtra, aut hæc de ſola Eccleſia Romana dicuntur, & ſequitur, omnes alias Eccleſias eſſe terrena ſententia ſtatutas, & ſine uerbo Dei, ſine quo nihil factum eſt, quod factum eſt, Et ſic omnes aliæ Eccleſiæ ſunt nihil. Aut ſimul etiam de alijs Eccleſijs intelligendum eſt, eſſe ſcilicet eas per uerbum Dei, quod omnia condidit, ſtatutas. Et ſequitur hinc, nihil ſingulare de Romana Eccleſia dici, niſi inanem pompam ſyllabarum. Et ita Decretiſtam hunc, aut intolerabili impietate negare cæteras Eccleſias una cum Chriſto, aut ſeipſum ſua inſcitia manifeſtiſſime irridere. *Omnes Eccleſiæ, non ſolum Romana, per uerbũ Dei ſtatutæ ſunt.*

Quod ſi de conſtitutione Eccleſiarum iuxta dignitatis gradus loquitur, non iuxta ſubſtantiam, patet ex prædictis, quam peruerſe hoc uerbum Chriſti, de fide totius Eccleſiæ uniuerſalis torqueat, ad poteſtatem unius hominis. Chriſtus ſuam Eccleſiam ſupra petram ædificare ſe dicit, Hic uero non, ſed duntaxat Romanam, hoc eſt, cæteras Eccleſias nihil facere, & Chriſtum negare. *Chriſtus ſuam Eccleſiam ædificauit ſupra petram.*

Porro, ſi cæteræ Eccleſiæ ſunt terrena ſententia ſtatutæ, & hanc ſententiam Romanæ Eccleſiæ eſſe dicit, ſuo ore ſeſe damnat, ſuam ſententiam eſſe terrenam, non diuinam, dicens. Et ubi manet, quod uocem Petri tanquam diuinam & non terrenam audire oportet? Porro, quis conſtituit Eccleſiam Hieroſolymitanam, antequam Eccleſia Romana eſſet? An non Petrus uerbo Dei Romanam Eccleſiam conſtituit? Verum ſi de dignitatis conſtitutione loquitur, non de ſubſtantia Eccleſiæ. *Eccleſia uerbo Dei ſtatuitur.*

TVNC ARGVO SIC.

Romana Eccleſia eſt diuino uerbo alijs ſuperior conſtituta. Ergo neceſſe erit, ut eodem uerbo cæteræ Eccleſiæ ſint ei inferiores ſtatutæ. Quia non poteſt ſtatui ſuperior, niſi ſint, quibus ſuperior ſtatui poſſit. Vbi ergo eſt, quod ſupra dixit, inferiores cæterarum Eccleſiarum ordines à Romana Eccleſia inſtitui, non uerbo diuino, quo uult ſola conſtitui ipſa? Nam, quomodo Chriſtus potuit ſtatui Dominus, niſi ſimul Gentes & termini terræ ſubijcerentur, & mons Zion, cui Rex præficeretur? *Argumentum.*

Adde his, ſi quis dicat: Si Romana Eccleſia diuino uerbo fundatur ſuper omnes, oportet ergo & eas certas nominari, quæ uerbo diuino ſubijciantur. Age, eſto ergo hæc ſententia diuina: Romana Eccleſia eſt alijs ſuperior, Dic ubi ſcriptum ſit eius correlatiuum: Eccleſia Mediolanenſis eſt ea inferior, aut ulla alia? Si nulla nominatur, nulla ſubeſſe debet, præcepto ſaltem diuino. Quid hic melius dici poteſt, quam quod uerbum Chriſti *Aliud.*

nec de superioritate nec inferioritate Ecclesiarum intelligi possit, Sed de sola, eadem, inuictaq; fide & potestate omnium Ecclesiarum æqualiter. Vides ne, quid sit sacras literas pro humano affectu & sine timore Dei tractare?

SEQVITVR:

Illius certe priuilegio fungitur, cuius autoritate fulcitur.

Vide, quæ Corollaria inferat. Verbum Christi, de fide ad potestatis significationem detortum, priuilegium fit Romanæ Ecclesiæ in uerbo, quod communiter omnibus Ecclesijs conuenit. Quia Christus dicit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, Meam, inquit, meam. Si Ecclesia alia quælibet est Ecclesia Christi, ipsa certe ædificata est super eandem petram, & nullum est ulli priuilegium. Si non est ecclesia Christi, & sola Romana est ecclesia, priuilegium non stat, quia nulla est Ecclesia, cui Romana superior esse possit. Iterum dico: Pronomen, meam, aut significat solam Romanam ecclesiam, aut omnem Ecclesiam. Si solam, non habet priuilegium præ cæteris. Si omnem, iterum non habet priuilegium præ cæteris. Eligat ergo quod uult, per hoc uerbum Christi, Romana Ecclesia aut erit sola, aut non erit prima.

Super hanc petram &c.

Romana Ecclesia non est superior alijs.

Alia ergo uia probandus iste Primatus. Quia illusionem hanc sui Euangelium Christi (ut uides) quam pulchre eludit, & (ut prouerbium Salomonis habet) illudit illusores suos. Et sunt tamen tam multi, qui ex hac misera Palea priuilegium Romanæ ecclesiæ passim pro articulo fidei, uel omnium primo & maximo iactitent, patientiores, si Christum neges, quam si hoc priuilegium, uerba Christi peruertens, non adores.

Sequitur iterum Corollarium, tali themate dignum.

VNde non est dubium, Quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniusticiam facit. Qui autem Romanæ Ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, (uide hiatum istum Stentoreum) auferre conatur, hic procul dubio in hæresim labitur.

Ecclesia Romana non habet ius, sed priuilegium. Quod? quod est supra petram fidei ædificata, Hoc enim solius Romanæ ecclesiæ est, isto autore. Deinde, petram fidei, intelligit prælationem hanc primatus terreni. Nam hæc duo perpetuo miscet & confundit hæc Palea.

Petra fidei.

Obsecro, quanta patientia est, ista tolerare? Primum sicut dixi, Si Petra fidem signat, eadem est omnium Ecclesiarum, nullo reliquo priuilegio. Si autem non omnium est eadem, sola erit ecclesia Romana, non habens cui præferetur. Secundo, si petra fidei, dignitatem significat, iam sibijpsi contradicit in eodem uerbo, uerbumq; Christi adulterat, fidei significationem in potestatis significationem subuertens, & spiritum in carnem, Christum ad mundum trahens. Non ergo est hæreticus, qui negat hoc priuilegium Romanæ ecclesiæ, sed ille deprauator est uerbi Dei, qui per fidei petram intelligit, Priuilegium potentiæ temporalis.

Ambrosius.

• Quod autem in fine Ambrosium adducit, qui se matrem Ecclesiarum asserit sequi Romanam. Vtinam & ipse idem faceret cum

Ambrosio

Ambrosio, ecclesia Romana mater est, sed non omnium Ecclesiarum. Nam & Metropolis quælibet est mater Ecclesiarum, iuxta Patrum statuta. Deinde Romana ecclesia nunquam uerbis Christi has contumelias fecit, quas hæc Palea facit, sed per Petram fidem intelligit, non tyrannidis ambitionem. *Petra significat fidem, non tyrannidis ambitionem.*

Octauus (ut finem faciamus horum deplorandorum Interpretum Scripturæ diuinæ) est iterum Anacletus eadem distin. c. Sacrosancta, Sic enim ausus est, quisquis fuerit iste barbarissimus Notarius, etiam tanto Pontifici tribuere, tantam & inscitiam, & temeritatem, quantam uidebimus. *Anacletus.*

Sacrosancta Romana Ecclesia (Quia aliæ non sanctæ, aut non sacrosanctæ sunt, etiam si eadem fide, uerbo, sacramento, spiritu, prorsusq; eadem sanctitate sanctificentur) non ab Apostolis, sed ab ipso Domino & Saluatore, Primatum obtinuit, Sicut B. Petro dicit: Tu es Petrus &c.

Si aliquis gentilium sic exponi uerba Christi audiret, quando Christianus fieret? Igitur & hic primatum intelligit per uerbum: Tu es Petrus, seu per hanc petram. Eligant autem (ut iterum eadem repetam) utrum uoluerint. Petra hoc loco aut significat fidem Spiritus, aut primatum exterius, utrumq; enim simul nequit significare. *Tu es Petrus.*

Si fidem, iam omnes ecclesiæ super eam sunt edificatæ, quia Christus dicit: Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Ergo cuicunq; conuenit dici à Christo: Ecclesia meà, ad eandem pertinet, petra & petrus, super quam ædificatur, Ita nihil proprium Romana Ecclesia habet, sed omnia sunt cõmunia, Quia ubi eadem fides, eadem quoq; potestas clauium, Fidei enim & petræ datæ sunt claues ut patet. Si potestatem, iam iterum omnes sunt æquales Ecclesiæ, Quia cuicunq; dicitur à Christo: Ecclesia mea, simul dicitur: ædificabo te supra petram, id est, potestatem. Quare quælibet Ecclesia, hoc uerbo erit omnium prima, quia habet eandem petram, qua Romana ecclesia gloriatur esse se primam. Ita quocunq; te uertas, semper occurrit & resistit tibi Christus, dum Ecclesiam suam supra petram ædificat, nec sinit ulli particulari Ecclesiæ hanc petram appropriari, Ideo nec Petrum. *Super hanc petrã ædificabo Ecclesiã meam.*

Vides ergo, quod unicum illud prouomen, Meam, tanquam chrystallus cœlestis, omnes has Decretales infrigidat, ut ante faciem frigoris eius nulla sustinere possit, dum communem petram, communem potestatem, communes claues, communem Petrum, & omnia communia facit. Ita iure diuino, Quidquid habet Romana Ecclesia, habet quælibet Ecclesia, quantumlibet parua. Quia ad omnes dicit, & Paulus 1. Corint. 3. Omnia uestra, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephe, siue mundus, omnia uestra, uos autem Christi: *Ecclesia mea.* *1. Cor. 3.*

Esset sane ridiculum, quod omnium Ecclesiarum idem est Baptismus, eadem Eucharistia, eadem Confirmatio, idem uerbum Dei, idem sacerdotium, eadem pœnitentiæ, unctionis, matrimonij, & omnia sacramenta, eadem fides, spes, charitas, gratia, mors, uita, gloria, & una hæc temporalis potentia, uni tributa esset, per uerbum Dei, quod commune est omnibus. *Idẽ baptismus &c. omnium Ecclesiarũ*

Quare ubicunq; prædicatur uerbum Dei, & creditur, Ibi est uera fides, petra ista immobilis: Vbi autem fides, ibi Ecclesia: Vbi Ecclesia, ibi sponsa Christi, Vbi sponsa Christi, ibi omnia quæ sunt sponsi. Ita fides omnia secũ habet, quæ ad fidẽ sequuntur, Claues, Sacramenta, Potestatẽ, & omnia alià. *Vbi fides, ibi Ecclesia &c.*

Quæro etiam: Si soli sunt Petro claues datæ, & non uniuersali Ecclesiæ,

Claues traditæ cuilibet Ecclesiæ.

clesiæ, Cur non uocantur claues Petri? cur non uocantur claues ecclesiæ Romanæ? Cur ipsemet Pontifex in suis literis uocat eas claues sanctæ matris Ecclesiæ? Aut enim hæc uox communis totius Ecclesiæ, iniuriam facit Romanæ Ecclesiæ, in suo priuilegio, sibi soli attrahenti claues. Aut Romana Ecclesia, schisma quærit, dicens: Ego sum Cephe, & toti Ecclesiæ rapit rem, quam ipsamet confitetur communem. Patet ergo, testimonio omnium publico, non Petro, sed Ecclesiæ esse claues traditas, non Romanæ, sed uniuersali & cuilibet.

Præter hæc, uide, quàm recte per petram intelligant potestatem. Nam cum potestas esse non possit, nisi Ecclesia sit prius fundata, quæ accipiat potestatem, quomodo Ecclesia super potestatem, id est, prius ædificatur super posterius? Deniq;, potestatem non per petram, sed per claues Christus intelligit, quas Ecclesiæ supra petram (id est, fidem) prius ædificatæ tradit, ut clare textus ordo probat. Vides ergo, quam ambitio excæcet oculos mentis, ut clauium potestate non contenta, etiam ex petra fidei (quæ est Ecclesiæ substantia) potestatem facit.

Petra fidei.

Anacletus seipsum redarguit.

QVod autem hic Anacletus Romanam sedem primam uocat, & Alexandrinam secundam, & Antiochenam tertiam, Seipsum iterum redarguit, non solum, quia iste ordo iam diu mutatus est, uerum etiam, quod sequitur hinc, aut Alexandrinam esse iure diuino secundam, & Antiochenam tertiam; aut nec Romanam primam; quia eodem iure oportet esse primam, quo secundam & tertiam. At manifestum est, quod secundam & tertiam suo iure ordinat Romana; Ergo & seipsam primam suo iure ordinat.

Euodius. Ignatius.

Errat etiam in Historia, quod Ignatium scribit constitutum à Petro Episcopum Antiochiæ sibi successorem, Cum in Ecclesiastica historia pateat, Euodium Petro, & Euodio Ignatium, successisse. Ideo non est credibile, huius Canonis autorem esse Anacletum.

Iam audi iterum securum affirmatorem, id est, temerarium: Inter Beatos Apostolos, inquit, quædam fuit discretio potestatis: & licet omnes essent Apostoli, Petro tamen concessum est a Domino, & ipsi inter se uoluerunt idipsum, ut reliquis Apostolis omnibus præesset. Obsecro, quæ fuit ista discretio potestatis? Nunquid Petrus ordinauit Apostolos? nunquid misit eos? nunquid confirmauit eos? Vbi legisti bellua, quod à Domino concessum est Petro habere discretam potestatem ab alijs? quando hoc ipsi uoluerunt?

Primatus honoris.

Petrus Apostolorū princeps.

Quin hic signa, Duplex est primatus, honoris & potestatis. Quod Petrus primus fuit in ordine, nemo negat. Nam & inter Cardinales, Episcopos, Sacerdotes, Doctores, Principes, etiamsi nullus alteri subiectus est, tamen necesse est, in conuentu aliquem primo loco sedere, cum tamen nihil habeat præcipere illis. Ita Petrum fatemur principem Apostolorum, primum Ecclesiæ membrum, caput collegij apostolici, & alia, quæ de eo S. Patres dixerunt. Ita uidemus & Romanos Pontifices semper fuisse honoratos, ut successores Petri, & primo loco habitos. Et in hoc recte & laudabiliter actum est, & agitur, agendumq; est, sine querela.

Primatus potestatis Petro nunquam datus.

Alter autem primatus potestatis, nunquam fuit Petro datus, quia quilibet Apostolorū sine autoritate Petri prædicauit Euangelium, Episcopos & Presbyteros ordinauit in locis suis. Omnes a solo Christo sunt æqualiter missi, & immediate. Hunc primatum isti honestissimi Canones ambiunt, et uerbis Dei abutuntur ad hanc tyrannidē stabiliendam. Nolunt enim ullum Episcopū in toto mundo fieri, nisi palliū & autoritatē Ro. Pontificis habeat.

habeat. Et ubi Petrus sese non extulit super Apostolos, ibi unius Apostoli successor, longe minor suo prædecessore (sicut Episcopus Apostolo) non contentus honoris primatu, omnium Apostolorum successoribus uult dominari in potestate & uiolentia, sed non etiam ipse pascere &c.

Hanc Rationem inuictam oppono omnibus, qui Romano Pontifici adulantur super totius Mundi dominio, & expecto cum fiducia, quidnam contra possint mouere, aut gannire. Qua simul fretus, tanquam certissima, & omnibus notissima Veritate, cum fiducia proclamo: Quod Decreta quæcunque aliter statuunt, non modo frigidissima sunt, sed etiam contraria diuinæ Scripturæ, Euangelio & Actibus, Epistolis Apostolorum. In quibus tam crebre, tam aperte, Apostolorum æqualis, & in mundo diuersa commissa prouincia describitur, ut ego non possim satis admirari, esse potuisse unquam tam temerarios adulatores, qui contra hæc fulmina Scripturæ, fumum suum terrenum leuare auderent: hoc successori Petri Episcopo arrogantes, quod nec Apostolo Petro prædecessori unquam permissum est. Nec tamen mirarer, si id solum arrogarent, nec hoc quererer: Sed quod huic arrogantiæ repugnantes Scripturas maluerint corrumpere, quam repugnantibus temporalem hunc potestatis Primatum cedere.

Decreta contraria diuinæ Scripturæ.

Apostolorũ æqualis prouincia &c.

Addo ad hæc, Quod nec in hoc recte & euangelice fit a Romanis Pontificib. quod Episcopos è Romana Ecclesia propagatos, id est, Ecclesiam Latinam sic administrant, ut soli ipsi ordinent & confiment Episcopos omnes. In hoc enim non Christo, sed sibi Ecclesias Christi uidentur arrogare, cum Apostoli Pauli exemplo, deberent etiam aliis committere constitutionem Episcoporum, uidelicet Archiepiscopis & uicinis. Deberent ergo illos Deo committere, & nequaquam cogere, ut pro nouo Episcopo ad Vrbem mitterent. Habet enim hoc speciem non leuem auariciæ
1. Cor. 4. & tyrannidis, qua dominentur fidei eorum, quod Paulus noluit in Corinthios sibi usurpare. Sufficeret enim semel Episcopum dedisse: & deinceps eos gratiæ Dei commendatos propagationi proprie eos relinquere: aut solummodo curam agere, ne à fide degenerarent, sicut Apostolus in Galatis monstrauit exemplũ. Nunc uidemus prætextu huius beneficii & primatus, omnium episcopatus & sacerdotia, in uoraginem Romanæ auariciæ rapi, tot Simoniæ impudentissimæ monstris, hoc uno operculo tectis.

Fidele & purũ consilium.

SEQVITVR.

ET cephas, id est, caput & principium teneret apostolatus. Vel hic locus ostendit, magis affectu potestatis, quam ueritatis studio, hunc Primatum quæsitum. Quomodo enim tot falsis Argumentis uterentur, si semel & solidam haberent causam: multis autem eget mendacium, ut uerum appareat. Itaque tam inscius est iste scenicus & poeticus Anacletus, ut Cephan, caput interpretetur, contra euidentissimum et apostolicum testimonium Iohannis Apostoli, qui dicit Iohan. 1. Intuitus eum Ihesus dixit: Tu
Iohan. 1. es Simon filius Iohanna, Tu uocaberis Cepha, quod interpretatur Petrus. Pudet me, quod super hoc errore crassissimo tantum negocium struitur, in quo simul indiligentes se fuisse Euangelii lectores. Ideo non mirum, quod & falsos intellectores se ostendunt. Melius Leo supra Petram, soliditatem intelligens, uocabulum Cephe bene nouit: At hic nec Euangelium, nec Canones recte intelligit.

Mendacium, ut uerum appareat, multis eget &c.

Est autem Cephe, teste Hieronymo, syrum uocabulum, significans soliditatem, quam Græcus petrum uel petram, id est, saxum uel rupem firmam

Cephe.

mam transtulit. At noster nugator κεφαλὴ græce pro cepha syriace accepit: & tamen inter sacros Canones, uel primus habetur. Nam in Decretalibus, quas Gregorius IX. & Bonifacius VIII. congesserunt, huic Canoni suisque similibus, autoritas tanta tribuitur, ut uix una sit, quæ non totum hunc spiret. Prætereo, quod deinceps hanc formam successorib. traditam fabulatur, seruandam a cæteris Episcopis, omnino aliud nihil, quam ambitiosissimum spirans affectum.

Sequitur pulchra Similitudo.

ET non solum in nouo Testamento est constitutum, sed etiam in ueteri fuit, sicut scriptum est: Moses & Aaron in sacerdotibus eius, id est, primi inter eos fuerunt.

Quid audio? quam non frustra hos Canones lego: quam egregie disco Scripturas intelligere. Primum, qui unum solum summum Sacerdotem in ueteri Lege noui: nunc didici duos fuisse primos. Secundo, etiam grammaticam nouam uide, in Sacerdotibus eius, idem est, quod primi inter eos fuerunt: cum hucusque hoc uersu Psalmi, intellexerim nihil aliud dici, quam Mosen & Aaron sacerdotes, uel de numero sacerdotum fuisse: sicut Samuel inter inuocantes nomen eius, nihil de primitate ulla cogitans. Tertium documentum, quod summus Sacerdos ueteris legis fuerit figura Romani Pontificis. Apostolus enim ad Ebræos, me mirum in modum decepit, cum uniuersis Ecclesiæ Doctoribus, docens, non Romanum Pontificem, sed Christum solum fuisse per summum & unum Pontificem significatum.

In sacerdotibus eius.

Ebre. 7.

Vt hoc omittam, Quod illis omnia in figura contigisse scimus: & in nouo Testamento figuram ille denuo reuocat, ut sit similis figura utriusque Testamenti, nihil iam utrunque ab utroque differens. Vror ego, diuinas literas ab his porcis, tam impudenter conculcari, præsertim sub nomine Romani Pontificis & Romanæ Ecclesiæ.

Quid autem hoc est? quod duos primos Sacerdotes in ueteri Testamento statuit, magno sui primatus detrimento? Imitare quod dicis (& si falsum) stet similitudo, & da etiam nunc duos primos. Quomodo unum primum probabis per duos primos? Vides ergo hos homines, eos fuisse, qui simplicitate fidei nostræ abusi, ausi sunt statuere, quidquid uel somniare potuerunt.

Ecclesia Romana.

In fine concludit & eadem dexteritate, Romanam Ecclesiam cardinem uocat, in quo omnes Ecclesiæ reguntur, Domino disponente: & tandem sit finis hic. Nam cæteri Canones, qui eadem spirant, horum nimirum influxu infecti sic spirant.

NOn possum autem omittere, quin & Decretalem, uel unam adducam, ut appareat, quid prosit Ecclesias regere, & Scripturas sacras non intelligere. Sunt enim & Decretales quam plurimæ frigidissimæ, hæ maximæ, quæ maxime sunt in usu. Transeo illam de constitutione, c. Translato: quam puto sic à me uindicatam antea, ut necesse non sit repetere. Assumo onus illud c. Significasti, de elect. ubi Archiepiscopus Panormitanus cum rege & regno Siciliæ iustissime mirati, quod pallium accepturus exigeretur iuramentum: & ubi pulchra modestia contra hanc infœlicissimam exactionem, adduceret præceptum Christi & statuta Conciliorum, talem accepit responsionem & interpretationem Scripturæ sanctæ à Paschale Romano Pontifice, hoc est, à Notarijs Romanis:

Archiepiscopus Panormitanus.

Paschalis Romanus Pontifex.

Mirentur

Mirentur, inquit, Dominum nostrum Ihesum Christum, qui cum ouium suarum curam Petro committeret, conditionem apposuit, dicens: Si diligis me, pasce oues meas &c. Adeo perculsi sunt Papæ & Romanæ Curiæ proceres unius huius Episcopi interrogatione, ut quid responderent, non inuenirent, donec Spiritus Domini eos huc rotaret, ubi omnibus ostenderent, in lege Domini nec uoluntatem, nec meditationem eis fuisse. Agam interim partes Archiepiscopi.

Si diligis me, pasce oues meas.

Si exemplum Christi placet & ualet apud te, o Paschalis, cur non imitaris? Si non placet, cur adducis, cur tu quoque non contentus quærere, an diligat Christum? sine iuramento committis oues Christi? Cum placeat exemplum, cur non sufficit & conditio? An melior & sanctior est conditio iuramenti quam amoris? An plura speras eum facturum, qui coactus iurat, quã qui sponte amat? Christus soluit Petrum à lege & à coactione uoti & iuramenti, solam libertatis & charitatis in eo quærit fidem. Et tu libertatem tollens, lege iuramenti cogis? Vbi est exemplum Christi? ubi conditionis similitudo? Est per uerbum, diligere, intelligendum iuramentum?

Nunquid Christus à Petro iuramentum exegit pro Romana Ecclesia? Quid hoc ad oues Christi, quod tibi iuratur & Ecclesiæ tuæ? Tuæ sunt oues, an Christi? At tu optime Pater, an Christum diligat, prorsus nihil curas, Sordet hæc tibi, ut uilissima conditio, tibi ut fidelis sit, iuramento adstringis, Adhuc stat interrogatio Archiepiscopi, non satisfecisti.

Oues Christi, non tuæ.

Adhuc quæritur: Quo iure hanc fidelitatem extorqueas? Tua responsio profundius te mergit & capit. Deinde, cui, quæso, tu iuras fidelitatem? Cur facis & imponis alteri onus, quod digito non uis mouere, contra & charitatem & legem naturæ?

Deinde, adhuc quæstio etiam illa stat, Cur præcedentes Pontifices non exegerunt iuramentum? Cur alij non præstiterunt? unde noua ista exactio? Vis dicam? Ex malæ fidei possessa potestate, conscientia metuit, Iusticia non suffragatur. Ideo quæritur utcunque solacium & firmamentum.

Obserua hæc.

Itaque hodie pontificari non licet, nisi iures Romano Pontifici fidelitatem. Iurata autem fidelitate, mox dignus es pontificari, siue diligas, siue pascas, has enim conditiones Christus requirat, Quid de ijs nostro seculo? nec hoc curetur, an sanctus doctusque sit, an minus? solum sit seruus Rom: Ecclesiæ. Non licet Christo libertatis Magistro seruire, nisi primum fias iuratum mancipium Rom: Curiæ. Satis est ab exemplo Christi didicisse, quamlibet conditionem fratribus etiam iniquissimam, imponere pro libito, Ipsam uero Christi conditionem, ne syllaba quidem meminisse.

Nihil nostro seculo cum conditionibus Christi.

Sed responde adhuc semel, Paschalis, tuo te iudicio peto. Si Christus conditionem ibi posuit, ut dicis, iam tuo ore definimus, Nullum esse Romanum Pontificem, nisi diligat ac pascat, Quia pactum & commissio conditionalis, si conditio non stet, non ualet. Tuo ergo enthymemate utar. Archiepiscopus Panormitanus sine conditione iuramenti præstiti in facto, non est Episcopus. Ergo nec tu Papa, nisi in facto primum præstes conditionem amoris & pascuæ. Quæ si uera sunt, iam in sexcentis annis non habuimus Papam. Nullus enim docuit nos uerbum Dei. Nec sufficit, quod promittas te amaturum, quia tibi non sufficit promissio iuraturi, Sed sicut tu à Fratre exigis conditionem in facto, ita nos nomine Christi maiorem hanc conditionem exigimus in facto, aut tua autoritate Papam negamus.

Nullus est Romanus Pontifex, nisi diligat & pascat ex sententia Paschalis.

Quid hic facies? uides ergo, quam impatiens sit Scriptura corruptionis, quam

nis, quam uanos ostendat eos, qui se maculant. Noluit Paschalis uinci interrogatione, nec male egisse uideri, & ignarus seipsum toto pontificatu indignum redarguit, dumq; festucam fratri eruit, trabes suas nobis ostendit. Ista ergo est pastura, quod Romani Pontifices omnia sibi inflectunt, omnibus omnia imponunt, omnibus se subtrahunt, & quod atrocius est, non ad Christum, sed ad seipsos nos cogunt, non exigunt conditionem, qua Christi libertatem promittamus, sed qua sibi seruitutem iuremus. Quæ autem maior miseria Ecclesiæ, quam non amore, sed ui conglutinari? Pontifices non beneuolentia, sed potestate imperare? Subditos non amore, sed odio & timore coactos seruire?

Miseria Ecclesiæ.

Sed sequitur digna applicatio similitudinis.

SI conscientiarum factor & cognitor secretorum, conditione hac usus est, nec semel tantum, sed & secundo, & usq; ad contristationem, Qua nos oportet sollicitudine tantam Ecclesiæ prælationem imponere Fratribus, quorum conscientias non uidemus?

Nec mirum certe, Quia Petrus, Paulus & alij Apostoli, non erant tam solliciti, tanta sollicitudine, quanta nunc sunt Romani Pontifices. Deinde, quia cognouerunt forte conscientias illorum, quos sacerdotes constituebant, nec exemplum Christi adeo curauerunt. Nonne hoc est seipsum ridere? Sed nec Christus, cuius oues sunt propriæ, licet pro eis se traderet, non tamen fuit tam sollicitus, ut iuramentum à Petro exigeret, sed uelut dormitans dilectionem tantummodo, rem sane leuissimam, exegit. Quandoquidem, nisi iuramentum Paschalis charitati præponeret, sine dubio exemplo Christi contentus esset, nec se oportere magis sollicitum esse quereretur, quam Christum ipsum, qui & Iudam præposuit ouibus pascendis, quem malum esse nouit, atq; id sine conditione. Vides enim, ut arguit à minori: Christus exegit, quanto magis nos. Quasi uero hoc aliquid ad rem pertineat, quod Christus conscientias nouit, Romanus Pontifex non nouit, Cum Christus exemplum in hoc omnibus præbuerit imitandum. Deniq; & nos non nouimus conscientias Romani Pontificis, Iuret ergo & nobis conditionem, Christi saltem.

Iohan. 21.

Christus non iuramentum, sed dilectionem exegit à Petro.

Iterum quæro: Si ignorantia conscientiarum sola est causa exigendi iuramenti, Cur non cogis, ut iuret se recte iurasse, idq; sine fine, cum in nullo iuramento conscientiam eius noscas, recte ne iuret, an secus? Si autem ignorantia ista conscientiæ non mouet ad exactionem iuramenti, Qua fronte ignorantiam conscientiarum pro causa adducis? Quæ est ista mirabilis in uno homine super eodem homine, patientia & impatientia ignorantiæ conscientiæ? Si accepto iuramento, tantam administrationem ei cedis, Cur non, quod leuius erat, iuramentum ei cedis? An putas, quod maior res sit iuramentum tibi præstitum, quam tantæ Ecclesiæ administratio?

Iuramentum nō est tanti, quanti est Ecclesiæ administratio.

Ad hæc, ignorata conscientia debuit te quam tutissimum facere ad imponendam prælationem, ut eo magis relinqueres iuramentum, quo minus conscientias nosti, ne forte ad periurium eum cogeres. Gaudendum tibi fuit, hanc tibi a Christo relictam libertatem, ut possis eis oues committere, quorum corda nō nosti. Nunc per iuramentum secreta exploras, aut in periculum fratem adducis, quorum utrunq; grauissimum est. Idq; sine causa, nec propter Deum, sed propter fidelitatem Romanæ Ecclesiæ.

Demum, Si ignorantia est causa iuramenti, Sequitur, Si scires conscientiam, male te ea egisse iuramentum. At cum quisq; de quolibet debeat optima præsumere, & charitatis sit omnia credere, hęc ipsa fides de fratris bonitate

Quisq; de quolibet debet præsumere optima.

bonitate, certior est omni scientia, quod etiamsi scires, diu scire non possis, credere autem semper possis. Vltimo, Nunquid post iuramentum nosti eius conscientiam? Cur ergo non toto tempore tibi iurat, qui toto tempore causas iuramenti tibi præstat?

Hæc dixi, ut uideamus, quid sit uerbo Dei nolle cedere, & Scripturas suo sensui aptare. Quomodo ergo sperem apud Romanos Pontifices esse ius interpretandæ Scripturæ, qui tam manifeste Scripturas in alieno sensu tractant? Vel, quid non obtineant in terra Romani Pontifices? quid non audeant eorum nomine adulatores, si hæc persuasio eorum nos cœperit & euerterit, non licere scilicet eorum dicta cum iudicio legere, & eis solis interpretandæ Scripturæ iura concessa esse. Tunc enim (ut Augustini uerbo utar) uere sine periculo primatus huius in Ecclesia luditur, sed mirum, si non Deo & nobis illuditur. Absit, absit, ista plus quam Babylonica captiuitas. *Pontificum adulatores.*

Sequitur nunc oppositorum dissolutio.

Aiunt, omne iusiurandum a Domino in Euangelio esse prohibitum, nec ab Apostolis post Dominum, nec in Concilijs inueniri posse statutum.

His ictibus insuperabilibus prostratus quid dicat, audiamus. Quid est ergo, quod Dominus subsequenter ait: Quod amplius est, à malo est? hoc enim amplius, ut exigamus malum, nos illo permittente compellit. *Matt. 5.* Quod Christus prohibet & negat, hic affirmat & præcipit. Christus dicit: Quod amplius est, à malo est, id est, non debet fieri. Loquitur enim de pronitate iurandi, sine necessitate fratris, hoc est, de libidine iurandi, Sicut Mulierem concupiscere prohibuit, qui tamen debitum coniugibus reddendum non prohibuit. Ita libidinem iurandi, non iuramentum debitum prohibuit. Hic dicit, hoc amplius cogit nos, id est, fieri omnino oportet. Sed audiamus hoc malum, quod nullus in uerbis Euangelij cogitauit unquam. *Christus libidinem iurandi prohibet.*

Nonne malum est, inquit, ab Ecclesiæ unitate & a Sedis apostolicæ obedientia resilire, & contra canonum statuta prorumpere, quod multi etiam post præstitum sacramentum præsumpserunt? Ego putabam, quod hoc malum esset interpretaturus, non diligere Christum, non pascere oues, & harum solicitudine exemplo Christi torqueri ad iuramenti exactionem. Verum, hæc Christus à Petro requirat, hodie curandum, ne ab obedientia sedis apostolicæ resiliant Episcopi.

Tunc ego, Episcopus meus nondum quidquam illorum malorum fecit, ut quid ergo exigis iuramentum? An quod ignoras eum non facturum? Cur non in omni præcepto Dei exigis iuramentum? cur hic te non compellit malum? an non est malum à præceptis Dei resilire? Quin Ecclesiam reples, non nisi iuramentis. Si autem in Dei præceptis tam patiens es, ut te tot mala, quæ in prospectu dominantur, etiam in domesticis tuis, ad iuramentum non compellunt, Quomodo in tuis præceptis, mala, nec præsentia, nec forte unquam futura, te compellunt? Nonne perspicuum est, quod amor sui, quo magis sese ornat, magis seipsum prodit? Prorsus nulla reliqua est ratio, quin si in tuis præceptis iuramenta exigas pro tuo commodo, multo magis exigas pro Dei commodo, aut si hic non facis, non sine culpa ibi facis. *Amor sui.*

Habes ergo malum, quod Romani Pontifices in Euangelio intelligunt, quod est suspicio mala de fratribus bonis, Nam transgressiones mandatorum Dei, an malæ sint, alij uiderint. O oculus ambitionis & auaritiæ.

RESOL. D. M. L. SVPER PROPOSIT. SEQVITVR.

HOc nimirum malo ac necessitate compellimur iuramentum pro fide, pro obedientia, pro unitate requirere. Nunquid etiam pro fide Christi, pro obedientia Dei, pro unitate fratrum? Non, sed hoc unum Ecclesiæ bonum & necessarium est, ut Roma secure dominetur, & cæteræ omnes seruiant captiuitatem.

Bonum & necessarium Ecclesiæ.

Proinde Christiani in India, adhuc magno malo laborant, ita suspicio pessima de optimis fratribus est causa exigendi iuramenti, quam tamen non habent in præceptis Dei, in quibus præsumunt omnia seruari.

Etiam hic unitatem Ecclesię, fidem & obedientiam Romanæ Ecclesiæ intelligit, Non fidem, spem, charitatem, sacramenta, uerbum, & cætera, quæ eadem sunt, Sed hoc singulare, quod nulli Ecclesiæ conuenire uolunt, nisi suæ, & tamen unitatem uocant. Sola Romana Ecclesia hoc habet hodie uel summum bonum, & tamen cæteræ omnes in eo ipso conueniunt, quod non habent, & fiunt unum in re non communi, sed singularissima & uni homini tributa, Sic enim discenda sunt noua uocabula nostris temporibus in Scripturis & Ecclesia Dei. Quanto rectius Cyprianus unitatem hanc charitatem intellexit, sicut & Christus rogauit, Iohan. 17. Vt sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus, unum, inquit, in nobis, non in ecclesia Romana.

Cyprianus unitatē hanc charitatē intellexit. *Iohan. 17.*

IN FINE.

De Concilijs.

AIunt in Concilijs non inueniri statutum, quasi Romanæ ecclesiæ, legem ullam præfixerint, Cum omnia Concilia per Romanæ ecclesiæ autoritatem & facta sint, & robur acceperint. Et in eorum statutis, patenter excipiatur Romani Pontificis autoritas.

Nicenum Conciliū, non est autoritate Romanæ Ecclesiæ coactum.

Quis hæc ferat, quæso? Nunquid Nicenum Concilium robur accepit, aut factum est autoritate Romanæ ecclesiæ? Nunquid & multa alia per Augustinum & olim Cyprianum in Aphrica habita? Denique, etiamsi statuta exciperent Romanum Pontificem, tamen ipse debet nolle excipi, pro ædificatione Ecclesiæ. Hic autem gloriatur se nemini quidquam debere, ut & Deus ei nihil debeat.

Panormitanus Archiepiscopus.

Ego sane Archiepiscopo Panormitano nō tam duro et fragoso plenoque contentionis & rumoris respondissem sermone, quo furor & odium suscitatur, sed dixissem: Sustine Frater interim, res magna est, tua solius gratia, hæc tam subito cassare, quæ nos non statuimus. Sic enim pax & charitas aleretur, At ista Decretalis meram superbiam, & præfractam fiduciam spirat.

ADijciamus & alteram Decretalem, quo firmius probemus, Non esse solis Pontificibus Romanis ius interpretandi sacras literas, nec oportere captiuos esse Christianos in eorum uerba, sed cum libero iudicio omnia eorum legenda.

Imperator Constantinopolitanus, obiecit Romano Pontifici uerbum Petri Subditi estote omni humanæ creaturæ.

De maioritate & obedientia c. solitæ, ubi, cum Imperator Constantinopolitanus obiecisset Romano Pontifici uerbum Petri, Subditi estote omni humanæ creaturæ &c. quo uoluit Patriarcham Constantinopolitanum sibi inferiorem facere. Respondet Innocentius III. siue quisquis fuerit, familiaris eius Scriba, prorsus ignarus sacrarum literarum, dicens:

Verum, si personam loquentis, & eorum ad quos loquebatur, ac uim locutionis attendisses diligentius, talem scribentis non expressisses intellectum.

Vide

VIde, quæso, Pastorem hunc ouium Christi, qui interpretaturus uerbum Dei, parat personarum differentias afferre, cum uerbum Dei nihil æque impugnet, atque respectum personarum. Non est enim acceptio personarum apud Deum, sed quidquid præcipit, omnibus præcipit, magnis & paruis. Sed age, uideamus, quam loquentis personam hic nouus aduehat Scripturæ interpres. *Deus quidquid præcipit, omnibus præcipit.*

Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad meritum humilitatis prouocabat.

SIc habes loquentis personam, & eorum ad quos scripsit, id est, maioris & minoris, Deinde uim locutionis, quæ est, prouocatio ad meritum humilitatis. Hæc ille.

Principio, quid noui, quæso hæc affert interpretatio? Quis unquam præcipit alijs, aut docet alios, quam subditos suos? Quid ergo necessaria est distinctio personarum, ad intelligendum hunc solum locum Petri, præ cæteris eiusdem, & omnium Doctorum scripturis? An in cæteris, subditi docent maiores, discipuli magistrum, gentes Apostolum? Verum, sic oportet loqui, ne taceant, qui uel pessimam causam tuentur, uel ignari sunt literarum sacrarum. Fallit autem hunc Locutorem, quod uerba Petri, interim arbitratur esse iuris sui humani, in quibus aliquando maiores statuunt pro inferiorum salute, quæ ipsos non tangunt. Atque hoc nimirum est, quod ex diuino præcepto Petri, nobis consilium facit, dicens; Eum prouocasse subditos ad humilitatem, uidelicet non præcepisse, nec consuluisse, sed tanquam ad humilitatis supererogatum (ut uocant) meritum prouocasse. Hanc scilicet uim in locutione Dei, inueniunt Pastores ouium, cum Petrus præcipiat, præceptum diuinum & necessarium addens: Sic est uoluntas Dei. *Notarij error.*

Sequamur tamen sensum eius, qui est, hac locutionis ui distinctis personis, non Petrum, non successores eius, non rectores in Ecclesia, sed subditos tantum prouocari ad subiectionem. Videamus quid sequatur. *Sensus Innocentij.*

Primo, Petrus & Pontifices sunt exempti à præcepto Dei, non decet eos obedire Deo, sed solos subditos. Et cum ius seu uerbum diuinum omnibus præfigatur, magnis & paruis, nullumque sinat exceptum, Notarius tamen Papæ, potestatem habet excipere, quos uolet. Ita uides, per Decretales extingui Euangelium, per uerbum hominis tolli uerbum Dei, Et hoc monstrũ adoramus Christiani in Ecclesia Christi, pro uerbo Dei. Quis, quæso, non uratur? *Per uerbum humanum tollitur diuinum.*

Quis autem ita insaniret alius, ut Petrum hanc subiectionem subditis imposuisse sua autoritate crederet, quo se ipse ab eodem præcepto eximeret? Hoc si fecit, aliud docuit uerbo, & aliud monstrauit exemplo, hoc est, destruxit quę docuit. An oportet subditos Petri & non successores esse subiectos Cæsari, ipsos uero contrario exemplo idem eisdem dissuadere? An non Petrus fuit subditus potestatibus, sicut docuit? Non fuit Christus sub Cæsare? Nonne omnes Apostoli & Sancti? An Romano Pontifici non licet prouocari ad meritum humilitatis? Huic soli licet erigi in peccatum superbiæ? Itaque aliud iam Pontifices sunt, quam Christiani, quoniam lex Christianorum eos non ligat. Alio eunt ipsi, alio eorum subditi, alio Pastores, alio oues, alio duces, alio greges, noua certe ratione, ducendi, pascendi, regendi. Non iam dicant, uenite, sed, ite, non præcedant, sed tantummodo dimittant populum in mandatis Dei.

Quod si in hoc loco ista sapientia ualet, ualebit & in omni alio præcepto Petri, ubi docet fidem Christi, euacuabiturque uniuersa autoritas Petri, quia ubique dicetur, Hoc subditis præcepisse, non sibi nec Successoribus,

quandoquidem, non nisi subditis loqui potuit. Dicamus ergo & hic: Si loquentis personam attendisses, & eorum ad quos loquitur, non ita exposuisses intellectum eius. Quia loquitur subditis suis, & eos ad meritum fidei, spei & charitatis prouocat, seipsum & nos exemptos uoluit. Et recte, sic enim hodie attendunt diligentissime Romani loquentis sui Petri personã, ut eis licere nihil eorum seruare, quæ ille locutus est, intelligant, ne Christo quidẽ credere, & Christianos esse ac uiuere, ut reiecto uerbo Christiano Petri, digni fiant hac Decretali Christiani, Qualis lex, talis & populus.

Expende Romanẽsem morem.

Qualis sacerdos, talis populus.

Vbi ergo manebit, quod in omnibus, quæ docentur in sacris literis, oportet primos esse Pontifices, & lucem mundi, ut uideantur eorum opera ab hominibus? Quid, si subditi dicant: Aliud nec facere nec debere possumus, quam à Pastoribus nostris fieri uidemus? Vbi tunc manebit uerbum Petri? ubi tunc eorum persona, ad quos loquitur? Quando subditi maiorem causam habent illud reijciendi, eo ipso, quo uident, ipsum non modo non seruari, sed etiam reijci ab his, quorum exemplo uiuere debent. Vix me contineo, ne Decretalem hanc impijssimam & peruersissimam dicam blasphemiam.

Sed iam cognita & persona loquentis & audientis, & ui locutionis, prosequamur, quomodo hæc exequatur.

Nam si per hoc, quod dixit, Subditi estote, sacerdotibus uoluit iugum subiectionis imponere, & eius prælationis autoritatem auferre, quibus eos subiectos esse monebat, Sequeretur ex hoc etiam, Quod seruus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur, omni humanæ creaturæ.

Quam amarum uerbum, Subditi estote, unde & repetit, quam potest odiosius, appellans iugum subiectionis, contra autoritatem prælationis, & serui imperium uelut querulans. Deinde, monebat (inquit) exhorrens præcepti uocabulum, aliud nihil spirans, quam ne cogatur subesse ulli hominum, sed ut liceat omnibus præesse, aut saltem, ut consilium ex præcepto faciat.

Quale autem est inconueniens, Esse sacerdotem subiectum seruo? Nonne Christus in medio omnium uenit ministrari, & formam serui accepit? An hæc prouocatio ad meritum humilitatis non nisi ad subditos Christi pertinet, cuius Romani Pontifices nolunt esse subditi? Christus iussit nouissimo loco sedere, Et Petrus omnes iubet insinuare humilitatem, Et Paulus: Superiores inuicem arbitrantes, & honore præuenientes, Verum, hæc subditis suis dixerunt personæ loquentium, & alia secutæ sunt.

Christus iubet nouißimo loco sedere.

Quanquam de hac subiectione Petrus hoc loco non loquatur, quæ mutua humilitate spiritus in Christianis regnat, sed de ea, qua subijciebantur prophanis Magistratibus, Præsidibus, Iudicibus, quos potestas Romani imperij ordinauerat. Hanc enim constitutionem uocat Petrus creaturam humanam, quod per homines creentur hi Magistratus. At hic Decretalista, nec uocabula Scripturæ intelligit, & audet eam interpretari. Esse autem creaturam humanam (id quod dixi) potuisset intelligere (si tam sensum Petri, quam suam ambitionem quæsiuisset) ex mox sequentibus, ubi Petrus distribuens per singula, quæ in collectione dixerat, seipsum exponit, Omni, inquam, creaturæ, siue Regi, siue Ducibus, Q. d. Ideo dixi omni creaturæ, & omnibus hominum ordinationibus subijci, ne qui ue-

Creatura humana.

strum se

ftrum se aduersus minores Præsides eleuent, quasi tantummodo Regi ob-temperaturi, sed etiam missis ab eo, date, facite, seruate, quæ danda, facienda, seruanda sunt, Quomodo Rom. 13. Cui honorem, honorem: Cui timorem, timorem: cui tributum, tributum.

Non ergo de creatura Dei loquitur, quam Innocentius in suis opinionibus cogitat, Sed de creatura humana, ut uerba expresse sonant, qualis non est seruus, quem timet imperium accipere super sacerdotes, licet (iuxtà Euangelium) cuiuis seruo nos oporteat submitti, Quin totum hoc uerborum chaos Innocentij, & nihil facit ad rem, & inscitiæ suæ duntaxat testimonia sunt.

SEQVITVR.

Quod autem sequitur, Siue Regi tanquam præcellenti, Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat qui ab eo suscipiunt temporalia.

Hic si quæras, Qua autoritate uerbum Petri sic coartet, & quod omnibus dictum est, ad aliquos duntaxat deprauator aptet. Respondebit: Aliud nihil, quam sic uolumus, nostro uerbo credi fas est, etiam plus quam expresso textui uerborum Dei.

Primum, hic Scriba laborat, ubi non urgetur, & fugit, nemine persequente, scilicet mala fide, & conscientia uexatus. Petrus dicit, Regi subdi debere tanquam præcellenti, id est, qui sit primarius & plus quam Duces ab eo missi. At Decretalista uocabulo, præcellenti, male tactus, timens, ne præcellentiam sonet Imperatoris, super Pontifices, anxie occurrit, & de præcellentia Regis & Pontificis, longe extra sententiam Petri disputat, non aduertens uerbum Petri, qui non modo Regi præcellenti, sed etiam Ducibus ab eo missis obtemperare præcipit, imo, omni creaturæ humanæ, de quibus nihil est sollicitus Decretalista, quia uerbum præcellentiæ in Ducibus, & creatura humana non sonuit terribiliter in auribus eius. Breuiter, ne dictionem unam quidem in Petri hac autoritate intelligit is, quisquis est, Scriptorculus Romanus, & contendit tamen omnes oues Christi docere.

Petri uerba deprauat Decretalista.

SED SEQVAMVR EIVS FVMVM.

Dico, Imperator in temporalibus omnibus præcellit, etiam sacris, idque iure diuino, ut hæc Petri uerba cogunt, Tamen, quia in arbitrio eius est, & sunt creaturæ humanæ, potest hanc præcellentiam ipse sponte uel retinere, uel dimittere, & in utroque habet ius diuinum. Sic à Constantini tempore, non autoritate Pontificum, sed Imperatorum, creaturis humanis data est libertas, personis & rebus ecclesiasticorum, nec potest ad hoc ullus respondere aliud quod ualeat. Vnde, si Imperator uel Duces rursum hæc reuocent, quæ sua autoritate donarunt, non potest eis resisti sine peccato & impietate. Quare nihil hic facit deprauator, duntaxat eos Imperatori subijciens, qui temporalia eb eo suscipiunt, aperte & temere uerbum Dei Petri discerpens.

Autoritate Imperatorũ data libertas personis & rebus ecclesiasticorum.

A quo rogo, habet ipse temporalia? A diabolo, uel rapina? Et ubi est, quod supra dixit, Personam loquentis attendendam, quod Petrus hæc scripserit suis subditis? Qui sunt Petri subditi? An soli Laici? Cur ergo omnes oues Christi sibi commissas in Petro iactat? Ergo omnes oues Christi, id est, omnes subditi Papæ siue Laici, siue Clerici, ac per hoc, & ipse Dux ac Pastor, & Arietes gregis, subditi sunt Imperatori & Ducibus. Sic

Omnes, siue Laici, siue Clerici, sunt subditi Imperatori.

enim ipsiusmet Decretalistæ huius uerba sibi collata cogunt. Aut ergo non nisi Clerici sunt oues Christi, Petro commissi, aut Clerici subditi sunt Imperatori simul cum Laicis, quia omnes Petro subditi, subduntur à Petro Imperatori & Ducibus.

Sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt digniora, quanto anima præstat corpori.

Et cur hic non additur, Duntaxat illos, qui spiritualia ab eo suscipiunt? Nempe, quod in temporalibus excellere uult, ne Imperatori ulla parte cogatur subdi, quem Petrus in totum subdit Imperatori, Ita cogitur sacrum & tremendum uerbum Dei postremo loco sedere, & nostris affectibus cedere. Sed dicito.

An Petrus ignorabat spiritualia præcellere temporalibus? Cur ergo seipsum & omnes subijcit temporalibus administrationibus? Verum illud longe suauius. Subditi Petri & Papæ sunt spirituales, ideo non subditi Imperatori, Ex quo sequitur, quod Laici, quia spirituales non sunt, nec subditi Petri, non sint oues Christi, quia has omnes Petro subiecit. Cum autem Petrus (hoc autore Decretalista) suis subditis hæc scripserit, sequens erit, solos Clericos debere, & nullos Laicos, subesse Imperatori, Aut, quod maxime horrent, non omnes oues Christi per mundum, sub Petro sunt, aut omnes subditos esse oportet æqualiter spirituales, si omnes oues & subditi sunt Petro, ac per hoc distinctio ista temporalium & spiritualium prorsus corruit.

Quid aliud mereatur, qui sacras literas humanis traditionibus tractare & contaminare audet, quam ut in hæc monstra confusionis & contradictionis ruat? Non ergo alij sunt subditi Papæ & Imperatoris, nisi quantum donauit Imperatoris constitutio & creatura. Hoc uerbo Petri & iure diuino omnes subijcimur gladio & potestati mundanæ, Sicut & Rom. 13. & Tit. 3. scribitur: Omnis (inquit) anima potestatibus sublimioribus subdita sit, Non sine causa gladium portat, ministra Dei est, tibi in bonum. Credo, qui omnis anima dixit, nec animam Pontificis, nec suam ipsius exceperit. Sed perpendamus singula, ut uideamus Scripturæ sacræ interpretationem Romanam hodiernam.

Omnes subijciuntur gladio iure diuino &c.

1. Pet. 2. Roma. 13. Tit. 3.

SI spiritualia temporalibus præcellunt, quanto anima corpori, ideoq; spiritualia non licet subdi temporalibus, Omnis autem homo habet animam, id est, spirituale, Ergo nullus homo alteri subdatur, nec oues Christi Petro, cum Petrus sit homo sicut & illi. Paulus dicit: Omnis anima subdita sit, quæ utiq; spiritualis est. An Christus non erat spiritualis, quando cum Petro soluit Cęsari didrachmum? An Pontifices excepit, quando dixit: Date, quæ Cæsaris sunt Cæsari.

Matt. 17. & 22.

At hoc Syllogismo concludemus: Quod magis spirituale fuerit, præcellat minus spirituale, Tum Virgo sancta ancilla, dominabitur impio Pontifici, & pannosus mendicus Imperatori. Obsecro, quæ tandem hinc ludibria sequentur? Hoc sane uerum, in uerbo & sacramento tradendo, (hæc enim sunt spiritualia) Pontifices sunt super omnes. Verum, in temporalibus rebus, officijs, tributo, censu, uectigali, & omnibus oneribus temporalis reipublicæ prorsus Pontifices & Clerici sunt magistratibus subiecti iure diuino, nec exempti, nisi beneficio huius humanæ creaturæ.

In uerbo & sacramento tradendo, Romanus Pontifex excellit omnes.

Quod si dixerit: Spiritualia non intelligo personas ipsas, nam uolumus omnes oues Christi, nobis esse subiectas & spirituales, Sed res ipsas spirituales, ut per temporalia, res temporales. Respōdeo: Tuo laqueo te capio. Si

Quid per spiritualia intelligat.

pio. Si Imperatori tribuis temporalium omnium potestatem, cur ergo tua temporalia subtrahis, & non uis subdita? Et quod maius est, & inæstimabile monstrum, cur tu Imperia, Regna, Dominia, tenes, aufers, confers, transfers? Cur his te misces? Est hoc Imperatori temporalia permittere, & tibi spiritualia seruare?

Quid hic dicent omnes Decretalistæ, nisi quod tam ex uerbis quam operibus suis cognoscuntur, ceu ex folijs & fructibus se nescire, quid sit, uel temporale, uel spirituale, imo amissis spiritualibus, solum temporalia amare, ut præcellentiam, opulentiam, uoluptatem. Si enim Imperator excellit in temporalibus, non debet ea spiritualis Pontifex usurpare, sed subdita illi relinquere, tributum de eis pendere Imperatori & Ducibus, ac reipublicæ temporali per illa seruire, quoties fuerint requisiti. *Decretalistæ.*

Licet non simpliciter dictum fuerit: Subditi estote, sed additum fuit: Propter Deum.

Quid hoc? An iterum consilium fiet ex præcepto? an non simpliciter persona loquentis attendenda est? an non simpliciter subditos suos Petrus prouocauit ad humilitatem? Non simpliciter Imperator præcellit in temporalibus? O miserum & anxium effugium, imo deploranda inscicia, quę nondum, quid propter Deum uelit, accipit. Petri sensus planus est, ut statim se ipse exponit, Quia (inquit) sic est uoluntas Dei, ideo scilicet propter Deum subdi debere, non, quia illi mereantur magistratus, sed quia Deus ita uoluit. At Decretator forte conatur hoc uerbo, non necessariam esse subiectionem eiusmodi docere, quasi Petrus indebitos obsecrarit, meriti uidelicet humilitatis causa. Væ tibi, qui uerbum Dei saluberrimum tam audacter corrumpis, miserrime Decretator. *Pet. 2.* *Decretator.*

Nec pure sit scriptum, Regi præcellenti, sed interpositum fuit, forsan non sine causa, tanquam.

TOt mendacium eget fucis, ut uerum saltem uideatur, quam misere torquetur hic fugax Autor, ut Dei præceptum illudat. Si hoc, tanquam, minuit ueritatem, uel Regis, uel præcepti, cur superius non similiter dixit: Subditi estote tanquam omni humanæ creaturæ? Cur præcipit subdi sine tanquam? Cur non dixit: Estote tanquam subditi, simulantes subiectionem, sicut ille simulat Regem, tanquam sit Rex? Insulsior est ista glossa, quam ut mereatur refutari. Petrus uult, hoc, tanquam, rationalem esse coniunctionem, ostendens, quare sit subdendum, Quia, inquit, præcellit, & quia Duces missi sunt ab eo, Hoc est, ipsa præcellentia & potestas, quia Deo uolente geritur, est causa, quare propter Deum subdi ei debeatis. *Mendacium eget multis fucis &c.* *Tanquam.*

Pet. 2. Quod autem sequitur, ad uindictam malorum, laudem uero bonorum, intelligendum non est, quod Rex uel Imperator super bonos & malos acceperit gladij potestatem, sed in eos solummodo, qui utentes gladio, eius sunt iurisdictioni commissi.

O Necessariam Romanæ Curiæ & Cleri licentiæ impunitissimæ glosam. Hic sane opus erat oculos intendere, hic ulcus tangebatur, sed frustra. Iterum, hic cum suo duntaxat prodit, uerbum Dei generale torquens in partem populi Christi. Quare & nos eadem absurda, pro uerbo Dei, contra uanitatem hanc reducamus. Et quæramus, An omnes oues Christi sint Petro subditæ? & an ad suos subditos hæc scripserit?

& an

& an alij sint subditi Petri & Regis? hæc enim tria, necesse est, confiteatur uera, ut ex prædictis patet.

Quare, si suis subditis hæc scripsit, & hi alij sunt à subditis Imperatoris, gladij potestas, uerbo Petri, solum super Clericos, in uindictam malorum, & laudem bonorum ualebit, eruntq; exempti omnes & soli Laici, Cur ergo contraria uidemus fieri, adeo, ut Clericos tradant seculari foro, non nisi exutos clericatu? Sin omnes sunt subditi Petro, & ad omnes hęc scripsit, qui sunt oues Christi. Ergo, uel Clerici gladio exempti, non sunt oues Christi, uel hæc deprauatio & distinctio uerborum Petri, prorsus impia & ueritati aduersa est.

Deniq;, hæc glosa id præstabit, ut iam nulla sit potestas gladij, quandoquidem Pontifici totum orbem subijciunt, subiecti uero ei, non sunt sub Imperatoris iurisdictione, Nisi noua & humanitus instituta iurisdictio, Clericos solos eximat, ac Laicos illic relinquat. Sed hoc non est uerbum Petri exponere, qui omnes gladio subijcit, qui sibi subiecti sunt. Ita pugnant leges hominum, cum lege Dei. Quare nullus est exemptus à potestate gladij, siue Laicus, siue Clerus, nisi quantum ipsa potestas gladij donauit ac permisit. Sicut olim hæretici tempore Augustini puniebantur potestate gladij, & etiam nunc per ignem. Quod nullo modo liceret fieri, si ecclesiastica iurisdictio esset iuris diuini, ea scilicet, qua exempti sunt Clerici à gladij potestate. Et sicut hodie habet clericalis status, melius esset, sublatis exemptionibus, rursum gladio subijci, iuxta præceptum Petri & Pauli, omnes Cleros, ut punirentur, tunc Ecclesia melius haberet, timore gladij, peccatis cohercitis, Nunc autem suis legibus impune aluntur in omne malum.

Hæretici potestate gladij puniti.

Potest autem potestas gladij Clero gratuito concedere suum rigorem. Verum, si id nollet facere, non posset cogi, nec ullis Pontificum decretis impediri. Non enim habent potestatem gladij cohercendi, quem Deus dedit solus. Nec uerum est, quod in manu Papæ sit iubere gladium eximi, uel condi, libera est potestas gladij à Deo collata, sicut & supra dixit, quod in temporalibus eam habeat Imperator, Vbi in omnibus dicere debuit, Adeo non potuit omnino negare, gladium non esse in sua manu.

Potestas gladij.

Potuisses autem prærogatiuam sacerdotij ex eo potius intelligere, quod dictum est, non a quolibet, sed a Deo, non Regi, sed sacerdoti, non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti. De sacerdotibus uidelicet, qui erant in Anatoth, Ecce constitui te super Gentes & Regna, ut euellas & dissipes, ædifices & plantes. *Ierem. 1.*

Quid hoc? An non est a Deo dictum, quod Petrus & Paulus dixerunt: Subditi estote? Non est sacerdotibus dictum, non est omnibus dictum, quando Paulus dicit: Omnis anima? *Rom. 13.*

Quid si Imperator dicat: Ego duos Apostolos primos pro me habeo, quibus plus credendum est, quam Ieremiæ, eo quod illi ueritatem reuelatam noui Testamenti, iste more prophetico occultatam locutus est? Ideo nihil probatur contra me. Quid hic dicetur? Sed adde, si hæc uera sunt: Ergo Ieremias est summus Pontifex, Quandoquidem hunc eius titulum soli Ro. Pontifices arrogant, quod constituti sunt super gentes & regna.

Petrus. Paulus. Ieremias.

Igitur de Propheta & opere Prophetæ locutus est Deus, nihil de præcellentia sacerdotali. Non est alia præcellentia in Ecclesia, quam uerbi ministerium, quod bene saluum manet, si sacerdotes in omnibus temporalibus subiecti sint potestati gladij, sicut fuit in Christo & Apostolis, & primoribus Episcopis.

Præcellentia in Ecclesia.

Deniq;

Denique, cur non euellit, dissipat, aedificat, plantat, si hoc ad se pertinere putat? Non sunt dignitatis & praecellentiae, sed laboris & officij uerba, quae hic ponuntur. Et ubi fuit summus sacerdos in lege, si Ieremias hoc uerbo, Sacerdos constituitur super gentes & regna, super quae ille non erat constitutus. Vbi est & illud quoque, quod Pontificem in spiritualibus duntaxat praecellere dixit, partitus cum Caesare imperium, si super gentes & regna constitutus est, ad hunc sensum? *Ieremiae uerba nõ dignitatis, sed laboris.*

Praeterea nosse debueras, quod fecit Deus duo Luminaria magna in firmamento coeli, luminare maius, ut praeesset diei, & luminare minus, ut praeesset nocti, Vtrunque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur coeli, id est, uniuersalis Ecclesiae, fecit Deus duo luminaria magna, id est, instituit duas dignitates, quae sunt pontificalis autoritas & regalis potestas, Sed illa, quae praeest diebus, id est, spiritualibus, maior est, Quae uero carnalibus, minor. Et quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia agnoscitur. *Duo Luminaria magna in firmamento coeli.*

A quo cognoscitur? a glosa hoc textu dignissima, quae dicit, Papam quadragesies septies esse maiorem Rege, Adeo certi sibi sunt de mensura utriusque magnitudinis, & solis & Pontificis. Nisi quod hic magna quaestio oritur, Quomodo in ueteri lege Reges erant super Pontifices, nisi tunc non fuisse Ecclesiam, id est, firmamentum coeli, credendum sit, quando una Ecclesia Dei est, ab origine mundi ad finem usque. Sed esto, Ecclesiam Christianam intelligat. Quid dicet? Quis certiores nos faciet, Sol nouum an ueterem sacerdotem significet? Siquidem allegoria dubia est, & nihil probat, Imo qua ratione compescetur Imperator, si suam potestatem dicat intelligi per Solem maius lumen, ut cui subiecta per Pauli uerbum sit omnis anima, quantumlibet spiritualis? *Papa quadragesies septies maior Caesare.* *Rom. 13.*

Quid? quod hac ratione sequitur, Iulium, Augustum, & alios gentiles Imperatores fuisse in Ecclesia, quia fuerunt minus lumen Ecclesiae, a Deo factum? Et quod festiuius est, Iulius & Augustus erant minus lumen, antequam fieret firmamentum, id est, Ecclesia, imo antequam Christus nasceretur, caput & autor huius firmamenti, Sed & uniuersalis Ecclesia diu fuit sine isto maiori luminari, & etiamnum est in Graecia & India, illi forte adhuc in tenebris sunt, licet in firmamento coeli sint. *Iulius, Augustus.* *Festiua elisio*

Dolendum sane istis ludicris & nugis, uerba Dei in res (ut putant) tam serias stabiliendas deformare. Facessant laruae, figura nihil probat. Deinde, allegoria horum uerborum est haec. Sol est Christus. Luna Ecclesia. Coeli Apostoli. Stellae Sancti. Potestas Imperatoris nihil pertinet ad Ecclesiam, non magis quam quaecunque res mundi. *Sol. Luna. Coeli. Stellae.*

Nobis autem commissae sunt oues Christi, in B. Petro, dicente Domino: Pasce oues meas, Non distinguens inter has oues & alias, ut alienum a suo ouili demonstraret, qui Petrum & Successores ipsius, Magistros non recognosceret & Pastores.

HOc sane necessarium erat addere, quo ambitio aperte ostenderetur. Quis autem hanc glosam accipiet? quo neruo firmabitur? quando dicis, non distinguens inter has & alias: Cuius oues Paulus pascebat & alij Apostoli? suas? Cur non potius dicendum, quod non distinxerit inter

inter Petrum & alios Pastores, cum impossibile fuerit, ab uno Petro pasci omnes. Sin per alium potest pascere, quid refert & oues posse per alium audire? Vbi tunc erunt tam Pastor quam oues? Siccine uerbum Dei licet ludere?

Omnes oues pasci à Petro, impoßibile

Cur autem, qui hoc uerbum, pasce, ad se solos pertinere putant, non eunt in Turcas? imo cur non in Bohemos saltem? Verum, quid hoc laboro? Cur non pauit hic Paschalis hunc Decretalistam, & suam Curiam, ut uerba Christi recte intelligeret, pro animæ cibo, & non tam misere contaminaret? An in Turcia & Bohemia non sunt animæ pascendæ? An solum pastas sibi credit commissas? Cur ergo Petrus non contentus pastis à Christo ouibus, ipse per totum mundum pascendas & docendas quæsiuit? Cur, inquam, pascere sibi usurpant, & tamen non faciunt? nisi quod cupiunt nos scire, quid intelligant per uerbum, pascere, quoties illi ad se oues pertinere iactant, scilicet dominari, in ocio tondere oues, meraque tyrannide in Ecclesia præualere?

Pascere.

Error itaque est, alienum esse ab ouili Christi, qui Petrum & successores ipsius non recognoscit Pastores & Magistros. Primum, quod ipsi nec pascunt, nec regunt, Alioqui iam omnes Christiani essent alieni à Christo, quod nullus eorum uideat, etiamsi quam maxime uelit Pastores & Magistros Romanos Pontifices. Vident autem eos, & recognoscunt dominantes & pompantes, & tamen hac recognitione non magis sunt de ouili Christi, sed pene eijciuntur per uim, tam efficacia sunt eorum scandala. Deinde, quia satis est, Paulum, imo quemuis sacerdotem recognoscere Pastorem & Magistrum, ubi ubi fuerit. Hic enim pascit & regit, Illi uero pastas solum tondent & mactant. Sed satis hæc, ne uidear studio reprehendendi hæc moliri, cum aliud non quæram, quam ut illis os obstruam, qui nobis Scripturarum intellectum liberrimum à Christo datum, captiuare audent in sensum & uerbum hominum Pontificum, Volentes de uerbis Dei iudicare secundum uerbum hominum, Cum contra uerba hominum iudicanda sint secundum uerbum Dei, quod iudicat omnia.

Ad tertium, ad Rationes.

VBi illud primum tractandum, Quod Decreta, quibus primatus Ecclesiæ Romanæ probari à me dicitur, dixi intra quadringentos annos nata, & contra hoc esse Historias mille & centum annorum.

Primo, sciebam hæc offensura, & manifestissime omnium falsa uideri omnibus. Certum est enim, esse Decretis Romanorum Pontificum, ante mille annos certatum pro hoc Primatu.

Ego autem hoc spectaui, quod Romana Ecclesia nunquam fuit, nec est, nec erit unquam super omnes totius orbis Ecclesias, licet super plurimas sit. Nec enim fuit unquam super Græciæ, Aphricæ, Asiæ Ecclesias, nec eorum Episcopos confirmauit, sicut modo nostros confirmat, ut satis probant historiæ. Deinde sunt sine dubio Christiani in Oriente, cum Christi regnum sit orbis terrarum, iuxta Psal. 2. & tamen Episcopi eorum non instituuntur, non confirmantur è Roma, nec est necessarium. *Psal. 2.*

Romana Ecclesia non est superior alijs:

Deinde ab hoc tempore cœperunt multiplicari leges & iura. Nam Gregorius IX. Bonifacius VIII. Clemens V. nisi consarcinassent, & alias recisas, alias additas Epistolas, scholis legendas ac docendas tradidissent, sine dubio, tot maria glossarum, & infœlicissimum Iuris studium non essent. Delituissent autem tam Decreta, quam Decretales magno Ecclesiæ lucro, & Euangelij cõmodo, intra arcas Romani Pontificis, Nunc autem

Quo tempore cœperint multiplicari leges & iura Rom. Pontif.

autem quæ sit facies Ecclesiæ uigore istarum legum, plus satis uidemus. Nec hoc satis, indies augescunt eiusmodi libri, & tamen nihil faciunt, nisi quod plures animabus laqueos ponunt. Inde Dispensationum, confessionalium, indultorum, exemptionum turpissimæ nundinæ. Inde Episcopatuum, sacerdotiorum, officiorum, palliorum, annatarum rapinæ, & uenditiones impudentissimæ. Inde censuræ, minæ, fulmina, uis, fraus, dolus, & infinita monstra, Quorum nullum, aut saltem rarum esset, si Epistolæ eiusmodi, sicut oportuit, intra annales & regestas mansissent sepositæ, & Euangelio in publico locum reliquissent.

Quæ monstra nata ex Rom. legibus.

Proinde traditiones Romanas nunquam ita sensit mundus, ut in annis istis quadringentis. Ideo totum eorum pondus & omnem uim Gregorio IX. tribuendum existimo, per quem uelut natæ sunt & ortæ. Ab hoc enim usus eorum robur accepit, & inualuit, ut legibus istis & traditionibus ita sint omnium officia, statuta Ecclesiæ, ordines, in unum chaos confusa, intra istos quadringentos annos, ut Babylone ipsa confusior sit hodierna Ecclesia. Nemo in suo ordine incedit, quilibet sibi ex Vrbe legem emit, qua uiuat, Ille exemptus, iste priuilegiatus, iste familiaris, iste officialis, iste nescio quo titulo, omnes libertatem quidlibet essendi, faciendi, audendi habent per has Romanas leges.

Gregorius IX.

Hodierna Ecclesia, confusior ipsa Babylone.

Nec Romæ aliud curatur, quam ut hac Ecclesiæ summa calamitate roboretur potestas & dominatio sua in omni indiuiduo suo sola. Et hunc Ecclesiæ occasum, si quando gemimus, si dolemus, si querulamur, Hæretici sumus, irreuerentes in Romanam Ecclesiam sumus, scandalosi, seditiosi, procaces sumus. Quia uidelicet querulari non possumus, nisi Romani Pontificis, tum iura, tum potestatem, imo tantas iniurias populi Dei simul tangamus. Nam hic fons est, aut seruandæ aut perdendæ Ecclesiæ. Cum autem hodie omnia sint in Vrbe inquinatissima & corruptissima, & agentibus impiissimis adulatoribus, de ipsis nihil liceat uel mutire, nisi quod portenta ista laudet, iustificet, glorificet. Quid mirum, si sub uenerabili Romanæ Ecclesiæ nomine, tot mala inundauerint in omnem Ecclesiam pleno impetu, & præcipiti, cui nemo resistere possit, gurgite.

In Vrbe omnia corruptissima.

Denique, eodem deuenit legum Romanarum studium, & Euangelij neglectus, ut necesse habuerint, statuere in Concilio nouissimo, Animam hominis esse immortalem. Quid, putas, hoc decretum indicat?

Decretum de immortalitate animæ

Itaque unusquisque in suo sensu abundet, mihi Decretorum autores sunt, Gregorius IX. Bonifacius VIII. Clemens V. & Extrauagantium Pontifices. Quod his agentibus, in publicum sparsa & præcepta sunt, & omnia stabilita. Quæ si instar Epistolarum Gregorij, Augustini, Hieronymi, Bernardi, & aliorum, uel in Bibliothecis, uel arcis, pro cuiusque arbitrio consulenda, citra ullum præceptum, relicta fuissent, fœlicior esset Ecclesia. Nunc uero, quando summis articulis fidei æquantur, ab adulatoribus autem & præferantur, fructum illarum habemus, ordinis Ecclesiastici confusionem, conscientiarum horrendas carnificinas, Euangelij ignorantiam, scelerum impunitissimam licentiam, adulatorum Romanensium odiosissimam tyrannidem, donec id meruerint, ut sub uasto cœlo non sit nomen odiosius & graueolentius nomine Romanę Curiæ.

Decreta Pontificũ summis articulis fidei nõ solum æquata, sed prælata Ecclesiæ statum perdiderunt.

Ex his credo intelligi, me non fuisse tam crassæ ignorantiæ, ut nescirem longe ante quadringẽtos annos Decreta Romani Pontificis nata. Alioqui quomodo certos quadringentos annos, & non plus aus minus potuissem recitare? quomodo iudicare quod essent frigidissima? quomodo historias allegare? quomodo textum Scripturæ contrarium asserere? nisi diligentissime omnia perlegissem & contulissem? Ex his inditijs uolui na-

suto Lectori satisfactum, ut me non sine causa sic posuisse cognosceret, nec ignorantia, sed de industria sic locutum fuisse, Simul, ut insidiosæ & adulatoriæ propositioni Eccij per omnia par referrem.

Qui cum adstruxisset, ante tempora Syluestri, Romanam Ecclesiam fuisse alijs superiorem, & ego persuasissimum haberem, Eccium non esse tam impudentem, ut publice mentiretur, nec tam ignarum Historiarum, ut hæc uera crederet, insidias suspicatus sum, ut qui morem Sophistarum & lubricitates istorum Proteorum probe callerem, Qui si uolent, falsum facient uerum, & uerum mutent in falsum, cum interim in alijs eum loquendi rigorem exigant, ut nec uerba Dei tuta coram eis sint. Proinde, uolui animosiorem, ac ante diem triumphabundum reddere, sicut ipse me formidabundum nisus est facere.

CVm ergo mihi satis esse potuerit, quod Scripturæ sanctæ autoritas mecum est, qua probatur Primatus ecclesiasticus iure diuino nullus esse; Tamen, ne solus & solas Scripturas iactare uidear, iam & aliorum Sententias audiamus cum Rationibus.

Hieronymus ad Euagrium.

Primus est D. Hieronymus in Epistola ad Euagrium, sic scribens: Legimus in Isaia: Fatuus fatua loquitur. Audio quendam in tantam erupisse uecordiam, ut Diaconos Presbyteris anteferat. Nam cum Apostolus perspicue doceat, eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos, quid patitur mensarum & uiduarum minister, ut super eos tumidus se efferat, ad quorum preces corpus & sanguis Christi conficitur? Quæris autoritatem? Audi testimonium, Paulus & Timotheus serui Ihesu Christi, omnibus Sanctis, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis. *Philip. 1.*

Vis & aliud Exemplum? In Act. Apostolorum, ad unius Ecclesiæ sacerdotes ita Paulus loquitur: Attendite uobis & uniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit Episcopos, ut regatis Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ac ne quos contentiose in una Ecclesia plures fuisse Episcopos contendat, audiat aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, eundem esse Episcopum atque Presbyterum: Propter hoc reliqui te Cretæ, ut quæ deerant, corrigeres, & constitueres Episcopos per ciuitates, sicut tibi mandaui, Si quis est sine crimine, unius uxoris uir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem. Et ad Timot. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, & per impositionem manuum Presbyteri. Sed & Petrus 1. Pet. 5. Presbyteros, qui in uobis sunt, precor ego Conpresbyter & testis passionum Christi, & futuræ, quæ reuelanda est, gloriæ particeps, Regite gregem Christi, & inspicite non ex necessitate, sed uoluntate, iuxta Deum. Quod quidem græce significantius dicitur Επισκοποῦντες, unde & nomen Episcopi tractum est.

Act. 20. *Idem Episcopus qui Presbyter.* *Tit. 1.* *1. Tim. 1.* *Petrus Conpresbyter &c.* *1. Pet. 5.*

Iohannes. Presbyter.

Parua tibi uidentur tantorum testimonia uirorum? Clangat tuba euangelica, filius tonitrui, quem Ihesus plurimum amauit, qui de pectore Saluatoris, doctrinarum fluenta potauit. Presbyter electæ Dominæ & filijs eius, quos ego diligo in ueritate. Et alia Epistola, Presbyter Gaio charissimo, quem ego in ueritate diligo.

Episcopus electus.

Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in remedium schismatis factum est, ne unusquisque ad se trahens, Ecclesiam Christi rumperet. Nam & Alexandriæ à Marco Euangelista, usque ad Heraclã & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper ex se unum eligebant, & in excelsiore gradu collocabant, quem Episcopum nominabant. Quomodo si exercitus sibi Imperatorem faciat, Diaconi autem eligant de se, quem industrium nouerint, & Archidiaconum nuncupent. Quid enim facit, excepta

ordinatio

ordinatione Episcopus, quod Presbyter non facit? Nec altera Romanæ urbis Ecclesia, altera totius orbis æstimanda est. Et Galliæ & Britanniæ, Nam & Aphrica, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ Nationes unum Christum adorant, unam obseruant regulam ueritatis. Si autem autoritas quæritur, Orbis maior est urbe, Vbicunque Episcopus fuerit, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Regij, siue Alexandriæ, siue Thanis, eiusdem meriti est, & eiusdem sacerdotij, potentia diuitiarum, & humilitatis, paupertatis, uel sublimiorem uel inferiorem facit. Cæterum omnes Apostolorum successores sunt. Hæc D. Hieronymus.

Non alia urbis, alia orbis Ecclesia.

Nihil de mutatione temporum loquor, nihil de iure positiuo. Hoc contendo, Si unus Episcopus iure diuino cæteris præfertur, manifeste hic Hieronymus hæresim docet, non solum ipse (nam ei non crederem) sed Petrus, Paulus, Iohannes, Lucas, quos inducit irrefragabiles autores. Quis, quæso, his resistet? Cur adulator negat Romanum Pontificem cæteris esse Coepiscopum, cum primus Petrus se Conpresbyterum appellet? Si successores sunt Petri, quid erubescunt titulum sui prædecessoris? Si nomen superbissimum, sanctissimi, summi, maximi Pontificis hæreditant ex recentioribus, Cur non nomen Conpresbyteri & Coepiscopi à primo? Obsecro, an Petrus, Paulus, Iohannes, Lucas, & omnes Apostoli ignorauerunt, quid uerbum Christi sibi uoluerit: Tu es Petrus, &: Tibi dabo claues, &: Pasce oues meas, quod non exinde Petro primatum diuinitus datum obseruarunt.

1. Pet. 5.

Pontifices erubescunt titulum Petri sui prædecessoris.

Si me omnino hæreticum clamant, qui omnia quæ uolunt tribuo Romano Pontifici, solum ne autoritate Scripturæ, id est, mendaciter facere cogar, parcant S. Hieronymo tantis autoribus munito. Proclamat ille longe impudentius, Episcopos, potentia diuitiarum & humilitate paupertatis inuicem esse, uel sublimiores uel inferiores. Ego consensu fidelium & decretis hominum id adstruo. Cur non hunc irreuerentem, blasphemum, seditiosum, bis septies comburunt hæreticæ prauitatis prauissimi Inquisitores? Sinant me cum Hieronymo interim sapere, Sinant cum Paulo, Petro, Iohanne, Luca sentire. Si hoc non est satis, age, comburant sua Decreta primum. Nam hæc Epistola recitatur in Decretis, distin. xcij. c. legimus, legitur, auditur, docetur, approbatur hæc ab uniuersis in Ecclesia Romana. Cur ego unus prohibeor dicere & sentire, quod ipsimet omnes dicunt, sentiunt, iubentque sentire?

Hieronymus non modo Episcopos æquat inter se, sed & Presbyteros Episcopis comparat, alterum ætatis, alterum officij nomen esse pronuncians. Ego longe reuerentius locutus, nihil peto, nisi ut contra hanc ueritatem non cogar Scripturas & uerbum Dei illudere. Sit Romanus Pontifex quidquid uoluerit, Modo autoritate Scripturæ id non adstruant, sed & Scripturas eorum sensui aptari patiar, Modo ne hunc esse germanum & solum sensum contendant. Sat ergo est, quod frigidissimis Decretis primatus asseritur, qui feruentissimis Dei uerbis negatur. Sed audiamus iterum eundem, in commentario super Epistolam ad Titum.

Hieronymus Presbyteros Episcopis comparat.

D. Hieronymus in commentarijs Epistolæ ad Titum.

IDem est ergo Presbyter qui Episcopus, & antequam Diaboli instinctu, studia in religione fierent, & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephe, communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam uero unusquisque eos, quos baptisarat, suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Pres-

byteris electus superponeretur, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putat aliquis, non scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & Presbyterum unum esse, & aliud ætatis, & aliud esse nomen officij, relegat Apostoli ad Philippenses uerba, & cætera, quæ supra in Epistola ad Euagrium induxit. Et in fine. Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos, Ita Episcopi nouerint se magis consuetudine, quam dispensationis diuinæ ueritate Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.

Presbyter ætatis, Episcopus officij nomen est.

Philip. 1.

Vide ergo, an Propositio mea male uel bene dixerit, Esse contra Scripturarum textum, Romanam Ecclesiam esse alijs superiorem, cum etiam sit contra ipsa Decreta. Nam & hęc B. Hieronymi uerba recitantur distin. xcv. c. Olim. Atq; si non tibi approbarentur, tamen quia solidis pugnant diuinæ Scripturæ armis, etiamsi totus mundus & Angelus de cœlo contradixerint, nihil dixerint. Atq; ita satis puto & probatam nostram Propositionem, & dissoluta omnia argumenta, quæ uel fingi contraria possunt. Stat sententia, non dispensationis diuinæ ueritate, sed Ecclesiæ consuetudine, Episcopos esse maiores Presbyteris.

Gal. 1.

ADdo tertium Decretum eadem distin. xcv. c. Episcopus, Episcopus in quolibet loco sedens, stare Presbyterum non patiatur. Et iterum alio c. Episcopus, Episcopus in Ecclesia in consessu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum uero collegam Presbyterorum se esse cognoscat. Hæc ibidem esse Decreta Concilij Carthaginensis quarti dicuntur, Quæ certe hæretica sunt, scandalosa & seditiosa (ut uocant) si Episcopi iure diuino Presbyteris sublimiores sunt, quos esse collegas Episcoporum statuunt, multo magis, si unus Episcopus cæteris sublimior est. Deleant ergo primum sua Decreta, quæ nos cogunt discere, ut quid damnant in nobis, quod ipsi nos docent?

Patet itaq; re ipsa æquales Episcopos inter se & Presbyteros, solo usu & Ecclesiæ causa, alium alij præferendum. Ex quo ulterius sequitur, Si primatus Romani Pontificis uergere incipiat in Ecclesiæ detrimentum, omnino tollendus est de Ecclesia, quia humana iura & consuetudines pro Ecclesia seruire debent, non contra Ecclesiam militare. Quod si non fiat, iam coram Deo, traditio hominum irrita facit mandata Dei. Quare uide, quam tenui pendeat filo, Romanorum adulatorum tyrannis, quæ seipsam autoritate diuina conata stabilire, seipsam penitus ea ratione subuertit.

Cyprianus.

Huc & Cyprianum uoco, quem & B. Augustinus allegat lib. 2. c. 2. de Baptismo, dicentem: Neq; enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit. Quando habet omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tanquam ab alio iudicari non possit, quomodo nec ipse potest alterum iudicare, sed expectemus uniuersi iudicium Domini nostri Ihesu Christi. Hic gloriosus Martyr palam confitetur tyrannidem esse, ab uno Episcopo alios cogi ad obedientiam. At hanc tyrannidem, uelut iusticiam, pene omnes Decretalium syllabæ, & statuunt & seruant, tanquam diuinam autoritatem. Deinde mirum est, quod B. Augustinus non redarguit Cyprianum à se allegatum, si sensit eum contra ius diuinum loqui, sed potius cum eo sentit, omnes scilicet esse Episcopos æquales.

Omnes Christiani æquales.

SED VIDEAMVS ET ALIA.

Idem Cyprianus libro Epistolarum primo, Epistola quarta, ad Fœlicem

Fœlicem Presbyterum, probaturus diuinis testimonijs, quod in potestate non Episcoprum, sed plebis, maxime sit eligere aut recusare Episcopos, dicit, Propter quod Plebs obsequens dominicis præceptis, & Deum metuens, à peccatore Præposito separare se debet, nec se ad sacrilegi Sacerdotis sacrificia miscere, quando ipsa maxime habeat potestatem, uel eligendi dignos sacerdotes, uel indignos recusandi. Quod & ipsum uidemus de diuina autoritate descendere, ut sacerdos plebe præsente, sub omnium oculis deligatur, & dignus atq; idoneus, publico iudicio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Mosi præcepit Dominus, dicens: Præhende Aaron fratrem tuum & Eleazarum filium eius, & impones eos in montem coram omni Synagoga, & exue Aaron stolam eius, & indue Eleazarum filium eius, & Aaron appositus moriatur illic. Coram omni Synagoga iubet Deus constitui sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes sacerdotales, non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, uel detegantur malorum crimina, uel bonorum merita prædicentur, Et sit ordinatio iusta & legitima, quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata.

Plebs habet potestatem eligendi aut recusandi Episcopos.

Act. 1. Quod postea secundum diuina magisteria obseruatur in Act. Apostolorum, Quando de ordinando in locum Iudæ Episcopo, Petrus ad plebem loquitur: Surrexit, inquit, Petrus in medio discipulorum, Fuit autem turba in uno. Nec hoc in Episcoporum tantum & Sacerdotum, sed in Diaconorum ordinatione obseruasse Apostolos animaduertimus, de quo & ipso in Act. Apostolorum scriptum est, Et conuocauerunt, inquit, illi duodecim, totam plebem Discipulorum, & dixerunt eis: Quod utiq; idcirco tam diligenter & caute conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium, uel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. *Act. 6.*

Ritus eligendi Episcopi.

Propter quod diligenter & diuina traditione & apostolica obseruatione seruandum est & tenendum, quod apud nos quoq; & fere per prouincias uniuersas tenetur, ut ad ordinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi eiusdem Prouinciæ propinqui quiq; conueniant, & Episcopus deligatur plebe presente, que singulorum uitam plenissime nouit. Quod & apud uos factum uidemus, in Sabini nostri Collegæ ordinatione, ut de uniuersæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in præsentiam conuenerant, qui de eo ad uos literas fecerant, iudicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur.

Hunc ritum & per multas alias Epistolas idem Cyprianus commemorat, semper suffragium populi, & iudicium propinquorum Episcoporum ita allegans, ut hanc ex Deo ordinationem esse cum fiducia pronunciet.

Suffragio populi, & iudicio propinquorum Episcoporum, Episcopus eligebatur.

Qui ritus, quid sit ad eum, qui hodie ex Vrbe petitur, in quo nō modo exclusus est populus, sed nec Sacerdotum electio satis est, alijs relinquo. Nec referre est necesse, quanto fœlicius hodie is ritus diuinus seruaretur, præsertim, tot sacerdotibus malis regnantibus, & inuito populo impositis, Nam uidemus per Romanam Curiam, per gratias suas expectatiuas, passim in mundum etiam intrudi sacerdotes. Transeant hæc. Hoc queror, quod hunc ritum sacratissimum & uetustum, iuriq; diuino per omnia conformem, hi nostri hæreticum & damnatum haberi uolunt, præ ritu suo recentiore, cum certum omnibus sit, S. Nicolaum, S. Martinum, S. Augustinum, S. Ambrosium, omnesq; priscos Patres eo modo fuisse ordinatos. Sit itaq; ritus hodiernus, qualis esse potest, modo Romanum Pontificem non iure diuino id posse putemus, ne tot seculorum Sanctos & Martyres contra ius diuinum egisse damnemus.

Gregorius. I.

GRegorius I. lib. 4. Registro. Epistola. 32. licet per autoritates illas: Pasce oues meas. &: Tu es Petrus &c. Petro Apostolorum Principi totius Ecclesiæ curam à Domino commissam dicat: Tamen in hac cura nullum Episcopum ei successorem patitur, Sed nec Petrum Apostolum uniuersalem appellari dicit, scribens ita Mauricio Augusto de Iohanne Constantinopolitano. Cura totius Ecclesiæ & principatus Petro committitur, & tamen uniuersalis Apostolus non uocatur. Et uir sanctissimus consacerdos meus, uocari uniuersalis Episcopus conatur. Exclamare compellor, ò tempora, ò mores. Et infra: Si nomen illud in Ecclesia sibi quisquam arripit. Vniuersa ergo Ecclesia (quod absit) à statu suo corruit, quando is, qui appellatur uniuersalis, cadit. Sed absit à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.

Vniuersalis Episcopus.

Ecce habes, quod blasphemiæ nomen sit, uniuersalis Episcopus. Quid putas, de nomine summi, maximi, sanctissimi dixisset?

Chalcedonensis Synodus.

Sequitur: Certe pro B. Petri Apostolorum Principis honore, per uenerandam Chalcedonensem synodum, Romano Pontifici oblatum est, sed nullus eorum unquam hoc singularitatis uocabulum assumpsit, nec uti consensit, ne dum priuatum aliquid daretur uni, honore debito priuarentur sacerdotes uniuersi.

Seruus seruorum.

Perspicuum est, hunc Gregorium, qui se cunctorum sacerdotum seruum potius quam Dominum uocat, & seruum seruorum Dei, non credidisse solum Romanum Pontificem Petri successorem esse, ut qui abhorreat princeps sacerdotum & Episcoporum dici, cum illum principem Apostolorum dicat.

Idem in sequenti Epistola ad Constantiam, eundem Iohannem Lucifero comparat, dicens: Quia illum uidelicet imitatur, qui spretis sociali gaudio Angelorum legionibus, ad culmen conatus est singularitatis erumpere.

Gregorius Romanus Pontifex.

Idem Epistola 36. ad Eulogium Alexandrinum & Anastasium Antiochenum Episcopos, Sicut nouit ueneranda sanctitas uestra, per sanctam Chalcedonensem Synodum, Pontifici sedis apostolicæ (cui Deo disponente deseruio) hoc uniuersitatis nomen oblatum est. Sed nullus unquam prædecessorum meorum hoc tam prophano uocabulo uti consensit. Quia uidelicet, si unus Patriarcha uniuersalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à Christiana mente, id sibi uelle quempiam arripere, unde Fratrum suorum honorem imminuere, ex quantulacunque parte uideatur. Sed nonne, si ius diuinum est primatus Papæ, tam ipsi Pontifices Romani hæretici fuerunt, quam Concilium. Illi, quod ius diuinum non apsumpserunt, sed conculcauerunt, Hoc, quod obtulit, quæ non erant sui iuris offerre.

Et infra de eodem, Vniuersa tentat sibi adscribere, & omnia membra, quæ soli uni Capiti cohærent (uidelicet Christo) per elationem pompatici sermonis, eiusdem Christi sibi studet subiugare. Obsecro, quid mereretur, qui hodie sic loqueretur.? hic Gregorius Romanus Pontifex persequitur tanquam prophanum, quod nostri statuunt, quasi sit ius diuinum.

Ego sum Pauli etc.

Et Episto 38. ad ipsumet Iohannem Episcopum prædicta iterans, & copiosius explicans dicit: Certe Paulus Apostolus cum audiret quosdam dicere: Ego sum Pauli, ego Apollo, ego uero Cephe, hanc dilacerationẽ corporis dominici, per quam membra eius alijs se capitibus quodammodo sociabant, uehementissime perhorrescens exclamauit & dixit: Nunquid

Paulus

Paulus pro uobis crucifixus est? aut in Pauli nomine baptizati estis? Si ergo ille membra dominici corporis certis extra Christum, quasi capitibus & ipsis quidem Apostolis subijci particulariter euitauit: Tu, quid Christo uniuersalis sanctæ Ecclesiæ capiti in extremi iudicij es dicturus examine, qui cuncta eius membra tibimet conaris Vniuersalis appellatione supponere? At nonne & hoc summo impetu faciunt, & conantur, o Gregori, tui successores?

Et infra, certe Petrus Apostolus primum membrum S. & uniuersalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Iohannes, quid aliud, quam singularium sunt plebium capita, & tamen sub uno capite omnes sunt membra Ecclesiæ. Sed hæc satis.

AVdiamus iam ipsum caput omnium, Quid super huius Monarchiæ statu definierit. Nam hic præscius futurorum, quæstionem hanc primus omnium, & dedita opera, dissoluit, & tot adhuc seculis super ea certatur, quasi uerba Christi fumus sint, & inanis fabula.

Luc. 22. Dicitur itaq; Luc. 22. Facta est autem contentio, quis eorum uideretur esse maior, Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eas, benefici uocantur, uos autem non sic, Sed qui maior est uestrum, fiat sicut minor. Et qui præcessor est, sicut ministrator. Et exemplum suum subiungit. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio uestrum sum, sicut qui ministrat. *Reges gentium dominantur eis.*

Vides, quod Christus aperte pronunciat esse Reges gentium, non Pontifices, qui uolunt esse maiores. Et potestatem illam mundanam (id est, sine uerbo & dilectione) prorsus damnat. Verum ego credo, quandoquidem Ecclesiam necesse fuit semper à gentibus opprimi, ut Ezech. 4. dicit: In medio gentium posui eam. Et Psal. 110. Dominare in medio inimicorum tuorum. Ideo quando desunt gentes aliæ ut Scriptura impleatur, in Ecclesia Reges gentiles fieri oportuisse, & potestate dominante super Ecclesia tyrannisare, diligendi & docendi officio, ad alios translato. *Reges gentium.* Ezech. 4. Psal. 110.

Item, Marci 10. Vbi filij Zebedæi ad potestatem aspirarunt, ut unus ad dexteram et alius ad sinistram sederet, acceperunt sane responsum dignum, scilicet, ut calicem biberent, nec tamen certi, ubi sessuri essent. Hanc ambitionis infirmitatem, quid mirum est in Pontificibus quoq; Romanis fuisse, quantumlibet sanctis, etiam Martyribus, quando in Apostolis eam Christus pertulit? Deniq; cum illi duo Apostoli hac arrogantia cæteris indignationem commouissent, & iterum oriretur contentio de maioritate. Ihesus conuocans eos, dixit eis: Scitis, quia hi qui uidentur gentibus principari, dominantur eis, & principes eorum habent potestatem eorum. Non autem ita est in uobis, sed quicunq; uoluerit fieri maior, erit uester minister, Et quicunq; uoluerit in uobis primus esse, erit omnium seruus (iterum exemplum sui addit) Nam & filius hominis non uenit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & animam suam daret redemptionem pro multis. Quis autem nō uideat, quod hoc ministeriū nec Pontifices nec eorum adulatores quærunt, sed potestatem solam? Quia Christum ministratoren arduum est imitari. *Filii Zebedei Mar. 10.* *Ambitionis infirmitatē pertulit Christus in Apostolis &c.*

Item eiusdem 9. Et uenerunt, Capernanum, qui cum domi essent, interrogabat eos: Quid in uia tractabatis? At illi tacebant, Siquidem in uia inter se disputauerant, quis eorum maior esset. Et residens, uocauit duodecim, & ait illis: Si quis uult primus esse, erit omnium nouissimus & omnium minister. Et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum, quem cum complexus esset, ait illis: Quisquis unum receperit in nomine meo, me recipit. *Primus in regno cœlorum fit omniū nouißimus.*

Eadem Lucas 9. Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Ihesus uidens cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis: Quicunque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit, & quicunque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter uos omnes, hic maior est. Item Matt. 18. In illa hora accesserunt ad Ihesum Discipuli, dicentes: Quis, putas, maior est in regno cælorum? Et adduocans Ihesus paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Quicunque humiliauerit se, sicut paruulus iste, hic maior est in regno cœlorum. *Luc. 9.* *Matt. 18.*

Nunc uide, quantis uerbis, quot Exemplis, quanta diligentia Christus præuenerit & prohibuerit ambitionem illam, quam tanto tumore iactant Decreta & Decretales, ac ita repetunt & inculcant, ac si hoc sit pascere populum Christi, quod est potestatem iactare, & ambire. Non ergo potestas, sed seruitus imponitur Episcopis. Quis autem non libens patietur eos seruire, si uellent.

Non potestas, sed seruitus imponitur Episcopis.

Vnde meo iudicio, sicut Apostoli usque ad finem uitæ Christi, contenderunt, nec tot Exemplis & uerbis Christi ab humana ista affectione temperarunt, & tamen nullum permisit obtinere primatum, donec omnes dispersi eum relinquerent, Ita in Ecclesia tot iam seculis contenditur de primatu probibito, nec auditur Christus interim tot uocibus resistens, nec ulli obtinere permittens, donec forte & ipsi adueniente Antichristo, dispergantur, & Christum negent.

Nam Apostoli primum hæc pulchre seruabant, quando Iacobum minorem Episcopum Hierosolymis constituerunt, & Petrus, Iacobus ac Iohannes à se, suos primatus reiecerunt. Post illos autem mox tam Christi quam Apostolorum exemplo neglecto, sine fine contendunt, non pro uerbo, quo plus doceant, sed quo latius mandare, ligare, soluere, & lucrari queant, sic enim & nos infirmitates Pontificum, non sine multis scandalis ferre cogimur, propter Christum. Si enim iuris diuini erat primatus Petri, impijssime fecit una cum Iohanne & Iacobo, quod minorem Iacobum sibi Episcopum prætulerunt in Ecclesia Hierosolymitana, cuius omnes erant membra, Vnde & Paulus Gala. 2. Iacobum præfert Petro, in censendis columnis Ecclesiæ. *Gala. 2.*

Nunc ex Historijs & Rationibus.

1. Apostoli omnes æqualiter uocati & instituti Act. 15.

PRima est ipsa Act. Apostolorum, ubi Petrus æqualis scribitur cæteris Apostolis, denique sui sermonis c. 15. confirmationem à loco accepit. Deinde, nullum Apostolorum ipse ordinauit, nec ullus sub ipso fuit. Quomodo ergo successor Petri omnium Apostolorum successores sub se habere potest, Quid, quæso, ad hæc dici ab ullo potest? Item Matthiam nec ipse nec omnes simul ausi sunt in Apostolum ordinare, sed ex Deo postularunt tantum. Quod est euidentissimum argumentum, nullum Apostolorum alteri fuisse prælatum, sed a solo Deo, quemlibet cæteris æqualiter uocatum & institutum.

2. Petrus à Paulo reprehensus Gala. 2.

Secunda, Gala. 2. Antiochiæ Petrus a Paulo reprehendebatur, in quo patet, Romanum Pontificem subesse cuilibet melius sentienti. Nec ideo uerum esse, aut bonum, quia ipse sic dicit aut facit, sed rationē reddere tenetur, imo non semper potest reddere, sed aliquando cum Petro errat.

3. Victor I. Ro. Pon. Irenæus Episcopus Lugdunensis. Anicetus. Polycarpus.

Tertia, ecclesiastica historia lib. 5. Victor I. Romanus Pontifex Asiæ Episcopos uoluit excommunicare, Redargutus autem est non à Paulo, sed ab Ireneo Lugdunensi, & cohercitus etiam à cæteris omnibus, monitus & iussus pacem habere, & Ecclesiam non conturbare, quibus, sicut decuit, cessit. Item ibidem, Anicetus quoque cessit Polycarpo, Smyrneo Epi-

neo Episcopo, nec eum cogere potuit, in sua decreta. Item historia tripar. lib. 4. Iulius primus conatus prohibere, ne citra suam autoritatem Concilium cogerent orientales Episcopi, inaniter egit, quia nihil illi hoc curarunt & acutissime ei rescripserunt.

Quarta, Romanum Pontificem esse omnibus superiorem humano decreto sancitum est, nempe constantini. IIII. Græcorum Imperatoris, ut scribit Platina in Benedicto 2. nec sic tamen obseruatum Episcopis aliis. 4. *Platina in Benedicto.*

Quinta, Nunquid Cyprianum & Augustinum, aliosque Affricæ Episcopos confirmauit Papa, qui tamen de latina Ecclesia erant? Nunquid eorum Concilia impediuit? aut conciliabula fuerunt, quia sine Romani Pontificis autoritate gesta sunt, ut in eorum libris clare habetur. 5.

Sexta, Quando Alexandrinum, Antiochenum, Hierosolymitanum, & alios Aegypti, Arabiæ, Syriæ, Asiæ, totiusque Orientis Episcopos instituit? Hi omnes ergo hæretici fuerunt? Absit. 6.

Septima, nec hodie sub Romano Pontifice sunt, qui in Perside, India, Schytia, totoque Oriente sunt. An putas nullos ibi esse Christianos? & regnum Christi in Romam coactū, cuius sunt omnes fines terræ? Psal. 2. & 21. An non sunt Episcopi, quia non induunt uestes, non habent palatia, equos, aliasque pompas Romanas? Sufficit, quod uerbum Dei docent, quod diligunt ac pascunt. Quia sic nec Apostolos confiteberis Episcopos fuisse, si faciem rerum, non res ipsas contemplari cœperis. Imo eo meliores Episcopi, quo à laruis facierum remotiores, & eo minus Episcopi, quo propiores. 7. *Regnum Christi*

Octaua, Scribit Hieronymus de illustribus uiris, quod Achatius Episcopus Cæsariensis discipulus Eusebij Pamphili, imperante Constantio, Liberium Papam deposuerit, & Fœlicem constituerit. Item, Iohannem Chrysostomum non Romanus Pontifex, sed Theophilus Alexandrinus & Epiphanius Cypri Episcopi (ut in tripart.) deposuerunt. Idem Epiphanius Cypri minor Episcopus Iohanne Hierosolymitano Episcopo, eundem excommunicauit, & pœnituit communicasse cum illo, ut D. Hieronymus scribit contra eundem. Et si Historias consideres, quomodo nunc Imperatores Papam, nunc contra, Papam Imperatores, Item, Papa Episcopos, & Episcopi Papam mutarint, statuerint, deposuerint, credas te Iliada quandam uidere, Nec mirum, quia Christum non audierunt, ambitiones prohibentem, ideo toties colliduntur & turbantur. 8. *Achatius. Liberius. Fœlix.*

Nona, Quid ad hoc dicemus? Vera ne est illa sententia, quam tota Ecclesia, omnia etiam Decreta, omnes Doctores tenent, Esse uidelicet Episcopos Apostolorum successores, ut dist. xxi. in nouo. Si est falsa, quid iactatur tanta autoritate? Si uera, Quomodo solus Romanus Pontifex est successor unius Apostoli Petri, & cæteri omnes Romani Pontificis sunt subditi? Cur non & alij Apostoli habent successores? Num fuerunt cæteri Apostoli successores unius Petri? Cur cæteris Apostolis aufertur sua gloria, & tribuitur soli Petro? Cur non quilibet Episcopi habent, quod Apostoli eorum habuerunt, cum Romanus habeat, quod Petrus suus prædecessor habuerit? Muta ergo uerbum, & dic, Quod Episcopi sunt Apostolorum successores, sed unus Episcopus Romanus, est unius Apostoli successor. Ista ratio, fateor, nisi ego sum insensatior trunco, cogit, & omnium obstruit os, Esse Episcopos omnes æquales, & sicut Romanus Pontifex à nemine ordinatur, ita quilibet per solam electionem, sicut 9. *Episcopi successores Apostolorum. Episcopi omnes æquales.*

nem, sicut ipse ordinari debet, iure diuino. Stat enim firma sententia, Nullum Apostolorum à Petro missum esse, sed omnes eadem à Christo Domino æqualia accepisse in suas sortes. Ergo eorum Episcopi successores, æqualia habent cum Romano Pontifice, excepta prærogatiua honoris seu dignitatis, sicut Paulus ad Corint. clare scribit, Quid enim minus feci à magnis Apostolis?

10. *Ecclesia primitiua non oppressa tyrannide Papæ.*

Decima, Responde, Si Romanus Pontifex præcepto Dei est Vicarius generalis in tota Ecclesia, sequitur ineuitabile peccare eos, imo esse hæreticos, qui non sub eo fuerint. At tunc Ecclesia tota primitiua, saltem usque ad quadringentos annos cum tot Martyribus & Sanctis, hæretici erunt. Obsecro, quid prodest tantam blasphemiam in Ecclesia pro fumidæ potestatis pompa statuere? Denique etiam S. Petrus erit hæreticus, qui ante Romanam Ecclesiam cum Apostolis fuit Hierosolymis. Vincit me hæc ratio inuicta.

11. *Ecclesia Hierosolymitana potius mater aliarum, quam Romana.*

Vndecima, Si ulla Ecclesia est prima, & mater omnium, non est alia nisi Hierosolymitana, ut dixi supra. Quid enim faceret Roma, si haberet hæc pro se, quæ habet illa? Nempe, quod Isaias & Michæas, & omnes Prophetæ pronunciarint, de Zion exituram legem Euangelij, & de Ierusalem uerbum Domini. Item, quod Dominus ibi dedit gloriam in domo sua nouissima, ut Haggeus dicit, Quod Christus ibi Pontifex, Apostoli autem uelut Presbyteri, quod Christus ibi oblatus, Spiritum sanctum misit, Et breuiter, hinc in omnem terram exiuit uerbum Dei, hinc omnes Ecclesiæ. Nec est ullius tam impudens frons, qui possit negare hanc esse uere matrem Ecclesiarum omnium, fontem, radicem ac matricē, etiam Romanæ Ecclesiæ. Vnde li. 9. tripar. c. 14. Episcopi in Concilio Constantinopolitano congregati, significant Damaso Episcopo Romano inter cætera, quæ ordinarant in hunc modum, In matre cunctarum Ecclesiarum Hierosolymis constituta, reuerendissimum & Deo amabilem Cyrillum Episcopum esse significamus, qui regulariter olim à Prouincialibus ordinatus &c. Hic claret matrem omnium Ecclesiarum, tunc habitam Hierosolymitanam, & Concilium fuisse citra Romani Pontificis autoritatem habitum, quod esset hæreticum, si iure diuino niteretur Romani Episcopi potestas. Si ergo hæc non habet primatum, imo uix quintum ei dederunt, quanto minus Romana habet, quæ est eius discipula? Dicat aduersus hæc aliquid qui potest.

Isa. 2. Mich. 4. Hag. 2.

Damasus. Cyrillus.

12. *Concilium Nicenū cōmittit Romano Pontifici suburbanarum Ecclesiarū curam.*

Duodecima, Concilium Nicenum, ut scribitur lib. 16. c. 6. hist. ecclesiast. statuit arti. 6. in hunc modum, Et apud Alexandriam, uel in urbe Roma, uetusta consuetudo seruetur, ut uel ille Aegypti, uel hic suburbanarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat. Responde, Hoc Concilium omnium fere sacerrimum est. Et ecce, non modo non primatum & monarchiam Romano dat Pontifici, sed ex uetusta consuetudine, non iure diuino, tribuit sollicitudinem Italicarum & suburbanarum Ecclesiarum. Atque hæc in Propositione mea tetigi, quando dixi, quod contra frigidissima Decreta staret Decretum huius Concilij.

Si ergo sum hæreticus, Age, tollant primum hoc Concilium, cui me, ipsa quoque Decreta, tanquam Euangelio cogunt obedire, Non possum duobus Dominis seruire contrarijs.

13. *Nicenum Conciliū statuit Episcopos ordinandos à prouincialibus Episco.*

Decimatertia, Idem Nicenum Concilium statuit, non a Romano Episcopo omnes Episcopos ordinari, sed à Prouincialibus Episcopis, dicens: Et ut, si forte in ordinando Episcopo, duo uel tres, pro aliqua contentione dissentiant, reliquorum autoritas, & præcipue Metropolitani, tum cæ-

cum cæteris firmior habeatur. Obsecro, quid amplius facere debeo? Non satis est, quod Romano Pontifici omnia quæ sibi arrogat, libens cedo, debeo insuper probare, quod hæc Decreta sunt contempta & irritata humano unius Episcopi arbitrio?

Decimaquarta, Idem Nicenum Concilium, Episcopo Hierosolymitano, non Romano tribuit honoris primatum, dicens ibidem: Et ut Episcopo Hierosolymorum antiquitus tradita honoris prærogatiua seruetur, manente nihilominus & Metropolitani ipsius prouinciæ dignitate. Doce me, Lector, quid faciendum sit, quando non satis est, me hodierno tempore confiteri, Rom. Pontificem esse primum, nisi mentiar quoq;, & negem alium antiquitus fuisse primum, & tanti Concilij autoritati resistam. Deniq;, in Concilio Niceno primo loco sedisse scribitur Eustachius, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, non Ro. nec Legatus Ro. Episcopi lib. 2. tripar. c.5. quod esset intolerabile hodierno iuri Ro. Episcopi, nec tamē ideo hæreticus fuit, aut Nicenum Concilium contra ius diuinum egit. 14. *Eustachius.*

Decimaquinta, Si Romana Ecclesia est prima propter primum Apostolum Petrum, eadem necessitate confitebimur, & compostellanam Ecclesiam esse secundam propter Apostolum S. Iacobum, & Ephesinam tertiam, propter Apostolum tertium, Iohannem, & sic per ordinem Apostolorum. At iste ordo, nunquid seruatur? Quo iure ergo solus Petrus primam facit Ecclesiam, nisi humano? Cur ergo Constantinopolitana, quæ nullum habet Apostolum, præfertur secundo loco Compostellanæ? Cur Alexandrina, quæ & ipsa nullum habet Apostolum, præfertur Ephesinę? Cur Antiochena sine Apostolo præfertur Edissenæ, quæ Apostolum Thomam habet? Cur Hierosolymitana, his omnibus quinto loco postponitur, quæ Christum, Petrum, Iacobum, Iohannem, Item Iacobum columnas, (ut Paulus Gala. 2. scribit) habuit, & uniuersos Discipulos? Vides, quam sit nulla ratio? quam Christus studiose huius primatus ambitionem præuenerit, & causas eiusdem penitus confuderit. 15. *Ecclesia Compostellana.* *Gala. 2.*

Decimasexta, Si ad solos Petri successores pertinet uerbum Christi: Tu es Petrus, & Pasce oues, pari sequela concludetur. Solius Iohannis successores esse filios Mariæ in cruce commendatos, solos plus cæteris dilectos. Quia hunc solum in cruce allocutus matri commendauit. Ergo ab Ephesinis Episcopis accipiunt cæteri, ut sint filij Ecclesiæ & Mariæ. Item soli successores Iacobi & Iohannis essent filij Tonitrui, & soli successores Iacobi minoris, essent fratres Domini. Et omnino omnium, ad quos Christus semel locutus est, successores, haberent eadem iure diuino. Quo, quid uanius dici potest? 16. *Tu es Petrus.*

Decimaseptima, Si Papa esset iure diuino super omnes fideles Ecclesiæ, nullus posset eum absoluere, nec confitentem audire. Quia quidquid iuris diuini est, immutabile est, nec ulla ratione potest se alteri submittere, & potestatem super se pati, sine iuris diuini iniuria. Non enim potest inferior superior fieri ullo pacto, nisi hominum arbitrio. Ius diuinum stat fixum in eo quod est. 17.

In fine dico, me nescire, an Christiana fides pati posit, in terris aliud caput Ecclesiæ uniuersalis statui, præter Christum. Sunt, qui Christum in Ecclesiam triumphantem reijciunt, ut Romanum Pontificem militantis Ecclesiæ caput constituant, contra expressum Euangelium Matth. ultimo: Ecce ego uobiscum sum, usq; ad consumationem seculi. Et illud Actor. 9. Saule Saule, quid me persequeris? Ideo enim regnum fidei Ecclesia uocatur, quod rex noster non uidetur, sed creditur, Sicut *Matt. ult.* *Ecclesia regnum fidei.*

Sicut 1. Corinth. 15. dicit: Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, Et tunc tradet regnum Deo & Patri. At hi regnum rerum præsentium faciunt, dum uisibile caput erigunt. Nam & mortuo Pontifice, Ecclesia non est sine capite, cur ergo uiuo Pontifice Christus non pro capite solus habetur? An uiuo Pontifici cedit, & mortuo succedit, uelut quidam alternus Pontifex, Si autem & uiuo Pontifice caput est, ut quid duo capita in Ecclesia statuimus?

CONCLVDO.

Totius scripti summa. Omnis Sacerdos in articulo mortis & necessitatis est Episcopus, est Papa, habens plenissimam plenitudinem potestatis super confitentem, ut tenet sententia communis totius Ecclesiæ, & ex B. Cypriani Epistolis euidenter conuincitur. Ergo nec Papa est Episcopis, nec Episcopus est superior Presbyteris iure diuino. Tenet consequentia, quia ius diuinum est immutabile, tam in uita, quam in morte.

FINIS.

Si quid requiris amplius, alibi inuenies.

ET IN TERRA PAX HOMINIBVS BONAE VOLVNTATIS.

VI. CONCIONES

VIRI DEI D. M. L.

I.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Baptismus. RIMO, Nomen, Baptismus, græcum est, latine potest uerti, Mersio, cum immergimus aliquid in aquam, ut totum tegatur aqua.

Et quamuis ille mos iam absoleuerit apud plærosque (neque enim totos demergunt pueros, sed tantum paucula aqua perfundunt) debebant tamen prorsus immergi, & statim retrahi. Id enim etymologia nominis postulare uidetur, Et Germani quoque Baptismum, Tauff, uocant, à profunditate, quam Tieff, illi sua lingua uocant, quod profunde demergi conueniat eos, qui baptizantur.

Et sane

Et sane, si species quid Baptismus significet, idem requiri videbis. Hoc enim significat, ut vetus homo, & natiuitas nostra plena peccatis, quę ex carne & sanguine constat, tota per diuinam gratiam demergatur, Id quod post copiosius indicabimus. Debebat igitur modus baptizandi respondere significationi Baptismi, ut certum ac plenum eius ederet signum. *Significatio Baptismi.*

SEcundo, Est quoq; Baptismus externum signum seu nota, quæ nos discernit ab omnibus alijs hominibus, qui non sunt baptizati, ut cognoscamur, q̄ simus populus nostri ducis Ihesu Christi, sub cuius signis (ea crux est) assidue contra peccata pugnamus. *Baptismus externa nota.*

Tria igitur in hoc Sacramento nobis sunt spectanda, Signum, Significatio signi, & fides. Signum in eo consistit, quod homo in aquam demergitur, in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Non autem in aqua retinetur, sed statim retrahitur. Hinc nostri Germani Catechistam dicunt, de fonte baptismi leuasse puerum, vtemur enim vulgari loquendi consuetudine. Sic ambo illa in signo requiruntur, vt & demergatur puer in aquam, & rursus retrahatur. *Tria in Baptismo consideranda.* *Catechista.*

TERtio, Figura seu significatio Baptismi ea est, vt mortificentur primo peccata, post vt resurgamus per gratiam Dei, vt vetus homo, qui in peccatis conceptus & editus est, totus demergatur, & prodeat nouus homo, renatus per gratiam Dei. *Significatio Baptismi.*

Tit. 3. Sic S. Paulus ad Titum 3. vocat Baptismum lauacrum regenerationis ac *Baptismus est lauacrū regenerationis*
Iohan. 3. renouationis, q̄ in eo lauacro regeneremur & renouemur. Sic Christus quoq; Iohan. 3. dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu (gratiæ scilicet) non potest introire in regnum Dei.

Quemadmodum enim mater illo carnali partu plenum peccatis puerum & iræ filium edit, Ita Baptismus edit spiritualem partum, & regenerat nos, ut iustificati simus filij gratiæ. Sic peccata in Baptismo demerguntur, & emergit pro peccatis iusticia.

QVarto, Porro illa peccatorum demersio & mortificatio non perfecte in hac vita absoluitur, donec hoc mortale corpus pereat, & totum in puluerem abeat. Sacramentum vel signum baptismi, id quod videmus, breui perficitur. Verum significatio eius & spiritualis baptismus, demersio scilicet peccatorum, illa per hanc totam uitam durat, & non nisi in morte perficitur. Tum enim uere demergitur homo in Baptismum, & uere fit hoc, quod Baptismus significat. *Mortificatio peccatorum.*

Non igitur hæc uita aliud est, quam perpetuus Baptismus spiritualis, donec moriamur, & adiudicatur morti is, qui baptizatur. Perinde atq; si dicat Sacerdos, cum baptizat, Ecce tu nihil aliud es quam caro plena peccatis, Demergo itaque te in nomine Dei, & sententiam mortis contra te in eodem Nomine fero, ut tecum omnia peccata tua moriantur & demergantur. Atq; *Baptismus durat per omnem uitam.*
Roma. 6. sic S. Paulus quoque ad Roma. 6. dicit: Sumus cum Christo sepulti in mortem per Baptismum.

Quo igitur citius homo à Baptismo moritur, eo citius Baptismus suus perficitur & absoluitur. Neque enim cessant peccata, q̄ diu hic viuimus, Nam cum toti ex & in peccato simus nati, natura nostra peccatum est. Id q̄ Pro-
Psal. 51. pheta quoq; confimat: Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Nec aliter consuli huic naturæ uicio potest, q̄ per mortem, cum tota vna cum peccatis interit.

Vides igitur Christianam vitam nihil esse aliud, quam initia quædam à Baptismo fœliciter & sancte moriendi, donec hoc corpus intereat. Vult *Vita Christiani.*

LL enim

enim Deus hominem in nouissimo die resurgere, vt tum plane nouus sit.

Spiritualis regeneratio.

QVinto, Quemadmodum autem demersionem in aquam breui perfici uidemus, Ita quoque mox retrahitur ex aqua infans & leuatur. Verum significatio huius, spiritualis scilicet regeneratio, donum gratiæ & iusticiæ, illa in Baptismo quidem incipiunt, non tamen prius perfecte ea consequimur quam moriamur, Imo cum in nouissimo die hæc caro resuscitabitur, tum demum cœptum opus absoluet Deus, & liberi à peccato & morte, alijsque malis resurgemus, & in æternum uiuemus, tam hoc corpore, quam etiam anima purificata, Tum demum pefecte è baptismi fonte leuabimur & renascemur, perpetuo in cœlo uicturi.

Nam hoc, quod demersum infantem ex aqua retrahūt Catechistæ, nihil aliud est, quam si dicant: Ecce iam demersa sunt tua peccata, nos igitur te in nomine Dei excipimus, ut eum, qui iam in æternum & in innocentem migraturus sis uitam. Sic enim Angeli Dei in nouissimo die omnes pios baptizatos Christianos producent, & tum uere hoc fiet, quod & baptismus & Catechistæ significant. Quemadmodum dicit Christus Matth. 24. Emittet Angelos suos, & ipsi congregabunt Electos eius à quatuor ventis, à summis cœlorum usque ad terminos eorum. Matth. 24.

Diluuium typus Baptismi.

SExto, Huius quoque Baptismi typus fuit diluuium illud Noha, quo totus mundus perijt, excepto Noha cum tribus filijs, eorumque vxoribus. Neque enim plures quam octo in arca sunt seruati. Quod igitur homines Diluuio perierunt, significat in Baptismo demergi nostra peccata. Verum, quod octo homines seruantur, cum omni genere animalium, significat per Baptismum hominem saluari. Sicut S. Petrus in prima sua Epistola hanc figuram de Noha exponit. 1. Pet. 3.

Baptismus est diluuium gratiæ.

Porro multo latius patet Baptismus, quam diluuium illud. Nam diluuium, quod Noha temporibus fuit, vnius anni homines perdidit. Baptismus autem adhuc per totum mundum à Christi Baptismo durat, & durabit usque ad nouissimum diem, Et est diluuium gratiæ, sicut illud erat iræ diluuium. Id quod Psalmus quoque 29. prædixit, Dominus diluuium inhabitare facit, Proculdubio enim plures homines Baptizantur, quam illo diluuio perierint. Psal. 29.

Homo à Baptismo qualis.

SEptimo, Ex his igitur colligimus verum esse, quod homo statim a Baptismo sine peccatis sit, & plane innocens. Verum multi sunt, qui hoc non recte intelligunt. Sic enim quidam somniant, cum nullum plane sit reliquum peccatum à baptismo, licere sibi ociosis esse, neque vnquam cogitant de mortificanda illa peccatis plena natura, Id quod multi quoque a confessione solent facere. Recte igitur hæc, vt supra monuimus, sunt accipienda, & sciendum, quod hæc nostra caro, quam diu viuimus, mala sit & plena peccatis, cui non alia ratione potuit consulere Deus, quam si totam refingeret & reformaret. Sicut Ierem. indicat cap. 18. Figulus cum videt aliam esse iam ficti vasis formam, quam ipse velit, redigit in lutum, & refingit (Sic inquit Deus apud Prophetam) Sicut lutum in manu Figuli, sic vos in manu mea estis. Ierem. 18.

Baptismus typus est mortis & resurrectionis &c.

Quia autem primus partus ipsi non probatur, quod sit corruptus, ideo in terram nos denuo per mortem redigit, in nouissimo autem die refinget, vt integri & sine peccatis simus. Hocque consilium inchoat Deus in Baptismo, qui mortis & resurrectionis nouissimi diei est typus. Quantum igitur ad figuram & ad signum Sacramenti attinet, mortua etiam nunc vna cum homine sunt

ne sunt

ne sunt peccata, & resurrexit homo. Verum, quantum ad opus attinet, Sacramenti effectus nondum perfecte est absolutus, hoc est, mors & resurrectio in nouissimo die nondum sunt facta, sed fient.

OCtauo, Homo igitur sacramentaliter ab omnibus peccatis mundus & innocens est, Hoc est, signum diuinum habet, quod significat, ꝙ omnia ipsius peccata mortua esse debeant, & ipse quoque fœliciter mori & tandem in nouissimo die mundus ab omnibus peccatis, resurgere ad æternam vitam debeat. Quantum igitur ad Sacramentum attinet, uerum est ꝙ simus sine peccato. Verum, cum nondum perfectus sit Baptismus, & nos adhuc in illa carne plena peccatis simus, cæpta tantum illa Christiana innocentia est, non etiam absoluta.

Postquam igitur adoleuerit homo, tum se peccatrix natura exerit, tum se prodit concupiscentia & affectus iræ, odij, libidinis, amoris, auariciæ, superbiæ, & si qui sunt similes, quorum nullus sentiretur, si in Sacramento demersa & mortua omnia peccata essent. Verum baptismo peccatorum mortificatio tantum significata est, nondum penitus perfecta, perficitur autem per *Peccatorum mortificatio in baptismo significatur.*
Rom.7. mortem & resurrectionem in nouissimo die. Sic S. Paulus Roma. 7. Item reliqui Sancti omnes cum eo queruntur, se peccatores esse, & vi naturali ad peccandum rapi, quamuis baptizati & sancti essent, Quoad enim uiuimus, sentimus, ꝙ natura feramur ad peccandum.

NOno, Queras igitur, quid prosit Baptismus, cum non totum peccatum tollat & abluat? Hæc quæstio occasionem dabit, vt intelligamus, & quid sit Baptismus, & quis eius verus vsus. In Baptismi enim Sacramento Deus tecum fœdus iungit, & se tibi conciliat fœdere & gratiæ & consolationis pleno. *Vsus Baptismi.*

Primo, ꝙ Baptismum, & hoc quod significat expetis & exoptas, videlicet, vt vna cum peccatis intermoriaris, & in nouissimo die refingaris (id enim Baptismus significat) hoc in te probat Deus, & sinit te baptizari, statimꝙ à Baptismo te refingere incipit, Te sua gratia ac spiritu suo perfundit, Sanctus autem Spiritus statim naturam & peccata mortificare incipit, atque ita te ad mortem & resurrectionem in nouissimo die præparat.

Secundo, Præterea, quia tuam fidem obstringis, te quoad uiuas, tuam carnem ac peccata mortificaturũ, Eam quoꝙ uoluntatem tuam probat Deus, teꝙ multis ac varijs bonis operibus, quoad uixeris, exercet, præterea cruce & afflictionibus, quibus hoc, quod tu in Baptismo petijsti, conficit, nempe, ut te liberet, à peccatis, mortificet, & resuscitet in nouissimo die, atque ita Baptismus absoluatur.

Cum igitur legimus aut videmus, Sanctos misere affligi, uarijs item exerceri calamitatibus, sic sentiamus: Illa omnia fieri à propicio Deo, ut eos mortificet, & sic satisfiat Sacramento Baptismi, nempe, ut mortui refingantur. Nisi enim hoc fiat, ut uarijs malis exerceamur & iactemur, corrupta hæc natura vincet nos ut nullus sit Baptismi usus, sed subinde è peccato in peccatum recidamus, & tales perpetuo, quales nati sumus, maneamus.

DEcimo, Cum ergo tu cum Deo tale iungas fœdus, ipse vicissim per gratiam suam se obstringit, ꝙ reliquias peccatorum, quæ à Baptismo in natura tua supersunt, nolit imputare, adeoꝙ ꝙ propter eas te nolit condemnare. Et satis est ei, hocꝙ unice probat, si assiduo labores peccata mortificare, & mortem exoptes, quæ innatam illam ad peccandum uim tollat.

LL ij Si igitur

Si igitur sentias te malis cogitationibus, concupiscentia, item alijs affectibus agitari, Imo si videas aliquando prolapsum te in peccatum aliquod, illa omnia certo tibi sunt condonata, ui fœderis, quod cum Deo iunxisti in hoc Sacramento, si modo resipiscas ac redeas ad hoc fœdus, eiq; credas.

Id quod S. Paulus Rom. 8. indicat, cum dicit: Nulla nunc condemnatio &c. id est, Illa naturæ vis, qua ad peccandum inuiti rapimur, neminem, qui in Christum credit, condemnat, si modo eam non probemus ac defendamus. Rom. 8.

Item S. Iohannes in sua Canonica. c. 2. Si quis peccauerit, habemus Aduocatum apud Patrem Ihesum Christum iustum, Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Porro, hoc totum in Baptismo fit, in quo Christus nobis donatur, Id quod in sequenti parte concionis tractabimus. 1. Iohan. 2.

VNdecimo, Nisi ergo hoc fœdus cum Deo esset, & Deus ratione huius fœderis ad nostra peccata conniueret, nullum tam leue esset peccatum, quod nos non condemnaret. Neq; enim ullum peccatum, quantumuis exiguum, Dei iudicium sustinere potest. Non igitur est aliud, maius & suauius solacium in hoc mundo, q̃ Baptismus. Per Baptismum enim & gratiam & misericordiam consequimur, quæ peccata non accusant aut damnant, sed potius magno labore & usu eijciunt ac repellunt.

Baptismi commendatio.

Pulchre igitur S. Augustinus scripsit, Peccata in Baptismo condonari, non q nullæ peccati reliquiæ supersint, sed q non amplius imputetur peccatum. Q. D. Peccata quidem in mortem usque in nostra carne hærent, se commouent ac subinde produnt, verum cum illa fiant nobis inuitis nec approbantibus, hoc Baptismi beneficium est, quod nos non condemnant, nec nobis nocent, sed indies magis ac magis, donec moriamur, mortificantur.

Dictum B. August.

Cum igitur sentis, te concupiscentia, aut alijs uitijs tentari, non ideo exhorresces nec desperabis, neq; etiam, si in manifestum aliquod peccatum prolabaris, sed Baptismi recordare, teque eo consolare. Nam in Baptismo Deus se tibi obstrinxit, q & tua peccata uelit mortificare, & ea condonare, si modo ea aut non approbes, aut etiam in eis non perdures.

Deus obstrinxit se nobis in Baptismo.

Et sic quoq; accipiendæ sunt malæ cogitationes, concupiscentia, & peccata, quæ sentimus, non ut ijs ad desperationem adigamur, sed sentiamus ea esse ceu monumenta quædam diuina, quæ nos commoneant Baptismi, quid in eo uouerimus, nempe, ut inuocemus diuinam gratiam, & in assiduo belli usu contra peccata simus, ut etiam exoptemus mortem, ut vel illa ratione ab hoc corpore peccati liberemur.

DVodecimo, Restat iam tertia huius Sacramenti pars tractanda, nempe, Fides, ut scilicet constanter & firmiter credamus, q non solum significat hoc Sacramentum mortem & resurrectionem in nouissimo die, per quæ homo renascitur in æternam uitam, sed q Baptismus illa omnia dum etiam hic viuimus, uere in nobis operetur. Hæc enim Baptismus agit, Deum nobis, & nos uicissim Deo obstringit, Quod uelimus peccata, quoad viuimus, mortificare, & contra ea pugnare, Quod vicissim ipse Deus uelit indulgere nobis, cōdonare errata, nobiscum non summo iure agere, neq; ideo damnare nos, quod dum hic uiuimus, sine peccatis uiuere non possimus.

Tertia huius Sacramenti pars est fides.

Sic vtrunq; intelligis, Et q Baptismus innocentes faciat, omniaq; tollat peccata, Et q reliquię peccati in nobis remaneant, neq; illa innata ad peccandum uis & natura tota aboleatur. Eum igitur, qui iam baptizatus est innocentem

centem ideo vocamus, ꝙ cœperit fieri innocens, & iam innocentiæ signum ac fœdus acceperit, vt subinde illa innocentia crescat & augeatur. Si qua autem errata & peccata remanent, ea Deus propter ictum fœdus non imputat, Ita, ut illa innocentia tota pendeat, non ex homine, sed ex imputatione Dei.
Psal. 32. Sicut Propheta ait Psal. 32. Beati quibus remissa est iniquitas, & beatus homo cui non imputat Dominus peccatum.

Porro, hæc fides est omnium maxime necessaria Ea enim sola, & nulla alia res, afflictam ac turbatam cõscientiam consolari & erigere potest. Quod si qui hac fide careant, illi necessario propter peccata desperabunt. Nam peccata, quæ à Baptismo manent, in ijs qui non credunt, omnia etiam bona opera contaminant & coinquinant coram Deo. *Fides sola erigit turbatam conscientiam.*

Quare constanti & firmo animo inniti Baptismo conuenit, vt obijciamus eum peccatis & omnibus terroribus conscientiæ, & demisso animo dicamus: Scio omnia mea opera impura & coinquinata esse. Verum sum baptizatus, & scio, quod Deus, qui mentiri non potest, per Baptismum se mihi obstrinxerit, quod nolit peccata mihi imputare, sed potius ea in me mortificare & abolere.

TERtiodecimo, Intelligis igitur nostram innocentiam, in qua a Baptismo sumus, totam diuinæ misericordiæ deberi, quæ nos peccatores tolerat, neque imputat nobis peccata, perinde atque si sine peccatis essemus.

Hinc quoꝗ intelligis, Quare Christiani misericordiæ filij, populus gratiæ, item homines, quibus Deus bene uelit, in sacris literis appellentur. Ideo scilicet, ꝙ in Baptismo cœperint purificari, & peccati reliquiæ (si quæ in eis remaneant) non condemnant eos. Tum demum autem omnino ab omnibus peccatis liberi viuent, cum mortui in nouissimo die resurgent, id quod Baptismi signum indicat. *Misericordiæ filij.*

Longe igitur errant, si qui putant, iam tum à Baptismo se ab omnibus peccatis mundatos ac liberatos, facit enim ille error, ut securi obambulent, neque unquam de mortificandis peccatis cogitent. Si quod admiserunt peccatum, se non peccasse opinantur, ita autem fit, ut in peccatis perdurent, ac prorsus inutilem sibi Baptismum reddant. Hærent enim in externis tantum operibus, sub quibus sepulta superbia, odium, aliaꝗ uitia, magis ac magis ipsis ignorantibus, crescunt. *Errant, qui se à baptismo putant ab omnibus peccatis mundatos.*

Verum, non ita faciundum est, necesse est enim, ut peccata item uitiosos affectus, pro ueris peccatis agnoscas. Quod autem illa te condemnare non possint, illud totum diuinæ misericordiæ referes acceptum, neꝗ enim Deus ea vult imputare, ita tamen, ut tu quoque cum eis depugnes cruce & bonis operibus, donec per mortem omnino aboleantur. Hæc qui non faciunt, illis non remittentur peccata. Neque enim Baptismo & fœderi, quod cum Deo iunxerunt, satisfaciunt, sed inceptum tum Dei tum Baptismi opus remorantur.

QVartodecimo, Non autem multum his absimiles sunt, qui satisfactionibus peccata delere conantur. Hi eousꝗ progrediuntur, ut & plane contemnant & negligant Baptismum, perinde atꝗ si nullus alius Baptismi usus esset, quam corpus aqua perfundi. Nesciunt enim, ꝙ debeat esse eius usus per totam uitam in mortem usꝗ, imo usꝗ ad nouissimum quoque diem, sicut supra docuimus. *Conantes satisfactionibus peccata delere.*

Sollicitì igitur aliud quærunt, quo pro peccatis satisfaciant, opera scilicet, Verum ea res mirabiliter conscientias excruciat ac terret, neque enim

unquam certa esse potest conscientia, quę operibus nititur, In mortis autem periculo etiam desperat, neque nouit quæ sit Dei erga se uoluntas. Sic enim sentiunt tum homines illi, frustra esse Baptismum, neque ullum eius amplius propter admissa peccata esse usum.

Verum hoc ipsum summe caueri oportebat. Sic enim supra monuimus, ut quam primum quis peccatum sentit, statim ad Baptismum, ceu ad asylum, recurrat ac confugiat, & recordetur diuini fœderis, quo se obstrinxit Deus condonaturum omnia peccata, si modo tu cum eis depugnare in mortem usque uelis.

Vsus Baptismi uerus.

In hanc promissionem defigendi sunt oculi, huic tuto est innitendum. Atque hic uerus est ac proprius baptismi usus, & hoc modo pacatur & confirmatur cor, non aliqua satisfactione aut aliquo nostro opere, sed misericordia Dei, quam in Baptismo Deus promisit.

Qui a fide discedit sentit Deum mendacem esse.

Porro adeo constanter retinenda hæc fides in animo est, ut etiamsi omnes creaturæ, omnis generis peccata te obruant, tu tamen firmiter in ea hæreas, Qui enim ab illa fide discedit, Deum mendacem esse sentit, neque seruantem fœderis, quod in Baptismo nobiscum iunxit.

QVintodecimo, Fidem autem potissimum tentat & sollicitat Satan, quam ubi euertit, tum certam habet uictoriam in manibus. Nam & pœnitentiæ (de qua supra egimus) ceu fundamentum, Baptismus est. Solis enim illis remittuntur peccata, qui sunt baptizati, hoc est, quibus promisit Deus remissionem peccatorum. Pœnitentia igitur, ceu reuocat ac renouat Baptismi Sacramentum.

Quibus peccata remittantur etc.

Duo Baptismus operatur.

Perinde atque si sic dicat Sacerdos, tum, cum confitentem absoluit (utemur enim uulgari uocabulo) Ecce, condonauit iam tibi Deus omnia peccata, quemadmodum & in Baptismo antea promisit, & iam mihi mandauit uirtute Clauium. Sic reuocamur ad uerum Baptismi usum. Quod si crediderimus, sine dubio peccatorum remissionem habebimus, sin minus, damnabimur. Sic uidemus remissionem ac mortificationem peccatorum (ea enim duo operatur Baptismus) aliquando peccatis impediri. Incredulitate autem prorsus reddi inutilem, quemadmodum quoque sola fides interceptum Baptismi opus reparat ac repetit, adeo omnia ex fide pendent.

Vt autem paulo rudius ac apertius rem explicemus, Aliud est peccata remittere, & aliud eijcere uel mortificare peccata. Fides peccatorum remissionem impetrat, etiamsi nondum sint mortificata. Mortificantur autem peccata tum, cum eis obnitimur, item, cum morimur, tum enim prorsus peccatum interit. sunt autem ambo Baptismi opera.

Peccatū inhærens deponendum.

Sic Apostolus Ebręis 12. scribit, qui tamen ante baptizati, remissionem peccatorum iam erant consecuti, ut peccatum renaciter inhærens deponant. *Ebre 12.* Tum enim uim suam Baptismus obtinet, & certo mihi remissa sunt peccata, cum credo Deo promittenti, quod nolit mihi peccata imputare, quamuis maxima eorum pars adhuc in carne remaneat. Illam autem fidem sequitur peccatorum mortificatio, quæ fit per crucem & per mortem.

Atque hic ille fidei articulus est, quem profitemur: Credo in Spiritum sanctum, Remissionem peccatorum &c. Alludit enim ad Baptismum, in quo remittuntur peccata, propter fœdus illud, quod nobiscum iunxit Deus. Nihil ergo de remissione peccatorum dubitabimus.

Afflictiones per Baptismum salutares.

SExtodecimo, Iam igitur hoc quoque uides, omnis generis afflictiones, etiam ipsam mortem, per baptismum salutarem ac utilem effici, ut sit, ceu instrumentum, quo Baptismus ad mortificationem utitur. Neque enim

enim alter fieri potest, q̃ ut illi, qui Baptismo satisfacere, & peccatis liberari uolunt, moriantur. Quia autem peccatum, non nisi coactum moritur, ideo etiam fit ut mors tam acerba & horribilis carni appareat. Sicq; cernimus Dei tum misericordiam tum potentiam ea in re, quod peccatum morte tollitur, quæ mors peccati tamen est fructus & merces, sicut eam Paulus uocat Rom. 6. ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος

Inuenias autem multos passim, qui uellent se iustos esse, neq; aliud æque expetunt ac sanctam uitam. Verum non est alia magis compendiaria uia, qua iusticiam assequamur, q̃ per Baptismum, eiusq; opus, hoc est, per crucem & mortem. Quæ cum illi fugiunt, apparet, quod neque intelligant quid sit iustum esse, neque etiam uere id cupiant.

Deus igitur in uaria uitæ genera coniecit homines, in quibus se quisq; exerceret & suam ferret crucem. Alij uiuunt in coniugio, alij imperant, alij imperata faciunt. Porro hi omnes satis laborum ac molestiarum habent, quibus mortificetur caro. Et si qui baptizati sunt, illis ocium, securitas & pax mundi, ceu uenenum est, quod iustum Baptismi opus remoratur. Neq; enim illi, qui ocipse ac secure agunt, aut crucem & mortem tolerare, aut peccatum odisse, possunt. Hoc potius inde accidit, ut hanc uitam ardentius complectantur, illam autem futuram & æternam horreant, metuant mortem, atq; peccatorum mortificationem refugiant. *Varia uitæ genera*

DEcimoseptimo, Iam ergo si hominum uitam ac mores diligentius intuearis, multos passim inuenias, qui ieiunijs, orationibus, peregrinationibus & similibus operibus non ad mortificanda peccata, sed ad promerendam gratiam & cumulanda merita, utantur.

Verum ieiuniorum & aliorum similium operum hic esse debebat usus, ut ueterem Adamum illamq; innatam ad peccandum uim, premerent, & assuefacerēt ad contemnendas huius uitæ illecebras. Vt sic magis ac magis pararentur animi ad mortem, ac Baptismo satisfieret. Debebat tamen illorum omnium esse modus quidam, non q magnitudo uel numerus illorum certus præscribatur, sed hoc quisq; animaduertat quantum & quid Baptismus postulet, id quod sic accipiendum est. Sentit unusquisque sua uitia, in quibus ipse maxime laborat, qua igitur ratione illa opprimi aut mortificari posse putabit, ea utetur, Quod si animaduertet decrescere uitia & imminui, de mortificatione quoq; aliquantum remittat.

Neque autem tentantur hæc humanis uiribus, nos enim de ijs dicimus, qui baptizati & recepti sunt in gratiam, & qui credunt iam Deo promittenti peccatorum remissionem. Hi fide ad mortificandas peccati reliquias, & omnia alia bona opera commouentur & excitantur. Iam qui nullam habent fidem, se multis ac uarijs defatigant operibus, iam hoc iam illud instituunt, & contenti sunt illa nuda & externa operis specie, in quo ceu in lignea statua, neque uita nec spiritus aliquis inest, uno perfecto, conuertuntur mox ad aliud, ac mira inconstantia perpetuo feruntur, neq; eius rei ullum sentiunt fructum. Nonulli etiam ad insaniam illo studio redacti sunt, ut nec sibi nec alijs prodesse possent. *Carentes fide fatigant se multis operibus.*

Verum omnia illa incommoda inde sunt enata, quod ab impijs Doctoribus persuasi, sentimus nos a Baptismo seu contritione, sine peccatis esse. Item, Quod bona opera nō ad mortificanda peccata, sed ad cumulanda merita, & ad satisfaciendum pro peccatis, ualeant. Confirmant autem impiam hanc opinionem, qui uitas & opera Sanctorum imprudenter prædicant, quasi ea proposita sint exempla, quæ nos imitari conueniat. Stulti igitur homines, qui omni iudicio in his rebus carent, cæco impetu in ista Sanctorum exempla irruunt, & bene secum actum putant, si utcunque externam laruam facti expresserint.

Baptismi significatio.

Verum Deus singulis Sanctis, singulas dedit dotes, quibus isti suo Baptismo satisfacerent. Est autem Baptismus una cum eo quod significat, generalis quædam Regula proposita omnibus, ut unusquisque eam rationem deligat, quam sibi suoque vitæ generi maxime conuenire putat, qua Baptismo satisfiat, hoc est, qua mortificentur peccata, & præparentur animi ad mortem æquius ferendam, ac leue ac suaue fiat onus Christi, neque nos ad illud resistamus, aut impatientius id feramus. Sicut Salomon dicit: Insipientis opera excruciant eum, propterea quod viam ad ciuitatem nesciat. Quemadmodum enim, si qui ad urbem aliquam tendunt, cum à via aberrant, dolent, Ita his quoque accidit, qui cum per totam vitam multis ac varijs se operibus defatigarint, nullum tamen inde capiunt fructum.

Votum Baptismi.

DEcimooctauo, Huc quoque pertinent notæ illæ quæstiones: An Baptismus, & votum quod in Baptismo uouimus, maiora sint uotis, quibus se obstringunt homines ad castitatem, ad monachatum, ad ordinem sacerdotum, cum tamen Baptismus sit communis omnibus Christianis, & Religiosorum vota singulare ac maius quiddam præ se ferre uideantur?

Si quis igitur ea, quæ supra diximus, diligenter legit, is in promptu habebit quid respondeat. Nam in Baptismo vnum & idem omnium est uotum, Vouent enim omnes illi, qui baptizantur, quod velint mortificare peccata, & sanctificari per misericordiam Dei, cui se tradunt & offerunt, ceu lutum figulo, neque hic quisquam alteri præstat, sed omnium eadem est conditio.

Ratio autem, qua satisfiat Baptismo, & qua mortificemus peccata, illa non poterit esse eadem. Quare iam antea monui, ut quisque diligenter uideat, quæ nam ratio mortificandi peccata & reprimendæ carnis sibi maxime conueniat, quod item uitæ genus. Verum igitur hoc est, nullum neque grauius neque melius, neque etiam maius esse uotum, quam Baptismi. Quid enim amplius quæso uouere poteris, quam quod velis mortificare peccata, mori, hanc uitam odisse, sanctificari?

Præter hoc autem uotum, potes te quoque certo uitæ generi addicere, quod tibi commodissimum uidebitur, vt in eo illi uoto satisfacias, quod in Baptismo fecisti. Atque is delectus in nostra manu est. Quemadmodum quoque, si duo una iter faciant in aliquam ciuitatem, potest alter in semita, alter in publica uia, prout utrique commodissimum fuerit, ingredi. Si quis ergo se coniecerit in matrimonium, ille labores ac molestias, quæ in coniugio sunt, perferre cogitur, quibus dum exercetur natura, assuescit & bona & mala æquius ferre, cauere peccata, se comparare ad mortem, quæ omnia commodius potest in illo genere uitæ, quam si viueret extra coniugium.

Coniugium.

Est autem præter coniugium, aliud vitæ genus amplius ac præstantius, illorum scilicet, qui spirituale tenent regnum (vtemur enim communibus vocabulis) quales sunt Episcopi, Parochi &c. Atque hi quidem singulis horis debebant esse parati, ad omnem aduersam fortunam, & ad mortem quoque perferendam non solum propter suam ipsorum salutem, sed etiam propter illorum, quibus præsunt.

Episcopi.

Porro debet modus esse in his omnibus, sicut supra monui, ut spectetur, non multitudo aut magnitudo operum, sed tantum peccatorum mortificatio.

Verum sicut nemo, neque Baptismi, neque quid significet Baptismus, neque voti, quod in Baptismo fecimus, meminit, quod scilicet hoc nobis sit præstandum, ut nostram carnem, quamdiu hic uiuimus, mortificemus, Ita quoque nemo conditionis suæ, in qua uiuit, meminit. Et pauci sunt, qui norunt, quare hunc, in hoc, illum, in aliud uitæ genus coniecerit Deus. Ideo autem à Deo

ista sic

ista sic fiunt, ut vnusquisque commodius Baptismo satisfaceret. Iam in pompam ea res abijt, neque quicquam aliud, quam externa quædam species est reliqua. Id quod Esa. cap. I. quoque conqueritur: Argentum tuum conuersum est in scoriam, & vinum tuum in aquam. Est autem ea indigna & miserabilis omnino calamitas, cui vtinam aliquando Deus medeatur, Amen.

Varia uitæ genera.

Esa. 1.

DEcimonono, Quia autem Baptismus, ceu thesaurus quidam gratiæ diuinæ & consolationis est, ideo magnas Deo gratias, laudem ac gloriam pro eo nos debere sentiamus. Puto enim nostræ ingratitudinis hanc fuisse pœnam, quod illo superiore seculo excæcati prorsus ignorauerimus tantas in Baptismo sepultas opes. Cum enim Baptismo ac gratia sua Deus mundum obruisset, nos tamen in molesta opera prolapsi, post Indulgentijs, alijsque similibus nugis decepti ac seducti sumus. Neque prius deo voluimus credere, quam satis fecissemus pro peccatis, perinde atque si venalem nostris operibus gratiam proposuisset Deus.

Dignitas Baptismi.

Verum, qui non sic sentit, quod Deus per gratiam peccatores suscipiat, toleret ac saluet, neque alia ratione iudicium Dei posse sustineri à nobis, quam præsidio gratiæ, Is neque amare neque prædicare Deum unquam poterit, sed perpetuo tanquam horrendũ Iudicem extimescet. In Baptismo autem Deus talis prædicatur, quod nos peccatores suscipiat, nobis parcat, indies magis ac magis peccatorum reliquias expurget. Ea cum audit cor, & constanter credit, non potest non gaudio exilire, amare & prædicare Deum.

Talem quoque nobis Propheta Deum describit, Sicut pater parcit filijs, ita Ego illis parcam. Requiritur igitur à nobis, ut amplissimæ Maiestati, quæ nos miseros ac damnatos uermes, tanta gratia ac misericordia prosequitur, agamus gratias, ac misericordiam illam, sicut meretur, agnoscamus & prædicemus.

VIgesimo, Verum cauendum est hic, ne secure nimium agamus, & sic sentiamus: Si tantus thesaurus gratia in Baptismo est repositus, ut Deus peccata imputare nolit, & si statim remissa sunt peccata ui Baptismi, cum nos ab eis recesserimus, tum securus omnia, ut mihi placuerit, nũc agam. Possum aliquando post, cum commodum uidebitur, vel etiam in mortis periculo Baptismi meminisse, & Deum sui commonere fœderis, ac satisfacere Baptismo.

Quod igitur sic sentis, Si à peccatis recedas, & fœderis, quod in Baptismo cum Deo iunxisti, sis memor, tum remissa tibi esse peccata, in eo quidem non falleris, & recte sentis. Verum hoc uide, ne cum adeo impudenter fiducia gratiæ pecces, diuinum iudicium in ipso peccato, priusquam tu redeas, te obruat, ne (sic permittente Deo) in tantas tentationes conijciaris, ut ne, si velis quidem, credere aut Baptismi meminisse, possis, & conscientia victa, fides succumbat.

Nam cum ægre illi seruentur, qui non peccant, aut qui infirmitate peccant, Quid de te futurum est, qui adeo impudenter gratiam tentasti ac contempsisti? In timore igitur Dei ambulemus, vt constanti fide illum gratiæ thesaurum retineamus, & pro illa misericordia læti prædicemus ac laudemus Deum in secula, Amen.

FINIS.

II. QVOMODO

vid. i. p. 176.

II. QVOMODO CHRISTI PASSIO SIT MEDITANDA.

PRimo, plerique hominum sic Christi passionem meditantur, vt grauiter irascantur Iudęis, & Iudæ peccatum multis modis execrentur, ac prętereà nihil faciant. Sic enim illi sunt soliti, & aliorum quoque hominũ calamitates deplorare, & accusare illos, qui non meritis attulerunt iniuriam. Verum hoc rectius diceretur Iudæ ac Iudæorum improbitatem, quàm Christi passionem meditari.

Alberti dictum.

SEcundo, Collegerunt quidam varia commoda, quæ ex diligentiori meditatione passionis Christi proueniant. Hinc illud Alberti vulgo iactatur, Satius esse Christi passionem, semel & obiter in vita meditari, quam si per totum annum singulis diebus ieiunes, aut totum Psalmorum librum euoluas &c.

Est autem hac & similibus alijs Sententijs effectum, ut ceu cæci homines, ucrum usum passionis Christi nunquam sint assecuti. Neque enim in ea quidquam quærebant, quam priuatum commodum. Circumferebant enim secum imagunculas, libellos, tabulas, cruces, aliasque nugas. Quidam eousque quoque prolapsi sunt, vt se his etiam tutos credant ab aqua, igni, ferro, alijsque periculis. Quasi vero Christi passio ab externis illis malis & à cruce liberet, cum tamen diuersum potius efficiat.

TErtio, condolent quoque Christo, & queruntur de eius innocentia, ac deflent eum, quemadmodum mulierculæ illæ Hierosolymitanæ, quas reprehendebat Christus, ac monebat, ut se suosque deflerent Liberos. *Lucæ 23.*

Quibus haud dissimiles sunt Concionatores illi, qui ista ratione Passionem tractant, ut in media fere narratione historiæ, in hos excurrant locos, Quomodo suis in Bethania ualedixerit Christus. Quantis doloribus discruciata sit Maria, & in similes alios, in quibus consistunt longius, eisque immorantur. Hinc quoque factum est, quod in tot horas, cum narrarent passionis historiam, res sit extracta, nescio an dormiendi an uigilandi causa.

Qui recte meditentur passionem Christi.

QVarto, Hi ergo vere & recte Christi passionem meditantur, qui in ipsius passione peccata sua cernunt, & illo conspectu peccatorum exterrentur, quorum conscientia ceu in desperationem labitur. Porro ille metus & terror inde nascitur, quod uides in hac Christi passione, uehementem iram & constantem Dei in peccatores sæueritatem, qui noluit in gratiam unigeniti sui Filij impunitos peccatores ac liberos dimittere, nisi eos sua morte redimeret Filius. Id quod Esaias quoque confirmat cap. 53. Propter peccata populi mei percussi eum. *Esai 53.*

Ira Dei in peccatores.

Quid ergo de nobis peccatoribus fiet, cum dilectus Filius adeo duriter tractetur ac percutiatur? Necesse est ineffabilem & plane intolerabilem iram ac sæueritatem esse, cui se opponere tanta Persona coacta sit, & ad quam placandam & sedandam, Dei filius passus ac mortuus sit. Et sane, si quis hic diligenter expendat ipsum Dei filium, qui est æterna Patris sapientia, pati, grauiter, sat scio, exterrebitur.

Quinto,

QVinto, Hoc quoque animo tuo insculpes, neq; dubitabis quin tu quoque ex illorum sis numero, qui Christum ita excarnificant, & cruci affigunt, Peccata enim tua coniecerunt eum in illos cruciatus. Atq; sic quoque S. Petrus Acto. 2. Iudæos, ceu tonitru quodam, perterrefecit, cum inquit ad omnes, qui aderant: Vos eum crucifixistis. Tria igitur milia hominum ea voce conterriti, Quid igitur faciemus Fratres? ad Apostolos dicebant. Ergo cum clauos infixos manibus Christi cernis, cogita, illos clauos esse tua opera, cum Coronam spineam, cogita eam esse malas & impias tuas cogitationes &c.

SExto, Vbi igitur Christum vna Spina pungi vides, tu cogita te meritum, vt millies grauius & sæpius pungereris. Vbi Clauis perfossas manus ac pedes cernis, cogita te longe maiores meritum cruciatus. Et sane, qui Christi passionem negligunt, illi omnes illos grauissimos cruciatus indesinenter patientur. Neq; enim hoc exemplum iræ diuinæ, in Christo propositum, nos fallet. Ista omnia atq; his etiam grauiora, impij experientur.

SEptimo, Ac talem quidem terrorem S. Bernardus ex Christi passione accepit, ut diceret: Securus incedebam, nihil sciens de iudicio Dei horrendo, quod contra me latum erat in cœlo. Et ecce mittitur uirginis Filius, Filius Dei altissimi, & iubetur occidi, vt vulnerib. meis, precioso sanguinis ipsius balsamo, medeatur. Agnosce homo, quam grauia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur &c. *B. Bernardus.*

Sic Christus quoque monebat mulierculas: Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Et addebat rationem: Quia si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Lucæ 23. Q. D. Discite ex hac mea passione, quos cruciatus vos sitis meriti, & quæ vos maneat, ni credideritis, pœna. Plane enim hic videmus fieri, vt cædatur catulus in terrorem vetuli canis.

Sic Propheta quoque dicit: Et plangent seipsos super eo omnes tribus terræ. Non dicit: Deplorabunt eum, sed plangent seipsos super eo. Sic terrebantur illi Act. 2. id quod supra indicauimus. Et Ecclesia canit: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea.

OCtauo, Atq; in hac quidem parte diligenter se exercebunt pij animi, Nam ex ea pendet verus vsus passionis Christi, vt homo seipsum cognoscat, & sui conspectu terreatur, ac ceu conteratur. Et sane, nisi eo deueniat homo, plane nullam utilitatem ex Christi passione capiet. Hoc enim uerum ac germanum opus est, quod passio Christi in cordibus piorum efficit, vt conformes imagini illius reddamur, hoc est, ut quemadmodum Christus tum corpore tum etiam animo grauiter propter peccata nostra cruciatur, Ita nos quoq; nostra conscientia excarnificet, ob peccata admissa. Neque ad hanc rem multis est opus uerbis, sed diligenti cogitatione, & ut sentias peccati magnitudinem. *Exercenda meditatio iræ Dei aduersus peccata in paßione Christi.*

Possumus autem hac similitudine uti. Fingamus principis cuiusdam interfectum filium, & percussorem raptum iam in iudiciũ, capitaliter accusari, Quod si is coram iudice cædem quidem à se factam esse fateatur, uerum se a te subornatum percussorem dicat: tu autem securus interim cantans aut ridens obambules, & statim ex insperato in carcerem conijciaris. An non tum *Similitudo.*

tum etiam amplum hoc mundi ſpacium anguſtius uidebitur, quam in quo latere poſſis? præſertim ſi te tua accuſet conſcientia, & conuincat admiſſi ſceleris? Ita non poteſt non multo grauius dolere, qui hanc Chriſti paſſionem diligenter meditatur. Iudæi enim, quamuis illi iudicium ſuum iam habeant, & reiecti ſint à Deo, tamen tui peccati miniſtri fuerunt, & tu reuera peccatis tuis Dei filium occidiſti, eumq; affixiſti cruci, ſicut ſupra quoq; monuimus.

NOno, Porro ſi qui adeo duri & ſaxei ſunt, vt ex Chriſti paſſione neque terreantur, neque etiam ſe cognoſcere incipiant, illi merito ſibi male metuent. Neque enim aliter fieri poteſt, quam ut conformes imagini Chriſti reddamur, ſiue illud in uita, ſiue in inferis fiat, uel etiam in periculo mortis, vt in illos terrores conijciamur & contremiſcamus, ac omnes illos ſentiamus cruciatus, quos Chriſtus in cruce pertulit. Eſt autem horrendum, illa tum demum, cum de uita periclitamur, experiri. Rom.8.

Orandum, ut Deus frangat duriciem noſtram.

Orabit igitur vnuſquiſq; Deum, vt cor ſuum induratum emolliat, vt poſſit cum fructu aliquo paſſionem Chriſti diligentius animo meditari. Nam hoc nemo cogitabit, quod noſtris viribus ſine diuina gratia paſſionem Chriſti vere meditari poſſimus, Dei illud eſt opus, non noſtrum. Neque etiam hæc vel alia docentur, ut cogites tuis uiribus præſtari ea poſſe. A Deo illa facultas poſtulanda eſt, vt illius gratia, non noſtris viribus adiuti, præſtare ea poſſimus. Nam quod illi, de quibus ſupra diximus, non recte Chriſti paſſionem tractauerunt, id totum inde manauit, quod ſuis uiribus freti, humanis rationibus rem tentauerunt, neque diuinam gratiam implorauerunt. Nullam igitur inde reportarunt vtilitatem.

Dictum Alberti.

DEcimo, Qui igitur Chriſti paſſionem vel per vnum diem, vel per horæ ſpacium, ſic animo meditatus fuerit, De illo ſane dici illud Alberti patiemur, quod melius illud tempus collocauerit, quam ſi per annum ſingulis diebus ieiunet, aut Pſalmorum librum euoluat. Hæc enim meditatio totum immutat hominem, & quodammodo regenerat, ſicut Baptiſmus.

Germanum paſſionis Chriſti opus.

Atq; hoc illud germanum & præclarum paſſionis Chriſti opus eſt, vt mortificet veterem hominem, vt voluptates, item fiduciam ac ſpem in creaturas eijciat. Quemadmodum Chriſtus quoq; ab omnibus, etiam ab ipſo Deo, erat deſertus ac deſtitutus.

VNdecimo, Cum igitur non ſit noſtrarum virium ſic meditari Chriſti paſſionem, nonnunquam accidit, ut id à Deo poſtulemus, neq; tamen impetremus, eo, quo nos uolumus, tempore, Quod ſi fiat, non ideo ſtatim deſperandum aut intermittenda oratio erit. Nonnunquam accidit, vt pro ea re prorſus non oremus, id quod Deus quoq; nouit, neq; enim ſemper Spiritum ad orandum donat, & vult illud donum omnino eſſe liberum, neq; alligatum uel loco uel tempori uel perſonæ. Fit igitur, vt grauiter perturbentur animi, cum illud ſentiunt, & ut homo ſibi prorſus diſpliceat.

Fieri autem poteſt, ut illa ipſa animi perturbatio, ſit ipſiſſimum paſſionis Chriſti opus, quod ipſa in nobis, nihil tale cogitantibus, efficit. Quemadmodum quoq; ſæpe accidit, ut qui diligentiſſime Chriſti paſſionem meditantur, nunq; ad ſui ipſius cognitionem ueniant, qui tamen uerus paſſionis Chriſti debebat eſſe uſus. Illi igitur paſſionis Chriſti fructum verè habent, quanquam latenter, hi autem tantum ſpeciem. Et ſic ſæpe inuertit Deus omnia, ut illi, qui Chriſti paſſionem meditantur, nihil minus q̃ illud faciant. Contra, qui hoc faciunt in ſpeciem, reuera id faciant.

Verus paſſionis Chriſti uſus.

Duodecimo,

DVodecimo, Hactenus crucem & passionem Christi tractauimus, iam quoque ad Resurrectionē accedemus. Cum homo sic sua peccata sentire & cognoscere incipit, & terretur conspectu peccatorum suorum, diligenter cauendum est, ne illi terrores diutius in conscientia hæreant. Nam inde in desperationem animi prolaberentur. Sed quemadmodum peccata & eorum cognitio è Christi passione manarunt, ita quoque regerenda in Christum sunt, & exonerandæ conscientiæ.

Diligenter cauebis igitur, ne quemadmodum peruersi quidam homines solent, tu quoque facias. Nam cum illi sentiunt peccata, & mordentur à conscientia, recurrunt ad bona opera & satisfactiones, item ad indulgentias, seque miris excruciant modis, iam huc, iam illuc cursitando, ut se è peccatis euoluant & explicent. Verum frustra id tentant, quanquam ille mos de falsa fiducia in satisfactiones adeo inoleuit, ut miserabilem religionis ruinam secum traxerit.

TErtiodecimo, Porro sic reijcies peccata tua in Christum, si constanter credas, quod uulnera & crux ipsius tua sint peccata, quæ cum in se receperit Christus, pro eis quoque satisfecit. Sicut Esai. 53. ait: Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum. Et 1. Pet. 2. Ipse in suo corpore nostra peccata pertulit in ligno crucis. Et Paulus 2. Corinth. 5. Eum qui peccatum non nouit, pro nobis Deus peccatum fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei per illum.

Quanto igitur magis te tua Conscientia excruciat, tanto tu firmius ac constantius his atque alijs similibus sententijs inniteris ac credes. Nam si per contritionem tuam & satisfactiones sedare conscientiam tentes, nunquam certus eris, sed perpetuo labore exhaustus, tandem etiam ad desperationem adigeris.

Neque Conscientia consistere potest, cum uidet peccatum, quale in se est, agnoscit enim longe maiorem uim peccati esse, quam ut nostræ uires ferre possint. Sin autem uiderit coniecta omnia omnium peccata in Christum, & per mortem & resurrectionem crediderit ea uicta, tum sentiet, quam nulla in peccato uis sit. Quemadmodum enim nulla neque uulnerum neque doloris uestigia amplius in corpore Christi hærent, sic peccata quoque omnia, ceu fumus euanuerunt.

Atque sic S. Paulus quoque dicit, quod Christus propter nostra peccata sit mortuus, resurrexerit autem propter iustificationem nostri. Hoc est, Passio Christi nostra nobis ostendit peccata, sicque ea tollit, Per resurrectionem autem ipsius iustificamur, & ab omnibus peccatis liberamur, si modo credamus.

QVartodecimo, Sin autem sentiamus nostram incredulitatem, quod non possimus nobis certo persuadere, ista sic esse, reliqua oratio est ut ante monuimus, ad quam confugiamus, Nam & hoc totum in manu Dei est, & quemadmodum supra de passione dixi, ita & hoc alijs, ut manifeste sentiant, alijs occulte donatur. Sunt autem quædam uiæ, quibus ad hanc fidem nos inuitemus. Oratio.

Principio, deflectes oculos à passione Christi, nam illa iam suum opus peregit, & perrumpes, ac animum Christi plenum humanitatis introspicies, qui adeo te amauit, ut conscientiam & omnia tua peccata in se receperit. Capiet autem & delectabit hæc cogitatio animum tuum, & confirmabitur ita fiducia in Christum.

MM Postea

Postea hoc quoq; facies, ut in illo Christi erga te animo, uideas, quænam Patris erga te sit uoluntas. Tum enim apparebit, non potuisse Christũ tantum beneficium in te conferre, si non antea à patre sic fuisset decretum. Nam illi Christus paruit, cum pro te est passus. Atq; hoc modo cernes plenum humanitate Dei animum, & per Christum sic traheris ad Patrem, ut intelligere illud Christi possis: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat uitam æternam &c. Et hoc est uere Deum cognoscere, quando non maiestatem aut sapientiam (quibus terrentur animi) sed bonitatem & amorem apprehendimus, in quibus consistere potest fiducia, qua homo plane in Deo regeneratur.

Deum uere cognoscere.

Vintodecimo, Cum igitur sic confirmatus tuus animus in Christo fuerit, & reuera iam odisti peccatum, non pœnæ metu, sed amore erga Deum, Hoc quoq; restat, ut totius tuæ uitæ gerendæ Exemplum, in Christi passione propositum, sentias. Atq; hæc ratio meditandæ passionis Christi, longe à superiore diuersa est. Hactenus enim sic eam sumus meditati, tanquam Sacramentum aliquod, quod in nobis patientibus operetur, Iam autem sic meditabimur eam, ut ipsi operemur, nempe in hunc modum.

Exemplum in passione Christi nobis propositum.

Cum dolore aut morbo aliquo laboras, cogita, quam leuis is sit cruciatus, si cum Christi spinea corona & clauis comparetur.

Cum facere aut obmittere aliquid contra quam uelles, cogeris, cogita, Christum uinctum sursum ac deorsum iactari.

Tentaris superbia, uide, quam indignis modis illudatur Christus, & ut cum Latronibus reputetur.

Tentaris libidine & concupiscentia carnis, cogita, q̃ crudeliter tenera Christi caro flagris cæsa, confossa & lacerata sit.

Tentaris odio aut inuidia aut uindicta, cogita, Christum magno clamore & eiulatu, pro te alijsq; inimicis suis orasse, de quibus multo iustius potuisset pœnam sumere.

Tentaris afflictionibus alijs, qualescunque tandem sint, siue internæ siue externæ, confirma tuum cor & sic dicito: Magna ea esset ingratitudo, si paruam hanc afflictionem patienter ferre nollem, cum Christus Dominus ac redemptor meus, in horto prę angoribus sanguineum emiserit sudorem. Quid enim esset turpius, q̃ seruum in lecto molliter se curare, tum, cum Dominus ipsius pro uita dimicaret?

Ecce ad hunc modũ confirmare & consolari te Christi passione poteris, contra omnia uitia & peccata, Atq; hęc uera meditatio passionis Christi est, & hi sunt ueri fructus, qui ex ea nobis petendi sunt. Qui igitur se diligenter ad hunc modum in ea exercent, illi longe rectius faciunt, q̃ si millies historiam passionis audirent. Et hi tantum Christiani uere dicuntur, qui ad hunc modum Christi uitam ac nomen in sua uita exprimunt, quemadmodum S. Paulus quoq; dicit: Qui Christi sunt, carnem suam cum concupiscentijs una cum Christo crucifixerunt. Neque enim uerbis aut gestu quodam externo, sed uita ac moribus Christi passio nobis est exprimenda. *Gal. 5.*

Id quod apostolus quoq; monet, Ebre. 12. Recogitate Ihesum, fidei nostræ ducem, qui talem sustinuerit a peccatoribus aduersus se contradictionem, ne defatigemini animis uestris defecti. *Ebre. 12.*

Et S. Petrus ca. 4. Sicut Christus passus est carne, sic uos quoq; iuxta eandem cogitationem armemini. *1. Pet. 4.*

Verum

Verum obsoleuit hæc ratio meditandæ passionis Christi, & rara est, cum tamen S. Paulus & S. Petrus in suis scriptis eam subinde repetant ac doceant. Nos hoc totum in externam quandam speciem mutauimus, & contenti sumus, si historiam passionis in parietibus depictam intueamur.

FINIS.

III. CONCIO DE CONFESSIONE ET SACRAMENTO EVCHARISTIAE.

SAEpius a me dictum est, non posse nec debere Christianos ad Sacramentum altaris, certo hoc Paschatis tempore cogi, sed liberum esse unicuiq;, quando & quoties uelit hoc Sacramento uti. Atq; ad eam rem, ministri in Ecclesia constituti sunt, qui tum uerbo tum Sacramentis populo quotidie præessent.

Longe igitur illi errant, & peccant quoq; grauiter, qui cogunt homines sub peccato mortali in Paschatis festo, Sacramento uti, id quod hactenus fieri solitum est, & adhuc multis in locis fieri solet. Neq; enim huius Sacramenti natura ferre potest, ut quisquam coactus eo utatur. Animam sitibundam requirit, quæ ipsa sese cogit, & gaudet, quod possit hoc Sacramento frui. Qui ab alijs coacti hoc Sacramentum accipiunt, cum nullo suo fructu id faciunt.

Vides igitur ex Satanæ consilio, Papam omnia egisse, Satan enim sine dubio impulit Papam, ut cogeret sine discrimine omnes ad hoc Sacramentum. Ex qua re hoc secutum est incommodum, ut & irreuerenter ac indigne propter Papæ præceptum tractaretur Sacramentum, & Mundus maximis se oneraret peccatis. Neq; enim aliter atq; porci, illotis (quod aiunt) manibus ac pedibus, homines ad Sacramentum hoc accipiendum ruebant. Non ergo sinemus nos aliqua lege ad Sacramentum cogi, sed illam libertatem, quam nobis Christus contulit, retinebimus.

Dico autem hoc propter illos, qui nolunt alio tempore Sacramentum accipere, communi omnium consuetudine inducti, quam hoc Paschatis tempore. Non tamen est hoc sic accipiendum, atq; si sentiam, peccatum esse Paschatis tempore Sacramento uti. Imo laudo eam consuetudinem, si modo conscientia non sit alligata tempori, & quoq; si tua te cogat necessitas ad accipiendum Sacramentun, non aliquæ Papæ leges.

Sed priusquam pergamus de hoc Sacramento latius disserere, de Confessione quoque, ad quam Papa similiter coegit homines, pauca dicemus.

TRIPLEX CONFESSIO.

III. CONCIO DE CONFESSIONE

I.

Tria Confeßionis genera.

PRimo, Tria sunt Confeßionis genera. Primum Confeßionis genus, est ea, quam coram Deo facimus, De qua dicit Propheta Psal. 32. Peccatum meum nôtum tibi feci, & iniusticiam meam non abscondi. Dixi: Confitebor aduersus me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Et in eodem Psalmo: Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, immutatus est humor meus, in siccitates æstatis. *Psal. 32.*

Hoc est, coram Deo nemo subsistet, nisi hanc Confeßionem secum afferat. Sic Psal. 130. prædicat: Apud te propiciatio est, ut timearis. Hoc est, qui cum Deo agere uolet, ille sic aget, ut ex corde confiteatur sua peccata, & dicat: Domine, si tu tuam mihi negaueris misericordiam, actum de me est, quantumcunque sim probus. *Psal. 130.*

Est autem hæc Confeßio communis omnibus Sanctis, sicut rursum in Psal. 32. dicitur: Pro hac orabit ad te omnis Sanctus &c. Sic docet nos hæc Confeßio, quod omnes iniusti & improbi simus. Si qui uero singularia habent dona, illi pro eo beneficio agant Deo gratias, neque se efferant. Sin in peccata prolapsus fueris, cogites eam esse carnis & sanguinis naturam, neque tam magnum tuum esse peccatum, quin in idem aut etiam in maius aliud quiuis alius prolabi poßit. Non igitur est alia res quæ nos discernat, quam gratia Dei. *Psal. 32.*

Atque hæc quidem Confeßio tam est necessaria, ut nullo temporis momento sit intermittenda, & debet ad hanc omnis Christianorum uita esse comparata, ut perpetuo Dei gratiam prædicet homo, & suam uitam apud Deum accuset ac damnet. Nam si uel bona opera, uel honestam uitam iactes, statim Dei iudicium, quod neutrum horum patitur, sequitur, non potest autem quisquam hominun iudicium Dei ferre. Sic ergo hæc Confeßio fieri debet, ut teipsum primo damnes, & sentias certo, te mortem ac perpetuos inferorum cruciatus meritum. Quod si facias, anteuortis Deum, ut non poßit te iudicare aut damnare, sed sua gratia te excipit & fouet. Verum de hac Confeßione hic non agimus.

II.

Confeßio charitatis.

SEcunda Confeßio, Illa fit ad Proximum, & est charitatis, sicut prior illa est fidei. De ea in Epistola Iacobi scriptum est: Confitemini inuicem alius alij delicta. Est autem hæc Confeßio, cum quis confitetur Proximo, quod eum læserit.

Sicut Christus Matth. 5. docet: Si obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum. Habeto beueuolentiam cum aduersario tuo cito, dum es in uia cum illo &c. Vtrunque hic exigit Christus, ut is, qui læsit alterum, roget ab eo ueniam, & is, qui rogatur, det ueniam errato.

Est autem & hæc Confeßio necessaria, ac diuinitus, ut prima, mandata nobis. Neque enim nobis nostra peccata remittet Deus, nisi & alijs condonauerimus, quæ ipsi in nos peccauerunt. Et certum argumentum est, eam non esse ueram fidem, quæ non hunc fructum secum affert, ut & alijs peccata remittat, & remißionem à Deo quoque roget. Neque enim alias ad

alias ad Deum homo accedere ausit. Si ergo hic fructus non affuerit, certum argumentum est, neq; fidem, neq; primam confessionem ueram esse.

III.

Tertia Confessio est, quam Papa mandauit, auricularis illa, quæ fit coram sacerdote. Eam Deus non præcepit, uerum Papa ad eam coegit homines. Sunt autem in ea uaria peccatorum genera & discrimina conficta, quibus misere urgentur & excruciantur conscientiæ. Sic igitur de hoc postremo Confessionis genere sentiendum est, Deus neminem neq; ad illam primam Confessionem, quæ coram Deo fit, neque ad illam alteram, quæ fit coram proximo, cogit, uult ut te tua cogat uoluntas, ut cogat te tuæ salutis ratio, item diuinæ gratiæ sitis. Non ergo Deus delectatur ijs, aut probat eos, qui inuiti ita confitentur, uult potius ut uolentes ac ex animo id faciamus. *Confeßio quam Papa mandauit.*

Verum Papa diuersum fecit, neq; curauit, uolentes an inuiti confiterentur, Sed mandauit serio, ut nisi quis certo tempore confiteretur, is in prophano loco extra publicum cœmiterij humetur. Perinde, atq; si ageretur res in politica administratione, in qua ui coguntur homines.

Verum Deus non probat eam Confessionem, aut ullum aliud opus, si inuitus illud facias. Imo præstat omnino non confiteri, quam inuitum confiteri. Neq; enim patet ad Deum aditus illis, qui non sua sponte uoluntarij ad ipsum ueniunt. Non igitur cogi debent homines.

Etsi qui propter Papæ mandatum confitentur, illi etiam peccare se sciant, Quanquam uidemus ita passim iam fieri, ut omnes, nulla alia ratione, quam quod ita mandatum est a Papa, ad confessionem ruant.

Vere igitur illud tempus a Germanis, passionis hebdomas appellatum est, Misere enim excarnificantur, hoc præsertim tempore, conscientiæ, cum magno animarum ac salutis periculo. Et Christus quoq; longe grauius ac cõtumeliosius eo tempore excruciatur, quam tum, cum in cruce penderet. Merito igitur Deo agamus gratias pro hoc beneficio, quod suum uerbum ceu lumen ac ducem conscientiarum dederit. *Hebdomas paßionis*

Sic ergo de auriculari Confessione, quam dicunt, sentimus. Quanquam ad eam nemo sit cogendus, non tamen ideo contemnenda est, nam multæ sunt rationes, propter quas eam probamus. Ac principalis quidem ea est, quod uerbum Dei nullo modo contemnendum, sed ardenti animo amplectendum est, ubicunq; tandem & quotiescunq; illud audire contigerit. Iam autem per totum terrarum orbem suum uerbum Deus diuulgauit, ut nullus sit angulus, in quo non possis illud inuenire. *Auricularis Confeßio.*

Porro uerbum Dei & Euangelium proprie hoc est, quod nobis peccatorum remissionem promittit. Ea enim Euangelij summa est, remissa esse peccata illis, qui credunt in Christum, Neq; doceri Euangelium potest, quin simul absolutionem, quam uocant, sacerdos dicat. *Euangelium.*

Sic illa uox, quam in altari sacerdos dicit, Pax uobis, Euangelium & absolutio quædam est, quasi diceret: Annuncio uobis diuinitus pacem & remissionem peccatorum per Christum. Sic uerba Christi in cœna sunt Euangelium & absolutio. Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Hic sanguis meus, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum &c. Si quis ergo ideo confiteri nolit, quod uerbum in Sacramento, *Pax uobis.* *Hoc est corpus meum.*

 mento,

mento, quoque habeat, is eadem ratione sacras quoque conciones poterit negligere. Verum debet Euangelium assiduo personare nostras aures, & nos uicissim illud cum summo gaudio excipere debemus, ubi & quotiescunq; id audire licet, debemus quoq; Deo gratias agere pro summo illo beneficio, quod liceat ubiq; sacrosanctum Dei uerbum audire.

Non igitur contemnenda Confessio illa auricularis est, propter absolutionem & Euangelij uerbum, quod ex sacerdote audis. Et cum confiteri uoles, non tam curabis tuam Confessionem, quam uerbum, quod audis à sacerdote.

Possunt autem illa sic discerni, Duo uestrum conuenitis, tu narras prior, ille alter posterior loquitur. Non igitur admodum sollicitus sis de eo, quod tu dicis, sed maior cura sit de ijs, quæ audis ab illo altero, qui remissionem peccatorum Dei nomine tibi annunciat.

Neq; multum refert, siue is sit sacerdos, aut publicus Ecclesiæ minister, siue alius quidam Christianus. Nam uerbum, quod loquitur, non suum, sed Dei est. Et Deus non minoris illud æstimat, quam si ipse tecum locutus fuisset, Adeo in omnes angulos diuinum suum uerbum Deus sparsit. Cum ergo ubiq; uerbum Dei nobis sit expositum, debemus cum gratiarum actione illud amplecti, non contemnere aut negligere.

Præterea, quemadmodum Sacramentum, ita illud uerbum, quod ex sacerdote audis, non nisi ad tuam personam refertur. In publicis autem concionibus in uulgus euolat promissio, & quamuis ad te quoq; pertineat, non tamen ita certus de ea esse potes. Verum hic id in Confessione ad te unum dicitur, ut prorsus nihil de uoluntate Dei erga te dubites. Iam si quis esset in orbe locus, in quo Christus ipse tecum uellet loqui, imo angelus quidam, non Christus, an non ad extremos usq; mundi angulos curreres, ut audire cœlestem uocem possis?

Quæ ergo est illa miseria, quæ illa stulticia, quæ ingratitudo? ut hoc, quod nobis dicitur non audiamus? Scriptura testatur Deum per nos tecum loqui, neq; minus in nostris uerbis pondus esse, quam si ipse præsens præsenti loqueretur, & tamen negligitur.

Sic enim Christus dicit Matt. 18. Vbi duo uel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Item Iohan. 20. Quorumcunq; remiseritis peccata, remittuntur eis, quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Sic Deus ipse absolutionem in confessione dicit, quemadmodum quoq; infantem ipse Deus, non sacerdos, baptizat, & tamen dicemus nos confessione non habere opus? *Matt. 18. Iohan. 20.*

Confeßio non negligenda. Etiamsi igitur eandem ipsam peccatorum remissionem audias in Sacramento, non tamen Confessio est negligenda, Potissimum autem ob eam rationem, quod tibi soli in Confessione uerbum, ut in Sacramento, annunciatur.

Præterquam autem, quod in Confessione uerbum ad te unum dicitur & refertur, hoc quoq; in ea est commodi, quod tibi licet tuto sacerdoti dicere, quibus in rebus maxime labores, & consilium ab eo, uel quouis alio quisquis tandem fuerit, petere. Si ergo nulla alia esset commoditas in confessione, si etiam non loqueretur nobiscum in ea Christus, tamen nolim magno carere Confessione, ideo quod liceat omnia quæ sentis in fratris sinum effundere, & conqueri de ijs, quæ in te conscientiam urgent. Neq; enim est alia res æque misera, atq; conscientia cum premitur & angitur, neq; tamen consilium aut solacium aliquod nouit. Plenum ergo consolationis & humanitatis quoq; opus est; quod in Confessione duo conueniunt, & *Conscientia mala.*

alter

alter alterum consilio, consolatione, quacunque item alia re potest, iuuat. Hic morbum suum aperit, alter medicas affert manus.

Quanquam igitur mandato ad Confessionem cogi homines nolim, neque si qui non ante confessi accedant ad Sacramentum, se peccasse sentiant, maximum tamen thesaurum Confessionem esse iudico, qui nullis opibus sit comparandus, adeoque minime contemnendus. Nemo enim potest uerbum Dei neque satis diligenter audire, neque in animũ ita, ut merebatur, insculpere.

Dixi igitur diligenter inter se discernendas, Confessionem & Absolutionem, ut Absolutionem potissimum spectes, neque confitearis uel ob mandatum, uel tanquam bonum opus, quod peccatorum remissionem mereatur, facturus, sed ideo potius, ut Dei uerbum audias, quo erigatur ac consolationem accipiat conscientia tua.

In Absolutionem igitur tum oculos tum mentem potissimum defiges, in qua diuina uoce, peccatorum remissio per hominem tibi annunciatur, quæ fide est apprehendenda. Vides enim, quam impia & absurda plane confitendi ratio ante hoc tempus in Papatu fuerit, priusquam enim absoluerentur homines, multa & uaria eis sunt iniuncta opera, quibus pro peccatis satisfacerent, eamque rem uocarunt absolutionem, cum rectius alligatio uocari queat. Nam cum tollantur peccata per absolutionem, si ei credas, quid attinet opera, quibus pro peccatis satisfacias, addere? & cogere homines à fide & absolutione ad propria opera? *Confitendi ratio in Papatu.*

Quis potius sic cogitari oportuit: Ecce hoc uerbum, quod à me audis diuino mandato, fide tibi est apprehendendum. Si ergo credere ei non potes, omitte Confessionem tuam. Non est autem hoc ita accipiendum, quod nolim confiteri sua peccata eos, aut consolationem & confirmationem animi petere, quorum infirmior est fides. Imo si sentis imbecillitatem tuam, quod credere non possis, conquerariś ea de re apud fratrem tuum, cui confiteri uoles. Dic: Sentio quidem, quod Confessione & absolutione habeam opus, uerum infirmior est fides mea, quam quod possit certo sibi persuadere uera esse, quæ ex te audio. Nam cui rectius de imbecillitate tua conquestus fueris, quam Deo? Deo autem tum conquereris, cum fratri tuo conquereris, qui te sancto Dei uerbo consolari ac confirmare potest, atque ea demum uera est Confessio. Vtinam autem omnes eo usque progressi essent, ut confiterentur fidei suæ infirmitatem, quod Dei promissionibus credere non possent.

Hæc iam de Confessione sufficiant, quod nemo ad eam cogi debeat, sed ut uolentes non coacti confiteamur.

VErum quærat aliquis, quidnam sit confitendum? Multa nugati hic sunt, qui hactenus in templis docuerunt, de quinque sensibus, de septem peccatis mortalibus, de decem præceptis, & aliis similibus, quibus potius implicitæ sunt conscientiæ quam adiutæ.

Verum sic oportuit fieri, Debebas ante diligenter circumspicere, quænam peccata te maxime præmerent, quæ conscientiam extimularent & grauarent, atque ea in Confessione erant dicenda. Nihil igitur opus est illo examine, quo soliti sunt uti, ut exactus peccatorum omnium referretur catalogus, ea quæ cogitanti occurrunt arripe, & dic: Bone frater, hic lapsus sum, tu erige me uerbo Dei, & cõsule quid in hac re mihi sit faciundum. *Peccata in Confessione dicenda.*

Debet enim breuis esse Confessio, in qua, si quid te fugit, quod post in mentem ueniat, nihil te ea res conturbet. Neque enim confessus es, uel tanquam bonum opus, uel tanquam coactum opus facturus, & poteris hoc ipsum peccatum Deo confiteri. Insuper absolutionem quoque audis in Missa tum, cum uerba cœnæ Dominicæ recitari audis. Nihil ergo te conturbet, si quorundam peccatorum sis oblitus. Nam & occulta peccata, *Confeßio sit breuis.*

quæq; te fugiunt, in absolutione remissa sunt. Neque enim Deus hoc spectat, quid aut quomodo tu confessus sis, uerbum suum ac tuam spectat fidem.

Et in absolutione non solet certus numerus peccatorum, quæ remittuntur, addi, sed ea est libera quædam ac late patens uox, quæ simpliciter annunciat Deum tibi fauere, Porro si Deus tibi fauet, sublata sunt omnia peccata. Confirmet igitur te non tua Confessio, sed absolutio, neq; multum te sollicitet, si qua non meministi. Remissio enim peccatorum tuæ respondet fidei. Si ergo multum credis, multum quoq; tibi remittitur. Atq; in hunc modum quidem peccatis & conscientię opponi uerbum Dei & promissio debet. Sed hæc iam de Confessione satis sint.

ALTERA PARS SERMONIS, de Sacramento altaris.

IAm nobis est ad inceptam de Sacramento disputationem redeundum. Illum autem locum iam ante absoluimus, quod liberum esse debeat Sacramentum, neque homines ad illud ui cogendos.

Integro Sacramento utendum.

Restat igitur, ut quoq; de utraq; specie aliquid dicamus. Iam olim autem sic docui, in nostra Ecclesia unam speciem nemini exhibendam, sed ut is, qui Sacramento uti uolet, aut integrum Sacramentum, ut à Christo institutum est, accipiat, aut prorsus abstineat.

Porro, adeo sæpe hæc a nobis tractata causa est, ut putem iam omnibus planum esse, quare utranq; speciem sumi postulemus. Quod si qui adeo sunt rudes, aut etiam sua infirmitate adeo delectantur, ut intelligere hæc nolint, illos sane nos non curamus, & multo satius quoq; est, ut illi Sacramento prorsus abstineant. Malum enim argumentum est, tot annis audire uerbum Dei, & tamen perpetuo infirmum manere, & dicere, quod non possit illa assequi. Neq; enim possibile est non illuminari animos, si diutius uerbum audias, nisi omnino excæcatæ sint mentes a Satana. Cum igitur perdures in cæcitate tua, multo consultius quoq; faciunt ministri Ecclesię, si tibi prorsus non exhibeant Sacramentum. Si enim uerbum, quod planissimum ac apertissimum est, capere non potes, Sacramenta quoq; non capias, absque uerbo enim essent, & nulla quoq; essent Sacramenta.

Adeo autem persuasit hæc nostra de utraq; specie sententia orbem, ut etiam aduersarij nostri eam norint. Quia autem illi non infirmi, sed indurati sunt, ac nostram doctrinam, quam norunt sacrarum literarum testimonijs niti, oppugnant (siquidem ui pergunt, ac sua autoritate nos urgere uolunt) non cedemus eis, neq; eorum pertinaciam, ceu infirmorum errorem tolerabimus, præsertim cum non possint nostram sententiam refutare, neq; ulla alia re, quam autoritate Romanæ Ecclesiæ sint subnixi. Et quia se eam pertinaciter opponunt, ideo nostris utranq; speciem exhibebimus siue offendantur ea re, siue non, Et quia ui ac pertinacia se opponunt, nihil omnino est eis concedendum.

ILlud

ILlud autem mihi maxime placet, quod hoc Sacramentum non sit sine persecutione. Ideo enim Christus id instituit, ut esset ceu tessera uel nota, qua discernerentur Christiani ab alijs. Nisi enim haberemus hoc Sacramentum, haud sciri poterat, qui nam Christiani, aut ubi essent, item in quibus suos fructus Euangelium ederet. *Aduersarii persequuntur utentes integro Sacramento*

Verum cum accipiunt homines Sacramentum, uidemus & qui sint illi, qui audiunt Euangelium, & num digne Christiano nomine ambulent. Sic, ceu quædam nota hoc Sacramentum est, qua nos agnoscimur, quod profiteamur nomen Dei, & quod nos diuini uerbi non pudeat.

Si igitur Papa aut alius impius tyrannus uideat te utranqꝫ Sacramenti speciem accipere, uidet certum testimonium, quod hanc Euangelij doctrinam probes, Indignatur igitur, & uim, ceu aduersus hæreticum parat, Bene autem tum tecum agitur, nam & sic actum est cum Christianis olim, qui hoc Sacramento religionem suam testabantur.

Prohibuerunt iam nos ab utraqꝫ specie Episcopi, Si qui ergo Christum profiteri uolent, illi utranqꝫ speciem accipiunt, tum scient reliqui, quod Christiani sint, & uerbum Dei probent ac sequantur. Si eam igitur ob rem uis eis afferatur, & occidantur, patiantur eam iniuriam, reddet enim longe splendidiorem uitam Deus, quam hæc sit.

Quare placet mihi, quod Sacramentum hoc nostro tempore persecutioni præbeat occasionem. Nam si omnes id probarent ac reuererentur, qui posset uera adesse Confessio? Iam cum ignominia, contumelia, denique uitæ pericula inde nobis enascantur, atqꝫ illa omnia propter illam confessionem, recte nobiscum agitur, sicut quoqꝫ olim cum ueris Christianis in primitiua Ecclesia est actum.

POrro dixi quoqꝫ, Non sats esse, si accipias Sacramentum, sed oportet te quoqꝫ certum esse & bene munitum rationibus sacrarum literarum, quibus & te confirmes, & alijs quoqꝫ, si id à te postuletur, rationem tui facti dare queas. Vt cum uis tibi eam ob rem offeratur, possis factum tuum contra Satanam & mundum diuino uerbo defendere.

Quare non poteris alterius fide niti, cum ad Sacramentum accedis, unusquisqꝫ pro se credere debet, sicut unusquisqꝫ pro se quoqꝫ contra peccatum, Satanam, item mundum militare debet. Ante omnia igitur diligentissime memoriæ commendanda sunt uerba, quibus Christus hoc Sacramentum instituit, nempe hæc:

DOminus Ihesus, in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit, & dedit Discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, Hoc facite in mei commemorationem.

Similiter, postquam cœnauit, accepto calice, cum gratias egisset, dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine, qui pro uobis effunditur in remissionem peccatorum, Hoc facite, quotiescunque biberitis, in mei commemorationem.

HAEc sunt uerba, quæ neqꝫ ipsi, neqꝫ etiam Satan negare poterit, in quæ figendus pes est, ut firmiter in ijs consistamus. Sunt autem

nuda ac planissima, quæ nullis interpretationibus eludi possunt, Quod & panis sit Christi corpus, pro nobis traditum, & calix Christi sanguis, pro nobis effusus, & iubemur illa facere in commemorationem ipsius.

Ius interpretandi Scripturas etiã Laicis concessum.

Diuersum autem Papistæ mandarunt. Cum igitur pro concione dixerint: Vos Laici hæc non intelligitis, neq; licet uobis ista interpretari, erratis igitur. Responde: Ius interpretandi Scripturas, æque Laicis concessum esse atq; doctis. Et quemadmodum illis, ita nobis quoq; mandatum est, ut credamus in Deum, ut nostram fidem confiteamur, ac omnia præcepta Dei seruemus. Habemus enim eundem Deum, quem ipsi habere se dicunt, Quomodo autem credemus, si aut uerbum ignoremus, aut non intelligamus. Cum ergo mandatum habeamus, ut credamus, necesse quoq; est, ut uerbum, cui credendum est, sciamus. Neq; enim potest esse fides sine uerbo.

Præterea hoc quoq; nobis incumbit, ut illo uerbo nitamur, & contra omnes insultus Satanæ, peccati & mundi nos defendamus. Item, ut quæ obijciuntur, refutare possimus. Habemus ergo quod respondeamus illis, qui nolunt nobis concedere ius tractandi sacras literas, nempe, Quod cum à nobis eadem requiratur fides, quæ ab illis, necessarium nobis, idem uerbum ac parem eiusdem uerbi cognitionem esse.

Bibite ex hoc omnes.

Cum igitur dicat Euangelista: Ihesus accepit calicem, & dedit Discipulis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine, qui pro uobis effunditur &c. Vident sine dubio omnes, quæ nam horum uerborum sit sententia, Accipite, bibite &c. Ni ergo probent esse aliam quandam significationem uerbi bibere &c. nos nostram Sententiam retinebimus, quod omnibus ex calice illo sit bibendum, neq; uel consuetudinem, uel Conciliorum decreta, quicquam morabimur. Deus enim uetustior est, quam ulla consuetudo, & autoritas Dei omnia uincit Concilia.

Hoc facite in mei commemorationem

Plana quoq; sunt illa uerba, Hoc facite in mei commemorationẽ. Dic quæso, quibusnam sit mandata commemoratio Domini? num solis sacerdotibus? Cur non potius omnibus ijs, qui Christi nomen profitentur? Quid enim est aliud meminisse Domini, quam prædicare eum & confiteri? Hæc cum omnes debeamus, apparet quoq; utranq; speciem omnibus esse concessam, ut & panem edant, & bibant calicem, siue sint sacerdotes, siue non sint.

Impius & ille prætextus est, quod dicunt nefas esse, nosse Laicos uerba testamenti Christi. Si nefas est ea uerba Laicos tenere, frustra igitur ipsi eos docent, Nam quod, quæso, aliud ipsorum officium est, quam ut rudes illos uerbum Dei doceant? Ideo enim Pastores sunt constituti, ut alios instituant in uerbo & doceant. His igitur nugis magis se aperiunt quales sint, quam ut nostram sententiam oppugnent. Adeo impudenter se ueritati opponunt impij homines.

VIdes iam aliquo modo, quomodo accipienda & firmiter retinenda sint illa uerba, quibus Sacramentum hoc à Christo est institutum, nempe, quod non solum hoc à nobis exigitur, ut teneamus & intelligamus ea, uerum etiam ut nostra fides in ijs hæreat, ut his uerbis, ceu inuictis armis, contra omnium insultus nos defendere, & repellere nostros aduersarios possimus.

Verba cœnæ fide apprehendenda.

Cum ergo Sacramentum hoc uoles accipere, potissima uerborum erit cura, in quibus sentias eum thesaurum esse repositum, quo solo niti tuto

tuto possimus Ad te enim sine dubio illa uerba dicuntur: Meum corpus pro uobis traditur. Meus sanguis pro uobis effunditur. In quem usum? num in hoc tantum, ut edas & bibas? non, imo in remissionem peccatorum tuorum. Hoc illud est, quod ad te potissimum pertinet, cui omnia reliqua, quæ hic fiunt & dicuntur, seruiunt, ut tibi scilicet omnia tua peccata remittantur.

Porro, si faciunt hæc ad remissionem peccatorum, ergo etiam ad mortem superandam faciunt. Neque enim morti relictus locus est, ubi peccatum est sublatum, peccato sublato, omne malum cessat, atque ea est beatitudo. Hic thesaurus ille est, quem nos in hoc Sacramento prædicamus, in hunc defige oculos tuos, & nugas illas Scholasticorum omitte, qui multum sunt soliciti, quomodo possit adesse corpus Christi, præsertim in tam paruo corpore panis. Ad miracula illa ne respicias, sed simpliciter hæreas in uerbo, atq; ea tua unica sit cura, quomodo hunc fructum ex hoc Sacramento queas capere, nempe remissionem peccatorum.

Sic igitur animum tuum institues, ut ad te pertinere hæc uerba sentias. Hoc autem ita fiet, si sentias peccati morsus & terrores, Si tenteris aut a carne, aut a mundo, aut a Satana, Si ira, impatientia, auaricia, aut cura uentris soliciteris, si uarijs excercealis malis, aut nonnunq; etiam in fœda crimina prolapsus sis, quæ male afficiant animum. Si hæc atq; his similia, inquam, patiaris, tum senties q; sis miser homo, terreberis conspectu mortis, frangeris animo, neq; poteris esse quietus.

Ac tum quidem oportunum erit, ut confitearis & Deo de tua miseria conqueraris, & dicas: Domine Ihesu, ideo a te hoc Sacramentum institutum est & ad nos transmissum, ut remissionis peccatorum per id certificaremur. Sentio autem q; Sacramento opus habeam. In magna peccata sum prolapsus, metuo igitur iudicium tuum, & pene deficio, Sentio me infirmiorem, quam qui uerbum tuum confiteri audeam, tot tantisq; laboro uitijs: Quare uenio ut sanes, consoleris & confirmes me.

Iam antea uero monui, nemini exhibendum esse Sacramentum, nisi prius indicauerit, ad quid eo habeat opus, nempe, ut conqueratur de sua miseria & peccatis suis, ut petat consolationem & confirmationem, quę & per uerbum & per signum contingunt. Qui hunc Sacramenti usum nesciunt, illi prorsus abstineant. Nam illi stulte & impie agunt, qui tantum tempore paschatis Sacramentum sumunt, & se adeo misere excruciant, cum tamen nesciant, quis sit uerus Sacramenti usus.

Exercenda & confirmanda fides sumpto Sacramento.

PORro ubi sumpseris Sacramentum, non licebit tibi esse ocioso, sed perges strenue, & fidem tuam exercebis. Nam & is Sacramenti est usus, ut dicere hoc uere possis: Habeo hic apertum uerbum, remissa mihi esse peccata. Signũ quoq; accepi, manducaui & bibi, id quod certo comprobare possum, feci enim id in conspectu Satanæ & mundi. Cum ergo morte aut conscientia tentaris, potes hoc Sacramento te erigere aduersus tum Satanam, tum etiam peccata, potes quoq; tuam fidem confirmare, ac conscientiam exhilarare, ut non amplius metuat Deum, sed amet.

Ita fiet, ut de die in diem melior reddaris, cum alioqui ociosus & ignauus ageres. Quo enim longius ab hoc Sacramento abstinuerimus, eo magis reddimur inepti ad id accipiendum. Quod si imparatum, infirmum, uacuum item fide, te esse senseris, num quæso aliunde confirmari te posse sperabis? Num eousq; expectabis, donec omnino sis purus, ac absolutam

absolutam & perfectam habeas fidem? atqui si id facias: neque ad Sacramentum unquam accedes, & ut maxime accedas, nihil id tibi proderit.

Verus Sacramenti usus.

ATque hic quidem uerus Sacramenti est usus, & hac ratione conscientiæ non excruciantur, sed eriguntur, & consolationem accipiunt. Neque enim à Deo institutum est Sacramentum, ut ceu uenenum aut crux quædam esset, quæ terrorem mentibus incuteret, quæ opinio superiore seculo à Doctoribus impijs in uulgus sparsa, passim tenuit omnes. Sic enim Docuerunt, ut nos nostram iusticiam, ceu hostiam, Deo offeremus. Factum autem inde est, ut ea uerba, quæ plena consolationis & uitæ sunt, quibus conscientiæ eriguntur & confirmantur, prorsus contempta & ignota iacuerint. Verum sic potius oportebat fieri, ut sentiremus in hoc Sacramento nihil esse, quam summam gratiam, consolationem & uitam æternam.

Præsentissimum autem uenenum ijs est, qui temere id suscipiunt, qui nullam infirmitatem, nulla uitia, nullam urgentem necessitatem sentiunt, perinde atque si iam ante puri & iusti essent. Requirit enim hoc Sacramentum hominem agnoscentem uitia sua, quique uideat, quam longe à uera iusticia absit, & cupiat tamen iustificari. Caput igitur est, sentire peccatum, Quamuis enim peccatum omnes quotquot uiuimus, habeamus, non tamen omnes id agnoscimus.

Hæc iam sufficiant, ut scias, quomodo te paratum esse conueniat, cum hoc Sacramentum uoles suscipere, ut scilicet fidem tuam his uerbis, quibus hoc Sacramentum instituit Christus, exerceas & confirmes, ac sentias uere pro te traditum corpus Christi, & uere pro tuis peccatis effusum Christi sanguinem, Quæ uerba clare ostendunt, quisnam uerus Sacramenti sit usus, & quid nobis conferat, si id suscipiamus.

Charitas Christiana.

SEquitur iam alterum, quod ex priore illo, ceu ex fonte, manat, Christiana scilicet charitas, Cuius quoque magnam conuenit esse curam, Nam hoc Deus à nobis exigit, ut fructus, quos nos ex hoc Sacramento capimus, ceu lumen quoddam, luceant, & ut appareat omnibus, nos cum aliquo nostro fructu hoc Sacramento esse usos. Is autem est fructus, ut quemadmodum nos Christi corpus comedimus, & sanguinem eius bibimus, Ita uicissim quoque patiamur nos ab alijs comedi & bibi, hoc est, ut omnes actiones, omnem uitam nostram, ad proximi commodum prouehendum, instituamus. Est enim omnino nobis Christi exemplum sequendum, cuius tanta est bonitas, ut se totum cum omnibus ijs, quæ habet, nobis tradiderit in illis uerbis, quibus instituit hoc Sacramentum. Ea ipsa uerba nos quoque ad proximum dicere conuenit: Accipe, comede, bibe.

Neque ioco illa dici debent, sed reuera sic sentias, tibi cum omnibus quæ habes, proximi commodis esse seruiendum. Cum enim Christus sic dicit: Hoc est corpus meum, quod pro te traditur, quid quæso aliud dicit, quam hoc: En ego ipse sum, qui pro te trador, hunc thesaurum tibi dono, omnium illorum quæ ego habeo, tu quoque sis possessor, si quid tibi deerit, mihi idem defuturum est, Iusticiam meam, uitam ac æternam beatitudinem tibi dono, ut neque peccato, neque morte, neque ullo alio incommodo succumbas, sed uincas omnia, Quemadmodum autem mea iusticia, item uita mea æterna est, sic tu quoque perpetuo iustus eris ac uiues, Sic nobiscum loquitur Christus.

Requiritur autem & à nobis, ut nos eadem ad proximum dicamus, neque tan-

neque tantum uerba illa sonemus, sed re ipsa ac factis declaremus, in hunc modum: En bone frater, ego corpus & sanguinem Liberatoris mei iam sumpsi, qui se totum mihi donauit, Satis autem abunde habeo, cum eum habeo. Tu igitur ijs quoque, quæ ego habeo, fruere, omnia mea similiter tua sint, quod si res ita postulet, etiam pro te mortem libens obibo. Hæc enim omnia in hoc Sacramento à nobis requiruntur, ad quæ facienda omnibus uiribus est enitendum.

HOc tamen hic monendum est, quod difficile ad hanc perfectionem simus uenturi, ut animam, corpus, opes & dignitatem nostram, proximi causa, si ita res postulet, in discrimen adducamus, In carne enim uiuimus, quę adeo alte radices egit, ut non possimus illa charitatis officia perfecte reddere.

Atque eam ob causam Christus hoc Sacramentum instituit, ut esset ceu quoddam exercitium, unde peteremus ea, quæ ipsi nobis deesse sentimus. Cum enim illam in te infirmitatem uideas, quod quæso aliud afferes remedium quam hoc? Necesse est enim, ut inter reliqua de hoc quoque conqueraris, & dicas: Bone Domine Ihesu, uides quantum mihi adhuc desit, tu mihi te totum donas, non possum autem ego idem facere proximo meo. Fac igitur, ut & ego similem erga proximum beneuolentiam præstare possim.

Et sane, quanquam, dum in hac carne uiuimus, nunquam illam perfectionem possumus consequi, tamen eo est connitendum, etsi nihil aliud cum gemitu ea postulanda a Deo facultas est, neque desperandum est ob hanc imbecillicitatem, modo remaneat in nobis is affectus, ut & doleat nobis illa nostra infirmitas, & cupiamus eam mutatam & emendatam.

Porro non est hoc minimum charitatis officium, posse cedere de sua opinione & sententia animo concepta. Nam subleuare alterius inopiam, externis officijs ei inseruire, nostro labore eum iuuare, docere, item pro eo orare, haud ita difficile est. Sunt & illa facilia, inuisere ægrotos, consolari calamitosos, dare cibum esurientibus, captiuos item liberare, Hoc longe omnium est maximum, posse cedere de sua opinione, & ferre alterius infirmitatem (sicut Poeta quoque ait: Aurum & opes, & uasa frequens donauit amicus, Qui uelit ingenio cedere nullus erit) *Cedere de sua opinione.*

Neque etiam unquam dum hic uiuimus, perfecte id poterimus, Christus enim ea in parte perfectus fuit, nos nunquam perfecte idem faciemus. Est enim Christus ceu Sol, in quo nullum nubis uestigium apparet, ad quem nos collati sumus ceu accensa quædam stipula. Quanquam autem illam perfectionem charitatis, quę in Christo est, nos nunquã possumus assequi, (Est enim ceu quidam ignitus caminus) tamen nos tolerat, si uel scintillam charitatis in nobis relucere uideat.

CAuendum igitur est, cum ex hac parte iuxta omnes laboremus, ne de quoquam iudicemus, quod non sit Christianus. Habes enim exemplum Christi in Euangelio, qui adeo benigne Discipulorum suorum errores & lapsus tolerat, & sua sapientia illorum stulticiæ cedit & seruit, neque condemnat eos ideo, quod sint infirmiores, sed blande fouet, & ad illam infirmitatem conniuet, Quo ego, inquit, iam eo, illo uos accedere non potestis. Item ad Petrum: Quod ego facio, tu nescis nunc, scies autem postea.

Sic efficit charitas, ut Christus iusticiam suam, iudicium, potentiam,

uindictam, pœnam, item ius suum, quod tum in nos, tum in peccata no-
Christi exemplum. stra habet, omnino negligat. Merebatur quidem stulticia nostra damnatio nem, Verum non damnat nos, commonet nos, quod peccauerimus, quod stulte egerimus, non tamen ideo abijcit. Vides igitur non esse minimum inter charitatis officia, posse tolerare proximi infirmitatem, uel in fide, uel in charitate.

Quanquam autem Christi exemplum habeamus, qui adeo placide suorum Discipulorum errata tulit: non tamen ideo uel infirmitas proximi uel peccatum est defendendum. Sic enim ad Petrum dicit: Scies postea, quid iam faciam. Ad tempus tolerauit eius infirmitatem, Perinde, ac si sic dicat: Tuam stulticiam & infirmitatem illam fidei tolerabo & parcam tibi, modo sentias longius tibi progrediendum esse, atque ea, quæ in te iam hærent uitia, emendanda ac mutanda, ne ociosus ac securus agas. *Iohan. 13.*

NOn igitur, postquam Sacramentum sumpserimus, negligentes aut ociosos esse conuenit. Sed hoc potius præstandum est, ut charitas subinde crescat, ut si qua in re laborat proximus, nos illi feramus opem, & subleuemus eius inopiam. Quod qui non faciunt, illi aut Christiano nomine non sunt censendi, aut certe nimis infirmi sunt, etiamsi iactent se Christi, una cum omnibus ijs, quæ habet, in hoc Sacramento participes factos esse.

Nan autem certius argumentum est, an digne & cum fructu hoc Sacramento sis usus, quam quod ex charitatis officijs sumitur. Nam quod aut magnus fuerit animi ardor in sumendo Sacramento, aut quod sensisse tibi uideris, ut uerbis Christi sit erectum & confirmatum cor tuum, illa etsi improbari non possunt, non tamen sunt tam certa argumenta. Officia uero charitatis illa te certum possunt facere, digne an indigne hoc Sacramento sis usus. Digne enim is eo usus est, qui ita cor suum, hoc signo, commotum sentit, ut etiam inimicos odisse desinat, & omnes alios, qui sua habent opus opera, iuuet, aliorum calamitates quoque suas esse existimet.

Externa argumenta seu fructus digne sumptæ cœnæ Domini.

Qui non sentiunt hos affectus, illi incerti sunt, etiamsi singulis diebus centies hoc Sacramento utantur, etiam cum tanto mentis ardore, ut lachrymas pre gaudio fundant. Neque enim Deus mirabilem illum ardorem mentis adeò magnifacit, nonnunquam enim est cum maiore periculo, quam commodo coniunctus. Hoc summum est, ut certi simus, id quod Petrus quoque innuit: Confirmate, inquit, uocationem uestram, nempe, per bona opera, quæ fructus sunt fidei. *2. Pet. 1.*

Ac quantum quidem ad uerbum & ad Sacramentum attinet, sunt omnia certissima, Confirmat enim Deus peccatorum remissionem suo, item Angelorum, & omnium piorum testimonio. Hoc restat, ut tu quoque tuum testimonium afferas, & tu nihil de remissione peccatorum dubites, Etiamsi igitur omnes Angeli cum toto mundo confirment suis testimonijs, te digne hoc Sacramento esse usum: longe tamen his omnibus tuum testimonium te magis confirmat. Porro hoc est tuum testimonium, si in te eluceant illa charitatis officia, et si sentias maiorem bonorum operum prouentum à sumpto Sacramento, quam ante Sacramentum sumptum.

Quod si charitatis officia non sequantur, ac sentias neque cor neque uitam tuam quicquam immutatam, item uideas te prorsus non moueri in afflictis rebus tui proximi. Magnam satis habes causam, quæ te ad orandum impellat. Sic igitur Christo de tua miseria conqueraris.

Bone Domine Ihesu, ego quidem ad Sacramentum accedo, uerum nul-
lum ea

lum ea ex re ſentio fructum, ſemper idem maneo, ſentio adhuc concupiſcentiam, iram, inuidiam &c. Et manet apud me ocioſus ingens ille theſaurus. Da igitur, ut fructum aliquem inde capiam, ac ut ſentiam alios motus, item alias actiones ab hoc Sacramento inſeri animo meo. Quod ſi ſemel cœperis immutari, fiet, ut ſubinde magis confirmeris, & ut indies plus bonorum operum edas.

Neq; enim hæc uita aliud eſt, quam quidam aſſiduus fidei, charitatis & crucis uſus, Non tamen in ullo hominum perfecte hæc tria eſſe poſſunt. In Chriſto quidem perfecta hæc fuerunt, qui ceu Sol propoſitus eſt nobis exemplum, quod omnes imitemur, etiamſi nunquam poſſimus aſſequi.

Semper igitur reperias firmioribus immixtos infirmos, rurſus his quoque aliquos firmiores, atq; illi quidem paruis, hi maioribus calamitatibus exercentur, ut ita omnes reddantur conformes imaginis Chriſti. Sic enim noſtra hæc uita eſſe debet, ut, de fide in fidem, de charitate in charitatem, de patientia in patientiam, de cruce in crucem, progrediamur.

Neq; debet dici hæc uita, iuſticia, ſed iuſtificatio, non puritas, ſed purificatio. Nondum attigimus illam metam, quæ nobis propoſita eſt, ſed ad eam contendimus, & iam ſumus in curſu. Quidam longius euecti ſunt, quidam autem procul alios ſequuntur. Probatur autem Deo conatus noſter, ſi uideat nos ad metam contendere, etiamſi adhuc longius ab ea abſimus. Et ubi opus eſt, accurrit & confirmat nos in fide & charitate, ac tandem ſemel ex hoc ſeculo in cœlos transfert. Interim autem, dum hic uiuimus, alius alium ferat, ſicut Chriſtus quoq; nos tulit, neq; enim quiſquam hominum eſt perfectus.

NEq; uero hoc, ſolo uerbo & exemplo ſuo Chriſtus nobis propoſuit, ſed idem etiam expreſſum eſt externis ſignis panis & uini. Sic enim ſentimus, hunc panem eſſe corpus Chriſti, & hoc uinum eſſe Chriſti ſanguinem. Aliud igitur uident oculi, aliud fides uerbo admonita credit, quæ fidei propria effigies & imago eſt. Nam cum Sacramento hoc utimur, & audimus quoq; uerbum, duo illa externa concurrunt, uerbum, quod in aures, & ipſum factum, quod in oculos incurrit. Nihilominus tamen in illis externis & ſubiectis ſenſui rebus, æternam uitam, omnia item bonorum genera, imo Deum quoq; ipſum omnium bonorum autorem, apprehendimus.

Fructus Sacramenti expreſſus in externis ſignis panis & uini.

Qualis autem fidei, talis quoq; charitatis imago, in hoc Sacramento eſt expreſſa, ac primo quidem in pane. Grana enim, priuſquam molitoris arte in unum puluerem cogantur, unumquodq; per ſe proprium ac integrum corpus eſt, Vbi autem comminuta fuerint, unum quoddam conficiunt corpus. Sic & in uino, priuſquam in torcular coniectæ uuæ conterantur, unaquæq; uua ſuam formam retinet integram, Vbi autem uinum expreſſeris, ex infinitis uuis unus potus conficitur. Neq; confirmare quis poteſt, hoc uel ex illa uel alia quadam uua profluxiſſe. Quemadmodum quoq; nemo poteſt aſſerere, farinam, uel ex hoc uel ex illo grano factam, Sic enim confuſæ & uuæ & grana ſunt, ut diſcerni amplius non poſſint.

1. Cor. 10

Atq; in hunc modum S. Paulus quoq; accepiſſe iſta uidetur 1. Corin. 10. Quoniam unus panis, unum corpus nos multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus. Quia enim uerbo credimus, manducamus corpus Jheſu Chriſti, qui cibus animam reficit ac paſcit.

Porro proximus meus uiciſſim me manducat, hoc eſt, ego illum fortunis meis

tunis meis, meo corpore ac uita, item omnibus ijs, quæ habeo, subleuo, quacunq; in re possum, illi adsum, eumq; iuuo. Habeo autem & ego ijsdem officijs opus, & gratum est, quod uicissim me subleuet. Sic impliciti & coniuncti, inseruimus alij alijs mutuis officijs, quemadmodum quoq; Christus nobis inseruiuit, Atq; hoc quidem est spiritualiter manducare & bibere.

Debemus igitur, quantum quisq; potest, anniti, ut per illa charitatis officia certi reddamur, nos aliquem fructum ex hoc Sacramento cœpisse. Neq; enim ipsi solum certi tum reddimur, sed alij quoq; homines id uident, admoniti bonis operibus, quæ sua sponte tum sequuntur. Quod qui non faciunt, illi etiamsi sæpius Sacramentum sumant, nihilo tamen redduntur meliores.

Mittamus igitur illas cogitationes, quibus excitare quidam se ad hoc Sacramentum solent. Vitam suam & facta sua putet sibi unusquisq; propositum speculum, in quo uideat num digne & cum fructu hoc Sacramento sit usus. Hoc enim omnino fieri debet, ut Sacramentum hoc mores ac omnem uitam nostram immutet, atq; alios plane fingat homines.

Nam tum dicta, tum facta Dei non solent esse ociosa, sed maximarum rerum sunt principia & fontes, Liberant à peccatis, à morte, diabolo & inferno, & sic nos confirmant, ut nulla tanta res sit, qua territus animus succumbat.

Econtra sic quoq; parant animum, ut uolentes etiam infimis hominibus inseruiamus, & ut sit uoluptati beneficia in quam plurimos serere. Rursus, ut doleat nos tantis bonis, quæ habemus, non ad plurimorum salutem ac commodum esse usos.

Si qui ergo sunt, in quibus Sacramentum hos fructus non producit, periculum est, ne ijs etiam magis obsit. Non tamen infirmos abijciendos censeo, si minus hęc, quæ diximus, perfecte faciant, De illis dico, qui ignaui & temerarij sunt, qui satis esse putant sumpsisse Sacramentum, cæterum operum charitatis nullam prorsus agant curam.

Necesse est, ut prorsus immuteris, & signa mutatæ uitæ in actionibus & moribus tuis edas. Id enim si fiat, certum est argumentum, Deum tecum esse, & confirmatur sic fides tua ac secura redditur. Hoc enim certo sentitur, num à sumpto Sacramento quietior, & confidentior quoq; factus sit animus. Nam antea, quam primum subibat animum, uel mortis uel peccatorum facies, tum statim territus animus, quo se uerteret, nesciebat.

Eos terrores, si non amplius sentias, ne putes id accidere tua quadam ui, Maior ea res est, quam quæ humanis paretur uiribus. Neq; enim ante hoc seculum cum nostris studijs & satisfactionibus nos excruciaremus, peruenire eo nobis licuit. Sentiri & illa possunt, an eum, qui te offendit, iam ames, an eius miserearis, qui in aliquam calamitatem est coniectus, item num priuata uita sit aliquanto reddita sanctior.

Quod si nihil istorum sentias, Oratio reliqua est, qua Deo de tua miseria conqueraris, ut is suo Spiritu infirmitati tuæ medeatur. Nam cum nullus nostrum sit perfectus, nunquam cessare ab Oratione nos conuenit. Atq; hæc de Sacramento corporis & sanguinis Christi iam sufficiant.

FINIS.

IIII. CON-

IIII. CONCIO QVOMODO SIT ORANDVM.

RImum omnium duo requiruntur ad ueram ac Deo gratam orationem, quæ certo hoc quod petit, consequitur. Alterum est, ut habeamus promissionem Dei. Alterum, ut de illa promissione nihil dubitemus. Oportet autem eam promissionem Dei, iam ante bene meditatam esse, ut oraturi, de ea commonefaciamus Deum, Tum futurum est, ut illa ratione nos excitemur ad confidentius orandum. Nisi enim diuinitus mandatum ad orandum haberemus, nisi item promisisset Deus se nos exauditurum, ne uel minimum quiddam suis precibus omnes Creaturæ impetrare possent. *Duo requiruntur ad ueram Orationē*

Atque hic uides, non nostris precibus aut dignitati nostræ acceptum ferendum esse, si quid a Deo impetramus, sed inexhaustæ bonitati Dei, quæ nostras preces ac uota multo anteuertit, sua promissione & mandato, quibus ad orandum nos excitat. Vt uel hac ratione discamus, eum longe magis pro nobis solicitum esse, & promptiorem ad largiendum, quam nos simus, uel ad accipiendum uel ad petendum. Quia autem plus offert nobis bonorum, quam ipsi optare simus ausi, deberet ea liberalitas Dei nos accendere & confirmare, ut sine ulla hæsitatione confidenter oraremus. *Deus promptior ad dandum quam nos ad petendum.*

SEcundo, hoc quoque, sicut diximus, ad ueram orationem requiritur, ne quid de promissione ueracis ac fidelis Dei dubitemus. Illa enim potissimum ratione se nos exauditurum promisit, ac mandatum orandi dedit, ut certi essemus, & firmiter crederemus fore, ut nos certo exaudiret. Sicut dicit Matth. 21. & Mar. 11. Dico uobis: Quæcunque orantes petitis, credite quod accipietis, & erunt uobis. Et Luc. 11. Petite & accipietis, querite, & inuenietis, pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit, Et qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Quis autem ex uobis pater, à quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? Aut si piscem, num pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, num porriget illi Scorpiū? Si ergo uos, cum sitis mali, nostis bona dare filijs uestris, quanto magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum poscentibus se. His & similibus, tum promissionibus, tum præceptis, confirmandus animus est, ut confidenter oremus, certi, omnia quæ petimus nos accepturos. *Matt. 21. Mar. 11. Luc. 11.*

TErtio, Si qui autē dubitant de uoluntate Dei, cum orant, & temere orant, siue fiat quod postulant, siue non, illi duo peccata cōmittunt. I.
Primum, quod ipsorum uitio accidit, quo minus aliquid ea oratio ualeat, & quod frustra laborant. Ita enim & S. Iacobus ait: Si quis à Deo aliquid postulat, postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui à uento mouetur, & impetu rapitur. Neque enim existimet homo ille, se quicquam a Deo accepturum. Quæ Iacobi uerba sic accipienda sunt, Ideo nihil à Deo impetrant, qui hæsitant, quod corda ipsorum non sint certa ac quieta. Fides autem cor quietum retinet, ut possit diuina dona suscipere. *Iacob. 1.* *Hæsitantes in oratione, à Deo nihil impetrant.*

Alterum autem, in quo peccant, si quid sine fide orant, hoc est, quod II.
fideli ac ueraci Deo, ceu mendaci ac futuli uiro, non habent fidem, perinde atque promissa facere uel non possit uel nolit Deus. Atque hi gloriam ac nomen sum

men summo Deo eripiunt, quod non credunt eum fidelem & ueracem esse. Tantum autem hoc est peccatum, ut ex Christiano Ethnicum faciat, & nonsolum negatur hoc peccato Deus, sed prorsus amittitur, neq; ulla spes salutis est, quamdiu in hoc peccato manserimus. Quod si accidit aliquando, ut impetrent aliquid, qui sic sine fiducia orauerint, datur eis illud ipsum donum ad perniciem tum corporis tum animæ, ab irato Deo, ut habeatur saltem honos aliquis sacris uerbis, quæ ab hominibus peccato, infidelitate & contemptu Dei plenis, proferuntur.

QVarto, neq; illi recte sentiunt, qui tum putant se orando aliquid impetrare posse, si digni ad orandum accedant. Non autem est hoc spectandum, dignus an indignus sis, qui ores. Si enim non ante nobis orandum erat, quam sentiremus ipsi nos dignos & aptos, nunquam possemus orare. Nostra enim oratio, sicut ante monuimus, nititur non in dignitate, quam nos afferimus, sed in constanti ueritate diuinæ promissionis. Et sane si oratio uel in se uel in alio quodam nitatur, uana est & frustranea, etiamsi ex cordis pio affectu progressa uideatur, & oculi non aquam, sed sanguinis guttas lachrymando effundant.

Oratio niti debet constanti ueritate diuinæ promissionis.

Ideo autem oramus, quod digne orare non possumus, & ideo digni su dicamur, qui oremus & exaudiamur, quod sentiamus nostram indignitatem, & solius Dei benignitate & fide audeamus. Quantumuis indignum te sentias, qui à Deo uel postulare aliquid uel accipere merearis, hoc unicum tantum specta, ut honore nomen eius, quod uerax sit, afficias, neq; incredulitas tua, fida ipsius promissa pro mendacio reputet. Neq; enim indignitas tua te impedit, sicut quoq; nihil te promouet, si sis dignus, Sed sola incredulitas te damnat, fides autem dignum te facit, & seruat te.

Hoc igitur diligenter cauebis, ne unquam te dignum, siue ad adorandum siue ad accipiendum existimes, nisi tum, cum sentias te posse tuto audere, & inniti certis ac ueracibus promissis propicij tui Dei, De cuius misericordia eo debebas esse certior, quod quemadmodum promisit indigno ac immerito tibi, se nihil negaturum, ita quoq; quantumuis indignus sis, exaudire tamen te uult, ut redimat fidem suam, quam tibi dedit.

Adeo nihil nostris meritis aut dignitati nostræ relictum est, sed omnia sibi uendicant, tum ueritas Dei, quæ promissionibus satisfacit, tum etiam misericordia Dei, ex qua, ceu ex fonte, omnes promissiones manarunt, *Psal. 25.*
ut rata maneat sententia illa, Psal. 25. Vniuersæ uiæ Domini, misericordia & ueritas. Misericordiam enim cernimus in promissionibus, Veritatem autem, tum cum seruantur & fiunt. Et Psalmo 85. Misericordia & ueritas obuiauerunt sibi, hoc est, conueniunt & cernuntur, coniunctæ in unoquoq; opere aut dono, quod a Deo precibus nostris impetramus. *Psal. 85.*

Misericordia. Veritas.

QVinto, Illa fides, qua Dei promissionibus credimus, sic nobis moderanda est, ne quem terminum, tempus, locum aut modum Deo statuamus, sed omnia illa relinquamus uoluntati, sapientiæ ac omnipotentiæ ipsius, certi fore, ut fiant quæ petimus, etiamsi neq; locus, neq; tempus, neq; etiam ratio, qua fiant, appareat. Hoc enim certum est, diuinam sapientiam longe melius illa nosse ac præuidere quam nos. Si igitur Deo credideris, & omnia illius arbitrio deposueris, certo fient, quæ petis, uel per miracula, si alia nulla sit ratio, qua fiant.

Id quod in populo Israelitico uidemus, qui cum Deo credidisset, fore, *Exod. 14.*
ut se liberaret ab hoste, neq; tamen uia aliqua appareret, qua id fieret, subito

bito se mare rubrum aperuit, ac uiam qua transirent, dedit, Hostes autem ad unum omnes obruit ac demersit. *Mare rubrum praebuit uiam populo Israelitico.*

Sic Iudith sancta mulier, cum accepisset, hoc consilium cœpisse ciues Bethuliç, se, ni Deus intra quinque dies opem ferret, dedituros hosti ciuitatem, grauiter reprehendit illos, & dicit: Qui nam uos estis, qui tentatis ita Dominum? Non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis uos tempus miserationis Domini, & in arbitrium uestrum diem constituistis ei? Mira ergo ratione liberauit ipsam Dominus, ut capite Holofernen truncaret, & repelleret ita exercitum ab urbe. Iudith. 8. Sic ad Ephe. 3. quoque Paulus dicit, Hunc esse morem Dei, ut omnia faciat longe alia ratione, ac melius multo, quam nos uel orare, uel intelligere possimus. *Iudith.* *Holofernes.* *Iudith. 8.* *Ephe. 3.*

Sic igitur sentiamus, longe nos inferiores esse, quam qui statuamus aut præscribamus in oratione nostra Deo, uel tempus, uel locum, uel modum, uel quamcunque aliam circumstantiam, sed omnia relinquamus diuinæ illius uoluntati, & constanter credamus, certo fore, ut nos exaudiat.

FINIS.

V CONCIO DE MATRIMONIO.

PRimo, Cum Deus creasset Adam, adduxit ad illum omnia animantia. Inter quæ, cum non inueniretur quodpiam illi conforme, inquit Deus: Non est bonum, quod Adam solus sit, faciam ei adiutricem, quæ parata sit ad manum. Et immisit soporem in Adam. Cumque obdormisset, tulit unam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. Et adduxit eam ad Adam. Tum Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Vocetur autem uirago, quoniam de uiro sumpta est. Propterea relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.

Hæc omnia sunt uerba Dei, quibus uiri & uxoris exordium describitur, & eorum coniunctio, & quamobrem facta mulier, denique quis amor esse debet inter coniuges.

SEcundo, Quando Deus non coniungit matrimonium, & non adest ceu pronubus, tum accidit ut solet, quod hic insinuatur, ex hoc quod Adam nullam inuenit Coniugem, donec ei prouideret Dominus de Heua, quam cum uidisset, cœpit recte amare, & sinceriter cognoscens apud se hanc esse Coniugem suam.

Iuuenes ergo & ij, quorum animus est, matrimonium subire, docendi sunt, sedulo & diligenter orandum esse, ut Dominus Deus dignetur disponere fœlix coniugium. Ad quod Salomon etiam hortatur, dicens: Domus & diuitiæ dantur a parentibus, a Domino autem proprie uxor prudens. Heua a solo Deo Adæ concessa est.

Res itaq; magna in conspectu Dei matrimonium est, tametsi imprudens Iuuentus, in qua affectus dominantur, plerunq; circa hoc errat. Nam factum est non sine causa, & admirabili quodam consilio, quod Dominus Deus solum hominem Matrimonio copulauit. Reliquis animantibus tantum dixit; Crescite & multiplicamini, non adducens masculum ad fœminam. Vnde & inter bruta animalia matrimonium non est. Adæ autem creauit uxorem ex propria costa, adduxit, & consentienti acceptantiq; copulauit.

Vxor adiutorium uiri.

TErtio, Creata est uxor ea causa, ut esset Adiutorium uiri, cum in omnibus rebus, tum præcipue, ut liberos generaret, id hodie adhuc obseruatur utcunq;. Post lapsum uiri & mulieris affectus corruptissimi sunt, quando maior pars non ob mutuum auxilium, sine liberorum amore, ut institutum est, conueniunt, quin magis ad explendam carnis libidinem.

Viri & uxoris amor.

QVarto, Matrimonium dijudicat inter amores, Viri & uxoris amorem maximum esse oportet inter uniuersos amores. Sic enim scriptum est: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ, Vxor uicissim uiro suo, Boni adhuc hodie obseruant. *Matt. 19.*

Triplex amor, Falsus, Naturalis, Coniugalis.

DEinde notandum, quod triplex est amor, Falsus, Naturalis Coniugalis. Falsus amor quærit pecuniam, honorem, opes, mulieres quoq; prohibitas ex præcepto Dei. Naturalis est inter parentes & prolem, fratres & sorores, & consanguineos. Tertius uero, qui coniugalis dicitur, duos primos excedens, ceu ignis ardet, nihil quærit, nihil desiderat præter coniugem. Sic enim inquit: Nec argentum tuum nec aurum, neq; hoc, neq; illud, sed te uolo, & præter te nihil prorsus. Cæteri amores, ultra id quod uidentur amare, aliud quæritant, sed coniugalis id quod diligit totum possidere uult. Quod si Adam in innocentia perseuerasset, exoptabilissimum rerum omnium duceretur sponsum esse uel sponsam.

Amor impurus per peccatum originale redditus.

Veruntamen ille amor iam impurus redditus est, quandoquidem uterque coniugum in altero quærit, quo concupiscentiæ male satisfaciat. Hinc est, quod hoc tempore status matrimonialis syncerus & sine peccato esse uix possit. Est enim ceu hospitale infirmorum, quando matrimonio præcauetur, ne corruamus in grauiora delicta. Innocenti Adæ facilimum erat uirginitatem seruare & castitatem, quod nostra ætate sine singulari gratia Dei uix possibile fuerit. Quapropter neq; Christus præcepit castitatem, neq; aliquis Apostolorum, cum prædicarent. Tametsi illam nobis maximopere commendent, consulentes & præmio sollicitantes, si quis queat assequi. Qui autem non potest, contrahat legitimum matrimonium. Satius enim est contrahere, quam uri, & tamen melior castitas, si cui contingat. *1. Cor. 7.*

Sacramentū quid?

Cæterum, Doctores circa matrimonium tria bona excogitarunt, his cauentes, ne carnalis concupiscentia omnino esset mortifera. Primo, quod connumeratur inter Sacramenta. Sacramentum scilicet rei sacræ signum est, spirituale quippiam significans, cœleste & æternum. Exempli gratia, Baptismus, quo presbyteri pueros abluunt, diuinam, sanctam & æternam Dei gratiam designat, quæ simul infunditur in corpus & animam baptizati, & quæ purgat a peccato originali, faciens omnia munda templumq; Dei. Hæc, inquam, spiritualia sunt & corporalibus externisq; rebus longe maiora, per quæ representantur.

Matrimonium dicitur Sacramentum.

Matrimonium ergo Sacramentum dicitur. Est namq; typus rei nobilissimæ

lissimæ & sanctissimæ, hoc est, unionis humanæ & diuinæ naturæ in Christo. Hinc inquit Paulus: Quemadmodum uir & mulier duo quædam unum sunt in carne una, ita Deus & homo unus Christus, ita Christus & Ecclesia, unum corpus, quod profecto magnum est Sacramentum.

Ephe. 5.

Omnino itaque res sancta est & sacra matrimonium, si rite fuerit obseruatum, in cuius typo significatur is, qui cum Deus esset, factus est homo, qui cum in cœlis, habitauit in hominibus, semet illis impartiens, cuius exemplo Coniuges quoque uiuant.

Aduertendum est hic, uel propter Dei honorem, quam sacrosanctam rem repræsentet copulatio uiri & mulieris, certe humanitatem Christi Ihesu seruatoris. A quo hoc priuilegij manauit, ne affectus carnis prorsus essent læthales. Hi enim in nobis extirpari non possunt penitus, mortiferi tamen sunt, quoties extra matrimonium consumantur.

Quapropter Coniuges dignitatem huius Sacramenti perpendant ueneranturque. Vxori uir debitam beneuolentiã reddat, similiter & uxor uiro, uideantque ne propter importunas concupiscentias affectus humanus fiat beluinus & irrationalis.

1. Cor. 7.

SEcundum bonum, Matrimonium uinculum fidei dicitur. Fides enim fundamentum est & summa matrimonij, Alter enim alteri sese deuouet & dat, seclusis omnibus alijs. Quia ergo copulati matrimonio concupiscentiæ carnali occluserunt omnes uias, & quisquis sua coniuge contentus uiuit, nec passim deliciatur, Dominus Deus ex gratia concedit, ut huiusmodi delectatione gaudeant, etiamsi illa sit citra spem fructus, modo seruetur modestia, ne Coniugum amor fiat brutorum.

Vinculum fidei in coniugio.

HIc dicendum foret, quibus nam uerbis contrahentes uti possent. Verum res ita est inuoluta & impedita, ut ego iuxta meum captum & simplicitatem intelligere non possim. Verendum quoque, quod multa matrimonia ad hanc Regulam examinata, non sint matrimonia. Tamen cum præcipue constet ex consensu mutuo, nolo ego in præsentiarum definire, sed Deo, cuius iudicia sunt incomprehensibilia & mirabilia, committo.

Quibus uerbis contrahentes uti possint.

Verba communiter obseruata hæc sunt: Ego sum tuus, Tu es mea, Quanquam acuti quidam opinentur, non satis esse, cum dicitur: Ego te accipio, uel accipiam te, uel id genus alia uerba. Malim tamen ego iudicare iuxta mentem, quam tunc utraque personarum contrahentium habuit.

Præterea circa hoc, quod nonnunquam tacite aliquis promittit uni, deinde alteram ducit, uel occulte uel manifeste, nescio an omnia uera sint & recta, quæ dicuntur, & scribuntur. Hoc meum consilium est: Parentes suos Liberos instruant, ne uerecundentur ab eis petere coniuges. Item doceantur, ne citra Parentum uoluntatem contrahant. Si enim te non pudet togam, domum, & alia id genus à Parentibus petere, cur pudebit coniugem petere, rem multo magis necessariam? Quod Sampson fecisse dicitur, qui cum in ciuitate quadam uideret Puellam elegantem, & quæ ei placeret, reuersus ad parentes, Vidi, inquit, puellam, quam amo, rogo uos, date mihi illam in uxorem.

Iudic. 14.

TErtium bonum matrimonij, Fructus dicitur, qui finis & officium matrimonij præcipuum est. Porro, ut Doctores de fructu loquuntur, cum dicunt fructum excusare peccatum, non satis est, accepisse fructum matrimonij, nisi educatur ad laudem & honorem Dei, alioqui gentiles

Finis coniugii præcipuus.

gentiles hunc fructum etiam habent. Sunt qui solum hæredes quærunt, uel delectationem ex pueris, nihil curantes gloriam Dei, ad quam oporteret semper spectare. Et sunt, qui cum ignorent præcepta Dei, ignorent pietatem pueris inculcandam præcipue, parentes tamen fiunt. Hoc audiant, qui in matrimonio copulati sunt, quod nullum opus Deo gratius, Christianæ reipublicæ nihil utilius, parentibus & liberis nihil salubrius contingere potest, quam si pueri pie instituantur. Peregrinationes ad Romam, Hierusalem, ad Compostellam S. Iacobi, nihil sunt collatæ ad hoc, quod est ceu regia uia parentibus perueniendi ad regnum Dei. Preterea hoc officio carere tam absurdum uidetur, quam ignem non urere, aquam non humectare.

Pia institutio puerorum.

Vt ergo in liberis tuis cœlum, sic infernum quoq; citissime meruisti. Nihil abiectius, execrabiliusue feceris, quam si negligenter pueros tuos educas, quod tum fit, quando finis blasphemare, impudenter loqui, impuras cantilenas discere, & iuxta prauam eorum uoluntatem uiuere.

Tales sunt quidam, qui pueros indecenti amictu ad mundum alliciunt, ad pompam & fastum uitæ, ad diuitias instigant, ad honores, magis solliciti de corpore quam anima puerorum, neq; considerantes maximam iacturam imminere rebus Christianis, per pueros perperam institutos, quæ si debent reformari, necesse est, ut olim à pueris fiat initium.

Hoc tertium bonum matrimonij, maximum est & utilissimum, quod non solum debita matrimonij & imperfectiones, uerum etiam omnia alia peccata tolleret, si modo falsus amor lapsæ naturæ non usq; adeo obcæcaret miseros parentes, qui pluris faciunt puerorum corpora, quam animos. Hinc Salomon: Qui parcit uirgæ, is odit filium proprium, & qui diligit filium, sæpius castigat. Sunt in corde pueri stulta decreta & puerilia, quæ per uirgam tolluntur. Hinc idem: Si uirga percusseris filium, redimes animam eius ab inferno. *Prou. 13.*

Necesse est, ut diligentius & frequentius meditentur Coniuges, quæ saluti animæ conducunt, quam quæ corporis. Itaq; tandem sic tibi persuade, quod puer est ceu thesaurus eximius à Deo commissus magna diligentia custodiendus, ne à diabolo, mundo uel carne possit seduci, & quod hunc thesaurum in morte & extremo iudicio accurato examine repetiturus sit Deus. Vnde enim miserabilis eiulatus, & horrendus fletus earum, quæ plangent, dicentes: Beati uentres, qui non pepererunt, & beata ubera, quæ non lactauerunt? Proculdubio ex hoc, quod filios commissos à Deo pessime educarunt. O sanctam conditionem matrimonij, si recte: miseram, si male fuerit obseruata. *Luc. 23.*

Hæc si quis animaduerteret, facillime concupiscentiam carnis refrenaret, & fortassis citius arriperet institutum uirginitatis, quam matrimonij. Iuuentus cupiditatum sequax, hæc ceu parua æstimat, Deus autem non sic, qui iuste iudicaturus, magnifaciet.

SVMMA.

Si uis ueram agere pœnitentiam, summas Indulgentias hic & alibi acquirere, fœliciter mori, tuam prosapiam augeri & amplificari, summa diligentia, totis uiribus conare, ut pueri bene instituantur. Si per te non potes, utere aliorum opera, qui sciant, possint & uelint, nec parce labori, pecunijs aut sumptui. Hæc sunt altaria, testamenta, uigiliæ & missæ defunctorum, item lumina, quæ tibi lucebunt perpetuo, hic dum uixeris, & alibi post mortem in uita æterna.

VI. Con-

VI. CONCIO QVOMODO SIT PARANDVS ANIMVS AD MORTEM.

PRimo, Mors est huius uitæ omniumq; humanorum operum finis. Necesse igitur est, ut quantum ad Fortunas attinet, sua bona unusquisq; ijs deleget, quos & leges & sua uoluntas iubent succedere, ne aliqua litigandi & contendendi occasio relinquatur Successoribus, ad quos redire debet hæreditas. Est autem hæc externa & corporalis quædam ratio, qua mundum deserimus, & dicimus uale facultatibus & fortunis nostris. *Mors huius uitæ &c.*

SEcundo, Est autem alia quædam ratio, qua mundum deserimus, quam spiritualem appellare licet, ut propter Deum condonemus alijs, si quid in nos commiserint. Item ut uicissim nos quoq; rogemus ueniam ab ijs, quos ipsi offendimus, uel malis Exemplis, uel quod minus officiorum quam conueniebat, in ipsos contulerimus. Habemus enim Dei mandatum, ut alij alijs mutuis charitatis officijs adsimus, Ideo autem hoc quoque requiritur, ne quid relinquatur, quod conscientiam grauare possit.

TErtio, Postquam ita omnibus hominibus ualedixeris, tum in solum Deum defigendi sunt oculi. Nam ad eum quoq; nos per mortem ducimur. Est autem hæc angusta illa porta, & arcta semita ad uitam, eam confidenter ingrediamur necesse est. Quamuis enim arcta sit illa semita: est tamen compendiaria & breuis. *Angusta porta ad uitam.*

Et quemadmodum satis magno cum periculo Puer ex illa angusta materni uteri cellula, in amplum hoc & iucundū cœli lumen editur, Sic homo per illam mortis portam ex hac misera uita in perpetuam uitam immigrat. Et quanquam hoc cœli spacium, in quo iam uiuimus, item illa terræ magnitudo satis ampla uideantur, tanto tamen sunt minora & angustiora, si ad futuros cœlos compares, quanto uterus maternus angustior est eo mundo, in quo iam sumus.

Recte igitur dixerunt, qui piorum mortem regenerationem quandam esse dicunt, & Festa quoq; in piorum memoriam instituta, recte natales appellantur. Verum, quia semita mortis angustior est, ideo & hanc uitam ampliorem, & illam futuram angustiorem esse ducimus. *Piorum mors regeneratio.*

Fide igitur apprehendenda ista sunt, & potest nobis exemplo esse, quo confirmetur illa infantis natiuitas. Proposuit enim & eam similitudinem nobis Christus. Mulier, inquit, cum parit, dolorem habet, quia uenit hora eius, cum autem pepererit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quod gaudeat hominē natum esse in mundo. Sic in morte quoque est hoc periculum constanti fide subeundum, & sunt deuorandi illi angores, futurum enim est, ut in longe præstantiorem uitam, in qua perpetuum & solidum sit gaudium, immigremus. *Natiuitas infantis. Iohan. 16.*

QVarto, Porro sic te rectissime ad hoc iter comparaueris. Principio omnium, si confitearis peccata tua, præsertim ea, quæ te magis excruciant, & quæ tum maxime se menti offerunt. Item si Sacramentum corporis & sanguinis Christi, cum commode haberi possit, suscipias. Quod si non possit haberi, solatio tamen hoc esse poterit, quod habere ipsum

re ipsum cupias & exoptes. Neq; adeo ea res te conturbabit, Sic enim Christus dicit: Omnia credenti sunt possibilia. Neq; enim sunt Sacramenta aliud, quam signa, quæ fidem confirmant, & quæ nos ad credendum inuitant, quęq; sine fide prorsus nihil prosunt.

Omnia credẽti possibilia sunt.

QVinto, Hoc autem omnino præstandum est, ne contemnamus Sacramenta, sed ut ea magnificiamus & reuereamur, & tuto ijs innitamur. Debemus enim sic sentire, maius in ijs esse pondus, quam uel in peccatis nostris, uel morte, uel inferno. Atque his sane opponi Sacramenta debent, Neque nos tam de peccatis nostris, quam de Sacramentis sollicitos esse conuenit.

Venerari Sacramenta.

Video autem hic monendum esse, Et quid sit uenerari Sacramenta, & quæ eorum uis sit. Porro sic ueneranda sunt, ut credas uera esse, & tibi donari quoq; omnia illa, quæ per Sacramenta significantur, item quæ à Deo dicuntur, Vt dicere illud Mariæ possis: Fiat mihi & secundum uerba & signa tua. Nam cum uerbum & signum tibi à sacerdote, qui Dei uice fungitur, proponantur, nulla maiore contumelia affici, & uerbum & signum Dei poterat, quam si de fide ipsius dubites, quemadmodum quoq; maiore honore affici Deus nõ potest, quam si credas ei, futurum, ut promissa faciat.

Sacramentorũ uis.

SExto, Sacramentorum uim tum maxime intelliges, si noris antea, quæ nam illa sint, contra quæ potissimum pugnent. Sunt autem tria, Primum est horrenda facies mortis, Secundum, facies peccati, Tertium, infernus & æterna damnatio. Porro unumquodq; horum maius & formidabilius efficitur, si & alia quædam accedant.

Mors.

Nam mors tum demum horribilior & grauior esse uidetur, cum natura, alioqui imbecillis & desperata, ipsius imaginem quandam animo concipit & in eam tota defigit oculos.

Insidiæ diaboli.

Atrociora autem illa fiunt, cum Satan quoq; accedit, ille enim efficit, ut horribilis & terroris plena mortis facies altius animo imprimatur, ut fractus animus illo intuitu succumbat & desperet.

Nonnunquam etiam Satan omnis generis Exempla conuerrit, quibus nos euertat, horribiles interitus, indignas cædes, subita fata animo obijcit, in memoriã redigit quicquid unquam uel ipsi uidimus uel legimus alicubi, quam misere quidam perierint.

Addit præterea iudicium & iram Dei, quam graues & horribiles pœnas in peccatores Deus constituerit.

Addit item Exempla illorum, quos Deus grauiter puniuit.

Porro omnia illa ideo exaggerat, ut metu mortis fractus animus, auidius uitam expetat, ut occupatus illa sollicitudine retinendæ uitæ, Dei prorsus obliuiscatur, Vt item mortem fugiat & exosam habeat contra Dei uoluntatem ac mandatum. Quanto enim altius illa de morte cogitatio animo fuerit impressa, tanto difficilius adeoq; maiore cum periculo mortem toleramus.

☞ *Mors quando ualidissima est.*

Sic igitur faciendum erat, Sæpius hæc de morte cogitatio erat reuocanda in animum, dum incolumes uiuimus, dumq; procul adhuc mortem abesse censemus. Tum cum iam moriendum est, ac nos ipsa mors urget, plus diligentior mortis meditatio obest, ꝙ prodest, Imo tum omnino alio deflectendi sunt oculi, & ꝙ longissime ejcienda animo illa mortis cogitatio est, sicut infra monebimus. Nam mors tum demum est ualidissima, si alioqui infirma natura, importuna ac nimia cogitatione mortis se defatiget.

SEptimo

SEptimo, Eadem ratione & peccatū augescit, si sæpius & altius de Deo cogites. Multū autem ad eam rem facit iam ante territa conscientia, quæ & suo iudicio damnata est, & pudet quoque eam admissi peccati. Est autem tum magna fenestra Satanę ad exercendos nos, aperta, rimatur omnia, nos urget, peccata quoque longe grauiora atque sunt, fingit. Et mirus Artifex, omnia omnium peccatorum, qui unquam fuerunt, Exempla ante oculos ponit, redigit in memoriam illorum triste iudicium, qui ob longe leuiora peccata ęterna morte sunt damnati. *Peccatum.* *Satanæ dolus.*

Efficit autem his tentationibus, ut aut desperatione uictus animus succumbat, aut contra Dei uoluntatem, retinere uitam cupiat, ut oblitus Dei parere Deo nolit, & inuitus mortem obeat. Præcipue autem tum illa solent accidere, cum persuadet sibi homo necessariam & utilem hanc de peccato cogitationem esse. Sentit enim se imparatum, & ad mortem iam subeundam adeo non instructum, ut omnia illa bona opera, quæ per uitam fecerit, tum peccatorum faciem induant, Et tantum abest, ut aliquod de illis speret præmium, ut etiam illorum recordatio grauius sibi faciat diuinum iudicium. Tum enim sentit animus, Deum longe præstantiora & magis quoque pura opera a nobis exigere, quam illa, quæ fecimus, fuerint.

Necessario igitur sequitur odium mortis, & animus diuinæ uoluntati non obediens, adeoque æterna damnatio. Neque enim commodum id est tempus, cum nobis moriendum est, quo peccati memoriam reuocare in animum conueniebat, illa cogitatio non in periculo uitę, sed tum, cum essemus incolumes, sollicitare nos debebat. Peruertit igitur omnium rerum ordinem Satan, Dum uiuimus, peccatorum, mortis & inferni faciem prorsus ex oculis remouet. Atqui conueniebat, ut tum ea nos cogitatio exerceret, Sicut Psal. 51. dicitur: Peccatum meum coram me est semper. Rursus cum moriendum est, & concipienda erat animo æterna uita, gratia & beatitudo, fraudulentus Spiritus peccata tum animo obijcit, in ea nostræ mentis aciem conuertit, ut conspectu peccatorum prohibiti, ad uitam & gratiam respicere non possimus. *Psal. 51.*

OCtauo, infernus quoque tum augescit & fit amplior, si maior & diligentior de eo cogitatio inopportuniore tempore animum occupet. Maximum autem ad hanc rem momentum affert, quod nescimus Dei iudicium. Satan igitur sollicitat nos, non solum impia & uana, sed etiam periculosissima illa cura, de iudicio Dei. Num simus prædestinati nec ne. Et sane in hac tentatione omnes suas uires, artes & dolos Satan effundit. *Infernus.*

Quare etiam nisi caueat homo, paulatim eum supra Deum euehet, ut quęrat signa diuinæ uoluntatis, & impatienter ferat quod non certus esse possit de sua salute, & de uoluntate Dei arcana. Venit igitur nobis in suspicionem Deus, ac si nos odisset, & eo fere ratio pertrahitur, ut cupiat & optet iam alium Deum. Quid multis moror? hac cogitatione, ceu turbine quodam dispergere & extinguere amorem Dei, & Dei odium excitare, Satan nititur.

Quanto igitur plus huic cogitationi indulserit animus, eo etiam in grauiora conijcitur pericula, neque peruincere potest, quin in odium Dei & blasphemias prolabatur. Nam quid, quæso, aliud est sollicitum esse de prædestinatione, quam omnia illa uelle scire quæ Deus scit, ut nos quoque pares simus Deo, neque ille plus sciat, quam nos? Quod si omnia illa, quæ Deus nouit, nos quoque nosse cupimus, Quid quæso, aliud hoc est, quam uelle, ut Deus non sit Deus. *Sollicitum esse de prædestinatione.*

Hic animo suggerit malignus ille spiritus, quantus gentium, quantus Iudæorum, quantus Christianorum quoque numerus damnatus sit. Fit autem his periculosis & uanis cogitationibus, ut, si nulla alia, uel hæc unica res odium mortis in nobis excitet. Et hanc quidem de prædestinatione tentationem, tentationem inferni appellarunt, de qua multa passim in psalmis Dauid conqueritur, quam qui uicerit, is simul & infernum, & peccatum & mortem uicit.

Tentatio de prædestinatione.

NOno, Porro, summa cura caueri oportet, ne quod horum trium ultro accersamus, uenient enim etiam non uocata, & suo obtutu, item disputationibus & demonstrationibus totum uolent occupare pectus. Quod si fiat, actum est de homine. Dum enim cum illis cogitationibus luctatur, Dei prorsus obliuiscitur. Neq; alio consilio Deus nos illa mortis, peccati & inferni cogitatione in morte tentat, quam ut illa omnia a nobis uincantur, & prorsus, eijciantur animo. Quod si mors, peccatum & infernus sola sint, neque tu in morte uitam, in peccato iusticiam, in inferno beatitudinem, uideas (id quod post latius explicabimus) remittenda tum sunt in infernum usque ad collegium malorum spirituum, neque cogitare debes, quod ad te pertineant.

Qui igitur fœliciter cum illis depugnare & uincere uolet, ille non hoc faciat, ut suis uiribus fortunam tentet. Nam robore & uirium uigore longe nos superant. Hoc artis est, prorsus contemnere hos hostes, neque omnino cum eis congredi, Id quod hoc modo fiet: Si in morte uitam, in peccatis gratiam, in inferno cœlos positos esse credas. Atque hæc fides retinenda firmiter est, etiamsi omnes Angeli, omnes creaturæ, imo etiam Deus ipse, diuersum uideatur sentire, id quod Satan mira arte nonnunquam efficit, ita enim fingit omnia, ut putes omnino aliam Dei esse uoluntatem, quam reuera est. Quod ergo huic malo inueniemus remedium miseri?

DEcimo, Mors non est talis concipienda animo, qualis aut ipsa est, aut nobis esse uidetur, aut qualis esse apparet, in ijs, qui ab irato Deo, a morte uicti, sunt cõdemnati. Nam si talem mortis faciem animo includas, succumbes & ipse.

Sed sic est faciendum, oculos, cor & cogitationes tuas omnes, ab illa mortis facie auertes, & talem eius imaginem includes animo, qualis est in ijs, qui in Domino obdormierunt, & uicerunt mortem, pręcipue autem qualis est in Christo, post, qualis in Sanctis quoque ipsius est.

Auertenda cogitatio à morte in uitam Christi.

Qui talem mortis faciem animo concipiunt, uident eam non amplius formidabilem & horrendam esse, sed contemptam & interemptam per uitam quoque deuictam & superatam. In Christo enim & Sanctis eius uita est, neque ulla mortis uestigia apparent.

Quanto igitur altius talem mortis imaginem animo impresseris, tanto ipsa mors magis obscurabitur, & sine ullo labore euanascet. Pacatum quoque cor erit, ut in pace cum Christo fœliciter obdormiat, Sicut in Apocalypsi scribitur: Beati, qui in Domino Ihesu moriuntur.

Læsi à serpẽtibus. Numc. 21.

Est atem huius rei elegantissima figura, Nume. 21. illi enim, qui a serpentibus læsi erant, non depugnabant cum serpentibus, sed illi æreum serpentem, qui nihil præter speciem serpentis habebat, intuebantur, & statim restituebantur sanitati. Sic quoque, si in Christi mortem defigas mentis oculos, uitam reperies, Sin autem aliam quandam mortis conceperis imaginem, succumbes & peribis. Recte igitur Christus dixit: In mundo quidem (hoc est, in uobis etiam ipsis) afflictionem habebitis, in me autem pacem. *Iohan. 16.*

Vndecimo,

VNdecimo, Sic peccati quoq; facies non est talis concipienda animo, qualis aut est per se, aut esse uidetur in ijs, qui cum non emendarent uitam, in peccatis suis perierunt. Nam si id fiat, perimus & nos. Auertendus est animus à peccatorum conspectu, & defigendi sunt oculi in gratiam, illius imaginem & formam animo obuersare assiduo conuenit.

Porro imago gratiæ est, Christus pendens in cruce, item omnes Sancti per misericordiam seruati. Id quod sic est accipiendum. Ea est gratia & misericordia, quod Christus cruci affixus peccata tua in se recipit, tollit ea, & prorsus abolet. Quod si credas ista, & defigas in crucifixum Christum oculos, nihil dubitans, quin omnia tua peccata simul cruci sint affixa & sublata, id tandem est gratiæ faciem & imaginem spectare ac intueri. *Imago gratiæ.*

Gratiæ quoq; imago in Sanctis est, qui per misericordiam seruati, crucem ac mortem tolerant, tuos labores & tentationes tuas, suas esse putant, sicut dicit Paulus Gala. 6. Alter alterius onera portate, & sic complete legem Christi. Sic Christus quoq; Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Sic tuto & sine aliquo periculo possumus peccata nostra intueri, etiam sine ullo conscientiæ nostræ terrore. Sic peccata non sunt amplius peccata, sed sunt per Christum deuicta & absorpta. *Gala. 6. Matt. 11.*

Quemadmodum enim Christus tuam mortem in se recepit, eamq; confecit, ut non possit amplius tibi nocere, si modo hoc credas, & tuam mortem in Christo, non in te, intuearis. Sic & peccata tua in se recipit, & uincit ea sua iusticia, quam gratis in te confert. Quod si credas, non possunt amplius peccata te condemnare. Sic est Christus exemplum ac imago gratiæ & uitæ, quem quotiescunq; uel peccato uel morte tentamur, opponere debemus. Id quod S. Paulus 1. Corint. 15. his uerbis dicit: Deo gratia, qui nobis dedit uictoriam peccati & mortis per Dominum nostrum Ihesum Christum. *1. Cor. 15.*

DVodecimo, Sicut autem de peccato & de morte monuimus, Ita quoq; de inferno & æterna damnatione dicimus, Cuius imago quædam est includenda in animum, non talis, qualis aut per se est, aut qualis in ijs, qui damnati sunt, esse uidetur. Nam si te ille ingens non prædestinatorum hominum numerus sollicitum habeat, periculum est, ne statim illa cogitatio te det præcipitem & euertat. Est igitur ui quadam perrumpendum, & occludendi sunt oculi, ne conspectu illius imaginis terreamur. Neq; enim hæc cogitatio quicquam nobis prodest, etsi eam per multos annos nobiscum agitauerimus, sed grauissime lædit potius. Defiges igitur oculos in cœlestem illam Christi imaginem, qui propter te descendit ad inferos, cum esset antea in cruce à Deo derelictus, non aliter atq; ij, qui perpetuis inferni cruciatibus addicti sunt. Sic enim exclamabat in cruce: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? *Inferni. Psal. 22.*

In hac Christi imagine uides, quod & peccata omnia sint deuicta, & prædestinatio de te confirmata & certificata, de qua alias certus esse non poteras. Si enim hæc res te sollicitum habeat, & tu firmiter ista credas, tum te fides illa seruabit. Nulla igitur tanta res animum occupabit tuum, quæ hanc imaginem obscuret, aut eripiat. Quod si quid tibi deest, quæres illud non in te, sed in Christo, & sine dubio inuenies.

Qui igitur Christum & Sanctos eius ad hunc modum intuentur, & gratiam Dei qua prædestinati, & seruati sunt, commendant ac probant *Prædestinati.*

illi quoque prædestinati & electi sunt. Sicut dicitur Gene.12. Omnes qui tibi benedicunt, benedicentur & ipsi. Qui autem non in illo gratiæ exemplo hærent, sed in se suamq; uituā defigunt oculos, in illis quoddā erga Deum & Sanctos eius excitabitur odium, ita ut omnio pereant, Id quod omnino diligenter cauendum est, Nam Satan omnibus uiruibs annitetur, ut id efficiat. Gene .12.

Tertiodecimo, Est autem Iud.7. quædam figura eius pugnæ descripta, quam humanus animus cum his tribus acerrimis hostibus, peccato, morte & inferno habet. Gedeon enim parua manu, trecentis scilicet militibus ingentem Madianitarum exercitum noctu inuadit, eosq; fundit, non gladio aut ui aliqua, sed tantum edito tubarum sonitu, & concussis lampadibus, quas gestabant. In fugam igitur omnes uersi Madianitæ, in mutua uulnera cædesq; mutuas ruebant. Iudic .7.

Madianitæ cæsi à Gedeone.

Sic peccatum quoque, mors, item infernus cum omnibus suis uiribus funduntur & superantur, si includamus in nostros animos lucentes illas imagines tum christi, tum Sanctorum eius. Si item nostros animos tuba illa, hoc est, uerbo diuino, cuius sonitum Satan ferre non potest, accendamus, Et quidem in nocte, hoc est, in fide, quæ ad illas horrendas facies non respicit sed contemnit eas potius.

Et sane in hunc modum Isaias cap.9. hanc figuram accepit, cum inquit: Iugum enim oneris eius, & uirgam humeri eius & sceptrum exactoris eius, superasti, sicut in die Madian. Atq; si sic dicat: Peccata tui populi, quibus ceu graui onere cōscientię ipsorum premebantur. Item mortem, quæ ceu uirga & pœna statim peccatum sequebatur, & grauiter affligebat humeros, Item infernum, qui exigit illam peccati pœnam, ceu durus quidam exactor, Illa omnia uicisti, sicut tempore Madian, hoc est, per fidem, per quam sine usu gladij, in fugam suos hostes Gedeon conuertit.

Iugum oneris eius Isa.9.

Verum dicat aliquis: Quando ista uictoria a Christo est parta? Tum scilicet, cum penderet Christus in cruce, ubi illas tres facies, ut ita dicā, induit, in quas cum fides respicit, confirmatur contra illas alias facies, quas Satan & caro nostra nobis obijciunt. Solus enim Christus est uiua illa mortis imago contra mortem, Quanquam enim uere in cruce sit mortuus, tamen resurrectione sua mortem, per uitam uictam esse euidenter demonstrauit.

Est quoque Christus gratię imago contra peccata, quæ etsi in se recepisset, tamen deuicit per inuictam illam obedientiam, qua se totum uoluntati Patris tradidit.

Est quoq; cœlestis illa imago contra infernum, quanquam enim a Deo derelictus esset, non aliter atq; is, qui ęternę damnationi est addictus, tamen infernum uicit suo amore in Patrem, quo omnia potest. Est autem id satis magnum argumentum, quod sit summe dilectus Filius. Porro omnia illa, quæ iam enumeraui, nostra sunt, si credamus.

Quartodecimo, Debet autem nobis magnæ consolationi esse, quod non solum mortem, peccatum, & infernum Christus deuicerit, ac nobis credendam illam uictoriam proposuerit, sed etiam quod sua sponte præter necessitatem, in se etiam illas tentationes receperit, ut nos suo Exemplo consolaretur ac confirmaret, Nam tentationem mortis, item peccati & inferni ipse quoque perpessus est.

Morte tum tentabatur, cum dicerent ad eum Iudei: Descendat nunc de cruce.

cruce. Alios seruauit, seruet nunc seipsum. Perinde atque si sic dicerent: Ecce iam sentis mortem, quæ tibi nolenti uolenti est subeunda, neque poteris effugere. Sicut Satan quoque tum, cum imminet mors, illam moriendi necessitatem horribili facie animo solet obijcere.

Peccato tentabatur Christus, cum dicerent ad eum Iudæi: Alios seruauit: Si filius Dei est, descendat iam de cruce &c. Perinde atque si sic dicerẽt: Imposuit nobis suis operibus, fuit impostor & nugator, est filius Satanæ, non Dei, est Satanæ mancipium tam corpore quam anima, nunquam quicquã in boni fecit, merito igitur iam dignas fert pœnas.

Quemamodum autem Iudæi Christo tum peccati, tum mortis, tum etiã inferni faciem, non certo ordine, sed confuse obijciebant. Sic nos quoque uno impetu omnibus illis oppugnamur, ut eo citius desperent animi. Ad eum quoque modum Christus uastationem Hierusalem describit Luc. 16. quod hostes eam circundabunt uallo ut nullibi exitus pateat. ea est mors. Secundo, quod undique coangustabunt eam & premant ita ut nullum usquam appareat auxilium: id est, peccatum. Tertio, quod eam solo æquabunt, ut non relinquatur lapis super lapidem: is est infernus & extrema desperatio.

Luce 16.

Vastatio Ierosolymorum.

Inferno autem tum tentabatur Christus, cum dicerent Iudæi: In Deum sperat, uideamus an eum sit liberaturus. Dicit se esse filium Dei. Perinde atque si sic dicerent, dignus est inferno, Deus eum non prædestinauit, abiecit eum, nihil ei prodest fides, quam habet, nihil spes, quam secum fouet irritam, Omnia sunt frustra.

Porro, quemadmodum Christum ad hos insultus Satanę tacere uidemus. Ita nos quoque faciamus, non colluctatur cum his Hostibus, negligit, & contemnit eos, perinde atque si eos nec uideret neque audiret. Et sane quid profuisset quantumuis acris colluctatio, magis eos irritasset, ac grauius in se commouisset eos. Hoc multo consultius est, quod in uoluntatem Patris sui respicit, quod mortem, peccata sua, ac infernum prorsus negligit, & crucifigentium se, imo omnium nostrum mortem, peccata, & infernum, deprecatur.

Christi exemplum.

Est autem nobis hoc Christi exemplum ad imitationem propositum, ut nihil moueamur illa mortis, peccati & inferni facie, sed saltem in Dei uoluntatem respiciamus. Ea enim est hærere in Christo, & constanter credere, nostram mortem, peccata & infernum per ipsum deuicta, nihil amplius nobis nocere posse. Ad hunc modum solius Christi imago nostris mentibus impressa esse debet, eam obuersari semper animi oculis conuenit, ut cum illo solo disputemus & agamus, illa autem Satanæ uana terriculamenta firma fide contemnamus.

QVintodecimo, Iam commode redimus ad Sacramenta, & ad eorum uim, quam habent, ut discamus, quis eorum sit usus, & quid prosint nobis.

Sacramentorum uis.

Merito igitur ille Deum amabit & prædicabit, mortem merito cum magna animi lęticia subibit is, cui per gratiam Dei tempus est datum, quo & peccata sua confiteri, & absolutionem audire, Item Sacramentum altaris sumere possit. Certus enim de sua salute est, qui securus uerbo Dei, quod audit, innititur, & fidem suam Sacramentis munit & confirmat.

In Sacramentis enim tecum loquitur, tecum agit Christus Dominus Deus tuus per Sacerdotem. Neque sentiendum est, quod uel opus illud uel uerbum, quod audis, sit hominis. Nam ipse Deus omnia tibi in illo uerbo promittit, quæ iam de Christo diximus. Et uult suæ fidei pignora esse illa Sacramenta, ut certus sis, quod Christi uita, tuam mortem, quod Christi obedientia, tua peccata, quod Christi amor, infernum tuum, in se receperit & deuicerit.

Est & aliud quoddam commodum, quod per hæc Sacramenta reliquis Sanctis te addunt socium, ut uenias in Sanctorum congregationem, & ueram Sanctorum communionem. Nam & tecum in Christo moriuntur, tecum peccata portant, tecum infernum quoque uincunt. Grauis ergo consolatio in illis Sacramentis est, quæ nihil aliud sunt, quam uerbum Dei & signum quoddam uisibile, quod in oculos incurrit. Et sicut illud uocale uerbum incurrit in aures, easque ferit, Ita Sacramenta signa sunt diuinæ uoluntatis subiecta oculis, quibus inniti fides debet, ceu firmo baculo, quo usus est Iacob Patriarcha cum pertransiret Iordanem, in quæ nostri oculi defixi esse debent ceu in lucernam, quæ uiæ dux est, in obscuro & caliginoso loco mortis, peccati & inferni. Sicut Propheta quoque dicit: Lucerna pedibus meis uerbum tuum. Et Petrus: Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, recte facitis &c.

Consolatio in Sacramentis proposita.

Iacob pertransiens Iordanem.

Psal. 119.

1. Pet. 2.

Et sane, quod nam aliud in mortis periculo quæres auxilium? Omnes enim quotquot seruantur, hoc freuantur signo, quod Christum tibi ostendit, & te ad Christum traducit, ut possis morti, peccato & inferno sic dicere: Deus promisit mihi gratiam suam, eiusque rei certum dedit signum, ceu pignus quoddam, in Sacramentis, quod & uita Christi meam mortem sua morte deuicerit, & obedientia Christi, mea sustulerit, sua passione, peccata, & amor Christi, in sui derelictione, infernum meum, deuastauerit.

Signa gratiæ.

Hęc signa gratiæ, hæc item salutis promissio, nunquam me fallet, Deus promisit, Deus mentiri non potest, Dei neque dicta, neque facta fallunt. Qui ad hunc modum uerbo Dei nititur, & Sacramentis ceu fulcris suam sustentat fidem, is non multum de prędestinatione sollicitus erit, sed certo sentiet Deum sui misertum in gratiam se recepisse.

SExtodecimo, Hoc igitur omnium maximum est, ut magnificemus & reuereamur Sacramenta, ijsque innitamur, Proponitur enim nobis in illis, uerbum Dei, promissio & signum diuini fauoris. Tum autem illud fiet, cum credemus, neque dubitabimus tum de Sacramentis, tum de ijs rebus, quarum sunt signa. Quod si dubites, nihil omnino ea tibi proderunt. Nam sicut Christus dicit: Vnicuique fit secundum fidem suam.

Quid enim, quæso, tibi profuerit, si credas Christum peccata, mortem & infernum aliorum deuicisse, & non credas deuicisse eum tuam mortem, tua peccata, & tuum infernum, teque redemisse? Frustra quoque Sacramentum sumes, si non credas omnia illa, quæ in Sacramento tibi promittuntur, in te iam collata, ac tua esse facta. Verum hoc omnium est grauissimum peccatum, existimare, quod & in uerbo suo, signo & opere, Deus mentiatur, item existimare, quod dicat & promittat, quæ præstare nunquam uelit.

Grauissimum peccatum.

Non igitur leuis res est, Sacramentum accipere, Requiritur ad id fides, qua secura se illis Dei signis, & promissionibus committat. Deus enim noster, Deus seruator est, qui a morte, peccato & inferno nos liberat. Non igitur contemnenda neque dicta neque facta illius sunt, id quod Satan nobis persuadere nititur. Sic enim suggerit: Heus tu, quid si indigne Sacramento esses usus? quid si tua indignitas te promissionibus illis ac gratia priuasset?

Sacramentum accipere.

Quamprimum illę cogitationes sollicitare te cœperint, munies te sancta cruce, & missam facies, siue dignitatem, siue indignitatem tuam, hoc tantum specta, ut credas esse signum additum, certo & uero Dei uerbo, & tum satis eris dignus: Dignos enim sola fides, indignos sola incredulitas, efficit.

Satan

Satan autem ideo te alia, tum dignitate, tum indignitate tentat, ut fidem tuam euertat, & ut Sacramenta nihil tibi prosint. In illud præterea peccatum te conijcere nititur, ut Deum mendacij arguas: Deus enim neq; uerbum neq; Sacramentum suum tuæ dignitati uult inniti, sed uult per suam gratiam, ut tu indignus, in uerbo & signo suo hæreas ac nitaris, ut sic dicere possis:

Cur diabolus tentet &c.

Deus est, qui signum & uerbum suum mihi dedit, ut certus essem, Christi uitam, gratiam, & cœlos, in quibus est, peccata, mortem, & infernum meum sustulisse, Sine dubio promissa faciet, tamq; certus sum de ijs uerbis quibus mihi mea peccata condonauit Sacerdos, atq; si Deum mecum loquentem audijssem. Si igitur Dei uerba sunt, certo fient. Hic consisto, hac spe & fiducia mortem lubens obibo. Hoc enim omnino fieri debet, ut tanti Sacerdotis uerba facias, atq; si Deus per Angelum suum aut Apostolum aliquem ea ad te perferri iussisset, atq; si ipse Christus præsens præsentem absoluisset. Vtemur enim communi & noto uocabulo.

SEptimodecimo, Multum igitur præ alijs is est consequutus, qui Sacramenta consequitur: Habet enim signa a Deo exhibita, habet promissionem Dei, quibus fidem suam confirmet, se iam omnium illorum esse factum participem, quæ Christus habet. Qui autem hæc Sacramenta non sunt consecuti, illi nulla externa & sensibus subiecta sustentacula fidei suæ habent. Fide tamen & cordis desiderio ea quoq; consequi possunt. Quod si in ea fide persistant, seruantur & ipsi.

Quemadmodum autem antea de Absolutione diximus, ita de Sacramento altaris quoque tibi est dicendum. Dedit mihi sacerdos corpus & sanguinē Ihesu Christi, quod signum & promissio est, me in consortium Christi & omnium Angelorum & Sanctorum receptum esse, ut illi me redament mei agant curam, orent pro me, meas afflictiones in se recipiant, confirmēt me, peccata mea portent, & infernum una superent.

Sacramentum Altaris.

Non autem est dubium quin hæc omnia sic sint euentura. Signum enim a Deo datum nunquam me fallet, neque quisquam erit, qui mihi illud eripiat. Et malim ego a toto mundo desciscere, & a me ipso quoque, q̄ dubitare de hac promissione. Scio Deum meum ueracem ac certum esse, Scio q; neminem suo signo & promissione sua fallat, Siue dignus sim, siue indignus, hoc scio, esse me sanctæ Christi Ecclesiæ membrum, cuius rei signum Sacramentum hoc habeo. Longe consultius est me indignum esse, quam de Dei fide dubitare, Apagesis Satan cum diuersum suggeris.

Deus sua promissione neminem fallit.

Iam hoc uide, multos passim reperies, qui cupiunt certi esse de sua salute, qui certum aliquod de cœlo signum exoptant, quo certi fiant de prædestinatione. Si igitur daretur eis signum diuinitus, quid quęso, prodesset id eis, si non crederent? Signa sine fide nihil prosunt. Et Iudæi signis Christi & Apostolorum prorsus nihil iuuabantur, quia erant increduli. Sic qui hodie sine fide Sacramentis utuntur, qui sine fide uerbum Dei audiunt, prorsus nullum inde fructum capiunt. Si igitur signo aliquo confirmari cupis, quare non Sacramentis uteris? quę omnium sunt certissima signa, quę sunt ab ipso Christo instituta, ab omnibus Sanctis probata & cognita, quod certa sint, neq; fallant credentes, sed quod omnia illa, quorum signa sunt, certo conferant.

Signa sine fide nihil prosunt.

In hunc modum discendum est, & quid sint sacramenta, & quid prosint, quis item eorum sit usus. Inuenies autem nullum suauius perturbatę conscientię solatium in hoc mundo esse, q̄ Sacramenta. In illis enim habes certum dei uerbum, quod nobis promittit & donat Christum, cum omnibus ijs quæ habet, quod donat nobis partam ab ipso peccati, mor-

tis & inferni uictoriam. Quid autē, Deum immortalem, auditu iucundius, quid est suauius, quam abolita & perdita esse per Christum monstra illa, peccatum, mortem & infernum? Porro nos illa quoque per Christum deuicimus, ubi recte Sacramento fuerimus usi.

Verus Sacramentorum usus.

Tum autem recte Sacramento hoc utemur, ubi crediderimus uera illa esse quæ Sacramenta per Dei uerbum, nobis promittunt. Non igitur hoc tantum faciemus, ut illas tres imagines in Christo nobis exhibitas spectemus, sed addēda quoq; signa sunt, quæ nos certos & securos faciāt, illa omnia nobis per Christum esse donata. Atq; hic uerus Sacramentorum est usus

Cura Dei & Angelorum pro nobis

DEcimooctauo, porro, neque de hoc dubitare quenquam conuenit, se, cum in mortis periculo est, non solum esse, sed sui curam omnes Angelos agere, ac omnium Sanctorum oculos in se defixos. Nam eius rei Sacramentum quoq; est signum. Ac primo quidē Dei & Christi oculi in te sunt deflexi, ideo, quod tu ipsius uerbo credas, ac Sacramento eius adhæreas. Post Angelorum ac omnium Sanctorum oculi sine dubio te respiciunt. Illi enim omnes ceu integrum corpus, laboranti membro subueniunt, teq; in illa lucta mortis, peccati & inferni adiuuāt, ut superior euadas ac uincas. Hoc autem est illud charitatis opus, hæc illa est communio Sanctorum, de qua dicit Symbolum Apostolicum, quam credere nos conuenit, mirabiliter enim nostram fidem confirmat.

Communio Sanctorum.

Et sane qui hac de re dubitat, is non perfecte Sacramento altaris credit. In illo enim hoc quoq; significatur & promittitur, esse communionem Sanctorum, qui uires suas, amorem, consolationem & opem in omnibus periculis ad nos confirmandos conferant. Et deus quoq; non potest non tui agere curam, si uerbo & Sacramento ipsius credas, Sicut Psal. 32. dicit: Firmabo super te oculos meos. Verum cum Deus tui agit curam, idem omnes Angeli, omnes Sancti ac creaturæ omnes faciunt, teq; manibus suis sustentant, in fide persistentem, & iam iam morituri excipiunt animam, ne pereas.

Psal. 32.

Heliseus. 4. Reg. 6.

Signum est huius rei Heliseus, 4. Reg. 6. qui sic seruum suum compellabat, Ne metuas, plures enim nobiscum sunt q̃ cū illis, Cum tamen undiq; hostium exercitu essent circumsepti, neminemq; alium preter hostes uiderent. Aperuit itaquæ Dominus oculos pueri, ut uideret, Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum, in circumitu Elisei.

Idem omnibus illis fit, qui Deo credunt. Pertinent autem huc illa in Psalmis, Psal. 34 Circumuallat Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Et 125. Qui confidunt in Domino, sicut mons Zion, *Psal. 34.* non commouebuntur, sed semper habitabunt Hierusalem, Montes (hoc est *Psal. 125.* Dominus ipse) in circuitu populi sui nunc & usque in æternum.

Et 91. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs *Psal. 91.* tuis, In manibus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedē tuū, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem (hoc est, omnes uires & insidiæ diaboli non preualebunt aduersus te) Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum quoniam cognouit nomen meum, Clamauit ad me, exaudiam eum, Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum, Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum

Sic quoque Apostolus Ebræis scribens, ait: Angelos (quorum innumera est multitudo) esse administratorios spiritus, qui in ministeriū emittantur *Ebre 1.* propter eos, qui hæredes erunt salutis. Hinc est, quod Patriarcha Iacob iam moriturus dicit, Gene. 49. En ego morior, & congregor ad populum me.

lum meū. Mortuusq; est & congregatus ad populum suum. Sic Deus Mo-
Gen. 49. si & Aaroni promisit, Transibis ad populum tuum & Patres tuos. Significatur autem his, mortem esse transitum quendam, ad longe numerosiorem populum, qui nos expectat, quam is est, a quo morituri discedimus.

Mortuus est & congregatus ad populum suum.

Sunt hæc omnino magna, quæ concipere humanus animus non potest Sic igitur quisque sibi persuadeat, esse hæc Dei opera, quæ excedunt nostras cogitationes & rationem nostram. Operatur tamen Deus omnia illa in paruo hoc Sacramenti signo, ut discamus, quanta res sit, uera in Deum fides.

NOno decimo, Porro, non ideo hæc ratio parandi animi ad mortem a me est tradita, ut tentemus eam nostris parare uiribus, sed suppliciter rogandus Deus est, ut ipse in nobis talem Sacramentorum cognitionem & talem in Sacramenta quoque fidem formet & cõseruet. Nam sic fiet, ut crescat in nobis timor Dei & reuerentia erga Deum, ne quid nostris operibus, sed omnia Deo tribuamus. Sic autem est orandum, ne quid dubitemus fore, ut nos exaudiat Deus. Verum, sunt duæ causæ, propter quas nihil dubitare de oratione conuenit.

Quomodo orandum.

Altera hæc est, Iam ante dixi præcepisse Deum angelis suis, ut illos redament & iuuent, qui credunt. Eius mandati & promissionis commonefaciendus est Deus, non quod aut promissionis suæ sit oblitus, aut præstare eam nolit, sed ut fiducia in ipsum sic alatur & confirmetur, neque nos morti occurrere metuamus.

Altera autem est, quod illam fidem quoque Christus præceperit, ut oraturi credamus, Deū uelle exaudire, ne quid dubitemus nos de uoce, Amē. Eius mandati quoq; commonefaciendus est Deus, & dicendum: Tu Deus meus præcepisti orationem, præcepisti hoc quoq;, ut crederemus fore, ut nostram orationem exaudias, hoc tuo mandato adductus, oro, nihil dubitās quin me exaudias, ac ueram mihi in te dones fidem.

Hoc igitur per totam uitam erat a Deo postulandum, ut morituris donum fidei concederet. Id quod suauissimo carmine Germani in ferijs Pentecostes canunt.

Nu bitten wir den heiligen Geist/
Umb den rechten Glauben allermeist /
Das er vns behüte an vnserm Ende/
Wenn wir heim faren aus diesem Elende/ Kirioleis.

Porro tum, cum iam moriendum est, huius orationis, item mandati & promissionis suæ commonefacere Deum conuenit, nihil dubitantes quin nostra sit exaudita oratio. Nam si utrunque præcepit, & orationem, & fidem in oratione, si quoq; promisit suam gratiam, Quid quæso, dubitabimus de fide ipsius? sine dubio exaudiet nos, ac suam redimet fidem.

VIgesimo, Quid autem a Deo amplius addi potest, ad confirmandos nos, ut sponte mortem obeamus, eamq; omni metu deposito superemus.

Ostendit & donat tibi in Christo uitam, gratiam & fœlicitatem, quibus adiutus, neque mortem, neque peccatum, nec infernum metuas.

Præterea peccatum tuum, mortem tuam, tuumq; infernum, illa in unigenitum suum Filium reijcit, ut is uictoriam ex illis Hostibus partam, tibi donet, ne quid amplius lædere te possint.

Præterea

Præterea, tentatione mortis, inferni & peccati, Christum quoque Filium suum exercet, ut habeas Exemplum, quomodo ferendæ & superandæ sint tentationes illæ.

Horum autem omnium donorum in te collatorum, pignora, addit sua Sacramenta, ut omnino certus plane nihil dubites.

Suis angelis, Sanctis ac creaturis suis omnibus, tui curam demandat, ut nusquam a te deflectant oculos, sed animam iam morituri excipiant & seruent.

Mandatum preterea adiecit, ut illa a se postules, & ut certo credas, omnia illa accepturum te esse. Quid igitur his addi potest amplius?

Vere igitur Deus est, qui maximas tecum res agit. Et quoniam promittit opem & robur, merito hoc mortis onus in te coniecit, ut periculum faceres, quanta gratię uis ac potentia esset. Sicut dicit Psal. III. Magna opera Domini, exquisita secundum uoluntatem eius. Psal. III.

Sic igitur unusquisque se comparet, ut gratias Deo suo pro immensa illa bonitate & misericordia agat, neq; tam terrere nos illa mortis facies debet, quam misericordia ad Deum amandum & prædicandum excitare. Nam amor erga Deum & prædicatio gratiæ mirabiliter quoq; mortem mitigat, Sicut Isaias dicit: Ego os tuum laude mea frenabo, ne pereas. Id q; nobis præstet diuina misericordia, per Ihesum Christum Dominum nostrum Amen. Esa. 14.

FINIS.

EPISTOLA IOHANNIS ECCII MISSA EX LIPSIA AD FAMOSVM ET REVERENDVM PATREM, F. IACOB: Hochstraten: Magistrum in Theologia Nostrum.

In qua ostendit, quibus Scripturis, Argumentis & Rationibus defenderit articulos Romanæ Ecclesiæ, in Disputatione Lipsica, contra D. Marc: Luth: Anno M.D.XIX. habita.

SALVTEM IN DOMINO IHESV.

On te præterit, Reuerende Pater, quomodo me hactenus opposuerim temerarijs hominibus Vuitembergæ, omnes Doctores a quadringentis annis, quantumuis S. & Doctos, contemnentibus, & multa falsa & erronea in populum seminantibus, Potissimum caput huius scandali, per impressiones linguæ nostræ uulgum seducit & inficit.

Nouissime disputauimus Lipsiæ, in frequentissimo Auditorio doctissimorum uirorum, ubiq; conuenientium, ubi (laus Deo, honor & gloria) plurimum imminuta est eorum opinio, etiam apud uulgum, apud doctos uero pro maiori parte lapsa est, Audisses hominum temeritatem quam cæci sunt & ad facinora imperterriti.

Negat Lutherus, Petrum fuisse Principem Apostolorum, Negat obedientiam ecclesiasticam esse de iure diuino, sed humano consensu uel imperatoris inductam. Negat super Petrum ædificatam Ecclesiam, Super hanc petram &c. Et dum ei Augustinũ, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, Cyprianum, Chrysostomum, Leonem & Bernardum, super illo adducerem cum Theophilo, omnes negauit absq; rubore, Et se unum dixit, uelle resistere mille, nullo alio fultus, nisi quia Christus esset fundamentum Ecclesiæ, & aliud fundamentum nemo ponere potest. Quod dixi, adducens & illud Apoca. 12. de duodecim Fundamentis, Defendit Græcos etiam Schismaticos, etiamsi non sint sub obedientia Papæ, adhuc saluari.

Se fultus noua figura.

Apoc. 12.

De Bohemorum articulis dixit, Ex articulis condemnatis in Concilio Constantiensi aliquos esse Christianissimos & Euangelicos, quo temerario errore multos terruit, & discedere fecit, qui prius ei fauebant.

Dixit inter alia, cum ei opponerem, Si primatus Papæ esset solum de iure humano, & consensu fidelium, unde ueniret sibi habitus quem gereret? unde potestatem prædicandi haberet, & confessiones audiendi paræcianorum &c? Respondit se uelle, nullum esse Ordinem Mendicantium, Pleraq; alia scandalosa & absurda dixit, Quod Concilium, quia essent homines, possit errare. Quod non probaretur ex Scriptura sacra, Purgatorium esse &c. Vti uidebitis legendo Disputationem nostram, quia fidelissimis Notarijs exscripta est.

Argumentum dignum Eccio & fraterculis.

Verum, in multis me obruerunt, Primum, quia Libros secum attulerant, in quibus erant noti, & apportauerunt secum ad locum Disputationis, & ad illos statim habuerunt recursum, imo ex Libris legebant continuo, cum magna eorum irrisione.

Eccius obrutus propter tres causas.

Secundo, quia Disputationem semper habebant in scriptis, & postea conferebant domi. Ego nunquam inspexi unum uerbum, quousq; finiretur Disputatio.

Tertio, erant eorum plures, quia ipsi Doctores duo, Dominus Langius Augustinianorum Vicarius, duo Licenciati Theologi, unus nepos Reuchlin, multum [a] arrogans, tres Doctores Iuris, Magistri plurimi, qui & priuatim & publice iuuabant, etiam in ipso facto Disputationis. At ego [b] solus, æquitate comitatus, astabam.

a Eccius non fuit arrogãs sed nepos Reuchlin, id est, Phi. M.

b Eccius solus æquitate comitatus.

Commisi ego Fratribus tui Ordinis, ut curent exemplar Disputationis excribi, & ad te quam primum transmittant. Quocirca precor [c] per eum, cui seruio, & [d] fidem, quam dudum suscepisti, grauiter defendas. Non uolo, q; te ingeras, & te odiosum facias & ordinem tuum, Sed me consilijs tuis & eruditione adiutes. Nam minus festinarunt Vuitembergenses cum Disputatione, imo se [e] quæsierunt occasionem disputandi. Nam Lutherus nolebat sumere iudicem primo aliquam Vniuersitatem totius mundi. Sed Christianissimus Dominus Georgius Saxoniæ, noluit admittere aliquam Disputationem de fide, nisi & [f] fidei nostę Magistros pateretur iudicare. Coactus ergo tunc fuit Lutherus, a fautoribus suis stimulatus, nisi enim disputaret & Iudicem ferre posset, iam omnes ab eo essent discessuri, Vnde cum ei omnes obtulissem Vniuersitates, elegit Parisios & Erphordiam.

c Leonem X. Romanum Pontificem.

d Romanæ sedis.

e Se quæsierunt, lepos est Atticus.

f Magistri fidei aliquando dicuntur Magistri nostri.

Quare,

g *Causa propter quā Eccius hanc Epistolam scripserit.*
h *Lauaniense.*
i *Quam defendit Eccius pro Romano Pontifice.*
k *Dat Eccius argumentum scribendi.*

g Quare, cum Parisiense non agnorim, uestrum autem h Studium magnam habet cum eo familiaritatem, Rogo tuam paternitatem, plurimum, ut i fide Christi uelit scribere sibi notis, uel etiam, si uidebitur, toti Vniuersitati, ut dum optimus Princeps Georgius scripturus sit, & missurus Disputationem, ac petiturus iudicium, k quod tunc illud non recuset, sed Propugnatores fortiter adoriantur, cum nos ambo in eos tanquam Iudices, consenserimus, & rem arbitror esse tam manifestā, ut longa discussione non egat. Quare sine mora ad petitionem Principis discernant & statuant, quod fidei nostræ sit consentaneum.

Digressio.

l *Accusatio Papæ. Quasi eleganter geminatum.*
m *Redit unde digressus est.*

Paucis habes uenerande Pater, quæ a te in causa fidei uelim fieri, idq; scriptum puta Præceptori nostro, Domino Arnoldo de Tong: & Doctori Michaeli SVVAS. Nam certissimum est Gramatistarum turbam hos inferre errores in Ecclesiam. l Quod si summus Pontifex uia regia dudum fuisset progressus, & non audisset in utramq; nostræ subsanationem a Grammaticellis factam, non esset quo iam caput suum murmure attentarent, ut ante in exanime Cabale dudum tumultuantibus, & quasi furibundi, & quasi insalutato hospite abierunt Vuitembergenses.

m Ego iam nonum diem hic moror finita Disputatione, quæ tres durauit septimanas.

n *Hunc sermonem uide supra fol. 292. et sequent:*

Fecerat Lutherus in die S. Petri in absentia Principis in aula Disputationis n Sermonē hussiticum plane erroneum. Ego confestim in Visitationis Virginis Marię, & die sequenti in frequentissimo Auditorio, quale nunquam habui prędicaui, contra eius errores, & populum mere concitaui, ut fastidiat errores Lutheranos, cras itidem facturus & sic Lipsiam ualedicturus.

Occupationes faciunt, quod Domino Arnoldo scribere non possim nec tibi non plura. Tu si quid uelis rescribere, committas Domino Michaeli SVVAS, qui per Sueteros aut Vualeros tuto potest Ingolstadium mittere.

Valeat reuerenda pietas tua, & si quid opere possim impendere, in te, & factum crede.

Ex Lipsia XXIIII. Iulij, Anno gratiæ M. D. XIX.

EPISTOLA PHILIPPI MELANTHONIS:

DE Lipsica Disputatione, ad amicum quendam.

Amico

AMICO N. PHILIPPVS MELANTHON.

Salutem in Christo.

NEque referre multum puto, neque tu magnopere desideras, studium ac uoluntatem animi erga te mei pluribus uerbis declarari. Nam eiusmodi auspicijs animos nostros optimus ille sinceræ charitatis spiritus conciliauit, ut amicitiam nostram neq; labefactari ullo casu, in tam uaria omnium rerum humanarum uicissitudine, posse sperem, neque uulgaribus illis, et profecto pedaneis suffragijs id genus literarum, qualibus fere aluntur amicitiæ, altius acturam radices. In utrunque spiritus incumbit pariter, ut inadita sit amicitia, tum simulatis, tum nugacibus istis blandicijs. Atque utinam illius queam grato pectore beneficium agnoscere, qui talem non dico Thesea, sed Christiana fide amicum nobis iunxerit. Nemo enim plane mortalium est, cuius præsentior in me iam inde a puero usq; fuerit beneficentia, quam tua, eaq; uere liberalis ac prorsus τὸ γυμνὸν τῶν χαρίτων referens. Neque enim rationes nostræ sinebant æquare beneficium beneficio. Qua parte quandoquidem tu præstas, quæso, permitte uincere nos amando.

Aristoteles eum, qui beneficio quempiam affecerit, ab illo tantum uult amari, quantum mereretur beneficium, aut certe beneficij gratia. Argute ille quidem sed non omnino probe. Neque enim nobis scopus est amoris nostri, beneficium ullum tuum, sed ille Autor amicitię nostrę Christi spiritus. Tu interim quidquid officij amico dedisti, communi charitatis iure debebas, Vicissim in nominibus tuis nos quoque sumus, non defuturi officio, si quando casus aliquis feret.

IAm uero quod attinet, nolui quandoquidem reliqua fere in studijs literarum communia habemus, frustrari te ijs, quæ expectatione maiore, quam pro re Lipsię de ambiguis quibusdam Theologorum, ut uidetur, locis acta sunt. Nec opinor nihil referre tua, qui & pro theologici nominis dignitate in illo Sueuiæ theatro urbe Augusta sacrum Panegyristen agis, & ut theologicæ literæ, pure ac simpliciter doceantur, adniteris.

Hæc uero disceptandi prouincia primum non ob aliud suscepta est, nisi ut palam fieret, inter ueterem & Christi Theologiam, ac nouiciam & Aristotelicam, quantum intersit. Verum quidquid profectum sit, aut quorsum inclinarint res, mihi sane non est in procliui iudicare. Quo diligentius omnia prosequar, quæ ad causam attinent, ut nonnihil certi ex his tu queas oculatior assequi. Varia proculdubio fama ad uos perferet, quapropter fide historica & quam simplicissime subnotatis Capitibus disceptationis agam ut intelligas, quid de quoque controuersum sit.

Atque ut inde ὥσπερ ἀπὸ γραμμῆς ordiar, Superiore anno sententias, quas Lutherus de Indulgentijs proposuit disputandas, Eccius obelis notauit, amarulentius est scriptum, quam ut hinc aliquid proferam. Ex illis reuellit aliquot Carolostadius in Conclusionibus suis, quæ extant, Carolostadio respondit Eccius per Apologiam, in qua iam pleraque mitius quam ante in obelis. Apologiam edito libello Carolostadius confutauit, Longa est iniuria, longæ ambages, Placuit ad summum, ut cætera prætercam, disputare,

ream, disputare, dies dictus est. Lipsiam ueniunt Iohannes Eccius Ingolstadiensis, Andreas Carolostadius, & Martinus Lutherus Vuittembergenses. Rerum summa in conclusiones coacta erat pauculas, quo certius id proponeretur, de quo disputandum esset. Satis opinor constare tibi, quid de disceptatione conuenerit, uidelicet, ut ageretur causa excipientibus Notarijs, atque id Scriptum euulgaretur, essetque iudicium penes optimum quenque.

Primum Eccius causatus est apud eos, qui designati erant ab illustrissimo Principe Georgio Saxoniæ Duce, Mecœnate humanorũ studiorum, præfecti Disputationis, contra quam condixerat, uideri sibi ex iure disputantium esse, ne dictaretur, gliscentem eorum uim, qui congrediuntur pugnaturi, sensim per styli moram deferuere, impetu augeri animos, cunctando labascere. Id ego nescio an è simplicitate theologica uideri possit, ubi nihil tam præstandum est, quam ut ne quid impetu, ne quid temere, ne quid immodico animo dictum uideatur. Et ut in studijs literarum, ac potissimum in negocio pietatis, nihil puto neque prius neque salutarius congressu familiari doctorum ac bonorum, ubi sententia cum sententia, placidis ac tranquillis, minimeque pertinacibus animis, confertur, ubi neque uinci indecorum est, neq; uincere plausibile. Ita uix aliud censeo perniciosius, popularibus illis disceptationibus, ubi non potest quantumuis bonis non obstrepere uictoriæ cura. Scis tu quam multa prudenter in hanc sententiam scribat Nazanzenus, quam multa item Erasmus noster.

Iam uero conuenerat de notarijs, neque enim aliter persuaderi poterat Carolostadius, qui cum primum susceptum est certamen, ibi certos quoq; Iudices designari uoluit Eccius, non recusauit Carolostadius. Itaque die XXVII. mensis Iunij congrediuntur Iohannes Eccius & Carolostadius. De libero arbitrio propositum est, An sit aliquod nobis αὐτεξούσιον, bonum opus, hoc est, ut ipsi dicunt, An de congruo mereamur gratiam, cum facimus, quod in nobis est, Vtor enim ipsorum uerbis. Hoc cum agi deberet, uide quorsum contentione rapti sint, & in quos scopulos impegerint. Agi debebat, quid per sese citra gratiã posset uoluntas nostra. Ipsi quæstionem alio rapiunt, & quatuor credo continuos dies in eo disceptant, An uoluntas tantum recipiat bonum opus, ipsumque bonum opus sola efficiat gratia? In has Symplegadas coegerunt causam non ita multum necessarias, & plane alienas ab instituto Carolostadij.

27. die mensis Iunii congressi Iohannes Eccius & Carolostadius.

Dedit Eccius, in uoluntate nostra non esse uim genuinam, quæ opus bonum producat, sed asciticiam tantum, eamq; quam fœneret gratia, id quod primum uidebatur oppugnare. Deinde a Carolostadio rogatus, largiretur, ne, totum opus bonum esse a Deo, Respondit totum quidem, non autem totaliter. Ecce autem, ut argutum hoc commentum, dignum maiestate theologici nominis, adeo λόγους κνείζειν cuiuis hodie liberum est. Primum fatetur Eccius uoluntatem a Deo moueri, deinde, ut consentiamus in nostra esse potestate, inquit. Id Carolostadius oppugnauit aliquot Augustini locis & hoc Pauli fortissime: Deus efficit in nobis uelle & perficere, Atque hæc, ni fallor, sententia salua Carolostadio mansit. Quædam pro dogmate suo ex Bernardo transcripserat Eccius ad rem parum attinentia. Atque hæc fere sunt, quæ cum Carolostadio Eccius. Integram credo hebdomadam perdidimus in his, quorum capita συντόμως notaui. *Philip. 2.*

His autoribus primum didici, quid sit quod ueteres σοφιστεύειν dixerunt, Mirum hæc omnia, quo tumultu, quã tragice tractata sint, quo minus mirum est,

rum est, parum profectum esse, Sua enim silentia amat Spiritus, per quæ nobis illabitur, seque insinuat cupidis, non gloriæ, sed cognoscendæ ueritatis. Non prostat in Porticibus Sponsa illa dilecta Christo, sed in domum matris suæ Sponsum introducit, Imo, neq ulli nos sapientiæ cœlestis radij illustrent, nisi iam ante cruce perpurgatos, mortuosque pristinis mundi elementis, ut cum Paulo dicam.

SVb hæc & D. Martinus Lutherus in harenam descendit, Nam hactenus non satis certum erat congredi, cum causæ inuidiosę Iudices designare commode non posset, pro iure Appellationis suę. Tamen cum de eo conuenisset, agi cœptum est de Romani Pontificis autoritate, controuersumque est An iure diuino probari posset œcumenici Pontificis autoritas: Esse œcumenicum Pontificem ingenue fatetur Lutherus. In hoc disputat, An iure diuino probari eius autoritas possit. In hunc locum quandoquidem paulo asperior est, dies quinque, ni fallor, impensi sunt. Ibi multa acerbe Eccius, multa inciuiliter, breuiter, omnia eiusmodi, ut inuidiam apud uulgus Luthero conflaret.

Roma: Pontificū autoritas.

Argumentum primum erat Eccij, Ecclesiam ἀκέφαλον esse non posse, cum ciuile corpus sit. Esse igitur Papam iure diuino caput Ecclesię. Tum Lutherus, Christum se fateri caput esse, cum Ecclesia sit regnum spiritus, non desiderare aliud caput, ut ad Col. 1.

Argumentum Eccii Ecclesiam ἀκέφαλον esse non posse.

Col. 1.

Ad hæc locos aliquot ex Hieronymo & Cypriano addidit Eccius, qui quantum de iure diuino probent, ipse uiderit. Iam & quidā loci manifeste apud eosdem Scriptores in dubium uocabantur, quos ipse pro certis proferebat. Bernardi autoritatem ad Eugenium, ceu panopliam Achilleam iactabat, cum tamen & in eodem lib: ad Eugenium sint, quę non omnino nihil ad institutum Lutheri faciant. Cęterum, Bernardo in hoc negocio quid debeatur, quis est tam stupidus, qui non intelligat?

Bernardi autoritas ad Eugenium.

Ex Euangelio usus est loco Matth. 16. Tu es Petrus & super hanc petram &c. Lutherus cōfessionem illam fidei esse uoluit, Petrumq ibi personam uniuersæ Ecclesię gerere, seq Christum petram uocare, idq ex ipsius sententię ordine pluribus coniecturis coarguit.

Matth. 16. *Tu es Petrus.*

Item loco: Pasce oues meas, quod proprie ac priuatim Petro dictū est, Respondit Lutherus, post parem Apostolis omnibus autoritatem traditā: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c. Hæc enim uerba sunt demandati officij, Christum docuisse, quid sit pascere, & qualem uoluerit esse, qui pasturus sit.

Pasce oues meas.

Iohan. 20. Accipite Spiritum sanctum. &c.

Ad hęc Eccius Concilij Constan. autoritatem allegauit, ubi contra articulos Hussitarum pronunciatū est, De necessitate salutis est, credere Ro Pontificē œcumenicum esse. Ibi iactatum uarie, Consilium errare nō posse. Prudenter ad hæc Lutherus, non omnes articulos pro hæreticis damnatos, & reliqua quæ hic omnia molestum est referre. Neq huius est loci tractare, quæ sit conciliorum autoritas. Hoc palam est, non posse Concilium nouos articulos fidei cōdere. Male audijt ob hæc Lutherus, q uidebatur obstrepere Concilijs, cum ille nihil maiore religione præstaret, q̄ ut sua Concilijs esset autoritas. Ibi hæreses, Bohemicæ factiones, & id genus crimina alia obijciebantur.

Concilium non potest nouos Articulos fidei condere.

Largius est Eccius, æqualem omnium Apostolorum autoritatem fuisse Nec cōsectaneū esse, ut sint ęquales Episcopi, Inter esse enim inter ἀποσολὴν et administrationē, cū nō sit ἀποστολὴ aliud nisi legatio εἰς ὑπακοὴν πίστεως. Paulo ad Rom: autore. Neque inter ἀποστολὴν & administrationē quid intersit, uideo. Intolerabile uisum Eccio alicubi recedere a Pontificijs Decretis, aut a qualibuscunque uerbis alicuius e S. Patribus Verum senten-

tiam suam de Pontifi. loco ad Gal. Lutherus muniit, non alieno, quantum uideo, Ab ijs qui uidebātur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest: Deus enim personam hominis nō accipit. Mihi autē qui uidebantur esse aliquid, nihil cōtulerunt. Interim Eccius opinatur a Christo Apostolos lectos esse, sed a Petro ordinatos Episcopos. Ex his aestimes reliqua.

Ad constitutionem, quae recensetur in Decretis, Ne Romanus Pontifex uniuersalis Episcopus nominetur, respondit: Non quidem uniuersalem Episcopum nominandum esse, sed uniuersalis Ecclesiae Episcopum.

De purgatorio.

POst haec de purgatorio agi coeptum, cuius quaestionis, arbitror, scopum ne attigisse quidem. Nam cum differendum esset, quam in purgatorium potestatem habeat Papa, coepit Eccius aliam cantilenam, Esse purgatorium, probari ut possit, id quod receptius est, quam ut necesse sit, toties in Scholas uocare. Locus est in Machabaeis uulgatus, quo sententiam suam muniebat Eccius. Luthero uisum est in contentione, iuxta Hieronymi sententiam, non ualere Machabaeos. Contra ille, Tantum deberi Machabeorum libro, quantum Euangelio, digna scilicet Theologo uox, & omnino id mordicus tenuit. *2 Mach. 12*

Saluus erit, sic tamen, quasi per ignem 1. Cor. 3.

Additus Pauli locus ad Corin. Saluus erit, sic tamen quasi per ignem de quo scis ut uarient Interpretes. Iam & hoc Matth. Esto consentiens aduersario tuo &c. de carcere, & quod dicitur, Donec soluerit extremum quadrantem, huc detorsit, Quod uides unde petatur, & in quam sit dictum sententiā. Nephas est putare eo loci carcerem de purgatorio intelligi. Vellem Christi plebeculam foelicius erudiri. Nam tales interpretationes plerunque longius a fontibus ducunt Scripturā, quam ut natiuam uim retineat. *Matth. 5.*

Transiuimus per ignem & aquam Psal. 66.

Iam & hoc in Psalmo pro purgatorio produxit: Transiuimus per ignem & aquam, & nescio quae pari fide alia. De indulgentijs minore contentione disputatum est, Imo ipsi Eccio iocum & ludum ciebant.

De poenitentia.

AD summum, de poenitentia actum est, eius quaestionis Scopum Eccij enthymemata nescio an attigerint, poenas aliquas satisfactionis probabant, quas admittebat Lutherus. Caeterum pro singulis peccatis ad singulas poenas deposci paenitentem a iusticia diuina, quas in potestate hominis sit remittere, mihi per illas Ratiocinationes nō apparebat. Atque haec quidem sunt potissima, quae in contentionem istam uniuersam inciderunt, Pleraque alia magis ridicula sunt, quam ut ijs te onerare possim, alioqui foelicius occupatum.

Carolostadius.
Obex gratiae.

Duo reliqui dies dati sunt Carolostadio. Altero de obice, ut uocant, gratiae actum est, quem largitur Eccius non tolli natura, sed gratia. Altero, An in quolibet bono opere peccemus, de quo plerisque cum ab Eccio, tum a Carolostadio egregijs Scripturae locis pugnatum est. Mihi sane uisus est Paulus 7. c. ad Romanos nonnihil adiuuare sententiam Carolostadij. *Rom. 7.*

PLura scripturus, alio ad necessarias operas auocabar, quanquam haec fortasse prolixiora sunt. Sed placuit nugari tecum amicissimo, eaque de re, quam expectatione maiore, quam fructu agi ipse uidi. De huiusmodi disceptationib. plausibilibus quid alij sentiant, nescio, mihi quidem periculosa uidentur. Ingenia, eruditionem uariam & multiplicem doctrinam hoc Theatro ostentarunt isti, ex quibus ad pietatem ut plurima fieret accessio, optarim.

Caeterum apud nos magnae admirationi plerisque fuit Eccius ob uarias et

insignes

insignes ingenij dotes. Carolostadium de scriptis, credo, nouisti, Bonus est uir, & rara doctrina, planeq; nonihil extra uulgi aleam eruditus. In Luthero longo iam usu mihi familiariter cognito, uiuax ingenium, eruditionem & facundiam admiror, sincerum & pure Christianum animum non possum non deamare.

Amicis communib. ex nobis salutem dicito. Scis quod dici Græcis solet, πολλὰ ψεύδονται ... Quare non est, ut de huius disceptationis euentu, neq; famæ, neq; ijs, qui in ea famæ studuerunt, omnia credas. Vale, Vuittembergæ 21. Iulij, Anno 1519.

EXCVSATIO IOHANNIS ECCII AD EA QVAE FALSE SIBI PHILIPPVS MELANTHON GRAMmaticus Vuitembergensis super theologica Disputatione Lipsica adscripsit.

De hac excusatione Eccii & de Philippo ui de Lutheri iudicium supra 298.b

IOHANNES ECCIVS CANDIDO LECTORI, S.

DVM in fœlici Lipsensi Gymnasio cum P. Martino Luthero & Andrea Carolostadio, super arduis rebus theologicis disputassem, atq; actum esset per illustrissimi Principis D. Georgij Saxoniæ Ducis &c. & Vniuersitatis Lipsensis Consiliarios, ne quis disputata nostra per Calcographum disseminaret, anteq; per deligendos Iudices esset decretum, quis nostrum fidei Christianæ consentanea aut pugnantia diceret. Ausus est tamen Grammaticus Vuittembergensis Philippus, græce & latine sane non indoctus, Epistolam edere, me lacessere & pluribus nominibus causam non meam, sed fidei, obscurare, Et officiũ quod in Parisiense contulimus Studium, sibi usurpare. Cui ut respondeam, opus est, non mea quidem causa, sed simplicium, ne mellitis uerbis seducantur, aut in errores præcipitentur. Percurram autẽ Epistolium eius, per notulas obiter, Non grauabere mi Lector, & tantillum temporis eis ponderandis impende.

Scribit Philippus, Me causatum coram Illustrissimi Principis designatis, uideri mihi ex iure disputantium esse, ne dictaretur, In hoc mihi falsum adscribit, quoniam huius nunq; memini apud designatos, semper dixi, mihi non displicere ut Notarij exciperent. Priuatim fateor, dixi, languescere animum disputantis, mora styli, & aciem mentis non adeo conari, sicut disputationis feruor exigeret, Testes sunt designati ab illustrissimo Duce, & totius Vniuersitatis concilium.

De libero Arbitrio ait propositum, An de congruo emereamur gratiam. Hoc cum agi deberet, impingit mihi, quomodo ad aliam materiam plane alienam ab instituto Carolostadij eum traxerim, An scilicet sola gratia efficiat bonum opus? Quam autem impudenter hoc faciat, cuilibet est obuium legenti Conclusionem meam septimam. Errat qui liberum arbitrium hominis negat dominum actuum hominis, ex eo, quia ipsum habeat se actiue ad malum, ad bonum uero tantum passiue: Et nulla Conclusio sonuit de merito congrui. Quid autem fieret de homine faciente quod in se est, in fine quasi disputauimus.

Audaculus tamen, ficut non est reueritus D. Erafmum iudicare in noui Teftamenti editione, Ita & hic iudicis partes affumit, definiens ftetiffe faluam Caroloftadio fententiam. Hoc fcio, demum admififfe Caroloftadium Voluntatem habere actiuitatem ad bonum opus? At ego nihil decerno, etenim pars fum, non Iudex Tamen audaculus non ueretur dicere, me attuliffe impertinentia ex S. Bernardo, olim, cum publicabitur Difputatio, manifeftum erit, an uerum dixerit Grammaticus.

3. Cum bonum opus dixiffem totum effe a Deo, non totaliter, Irridet Grammatifta hoc, uelut commentum indignum maieftate theologica, Cum in Difputatione clare me expofuerim. Nefcit effentiam Dei uideri totam a beato, at quia non comprehenditur a beato, non uidetur totaliter. Quidditas generis eft tota in una fpecie, fed non totaliter, cum etiam fit in alia, Sic anima eft tota in manu, non fic, quin etiam fit in pede. Sic bonũ opus eft totum a Deo non tamen fic, quin etiã fit a libero Arbitrio, quia fimul agunt non uiciffim, mixtim, non figillatim. Id expreffe ait Bernardus pertinentiffime ad propofitum.

4. IMproperat, quod multa inciuiliter dixerim contra Lutherum, & breuiter, omnia eiufmodi ut inuidiam Luthero conflarem apud uulgum, Hoc inquam, falfum effe nouerunt candidi Auditores. Et truncate meam affert rationem, contra Lutherum, de capite Ecclefiæ.

5. *Hieronymus contra Iouinianũ etc.* Ponit Hieronymi & Cypriani locos pro certis a me prolatos, qui tamen in dubium uocabantur, Vide cenforem, Hieronymum adduxi lib. 1. contra Iouinianum col. 18. Cyprianum in Epiftola ad Pupianum lib. 4. *Epi*ftolarum. Legat ftudiofus Lector, & iudicet, an locum dubium protulerim de primatu, Petri, cum alijs locis concordantibus. Imo fyngrapha Lutheri probaui, Cyprianum eo loco arbitrari Ecclefiam fundatam fuper Petro. Sed hæc ad iudices.

6 *Bernardus ad Eugenium.* Inuidiofe fatis dicit, me iactitaffe Bernardi autoritatem ad Eugenium, cuius tamen tacite derogat autoritati. Plus ego tribuo uni S. Bernardo, ꝙ Philippo & omnibus fuis affeclis. Si Bernardus eo Libro aliqua dixit pro fententia Lutheri, imputet fibi, cur non attulit. Certum eft, Bernardum aduerfari per omnia fententiæ Lutheranæ.

7. *Tu es Petrus.* De illo Matth. Tu es Petrus, & fuper hanc Petram &c. uere proponit fententiam D. Lutheri pluribus coniecturis monftratam. Sed reticet, ꝙ hanc petram effe Petrum ex Auguftino, Hieronymo, Ambrofio, Leone, & alijs produxi. At hoc ad Iudices. Sed hoc mirum, ꝙ nedum mihi, Sed *Pafce oues meas.* & D. Luthero falfum imponit, eum, fcilicet refpondiffe, Chriftum, dum Petro dixiffet: Pafce oues meas, poft hoc Apoftolis parem poteftatem tradi- *Accipite Spiritum Sanctum.* tam: Accipite Spiritum Sanctum &c. cum Lutherus pro fua eruditione, non tam fœde lapfus effe poffit. Sed ita euenit, dum futor ultra crepidam iudicat. Hoc loco excufo, D. Lutherum, errorem illum per eum non admiffum.

8. Pungit, quod hærefes, Bohemicæ factiones, & id genus alia crimina fuerint D. Luthero obiecta. Sed reticet, ꝙ pro fide Chriftiana id facere fum coactus, dum ipfe affereret aliquos articulos Iohannis Hufs hęretici, in Cõftantienfi Confilio damnatos, effe Chriftianiffimos & euangelicos, Quod quam prudenter fecerit, ut Philippus ait, Iudices ftatuent.

9. Imponit mihi, Quod Apoftolos æquales in apoftulatu dixerim, fed non æquales Epifcopos. Hoc autem eft fomnium Grammatici, non dictũ Eccianum. Dixi æquales fuiffe apoftolatu, ordine facerdotij & epifcopatus fed non in Commiffione & adminiftratione regiminis. Id quod S. Leo, Hieronymus & Cyprianus uoluerunt, Vnde Literatoris ratiunculã paruipendo.

10. Opinari me fcribit, A Chrifto Apoftolos lectos effe, fed a Petro ordinatos

natos Episcopos. Hoc crudius proponit, quam ego expressērim, Sententia mea fuit ista, Non memini me legisse, ubi Apostoli fuerint ordinati Episcopi, Tamen communis sententia habet, eos ordinatos in Sacerdotes in cœna nouissima: Quare possem referre ordinationem Apostolorum in Episcopos in Petrum supremum Hierarcham, cum multa sint facta, quæ non sunt scripta.

De uniuersali Episcopo truncate meam adfert solutionem, quoniam uerba Decreti sunt B. Gregorij, qui opposuit se contra Imperatorem, ob hanc causam, ut scribit Platina. Sed hoc ad Iudices. 11.

CONuiciatur denuo Grammaticus, Quod scopum quæstionis de Purgatorio non attigerim, scilicet de potestate Papæ in purgatorium, sed aliam cantilenam inceperim. Hic, inquam, egregie nugatur Grammatellus, quoniam scopus quæstionis erat Conclusio sexta, scilicet, Animas in Purgatorio non satisfacere pro peccatorum pœnis, hoc saxum tunc uoluebam. In Conclusione uero duodecima uertitur quæstio, cuius meminit Grammaticus. Fateor, dum Conclusioni intenderem, dixit D. Lutherus, non probari ex sacris Scripturis, purgatorium esse, quamuis sciret esse purgatorium, Assumpsi onus probandi purgatorium ex sacris Literis. 12.

Ridicule dicit, dignam Theologo uocem, scilicet tantum deberi Machabæorum libro, quantum Euangelio. Sed & hic falsum imponit mihi Grammaticus: Nam ad contentionem ualere libros Machabæorum adduxi, Quia S. Augustinus libro. 18. de ciuitate Dei, & Hieronymus in Prologo, ac in Decretis dicant, librum illum non fuisse in Canone apud Ebræos, sed Ecclesiam recepisse in Canonem, modo sicut nescimus, cum plura fuerint scripta Euangelia, quæ sint indubiæ ueritatis, nisi ex approbatione Ecclesiæ approbantis quatuor Euangelia, & alia reijcientis. Ita & ex approbatione Ecclesiæ liber Machabæorum apud Christianum debet esse indubitatæ ueritatis, Vulgatum est illud Augustini: Ego Euangelio non crederem &c. 13. *Libri Machabæorũ*

Quod Matth. 5. Per carcerem dixi posse intelligi purgatorium, sed illud nephas esse censet Grammaticus, & optat plebeculam fœlicius erudiri, quam id genus interpretationis. Sed dic tu puluerulentę Scholæ Magister, an nephas arbitraris interpretari sacras Literas, uelut S. Ambrosius fecit, qui locum similem apud Lucam sic accipit. An ne S. Ambrosio ita insultas, quod meliorem te interpretem poscis Christianis iam, quam S. Ambrosiũ: Si intra pellem te contineres, & in tuo numero, haberes quidem tuum album, at iam totum te obscurum reddis. 14.

Denuo calumniatur, me scopum de pœnitentia non attigisse. Vide procacem Iudicem, nec rogatum, Imo ipse ex toto non attigit, quid de pœnitentia disputauimus. Hoc actum fuit, An pœnitencia incipiat uel ab amore Dei, uel à timore, iuxta Conclusionẽ tertiam. At dum ad quartam & quintam Conclusiones uenimus, actum fuit de remissione pœnæ post culpam dimissam. An autem recte firmarim nostra, uel D. Martinus rectius defenderit sua, Iudices eruditissimi Parisiensis studij iudicabunt, non attento, quid Grammatico apparuerit. 15.

Scribit, Quod Indulgentiæ mihi iocum & ludum ciebant. Et hoc quidem falsum est, Quoniam serio egi, Indulgentias esse utiles, quod & Lutherus admisit. Egi & ipsas non esse uicium boni operis. Demum conabar, ut per Indulgentias fieret remissio pœnæ pro peccatis debitæ, ubi Lutherus fortiter mihi contradixit, Indulgentias esse remissiones bonorum operum. 16.

Sed de hoc refero me ad scripta Notariorum Vniuersitatis. Concordauimus tamen ambo, abusus declamantiũ Indulgentias esse reprehendendos.

Hæc sunt, iucundissime Lector, quæ uidebantur mihi ex re fore partim Christiana, partim mea, ut scires, si disputationi nõ fuisses præsens, Vt quemadmodum plurimũ cauet Philippus, ne famæ credatur, aut his, qui famæ student, Ita nec ei credas, qui non ueritus est, pleraq; mihi adscribere nec quidem a me cogitata. Et quamuis non sit is Philippus, quod Theologus cum eo congrediatur in Theologico stadio: Tamẽ ne agnoscere uiderer silentio, hæc, quæ mihi imponit, omnino uolui ei occurrere. Quod & B. Augustinus non dubitauerit contra Cresconium Grammaticũ scribere: Tu uero, mi Lector, his crede, qui præsentes Disputationi fuerunt, & humanis affectibus, & usu familiaritatis, sicut Philippus, non distinentur. Nostram uero expurgationem boni consule. Deus est mihi testis, quod in hoc negocio ueritatem fidei Christianæ quæro, & Dei honorem. Vale & salue. Ex Lipsia. XXV. Iulij, Anno gratiæ M.D.XIX.

Cresconius Grammaticus.

DEFENSIO PHILIPPI MELANTHONIS CONTRA IOHANNEM ECCIVM, THEOLOGIÆ Professorem.

PHILIPPVS MELANTHON Candido Lectori, S.



EVulgata est superioribus diebus forte fortuna Epistola quædam ad N. mea, in qua amico & integerrimo uiro & ueri amantissimo paucis tantum capita quædam Lipsicæ disputationis adumbraui, magis quam descripsi. Neq; enim a necessarijs operis uacare id temporis diutius dabatur, & pleraque eius certaminis eiusmodi fuerant, quæ citra inuidiam persequi non licebat. Iam & quædam leuiora uidebantur, q̃ ut ijs amicum longe fœlicius occupatum onerarem. Atq; in his præsente animo caui, ne quenquam offenderem, qui in omni cursu uitæ meæ nihil habeo prius, nihil duco antiquius, bonorum gratia. Et ut Christianum non est, male merito par referre, ita inhumanum censeo, nil male merentem lædere, quo nomine cum culpa tum suspitione culpæ liberari facile spero. Iam & perspecta eorum, qui disputauerunt, uirtus ac eruditio admonere mei me potuit, ac persuadere, ne quenquam inciuilius perstringerem: Neq; enim tam stupidus sum, ut non intelligam, quanto id meo periculo fieret. Breuiter, sanctiore apud me loco N. est, q̃ ut eius nomine ad calumniandum quemcunq; abuti uelim.

Proinde, quæcunq; complectitur Epistola ad illum mea, simpliciter & fide historica, ita me Deus amet, scripsi, nihil minus futurum putans, q̃ grauatim

grauatim laturos omnino quicunque essent lecturi. Verum hanc iniquo fert animo Eccius, qui adeo non læsus est, ut grauius multo queant succensere mihi, D. Carolostadius, & D. Martinus Lutherus, si nostra maligne uelint interpretari, ad quos non minus quam ad Eccium pertinet, quod de toto hoc genere disputandi, imo de plerisque, quæ in disceptatione intempestiue acciderunt, dixi. Neque arbitror Eccium ipsum adeo perfricta fronte esse, ut neget multa huius disceptationis Lapithas istos Lucianicos, quam Theologos propius retulisse. *Lapitha Lucianicus.*

Fateor, de Eccio paulo plura a me commemorantur, nempe quod ipsius in hac tota fabula primę partes per omnia fuerint, ut qui unus cum duobus animo plus quam herculano congressus sit. Atque ea uel ob hoc a me accuratius obseruata sunt, quod fere aut egregie arguta sunt & uafra, aut tale quiddam præ se ferunt, quod nescio, quomodo uisum est mihi a theologica maiestate nonnihil abludere. Quid enim referebat uulgaria notare, insignia quædam utcunque inter differendum excepta commemini. Eccium tantum abest ut carpere uoluerim, ut non parum argutiarum etiam belle mihi arriserit. In quasdam fortasse liberius lusi, quod ut facerem, magis impulit studium, & anxia quædam religio, qua uideor mihi sacris literis obnoxius esse, quam morbus animi, cum audacius illas nonnunquam interpretaretur Eccius, quam patitur ratio. Neque enim refert, quod magnis se Autoribus tueatur, quorum sententiam sequi tutum sit. Nam & hos qua fide secutus sit, postea docebimus, et non statim probare nos necesse est, si quid quacunque ratione Ambrosius aut Hieronymus dixere.

Plane eo sum in sanctas literas animo, ut nihil indignius censeam, quam ipsas pro more humanarũ fabularũ in uarios sensus dilacerari, Imo ut Penelopes, telam texi & retexi, ut sua cuiusque fert libido, ut interim taceã, quam sit impium, Scripturam rapi ad humanos affectus & sancta sanctorum prophanis manibus, Imo Idolothytis uiolari.

Quo nomine ipse scit Eccius, quid deploratæ quæstionum Theologiæ debeamus, quæ tam clementer affectibus indulget humanis, quanquam huius se patronum & assertorem uelit haberi.

Habes candide Lector, Epistolæ meæ consilium & rationem, in qua si quid peccaui, ueniam merebitur uel imprudentia uel casus, certe fraudi dare non licet, quando ipse mihi conscius sum non malignitate, non odio, id quidquid est, a me scriptum esse, uehementerque doleo in hanc rapi aleam, & in ea harena, ut Pauli uerbo utar, θηριομαχῆσαι, in qua ut causam fortiter tuear, autoritate tamen aduersarij premer, & ut omnia alia fœliciter cedant, tamen id quod longe infestissimum est, subinde calumnias alias aliæ serunt, & perpetuo quod Græci dicunt, ἔρις ἔριν ἀντιφυτεύει.

Proinde consultum mihi uidebatur surda aure, nempe κωφὸν βέλος calumnias Eccianas præterire, cum quod eiusmodi fere sint, quas si conferas cum Epistola mea, facile uideas responderi quid possit, tum quod ipse Liber actorum publicus satis nobis patrocinetur, Tamen, quia sic est amicis quibusdam uisum, purgabo paucis falsi crimen, quod dissimulare, ut putãt, non est satis pium. Interim ita temperabo argumentum, ne quid uspiã petulanter, aut immodeste in Eccium dictum uideri possit. Omnino enim pluris est Christus mihi, quam hæc tam friuola calumnia.

PRæter officium causatur Eccius factum, quod publicarim capita quędam disputationis, quod inter partes conuenerit, ne euulgetur Disputatio, pri-

tio, priusquam de summa Iudices decreuerint. Primum, quod inter partes conuenit, uides ad me non pertinere. Neq; enim quidquam mihi cum Eccio rerum unquam fuit, & Lipsicæ pugnæ ociosus spectator in reliquo uulgo sedi. Deinde de euulganda Disputatione cautum est, At ego obiter & pauculas tantum sententias decerpsi, è quibus magis argumenta Disputationis cognoscerentur, quam uel æstimaretur euentus, uel iudicaretur causa. Obsecro, de uictoria pronuncio, cum dico non actum esse inter Eccium & Carolostadium de humana iusticia, seu de merito congrui? Sed an uoluntas bonum opus tantum recipiat? Quid controuertatur indico, non pronuncio uter uicerit. Iam quod ait Iudicis officio me defunctum, satis me liberat Epistola, in qua hæc insunt, quorsum inclinarint res mihi sane non est in procliui iudicare.

2\. Voluisse Eccium, ne dictaretur, testes sunt grauissimi & integerrimi uiri, qui coram designatis eam causam partim ipsi egerunt, partim studio factionum præsentes agi uiderunt. Iam ut dem apud designatos non id actum esse, palam est, displicuisse consilium excipiendi. Porro, quid oportuit detrectare uniuersi orbis iudicium, idq; in paucos, nescio quos, reijcere, si fidei causam, ut uocat, obscurari noluit.

3\. *Liberum arbitriũ.* Susceperat Carolostadius defendendam conclusionem suam undecimam, Liberum arbitrium ante gratiam non ualere, nisi ad peccandũ, Hanc oppugnabat Eccius, quam uides de humanis uiribus propositam, atque adeo de iusticia humana, seu merito congrui, Neq; iam disputo, Accedat peculiare auxilium, nec ne, Variant enim & ipsi quæstionum Magistri. Certe magno consensu Scholæ id peculiare auxilium gratiam Ihesu Christi esse non permittunt. Atq; id erat, quod auidi Auditores expectabamus, Quod Lectorem ad suam Conclusionem relegat, nemo tam stupidus est, qui putet Carolostadium eccianam Conclusionem defendendam suscepisse. Ab illo instituto in angustias quasdam, An recipiat uoluntas tantum, causa sensim tracta est, cum in Carolostadij Conclusionibus unica est, quæ obiter causatur, totum opus bonum à Deo esse, atq; eam ipsam Eccius largitus est, modo non sit opus diuinitus totaliter. Ego uero certum habeo, Carolostadio nunquam in mentem uenisse, causam in has Symplegadas cogere. Credo, permouit eum, ut diceret, atq; id recte, totum opus bonum à Deo esse, propter Eccij prophanam scholam, quæ gratiæ & naturæ opera non distinguit, nisi respectu rationis, ut uocant, planeq; eadem specie censet actus, quos cum natura citra gratiam, tum uoluntas & gratia efficiunt. Hic uero tutandus seu excusandus erat Barbarus ille Heraclitus, Scotus, quem meministis in rapsodijs suis, quam Christiana hac de re doceat. *Scotus.*

Quod subiecit de D. Erasmo, principe studiorum pietatis, uides mi Lector, non alio pertinere, nisi ut optimo uiro, deinde bonis omnibus inuidiosus reddar. Valeat Eccius, & traducat nos, & triumphos agat de paruulis. Ad id genus calumniarũ satis animi præstabit Christus, ipse agnosco, quantum Erasmo debeant, cum studiosi omnes, tum maxime ego, tot beneficijs priuatim ac publice ab eo affectus, quæ postquam intelligere cœpi, cœpi autem Christo duce, Scio, quam grato pectore complexus sim.

4\. *Totũ & totaliter.* Non displicuit argutia de toto & totaliter, nempe festiua, eoq; ipso gratior, quod noua est & digna Eccij professione, penes quam hodie cũ rerum, tum uerborum arbitrium est. Iam quod docet, inter illa quid intersit, non est ingratum amici studium, quanquam iam olim Porphyrium didicimus, & nunc ad id genus nugalia theoremata reuocari molestum est. Por-

est. Porro quid necesse erat, Nouis glossematis & plane fictitijs asserere uim liberi arbitrij, qua bonum efficiat, cum receptissimum sit & apud Scholasticos uel summæ notæ, nempe Occanicos, quosdam uoluntatis actus tantum recipi.

Lutherus Oecumenici Pontificis autoritatem ueneratur ac tuetur. De iure diuino disputari uoluit, quod in eo probat Eccius ex Matth. Tu es Petrus & super hanc petram &c. Quem locum quandoquidem de Petri primatu exposuerunt S. Patres, Academiæ & Concilia ualere ad autoritatem Oecumenici Pontificis constituendam Eccius censet. Sed hæc qua modestia, & qua fide diluerit Lutherus, res ipsa declarabit olim. Tamen quando Eccius sanctorum patrum autoritatem tam fortiter iactat & in eis spem omnem ponit uictoriæ, uide quid efficiat. *5. Tu es Petrus*

Primũ nõ est cordi mihi cuiusq; autoritati quidquam derogare, ueneror & adoro tot Ecclesiæ lumina celeberrimos uindices Christianæ Doctrinę. Deinde puto non temere fieri, sicubi sententijs S. Patres uariant, quemadmodum solet, ut Iudice Scriptura recipiantur, non ipsorum, nempe uariantibus iudicijs, Scriptura uim patiatur. Quandoquidem unus aliquis & simplex Scripturæ sensus est, ut & cœlestis ueritas simplicissima est, quem collatis Scripturis, e filo ductuque orationis licet assequi. In hoc enim iubemur discere Scripturas diuinas, ut hominum sententias, Decretaque ad ipsas, ceu ad Lydium lapidem exigamus. Deinde ut omnino ad iudicandas Scripturas adhibendi sint S. Patres, satius est ex his locis, Scripturæ sententiam colligere, ubi hoc ipsum agunt, ut enarrent, quam ijs, ubi uel rhetoricantur, uel affectibus suis quocunque modo indulgent. Quemadmodum hoc & ipsi fere experimur uarie nos Scripturam intelligere, quia uarie afficimur, iam hic, iam ille arridet sensus, Quia quo quenque rapit affectus, in id incumbit, in eo se multiplici animi cogitatione oblectat, & ut polypus cuicunque petræ adhæserit, eius colorem imitatur, Ita nos quorsum propensum animi studium rapit, id omnibus uiribus effigiare studemus. *Veritas cœlestis simplicissima est.*

Iam quoties euenit, ut excipiat uim alicuius sententiæ propriã & sinceram mens nostra, oblectetq; in ea se paulisper, mirabili quodam modo, quem reuocare postea elapsum prorsus nequit. In eum modum S. Patres & affectu quodam rapti in sensum non malum quidem sed impertinentem sæpenumero Scriptura sunt abusi. Quod ut non damno, sic tamen recipio, ut in controuersia parum ualere arbitrer. Nam ut Græci dicunt, καλῶς τρέχετε, ἀλλὰ ἐκτὸς ὁδοῦ. Imo ausim & hoc dicere nonnunq; sensu quodam S. Patres interpretatos esse Scripturas, quem suggerebat & inspirabat uiuax aliquis affectus, qui sensus & uerus sit & non impertinens, quem tamen nos homunculi ad literam quadrare non uidemus, nempe alio nos nostra mediocritas rapit. Est enim eiusmodi quędam tacita mentis alimonia, & manna quoddam, quod puto Paulum intellectum spiritualem uocare, quæ facilius sit percipere, quam uerbis deliniare.

Iam uero quis non uidet ueteres libertime Scripturis abusos, pleraque temporib. pleraque dissensionibus hæreticorum data sunt, quod genus exempla liceat innumera producere. Neq; raro accidit, præsertim in Recentioribus, ut pugnet cum origine sua expositio quæpiam. De Scholasticis nõ est ut multis agam, quibus diuinæ literæ quiduis sunt potius, q; simplices, imo nescio quem Proteum fingunt, dum eas in allegoricos, tropologicos anagogicos, literales, gammaticales, historicos sensus transformant, & transfundunt in nescio quas lacunas. *Veteres Scriptura libere abusi.*

Ad ueteres

Ad ueteres redeo, quos hactenus dixi Scriptura abuti, Iam uero & errare sæpenumero dico. Quæso quoties lapsus est Hieronymus? quoties Augustinus? quoties Ambrosius? Nec enim tam ignoti mihi sunt, ut non hoc libere ausim dicere, imo fortasse notiores aliquanto sunt mihi, quam Eccio suus Aristoteles. Quoties ipsi inter se dissentiunt? quoties suos errores retractāt? Et quid multis? una est Scriptura cœlestis spiritus, pura, & per omnia uerax, quam Canonicam uocant.

Tu es Petrus. Proinde, quid piaculi est, si Lutherus alicubi a quibusdā ambiguis ueterum expositionibus dissentit? & cur non dissentiat? Locum Matth. Tu es Petrus, & super hanc petram, Lutherus enarrans sequitur Origenem, qui unus pro multis est, idque eo loco, ubi hoc ipsum agit Origenes, ut enarret. Augustinum in homilia uidelicet, Euangelij exegesi, Ambrosium in lib: 6. in Lucam, reliquos prætereo. Esto, muniet Eccius sententiam suam aliquot Patrum autoritatibus, Hieronymi & Cypriani, quibus maxime nititur, Nam Bernardo & Leoni parum iuris in hoc negocio erit, Vides & diuersam S. Patrum autoritatibus munitam. Quid igitur? ipsi secum pugnant? quid mirum? Inde consectaneum est, S. Patres non probare locum Matth. ad Oecumenici autoritatem pertinere. Patribus enim credo, quia Scripturę credo, cui uim fieri non licet propter uarias illorum sententias. Itaque ex ipso Scripturę ductu, ex argumenti ordine colligenda fuit Luthero firma & stabilis sententia, quam adiuuant optimi quique, qui eum ipsum locum integrum enarrant. *Matth. 16.*

Iam uero uides, a qua parte stent copiæ S. Patrum instructiores, a Luthero stant qui integrum locum enarrant, Ab Eccio qui utcunque in alieno argumento Matthæi loco abusi sunt. Et hæc si libet oculatius uidere, cernes in dubium uocari ab ipsis Autoribus. Hieronymus castigatione quadam sententiam suam temperat, sic inquiens: At dicis: Super Petrum fundatur Ecclesia, licet idipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: Tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut schismatis tollatur occasio. Vides interpollatam castigatione Hieronymi sententiam. Doceat ergo Eccius quomodo ex æquo super omnes Ecclesias fortitudo solidetur, & tamen unus eligitur scismatis causa. Et huic unico Hieronymi loco, quot liceat alios eiusdem opponere? Cypriani locus ad Pupianum plane huc pertinet, Oportere unum esse, cui audiat populus, non quidem totius orbis, sed singularum diocesium, Epistolam qui uolet diligenter excutere, ni fallor, non aliter iudicabit. *Cyprianus ad Pupianum.*

Pasce oues meas. Non est in Epistola nostra, Christum, dum Petro dixisset: Pasce oues meas, posthoc Apostolis parem potestatem traditam &c. Sed sic post parem potestatem traditam, id est, postquam par potestas tradita est, Accipite &c. deinde dictum Petro: Pasce oues meas &c. Hic si uel Grammatistas, quos dicit, consuluisset Eccius, Epistolam nostram non corripuisset. Vides Ecci, redire me ad crepidam, Neq; periculum est ullum, ne hoc loco Luthero inuidiosi per te reddamur, qui tam probe de nostris iudicaueris.

7. Libri Machabæorum. Machabæorum libris tantum esse autoritatis, quantum est Euangelio, palam dixit, nec est, ut inficiari possit, quanquam nescio, cur dissimulat & nemini obscurum est, quam recte id dictum sit, qui modo Hieronymum uiderit, qui sic ait: Sicut ergo Iudith & Thobiæ & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed inter Canonicas scripturas non recipit, Sic &

hæc duo

hæc duo uolumina, scilicet, Sapientiam & Ecclesiasticum, ad ædificationem plebis, non ad autoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Est ergo inter libros Ecclesiæ discrimen, quæ alios libros aliter recipit, ut non sit consectaneum, Hic liber est in numero nostrorum, igitur est Scriptura Spiritus Sancti. *Discrimen inter Libros Ecclesiæ.*

Temere nos Ambrosium inuadere accusat Eccius, sane hoc loco dignus, quem paulo durius tractarem. Equidem de Matth. loco dixi, tum quem ille interpretatur Luce est. At uero primum constat alium esse aduersarium apud Lucam, nempe a quo curandum est, ut liberemur, alium apud Matthæum, qui cum conuenire nos oportet, in quem asperius dixi propter eos, quibus placabile, &, ut dicunt, ueniale uidetur, negare inimico beneuolum animum. In sūma, in eos, qui ita nobis præcepta consilijs temperarunt, ut longe inferius sit, Christianum esse, q̃ probum Ethnicum, Quanquam & ille apud Matth. locos amplius quiddam præ se ferre mihi uidetur, eo quod sit in Græcis ἀντίδικος. Deinde carcerē, per tenebras exteriores apud Matth. exponit Ambrosius, quæ inferorum proculdubio descriptio est. *B.*

Deniq;, quod uidetur patrocinari Eccio, simpliciter figura quadrantis significari uult culpæ compensationem, et sicut textus dicens: Donec reddas extremum quadrantem, non ait, aliquando reddi extremum quadrantem. Ita Ambrosius dicens, figura quadrantis significari culpæ compensationem, non addit, fieri eam in mortuis compensationem, imo refragantur quędam aperte, si ad compensationem pœnarum in mortuis trahere uelis. Breuius expediero locum, si iuxta crebram figuram cum gręci tum Ebraici sermonis uerbi, donec, exponam, id quod oportet. Ambrosio nihil, ut uides, adimo. Quanquam ab eo, sicubi a Germano sensu, uariat, dissentire, credo, non est flagitium. Porro & in eo apud Lucam capite de quadrante multa philosophatur, cum in Græcis non sit nisi λεπτὸν ἔσχατον, quod partem quadrantis dicunt. Quid quod ille de diabolo disserit, ne ipsi quidem Hieronymo probatur? Hic q̃ ait, obscurari me, bene habet. Nam non ingratum est sub umbra ecciani nominis delitescere. *Figura quadrantis.*

Obiter ad pauca respondimus, sunt & alia in Eccij libello, quæ ut uerbis excusem, puto non magnopere referre, nempe, quæ res ipsa in Notariorum commentarijs descripta declarabit. Nam & hæc, si licuisset, silens maluełram præterire, Immodeste a me in illum ne uerbum quidem ullum dictum est. Proinde uicissim obtestor, causa pugnet non cōtumelijs. Debemus enim charitati, quam cupio, ita me Deus amet, ex animo inuiolatam, illæsamque.

Quod uero crassiores nos putat, quam ut de sublimibus Theologorum quęstionibus aliquid attingamus, non displicet. Modo permittat & uulgus Christianum de pijs nonnunquam quęstionibus colloqui, atque adeo nos, qui a Theologiæ Studijs non omnino abhorremus, id genus sacris delicijs animum nonnunquam pascere, Quanto satius erat Paruulos, in quibus nos quoq; sumus, fauore ac studio animare, ad pias literas, imo etiamsi quid delinquerent per imprudentiam, conniuere, quam huiusmodi tragicis uocibus deterrere.

Vale mi Lector, & defensionem nostram boni consule. Nam & ipse testis erit Eccius, potuisse me hanc causam plerisque locis inuidiosius agere, si animo liberius indulsissem. Iterum Vale.

Ex inclyta Saxonię Vuittembergā.
Anno M. D. XIX.

DE DISPVTATIO NE LIPSENSI, QVANTVM AD BOHEMOS OBITER DEFLEXA est, Epistola Hieronymi Emseri.

Noster hic Aegoceron sine fœno, peccat in uno,
Quod non est Lucæ linea ducta manu.

REVERENDO PATRI DOMINO IOHANNI ZACK, IVrium Doctori, Catholicæ Ecclesiæ Pragensis Administratori, ac Lithomericensis Præposito, Hieronymus Emserus, Sacrorum Canonum Licentiatus, S. P. D.

Abitantem in te Christi spiritum, Reuerende Pater, cũ uita refert Christo digna, Tum id omnium maxime declarat, quod natus olim in terra Bohemica (terra, inquam, superstitionis ac confusionis Babylonicæ) pro modico duxeris, regenerasse Christo parentes tuos carnales, teque simul cum illis a patrijs uindicasse erroribus. Nisi ipsam etiam patriam, ac totum orbem illum Bohemicum (uelut alter quidam Hercules) domesticis repurgare mõstris, Christoque lucrifacere satagares, declamando, hortando, obsecrando, ac increpando, idq; paulo minore aliquanto periculo, ac Paulus olim ipse.

Sed uicit demum uirtus inuidiam, Atq; adeo quidem præualuit, ut spectato toties zelo paternitatis tuæ non ficto, summa tandem ecclesiasticarum rerum (quantulacunq; istic est reliqua) totaq; administratoria illa dignitas uni tibi demandata fuerit. Vbi in mundo hoc tuo Bohemico, nimbis, tempestatibus & aquis istis contradictionis (ueluti cataclysmo quodam) inundante, apertisq; maioribus indies errorum cataractis, in profundum descendente. Tu, tanquam alter Noah, Pater, cum paucis admodum iustis Christumq; agnoscentibus, Arcam illam mysticam, hoc est, Ecclesiam Dei sacrosanctam (quæ iuxta catholicum & apostolicum ritum, siue fato quodam, siue Patronorum, & precipue diui Vuenceslai precibus, in inter tot piratas, istic adhuc fluctuat) fidei clauo intrepide gubernas.

Vtinam atq; utinam filia Babylonis misera, hoc est, infœlix illa tua ac errabunda Bohemia, te remigante, ex tot scopulis & procellis in tutum, aliquando portum se recipiat. Vtinam tandem sapiat & intelligat, tum nouissima prouidens, ad Dominum Deum suum conuertatur ac redeat. Quisnam proh Deum immortalem, hic uiscus est adeousq; tenax, quo illita, tam hæret pertinaciter? Aurum ne & Argentum? At Christum audiant

dicentem

dicentem: Quid prodest homini, si mundum uniuersum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur. Libertas ne, an perniciosa potius peccandi licentia? At credant saltem Petro, qui Petri diffidunt successoribus, Non quasi uelamen, inquit, habentes malitiæ libertatem. An uero uoluptas, ac carnis desideria? At repetant animo, quo suorum quosdam (etiam Regulos) abduxerit portentosa illa, nulloque religionis symbolo circumscripta libido.

Aut quantum sceleris, quidue monstri breui apud eos aluerit contemptrix superum temeritas, & e recta semel deliratio. Deum testor optimum maximum, quod non sine lachrymis ista dictitem. Quis enim uere Christianus, & fraternæ charitatis amator, non doleat tot fratrum iacturam? tantam animarum cladem? tam incliti regni casum & ruinam? tantam postremo diuinæ maiestatis contumeliam ac blasphemiam? Aut quam iam non pudeat, priscos illos generosos Bohemorum spiritus, gentem tanta olim uirtute conspicuam, tot uictorijs illustrem, penes quam summa quondam fuit Imperij, & terrestris regni Caput, eo redactam esse, ut cum singulæ gentes religionem aliquam unam mordicus teneant, hic in uno regno, alium Proceres obseruent religionis cultum, alium Ciues. Et in una eademque domo aliter Paterfamilias, aliter familia ipsa adoret, Denique in uno sæpe thoro alio uir ritu, alio uxor Deum colat? In uniuersum autem, ut pars multo maxima, posthabito Deo, & relicto uerbo uitæ, cerdonibus modo & crepidarijs, tum mulierculis quibusdam præficis, idque in gurgustijs subterraneis (cimmerijs tenebris dignissimis) aures præbeat? Atque his ducibus ac aurigis, contra inuincibilem Ecclesiæ ueritatem, tot Martyrum cædibus, tam solidis Apostolorum fundamentis, supra firmissimam Christi petram ædificatam, tanquam Musca contra Elephantem, aut aduersus Aquilam Scarabæus uelitari ausit?

Num idem factitauit Vuenceslaus Dux olim eorum, uir omni sanctitate uenerabilis? Num id ausa est prisca illa Bohemica uirtus ac nobilitas? An non uere quadret in eos propheticum hoc: Quomodo sola sedet Domina gentium, Princeps prouinciarum? Sacerdotes eius gementes, quia (ut paulo infra sequitur) dispersi sunt lapides Sanctuarij eius in capite omnium platearum. Filij Sion incliti, amicti auro primo, quomodo facti sunt in uasa testea.

SEd dicent fortassis (ut sunt ad excusandos errores suos argutuli nõ nulli) Minime se solos esse, aut sine Theseo, Quandoquidem ex nostris etiam factionis suę assertorem habeant Doctorem Martinum Lutherum, unum omnium, qui abstrusa sacræ Scripturæ sensa (ceu diuina uirgula) tum solus attingat, tum ad stomachum eorum faciat. Quique Cornicum oculos potis sit configere. Quamobrem dum idem Lipsiæ nuper decertaret, publica Deo supplicia, quotidianaque (licet prophana) pro eo sacra fecisse, populariter gloriantur.

O miserum Lutherum, si execrandis & abominabilibus istorum piaculis confisus, ac non potius iugi Scripturarum meditatione (quibus a teneris, ut aiunt, unguiculis, indefessam nauauit operam) fretus, cum fortissimo Theologorum Eccio pugnam ineat. Imo uero nihil constantius idem a se reppulit Lutherus, quam falsam hanc quorundam de ipso suspitionem. Neque Eccio usquam tam restitit in faciem, quam ubi ioco uel serio (incertum est) Patronum eum Bohemorum subluderet. Sua ipsius uoce damnans, temerariam eorum a sede Apostolica discessionem, Neque se in hoc illis consentire, neque consensurum unquam, publice protestans.

Desinant igitur miseri uexare superos, aut precibus frustra lacessere. Non enim tam præsentes in uota sua Diuos illi habent, ut uel tu ueneran de senex, uel cæteri, qui adhuc Christi inter uos spirant amorem, propter Disputationem hanc Lipsicam, hastam abijciant, animumue despondeant. Nec est, quod factiosi isti siue Pighardi, siue Schismatici, ob hoc falso sibi gaudio illudant, cristamue erigant, Quin magis erubescant, quod reclamante etiam ipsorum Patrono (ut falso iactitant) nec dum ad cor redeunt, sed marmoris instar rigent, haud secus, ac si dura silex aut stet marpesia cautes. Atq; is quidem, cum Disputatio ipsa (ut ingenue fatear) contentionis quam ædificationis plus præ se tulerit, unus ipsius fructus mihi uisus est, q ipse etiam Lutherus, uir rara profecto eruditione & doctrina (in quem tanquam in parietatem omnes spes suas inclinauerant) tam rotundo ore, tam constanti uultu, tam arguta deniq; ratione eos spe ista fefellerit, ut non solum publice confessus sit, sed cum quodam etiam indignationis spiritu exprobrauerit Bohemorum Conta Romanum Pontificem corneam fibram ac pertinaciam. Nihil scilicet tanti esse oportere asserens, quod nos ab unitate Christi & Ecclesiæ separare debeat.

Disputatio Lipsica

Sed nec ob hoc illi sibi placeant, quod idem Doctor Martinus pio quodam (ut equidem crediderim) affectu mirari se dixit, tot eorum esse, qui Bohemis superciliose insultent, maleq; imprecentur, Neminem uero, qui mitiori eos calamo ab errore dehortetur, maxime, cum humanus animus blandicijs potius duci quam minis aut terroribus cogi uelit. Complures enim tunc Eccius Theologus extra aleam doctus, ad calculum uocauit, ueluti Capistranum, Cusanum, ac reliquos ueteranos (ut de Recentioribus, tuisq; ipsius concionibus saluberrimis, hic taceam) qui non importuno, sed Dei spiritu & lenitate Christiana, eos erratorum suorum admonuerunt, & in uiam reducere conati sunt, Et tamen nihilo secius promouerunt, quam si quis surdo narret Fabulam.

Capistranus.
Cusanus.

Quare non est, quod supercilium nostrorum accusent. Quamuis quid uetet tam oportune quam importune, iuxta Apostolum, duræ ceruicis homines appetere, omniaq; prius experiri, quam deploratos relinquere? Cum & malo nodo malus quærendus sit cuneus. Et ipse etiam Vlysses socios suos inuitos flentesq; a loto diuellens, ad nauem redegerit. Nec uitio detur Medico, qui pro salute recuperanda ferrum aut ignem etiam adhibeat. Magisq; ex re illis fuerit unusquispiam quantumuis acriter obluctans, quam mille alij in perniciem eorum mussitans. Sicut melior est amicus obiurgans, quam inimicus tacens. Id quod sero intelligens Euangelicus ille Tantalus, cum apud Inferos tandem, arentia siti labra refrigerare non posset ipse, id saltem rogabat, ut fratribus suis quispiam mitteretur, suggerens, ne in eum tormentorum locum & ipsi uenirent. Sed quam infœlicem passus fuerit repulsam, statim subit, cum illi dicitur: Habent Mosen & Prophetas, illos audiant. Simile quippiam Christus etiam ipse nobis insinuat, dum apud eundem Lucam Discipulis suis ait: Quicunq; non receperint uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam puluerem pedum uestrorum excutite, in testimonium super illos. Quibus locis satis innuitur, tum quam periculosa res sit obturare aures, & pulsantem ultro Christum semel excludere, tum quod Bohemi non possunt conqueri defuisse eis nostros, sed nostri contradicere: Cecinimus uobis, & non saltastis.

Epulo, Luc. 16.

Eant igitur nunc isti gloriantes in malicia sua, uulgoq; futelas obstrepentes & mendacia, quod Disputatio hęc Lipsiæ exhibita, erroribus eorum sub-

rum subscripserit, quo nihil minus hic est actum, nihilq; tam ab utriusq; partis abfuit sententia. Cuius rei cum ipse à gemino, ut aiunt, ouo, ad equum usq; Troianum spectator auditorq; fuerim, haud alienum duxi à Christi sacerdote testimonium perhibere ueritati, quando & prophani ea de re scriptitant, & forensia iudicia, non raro calculis ac fortuna, magis quàm certa ratione gubernantur. Adde, quod quorundam scripta, nedum Grammaticam, sed nec uigiliam sapiunt nec iudicium.

QVod si argutior quispiam ulterius urgeat, dissimulari non posse, Lutherum a Bohemicis stetisse partibus, cum Iohannis Huss articulos quosdam catholicos fuisse, maleq; damnatos, palam asseruerit, Huic ego cum Beda responderim: Si Iohanni hoc etiam detur, proprium esse hæreticis, ut falsis uera misceant, Nec tamen eorum, quæ uera dixere, sed falsitatis & mentis obstinatæ pœnas dare.

Quod autem nominatim idem Lutherus cum dicto Iohanne, Summi Pontificis principatum humanis rebus subijcere, & a Deo non esse, contendit, adhuc in herba, uel ut tritiori utar adagio: Adhuc sub iudice lis est; Et Lutherus ipse (quamuis omnia sursum ac deorsum uerset, totamq; ingenij aciem huc sit admolitus) non tanta tamen animum obstinatione deuouit, ut si ratio rationem redarguat, cedere non uelit.

Nec Bohemos quidquam releuat, si etiam obtineat, cum uel sic obedire eos oporteat. Quoniam humano quoq; iure, ad tollenda schismata, necessariam esse Summi Pontificis Monarchiam, eidemq; passim ab omnibus parendum, constanter ille predicat, Dedit item in Resolutione sua recens edita, uoluntatem hanc esse Dei.

Ego uero citra tamen cuiusuis iniuriam (idem enim mihi Accij quod Titij) hanc etiam coronidem adijcio, Miseram fore Christianorum sortem, si & Iudæis & Gentibus sit inferior. Constat enim non solum Romanos, sed barbaras etiam gentes, Pontifices suos & Flamines Dijs retulisse acceptos. Quod si alicui uel Melesagoræ Nymphæ, uel Numæ Aegeria, Minoisue antrum aut id genus cætera paruam fidem faciant, nihil moror; Dummodo negari non possit Pontificatum Aaron ab ipso Deo fuisse constitutum, aditumq; eodem Deo autore ad gloriam, & decorem sacerdotij ornatum, ex purpura, dibapha, bisso, argento, gemmis & auro. Sicq; Pontificium illud per manus traditum ad Cayphan usq; descendisse. Qui licet uita scelestus foret, quia tamen successor erat Aaron & Pontifex anni illius, prophetauit, & Christus eidem subesse ad mortem usq; nostri causa non erubuit, Indicans nimirum, ne nos etiam pudeat sui causa Pontifici licet improbo esse subiectos. Quod & Petrus manifeste præcipit. Et ipse quoq; mandasse uidetur, cum ait: Super cathedra Mosi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia ergo, quæcunq; dixerint uobis, seruate & facite, secundum opera uero eorum nolite facere.

Quare facile mihi persuadeo, cum inferiori ueteris Instrumenti molæ penitus ociosæ, ac tandem derelictæ, tantus honos fuerit habitus, superioris etiam, noui scilicet Testamenti, causam nihilo fore deteriorem, sed summum ipsius Pontificem una cum successoribus suis legitimis pari, aut fœliciori etiam modo, tam sacrorum Conciliorum interpretatione, quam uel sola hac Christi uoce, Pasce oues meas, à Deo & iure diuino fuisse institutum. Mores uero Pontificum pascendi semetipsos plus quam oues, piscandi auri plus quam hominum, à diabolo esse subdititos, Pastoriciumq;

plane adulterinum ac peccatis nostris forte debitum. Humani autem iuris esse electionem ipsam Pontificis maximi, a signo non aberrat, Siue quis successorem sibi ipse nuncupet, ut Petrus Clementem, siue uniuersus populus, ut olim, siue tantum Clerus, ex hisq; soli Cardinales, ut hodie, suffragia conferant. Siue id Imperatoris etiam iussu fiat uel iniussu. Omnia enim ista diuinæ Comediæ seruire, scœnæ, & pro tempore uariari, nihil refert. Neq; ideo ius diuinum (ad quod tanquam ad sacram anchoram confugitur) immutari necessum est. Nec etiam potestati Petri, aut successorum eius plus detrahit, quod post uicesimum annum uel citra Romam primum applicuit, quam fœlicitati Latronis obfuit, quod post quadraginta demum dies cum Christo in cœlum ascendit. Lento enim passu humanæ res incedunt. Et ut Neotericus ille ait Vergilius

Omne quod excellens opus, & sublime futurum:
Difficiles ortus habet, incrementaq; tarda.

Nec abludit Maro etiam ipse, si sic legatur:

Tantæ molis erat Romanam condere sedem.

Hæc autem de præfato duorum disertissimorum Theologorum conflictu, quantum ad Bohemos tuos spectat, Idcirco Paternitati tuæ significanda putaui, quatenus si aliena forte ab his, uasa iniquitatis, in uulgus istic sparserint, ad decipiendos simplicium animos, Tu meis saltem uerbis, falsa, uana, & ficta esse non dubites, Eosq;, qui adhuc in Christo tecum sunt fratres, in Domino confirmes. De reliqua uero Disputationis summa, quoniam sunt, qui iam diuersis studijs & affectibus rem in publicum emiserint, ipse lubens supersedeo. Tum quod nostri non sit officij, tum quod uaria in talibus rebus iudicia, simultatem ac discordiam magis foueant, quam extinguant. Id quod inter Xenophontem & Platonem, summos alioqui in omni Philosophia uiros, usuuenisse legimus. Duæ enim eminentiæ, cum simul iunctæ in altum nituntur, simulachrum quoddam (ut Gellius ait) contentionis mutuæ pariunt, Semperq; fere, ubi ingenia quædam magna, circa idem studium, pari sunt fama aut proxima, apud diuersos fautores diuersa oritur de eis sententia.

Sed ut ad Bohemos tuos redeat Epistola. Age, obsecro, uir Dei, quandoquidem te Deus illis domesticum dedit sanæ doctrinæ Doctorem, ac nauiculæ suæ remigem, Age, inquam, atq; uelis ac remis Archam hanc ex his Syrtibus (nisi sponte sua naufragium amat) in stationem suam pristinam, hoc est, in gremium sanctæ matris Ecclesiæ reducito. Id enim debes Deo, debes Patriæ, debes Christianæ nostræ Reipublicæ. Nec maiorem alibi gratiam cum Deo inire, aut uberiorem pro re quapiam mercedem ab eo sperare poteris. Quod si corui aliqui, caducorum bonorum istorum cadaueribus inescati, te sequi noluerint, ut qui Temesseum aliquando genium affuturum non cogitent, Redeant saltem pacificæ ad te columbę, uiridem fidei ramum secum deferentes, quo crucis Christi stipiti denuo inserantur, fiatq;, iuxta uocem ipsius, unum iterum ouile, & unus Pastor, Ut destructa Babylone, ædificentur muri Ierusalem. Cœlum enim & terra transibunt, uerbum autem Domini manet in æternum.

Vale, & Epistolam hanc perpetuæ meæ erga te obseruantię testem benigno uultu accipe, & fœlix in Christo triumpha.

Ex Lipsia, Idibus Augusti.

Anno M. D. XIX.

AD AEGO.

AD ÆGOCEROTEM EMSERANVM MARTINI Lutheri additio.

In Aegocerotem Emſeranum, M. L.

Hic iacet Aegoceros, ſine fœno, cornibus, ungue,
Oſſe, pilo, neruis, ſanguine, carne, cute.

MARTINVS LVTHERVS HIERONYMO EMSERO, S.

T te, mi Emſere, quis unquam credidiſſet eſſe tam doctum & acutum Theologum, & quod nemo non miratur, tam ſimplicem & fidelem Lutheri Patronum, cuius nomen, nec rogatus, nec oportunus, tam ſtrenue & egregie aſſeris ab hæreſis Bohemicæ infamia? Noua miracula, qui ab Eccio delirabar eſſe Bohemus, ab Emſero mihi infenſiore quam multi Eccij, Bohemus eſſe abnegor. Quis hunc uertiginis ſpiritum? quis hæc diſſenſionis ſtudia inter Eccium & Emſerum miſcuit? Quis hanc Emſero in Lutherum gratiam commentus eſt, præſertim tam ſubito & poſt tantam uel Timoniana maiorem inuidiam, Luthero penitus non cogitante, & indies Emſero magis ac magis diſplicente.

Securus eſto, o fœlix Dedale, Lutherus grauedine & pituita grauiſſima laborans, hanc technam non intelligit, ſimplex ſimpliciſſimum agnoſcit Emſerum, ut quem ſyncere credit, in hoc Epiſtolam ſcripſiſſe, quod Lutherus eſſet omnibus Catholico nomine commendatus, hoc eſt, hæreticorum patronus, & turpiſſima ignauia Lipſiæ per Eccium ſuperatus.

Quid pro hac gratia retribuam? Interim pro gratitudine tibi comparo Ioabum illum fortiſſimum, & illuſtriſſimum principem militiæ Dauid, & inſignem Iſraelis hyperaſpiſten, adeo tuæ linguæ conuenit cum illius gladio, & moribus tuis cum illius tunica, & huic in me tuo pulcherrimo officio cum illius opere, quod in Abner & Amaſam, grandi decore, ſplendide contulit. Quanquam dormitantia quadam Scriptoris, ob hoc egregium facinus, inter robuſtos Iſrael non cenſeatur. Ioab. Abner. Amaſa.

Aut ſi huius comparatio remotioris eſt exempli, quam ut delectare te poſſit, qui non ſacrarum literarum, ſed ſacrorum Canonum es Licentiatus, illius ſaltem, quem uniuerſum uulgus nouit, non dedignaberis Analogiam, quem non pauci primum inter Apoſtolos fuiſſe arbitrantur, ſalua tamen reuerentia Aegocerotis tui, pro Eccio fortiſſimo fortiſſime pugnantis, & id in gloriam tuam, qui cum Apoſtolorum Principe queas conferri, ut ſicut ille Chriſtũ ſigno pacis tradidit Iudæis, Ita tu Lutherum ſub ſigno laudis orbi tradas hæreticum, & turpiſſime uictum. Iudas Iſchariotb.

Sentit ne infœlix tua conſcientia, quam fruſtra, parum aſtuta inuidia tua me petat? Quid hac Epiſtola effeciſti, niſi ꝙ effœminati tui animi morbum omnibus prodis? qui cum de me peſſima ſentias & machineris, non

tamen est in te sanguinis uena ulla paterni, nec tantum uirilitatis & indolis masculæ, ut aperto marte, collatisq; signis mecum congrediaris. Sciebam inuidiam tuam, qua Lipsiæ totus ardebas, impotentiorem esse, quam ut se cohiberet, ne pareret, quæ concepisset. Rursum ignorantiorem & ignauiorem, quam ut liberaliter & in luce quid auderet.

Quod nisi me timor Christi cohiberet, quo Magistro, non tantum dolere debeo, quod mihi nocere uoluisti, & non potuisti, quantum quod tibi nocuisti, quod maxime noluisti, Possem tibi abunde par referre, & Aegoceroti tuo idoneum Venatorem præstare. At quando Tiburtium tu quæris, curandum mihi est, ut Tiburtius Torquatum quoq; inueniat. Si quo modo deprehensus in operibus manuum tuarum, dolere possis super contritione animæ tuæ miserrimæ, quam ob mei odium tam perdite Diabolo consecrasti, etsi sacerdos Domini (ut gloriaris) testisq; ueritatis.

Legi itaq; Aegocerota seu hircum tuum, seu hircoceruum (nec enim refert, quo uocabulo monstrum appelles infœlicissimum) de quo poeticaris: Noster hic Aegoceron sine fœno, peccat in uno, Quod non est Lucæ linea ducta manu. Noli desperare, mi Emsere, est ueniale peccatum, nec in diuinas, nisi forte Grammaticas & Rhethoricas legum patratum, quod cum sit Poetis Pictoribusq;, quodlibet, audendi semper æqua potestas, Facile tibi & hoc ignoscent, nisi id forte eos nimio moueat, quod humano capiti ceruicem iunxeris equinam, & amphora instituta urceum eduxeris. Quandoquidem & mihi, neq; Grammatico neq; Rhetori, neq; Pictori, hoc potissimum, nullis Indulgentijs, ne Romanis quidem ac summis, condonabile uisum est, quod fœnum illi potius detraxeris, quam cornua, & simul hanc Hecubam tuam tam infœliciter dissimularis. Quanquam enim Aegoceros Luthero idem sit fœnatus (ut sic dicam) & cornutus, Laudatori tamen syncero conueniebat magis fœnatum sine cornibus, quam cornutum sine fœno moliri.

Cui & hoc mali accedit, quo sit animi tui perfectum simulachrum, uereq; Emserum representet. Non est integer Aegoceros, sed sicut Priamum, amputato capite, truncum & sine nomine corpus appellat Poeta, Ita ego Emseri mei in integram figuram, absciffo corpore, fœdam cernens, queam dicere. Truncum & sine corpore nomen, hoc est, speciem sine ueritate, qui in capite & principio aliquid appareat, in corpore & fine nihil. Atq; ut nihil desit monstroso monstro, non in simplici, sed duplici ærea spectabilis ille fulget Aegoceros, adeo omnia proueniunt fato, certaq; prouidentia, ut Emserum oportuerit proprijs insignibus quoq; pingi.

Quid faciam igitur miser? si laudes tacitus agnosco, palinodiam cecinisse uideor uniuersæ doctrinæ meæ, & Eccio erroris patrono ueritatisq; inimico lampada tradidisse, ut nec ignifer quidem reliquus sit, planeq; Bohemus hæreticus, præsertim apud nasutos & exteros iactabor. Si repudio, iam non Bohemus modo, sed Patronus Bohemorum apud uulgum & domesticos arguar, simul ingratitudinis in Emserum grauissimæ reus, qui hac me suspitione per eximium Capricornum suum leuare admolitus sit. Ita, dum in meam ignominiam & Christianæ ueritatis iacturam, belle ludit Emserus, egregius alioqui Christiani amoris Preco, ego inter saxum & sacrum hæreo, Scylla & Charybdi simul diuexor, & cum Michæa canto: Qui mordent dentibus, & prædicant pacem. Et Psal. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Mich. 3. Psal. 28.

Verum

Verum Christus meus uiuit & regnat in secula, Benedictus Dominus & Deus meus, qui doctus est, discipulos Pharisæorum & Herodianos simili Capicorno se petentes, uno uerbo confutare, Non est scientia, non est consilium contra Dominum, In quo donec glorior, quid faciet mihi homo? Quare tu, quisquis ades Lector, interim spectator esto, tentabimus uenerari hunc Aegocerota, forte dabit nostro arcui ferinam hanc nobilem Christus.

PRimum, mi Emsere, omitto blandiloquia tua, quod me uirum prædicas rara eruditione, Oscula Ischariotica dissimulo, quibus sub Bohemorum persona mordes, me esse unum, qui sacras literas, & solus attingam, qui oculos cornicum potis sim configere. Agnosco enim fortissimi tui Theologi scommata, sane erudita, qui cum uerba Scripturę per totam Disputationem nec adducere, nec adducta posset tractare, eodem frutice & ipse quoq; Struthio se texit, prudentissime causans, me non recepta re Patrum autoritates, quas nec ipsas intelligebat, nec intelligere uolebat. Non enim patebat alia uia suæ sacrarum literarum ignorantiæ, præsertim coram uulgo colorandæ, quam ut deserta & contempta Scriptura sancta, me configere (ut tu elegantissimus Orator dicis) diceret cornicum oculos. Sed habete uobis hunc Theologiæ discendæ morem, ut uerba Dei ad iudicium uerborum hominum tractetis. Ego cum Paulo & Augustino uerba hominum ad iudicium uerborum Dei tracto, malo à uobis accusari, cunctator in uerbis hominum, quam uobiscum laudari, contemptor uerborum Dei. *Eccij scommata.*

Huc mihi ausculta, qua tu noua religione arborem laudas, & fructus eius uituperas? An tu non cornicum oculos configis, sed ipsi Christo, omnium Duci, contradicens, de uite & ficu spinas & tribulos colligis? Non intelligis quid uelim? Lutherum dicis catholicum, & qui nolit Bohemorum esse Patronus, recteq; facis, Cur ergo iniquissimo animo fers, dogmata mea probari Bohemis? Quasi noua Eccij tui Dialectica (nam simili & ille utitur disserendi scientia) hunc necesse sit Bohemorum Patronum esse, qui dicat, quod Bohemis probetur, Aut non debere eius dicta Bohemis placere, qui recuset esse eorum Patronus. Magister es Artium & Philosophiæ, non meministi, Partibus ex puris nihil sequitur? Quid his larualibus Syllogismis aliud quæris, dum uniuersale misces particulari? & hoc rursum illi, nisi ut aut Bohemus sim, aut omnia mea reuocarim. *Cornicum oculos configere.*

Si incedis super aristas, & lubricus es, ut Lectori quoduis intelligendum, tibi quoduis respondendum reliqueris? Docuerunt te Canones tui sic loqui in Proximum tuum? Putas ne & ego queam simili figura te laudare, ut alius te auarum, alius liberalem, alius castum, alius fornicarium queat intelligere? Si segniter laudare apud eruditos uituperare dicitur, Quanto magis dubia & figurata tua impiæ laudis larua plus quam tripla uituperatio mihi censenda est? Atque dum nihil discernis in meis dogmatibus, omnia simul, nimirum contaminata cupis, impurissima lingua tua, Vides me intelligere, qua stropha rusticissima insidieris mihi, sacerdos Domini & testis ueritatis? Varios uentos hucusq; passa est nauis mea, Nunc, ut uideo, & contra Cæciam mihi nauigandum est, qui mendaci expellit nubila flatu. *Segniter laudare.*

Verum, quando hoc pro basano tuo & lydio, quod dicunt, lapide ducis, quidquid Bohemis placet, hoc hæreticum esse, Miror, qua nam ratione

ratione & tu euadere queas, ne sis Bohemorum Patronus, qui tam multa sapis, profiteris, tueris, quæ illis placent? Quin rogo per Eccianam hanc Dialecticam nobis conclude, sacramenta Ecclesiæ, uniuersam Scripturam, S. Patres esse omnia hæretica, quia hæc placent Bohemis, Placent præterea Bohemis multa alia, Christus ipse, Sancti & omnes creaturæ Dei bonæ, ergo sunt hæretica, firmissima, scilicet Emseri Dialecticę consequentia.

Consequentia Dialectica Emseri.

Quod si hæretica sunt, quæ Bohemis placent, rursum hæretici erunt, quibus Bohemi placent. At hic ausim iurare, Emserum esse hæreticum, cui sine dubio uel aurum, uel uxorcula aliqua bohemicæ factionis formosula possit placere, imo nec summos Pontifices ab hoc casu hæreticæ prauitatis possit ulla Bulla excipere, nec ea quidem, quæ in cœna Domini legitur. Istis ludicris rationibus, in tam seria re, uos optimi Theologi, uulgus nostrum inficitis, ut eius iudicio, statim audito Bohemorum nomine, quos uolueritis, hæreticos faciatis, nec tamen estis in hoc Fratricidæ & blasphematores.

Bulla cœnæ Domini.

Sed quando in hæc portentosa tenebrarum uestrarum Argumenta uenimus, odium inscitiæ uestræ latius pandamus, Cur non & Iudæum & Iudæorum Patronum me criminaris, id est, excusas, qui negem me cum illis sentire, cum tamen ipsi fateantur multa esse sua, quæ constanter tuear? An quod hoc officium Fratribus tuæ farinæ reliquisti, qui Libros hæreticos & hæreticales pro suo arbitrio inuenire possunt? Quid enim non inuenirent, qui tam anxie inquirunt? Iam cum & Iudæi nobis uicissim in multis placeant, Emsero Magistro Iudæi dicendi sumus.

Iterum, si hæreticum est, omne placitum Bohemorum, a contrarijs Catholicum erit, quidquid eis displicet. At libidinem, pompam, auaritiam, superbiam Clericorum, illi miro modo detestantur, Sequitur, Catholicissimam esse hodie Ecclesiam Romanam, in qua hæc usq; ad clamorem in cœlum regnant. O quot inuenies, mi Emsere, huius generis catholicos. Non dubito, quin & tu catholicissimus sis futurus & hæreticos extreme persecuturus, si hæc Bohemorum dogmata & placita possis hæretica ostendere.

Deniq; ueniunt ad manus meas, quotidie ex diuersis mundi partibus eruditissimorum Virorum literæ, gratulantium ueritati, & id unice timentium, ne fœlicibus cœptis, tua & tui similium persecutione uexatus, desinam & palinodiam canam. Quid ex his facies? Dialecticam eccianam consule, & Patroni Bohemorum erunt, neq; enim alios Libros meos legunt ipsi quam Bohemi.

O uos infœlices & nihili Theologos, idolaq; mundi, qui sacrarum literarum ignari Ecclesiasticas sententias non alijs armis tueri potestis, quam quod timetis, indignamini, suspicamini, pueriliter & muliebriter platicura esse dogmata hæreticis. An timore, suspitione, indignatione contra hæreses pugnandum decernitis? Sic ludibrio exponitis militiam Christianæ ueritatis, quæ turris Dauid mille clypeis, & omni armatura fortium munita, terribilis est sicut Castrorum acies ordinata, Et sane uidemus hunc ritum hæreticorum uincendorum præualuisse, hoc est, ueritatem pene extinctam esse, dum suspitione placendi Hæreticis, prohibita est pugnare & triumphare.

Militia Christianæ ueritatis &c.

Cant. 4.

Igitur duos nouos locos tu & Theologi tui inuenerunt, quos nec Aristoteles, nec Cicero Topicorum insignes Autores inuenire potuerunt, qui tales sunt ac tanti, ut uice omnium aliorum sint, in quouis dicendi genere, Hi sunt, placitum & displicitum hæreticorum. His enim

freti

freti Emserus & Eccius, me hęreticum arguunt, pro incredibili Rhetoricę suæ peritia. Nec est hic necesse explorare, an hæretica sint, quæ placent. Sat est suspicari, quod placeant, tum mox uulgus irritandum est. Sic uicti sunt hæretici, Ecclesia defensa, & ueritas fidei seruata, ut impleatur illud
Isa. 3. Isaiæ. Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eorum.

Vides ergo, mi Emsere, hæc monstra te didicisse ab Eccio, Nam & hic, ut est inanis scientia Scripturarum, aliud Lipsiæ argumentum robustius non habuit, quam horum locorum, in quo non immerito uobis placuit.

SEd quia Aegoceros es, facile hoc rete meum eludes, dicesq;: Non damno tua dogmata, nec quod placeant Bohemis, indignor, sed quod erronea dogmata placent, quorum te Autorem falso putant.

Primum, adeo ne de omnium mortalium sensu desperasti, ut hac insulsa & inepta tua uafricia speraris omnes illudi posse, ut tibi credāt, alia Bohemis dogmata mea placuisse, q̃ quæ in Libris meis legerunt? Quod si mea dogmata probarunt, & tu iam falso eos probasse garris, quia Bohemorum patrocinium recusaui. Quid aliud hinc sequitur, nisi uel te impudenter mentiri, uel me reuocasse mea dogmata?

Deinde, nunquid ego Idolo tuo Eccio Lipsiæ sic dixi, sicut tu scribis, perfricta fronte, Quod quidquid de me Bohemi sentirent, me non acceptare? Nonne toties repetitis uerbis dixi, me schisma & errores Bohemorum non uelle nec posse tueri, quod mihi Eccius tuus eadem impudentia obijciebat? Nunquid hinc sequitur, me Bohemorum consensum in mea dogmata (quę alia non possunt esse, q̃ in Libris meis edita circumferūtur) damnasse?

Atq; ut scias, me tuas insidias nihil insidiosas, nihil metuere, habe tibi hoc, & illude siue illide, si potes. Volo, opto, oro, gratias ago, gaudeo, q̃ mea dogmata placent Bohemis, atq; utinam placerent & Iudæis & Turcis, imo utinam & tibi & Eccio, positis uestris impijs erroribus placerent. Quid hic facies? An Iudæum, Turcum, Emseranum & Eccianum me Patronum excusabis, quia recuso fortiter me nolle uestra & illorum tueri? Quid ad me? Si Bohemi mecum sentiunt, recte sentiunt, Sed non ideo ego illorum uel schisma uel errores probaui, nec tuo patrocinio opus habui, quo hac suspitione leuarer, id est, contaminarer. Nam spero, q̃ gaudeas, Bohemos tecum sentire in Confessione Trinitatis, Christi, & omnibus alijs fidei articulis, Cur ergo non pro te ipso primum sollicitus, Apologiam edis, expurgans te, q̃ Bohemorum Patronus non sis? Si hoc stultū & non necessarium arbitraris, qua charitate necessarium tibi pro me uisum est, ut faceres non rogatus?

Vides ergo malignam tuam agnosci inuidiam, qui cum scires Bohemos in me nihil probare & iactare, quam dogmata mea, tu eorum iactantiam hanc, fœlix Orator sic opprimis, ut neges me errorum suorum esse Patronum, quasi illi hoc unquam iactarint. Oratorum insigne decus est (ut Cicero ait) apposite dicere, tu autem Bohemorum iactantiam confutaturus, *Insigne decus Oratorum.* quam optimam habent in meis dogmatibus, confutas iactantiam errorum suorum, quam tu fingis sub nomine meo. Nonne hoc ad Rombum orare est ubi ad dextram tibi belua iaceat, tu uersus in sinistram egregie Rombum laudes? Obsecro, si deinceps luscum uelis laudare, non laudes surdum, ne in discenda Rhetorica tua, uidearis operam & oleum lusisse, aut mutuum paulisper memoriæ Eccianæ tibi sume, ut Argumenti suscepti saltem in orationis initio memor esse possis.

Simili

Hieronymus. Ruffinus.

Simili schemate & Ruffinus olim impetebat Hieronymum, cui cum placeret in multis Origenes, ineptus ille Emseri Dialecticæ typus, omnium errorum illius fecit impia laude Patronum. Ita & tu Ruffinus meus (Hieronymus uolui dicere, fallit me operis similitudo magis, quam seruet nominis similitudo) in hunc modum egregie disseris, Bohemos non defendis schismaticos? ergo falso illi iactant te uera scripsisse. Proinde mi Emsere, alio contra Bohemos confutandos utere argumento, hac elumbi confutatione nos Catholicos Bohemis ludibrio traducis

Iterum, alio mihi abrupto elaberis, non dico (inquis) tua iactari dogmata, sed aliena & suos errores tuo nomine. Primum, Quis de hoc certum te fecit? adeo ne tibi de quouis mortalium fingere licet crimina, atque id non nisi ut innocentium criminib. fictis, Innocentiam aliorum lędas? Nonne Scriptorem historicum, pręsertim sacerdotem Domini, testem ueritatis, oportuit hęc omnia primum explorare, & non de suo cerebro Historias fingere? Quid si illi negent iactasse unquam nisi mea dogmata, quæ per Regiones uagantur, quæ multi Christianissimi Galli, Itali, Angli, Germani, Hispani quoque iactant? An sperabas eos tacituros audax mendacium tuum?

Sed esto, uerum sit quod somnias, illi aliena dogmata meo nomine iactent, Qui fit ut ego non hæc audierim, ad quem maxime pertinent? Aut si mala nostra nouissimi scimus, tuum erat profecto, qui nominis mei tam studiosus es, mihi id indicare, & quænam dogmata illic nomine meo falsa falso iactarentur signare, ut ipse (quod maiorem habuisset autoritatem) in eos scriberem, nomenque meum assererem. At tu bone Ruffine, fili tenebrarum hæc aut nesciens, aut nescire te fingens, non modo nihil mihi significare curasti, quin duplo uulnere, utroque grauissimo me percutis, & suspectum de hæresi faciens, & suspitionis huius pessimæ patientissimum dissimulatorem adornans, dum pro me ruis in defensionem mei, me prorsus non salutato, pugnaturus contra ea, quæ nescis.

Sed adhuc rogo post uulnera, saltem indica nunc, quæ illi falsa dogmata meo nomine iactant, ut sciam, super quibus me defendas, & pro quo gratus esse debeam? Quid taces? quin edis? non edis? Age euerberemus uel inuito. Quæro, an tua uerba credas esse uera, ubi scribis, Bohemos pro me fecisse publica Deo supplicia, quotidianaque (licet prophana) sacra, dum nuper Lipsiæ certarē? (Taceo enim, qua gratia hoc in uulgus uolueris edere, naso meo non sic illudis Ruffine, Ruffe, imo niger) Vera, inquam, hæc sunt an non? Non hic tacendum, quia sacerdos Domini & testis es ueritatis. Vera ergo. Sequitur iam proculdubio, Bohemos emserana sententia mecum sentire in propositionibus Lipsiæ disputatis, ut in quibus me saluum publicis sacris impetrare illos uoluisse publice scribas.

Mendacem oportet esse memorem.

Hæc sunt igitur dogmata falsa, quę nomine meo iactant Bohemi, & in quibus me Patronum gloriantur. Habeon Aegocerata nostrum an non? Vbi nunc est os tuum, pene effudissem, quod me Catholicum asseruit? Vides ne, quam imprudens sit inuidia? Prouerbij illius Scripturus meminisse debebas: Oportet mendacem esse memorem, Nec est quo hic euadas, quin perspicuum sit, te te in corde non secus ac hæreticum habere Lutherum, & tamen ore confiteris Catholicum, cuius rursus dogmata eodem ore damnas hæretica? Tu ergo uir ille es, qui apud Iacobum ex eodem fonte manat amarum & dulce. Neque enim uerisimile est, tam deliros esse Bohemos, ut pro me orare uoluerint in aliam causam nisi quam

tunc

tunc agebam, nec tu de alia loqueris, neque erant tam obscuræ Propositiones meæ, ut putari possit earum sensus eis non fuisse intellectus, quando eos potuit intelligere uester Rubeus.

Proinde, mi Ruffine, id quod cogitabas & intelligi uolebas, tibi scribendum aperte erat, id est, Lutherum esse hæreticum, sic egisses uiri constantis & probi officium. Quid enim refert illos accusari de hæresi, qui de Patrono per te laudato gloriantur? Non cogitas Bohemos esse homines, non pecudes, qui ad Aegocerota tuum dicant: Quid confutat hic olidus hircus, Quid sibijpsi contradicit? An persequitur Hircoceruum & Chymeram cerebri sui, & Bohemos a se in somno formatos? Nubes & inania captat. Nos eum Lutherum iactamus, quem tu catholicum astruis. Quid nobis de erroribus? Dogmata Lutheri probamus, quæ Lipsiæ tutatur, & Libellis editis inuulgauit? Tu cum laruis pugnas, & ridiculus cuculus es. Quid hic dices, Ruffine? An quia sacerdos Domini es ibis gaudens, quod dignus sis contumeliam pati pro Domino tuo, eo scilicet, qui est Pater mendacij, cuius tu in dicendæ ueritatis functione testis es?

Quod si dogmata mea, & tu uera arbitraris, plaudant Bohemi, quod Patrono Hieronymo Emsero, Christi sacerdote & teste ueritatis, probantur Catholici & Christianissimi, ut qui pro ueritate publica sacra fecerunt Mœreat Roma, insaniat Eccius fortissimus Theologus, infœlix Romanæ Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ defensor, Aegocerotis huius præceptor, quod inueniuntur Bohemos mendaciter & inique pro hæreticis habuisse, Imo doleant Bohemi a mendace & bilingui se laudatos, & gaudeant ab eodem se uituperatos.

Nonne iam tu ipse Patronus factus es Bohemorum, quod me tanta bucca tonas repulisse? Disce Ruffine illud Sapientis: Qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens iudicium, Quoniam auris
Sap. I. cœli audit omnia, & qui continet omnia, scientiam habet uocis, Spiritus
Eccle. 10. enim Domini repleuit orbem terrarum. Et illud Eccle. 10. In cogitatione tua ne detrahas Regi & in secreto cubiculi tui non maledixeris diuiti, Quia & aues cœli portabunt uocem tuam, & qui habent pennas, annunciabunt sententiam. Hæc tuo exemplo cognosce esse uera. Quis enim, putas, mihi cor tuum reuelauit, & reuelandum dedit, nisi ille, qui dedit nobis scire, etiam cogitationes Satanę, discretionem spirituum, imo sensum Christi, & profunda Dei?

Quid, quod tu ipse autoritate Bedæ, cum non neges Iohannem Huss falsa miscuisse ueris? Nonne Bedam, uel teipsum Bohemorum Patronum ostentas? qui tonas non solum contra Concilium Constantiense (quo unico miser tuus fulciebatur fortissimus Theologus) sed contra ipsum quoque fortissimum (quod intolerabile est) articulos aliquos ueros, male damnatos, quo totam uim et uictoriam Eccij eneruas, mecumq; per omnia sentis. *Concilium constantiense.*

Proinde tu, si sapis, scribe Catholicæ Ecclesię Bohemorum Administratori, ut ad gremium Ecclesiæ reuocet errantes, quod ut sui, tui, omniumq; nostrum faciat ludibrio. Da hęreticis (sicut facis) hoc, Iohannem Huss uera falsis miscuisse, hoc est, Concilium Constantiense articulos eius aliquot impie damnasse, idq; Bedæ autoritate. Sic enim corui tui ouum legitimum eris, qui & ipse, ut me Bohemum hæreticum statueret, Primo Nicenum Concilium contempsit, magna autoritate, habitus in hoc uobis catholicissimus. Deinde Constantiense, Magister Spiritus sancti factus, denuo & aliter declarauit. Sic soletis uos confutare hæreticos, ut peiores hæretici fiatis & nos omnes eorum fabulis tradatis, dum ut coletis culicem, camelum glutitis, adeo cauti estis, adeo refert uestra, multa magnaq; negare &

damnare catholicorum, ne modica probare uideamini hæreticorum, ut probantes possitis iactare hæreticos, atq; id nullorum hominum odio, sed zelo ueritatis, pro gloria Dei, & honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

Frigide confutare. Sed & uos Scriptores mihi uidemini esse nonnihil autores Bohemicæ pertinaciȩ, qui tam frigida & inconstantia scribitis, frigide enim & pigre confutare, quid aliud est, quàm bis confirmare? Aduersarijs, iuxta Paulum, os opplere & obstruere omni oportet studio. Deinde scripta nostrorum, nescio quam oscitantiam nauseamq; spirant de fiducia & securitate, quam habemus in opinione uulgi, ex nostro uerbo pendentis, & potestate Romani Pontificis nostra probantis. Nos ita scribimus, ut si nihil promoueant, quæ scribimus, sufficit, quod uulgo nostro & Romano Pontifici placent, Atq; hic est finis nostrȩ scriptionis, nihil ȩque timemus, quam ne quid elabatur, quod offendat Romanum Pontificem. Qua ratione fit, ut sicut libere non scribimus, ita nihil efficiamus.

Tu nunc uide uerba, imprudentis tuæ inuidiæ ueracia testimonia etsi ipsa mendacia, Me catholicum asseris, simul & dogmata asseras catholica necesse est, Et quis est furor impietatis tuæ, ut pro catholicis dogmatibus non solum indigneris sacra fieri, sed etiã appelles prophana, abominabilia execrabilia? Intelligis, quod Chaos, quod pelagus monstrorum ex hac sententia sequatur? ut hinc te facile peiorem omnibus hæreticis & dæmonibus possim asserere? Quid enim non faciat & omittet, qui pro ueritate sacra facta pronunciat prophana? Esto, sint Bohemi hæretici, at quando pro ueritate orant, sacra hæc tu prophana audes dicere? An sacra pro mendacijs facta, sancta tibi uidentur?

Quid sentis de meis sacris, quæ pro te & Eccio facio magno affectu, cum tibi & illi hæreticus uidear? Neq; enim habeo (crede, non crede) quibus me plus debere mihi uidear, & pro quibus ardentius orem, quàm pro Iohanne Tetzelio, huius tragediæ Autore, cuius anima sit in pace, & pro te & Eccio, omnibusq; aduersarijs meis, adeo mihi prodesse sentio aduersarios. *Iohannes Tetzelius.* Sine ergo infœlix inuidia, pro dogmatibus meis sacra fieri, uel a Turca, Nolite prohibere eum, qui non est contra uos, pro uobis est, dixit Christus, Aut primum me hereticum & dogmata hæretica ostende, ne rabie insana Deo præferre incipias diabolum, & mendacium ueritati.

ARbitror, o Lector, me Aegocerota hunc cœpisse, etsi non omnes molossos nec ueltres in eum emiserim, Prima uenatio est, adhuc tener est, tenera mihi tractandus fuit cura, & alio tempore si perget, uel albanis canibus insectandus.

Esse autem captum hoc indicio probabis, quod deinceps sicut captiuum & dilaniatum decet, sua sponte aperit, quæ toto uenatu dissimulauit. Pugnat enim aduersus meam Propositionem, tanquam hæreticam, soluitque meas rationes. Hoc enim monstrum aluit in uisceribus occulte, dum fugaretur & caperetur. Versemus ergo uiscera ista & omnem fimum eius concidamus, ac detracta pelle sacrificemus eum in holocaustum Domino, si uolet eum.

Per Coronidem suam terribiliter Machabæam totam, quam splendide Lutherum hæreticum triumphat. Assumit autem sic: Miseram fore Christianorum sortem, si & Gentibus & Iudęis sit inferior, quos constet sacerdotes suos Dijs retulisse.

Ante faciem huius pigerrimi frigoris quis sustineat? Vt repeat ignauissima, tum sententia tum oratio. Sed nec quid hoc Sillogismo mire rethorico moli-

cto moliaris, satis intelligo, Nisi forte suspitionem mihi paras, quasi Ecclesiæ sacerdotes negem referri Deo acceptos, Sed & inter gentes, credo, in uniuersis Poetis tuis, non inuenias, qui fingat fuisse aliquando unum, iure diuino, omnium totius orbis sacerdotum gentilium Monarcham. Nam hanc sententiam tu intelligis & eloqueris, per sacerdotes Dijs acceptos referri, noua, quantum dico, grammatica, præsertim, cum tot ubiq; Religiones, etiam sibi pugnarent, testibus sacris literis.

Sed bene habet, quod tu ipse nihil moraris, si Syllogismus tuus in hac parte corruat. Itur ergo in antiquam syluam, & ad extremum belli decus, nempe ad Aaronem, quem gloriaris, iam pene uictor, negari non posse à Deo institutum. Huic assumptioni nectitur subsumptio, Si ueteris, inquis, Instrumenti molæ penitus ociosæ, ac tandem derelictæ (tam belle & docte inter rhetoricandum etiam theologisaris, mire aptis mysterijs ludens) tantus honos est habitus, superioris etiam, noui scilicet Testamenti causam, nihilo fore deteriorem. Hæc ille. *Aaron.*

Omitto ineptiam de mola inferiore & superiore, imo impietatem, quâ ueterem & sanctam Synagogam, ociosam & derelictam nouus Theologus delyras, absq; hoc, quod corporalis etiam mola inferior ociosa non possit dici, quæ negociosior est superiore, cuius sustinet uim & impetum, deniq; Deus prohibuit, ne quando altera molarum auferretur, & ociosa fieret, Sic enim solent Ecciani Theologi in sacris ludere literis, dum serio eas tractant. *Ecciani Theologi.*

Ad rem ipsam. Hic tibi uidetur honos dignus nouo Testamento, si ipsum quoq; habeat suum Aaronem, hominem purum, simili uestium, dierum, ceremoniarum pompa gloriosum. Gratias ago uerborum Dei Interpreti acutissimo. Ergo nihilo differet ueritas à figura, Spiritus à litera, plenitudo à signo, nec nouus sacerdos præstantior ueteri? O ignominiosum honorem noui Testamenti, si simili honore æquetur ueteri. Quorum, quæso, hoc aures ferent? Non cogitasti, miserrime Emsere, cum hoc munus obires, quam susciperes argumentum tuis uiribus impar? Non eras memor Horatij tui: Versate diu, quid ualeant humeri, quid ferre recusent? *Spiritus. Litera.*

Rogo, infœlix Canonista, Apostolum ad Ebræos non legisti? Si legisti, cur contempsisti? Si non legisti, quid porcus inter sancta? Apostolus, inquam, honorem & gloriam noui Testamenti copiosissimis & splendidissimis argumentis tractans, Christum Filium Dei Pontificem summum loco ueteris Pontificis, ut melioris Testamenti mediatorem pulcherrime probat, eumq; in sancta, æterna redemptione inuenta, per proprium sanguinem introisse, Vetera illa fuisse exemplaria, umbras, imagines, typos futuri Pontificis Christi, reuocanda Emsero, & pro ueritate habenda. *Gloria noui Testamenti.* *Hebr. 9.*

Non ergo uestium pompa, aut potentiæ magnitudo, noui Testamenti honor, sed figura fuit, & nunc ignominia est, Spiritus nunc regnat, qui talibus umbris non eget, nec ornatur. Hanc gloriam Emserus noster fastidiens, honorem carnis & umbras rursus e ueteri Testamento suscitat, ne sine honore, id est, umbris sit Ecclesia, Cum de Christi sacerdotibus ad illorum differentiam Spiritus prædixerit: Sacerdotes eius induantur iusticia, & sancti eius exultent. Et iterum: Sacerdotes eius induam salutari &c. Per hæc spiritus exposuit figuralem ornatum & honorem ueterum sacerdotum, Et Christus: Qui uult esse inter uos maior, sit sicut minor. *Psal. 132.* *Matt. 5.*

At Emserus meliore spiritu plenus, per iusticiam & salutem intelligere docet aurum, purpuram, gemmas, honorem, potestatem, dominium, principatum, quæ in ueteri instrumento, & mola inferiore, dixit ociosa

& relicta esse, id est, in nouo assumpta. Cur ergo tuus Monarcha in ijs est tam negociosus & sumptuosus, si ociosa & relicta sunt, iuxta uerbum tuum? Sed cur non esset negociosus & sumptuosus, qui Emsero Magistro docetur, relinquenda non relinquere, & ociosa negociosa habere, ut simul sit uetus mola, relicta & non relicta, ociosa & non ociosa? Vides ergo, quam Emserus & Paulus sibi quadrent pulchre? Tibi deterior est causa noui Testamenti, nisi sit par ueteri in pompa & sancto saeculari, Paulo uero ignominiosa est, si par fuerit.

PORRO cum illic Apostolus nouum Testamentum ex professo tractet, Pontificemque illius Monarcham describat, fefellit nos certe, nec argumento suscepto satisfecit, quod non etiam Petrum aut Romanum Pontificem nobis Monarcham secundarium commendauit, praesertim cum is articulus tanti esse momenti putetur, ut fides & nouum Testamentum sine illo subsistere non possint, ruente nimirum, si unus articulus fidei ruat, tota fide.

Sed sine, caeci sunt & duces caecorum, tantum animalia uentris. Quare sicut in Veteri fuit unus summus, non duo summi, nec ullus Vicarius summi sacerdotis. Ita & in Nouo oportuit fieri, ut figurę ueritas responderet, & constaret summum Sacerdotem ueteris Testamenti non modo non pro Monarchia Ro: Pontificis, sed omnium fortissime contra eam ualere. Denique omnia, quae in ueteri Pontifice adumbrantur mysteria, nulli nisi uni Christo conuenire possunt.

Habemus ergo gratitudinem nouorum Theologorum, qui fastidientes gloriam noui Testamenti habere Filium Dei sanctum Monarcham, Pontificem ueteris Testamenti, praeeligunt gloriam in filio hominis peccatore Monarcha, quam cum ad spiritum nihil ualere certum sit, certum est, non iure diuino sed humano esse institutam, cum illa, quae iure diuino erat statuta, eodem iure ociosa & relicta, teste Emsero, sit.

Christus ad impossibile nos non obstringit.

Nec hoc saltem cogitas, esse plane impossibile, ut totius orbis populi ex una Roma petant Episcopos confirmari, sicut modo putant usum esse iuris diuini. Anathema autem sit dicere, nos a Christo fuisse ad impossibile obstrictos. Obstat enim itineris & sumptus magnitudo. At iuris diuini nulla debent esse obstacula, ne mors ipsa quidem.

ALtera pars Coronidis tuae est, Monarchiam probari Conciliorum interpretatione, & uel hac sola uoce Christi: Pasce oues meas. Quis? tu? Emsere? Tu ne audeas dicere, per Concilij interpretationem fieri ius diuinum? ubi haec didicisti? Quis ita unquam insaniuit? Quidquid per homines statuitur, humanum est. Sed quid contra cerebrum pugno, quod nondum, quid sit ius diuinum uel humanum, intelligit.

Pasce oues meas.

Deinde optimo Magistro grammaticae, nunc demum scio, quod Pasce oues meas, significat, esto Monarcha & Dominus omnium, forte post haec, & nouam cabalam Emseranam sperare oportet. Obsecro, nonne Petrus iam Apostolus erat, & quidquid esse poterat, quando audiuit hoc uerbum Pasce? officij uerbum & operis, non dignitatis aut potestatis audiuit? Quin dic tu Monarchis tuis, uerbum pascere ad eos & nullos alios pertinere, & haereticum esse qui alius pascat, quam ipsi. Hoc enim oportet fieri, si in hoc Monarchia traditur, nec licebit nisi Romano Pontifici pascere, tum nisi ipse quoque pascat, erit haereticus.

Pascere.

Monarcha noui Testamenti.

At uide, cum haec dixeris, an non sint te exusturi ut omnium haereticissimum, qui uelis Monarchas pastura, id est, Monarchia noui Testamenti

onerare

onerare, onere plane intolerabili, quod cuiuis inimico uel Turcæ malint permittere. Sed sic soletis Scripturas uelut Anaxagoræ elementa uersare, quodlibet in quodlibet, & ex quolibet formare. Ideo nihil mirum, si pascere significet uobis potestatem & dignitatem absq; omni pascendi uel consignificatione, tam oculati estis Grammaticæ & Theologiæ obseruatores.

Nec prodest impia illius glosæ intelligentia, qua quidam garriunt: Hoc fecisse uidemur, quod per alios fecimus. Hoc enim uerbo, si ocium paratur ijs, quibus est aliquid præceptum, totius Scripturæ uirtutem euertimus, dum quilibet eodem exemplo dicere poterit præcipienti: Ego ociabor, per alium faciam, Atq; ita Deo quoq; licebit dicere: Non pascam, sed mœchabor, occidam, furabor, permittam autem ut alius pascat, non mæchetur, non occidat, non furetur. Quis hæc non seruare queat? Quare ergo uerbum Dei illudimus?

Hoc fecisse uidemur, quod per alios fecimus.

Esto ergo sententia, Nisi Pontifices ipsi pascant, orent, regant, non sunt Pontifices, sed Idola, tam coram Deo quam hominibus, & uerbum pascere nihil ad eos pertinet prorsus.

Hæc cum uobis dicuntur, nec habetis quid respondeatis, surda transitis aure, interim peregrina uerborum farragine hominum aures occupantes, ne uicti uideamini, nec miseræ interim conscientiæ uestræ misereamini, quam cogitis contra stimulum calcitrare, & inuitam contra seipsam, id est, ueritatem latrare.

VErum illud suauissimum uel Balsamum Emseranum quomodò præteream? Quod ratiunculam meam, qua Lipsiæ contendebam, Ecclesiam Dei fuisse sine Monarchia uiginti annis ante Ecclesiæ Romanæ ortum, ideo non esse necessariam, nec iuris diuini, Ita soluis, Nec etiam Petri, inquis, potestati aut successorum eius plus detrahit, quod post uicesimum annum uel citra Romam primum applicuit, quam fœlicitati latronis obfuit, quod post quadraginta demum dies cum Christo in cœlum ascendit, lento enim passu res humanæ incedunt.

Vide, mi Emsere, an non hæc inter pocula dixeris, aut sicut Balaam propria te uoce coarguas, Res humanas lento passu incedere dicis, & hoc de potestate monarchica Petri dicis, Res ergo humana est Monarchia? Rogo, desine aliquando resistere ueritati per os tuum loquenti. Tot iam exemplis deprehenderis ueritatem in corde tuo uiolentasse, nec dum resipiscis, nec quod toties tibi erumpit inuito, moueris. Caue ne si ueritati uim toties intuleris, ipsa te aliquando irrecuperabiliter deserat, sponte uideris uelle cæcutire. Si Caiphas, & Balaam ueritati per se dictæ non restitissent, quid illis beatius foret? Exempla tibi sunt, tibi dico, terribilia.

Et adeone uilis tibi res est ius diuinum Monarchiæ tuæ, ut ipsum unius latronis dilatæ saluti compares? Cur ergo tuæ Monarchæ Petri successores, non modo non cum unius hominis, sed ne cum uniuersi quidem orbis Ecclesiæ conditione se comparari patiuntur? dum priuilegia & iura Romanæ Ecclesiæ adeo strenue & pie defendunt, ut integram Græciam & Bohemiam, atq; Galliam, & omnes Prouincias maluerint perire, imo proprijs fulminibus (cum Canonista loquor) parati sint perdere & excommunicare, quam uno momento pati dilatam aut subiectam aut mutatam uoluntatem suam (potestatem dixi)

Priuilegia & iura Romanæ Ecclesiæ &c.

Vide ergo, ne tu sis impijssimus in tam zelosos iuris diuini assertores, qui neq; temporali uitæ, neq; æternæ saluti totius orbis parcunt, ne differatur aut detrahatur, uel una hora iuri diuino, cui tu uiginti annis con-

cedis ocium fuisse dilationem, atque id comparatione salutis unius uilissimi latronis, cum Christi potuisses gloriæ dilatæ comparare.

Petrus à reliquis Apostolis missus, uelut inferior.

Nihil ergo mirum, si Petrus & Paulus nostro seculo hæretici fiant, dum Petrus pessimo exemplo Monarchiam, iura & priuilegia Ecclesiæ suę totamque molam superiorem, hodie sane ad conterendos populos negociosissimam, fecit ociosam & reliquit, Dum Act. 8. cum Iohanne se mitti, sicut inferior, passus est, Dum Act. 10. ad rationem reddendam, ut item inferior, cogi se passus est, Dum Act. 5. sententiam suam Iacobi autoritate mutari & confirmari passus est, qui tamen sanguine proprio debuerat resistere, & cœlum ac terram potius miscere, quam hoc pessimum exemplum & hæreticum factum, suis successoribus relinquere.

Acto. 8. Act. 10. Acto. 15.

Paulus missus &c.

Sed & Paulus mitti se à Macedonibus & Corinthijs patitur, pro ferenda collecta Sanctis in Ierusalem, hæreticus certe, & recte, quia ius diuinum oportet tueri per sanguinem, etiam cum totius mundi damno, sicut potius quam uelles occidere & mœchari, omnia tibi essent amittenda, Recte ipsi faciunt, Tu cum Petro pessime & hæretice facis, tu dando dilationem, ille faciendo contrarium iuri diuino, uerbo Dei & Euangelio, quod ne puncto quidem licet interrumpere aut differre.

SI autem zelus tuus adeo ardet pro me & Bohemis erudiendis, debes non solum tua nobis dicere, sed nostra quoque refutare. Adhibe ergo manum, doce nos sapientiam tuam.

Nicenum Concil.

Mea Propositio de primatu Papæ non est mea, sed Niceni Concilij, quod Romani Pontifices Euangelio comparant, Tibi ergo ista consequentia est prohibenda, Lutherus est hæreticus in huius sententia Propositionis. Ergo Nicenum Concilium est hæreticum, quam nisi prohibueris, ego te cum Eccio tuo hæreticos, Arianorum patronos, Romanæ Ecclesiæ blasphematores pronunciabo, atque hæc non lubrico, ambiguo, simulato, sed aperto sermone.

Scis quam dissimulabat tuus Theologus fortissimus hæc audiens, quā fugitabat, quam quæritabat, quam reptabat, & tamen hodie adhuc tacet, sed & tu fortissimus discipulus eius fortiter ad hæc taces, qui tamen Conciliorum interpretationem nobis ius diuinum fecisti, quasi hic non totius causæ summa pendeat. Alia uero satis multa copiose assertis, quo interim hæc præterfluant, quibus urgeri uos sentitis.

Ipse uix risum tenere potui, cum legerem magnificam tuam exclamationem, O miserum Lutherum, si execrandis & abominabilibus istorum piaculis confisus, ac non potius iugi Scripturarum meditatione fretus, cum fortissimo Theologorum Eccio pugnam ineat. Quos hic confutas? Bohemos? At quis tibi dixit illos in hoc orare, quod crederent me confisurum suis piaculis? Sed Stesichorus meus ita inter uituperia & laudes Lutheri fluctuat, ut ab ebrij sermonibus non multum abludat, Et quantum audio, uelis me fiducia meditatæ Scripturæ pugnare.

Quis unquam fœliciter pugnauit, mi Emsere, suis fretus aut doctrinis aut uiribus, nisi forte tu solus in hac Epistola? Ego scio illud: Dominus conterens bella. Et illud Iudi. 5. Dominus ipse dimicauit, & de cœlo dimicatum est contra eos. Neque cum fortissimis, neque cum infirmissimis unquam pugnare uolui, omne propositū fuit in angulo latere. Nunc autē unica schedula disputatoria, uelut lacinia apprehensus, & in publicū per uim tractus, Domini uoluntate ita factum credens, non timebo, mi Emsere, nec fortissimum nec uocalissimū Eccium tuum, sicut nec te impotentissimum, aut ullum indoctissimū contemnam, Tunc uero miser ero Lutherus, si tuo cōsilio meditatione Scripturarum fretus, pugnem, ac non potius fide operantis in me

Iudi. 5.

Schedula disputatoria.

in me solius Dei, etiam totaliter. Quanquam negare non queam, ac citra omnem superbiam possim Christo confiteri suum donum, me in sacris literis posse uel modicum, quas Eccium tuum fortissimum nondum confido posse fœliciter ordine & sensu legitimo docere. Non enim in scholastica Theologia hæc docentur, dona tamen gratuita Dei sunt, propter quæ nemo magis gratus, sicut nec propter corporis formam.

Sum sane & ego inter scholasticos Doctores detritus, quare satis rectum est, eum fortissimum & animosissimum a te laudari, Sed crede mihi, minus esset tibi hoc nomine laudabilis, si in sacris literis uel exordia Theologiæ, & ut uocant, principia intelligeret. Satis indicauit hoc Lipsica Disputatione, Indicant & libri eius de prędestinatione & mystica Theologia, omnia fortissime & summa primo tentat, ita, ut casum grandem illi misere metuam.

Breuiter, ipse tu nosti, dolia uacua esse sonantiora plenis. Nolo me laudari, nec fortissimum nec meditantem in sacris literis, sed & Eccio hanc tuam laudem inuideo, cum uterq; nostrum debeat talis esse, ut melioribus quam istis nominibus laudetur, nempe Christi nomine, in quo fortissimus est infirmissimus, & infirmissimus est fortissimus, sicut dicit in Iohele: Infirmus dicat, Fortis sum. *In Christo infirmissimus est fortissimus.*

SCribis etiam, in laudem, scilicet, me omnia sursum ac deorsum uersasse, totamq; ingenij aciem huc admolitum, & contendisse, Romani Pontificis principatum a Deo non esse. Hic te dignis modis tractarem, nisi crederem te inuidia uexatum, non bene cernere quid dicas. Credo, inquam, te per non esse a Deo, intelligere, non esse iure diuino. Sic enim uerba iuris Canonista & Rhetor pulcherrima Chria & glosa explicas? Alioqui quid poteras in me blasphemius mentiri, quam quod Romani Pontificis principatum diceres Luthero probari, non a Deo esse, id est, a Diabolo? Et sane tua cætera perpendens, cum uideam te pessima in me machinari, prope huc feror, ut te uoluisse hanc mihi labem inspurcare credam, quam enim imprudens sibi est inuidia, tam astuta est in aliorum mala. Veruntamen interim doctore Christo mitiore illud dictum uolo sensu accipere, donec te prodas latius.

Quis autem tibi meam suppellectilem uniuersam ostendit, mi Emsere? quando meas apothecas omnes perlustrasti? Nihil reliquum mihi est, quod huc possim admoliri? Adeo tibi uisus sum Lipsiæ omnia effudisse, omnia uersasse, ut iuxta Salomonem, uir ille stultus fuerim, qui effundit spiritum suum totum. Sapiens autem seruat in posterum? An non Eccius tuus potius hoc fecit, totos quatuor dies, nubes Bullarum suarum in me urgens, cui ego uix uno die oppugnator fui. Quam anxie anhelas, Eccio tuo arcum triumphalem statuere, & non pensitas tecum, quam te, & ars & sumptus destituant. Quid si Lipsiæ uix dimidium effuderim? Nunquid ibi de autoritate Conciliorum tractatum est? nunquid actuum liber in hanc rem, sicut oportuit, examinatus est? Quid Eccius protulit noui, quod non passim in Summistis & Sententiarijs, etiam initiati Theologiæ legunt? Hæc enim eius proculcata & exesa iam diu argumenta, mihi reddiderunt disputationem omnium, quas uiderim, molestissimam. Deniq; indignabar Carolostadio, tam diuites & uberes proferenti solutiones ad puluerulenta & triuialia illius argumenta. Breuiter nec affui ulli Disputationi, a qua libentius abierim, Qui anhelo spiritu adueneram, nouos cœlestis numinis succos gustare, & Eccium uobiscum miracula facturos uidere. *Eccius*

Denique cur illud unicum meum de Niceno Concilio argumentum in hunc diem, nec ipse, nec uestri illum studiose iuuantes, soluere possunt? *Nicenum Concilium.*

Quoties ille garrijt de Græcis, hæreticis, & schismaticis, hoc inuictum argumentum elusurus, sed nunquam potuit? Stat enim stabitq; semper, Nicenos Patres cum uniuersali Ecclesia esse hæreticos, si Romani Pontificis primatus sit iuris diuini, qui contrarium statuerunt articulo Constantien. Concilij, in quo unicum erat illius robur, quod tamen quid ualuerit, & tunc satis ostendi, & adhuc satis potero ostendere, nec enim Concilium Nicenum in omnibus huc pertinentibus articulis est discussum. Hoc enim erat mihi Tydeus aduersus multos fœneos & stipulaceos milites, cum uiderem tanto omnium stupore montes parturientes, non nisi ridiculum murem edere, displicuitq; mihi temporis perditio tanti. Vna enim hora potuisset hoc negocij confici, nisi farragines & feces, Summistarum fere omnium recitante Eccio, oportuisset audire, ne uideremur (quam speciem semper & acutissime obseruabatis) nolle aut non posse disputare.

Constantien. Concilium.

SEd ut saltem tu credas me adhuc posse aliquid, nec esse exhaustũ, Adijciam & ego Coronidem tuæ non dissimilem, & forte uerisimilius disputantem, de primatu isto magnifico. Aduerte itaq;.

Matthias. Apostolus.

Quid si Matthias nouissimus Apostolorum fuerit, & sit primus Apostolorum? Hoc enim tibi facile persuadebo, modo mihi permittas sacras literas more tuo & Eccij tractare. Nam iuxta Euangelium nouissimi sunt primi, & primi nouissimi. Quare Petrus uester cum sit primus, erit nouissimus, & Matthias meus cum sit nouissimus, erit primus.

Matthias in locum Iudæ ascitus.

Cui accedit & illud robusti firmamenti, quod in locum Iudæ traditoris ascitus est, qui uelut Pater Discipulorum erat, & œconomus Christi, super illos, sicut super familiam eius institutus, qui portabat ea quæ mittebantur. Nec aliter bona Apostolorum, & patrimonia Christi habuit & dispensauit, quam hodie Romanus Pontifex, Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, imo & regum & principum, dispensat, ita, ut uideatur uere secundarius summus Ecclesiæ Pontifex fuisse, & antecessor Romani Pontificis, cum cuius officio plus conuenit, quam ullus aliorum Apostolorum. Ergo Matthias est uere Papa & Vicarius Christi, cum iuxta Aristotelem, idem natum facere sit idem, & ex effectu causa cognoscatur.

Iudas dux Christi.

Sed & hoc urget, quod In Psal. 55. Christus eum Ducem appellat, dicens: Tu uero homo unanimis, Dux meus & notus meus, quod de nullo Apostolorum dicit. His adde, quod de nullo Apostolorum scribitur Episcopatus dignitas, quam de Iuda & Matthia, dicente Petro Act. 1. Et Episcopatum eius accipiet alter, Sed & illud Iohan. 6. Vnus ex uobis diabolus est, Vnus Ebræa lingua significat primus, Gen. 1. Factum est mane & uespere dies unus. Et Matth. 28. Vna sabbatorum, id est, prima. Si ergo solus iste Episcopus, dux, primus, œconomus, quid restat, nisi esse Vicarium Christi?

Psal. 55. Actor. 1. Iohan. 6. Gen. 1. Matt. 28.

Lucifer. Adam. Cain. Ismael. Esau.

Addemus rationem, Fere semper hi, qui ceciderunt, erant primo loco positi, ut Lucifer, Adam, Cain, Ismael, Esau, Ruben, Onan, Saul, Amnon, & multi eiusmodi. Quod factum est, ut superbos terreret Deus, & humiles exaltaret. Quare & Iudas à primo loco cecidisse uidetur. Vnde Apostoli de nullo minus suspicabantur, quod esset Christum traditurus, quia erat unus, id est, singularis & principalis de duodecim.

Vides, mi Emsere, suppellectilem meam nondum totam tibi uisam, & hæc non minorem habere speciem, quam uestra optima. Quid putas facerem, si sicut uos per petram primatum, per pascere Monarchiam, & similia quæ uul-

quæ uultis intelligitis, eodem ore Scripturas uellem deprauare? Quid si uos tam uerisimilia habuissetis?

SEd hucusque cum inuidia & aduersarij communis machina egerimus, Nunc rogo, me patienter audias pro communi nostra professione. De Romanis & Bohemis fabulam agimus, Obsecro, posito utriusque partis studio agamus. Volo & ego Romanum Pontificem esse primum omnium, & quem reuereantur omnes, nolo Bohemorum schisma. Verum esse Romanum Pontificem iure diuino superiorem, nulla ratione credam, nec unquam confitebor. Vis scire qua causa? Audi. A multis iam annis id quæsitum est per Romanos Pontifices & adulatores eorum, ut essent iure diuino supra Concilium, & super omnes in tota Ecclesia, super ipsam quoque uniuersalem Ecclesiam. Quid, putas, hac industria quærebant? Nempe, cum eum, qui sit iure diuino superior, non liceat iudicare, reformare, emendare (ut sentiunt) iam quodlibet audendi in omnibus regnaret potestas, sicut est dies hæc, staretque in Ecclesia Dei, horrendum illud, ut Oseas dicit, & abominatio illa in loco sancto, scilicet impunita nequitia & peccandi secura licentia. Qua quid fieret, nisi Ecclesiæ uastitas & desolatio? Hac enim potestate, quæ ad ædificationem solum data est, molirentur aliud nihil quam destructionem. *Romanus Pontifex non est iure diuino aliis superior.*

Cum uero nos omnes Christo, id est, ueritati & iusticiæ plus debeamus quam ulli hominum, certum est erranti & impio Pontifici præferendam ueritatem & iusticiam. Atque ita penes quem fuerit hæc ueritas & iusticia, Christus hic superior est Pontifice, debetque Pontifici tum resistere, tum eum monere & emandare, Alioqui reus erit peccati in Christum, cui prætulerit hominem, ueritatique iniquitatem. Hæc uides, quid faciant? primum impijssimorum adulatorum damnant sententiam, qui peccanti Pontifici lallant, non licere dicere: Cur ita facis? sed sola oratione ad Deum pro eo gemendum. Quid hi moliuntur, nisi ut uerbum Dei taceamus à facie iniquitatis, & hominem præferamus Christi præcepto?

Deinde ruit eorum impia doctrina, Non licere eum, qui superior est, iudicare, sicut quædam Decreta Pontificum nugantur. Obsecro, cur non licet iudicare, an quia superior est? At uerbum Dei super omnes est, quod si habet inferior & non superior, cedere debet superior inferiori, sicut dicit
1. Cor. 14. 1. Corinth. 14. Quod si reuelatum fuerit sedenti, prior taceat, Ne illud
Psal. 13. Psal. 13. audiat: Consilium inopis confudistis, quia Dominus spes eius est. Nonne Prophetæ erant inferiores Regibus & Sacerdotibus, attamen eos iudicabant, reprehendebant, emendabant? Vt etiam de Ieremia scriptum sit, quod sit constitutus super gentes & regna, ut euellat & plantet,
Ierem. 1. destruat & ædificet. *Prophetæ reges & sacerdotes iudicarunt &c.*

Adde, quod potestas in Ecclesia nulla est, nisi pro coercendo peccato, quod liget & soluat, Quare ubicunque peccatum est, ibi potestati eiusmodi locus est, Iuxta Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, Nec hic ullus
Matth. 18. Pontificum potest collum excutere, quia si in uno alicuius peccato non ligat aut soluit potestas, in nullo alio ualebit, & euacuata est penitus, cum nulla sit ratio diuersitatis.

Atque hic audacter loquar, & quod tu cum adulatoribus Romani Pontificis uehementer sis admiraturus, ac forte hæresim definiturus, dico, Pontifices primo teneri sub Peccato mortali & reatu æternæ damnationis, ut resistant pestilentibus his monstris Romanæ Curiæ, quibus passim ueduntur omnia Christi, exuguntur populi, uorantur Episcopatus pallijs, sacerdotia annatis, Nec eos ullo pacto excusat superioritas Papæ, quia *Pestilentia monstra Romanæ Curiæ.*

plus de-

plus debent supremo omnium Christo; id est, ueritati, quam ubi uident per Papam pessundari, & non succurunt, rei sunt omnium malorum, quæ Papa uel uolendo uel dissimulando facit.

Idem pertinet ad nos omnes, Nam æquo debito sumus Christi gloriæ obstricti, Nisi quod illud Pauli obseruandum est Primo, Seniorem ne increpaueris, sed obsecra, ut Patrem, uerum ubi obsecranti non cesserit, quid aliud putas faciendum suadebit, nisi, hæreticum hominem deuita? Non potestas Papæ aut alicuius Episcopi in Ecclesia dominatur, sed uerbum Dei, quod nulli est alligatum, omnium liberrimum, Rex regum & Dominus dominantium, Potestas Papæ seruitus est, non dominium.

1. Tim. 5. Tit. 3.

Potestas Papæ non dominium sed seruitus.

Hinc multis nominibus commendanda est Vniuersitas Christianissima Parisiensis, quæ plus principis omnium ueritatis & dominantis in Ecclesia uerbi, quam seruientis potestatis per uerbum constitutæ, cura sollicita, Leoni X. uel potius sub nomine Leonis X. adulatoribus furentibus, Appellatione interposita, resistit coram omnibus, sicut Paulus Petro, Gala. 2.

Appellatio Vniuersitatis Parisiensis. Gal. 2.

Atque utinam exemplo isto Christianissimo ita facerent singuli Episcopi, singuli Abbates, Pastores, Principes, Magistratus, denique singuli Christiani, quoties ex Vrbe sub nomine Papæ uiderent monstra aduersus Euangelium Christi prodire. Euangelio enim in primis ab omnibus astandum est, nulli cedendum, nulli conniuendum, nulli fauendum, qui contra Euangelium Christi quidquam molitur, nec Patri nec matri, sicut dicit Christus: Qui amat patrem plus quam me, non est me dignus.

Quando enim Papa patitur, ut contra se agatur pro Episcopo? Nonne tanquam superior præferri uult Episcopo in omnibus? cur ergo non & Euangelium præferri sibi patiatur, & secundum id iudicari apud quemcunque tandem fuerit inuentum? An Euangelium cedere uolet, ut sibi obtemperetur? Absit, nisi uelit non inter Christianos pastores, sed inter paganos Tyrannos haberi, Tunc enim illud dicetur Apostoli: Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? Nonne & uos de ijs quæ intus sunt iudicatis?

1. Cor. 6.

Stat ergo Christianæ uitæ Regula iuxta S. Petrum, ut omnes inuicem insinuemus humilitatem. Omnes dicens, neminem excipit, nec humilem esse sufficit, sed insinuari & ostendi debet in opere & ueritate. Sed & B. Gregorius preclarissime dicit in decretis, Omnes nos esse æquales, sola culpa facit inferiores, Sicut & Psal. 121. dicitur: Illic sederunt sedes in iudicio. Quare ubi culpa est, ibi iam iudicij locus est, & inferior est, qui eam habet omnibus, qui non habent. Nonne & hoc aliquando Romani Pontifices exhibuerunt, qui accusati, expurgati, damnati sunt aliorum iudicio.

1. Pet. 5. *Gregorius.* Psal. 121.

Quis est ergo nouus iste furor, hoc iure diuino statuere, ut peccatum in Ecclesia impunitum regnet titulo maioritatis? An ius diuinum faciunt patrocinium impietatis? Denique Pontifex non est dominus Ecclesiæ, sed seruus & œconomus, ipsa Domina & Regina, solus Christus dominus, nec est sponsus sicut quidam garriunt, Christus sponsus est. Ideo Ecclesia, quæ est unum corpus cum sponso suo, Domina est omnium aliorum membrorum, nec ulli membro subiecta, nisi uni suo Sponso, cætera omnia sibi subiecta sunt tanquam Reginæ sponsæ.

Christus solus Dominus & sponsus Ecclesiæ &c.

Da ergo Romanis Pontificibus quodlibet seruilis potestatis, modo ne mihi iure diuino talem statuas, qui nulli sit subiectus siue bonus siue malus, Hoc enim illi quærunt impij iuris diuini uitiligatores. Crede mihi fortiter

fortiter, nisi hanc potestatem iure diuino se statuere posse uiderint, sed cuilibet Christiano, ubicunque contra Euangelium egerint, subiectos se audierint futurum est, ut nec iure diuino nec humano uelint Monarchæ Ecclesiastici esse? Quis enim in tanto loco, tot Dominis uelit subiectus esse? nec dubites, plures tunc reperiri, qui impugnent, Monarchiam nequaquam esse iuris diuini, quam nunc sint, qui propugnent, tum mea sententia satis secura erit.

AT dices hac ratione: Nullus Episcopus erit iure diuino superior & nulla erit in Ecclesia potestas aut maioritas. Dico certe, nulla est maioritas, quia hanc Christus prohibuit dicens: Qui uult esse maior, sit uester seruus. Potestas autem seruitus & ministerium est, ideo longe aliud est potestas Ecclesiæ, quam potestas mundi, illa seruiendi, hæc dominandi potestas est. Sic Apostolus, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Bonum opus, inquit, At operari seruorum est & operariorum, Nunc dicunt bonum opus, id est, bonum ocium. Mihi uero hoc tempore satis est ostendisse ius diuinum, non hoc tribuere Ro: Pontifici, quod illi ius diuinum intelligunt, id est, nulli subiectum, ne ueritatem quidem habenti, & esse impunitæ licentiæ, uoluntariæque libidini peccandi præ omnibus Christianis traditum, quem oportet præ omnibus esse ligatum, subiectum & seruum.

1.Tim.3.

Potestas Ecclesiæ alia quam mundi potestas.

Quod si dices, Etsi hominem liceat emendare, tamen locus ipse est iure diuino superior. Hic in meum campum uenio, ut ostendam talem esse locum superiorem, quem nullus unquam uellet obtinere, longeque aliud esse, locum esse superiorem, & iure diuino superiorem esse. Sed hæc suo tempore.

IN fine, mi Emsere, uidemus huius infœlicis Disputationis eum esse finem, qui tali dignus Disputatione, nempe quem Apostolus 1. Timo. 6. descripsit dicens: Si quis aliter docet, non acquiescens sanis sermonib Domini nostri Ihesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas uerborum, ex quibus oriuntur inuidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspitiones malæ, conflictationes hominum, mente corruptorū, & qui ueritate priuati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

1.Tim.6.

Vides, inquam, ita nostram hanc Disputationem esse depictam, ut nec Apelles possit ita depingere, Vnum nos peccauimus, quod nesciebamus nos esse in medio luporum, & uerum fecimus Euangelium Christi? Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos, ne conculcent eas pedibus suis, & canes conuersi dirumpant uos. Hoc nobis apud uos contigit, Quādo ergo hunc finem uidemus, quid necesse est malum malo addere? Oremus potius Dominum communiter, ut quod in contemptum & præiudicium ueritatis cessit nostris meritis, rursum ipsius misericordia uertatur in perditionem inuidiæ & uanæ gloriæ, quæ tam impudenter ibi quæsita est, ut mihi timor sit magnæ alicuius futuræ iræ Dei.

Matth. 7.

Deinceps cum his disputabo, qui ueritatem plus quam gloriam amant, Aut si omnino mittendus sum in medium luporum, Dabit Dominus benignitatem, ut simplicitatem columbæ, & prudentiam serpentum conseruem, hoc est, ne lædam nec lædar, Sapiens in bono, & simplex in malo. Qualem nisi nunc me uoluissem præstare, putas, quantis te potuissem onerare nominibus te dignis?

Matth.10.

Simplicitas columbæ. Prudentia serpentum.

Vix credas, quot sales, quot Ironias, quot scommata in te mihi meus

Adam

Adam suggerebat, quæ rursus Christus meus opprimebat, quod non desperarem te positurum inuidiam tuam, & deinceps (si quid restat) agnum potius quam capricornum scripturum, uel id saltem moliturum, in quo liceat ingenij & eruditionis specimen uideri, atq; si non pio, tamen studioso Lectori prodesse.

Quam diu, rogo, mihi tempus & opera perdenda sunt, in Indulgentijs & potestate Romani Pontificis, rebus ad fidem Dei, ac salutem nostram per disdiapason impertinentibus? scilicet adeo infœlici seculo uiuimus. Perdidit eadem infœlicitate Iohannes Reuchlin, iam multos annos propter causam, quanto magis intueor æque, aut etiam magis friuolam, ut mihi in mea causa sit, hoc exempli magno horrori, tanta maria peccatorum, tot detractiones, tot studia æmulationis, ut sumptus & labores omittam, proruisse, ex ista lana caprina, quæ siue uicta siue uictrix, prorsus nihil Ecclesiæ & saluti animarum conferre possit.

Ioannes Reuchlin.

Ecce, quantillus ignis, quantam syluam succendit, ait Iacobus, Veruntamen, ue inquietis huiusmodi malorum Satanis sine causa insanientibus in fraternam salutem. Timeamus, quæso & nos similem, aut etiam maiorem tragœdiæ huius calamitatem. Silere cum pacificis sæpius optaui, uerum contra clamosos & furiosos satis adhuc mihi uiuax est fiducia lagitore Christo. Amare uolo omnes, formidare neminem.

VALE.

Anno M. D. XIX.

AD IOHANNEM ECCIVM MARTINI LVtheri Epistola, Super expurgatione Ecciana.

IHESVS.

MARTINVS LVTHERVS IOHANNI ECCIO S.

Supra fol.294.

VIX credas, quanto leuaris onere cor meum, mi Ecci, quanq; perplexa me solueris cura, hac tua expurgatione, Ita, ut si unquam mihi profueris, nunc maxime profueris. Neq; mihi uideor scripsisse aliquid, quod magis cesserit ex sententia, quam Epistola de Lipsica Disputatione, quam tu magnis criminationum cataractis ac perpetuo uelut maledictorum diluuio persequeris, cum illa interim sicut Arca Noe mihi super omnia natare uideatur, Fecit illa quod uolui, inuenit quod quæsiui, fecisti & tu, quod speraui.

Miraris

Miraris unde hoc luxurians tripudium? Audi, Hucusq; misera & inquieta uexatus sum conscientia, præcepto Dei confixa, quo non licebat libere de te sentire, & dicere, quæ tot argumentis mihi mouebantur, tot uirorum integerrimorum testimonio firmabantur, tam ualide mihi obstabat, præsertim in publico, species illa tua & simulatio speciosissima, qua amicum Lutheri, ueritatis syncerum & apertum amatorem, te passim uenditabas.

At bene habet, Expurgatio tua, uelut medium Comicum, has omnes turbas dispulit ac sedauit, qua omnibus qualis fueris & sis, palam ostendis. Ea sane paucula, quæ ceu perizomata contexis, quibus modestiam charitatemq; etiam cum iuramento tibi affingis, talia sunt, ut criminationum tumultibus & tempestatibus collata, quendam ridiculum Struthionem referant. Huius enim animantis eam ferunt esse stulticiam, ut se totam credat tectam esse, si una fronde collum texerit. Ita & tu totus criminatio & impatientia, uno & altero uerbo te, rotundæ modestiæ & charitatis exemplar proponis, Verum hæc eant, quo eunt.

Stulticia Struthionis.

Ad id, quod magis detestor, ueniemus, id est, ad simulationem tuam, ne uidear te penitus contempsisse, atq; dilatis cæteris, quæ in Epistola mea dilaceras, pro tempore solam eam partem accipio, in qua & tu maxime es negociosus, & res totius pene summa pendet. Nempe quod Propositiones Carolostadij, præsertim duas priores, prima Disputatione tractatas, dixi a te concessas, & inde quæ sequuntur, ad illas intuli. Interim tu fortiter para, quibus articulos Iohannis Huss a me assertos, & Concilium Nicenum pro me fecisse coarguas. Sed heus memor esto, non in theatro Lipsensi te fore, & ad laudem Lipsensium uel tuam nihil sequi in bona consequentia & extra Lipsiam, Scito quoq; Lutherum iam non captiuum tuum, nec in terra inimicorum, in sua harena consistere, Et quod spero te facere, ante omnia Christum roga, quo solus ipse, qui ueritas est, nobis certantibus uincat, gloriamq; nostram perdat, Amen.

Attende itaq; quid quæram.

HAs Propositiones Carolostadij duas, nonne obtulit defendendas? Liberum arbitrium ante gratiam non ualet nisi ad peccandũ. Liberum arbitrium sine gratia tanto citius propinquat iniquitati, quanto fortius intendit actioni.

Verum ne hic dico? Quid autem amicus ueritatis zelosissimus & apertus impugnare ueneras nisi errores? sic de te ipso iactas. Falsas ergo has Propositiones tenebas & teneri uolebas. Si enim ueras putabas, cur impugnabas ueritatis defensor?

At in media Disputatione, ueras esse concessisti, libere pronuncians Liberum arbitrium sine gratia non posse, nisi malum facere, Addebas, Nec scholasticos Doctores unquam aliud docuisse, ob idq; negabas te Scotum, Capreolum tueri. Hæc dico, non timens tuos Lipsenses, quos toties mihi frustra intentas, Testis est horum omnium totum auditorium. Ego sane hæc audiens, gaudebam, tam cito te redijsse in uiam, atq; iam totius Disputationis finem esse ducebam, quando ex hac rei summa fere omnia pendebant.

Liberum arbitrium &c.

Hæc itaq; rei summa est, quam nunc agimus, quare & Epistolæ meæ rationem audi. Ego eum disputatorem uinci iudico, qui id asserat quod prius impugnauerit. Ita pronunciaui & pronuncio, Eccium uictum, Carolostadium uictorem, Et hoc ad nobilissimum uirum Pyrcheymerum

Numbergensem scripsi, staturam uictoriam Carolostadio, Et illud scheda publica, Carolostadium non fugitiuum militem (sic eum tu traduxeras) uenturum, uictorem Ecciani erroris iamdudum. Omnia hæc uera sunt, hodie quoque, etiam si Iudices aliud iudicarent, quod non spero.

Hinc intuli omnia, quæ ad ueritatem hanc sequuntur, licet tibi indignissima uisa (quod miror) Nempe quod tres sectas scholasticorum Doctorum nobiliores negaris, qui liberum arbitrium ante gratiam nullum actum meritorium, tamen actum, qui non sit peccatum, & qui gratiam de congruo emereatur, tribuunt.

Item, articulum Iohannis Huss (cuius multo plures nunc teneo, quam Lipsiæ tenebam, ut suo die ostendam) Christianissimum esse, & tuum, in quo censentur actus humani diuisione immediata, aut boni aut mali. Hic enim euidenter sequitur, Si ante gratiam non nisi peccat liberum arbitrium, tunc & sectas Doctorum scholasticorum errare sequitur, in suo congruo actu, stat enim uerbum illud, Non nisi ad peccandum ualet liberum arbitrium sine gratia.

Eccius Pelagianus reuersus Ingolstadium.

Intuli quoque uerissime, te Pelagianum hæreticum fuisse reuersurum Ingolstadium, nisi confessus fuisses hanc sententiam, quod uerissime sit Pelagianum, actum sine peccato liberum arbitrium dare ante gratiam, ut faciunt Scholastici, Non quod ideo Pelagiani sint, sicut Dialectica tua solita ducis consequentias, quia non pertinaciter errauerunt, sicut tu fueras erraturus, si erroris defensor permansisses. Ideo calendarium illud Doctorum seu catalogus, tuæ est acutissimæ Dialecticæ testimonium fidele, quæ semper latius clamat quam uideat.

Meritū cōgrui etc.

Insuper duxi cecidisse Theologistriam carnificem de merito congrui, de facere quod est in se, & cætera illic censita, Quia ante gratiam non nisi peccatum esse, datum erat, peccatum autem ad gratiam congruum nunquam esse queat. Belial enim Christo non congruit, nec tenebræ luci, Quin potius peccatum gratiæ aduersatur. Omnia, inquam, hæc uera sunt, si Carolostadius uerus est, ut Eccius dedit. Quod si tu, mi Ecci, aliam habes Grammaticam, sicut uere aliam semper habes Dialecticam, ut uictus, uictor, ueritas, error, Breuiter, res & uocabula tibi ad placitum nouo Mercurio seruiant, debes nobis esse propicius, nec ægreferre, si nostra utamur, quando permittimus te uti tua. Ita hucusque sapui & sapio.

Sed scio quid hic cogites. At noli interim, mi Ecci, rumpi, mox adero cogitationibus tuis, Hoc primum præfatus, quod cætera de actiuitate liberum arbitrium & alia quædam, in quibus tantum perdidistis tempus, leuiora fuerunt, quam ut Disputationem Theologicam, præsertim talem ac tantam mererentur. Sufficit de summa inter nos conuenisse, Liberum arbitrium bonum Deo & gratiæ soli deberi, sine qua non possit nisi peccare.

QVando autem tu negas illa, quæ intuli, & mendacia asseris, duo cogito, Aut te subdole omnia Lipsiæ egisse, & odiosissimum simulatorem fuisse in ueritatis perniciem, Aut te esse quouis trunco stupidiorem, Atque hic forte erit dignus uindice nodus. Stupidum te nolo dicere, qui tantum mihi satis crederis habere acuminis, ut peccatum cum gratia immediate pugnare intelligas, sicut lucem & tenebras.

Peccatum, malum, iniquitas, quid Eccio significent.

Reliquum est, te per peccatum, malum, iniquitatem, subdole intellexisse, neque peccatum, neque malum, neque iniquitatem, quod uerba sonant, sed quod tu finxisti, id est, non meritorium, nouum scilicet uocabulum, atque Augustinum & Ambrosium Carolastadij sic accepisse, Liberum arbitrium ante gratiam non ualet, nisi ad peccandum, id est, ad non merendum.

Et libe-

Et liberum arbitriũ tanto citius propinquat iniquitati ,id est ,nõ meritorio, quanto fortius intenderit actioni. Nisi ,inquam, ita accipias peccatum,malum , iniquitatem , non effugies ea , quę in Epistola mea scripsi. Inueni cogitationes tuas Ecci? Quid ni inuenirem , cum in hac expurgatione tuipse uocabula ista sic interpreteris , per quæ Lipsiæ , ubi sincerus & apertus ueritatem quęrebas , longe aliud occulte intelligi uolebas & sinebas.

Audi igitur , amicissime ueritatis tutor , Vbi unquam legisti , peccatum , malum , iniquitatem , pro non meritorio accipi , nisi in tuis pelagianis erroribus , Scripturæq́ deprauationibus? Qua Scriptura , qua ratione niteris? quibus uiribus defendes , ne hæreticus hoc significationis iure fretus , neget peccatum in Scripturis contineri , sed omnia esse non meritoria contendat? Siccine illudis uerba Patrum , quæ etiam Scripturæ soles præferre? Ista est medulla , quam me in dictis Patrum iactas non uidere? Sic didicisti pro ueritate disputare , ut aliud coram hominibus loquaris & aliud penes te intelligas? Vere apertus & sincerus Eccius,qualem omnes norunt, quam non quærat gloriam,quam quærat ueritatem pure.

Impudentes simulationes in eccianis Theologis.

O maledicta dies , in qua natus sum (ut cum Ieremia dicam)uidere in
Ierem. 20. Theologis tam impudentes simulationes , Nihil mirum proinde , si tam anxie uis laudari apertus & sincerus. Qui enim isto modo apertus es, quem reliquum facis , qui magis indigeat laude hac? Obsecro , laudent Lipsenses apertum Eccium, laudent omnes quos iactas ,etiam uocibus stentoreis, nec sic satis te laudabunt , tanta est necessitas.

Quin & ego cum Vuittembergensibus laudamus & dicimus : Omnia uera scribis & dicis, Lutheri Epistola falsissima est , iniuriam tibi fecit , ipse deniq; eam reuocat. Quid uis amplius? iam uerissimum est, stare meritum congrui Iohannis Huss articulum non esse & tuum , sectas Scholasticorum Doctorum a te non negari , seruilem timorem (id est , peccatum & iniquitatem) esse initium pœnitentiæ , quam alioqui in gratia fieri oportet , quia peccando (id est , non merendo) & iniquitate (id est, non grato opere)incipimus mereri ac gratum facere. Vicisti , triumphasti ,Sit gloria gloriarum Eccio , qui obtinuit liberum arbitrium , ante gratiam non dari meritũ a Doctorib. scholasticis,Obtinuit autẽ facilime,quia nemo unq; negauit.

Et credebas , crediue uolebas , uir sincere , Lutherum esse tam crassum ut hoc monstrũ scholasticis Doctoribus unq; impegerit,aut super hoc disputauerit ,ut te in hoc necesse fuerit tanto tumultu certare in tam insigni loco? Cur non simili tornatis verbis arte ex Ingolstadio scribis , per purgatorium te intellexisse fidem sanctę Trinitatis , ut celebrare possimus , obtinuisse te , Deum esse trinum & unum , quod nemo unq; negauit , sicut nec purgatorium , pro quo tamen quam laboriose disputasti? Ego uero te laudo prudentissimum disputatorem , qui tutissimam tibi disputandi rationem inueneris , & in Christo quærendo Elenchistam Aristotelem , sincerus sincerum imitaris , apertusq́ apertum , ut alienatis a propria significatione uerbis (quæ est summa illius & una uirtus) contra Chimeras pugnes , quæ referire nequeant , interim aperte consentiens illorum uerbis , cum quibus disputas . Quid refert domi sedeas , triumphis & coronis te obruas , de laruis a te fictis & uictis.

HOc potius disputabatur , An liberum arbitrium ante gratiam non solum non mereretur , sed etiam peccaret & iniquitati propinquaret, dum actioni intendit , ut sunt clara uerba Carolostadij . Quę si noluisti impugnare , cur obtulisti? cur si falsa erant , concessisti? cur non saltem coram mutiuisti, præsente puerili illo Carolostadio , tuum non meritorij uocabulum,quem absentẽ ex Ingolstadio heroicus & apertus uir adeo con-

tempsisti? Nunc demum nata est glosa tua, qua elaberis, quam Lipsiæ ne capereris, sincerus & apertus homo toties petitus cælabas?

Vror ego utrinq; nimis, & miserens tui & indignans tuæ maledictæ simulationi, Desine tu ueritatem Theologię quęrere, abolita est fides tui, Ad sycophantam tuum Aristotelem, impijssimum inter Philosophos simulatorem redi, qui nunq; id uoluit dicere uideri, quę dixisset: Magister hic tuus est dignissimus. O me miserum, quod unquam mihi contigit tecum esse quippiam negocij. Spiritus disciplinæ effugit fictionem, ut Sap. 1. scribitur & in simplicitate, inquit, cordis quærite illum.

Eccii simulatio.

Quid tu miraris, Epistolas, rumores & omnia monstra secuta ad hanc infœlicem disputationem, quę mihi affingis? Mirum, si quidq; boni sequeretur ad hanc illusionem Spiritus sancti, irrisionem ueritatis, contemptum Christi. Vnum te oro ne deinceps (si fieri potest) cum Luthero quidquam rei habeas, pœnitet me libellorum contra te editorum plus quam credas, Ego tanto grauius illusus illisusq; sum, quanto constantius te uirum sincerum existimaui.

Iudices Scholastic

Notarii.

HOc scilicet est, quod rupto fœdere liberæ Disputationis, nolebas diputari, nisi datis Iudicibus, ijsq; non alijs, nisi tuæ farinæ Scholasticis, quorum causam agebas, sed occulte & adulteratis uerbis, ne te & illos (si apertus fuisses) traduceres infœlicissime. Hoc est, quod dicta per Notarios excipi recusabas, aut sic excipi, ut exemplaria, neq; repeterentur nec ederentur, sed supprimerentur, donec iudicium tuæ factionis iactares, causans orbis iudicium non placere, quod mundus in maligno positus sit, Quasi te & Theologos tuos, cœlum esse, & prę cæteris hominum, in benigno positos credi oporteat, Sic enim medullas tu Scripturæ peruides sine simulatione. Hoc est quod Carolostadio nec libros, nec schedas permittere uolebas, qui si non simulasses ueritatis inquisitionem, cogere eum debueras & orare, ut per alium legeret, si non per se posset, imo ut muta signa digitis daret. Quid non facit, quid non patitur, qui ueritatem sincere quærit? nunc Magister, nunc discipulus, nunc socius, nunc omnibus omnia fit, quo ueritas prodeat, Talem se Carolostadius, talem Lutherus se tibi obtulerunt.

Tu uero tibi pene uni ueritatis amorem arrogans, aliud non iactas, q; si sic actum esset, non fuisse disputationem, sed nescio quid puerile, te non Thersitas, nec uiles homines quæsisse, cum quibus certares?

Hæc turgentissima uanissimæ gloriæ uerba, tu homo Theologus sine fronte in media contemptæ gloriæ & amatæ a te ueritatis laude rotare audes, quæ si alius de te diceret, eum debuisses existimare, qui te uelut pessimus simulator furiosum conaretur traducere, dignum in quem uel expurgationem, aut si quid peius possis, scriberes. Nunc tibi places, proprio rostro crepitante hanc laudem insignem.

Credis ne miser & tu, esse adhuc homines in mundo, præter tuos Lipsenses, mutuos mulos (nec enim omnes te scabunt) qui sciant, quid sit sincerus & apertus ueritatis inquisitor, coram quibus hæc tuæ sinceritatis iactantia omni sit Mephiti graueolentior? Hoc est, quod repente causam alio rapuisti, de libero arbitrio ad actiuitatem liberi arbitrij, hui quam necessariam, ad perdendum tempus quæstionem.

Hypocrisis Eccianа.

NVnc demum intelligo, quid sit, quod scribendi negocium semper exhorrueris, honestissimam hypocrisin commentus, Te non amare aculeatum scriptionis genus, semper autem prouocaris ad Disputationem Sed eam quam exceptam non liceat sub orbis iudicium edere, nisi iudicibus

dicibus tibi placitis, & ui extortis iudicatam, paratus scilicet hac disputandi ratione, Galliam, Italiam, Germaniam, forte & Democriti mundos, si hunc quis requiret, offerre. Scilicet, quod sic disputando noris, nec deliberationi, nec diligentiæ locum esse, quas tu in quærenda ueritate, sincerissimus uir semper suspectas, imo noxias ducis. Et facilimum esse, usitatis uocabulis alienam effingere significationem, quam ubi præcedentia & sequentia non liceat conferre, tum causa subito ad alias res rapta, difficilimũ sit obseruare, pręsertim ubi id agitur, specie adhibita, ne obseruare quis debeat ac possit, falsis interim tum auditoribus, tum iudicibus, sinceritatis iactantia, quod ueritatis periculum & impijssimæ simulationis scandalum in scribendo parum fœliciter sit processurum.

Vna igitur tibi ratio est quærendæ ueritatis, præcipitatę disputationis confusio. Quis unquam & hoc intellexisset, esse ueritatem amare & quærere, nisi tu nouus uerborum Grammaticus cum tua factione ita doceres? Adeo totus es fictio & simulatio. Deniq; in tota ista expurgatione fere nihil non simulas, excepta furiosa criminatione, licet & huic periculum simulatæ modestię adhibitas.

Dixerunt mihi ante Disputationem insigni autoritate uiri: Caue Luthere, experto crede, Homo iste nihil nisi fictio est & simulatio, Non credidi eis, nec omnib. sensibus meis, licet Erasmi Epistola & Vdalrici Zasij Apologia quoq; talem te mihi formarent, tam constanter de te cogitaui optime, nunq; aliter cogitaturus, nisi hoc sterquilinio, te publice orbi traduxisses odiosissimum simulatorem.

HVC pertinet, quod in fœda & obscœna Epistola præ cæteris scribis ad clarissimos tuos Ingolstadienses, & si (pro sinceritate apertissima) fortiter simulas tete non iactasse uictorias, te Carolostadium traxisse ad actiuitatem liberi arbitrij, simul dolens, quod permiseras ei uesperi responsionem illam parare egregiam, qua te omnium iudicio redegit ad nihilum, sicut ipse confiteris. In uno, inquis, peccaui, posui Replicas de nocte, & dedi ei deliberationem. Sensisti scilicet uulnus ad mortem, Quid putas factum fuisset, si omnia, sicut decebat, eadem deliberatione gesta fuissent? sicut laudatissimus princeps, Dux Georgius ordinarat, qui non nisi ueritatem quæri uoluit, & omnia, quæ ad hoc quam optime ualerent, quem tu, bone Deus, quam sincere in tuam partem laudas, uidelicet, quod optimę optimi Principis uoluntatis tales fuistis excutores.

Quid tu faceres pro ueritate sincerum, qui non solum machinatus es cum tuis, ne deliberate & diligenter proposita ueritas quæreretur, sed gloriaris etiam in hac malicia, potens in iniquitate, id unice querulans, nonnihil periclitatam hanc tuam mahinam? Nam & publica id indicasti querela, dum pene plorares, illum habuisse exemplar Notarij, cum tu interim laudabaris Lipsensibus tuis, quod nihil moratus exemplaria, etiam bene potus posses nihilominus uictoriosissime clamare (disputare uolui dicere) Et quomodo non posses qui fingere quoduis tibi præsumpsisses? & adhuc apertum & sincerum nobis Eccium omnibus notum obtrudis.

PRæterea cætera eius Epistolæ cum reliquis monstra, qui si (tuo more) uindictæ furore furerem, breui compendio te toti orbi traderem, qualis qualis es, Edita in uulgus est & altera Epistola, sed theologico nomini parco, Tui enim me in ueritate miseret. Nam quod per totam

expurgationem, non nisi criminationibus mei scates, cum id facias, misera simulationis conscientia, sperans hac uia, te os obliturum, & manum additurum toti mundo. Scito hoc, criminationibus mei, & tui Lipsensiumq; laude, prorsus nihil moueor, simulationibus autem tuis pene occidor. Quod monstrum & Christus omnium iniquissime tulit, peccatores alioqui & publicanos apertos suauissime amplexus. Et quid odisset ueritas dulcissima, magis quam ueritatis hostes, titulo ueritatis se uenditantes?

Ecciana simulatio.

Porro, Iudices quare iactas? an quod eorum sententiam illuseris, ut inueniatur iniquitas tua ad odium? Habemus tuam expurgationem, quã opponamus uniuerso mundo, docturi Lipsicam hanc disputationem fuisse ludibrium ueritatis, & Eccianam simulationem, quæ latius pandam, ubi ampulla tua, quam parturis, prodierit. Interim ad reliqua huius sterquilinij tui respondere nolo, nec opus est, una hac parte summaria satis monstrante, qui sis in toto.

Disputatio Lipsica.

ET ut redeã ad te, dico & propono coram te & uniuerso orbe, repetensq; & iterum dico. Carolostadij Propositiones esse ueras, similiter & meam Epistolam. Et ut tibi fortiter inculcem, ne aliena intutus, proposita (sicut soles) relinquas, maiusculis literis designabo summam.

SI has Propositiones ueras esse concedis, Quod liberum arbitrium ante gratiam non solum non meretur, sed etiam peccat damnabiliter (audis, audis Ecci, ne simules) Et propinquat non solum ei, quod est non meritorio, sed iniquitati mortali, dum intendit actioni.

Victus es, & Epistola mea uera est. Si negas aut concedere simulas, Pelagianus es, Vir es, & Carolostadius puerilis, non dubitamus, quin sis heroicam tuam uirtutem ostensurus, Sed scito, nos iam non tibi, sicut ante, credituros. Simulatorem obseruabimus, cui ante sinceritatem iactanti simpliciter credidimus. Tu autem uide ut Calendarium, aut Martyrologium, aut Chronicam certe interim diligenter lustres, unde contra nos multa nomina in Papyrum coacerues, sic tamen, ut Dialecticę non obliuiscaris, & inductionem claudam (sicut ista fuit) non afferas.

Quod autem de literis Bohemorum ex Ideis tuis, pro sinceritate fictis aut iterum simulatis, erroribusque meis in Ecclesiam, scribis, probo, non quia uerum dicis, sed quia tanto mihi perdita simulatio tua est odio, ut uel hoc placeat, quod aperte mentiris, iudicas, detrahis. Erit autem prope diem ut appareat, An tu cum tuis per principem tenebrarum, Aristotelem, quem nec ipsum intelligitis, uel ego Ecclesiæ Christi plus nocuerim, & ad syllogismum tuum quouis morione dignum, quod Bohemi me laudent, pro me orent, responsum tibi quoq; est in Aegocerote Emserano. Vale, & Dominus Ihesus sanet animam tuam in æternum, Amen.

supra 329. & sequentibus pagellis

Vuittembergæ, Anno M. D. XIX.

ARGVMEN-

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS ECCIO, QVOD IN EPISTOLA AD R. Misnensis Ecclesiæ Antistitem, Canonicos indoctos Lutheranos, & seminatores errorum Lutheri uocasset, Respondent Canonici indocti, quatenus & qua ratione sint Lutherani.

Ex literis Lutheri, ad Spalatinũ. Scribit Oecolampadius Phil: nostro, se esse Autorē Canōicorũ indoctorũ, fecisseq; ut hominē sibiipsi ostenderent, Deinceps nisi quiescat alia facturum, Conquæstumq; Eccium scribit, nullũ Scriptũ contra se editũ ægrius tulisse etc. feria 2. post inuocauit. anno 19.

CANONICORVM INDOCTORVM LVTHERANORVM AD IOHANNEM ECCIUM, Responsio.

GLORIOSISSIMO, SVPERDOCTISSIMO TRIVMPHATORI Magistro Nostro, Magistro Iohanni Eccio Theologistæ, Canonici indocti, S. D.

SI præter insciciam, quam nobis improperas, Ecci magnifice, nihil aliud etiam Luthero obiecisses, cui nos prudentiæ tuæ uidemur amplius, quam ueritati fauere, territi sane portentoso superciliosoq; Magisterio tuo, nostra frueremur fœlicitate, nẽpe suauissimo ruditatis beneficio. Vt enim ærumnosam uobis Herculibus uitam emetiuntur Superi (imo ipsi immodica sciendi libidine & arrogantia quidquid id est mali, uobis ipsis inuehitis) Ita nobis tranquillam non inuident. Proinde cum prope semper nullis noster tecto gaudentium & umbra, calamus infensus fuerit, aduersum te quoq; pararetur, minime. Nam quę insania? quis furor, indoctos, quos uocas, cum Apollinis filio, imbelles cum fortissimo, obscuros cum clarissimo congredi? Non tam incogitantes, non tam oscitabundi, non tam stupidi, non tam saxei sumus, ut quod omni propulsandum sit conatu, ultro accersamus periculum, pręsertim, quod iam pridem satis nobis perspicuum, nunquam tibi uel disputaturo, uel scripturo, forte ne mortuo quidem defutura uerba.

Hactenus itaq;, dum tu gloriæ studes impendio, nos tranquilliati non tam imprudenter, quam ignauiter consulimus. Atqui nunc, cum insignis tua modestia, quæ & in prouerbium cessit, Martinum Lutherum, uitæ sanctimonia nobis commendatum, ecclesiasticæq; Theologiæ uindicem diligentissimum simul ac liberrimum, priuatim & publicitus Manichæum, Vuicklefistam, Hussitam, & sexcentis nominibus alijs uocans, Christianum haberi ferre nequit. Et ut ex nobis etiam aliquid tuæ gloriæ accrescat, in Epistola ad Reuerendum Misnensis Ecclesiæ Antistitem, quæ tua est columbina, adeoq; theologica simplicitas, nos quoq; optimo Præsuli inuidiosos, toti orbi, quantum in te est, suspectos facis, Nos Lutheranos, & illius errorum seminatores appellans, hoc est, tuo iudicio, hæresiarchas

pessimi subsidiarios, præsidia, amicos & patronos, Velimus, nolimus cogimur tibi Ecclesię patrono & assertori filiorumq; Leui conflatori & emundatori aliquantam uitæ nostræ rationem reddere, si forte hanc labem abstrergere liceat. Siquidem & teipso doctore, hæreseos crimen malignius, quam ut a Christiana modestia patienter toleretur.

Possemus autem, nam nec hoc indoctis negatũ est, qui & suis nonnunq; ferociunt aculeis, exemplo strenuitatis tuæ, modestiã remittere, stomachari & plane debacchari, nisi tuũ nobis exploratũ foret ingeniũ. Iterum quæris, quib. scabiem tuam affrices, iterum quæris quos insigniter αυχίζης ut neminem non contemptui habeas, nemini parcas, nullum non lacessas ut cum Ismaele unus oppugnes omnes. Parum tibi uidetur cum doctis gerere bellum, nisi indoctos etiam prouocas, & quasi confectum cum Præceptoribus sit prælium, sæuis & in discipulos & in patronos, ne quid reliqui fiet, quod non potentia brachij tui conteratur. Deinde, ubi uel nos compescueris, uel etiam non pro arbitratu tuo successerit, caueant sibi Typographi, caueant præla, caueant uicina quæq;, ne iniquo Marte tecum dimicent, adhuc ex recenti strage furibundo. Cæterum nobis innocentiam candoremq; nostrum tueri, quam maledicentiæ tuæ respondere, magis uidetur opere precium.

PRincipio igitur, ne muliebriter conrixemur, cum inficias ire non potes, tot exemplaribus, adeoq; tuo ipso conuincentibus, hæc per te Epistolę inserta, profer in medium, Qua ratione id lædoriæ, imo conuitij uel dissimulari, uel æquius interpretari poterit, ut semel facessat simultas omnis. Nulla equidem in promptu est, qua te excusemus, at plurimæ nobis patrocinantur. Nam quod tu Ludderanum uocas, nempe hominem pestiferis hæreticisq; opinionibus imbutum, satis ad fastidium usq; totius orbis auribus, licet in cassum, multo iam tempore instillasti. Quod si uel maxime obticuisses, nonne uere Christianis odiosa per se factionum nomina etiam ea quæ ob B. Patrum memoriam alioqui suspicienda? Videturq; id tibi nihili, nisi & agnomines seminatores errorum, quos pestilentissimos ualidius clamas quam comprobas.

Conuitia Ecclij in Lutherum congesta.

Ad hæc, ne te pœnituisse dicti sciatur, in marginem asterisci loco scribis, Canonici indocti Lutherani, Timens forte, ne somniculosus Lector præteruolet, denuo censes admonendum, sistat pedem, dicta diligentius secum perpendat, fidelius memoria reponat, sibi caueat, tibi gratetur & applaudat, nobis succenseat. Vides hic, bone uir, insignite hic omnia magis ad exulcerandos quam conciliandos animos attinere, atq; adeo, ut plane merearis talionem reportare.

Cæterum, id nostro abludit instituto, Lege igitur, si magnificentia tua non dedignetur, quid nobis uirum Dei conciliarit, & quatenus Lutherani simus. Non est quod suspicere, priuatarum affectionum studia, haud tanta inter nos familiaritas intercedit, nulla hic lucelli spes, Ex Mendicantium familia est, eleemosynis uiuit. Sed nouandarum rerum nos cœpit cupido? Non illa pacis & concordiæ disturbatrix, sed conciliatrix. Quia enim seculi huius ferrei moribus nihil est deprauatius, nihil corruptius, quibus hic mederi sua eruditione studet, dum pacem annunciat, obedientiam prędicat, humilitatem commendat & nihil inuitius agens, quam quod tecum, & cum tui similibus rixando bonas horas male perdere cogitur. Contemptum mundanarum rerum, gloriam cœlestium, Christianissimi scopum subinde monstrat, ambitionem execratur, auariciam Cleri abominatur, simoniam & Romanæ rapacitatis imposturas cæterasq; pestes proscindit.

Quis

Quis nisi mente motus malignissimorumque morum furcifer, tantas aboleri pestes non optarit? Quis Christianus regnum Christi nolit, quod immutet, innouet & emendet omnia? Quis nostræ imperitiæ suggillationem abhorrens, non habet in uotis, ut profligatis sterilibus, infælicibus, & ingeniperdis, restituantur fœcundiora, beatiora, sanctioraque literarum studia? Vtinam autem ut reflorescere bonas artes, ita & mores redire uideamus, id quod Lutheri est studium. Tu uero Magistrum honestatis impugnas, & quod ad literas pertinet, nouos consarcinas Commentarios, ad perdendas generosas adolescentum indoles, quasi iam non ante nugis simus adobruti.

Porro, minori periculo intentatur hæc nouandarum rerum cupiditas, quam uerbosius expurgetur, Sed si omnino id in nobis damnabitur, posthac fortassis non usquequaque indocte satisfacturi sumus. Accedit ad hæc causarum præcipua, Pius Magus est Lutherus, indoctos nostri generis sibi philtris deuincit, Alioqui nulla ratio capit tam crasso capite uiros, nisi incantatos, gratiam cum Musis inituros, Mirificum pharmacum, quod qui miscet, altero orbe pene dissitum inebriat.

At nos terræ filij apertius loquamur, & scapham scapam, serramque serram, uocare oportet. Germana ueritas & inuiolata uirtus, quæ Deos hominesque in amorem sui pellicere queunt, ipsæ ipsissimæ sunt, quæ nos huic deuinciunt. Videmur nunc nobis uidere, quid ad hęc modestia ecciana, quam iactet manus, oculos, caput, quam manibus pedibusque contestetur, nihil unquam uero absimilius dictum. At sui mores sinendi sunt homini, quos præter mortem illi adimet nemo.

NOs institutum nostrum certioribus argumentis, quam asseueratione sola persequemur. Diu plerique nostrum nesciebamus, ater ne an candidus esset Lutherus, sed & Lutheri nomen plane incognitum. Ante paucos autem annos declamatiunculæ quædam populares illius, tumultuario & repentino, ut uidetur, calore scriptæ, in manus nostras uenerunt, in quibus decem præcepta Mosis enarrans, uelamen ab oculis illius remouet. Vnde tum sua eruditione perspicuaque claritate præstitit, ut supra morem Scolasticorum, indocti nos sublimius de Christo, sanctius de Euangelio sentiremus, positoque supercilio, parum, imo nihil nobis, multum, imo omnia Christo Deo tribueremus. Sic sese primum nobis insinuauit. Mox fama superueniens, & uiri innocentiam docens, opinionem, quam de illo habebamus, comprobauit. Quid faceremus, bone Ecci? habendus ne erat odio? floccipendendus ne erat? ingrati ne esse debebamus? Quomodo tu eiuscemodi tractares discipulos?

Declamatiunculæ populares Lutheri

Sub hæc Concionatores quidam officij sui male memores, uarijs in locis, plus æquo condonationibus Pontificum, quas Indulgentias uocant, tribuentes, multorum seducebant animos, confidentium pollicitationibus huiuscemodi, uel abiecta uerę pœnitentię cruce, salutem se assecuturos. Quid doli, quid fraudum, quid imposturarum sub sanctimoniæ prætextu per maledictos nugiuendos committebatur, uel tacentibus nobis, nemo hodie est, qui nesciat. Silebant Theologi omnes, conniuebant, imo probabant Episcopi, refutabat Concionatorum nullus, Vnde ceu religioso silentio licentiosę iniquitati autoritas quotidie maior accedebat, inualueratque adeo id mali, ut iam nō Iubileo, & quinquagesimo quoque anno, Sed quotannis

Concionatores papalium condonationum.

annis non semel, sed iterum atq; iterum, nec arduis ex causis, sed plane tenuibus & commentitijs, non sine animarum delusionibus, quæstores multi obambularent.

Propositiones Lutheri de indulgentiis.

Primus tunc omnium, quem nos scimus, Lutherus rerum indignitate perpensa, apud Vuittembergenses in Scholis de ijs rebus maturius, propositis Conclusionibus disputare cepit. Quæ statim mira celeritate per Germaniam sparsæ, & singulari fauore a doctissimis etiam quibusuis, a te forte aut ignotis, aut contemptis, exceptæ, quod fraudes iam non paucis subolerent, tametsi nullus periclitari uellet primus, ut fieri solet.

Hic tu contra Antesignanus cristam erigebas Ecci, turbaturus cœlum terram & omnia, modo saluæ manerent Indulgentiæ. Mittimus pleraq;. Vbi uentum est in harenam, aiunt frigidius nihil unquam tractatum, deploratasq; plane Indulgentias, ita, ut si reuiuiscere debeant, uel nouę excogitandæ, quibus illæ reducantur ex inferis, uel simulachra mortuarum honoribus prosequenda sint. Nonne ob hoc modestiam etiam tuam, Magister Noster eximie, deceret gratias summas agere Luthero, qui si nulla, certe hac in re, eruditiorem te reddidit?

At non ideo dabimus errores a nobis disseminatos, nisi enim iam disseminata fuissent Lutherana, quomodo ad nos, qui ex indocto uulgo sumus, & altero pene mundo intercipimur, peruenissent? An non hoc Chalcographorum negocium est, qui simul atq; recentiora quæpiam suboleuerint, ueritati consentanea, & plausabilia, ut lucrum faciant ea magis extorquent, quam ambiunt, imo magis surripiunt, q̃ extorquent.

Verum tua bella ne delitescant, quis satagit? Nonne uix exoras certis conditionibus, nec tradis, sed obrudis? Pauca tamen sub incudem redeunt, nisi forsitan ut magis traducare. Scis tu nunc sæpius Lutherana & uarijs prælis excusa, & credis indoctos Canonicos tantum molestiarum uoluisse subire, cum tua tamen interim apud nos paucos etiam doctos, fastidiantur, etiam ab indoctis improbentur. Veritatem ne putas sub modio posse condi? Rem, quæ ex Deo est, aboleri posse credis?

At hinc litis origo, tu errores uocas, nos sophisticis hactenus argutijs persuaderi non potuimus. Solis enim indocti nos his libris addicti sumus, qui Canonici, & omnium consensu recepti, Susq; deq; facimus, si quid aliud afferatur, quod his aduersetur. Magnificamus, quæcunq; proximius accedunt sacris. Omnino nec Angelum, nec Apostolum quemuis, uel è cœlo uenientem, si contradicet Euangelijs, audiemus. Interpretationem autem euangelicæ Scripturæ, quantumuis indocti simus, a priscis illis Autoribus, qui non tanto interuallo ab Apostolorum abfuerunt temporibus, discere malumus, q̃ a te, farinęue tuæ Præceptoribus, Et annalibus historijsq; libentius nos credimus, quam humanis & tyrannicis quibusdam constitutionibus.

Papias auditor Iohannis Apostoli.

Papias Hierapolitanus, auditor Iohannis, insipienter ne & indocte tibi præfatus uidetur in libros explanationis sermonum Domini q̃ noluerit uarias opiniones sectari, sed Apostolos habere autores, uti de eo Eusebius & Hieronymus narrant? Verũ uiua illi oracula contigerunt. Nos adacti necessitate, literarijs Apostolorum, & quibus apostolicus est spiritus, monumentis contenti sumus.

Iam satis liquidum, tu ne an Lutherus Euangelio propius incedat, Vter receptioribus nitatur Autoribus, uter fidelius eruditiusq; Patrum dicta citet, uter honestiorem scopum spectet. Fontes aquæ uiuæ quærimus, tu nos ad lacus detritos & amnes turbidos duces? Christum quærimus, ubi nascatur, ostendatur. Igitur uel nos itineris Duces tu sequere, uel te præeunte

eunte sequemur. Verum tu Herode uafrior, & nos morareris, si obsequeremur, Nunc Vuickleffistas, nunc Manichæos cognominans, & inter idola sophismatum considens, comitatum non polliceris. Quo te rapit insana mordacitas, immodicumq; sententiæ tuæ studium? Quis arrogantiam, quis supercilium tuum ferat? Qui tua legunt & amplectuntur docti sunt. Qui uero puriora & uiciniora Euangelio & ecclesiasticis Doctoribus, indocti & hæretici. Ne indocti dicamur, tua nobis legenda, scilicet, ne cæci habeamur, oculi sunt effodiendi.

Habes succinctim, qua ratione Lutherani simus, quatenus Euangelij & Christianæ libertatis amicus est Lutherus, sibi nos deuincit. Is, si & tu fueris, nihil erit quo minus & tibi simus addicti.

Proinde, non oportebat nos conuicijs a tua incessi modestia, neq; enim nos male audire debemus, qui sincera fide a Christianissimo Theologo non abhorremus, Neq; Lutheri causa deterior est, quod & indoctis, uti magis pia, probatur. Fatemur inscitiam nostram, & fortasse non minori gloria eam agnoscimus, quam tu laudes tuas passim ebuccinas.

Indocti sumus, nescimus patrocinari lucri turpis in immensum studiosis, id quod nobis cum summo Pontifice commune est, Nam cum tu mercatorum conducticius, contractum societatis suæ plane iniquum, æquum declarari ab eo supplicibus peteres libellis, repulsam es passus, nimirum, quod supra captum Pontificis Maximi, tua erant commenta, quando uenali lingua & manu paratus eras, omnem semel Scripturam non modo cogere & torquere, sed & pessundare, ne redires inglorius.

Indocti sumus, non uidemus enim, qua ratione perfecti Christum pauperem sequantur, si pro temporarijs causis iurent. Sed quid? nimirum ea in re & Erasmus illud seculi nostri sydus nobiscum, te censore, hallucinatur.

Indocti sumus, siquidem enumerare non possumus uarias primitiuæ Ecclesiæ ceremonias, sed iterum se nobis associant plurimi uiri alioqui doctissimi.

Indocti sumus, Maiestatis diuinæ penetralia non ingredimur, sed nec magnus ille Paulus Apostolus erubescit ignorare, quæ tu in Chrysopasso coaceruas.

Indocti sumus, possemus tamen multa huius generis afferre in medium, quæ tibi magis quam nobis dedecori essent futura.

In summa enim nulla tam auspicata peregrinatio tua, quarum tu multas iuueniliter, ne dicamus ostentanter, commemoras, quæ non & tibi & patriæ fuerit dehonestamento magis quam gloriæ. Nullus tam paruus a te libellus editus est, qui non aut extremam sapiat barbariem, aut insignibus scateat erratis.

Quare non imprudenter feceris, Ecci prudentissime, si aliquandiu te intra penates tuos contineas, & laudem, quam non potes assequi uerbositate, silentio tibi uindices. Equidem, quam impar cum doctis ineas certamẽ, hinc æstimare licet, quod nec indoctis formidabilis esse cœperis. Neq; tibi uictoriam ex nobis temere polliceare, multi sumus indocti, & quamuis non omnes sophisticis spiculis certare callemus, non pauci tamen docti ualidos librare contos, quos declinare non poteris, nisi positis conuicijs, & prophanis artibus, ueræ Theologiæ & Christo optimo maximoq; te tradideris.

Vale.

Anno M. D. XIX.

SEQVVN.

SEQVVNTVR.

EPISTOLAE SEPTEM PRAESTANTIVM ET MAGNI NOMINIS Virorum, in quibus mentio fit de negocio Lutheri, & disputatione Lipsica.

I.

Staupitij ad Georgium Spalatinum.

SALutem & gratiam Domini nostri Ihesu Christi. Quod de Martino Luthero nostro scribis, amice integerrime, in se quidem durum, tuo dulcescit eloquio, quippe qui amorem spiras, terrendo roboras. Non fallit qui se tertium promisit, consentientibus pie duobus in unum. Matt. 18.

Cum igitur tuam excellentiam amore feruere mente pertracto, & quam sis sollicitus, ut idipsum persuadeas alijs, unam, nec minimam abegisti desperandi occasionem. Non enim possunt consentanea non exaudiri pia uota. E cœlo quoq; uox Spiritus sancti illuminat, pariter & confortat. Si uideris calumnias egenorum, & uiolenta iudicia, & subuerti iusticiam in Prouincia, non mireris (inquit) Eccle. 5. super hoc negocio, Quia excelso excelsior est alius, & super hos quoq; eminentiores sunt alij, & insuper uniuersæ terræ Rex imperat seruienti. Quærenda sunt remedia [a] iuris, imploranda suffragia Sanctorum, & bonorum hominum, magis pro ueritatis, quam uitæ conseruatione, & dum neutrum adesse cernitur, seruiendum est imperanti Regi uniuersæ terræ, patiendum, moriendum pro ueritate, quemadmodum ueritati potius quam nobis uiuendum.

a Alij uiris.

Tu igitur condiscipule Christi, sectator euangelicę ueritatis, ora mecum, quatenus Dominus noster Ihesus Christus seipso nobis luceat, qui Lux est mundi, ueritas, uia, & uita credentium, tribuatq; se humilem, humiliter quærere, sobrie sapere, sed inuentum constantissime, intrepideq; prædicare.

Post digneris Illustriss. principem, Dominũ tuum & meum, hortari, ne deficiat, ob fraudem illorum, qui serpertina lingua moliuntur ueritatem subuertere, Sed neq; rugitum Leonis expauescat, Scriptum est de isto, cui Psal. 91. ueritas Dei scutum est, Angelis suis mandauit de te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum, Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem. Abstineat serenissima Dominatio sua a suis, Luthero, Staupicio, sed & ab ordine, Veritatis manutentioni duntaxat intendat, ut ueritas in lucem ueniat, fugatis tenebris satagat, modo securus sit locus, ubi absq; metu cadente in uirum constantem, libere loqui possit.

Ego noui quantum sęuiat Babylonica, ne dixerim Romana, pestis, in eos, qui abusibus uendentium Christum contradicunt. Vidi enim Concionatorem uerissima docentem, de Pulpito uiolenter rapi, & licet in maxima Festiuitate coram omni populo per cordas trahi, carceriq; mancipari. Sunt qui crudeliora conspexerunt.

Hucusq;

Hucusq; non uideo, uel tua solicitatione, uel illustrissimi Principis patrocinio defuisse quicquam. Age obsecro, perseueret celsitudo sua in eadem sententia, intuitu summæ & æternæ ueritatis, pro quo tibi maiora debentur, quam nos sumus duo quidem, Martinus & ego, sed tecum unum Christo. in æternum benedicto. Vale.

Ex Monasterio 7. Septembris.

M. D. XVIII.

Deditissimus tuæ excellentiæ.

Frater Iohannes de Staupitz.

II.

RECTORIS ACADEMIAE Lipsensis, ad Lutherum.

RECTOR, MAGISTRI ET DOCTORES ALMAE VNIVERSitatis Lipsensis.

D. Mart. Luth. S. D. P.

Iisce exactis diebus, Domine Doctor, quibus sacrosancti nostri Assertoris Natalem Christiano ritu operabamur, egregius sacræ Scripturæ Doctor Iohannes Eccius literas ad Illustrissimum Principem ac Ducem Georgium, & Vniuersitatem, ac Theologiæ Doctores dedit, quibus facultatem Theologicam suæ Disceptationis iudicem, uelut Regulam Lesbiam, selegit, enixeq; contendebat, quo disputandi cum Doctore Carolostadio copiam, ei in nostro augustissimo Gymnasio faceremus.

Verum cum hoc Disputationis scrutinio ueritas à calumniatoribus uindicetur, & quasi è Democriti illo puteo in apricum proferatur, eundem uoti compotem pro uiribus reddidimus, & disputandi locum eidem addiximus. Quo fauore fretus D. Eccius, & in literariæ Palestræ arenam cum D. Carolostadio descensurus, ut signis è Palladis castris in publicum prolatis, apertoq; Marte cum tuo (ut ipse ait) Propugnatore, confligeret; Schedam suæ Disputationis uexillũ, in uulgus edidit, qua tuis Conclusionibus bellum indixisse tibi uidetur, Cui tu minime cessurus, Libellum edidisti, quo uicissim ad Disputationis conflictum eundem lacessis. In quo magnopere miramur te, Disputationem nos illi abdicasse aut repudiasse, contra nostræ ueritatis Decretum, scribere, Multoq; impensius admiramur, quod Disputationem tuam in Lipsensi Gymnasio celebratum iri prodideris, cum nobis hac de re nihil constet, nec locum à nobis aut Illustriss. Principe munificentissimo nostri studij Mœcenate impetraueris.

Proinde cum hoc temeritatem præ se ferat, à qua te abhorrere creditur, magnopere obtestamur, ne nobis inscijs onus aliquod ingeras, aut si tibi in-

tibi integrum est, palinodiam uel saltem receptui de tuo conflictu canas, in literarum tuarum responso, quod a te efflagitamus, donec disputandi locum apud nos obtinueris. His paucis uale.

Datum Lipsiæ sub nostri Rectoratus signo, XIX. Februarij.

Anno humanæ salutis M. D. XIX.

III.

LVTHERI AD CAROLOSTADIVM.

ERVDITISSIMO VIRO ET PRAESTANTISSIMO, D. ANDREAE Bodenstein Carlstadio, sincerioris Theologiæ assertori facile Primario, Archidiacano Vuitembergensi, Præceptori ac Maiori suo in Christo.

IHESVS.

SALVTEM, Edidit Eccius noster, inclyte uir, Schedulam, in qua magnificis ampullis uerborum crepat (id autem homini moris est) sese aduersus te disputaturum Lipsiæ, & ego id nomine tuo, cum ipso tractaram Augustæ, si qua ratione, contentio uestra coram & amica familiariq; congressione componeretur, quod nec tu, pro tua dignitate detrectasti. Sed ecce homo, pulchre memor, & sibi constans, postquam te fœde infamarat, tandem promittit in te. Sed uertit in me impetum ranarum, ne an Muscarum suarum nescio.

Speraueram ego tractatum futurum, de honestissimis & serijs rebus, de gratia Dei, humana miseria, omninoq; de ea re, quæ inter uos uertitur. At meus Eccius in meas interim nugas debacchatur, aut pro more istorum dierum laruis iocatur potius, Stultas quæstiones de Indulgentijs, pene ex orco tandem reuocat, tua uelut parerga, & summo (quod aiunt) digito uix attingens. Forte Spiritus sanctus præuidens hoc hominis ludibrium & nugacitatem, dedit in cor egregiorum Dominorum doctorum Lipsensis studij, ut recusarent uobis hoc negocium apud se gerendum.

Sed & ego nolo te, optime Andrea, in friuolam & laruatã hanc Disputationem descendere, tum quod mea & me petit, lauta hæc & καλλιπάρειος καὶ λευκώλενος persona, tum quod ingenium tuum & tua Disputatio, digniora sunt, quam ut in has Sophistæ, & meas nugas, In-

gas, Indulgentias inquam, seu rectius & uere negligentias, humilientur. Quas cum omnes Doctores, etiam Scholastici, infoelices Eccij praeceptores, fateantur tamen & ipsi, primum non esse necessarias Christiano, tum, si nullae essent, melius esse, ac per hoc ad Scripturas & rem theologicam, sicut Asinum ad lyram.

Nec ego illas unquam mea Disputatione, dignatus fuissem, nisi pro populo Christi φρεναπάτας ματαιολόγους αὐθάδεις καὶ αἰσχροκερδεῖς oportuisset redarguere. Nihilominus tamen has res leuiculas & nihili magni isti & generosi Theologi, adeo curant misere, adeo pompis uel anxijs inflare conantur, ut in ijs summum & nominis & officij sui, decus constituisse uideantur: Interim Theologiae legitimo & quod ad rem pertinet, officio penitus posthabito & in Sabbata trans lato, non quidem lucri aut gloriae aemulatione, nisi minus principaliter, & per accidens, & impotentia, modo non sit nimis remota.

Quando autem ego, Deo uolente, digniore conditione uiuere non permittor, quam ut cum nugacibus & uanis Sophistis, cum pestilentibus Romani Pontificis & Romanantium Tyrannorum Adu latoribus, aetatem consumam, gaudens & fidens, posthabebo istorum mea seria ludo.

Quare mi Ecci, non damno te uanissimae gloriae, quod hanc Schedulam edideris, antequam certus esses, quid Lipsenses in hac re facerent; imo, postquam ex me acceperas eos omnino recusare, quia ex fumo scilicet, & ex Disputatione nunquam futura, sperasti captare gloriam. Non criminor, quod subdole, & parum humane, nedum Theologice, Doctori Carolstadio alienas Propositiones obiece ris, quas cum omnino illum non suscepturum, sperares, iterum de fumo in tantum uirum triumphares. Non queror, quod ad adulationē foedissimam Papae uersus, me rursus in fabulas traduxeris, nouosque a te fictos errores mihi imposueris, & tamen nihil minus te agere simularis.

Toleramus ista a Theologo facta, id solum uolumus ostendere, nos scilicet intelligere strophas tuas infoeliciter uersutas & figuras nihilo figuratas, & benigniter te monere, ut deinceps pro gloria tua paulo ciuiliore astutia, naso imo calcaneo nostro insidieris. Agrestem hanc & ueternosam tuam prudentiam, in crassos tuos Consophistas ludas. Interim esto uir fortis, et accingere gladio tuo super foemur tuum potentissime, postquam enim pro pace tua mediator ingratus fui, placebo fortasse concertator.

Non quod uincere proposuerim, sed quod post uictorias tuas Pannonicas, Longobardicas, Baioaricas (modo tibi credamus) occasio tibi fiam obtinendi nominis, quo & Saxonicus & Misnicus triumphator, ac si uoles, semper Augustus saluteris in aeternum, ac sic

 gloriam

gloriam adeptus, quiescas iuxta Magistri tui sententiam, Habitibus existentibus in materia, cessat motus. Quanquam mallem, ut monstrum, quod iam diu in me alis, & quod te male habet, aliquando pareres, & nauseas quibus stomachus tuus periclitatur, tandem euomeres in publicum, minisque illis tuis basilicis & gloriosis per omnia finem imponeres.

Sed ad te reuertor optime Andrea, & oro, ut una mecum ad Illustriss. Principem, Ducem Georgium, prudentissimum quoque Senatum Lipsensem scribas, si qua dignentur nobis domum uel prophanam in hoc negociū collocare. Nam egregios Dominos, Doctores de Vniuersitate, penitus nolo huius periculo iudicij onerari, quod & prudentissime recusaruut. Quin id faciemus, adductis Notarijs duobus, uterque Eccius & Lutherus, & si qui alij idem uelint, ad manum Notariorū dictet sua argumenta & responsiones. Quod eo facio consilio, ne & nobis fœda illa iactantia & frustraneus labor contingat, quæ in Vienensi Disputatione Eccij uidetur, tum ut clamor & gestus importuni, quibus solent æstuare & perdere ueritatem nostri seculi Disputatores, cohibeantur, omnia autem uel possibili modestia in literas pronuncientur. Atque ea sic in literas relata, offerri possint Sedi Apostolicæ, Episcopis & totius Christiani orbis iudicio.

Anno M.D.XIX.

Martinus Luther.

.IIII.

ECCII AD LVTHERVM.

SALVTEM in Domino, & recte in Ihesu sapere. Quod Lipsensis Studij uiri doctissimi onus nos audiendi recusarant, erat mihi permolestum, nec plane sciui, quid consilij caperem, At tamen clementissimus Princeps; D. Georgius, Saxoniæ Dux &c. ad petitionem meam, egit cum Studio suo, ut tandem assensum præberent, suti hoc die literas & Illustrissimi Ducis & Vniuersitatis ac facultatis super ea re accepi. Quare eis XXVII. diem Iunij præscripsi, quo Disputatione primum actum haberemus, Die autem XXVI. apud facultatem Theologicam conueniremus, uter nostrum in primo congressu sit Opponens.

Cum autem Carolostadius sit propugnator tuus, tum uero principalis existas, qui hæc dogmata per Germaniam seminasti, quæ meo paruo & exili iudicio falsa & erronea apparent. Quare conuenit & te illuc uenire, & uel tua tueri, uel nostra improbare.

Sed quam

Sed quam uellem, ut hunc animum deponeres, & sedi Apostolicæ te per omnia obedientem præstares, audires Leonem X. Vicarium Christi, non quæreres singularitatem, sed condescenderes communi Doctorum sententiæ. Certus, quod Christus Ecclesiam suam iam quadringentis annis non permisisset in istis (uti tu diuinaris) erroribus. Vides enim ex Scheda Disputatoria, me non tam contra Bodenstein, quam contra tuas Doctrinas, Propositiones posuisse. Vale ergo mi Martine, & oremus pro inuicem, ut illuminemur.

Ex Ingolstadt, XIX. Februarij.

Anno Virginei partus M. D. XIX.

V.

D. VVENCESLAI ROSDIALOVINI PRAEPOSITI COLlegij Imperatoris Caroli, apud Pragenses, ad Lutherum.

CVM sursum ac deorsum in tuis illis Lucubrationibus uersarer, Martine Luther, atque cum amicis quis sis: quid agas: quidque coneris: Imo uero, quid Christi spiritus per te in Ecclesia operetur, perpenderemus: ecce in huiusmodi de te sermonibus incidit Iacobus quidam organarius tui amantissimus, referens omnia, quæque inter te Ecciumque, & cæteros quosdam æmulos tuos, hac tempestate publice acta sunt. Dici non potest, Pater mi, quam grata, quam iucunda narratio, quamque delitijs plena fuerit, cum te super aduersariorum tubis & præcipue Eccij scholastica quadam atque Aristotelica, magis quam Christi Theologia gloriosam uictoriam obtinuisse memoraret. Qua quidem narratione, & tibi & Illustrissimo Principi Friderico magnopere multum laudis attributum fuit, Tibi quod teipsum admiratione dignum præbeas: Illi quod uirtutes suspiciat, quarum quotidie maxima experimenta præ te ferre uideare, unde & inimici molestia, & familiares atque amici gaudio afficiuntur. Quæ quo auro meliora non sunt:

Congratulor itaque ego Paternitati tuæ, atque Deo cœli gratias ago, qui te inter tot pericula, totque hostium malignantium agmina, non solum seruare incolumem dignatur, Sed etiam de inimicis, in tam iusta pugna gloriose triumphare. Cæterum, idem Iacobus, te admodum desiderare dicebat, Libros Iohannis de Huss, Bohemorum Apostoli, ut quis fuerit ille uir, & quantus, non ex uulgi aura,

„neq; ex Constantiensi male consulto concilio, Sed ex ipsius uera animi imagine, id est, libris, tandem æstimes ac cognoscas.

Mitto igitur Paternitati tuæ, libenterq; mitto, Libellum quendam illius, quem & de Ecclesia scripsit, atq; eum nunc & non alium, ideo audentior mitto, quod Conclusiones aliquot legerim, quas hisce proxime diebus Lipsiæ contra nouos & ueteres errores inuulgatas defenderas, quæ in hoc quoq; Libro comprobantur, munus sane uile, primaq; (ut aiunt) facie deridendum, At non omnino fortasse ingratum futurum, præsertim si tuo desiderio respondere uotoq; poterit, Deinde quia uel unicus hic Libellus est, propter quem, cum adhuc in humanis ageret uitam, omnibus omnium Prælatorum contumelijs fuerat expositus, inuisus, irrisus, execrabilis, breuiter hæreticus, postremo in concilio Constantiensi, heu quam iniuste, combustus, homo alioqui innocens & uerbi diuini prædicator egregius.

Sed de hoc ipso nunc satis. Nam ordinem causæ illius, quandoq; tibi, si fuerit necesse, & tu mandaueris, cum cæteris multis libenter mittam. Hoc unicum sciens addo, quod olim Johannes Huss in Bohemia fuerat, hoc tu Martine es in Saxonia. Quid igitur tibi opus? Vigila, & confortare in Domino, deinde caue ab hominibus. Neq; animo concidas, si te hæreticum, si excommunicatum audies, memor subinde quid Christus passus, quid Apostoli, quid omnes etiam hodie patiantur, qui pie uolunt uiuere in Christo.

Iam uale mi Martine, & me quamuis ignotum, ama. Nam te amari certo scias.

Datum Pragę in Collegio magno Caroli Imperatoris, die 17. Iulij.

Anno M.D.XIX.

VI.

D. IOHANNIS PODVSCKA, PRAESBYTERI CVrati Ecclesiæ Cathedralis B. Virginis Pragæ, ante lætam Curiam, ad Lutherum.

Tametsi

Ametsi Martine, frater, in Domino dilecte, hacte-nus tibi ignotus sim, corporecp absens, tu mihi ta-men notus, licet nunquam uisus. Namcp cum & multi, & uarij Tractatus tui, in manus nostras ue-niant, ex quibus sane totum te quis sis & qualis e-uestigare possumus. Vnde fit, ut uel unum hoc in te miremur, quod inter tot Euangelicæ ueritatis æmulos doctrinam Christi & Apostolicam libere & publice prædicare nequaquam ad-dubites, oblitus interim tot calumnias, maledicacp plurimorum uer-ba, quibus quidquid non placet, illico hæreticum esse oportet, ho-

ẞt. 1. mines mente corrupti, & ad omne opus bonum reprobi, non intel-

Tim. 1. ligentes (ut uerbis Apostoli utar) necp quę loquuntur, necp de qui-bus affirmant.

Tibi idcirco, mi frater Martine, uehementer, tuæcp Christia-næ pietati congratulor, qui unus in Germania non tam inuentus, quam repertus es, qui & doceas aliquando syncere quæ docenda sunt, id est, legem Christi, priscorumcp Patrum, puram illam, & nequaquam humanis adinuentionibus contaminatam Theologiam, heu nostra ætate magna ex parte contemptam, & dehorteris quocp ab hisce quæ Christi Spiritus non probat, necp fortasse agnoscit. Nec mirum, cum in se Christus diuisus non sit, necp potest hodie nolle, quod tempore suæ prædicationis uoluit & suasit.

Te itacp ego tuapte sponte currentem per uiscera Christianita-tis, moneo, incito, impello, gratiam Domini, quæ in te est, ad sa-lutem multorum negligere noli. Deus te Speculatorem super popu-lo suo constituit, huic saluti necessaria non abscondas, sed, sicut fa-cis, in lucem proferas. Cognoscis Christi uocem, nemo lucernam accendens, operit eam uase, aut subtus lectum ponit, Sed supra can-delabrum, ut intrantes uideant lumen.

Dei inimicos libertatiscp Christi aduersarios, ut cœpisti, per-sequere & comprehende, quorum qua in cœli parte non omnia ple-na sunt, adeo, ut iam fortasse Christi uerba compleantur, & maxi-me quidem, Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt

att. 24. signa & prodigia ad seducendos, si fieri posset, etiam electos. Et il-

Pet. 2. lud Petri, Erunt inter uos Magistri mendaces, qui introducent Se-ctas perditionis, & multi sequuntur eorum luxuriam, & in auaritia fictis uerbis de uobis negociabuntur. Atcp nescio si Bohemiæ tam ob uij sint, quam apud uos, quorum maledicta & Sycophancias in tuum caput iampridem concitasti.

O quam nunc odiosa ueritas, o quam Christus ubique in-

uisus. Tu frater, quia Christum prædicas, non homines, non a tuis modo, sed etiam a nostratibus quibusdam hæreticus diceris. Sed obsecro, hanc cum Christo contumeliam libenter sustine; memor interim, quod apud Mattheum loquitur: Si patremfamilias, Beelzebub uocauerunt, quanto magis domesticos eius. Similiter, & quod Lucas 23. retulit, cum iam propinquans morti diceret. Si in uiridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Non est Discipulus supra Magistrum suum, neq; Seruus supra Dominum. Quæ serui laus maior, quam propter dominum maledicta ferre & stimulos?

Ergo mi frater Martine, confortare in Domino, & esto robustus uenator Pseudoapostolorum. Christus ueritatis Dux & Magister in exemplum uendentes & ementes de Templo eijcit, ut nos sequamur uestigia eius. Non tibi deerit auxilium desuper. Sunt in Bohemia plurimi fideles Deo & chari, qui te noctes diesq; orationibus adiuuant. Tu modo tibi ipsi non desis. Istud uolo, cautus sis, ne, cum Christũ ab Antichristo uindices, ab ipso non comprehendaris: Mille nocendi habet ille mores, insidiaturq; ut sagittet in obscuro rectos corde. Christus te conseruet incolumem, mi Martine, pro cuius lege non erubescis homines, magnaq; pericula subis. Sed confide, ueritas liberabit te. Vale, Et hos cultros mun, usculum fateor exiguum, grato suscipe animo, quos amoris, & beneuolentiæ inter nos sinceræ, pignus esse uelim. Iterum uale, & gratia Christi sit tecum semper.

Datæ Pragæ, Sabbato post Diuisionem Apostolorum.
Anno M. D. XIX.

VIII.
FROBENII AD LVTHERVM.

IOHANNES FROBENIVS
MARTINO LVTHERO
S. D.

Ono dedit mihi Blasius Salmonius Bibliopola Lipsensis in proximis Nundinis Franckfordensibus, Libellos uarios a te elucubratos, quos omnium Doctorum iudicio probatos typis meis statim excudi sexcentos in Galliam misimus & in Hispaniam; uenduntur Parisijs; leguntur etiam a Sorbonicis, et probantur, quemadmodum amici nostri nos certiores reddiderunt. Dixerunt illic Doctissimi quidam; se iam pridem talem Libertatem desiderasse in his; qui Sacras literas tractant.

Caluus

Caluus quoq; Bibliopola Papiensis, uir eruditissimus, & Musis sacer, bonam Libellorum partem in Italiam deportauit, per omnes Ciuitates sparsurus. Neq; enim tam sectatur lucrum, quam cupit renascenti pietati suppetias ferre, & quatenus potest prodesse. Is promisit ab omnibus eruditis in Italia uiris Epigrammata se missurum in tui laudem scripta, usqueadeo tibi fauet Christiq; negocio, quod tanta constantia tam uiriliter tamq; dextere geris.

Miraberis forsan de nostra tuorum Actorum editione, quod uidelicet partim Vuittembergensi respondeat, partim non. Sed causam audi, miserat nobis ex Augusta Vindelicorum amicus quidam noster, Responsionem tuam Cardinali datam, etiam iam imprimenda erat; cum Caluus ex Norimberga rediens, unicum tantum Vuittembergensis editionis quaternionem secum attulit, primum uidelicet, quem nos statim imitati, reliquam illam partem ex Augusta nobis missam, utcunq; annexuimus. Nunc uero Blasij beneficio, Vuittembergensis editionis exemplar nacti, quod nostræ deest, quamprimum licebit, additurі sumus. Audio enim a Doctis probari, quam de Decretorum uiolentia coronidem adiecisti. *Responsio Lutheri ad Cardi. Caietanũ data.*

Præterea Libellos tuos, in Brabantiam & Angliã misimus. Impressimus Replicæ Syluestrinæ trecenta tantum exemplaria, Eam negant Docti obesse tibi posse. Hic ut quisq; est optimus, ita tui maxime est studiosus. Episcopus noster inprimis tibi fauet, eius item suffraganeus Tripolitanus Episcopus. Cardinalis Sedunensis, cum illi tuas Lucubrationes obtulissemus, statim dixit, Luther tu uere es Luther. Huic nuper quidam Eccij Propositiones misit, adijciens se uictoriæ nuncium, quam Eccius sit Lipsiæ contra nouam doctrinam obtenturus, statim allaturum. Cui respondit Cardinalis, Disputet Eccius quantum uelit, Lutherus ueritatem scribit. *Replica Syluestri.* *Cardi. Sedunensis.*

Exemplaria nostra nos usq; ad decem uendidimus omnia, haud fœliciorem uenditionem in aliquo Libro sumus unquam experti. Nouum instrumentum ab Erasmo diligentissime recognitum, & insigni accessione locupletatum, intra dies decem fauentibus Superis, absoluemus.

Bene uale, Reuerende Pater.
Basileæ 14. Februarij. M. D. XIX.

IN EPI-

IN EPISTOLAM PAVLI AD GALLATAS, D. MARTINI LVTHERI AVGVSTINIANI, COMMENTARIVS.

PRAESTANTISSIMIS VIRIS PVRAE ET VERAE THEOLOGIAE Doctoribus, Dominis, Petro Lupino Radhemio, Custodi, & Andreæ Bodenstein Carolostadio, Archidiacono, Canonicis omnium Sanctorum Vuitembergæ ordinarijs &c. Præceptoribus suis, in Christo obseruandis, D. Martinus Lutherus Augustinianus Salutem.

EFfutiui diebus istis, ornatissimi uiri, nugas aliquot de Indulgentijs, res sane leuiculas, de rebus (sicut mihi uidetur) leuiculis, Verum, ut nunc expertus sum, res omnium maximas, de rebus omnium maximis. Ego enim mire stultus, & errans grauissime, peccata & errores metiebar mandatis diuinis, & sacrosancto Euangelio Christi. Illi uero amici mei, pro gloria sapientiæ suæ, non nisi potestate Papæ, & priuilegijs Rom. Ecclesiæ, metiuntur quodlibet operis genus. Hoc est, quod tam diuersum saperemus, & ego mihi tantas turbas concitarem, apud Christianissimos illos, & religiosissimos sacræ Theologiæ professores. Accidit mihi, quod semper ueritus fui, uarium aliorum iudicium. Alijs impius, alijs mordax, alijs uane gloriosus, alijs aliud uisus fui, quæ sors communis est in publico ædificantibus (ut uulgo dicitur) & in publicum scribentibus. Tot Magistros fere inuenio, quot Lectores, atque id gratis. Quorum fœlici auspicio & ductu, ne pertinax essem, & hæreticus fierem, discendum mihi fuit, neminem grauius delinquere posse, quam eum, qui de opinionibus hominum dubitat, aut disputandi studio reluctatur, etiamsi interim Christum, & Christi fidem negarit, hoc est, puerile quid luserit.

Lutherus opera hominum ad uerbum Dei expendit

Iudicium uariũ de Luthero.

Quibus nominibus ab aduersarijs impetatur, pro cuiusque libidine.

Qua in re, cum essem Augustæ, patiebar satis paternum & benignum Pædagogum, sicut scitis. Atque horum uirorum illustriss. illustrissima administratione factum est, ut noua illa & admiranda re-

randa regnet libertas Christianorum, qua cæteris omnibus impune habentibus, una tantum Lex sit reliqua, in quam peccari possit hodie, hæc est potestas Papæ, & priuilegia Romanæ Ecclesiæ. Hinc conniuere, consentireq; in omnes flagitiorum & corruptelarum lernas, quæ ex urbe Roma, sub innoxio, & sacro Papæ, & Romanæ Ecclesiæ nomine, in omnem terram sine fine exundant, sanctum est laudasse, ac pro uirtutibus summis adorasse, pietas est, contra mutijsse, sacrilegium. Tanta est ira furoris Domini omnipotentis, tanta meruit impia nostra ingratitudo, ut tam diu tolleranda sit inferorum Tyrannis, qua uidemus, multo gemitu frustra gementes, nomen sanctum & terribile Christi, in quo iustificati, sanctificati, glorificati sumus, tam fœdis, tam spurcis, tam horrendis monstris, auariciæ, tyrannidis, libidinis, impietatis prætexi, in seruitutem uitiorum cogi, & quod extremum est malorum, nomen Christi, per nomen Christi extingui, Ecclesiam, per nomen Ecclesiæ uastari, atq; omnino ijs rebus nos ludi, falli, perdi, per quas debueramus salui fieri. Quare, dum illi maximis illis rebus occupantur, dum mordent, dum Baal suo lanceolis se incidunt, dum Lindio Deo sacrificant, dumq; iactant extrauagantes, & declaratorias illas Romanæ eruditionis fidelissimas testes.

Libertas Christiana quo cuasit.

Hodie in potestatem Papæ & priuilegia Ro. Ecclesiæ, tam grauiter peccatur, in Deum impune.

Furor Domini.

Ego ad minimas res me recipere statui, id est, ad diuinas literas, & inter has, ad eas, quæ sunt minimi Autoris (uel nomine suo testante) Pauli Apostoli, qui adeo non fuit summus Apostolorum, aut Pontifex maximus, ut se minimum quoq; Apostolorum, nec dignum, qui uocetur Apostolus, clamet, tantum abest, ut sanctissimũ se iactet. Deniq;, de tribu BenIamin ortus est, qui a Ioseph, minimus fratrum uocatur. Atq;, ut nihil non sit minimum, nihil iudicat se scire, nisi Ihesum Christum, nec tamen hunc, nisi crucifixum, id est, minimum & nouissimum omnium, non ignarus utiq;, de rebus illis maximis, & omnium primis, de potestate Romanæ Ecclesiæ, & decretis illius, non sibi rudissimo & indoctissimo Apostolo, sed solis ter maximis Theologis licere tractare.

Lutherus ad minima se dimittit, dũ alijs maxima tractantur.

Spero autem hanc meam operam prosperius habituram, quod sit de rebus illis mere nihili, de potestate Christi, qua potens est in nobis aduersus portas etiam inferi, de priuilegijs Ecclesiæ cœlestis, quæ nec maximam Romam, nec sanctissimam Ierusalem, nec ullum locum nouit, neq; hic aut illic Christum quærit, sed in spiritu & ueritate Patrem adorat. Quid enim tanti uiri his nugis mouerentur, irritarenturue, cum sint extra eorum facultatem? Tutius ergo nunc in publicum uenio, abstinens ab ijs rebus, quibus illi irritantur, & rescellulas mea paruitate dignas, tractans.

Cæterum

Cæterum, si quid ueteris illius Tragœdiæ, de rebus magnis coortæ, superest, ipsis relinquo, tum, quod unus, & paruus, & infirmus, præsertim, cum illi & ociosi stent tota die, ego autem sim negociosissimus. Quoniam superfluum est, utranq; partem causæ distorqueri. Sat malorum est, unam partem dolere & mœstam esse.

Deuotio autoris.

Porro, optimi uiri, ut uobis serio dicam, ego Roma. Pontifici, eiusq; decretis, eum honorem habeo, quo nullus est superior, nec excipio, nisi principem huius Vicarij, Ihesum Christum Dominum nostrum & omnium. Huius uerbũ ita præfero Vicarij uerbis, ut nihil dubitem, secundum ipsum iudicare de omnibus, & dictis & factis Vicarij. Volo enim subiectum eum esse huic irrefragabili Regulæ Apostoli, Omnia probate, quod bonum est tenete. Ab hoc inquam iugo, neminem patiar collum excutere, siue nomine Matris, siue Magistræ ecclesiarum uehatur. Atq; ideo magis, quo nostro seculo uidimus Concilia reprobari, rursum alia confirmari, Theologiam meris opinionibus tractari, Iurium sensum ab unius hominis pendere arbitrio, & adeo confundi omnia, ut nihil certi pene nobis relictum sit. Sed & multas Decretales esse, a sensu Euangelico alienas, luce clarius est. Ita, ut necessitas ipsa rerum nos cogat, ad diuinæ Scripturæ solidissimam petram confugere, nec temere credere ullis, quicunq; sint, qui citra illius autoritatem loquuntur, statuunt, aut faciunt. Nec uerendum censeo, quid contra Cardinalis Caietanus, & Syluester Prierias adulentur, Qui etiam in rebus fidei, nudum uerbum hominis sufficere cauillantur.

Concilia nunc reprobantur, nunc confirmantur.

Non curandũ quid Cardi. Caietanus, & Syluester Prierias adulentur & cauillentur.

Augustinus.

Diuus Augustinus docet, nulli credendum, quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleat (credo etiam sanctissima) nisi diuinis literis, aut ratione probabili persuadeat, ne, si aliter ludamus, illudamur. At hi in Christo boni autores, uolunt nos ui cogere in hanc illusionem. S. Petrus toties lapsus est, & semel, post acceptum Spiritum, grauissimo animarum periculo, errauit: & nos homines, longe infra Apostolicam sublimitatem repetantes, ultra Apostolicas perfectiones eleuamus, quasi Christus mentitus sit, quando sese promisit nobiscum esse, usq; ad consummationẽ seculi, adeo querimus alios Christos, in quorum nutu renutuq; pendeat Ecclesia. Satis est Rom. Pontificem, summum Pontifi. esse. Impijssimum sit, Christo æqualem ei uirtutem & sapientiam affingere, sicut audent quidam. Quanquam ut ingenue confitear, ipse pene ignoro, quæ sit, & ubi sit Rom. Ecclesia, ita ludentibus, iocantibus, confundentibus nomina Roma. Ecclesiæ, teterrimis illis nugatoribus. Syluester eam secat in tres Ecclesias, in Papam, in Cardinales, in populum, Quæ distinctio, quia

S. Petrus.

Summus Pontifex.

Nugatores uani cõfundũt nomina Roma. Ecclesiæ.

magistralis

magistralis & sufficiens est, nec membra coincidunt, facit, ut Papa & Cardinales sint extra Ecclesiam, inter paganos habendi, ut qui in essentiali Ecclesia non sint. Aut tres Christos preficiet tribus illis Ecclesijs. Imo, nec Christus ad Ecclesiam pertinebit tāto Autori, quum nec uirtualis, nec repr̨sentatiua, nec essentialis sit Ecclesia. Cardinalis Caietanus, passim se pro Ecclesia Roma. uenditat in Germania, sub nomine illius Breuia apostolica comminisci satis doctus. Est Roma. Ecclesia, bonus ille Copijsta, qui declaratoriam illam pulcherrimam, qua Caietanus dignissime gloriatur, editurus, cum in Formulario suo, non Scripturas, aut ullas rationes, sed immemorabile tempus, consueuisse & tradidisse, iuueniret, hæc ipsa satis fideliter membranæ illeuit. Vendunt se ubiq; pro Ecclesia Roma. prout cuiq; libitum est, impij illi nebulones, plumbo tantum & cæra Roma. Curiæ totam Germaniam illudentes, & exhaurientes. *Cardi. Caietanus.* *Doctus Copijsta.*

Quid istis ludificationibus nominum sanctorum Papæ, & Roma. Ecclesį faciunt, nisi, quod nos Germanos, meros blennones, bardos, buccones, & (ut dicunt) barbaros & bestias arbitrantur, etiam irridentes nostræ illusionis & explilationis incredibilem patientiam. Proinde, ego in tanto rerum & uerborum chao, e tanta Siluestrorum sylua, ad ciuitatem Augustam reuertor, & iudicium interim sequar, quo Principes Germaniæ, in nouissimis comitijs, recte, sancte, & auguste discreuerunt, inter Romanam Ecclesiam, & Roma. Curiam. Nam, quomodo licuisset eis recusare decimas, & uigesimas, & quinquagesimas (id est medullas, totiusq; Germaniæ semel subitaneam uastitatem) quas in Concilio illo sacratissimo (ut sic dixerim) Romano, nouerant sancitas, & tantis legatis Apostolicæ sedis expetitas, nisi tandem, licet sero, sapientes, intellexissent, non Roma. Ecclesiæ decretum, sed Roma. Curiæ illud esse commentum? Viderunt nimirum (dictu mirum, & nullis, neq; Syluestris, neq; Caietanis creditu possibile) Concilium & Papam errasse, & posse errare, aliudq; esse nomen Ecclesiæ Romanæ, & aliud, quod nomine Romanæ Ecclesiæ geritur. Aliumq; esse Romanæ Curiæ, alium Romanæ Ecclesiæ Legatum. Hunc Euangeliū afferre, illum pecunias quærere. Vnde barbaris illis & bestijs tantum iudicij? nisi quod Deus tandem fessus Blasphemijs sui, & irrisionibus, abusionibusq; sui, & sanctæ Roma. Ecclesiæ nominis, monere uoluit Romanos proceres, ut res Ecclesiæ, posito ioco & ludo, aliquando serio curarent, antequam eliciant sanguinem, dum nimium mungunt Germaniam. *Germani.* *Sapientia Principū* *Res Ecclesiæ serio curandæ.*

Quare & ego, horum Theologorum laicorum exemplo pulcherrimo, longissime, latissime, profundissime, distinguo, inter Romanam

manam Ecclesiam & Roma. Curiam. Illam scio purissimum esse thalamum Christi, matrem Ecclesiarum, Dominam mundi, sed spiritu, id est, uitiorum, non rerum mundi, sponsam Christi, filiam Dei, terrorem inferni, uictoriam carnis. Et quid dicam? cuius sunt omnia, iuxta Paulum 1. Corin. 3. Ipsa autem Christi, Christus autē Dei. Hæc uero ex fructibus suis cognoscitur. Non, quod magnifaciendum sit, res nostras & iura diripi, cum fixum sit in cœlo, Christianos in hac uita pressuram, Nimbrotos, & robustos Venatores pati. Nec ab hac conditione liberabitur Ecclesia, nisi per mortem, palma est, quanto fortius premitur, tanto sublimius exaltatur in Cades. Sed, quod omnibus lachrymis sit miseria maior, hæc a Fratribus & Patribus, in fratres & filios fieri (sicut in Propheta dicit Dominus, filios a parentibus uorari) quæ a Turca uix fierent, aut si fierent, non tamen nomen sanctum Christi, tam fœdis monstris prætexeretur, quæ est omnium intollerabilissima, Christi & Ecclesiæ iniuria. Res sane eant, & uita pessum, at nomen Domini æternum, cur patiamur tam fœde conspurcari? Nullo modo ergo Romanæ Ecclesiæ resistere licet, at Romanæ Curiæ, longe maiore pietate resisterent, Reges, Principes, & quicunq possent, quam ipsis Turcis.

1. Cor. 3.

Robusti Venatores Ecclesia palmæ cōparatur. Cades. Horrendum dictu & auditu. Minime dissimulanda est iniuria, quā nomen Christi, fœdis monstris prætexitur. Romanæ Curiæ resistere licet.

Hæc uerbosius forte & liberius. Verum, propter eos, qui cum illusoribus illis, sine fine illudunt Christum, coactus sum meipsum exponere, ut sciant sese errare, quando me a Romana Ecclesia alienum clamant, qui purissime diligo, non modo Romanam, sed totam Ecclesiam Christi. Deinde, quod certus sum, aliquando moriendum esse, & in aduentu Domini nostri Ihesu Christi rationem reddendam, de ueritate, uel tacita, uel dicta, atq omnino de Talento tradito, ne ipsum abscondidisse iudicer. Irascantur sane qui uolent, modo ego impij silentij reus non inueniar, qui mihi conscius sum esse me debitorem uerbi, quantumlibet sum indignus. Nunquā sine sanguine, aut periculo, uerbum Dei tractari potuit. Sed, sicut pro nobis mortuum est, ita uicissim, sui confessione, & nos pro se mori exigit. Nec est Seruus maior Domino suo. Si Me (inquit) persecuti sunt, & Vos persequentur. Si meum sermonem seruauerint, & uestrum seruabunt.

Causa libertatis Lutheranæ. est pietas & illusores Christi. Fiducia Autoris. Verbum Dei nunquam nō cum periculo tractatum est.

Sed ad me redeo, & ad uos, optimi Viri, refero, seu (ut Paulino utar uerbo) uobiscum confero, hoc meum in Paulinam epistolam studium, tenue quidem illud, nec tam commentarium, quam testimonium meæ in Christo fidei, ne forte in uanum cucurrerim, & sensum Pauli, non satis tenuerim. Hic enim, quia res Dei, & serio maxima est, abs quolibet Puero

Modestia Lutheri.

eruditi

erudiri cupio. Maluissem certe & ego expectare Commentarios olim ab Erasmo, uiro in Theologia summo, & inuidiæ quoque uictore, promissos. Verum, dum ille differt (quod Deus faxit, non sit diuturnum) cogit me in publicum ire casus iste quem uidetis. Scio quidem me Infantem & ineruditum, sed tamen (quod ausim) pietatis & eruditionis Christianæ studiosum, atque hoc ipso eruditiorem his, qui diuina mandata, impijs legum humanarum pompis, mere ridicula & ludibria fecerunt. Vnum spectaui, si consequar, ut mea opera, ij, qui me Apostolicas Epistolas audierunt enarrantem, Paulum apertiorem habeant, & fœliciter me superent. Sin nec id effeci, age, & hoc libens perdiderim laboris, conatus reliquus est, quo alios ad Paulinam Theologiam volui accendere, quem nemo bonus mihi vitio dederit.

Valete.

ARGVMENTVM EPISTOLæ Pauli ad Galatas.

Galatæ primum ab Apostolo sanam fidem, id est, in solum Ihesum Christum, non in suas, aut legis iusticias, fidere docti, post per Pseudoapostolos, rursum deturbati sunt, in fiduciam operum legalis iusticiæ, decepti uidelicet quam facillime, magnorum & uerorum Apostolorum falsse commendato, & nomine, & exemplo. Neque enim in omni uita mortalium, quicquam fallacius est superstitione, hoc est, falsa & infœlice imitatione Sanctorum. Quorum cum opera sola, non etiam cor spectaris, in procliui est, ut simia fias, & Leuiathan, id est, additamentum addas, quo, ex uera Religione, superstitionem, uel impietatem facias. Nam, ut exemplo præsente monstrem: Apostoli per Ecclesias Iudæas, nonnullas legum ceremonias seruabant. Sicut de Marco, Philonem scripsisse, Hiero: testatur. Hoc autem stulti illi, qua ratione id facerent, ignorantes, mox de suo addiderunt, necessaria esse ad salutem, quæ a tantis Apostolis obseruari uiderant, nec unius Pauli, qui Christum, neque uidisset, neque audisset in terra, habendam rationem.

Lapsus in superstitionem facillimus.

Fieri simiam & Leuiathan.

Nonnullæ legum ceremoniæ ab Apostolis seruatæ.

At Apostoli: ut manifestissime Act. 15. Petrus definierat, non ut necessaria, sed ut quæ licerent, & nihil obessent ijs, qui non in ipsa, sed in Ihesum Christum salutis fiduciam ponunt, seruabant. Nam in Christum credentibus, omnia munda, indifferentia, licita sunt, quæcunque uel præcipiuntur, uel prohibentur externis ceremonijs, corporalibusque iusticijs, nisi quantum sua sponte, aut pro charitate, sese eis subijcere uelint. Ad quam intelligentiam PAVLVS, tanto æstu laborat Galatas reuocare, ut & PETRI, & omnium Apostolorum, prorsus nullam rationem habeat, quantum ad personam, conditionem, id est, dignitatem (& quod dicunt) qualitatem, attinet. Denique, se ab eisdem nihil accepisse, quin commendatum ab eis fuisse, gloriatur sanctissima quadam superbia; nihil cedens

Ceremoniæ licitæ non necessariæ.

In Christum credentibus omnia cooperantur in bonum.

Paulus sanctissima superbia gloriatur.

Apostolorum quoq; opinioni, qua Euangelicæ ueritati uidebat calumniam strui apud rudiores, longeq; melius ducens, inglorios esse, seipsum & Apostolos ipsos, quam Christi Euangelium euacuari.

EPISTOLAE PAVLI AD GALATAS, CAPVT I.

PAVLVS Apostolus. Quando iam græcatur totus orbis Christianus, & Erasmi Theologicissimi annotationes omnium manibus teruntur, non est necesse indicare, quid Apostolus græce significet, nisi ijs, quibus non Erasmus, sed ego scribo. Apostolus enim idem, quod missus significat. Et doctore D. Hiero. Hebræorum uocabulum est, Silas quod apud eos sonat, cui a mittendo, nomen misso impositum est. Ita apud Iohan. 9. Vade, laua in natatoria Siloe, quod interpretatur missus. Cuius mysterij & Esa. 7. non ignarus, dicit. Abiecit populus iste aquas Siloe, quæ uadunt cum silentio. Sed & Gen. 49. Donec ueniat Silo, quod Hiero. transtulit, qui mittendus est. Ex quo loco Paulus Christum Apostolum appellare uidetur, ad Ebreos, id est, Silan. Meminit in Actis Lucas Silæ cuiusdam. Hæc magis consideranda sunt, quod Apostolus, uerecundum nomen est, sed mire simul augustum ac uenerabile, insignem iuxta humilitatem, & sublimitatem præ se ferens. Humilitas est, quod missus est, officium, seruitutem, obedientiam, protestatus, tum, ne quispiam uelut dignitatis nomine motus, in ipsum fidat aut glorietur, sed per officij nomen, in autorem mittentem mox rapiatur, a quo iam maiestas & sublimitas Missi & serui concipiatur, ut reuerenter excipiatur. Non sicut nostra ætate, qua nomina Apostolatus, Episcopatus, ac reliqua, non officij, sed dignitatis ac ditionis uocabula esse cœperunt. Quos Christus, Iohan. 10. contrario nomine, non missos, sed uenientes, & seipsum interpretatus, Fures & Latrones appellat, ut qui non mittentis uerbum, quo pascant, afferunt: sed suum lucrum, quo mactant oues, referunt. Quotquot (inquit) uenerunt, id est, non mittebantur: Fures sunt & Latrones. Et ut Apostol. Rom. 10. Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Quas doctrinas, o utinam nostro seculo digne appenderent Christiani populi pastores & rectores. Quis enim potest prædicare nisi sit Apostolus? Quis autem est Apostolus, nisi qui uerbum Dei apportat? Quis autem potest uerbum Dei apportare, nisi qui Deum audierit.

Apostolus. *Silas.* *Locus apud Ioh. 9.* *Christus Apostolus* *In mores nostræ ætatis.* *Venientes, Fures sunt & latrones.*

Iohan. 9. Esa. 7. Gen. 49. Iohan. 10.

At qui, uel sua, uel humanarum legum, Decretorum, aut Philosophorum dogmata affert, nunquid is dicendus est Apostolus? Imo ueniens, & fur, & latro, & perditor, & mactator animarum est. In Siloa lauatur cæcus, & uisum recipit. Et Siloæ aquæ salutares sunt, non aquæ fortes & superbæ regis Assyriorum. Misit uerbum suum (nempe Deus) & sic sanauit eos. Venit homo & uerbum suum, & hæmorrhoissam peius habere facit: hoc est, ut clare dicam, quoties uerbum Dei prædicatur, reddit lætas, latas, securas conscientias in Deum, quia est uerbum gratiæ, remissionis, bonum & suaue. Quoties uerbum hominis, reddit tristem, angustam, trepidam conscientiam in seipsa: quia est uerbum legis, iræ, & peccati, ostendens, quid non fecerit & quanta debeat. Proinde, non fuit Ecclesia unquam infœlicior ab initio sui, quam nunc est, & quotidie magis fit, tot decretis, legibus, statutis, pene infinitis carnificinis excarnificata, longeq; atrocius, quam tempore Martyrum, a tortoribus confecta. Et ijs perditionibus

Deus uerbo suo sanat. Homo uerbo suo affligit. *Incommoda & carnificinæ præsentis Ecclesiæ.*

ditionibus animarum, Pontifices adeo nihil afficiuntur, adeo nihil compatiuntur super contritione Ioseph, ut (tanquam Deo obsequium prȩstent) etiam addant dolorem, super uulnerum dolorem.

Non ab hominibus, neq; per hominem, Sed per Ihesum Christum, & Deum patrem, qui suscitauit eum a mortuis.

STatim ab initio percutit oblique falsos Galatarum Apostolos, quos non per Ihesum Christum missos subindicat: sed, uel per seipsos, uel per alios Apostolos, quorum tamen doctrinam false tractabant. Id sane notandum, quod nullum uoluit Christus Apostolum fieri ex hominibus, seu hominum arbitrio, sed ex sua solius uocatione. Vnde & Matthiam Apostoli nõ ausi sunt eligere, sed de cœlo per orationem impetrabant. Et Paulum ipsum de cœlo uocauit, & Apostolum fecit. Maxime autem per uocem Spiritus sancti. Actor. 13. Segregate mihi (inquit) Paulum & Barnabam, in opus ad quod assumpsi eos. Ita Rom. 1. gloriatur, se in Euangelium Dei segregatum, quo cæteris Apostolis, in circumcisionem missis, ipse cum Barnaba in prȩputium & gentes segregati sunt. *Apostoli non ausi Matthiam eligere.*

Et aduerte quod Paulus, nomen Apostoli, adeo officij & dignitatis asserit, eo uelut participio utatur. D. Apostolus non ab hominibus, quod sonat, missus non ab hominibus. Nisi hæbraismum sapit oratio, ut Psal: 4. Myrrha & gutta & casia a uestimentis tuis, a domibus eburneis. Quæ omnia eo tendunt, ut uideas, quanta cura Christus Ecclesiam suam instituit, atq; muniuit, ne temere quisquam docere præsumeret, nisi ab ipso, uel a se missis, missus sit. Sicut enim primum & maximum Ecclesiæ beneficium est uerbum Dei, ita contra, nullo maiore detrimento Ecclesia perditur, quam uerbo hominis, & traditionibus huius mundi. Deus solus uerax, omnis homo mendax. Deniq; in hanc gratiam, sicut olim Dauid reliquit omnes impensas, quibus Salomon ædificaret templum, ita Christus reliquit Euangelium & Scripturas alias, ut ijs, non humanis decretis Ecclesia ȩdificaretur. Quod quam misere sit iam plus trecentis annis neglectũ, imo peruersum, satis ostendit facies hodierna omnium rerum Ecclesiȩ. *Apostolus.* *Psal. 4.* *Consilium.* *Inuentiunculis humanis ecclesia perditur.*

Quatuor Apostolorum genera, D. Hiero. ex hoc loco colligit. Primum, quod neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed per Ihesum Christum & Deum Patrem, ut Prophetæ olim & omnes Apostoli. Alterum, quod a Deo quidem, sed per hominem, ut Discipuli Apostolorum, & qui in finem mundi legitime succedunt Apostolis, ut Episcopi, & Sacerdotes. Et hoc genus, sine primo non potest consistere, a quo habet exordium. Tertium, quod ab homine seu hominibus, non a Deo, ut cum fauore & studio hominum aliquis ordinatur, ut nunc uidemus, plurimos, non Dei iudicio, sed redempto uulgi fauore, in sacerdotium subrogari. Sic Hierony. Si hoc Hiero. temporibus malum iam tum inualescebat, quid mirum, si hodie triumphet & regnet. Nam huius generis esse oportet omnes, qui seipsos offerunt ad Episcopatus & sacerdotia, antequam uocentur, animalia, scilicet uentris & gloriæ. Ideoq;, quantum ex ijs Ecclesia commodi habeat, satis uidemus. *Apostolorum quatuor genera.*

Quartum genus, quod neq; a Deo, neq; ab hominibus, neq; per hominem, sed a semetipso, ut Pseudoprophetæ, & Pseudoapostoli, de quibus Paulus. Istiusmodi Pseudoapostoli, operarij iniquitatis, transfigurantes se in Apostolos Christi. Et Dominus Iohan. 10. quotquot uenerunt, fures fuerunt & latrones. Hiere. 23. Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Ab hoc malo summe cauendum est. Nam hinc Christus, nec dæmonia sinebat loqui, & si uerum dicebant, *Cauendum.*

ne prætextu ueritatis, inter mendacium mortis: quando non potest loqui, qui ex seipso loquitur, nisi mendacium, ut Christus ait. Vnde Iohan. 8. Ne Apostoli ex seipsis loquerentur, dedit eis spiritum suum, de quo dicit: Non uos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris uestri, qui loquitur in uobis. Et rursus. Ego dabo uobis os & sapientiam &c.

In quorundam religiosorum querimoniam.

Non possum hic (& si leuiculum est) transire, multorum præsertim religiosorum & sacerdotum fatuam querelam, satis tamen acrem tentationem, qua queruntur, sese talentum domini habere, ideoq; necessitate Euangelici præcepti sese urgeri ad docendum. Itaq;, nisi doceant, stultissima conscientia credunt, sese pecuniam domini sui abscondere, & reos esse damnationis. Diabolus hæc facit, ut instabiles eos reddat, in uocatione sua, in quã uocati sunt. O bone frater, uno uerbo Christus te liberat ab hac querela. Vide Euangelium quod dicit sic. Vocatis seruis, tradidit illis bona sua. Vocatis inquit. Quis autẽ te uocauit? Expecta uocantem, interim esto securus. Imo, si esses sapientior ipso Salomone & Daniele, tamen, nisi uoceris, plusquam infernum fuge, ne uerbum effundas. Si tui eguerit, uocabit te. Si non uocabit, non te rumpet scientia tua. Deniq;, neq; est uera, sed uidetur tibi scientia, & stultissime fingis tibi fructum, quẽ possis facere. Nemo fructificat uerbo, nisi qui sine suo uoto uocatur ad docendum. Vnus est enim Magister noster Ihesus Christus. Hic solus docet & fructum facit, per uocatos seruos suos. Qui autem non uocatus docet, non sine damno, & suo, & auditorum docet, quod Christus non sit cum eo.

Quod ergo Apostolus, se non ab hominibus missum, dicit: Pseudoapostolis se opponit. Quod non per hominem: ipsis fidelibus, qui ab Apostolis missi fuerant, opponit. Ideo contra tria genera Apostolorum, tali exordio utitur. Et testatur Hiero. quod ex Iudæis quidam in Christum credentes, in Galatiam perrexerunt & docuerunt, quod & Petrus, & Iacobus, & Iohannes legem seruarent, ut magis infra uidebitur.

Vna causa, cur de resurrectione interferat.

Quod autem resurrectionem Christi interserit, uidetur ociosum. Verum, solet Apostolus libenter resurrectionem Christi cõmemorare, potissimum contra eos, qui in iusticiam propriam confidunt. Sic & in Rom. salutatione eiusdem & copiosius meminit, quod & ibidem fortiter contra iusticiam operum disputat. Qui enim tales sunt, necesse est, ut resurrectionẽ Christi negent, imo irrideant. Nam Rom. 4. Christus (inquit) mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationẽ nostram. Ideo, *Rom. 4.* qui alia uia præsumit iustus esse, quam credendo in Christum, hic Christum a se reijcit, & ociosam eius passionem & resurrectionem ducit. Qui enim in Christum morientem credit, simul & ipse moritur peccato cum Christo. Et qui credit in resurgentem & uiuentem, eadem fide & ipse resurgit, & uiuit in Christo, & Christus in eo. Ideo resurrectio Christi est iusticia, uitaq; nostra, non tantum exemplo, sed & uirtute. Sine resurrectione Christi, nemo resurgit, quantumlibet operetur bona. Rursum, per resurrectionem quilibet resurgit, quantumlibet operatus sit mala, ut hæc latius ad Romanos.

Altera causa.

Forte etiam ideo meminisse solet in salutatione resurrectionis, quod Spiritus sanctus datus est per resurrectionem Christi, quo Spiritu, distributa sunt dona Apostolatus & alia. 1. Corin. 12. Vt sic se Apostolum asserat autoritate diuina, per Spiritum resurrectionis Ihesu Christi.

Et qui mecum sunt omnes fratres. Omnes fratres, inquit. Quo uidetur occurrere eisdem Pseudoapostolis, qui (ut Hiero. ait) ipsum quoque Pau-

que Paulum, aliter apud alios sapere dicebant, quam Galatas docuisset. Deinde, quod ad populum corrigendum, plurimum ualeat, multorum de eadem re sententia, atque consensus.

ECCLESIIS GALLATIAE.

IN alijs Epistolis, ad unius urbis scribit Ecclesiam. In hac, ad multarum ac totius prouinciæ, scribit Ecclesias. Et eximie notandum, quod B. Hieron. hic pulchre obseruat scilicet Ecclesias uocari, quas tamen Apostolus arguit errore deprauatas. Ex quo noscendum est (inquit) Ecclesiam dupliciter posse dici. Et eam, quæ non habet maculam, neque rugam, & uere corpus Christi sit. Et eam, quæ in Christi nomine, absque plenis perfectisque uirtutibus, congregetur. Quo modo sapientes bifariam nuncupantur, tam ij, qui sunt plenæ perfectæque uirtutis, quam illi, qui incipiunt & in profectu positi sunt. De perfectis dicitur. Mittam ad uos sapientes. De insipientibus, argue sapientem, & diliget te. Iuxta hunc sensum, de cæteris quoque uirtutibus intelligendum, quod scilicet fortis, & prudens, castus, iustus, temperans, interdum plene, interdum abusiue accipiuntur. Verum hæc de perfectione sane intelligenda sunt. Nam nullus ita perfectus in hac uita est, ne Apostolus quidem, quin perficiendus sit magis, imo, ut Sapiens dicit: Homo cum consummauerit, tunc incipiet. Ad aliorum itaque comparationem alios perfectos dixeris, alioquin & ipsi quotidie incipiunt, atque proficiunt.

Duplex Ecclesia. *Sapientes bifariam dicuntur.* *Prouer. 9.* *Consilium, quomodo dicta sunt accipienda.*

Proinde, melius B. Augustin. Ecclesiam sine macula & ruga in futuram uitam differt, quæ non amplius dicat, dimitte nobis debita nostra. At tamen recte hæc Hier. & Orige. sententia est, quod contra hæreticos bene pugnat ex Apostolo. Qui mox nomine Babylonis criminantur Ecclesiam, quæ mixtim malos habet, ut sibi solis, uelut sanctis, Ecclesiæ nomen arrogent. Quin, si mali sunt in aliqua Ecclesia, certe accurrendum est, & exemplo isto Pauli, clamandum, exhortandum, obsecrandum, orandum, terrendum, & omnia tentanda, ut boni fiant. Non autē sacrilego illo Dei timore (ut dicunt) & impio conscientiæ studio, discedendum, & schisma faciendum. Quæ est ista charitas, quæ malos, neque ferre, neque iuuare statuit, furor est, nomine charitatis ineptissime se uestiens. Quid hic respondebunt? Apostolus Ecclesias appellat, quæ non morum (nam hi soli offendunt, superbos & hæreticos faciunt) sed fidei errore laborabant, ac tota substantia, unde possent Ecclesiæ uocari, peribat.

Augustinus de Ecclesia. *Sentētia Hiero. recta.* *Non desciscendū ab Ecclesia.*

Gratia uobis & pax a Deo Patre, & Domino nostro Ihesu Christo.

DIscernit Apostolus hanc gratiam & pacem, ab ea, quam mundus uel ipse homo sibi dare potest. Gratia enim Dei Patris, & Domini nostri Ihesu Christi, aufert peccata, cum sit spiritualis & occulta. Sic pax Dei, serenat, quietat, ac lætificat cor hominis coram Deo in abscondītis. Et, ut alibi dictum est: Gratia culpam, pax pœnam aufert. Vt sic iusticia & pax osculentur & conueniant. Verum, quando hæc fiunt, mox amittitur gratia & pax hominum, mundi, carnis, id est, sui ipsius & Diaboli, concitatur autem ira, & turbatio omnium. Nam qui in gratia Dei est, operatur, quæ Deo placent. Ideo mox displicet Diabolo, mundo, & carni suæ. Et dum Deo iustus est, carni & mundo, peccator est. Et ita oritur bellum. Bellum foris, pax

Gratia Dei. *Pax Dei.*

ris, pax intus. Intus, inquam, non sensibiliter, & experimentali suauitate, saltem semper, sed inuisibiliter & per fidem. Nam pax Dei exuperat omnem sensum, id est, incomprehensibilis est, nisi fide.

Gratia mundi.

Sic contra, qui in gratia mundi est, & sua ipsius, & placet sibi, statim peccat coram Deo, & iram incurrit. Qui enim, ait Iacobus, amicus huius mundi esse uoluerit, inimicus Dei constituitur. Ideo sequitur, & hic mox bellum. Bellū intus cum Deo, pax foris cum mundo: quia non est pax impijs dicit Dominus. Esa. 48. Et tamen Psal. 52. pacem peccatorū uidet. Et Psal. 37. prosperatur peccator in uijs suis. Ideo & istud bellum est absconditum, & insensibiliter, saltem aliquando, habetur. Quare in quadam bilibri sese componderant ista quatuor, Gratia Dei, & indignatio mundi: Pax Dei, & turbatio mundi: Gratia mundi, & indignatio Dei: Pax mundi, & turbatio Dei. Sic Christus Iohan. 16. In mundo pressuram habebitis, in me uero pacem, Sed confidite. Ego uici mundum. Et infra Paulus. Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem, id est, non placerem. Quare hac salutatione, summam statuit doctrinæ suæ, quod uidelicet, nemo iustus esse potest, nisi per gratiam Dei, nequaquam per opera. Et conscientiæ turbatio non quietatur, nisi per pacem Dei, non ergo per opera cuiuscunque uirtutis, aut satisfactionis.

Psal. 52. Psal. 37. Iohan. 16.

Nemo iustus, nisi per Gratiam Dei, non per opera uirtutis.

Quid est autē, quod nō suffecit Apostolo dicere, A Deo patre nostro, nisi adderet, & Domino nostro Ihesu Christo? Hoc dicitur ad differentiam regni gratiæ, & regni gloriæ. Regnum gratiæ, est regnum fidei, in quo Christus, ut homo regnat, constitutus a Deo patre, super omnia, iuxta Psal. 8. In quo a Deo accepit dona in homines, ut Psal. 68. dicit. Et hoc, usque ad iudicium nouissimum. Tunc enim, ut 1. Corint. 15. Apostolus docet, tradet regnum Deo & Patri, & erit Deus omnia in omnibus, cum euacuauerit omnem principatum & potestatem. Hoc est regnum gloriæ, in quo Deus ipse per se, non amplius per humanitatem regnabit in fidem. Nō quod aliud & aliud sit regnum, sed aliter & aliter. Nunc in fide & enigmate, per humanitatem Christi, tunc in specie & reuelatione diuinæ naturæ. Inde Apostoli fere appellant Christum Dominum, Patrem uero Deum, cum sit idem Deus uterque, sed, ut dixi, propter regni differentiam, quod sumus nos, qui in fide purgamur, in specie autem salui erimus.

Duplex regnum. Regnum gratiæ, Regnum gloriæ.

Psal. 8. Psal. 68. 1. Cor. 15.

Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti seculo nequam, secundum uoluntatem Dei & Patris nostri, cui est gloria in secula seculorum, Amen.

Singula hæc, Epitasin & Emphasin quoque habent, quibus iam omnino asserit, legem & arbitrium humanū prorsus nihil esse, nisi Christus credatur traditus pro peccatis nostris. Qui dedit, inquit, tanquam immeritis donum gratuitum, non reddidit, tanquam dignis præmium. Sicut Rom. 5. Cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo, per mortem Filij sui. Dedit autem, non aurum, non argentum, sed neque hominem, neque omnes Angelos, imo, semetipsum, quo maius nihil est, neque habet. Dedit, inquam, tam inæstimabile precium, pro peccatis nostris, pro tam despecta odioque dignissima re. O dignatio & charitas Dei in nos, quam eximijs & obseruatis apte uerbis commendat, & dulcissimam nobis reddit, misericordiam Dei Patris.

Donum Dei.

Mira charitas Dei.

Vbi sunt nunc superbi iactatores liberi arbitrij? ubi eruditio moralis philosophiæ? ubi legum tam sacrarum quam prophanarum uirtus? si tanta sunt peccata nostra, ut non, nisi dato tanto precio, potuerint tolli,

In iactatores liberi arbitrii.

tolli, quid facimus, dum arbitrio, legibus, ac doctrinis, nos iustos facere conamur, nisi quod peccata nostra tegimus, falsa iusticiæ seu uirtutis specie, ac hypocritas incurabiles facimus? Quid prodest uirtus, si peccata manent? Desperandum itaq; est de ijs omnibus, & ubi non fides Christi docetur, omnem uirtutem non aliter habeamus, quam uelamen nequitiæ, & operculum omnis spurcitiæ, sicut Pharisæos Christus describit. Nihil ergo sunt gentium uirtutes, nisi fallaciæ, nisi ociose Christum pro peccatis nostris traditum contendas, ut quod nostris uiribus potuimus, tanto impendio frustra sibi uoluerit constare. *Virtus moralis sine fide Christi uelamen est nequitiæ.*

Verum, id pronomen, nostris, ne contemptim prætereas. Nihil enim tibi profuerit credere, Christum esse pro peccatis Sanctorum aliorum traditum, pro tuis autem dubitare. Nam hoc & impij & dæmones credunt. Verum, constanti fiducia præsumendum est tibi, quod & pro tuis ut unus sis illorum, pro quorum peccatis ipse traditus est. Hæc fides te iustificat: Christum in te habitare, uiuere & regnare faciet. Hæc est testimonium Spiritus, quod reddit spiritui nostro, quod simus filij Dei. Quare facile senties, si aduertas, hunc affectum ex tuis uiribus in te non esse. Impetrandus ergo per humilem, & in seipso desperatum, spiritum. *Pronomen nostris. Quomodo credendum.* *Rom. 8.*

Fabulæ ergo sunt, opinatorum Scholasticorum, hominem esse incertum, in statu salutis sit, nec ne. Caue tu, ne aliquando sis incertus, sed certus, quod in teipso perditus, laborandum autem, ut certus & solidus sis in fide Christi, pro peccatis tuis traditi. Quomodo potest fieri, ut hanc fidem, si sit in te, non sentias? cum B. Augustinus asserat, eam certissime uideri ab eo, qui habet. Nunc uide, Paulus non ait, pro peccatis uestris, sed nostris, certus enim erat. Ita & illud, Eriperet nos, non ait, uos. Quo iterum fulmine uerbi contundit præsumptionem, arbitrij, legis, & operum iusticiæ nostræ. Non (inquit) ista eripiunt nos, sed Christus traditus, si modo credas te eripi. Ista autem ereptio spiritualis est, non corporalis, hæc fit, quando anima moritur & crucifigitur mundo, id est, concupiscentijs, quæ sunt in carne omnium hominum. Quod ad Titum 2. latius explicans, dicit. Abnegantes impietatem & secularia desideria, sobrie, & iuste, & pie uiuamus in hoc seculo. In quo loco utrunq; expressit, scilicet uitam in hoc seculo (quod seculum non sit malum) & secularia desideria, quia in seculo isto abundant mala desideria. *In fabulis scholasticas.* *Ereptio spiritualis* *Tit. 2.*

Vnde & hic addit de præsenti seculo, nequam. Alioqui, si seculum nequam, ipsum cursum temporis uellet intelligi, iam de hac uita rapiendos doceret omnes, quotquot credunt in Christum. Sicut & 1. Corinth. 5. seipsum non id uoluisse explicans, dicit, alioqui debueratis de hoc mundo exisse, Q. d. non id uolui, ut deberetis e uita fugere, sed a uitijs & concupiscentijs, quæ sunt in mundo. Vt & 2. Pet. fugientes eam, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem. *1. Cor. 5.*

Tropum autem huius locutionis B. Hieron. pulchre & late explicat, dicens: Sicut infamantur saltus, cum latrocinijs pleni sunt. Detestamur & gladium, quo humanus effusus est cruor, & calicem, quo uenenum temperatum est, non calicis gladijq; peccato, sed quod odium mereantur illi, qui ijs male usi sunt. Ita seculum, quod est spacium temporum, non per semetipsum bonum aut malum est, sed per eos, qui in ipso sunt, aut bonum, aut malum appellatur. Idem B. Augustinus, Malum seculum intelligit, malos homines in seculo. Hæc tamen omnia sic accipe, ut & te partem huius mali agnoscas. Nam omnis homo mendax, & non est iustus *B. Hieronymus.* *B. Augustinus.* *Omnis homo mendax.*

iustus in terra. Psal. 14. ne superbia super cæteros nimium eleueris. Ideo quando Christus te eripit a seculo, neq; certe a te ipso, ut omnium tibi pessimo hoste, te eripit. Sicut PAVLVS Rom. 7. Non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Igitur non tuis uiribus, seculum nequam & uitia tua uinces, Frustra sunt opera, nisi Christus te eripiat solus. Quare caue, ne ieiunia, uigiliæ, studia, temperantia, sobrietas, aliæq; uirtutes, te hypocritam irreparabilem faciant.

Frustra sunt opera hominum nisi Christus adsit.

Psal. 14. *Rom. 7.*

Secundum uoluntatem suam, hoc est, quod nos eripimur, non currentis est uirtutis nostræ, sed miserentis uoluntatis Dei. Sicut ait Psal. 51. Benigne fac Domine, in bona uoluntate tua Sion. Et Luce 2. Et in terra pax hominibus bonæ uoluntatis, non suæ, sed Dei. Vt in græco EVDOCIA. Sicut enim uiri misericordiæ, & uasa misericordiæ dicuntur, quod non suo merito, sed Dei misericordia suscipiuntur: Ita homines bonæ uoluntatis, quod non suis uiribus, sed diuinæ uoluntatis beneplacito saluentur. Vt stet gloria soli Deo in secula seculorum Amen, ut hic Apostolus dixit. Nam si quid nos possumus, certe non hoc in gloriam Dei, sed in nostram referri debet. Sed absit, ut puluis, & is qui nihil est, laudem & gloriam habeat. Vide ergo, quanto impetu, sola salutatione, percutit Galatas & eorum Magistros, aptissimo exordio, pro huius epistolæ argumento.

Psal. 51. *Luce 2.*

Miror quod tam cito transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi.

D. Hieronymus.

D. Hiero. hyperbaton hic esse dicit. Et in hunc modum ordinat. Miror, quod tam cito transferimini a Christo Ihesu, qui uocauit uos in gatiam. Græcis, pro Christi habetur Dei, & potest tum in genitiuo, tum in ablatiuo, latine reddi, ut Erasm. indicat. Item, Quod non est aliud, intelligit, quod sit nihil aut nullum. Vbi, si meo liceret sensu diuinare, crederem, Apostolum uelle, non esse aliud Euangelium, quam quod prædicarat ipse, & mutata coniunctione, nisi, in sed, clarior fieret sensus, ut sit iste textus, me temerante: Miror, quod tam cito transferimini a Deo (qui uocauit uos, per gratiam) in aliud Euangelium, cum non sit aliud Euangelium. Sed sunt quidam, qui uos conturbant, & uolunt subuertere Euangelium Christi. Quod si cum hyperbato placet legere, nec inepte legetur, ab eo, qui uos uocauit per gratiam Dei, uel Deo.

Sententia Lutheri.

Vehemens est sententia Pauli, & tamen modestissima. Mirari se dicit, cum indignari & ardere penitus sese infra ostendat. Sed suauiter, non pro impetu concepto, inuadens. Vtiq; bono exemplo omnibus rectoribus Ecclesiasticis, præsertim in fulmina promptis, etiam pro re nihili, non errare, non peccare eos dicit, sed peiore malo, prorsus translatos extra Euangelium, alienatos a Deo esse. Nam mitius est, si arbor maneat, fractis aliquot ramis, aut alio incommodo læsa, quam si penitus transferatur euulsa, de loco suo in locum, ubi necesse sit eam arescere, & sterilescere. Adeo terribile est, iusticiam suam quærere, & in legis ac arbitrij opera, fidere. Nam hoc est Christum abnegare, gratiam & ueritatem abijcere & (ut infra docebit) seipsum in idolum statuere. De quo Iob 31. Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Osculari enim manum ore proprio (ut S. patres sapiunt) est sua

Vehemens sententia, sed modesta.

Idolum se facere. *Iob. 31.*

Osculari manū proprio ore.

est sua opera laudare, in sua iusticia fidere. Atq; hac iniquitate fit, ut non in Deo gloriemur, sed in nobis ipsis, & gloriam Deo subtrahamus. Quod uitium cultoribus Baal tribuitur. 3. Reg. 19. qui nō incuruauerunt (inquit) genua sua ante Baal, & omne os, quod non adorauit eum, osculans manum. Et Esa. 2. opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Contra, Psal. 2. dicitur, osculamini filium, ut est hebraice, pro apprehendite disciplinam, id est, in Christum pura fide credite, & hunc colite. Fides enim debetur ueritati, quæ nulla est, nisi solus Deus. Ideo fides est uerissima & interior latria.

3. Reg. 19. Esa. 2. Psal. 2.

Hinc illud intelligimus, quod ex B. August. duplex malum asseritur contra fidem, & contra bonos mores. Malum fidei, in optimis moribus facit hæreticos, superbos, schismaticos, quos Scriptura proprie impios Heb. reschaim uocat. Mali mores, peccatores faciunt salua fide, saltem aliorum, hoc est, non impugnant fidem, etsi eam sciunt se non habere & debere, ideo sunt facile curabiles. Malum autem fidei, mox etiam criminatur & persequitur fidem aliorum, ut suam statuat. Hoc uerbum, Conuertere, D. Hierony. notat, quia ex greco Metastrepse significat id, quod in facie est, post tergum facere, & quod post tergum est, in faciem ponere. Est enim infinitiuus futurus. Vult itaq; Paulus, Euangelium, quod est spiritus & gratiæ doctrina, conantur illi retrorsum in literam, iam diu post tergum relictam, reuocatum iri, cum per Euangelium id effectum sit, ut in spiritum libertatis, magis ac magis proficeretur. Volunt, inquam, sed non poterunt præualere.

Malum fidei. Mali mores. Malum fidei. Conuertere. Subuersum Euangelium.

Et hodie sane Euangelium subuersum est, in magna parte Ecclesiæ. Quando non, nisi decreta Pontificum, & traditiones hominum auersantium ueritatem, populos erudiunt. Aut Euangelium sic tractatur, ut a legibus & moralibus præceptis, prorsus nihil distet. Fidei & gratiæ cognitio ipsis quoq; Theologis contempta. Putat & D. Hiero. uerbum Transferimini, congrue ad Galatas aptatum, quod Galatia hebræis translationem significet, quasi Apostolus ex eorum proprio nomine, occasionem huius exordij sumpserit, ac si diceret. Vere Galatæ estis, & transferri prompti, res congruit cum nomine uestro, allusione, scilicet hebraicæ linguæ. Nec sunt iniucundæ eiusmodi peregrinarum linguarum allusiones, si suo loco ueniant. Vt si de Roma diceres, uere tu Roma es, hebraice, quod est, superba & excelsa. Quid enim, & ad Romanos Apostolus aliud facit, quam quod superbiam & arrogantiam eorum contundit? uelut re ipsa, allusionem nominis Romani tractans.

Allusiones linguarum iucundæ.

Sed licet nos, aut Angelus de cœlo Euangeliset uobis, præterquam quod Euangelisauimus uobis, anathema sit, sicut prædiximus, & nunc iterum dico. Si quis uobis Euangelisauerit, præterquam quod accepistis, anathema sit.

ANathema græcum, teste Hier. proprie Iudæorum uerbum est, quod apud eos, horma dicitur. Iosue 6. Sitq; hæc ciuitas anathema, & omnia quæ in eo sunt. Heb. Herem, & sonat uastitatē, perditionē, occisionem. Inde, cum sit uerbum maledictionis, pro maledictione & execratione & detestatione accipitur. Sic Psal. 41. Memor ero tui de terra Iordanis, & Her-

Anathema. Psal. 41.

& Hermoniim a monte modico. Vbi anima turbata peccatis suis, memoria Christi pro se crucifixi, & anathema facti, sese consolatur. Nam & ros Hermon, qui Psal. 133. scribitur, descendere in montem Zion, utiq; uerbum est, de crucifixo filio Dei. Latini autem dicerent, Anathema tisatus, uel si de uerbo, anathematisatum sit. Hebræis frequens est usus abstractorum. An autem anathema græcum (quod ea significat, quæ in templis suspenduntur & seponuntur) uim Hebræi uerbi impleat, uiderint Grammatici. Nobis sat est, quod Apostolus zelo Euangelij feruens, potius seipsum, & Angelos cœlestes, nedum Apostolos, uellet alienos, deuotos, execratos, separatos, & maledictos, quam ut ueritas Euangelica periclitaretur. Psal. 133.

Atq; id repetito ingeminat. Non quod Angelos cælestes, aut seipsum, aut Apostolos aliud prædicaturos crederet, sed quod uelut cum impetu opprimi, & (ut ad Titum scribit) os illis obstrui, & penitus ac radicitus præcidi, oportebat, qui nomine & exemplo Apostolorum, legem docebant, ac si diceret, Apostolorum iactatis mihi nomen & autoritatem, fingite amplius, quod & ego & Angeli de cœlo aliud doceant, aut docere possint, hos etiam anathema esse uolo, quanto minus Apostolorum titulo uos terreri oportet. Vtinam & nostro seculo tales essent Christi tubæ, aduersus inexorabiles & uiolentos decretorum & decretalium pontificalium exactores, qui sub nomine Apostolorum Petri & Pauli, Romanæq; Ecclesiæ, eo nos urgent, ut, nisi necessaria ad salutem credamus, quæcunq; ibi dicuntur, scribuntur, aliquando & somniantur, hæreticos audeant impudentissima fronte pronunciare. Cum hæreticus non sit, nisi qui in uerbum fidei peccat. Illa autem hominum uerba, adeo sunt moralia, & sine fide, ut fidei nullo posset beneficio magis seruiri, quam si semel funditus, penitusq; abrogarentur. Quid putas fecisset Paulus, si nostro tempore, tot inutiles, imo perniciosas leges hominum uidisset, in totum orbem sæuire, & Christum radicitus extinguere, qui tanto æstu fertur in leges Dei per Mosen traditas, & uno tantum loco apud Galatas Christum pessundantes? Igitur cum Paulo fidentes dicamus, pereat, maledictaq; sit omnis doctrina, de cœlo, de terra, undelibet allata, quæ docet in opera, in iusticiam, in merita alia confidere, quam ea quæ sunt Ihesu Christi. Nec in hoc contumaces sumus in pontifices Apostolorumq; successores, sed pij atque ueraces in Christum. Hunc enim eis præferri oportet, & si id pati nolint, ipsos penitus, ut anathemata, fugere.

Contra inexorabiles & uioletos pōtificalium decretorum exactores.

Hereticus.

☞ *Maledicta sit omnis doctrina, quæ in alios docet confidere, quam quæ sunt Ihesu Christi.*

Modo enim hominibus suadeo, an Deo?

HVius quæstionis partem priorem affirmant, & posteriorem negatiuā intelligunt, qui latine tantum Apostolum, uel interpretem potius legunt, ut, quia nemo suadeat Deo, cui sunt omnia manifesta, reliquum iam sit, ut hominibus suadeat. Est autem suadere hoc loco, pro inducere ad credulitatem, ut Act. ult. Suadensq; eis de Ihesu ex lege Mosi, & Prophetis, quod nemo ad fidem possit ui compelli, sed tantummodo trahi & induci, ut Iohan. 6. Nemo uenit ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Nostro tamen seculo Turcas, imo & Christianos cogit Rom. Curia ad fidem, id est, ad odium & perniciem sui. Quanquam autem hunc sensum & Hiero. & August. & Amb. habeant, placet tamē magis Erasmi sententia, qui id quod in græco accusandi casu, homines suadeo, an Deum? interpretatur, modo humana suadeo, an diuina? hoc est, doctrina, quam ego doceo, non ex hominibus, sed ex Deo est, ut latius statim ipse explicabit, quando Euangeliū suum, neq; secundū hominem, nec ex homine esse, dicet. Est autē iste tropus, nō rarus etiā in latina lingua. Virg. lego, Hiero. enarro.

Suadere hoc loco. *Act. ult.* *Iohan. 6.*

In nostrum seculū.

Et 1.

1. Cor. 1. Et 1. Cor. 1. Nos prædicamus Christum Dei uirtutem &c. Metonymia itaque est. Ad hunc sensum apte quadrant præcedentia, ac si dicat: Cur non optem anathema esse eos, qui alia docent? Nunquid humana ac non potius diuina doceo, quibus omnia cœlestia & terrestria merito sileant & cedant? ac maledictione dignum est, quod diuinis aduersatur. *Tropus metonymia.*

Potest autem & nostra translatio huc duci, si uerbum, suadeo absolutum sit a regimine, ut quomodo Rom. 14. Qui manducat, Domino manducat, ita hic sit sensus, quod suadeo seu suasor sum, non hoc hominibus, aut ad gloriam uel gratiam hominum facio, sed Deo & in Dei gloriam, hoc officio seruio. Et huic sensui, non inepte adhæret, quod sequitur: Si adhuc hominibus placerem &c. quasi neget, se hominibus placuisse suadendo, sed soli Deo. *Alius sensus.* Rom. 4.

Et hoc aduerbium MODO, totum Apostolatus sui tempus, non autem huius Epistolæ scriptæ, significat. Quia reuera in hac Epistola, non ex integro, gratiam Christi docet, sed ad eam reuocat lapsos, & iam scientes confirmat. Vnde & allegoricos infra loquetur, quod ad instituendos non pertinet, quibus linguæ sunt in signum, ut 1. Corin. 14. dicit. Vt sit sensus: Maledicti sint, qui aliud docent, quia postquã conuersus sum a legum traditionibus, iam non amplius humana doceo, sed diuina. Et diligenter quæso serua tibi, quod humana appellare audet, legem Mosi, quæ tamen per Angelos tradita est, de quo infra latius. *MODO.* 1. Cor. 14.

An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

HOc ideo dicit. Quia Pseudoapostoli etiam hac ratione docebant legales iusticias, ne propter Euangelium, paterentur persecutiones a Iudeis, qui pro lege Mosi, aduersus uerbum crucis, insaniebant in omnes homines, ut 1. Thessal. 2. scribit, quod & infra 6. c. dicit. Quicunque uolunt placere in carne, hi cogunt uos circumcidi, tantum, ut crucis Christi persecutionem non patiantur. Ideo Paulus, contra hanc pusillanimitatem spiritus erectus, docet amore Christi, contemnendos esse homines, & non omittendum uerbum, quo illis placeatur. Hominibus hoc loco per Emphasin accipitur, ut qui tantum sunt homines iuxta primam natiuitatem ex Adam, extra Christum & fidem eius. Hos enim, cum sint a ueritate alieni, necesse est mendacio, & odio ueritatis plenos esse. Ita omnis homo mendax. Sic 1. Corin. 3. Nonne homines estis? Et usu Scripturę ferme opprobrium est, hominem dici. *Homo.* 1. Cor. 3.

Non enim secundum substantiam, metaphysice (sic enim Theologi nihil non laudis in homine uident) sed Theologice, & ut in oculis Dei est, cum nominat. Contra, iusti non uocantur fere homines, sed Dij. Psal. 81. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Vos autem sicut homines moriemini. Ideo, ut Psal. 53. uere dicit: Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Quare? quia Deum & uerbum suum negant amore hominum, dum persecutionem timent. Ita contra, Custodit Dominus omnia ossa eorum. Quorum? iustorum. Qui sunt ij? qui hominibus displicent? honorati sunt, quoniam Deus susceptor eorum est. Et Luc. 16. Quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum. Cum autem nos quoq; simus homines, necesse est & nobis displiceamus, iuxta uerbum Christi. Qui amat animam suam, perdet eam. Psal. 82. Psal. 53. *Hominibus placentes Deus dissipat.* Luce 16.

Videant ergo illi, qui ex arbore Porphyriana, & Aristotelis aliorumq; Philoso- *In philosophicos Theologistas.*

Philosophorum doctrinis didicerunt, hominem rationalem laudare, iactare, ac amare: Deinde in sua dictamina confidere, sua consilia iustificare: quam recte ad Scripturæ ueritatem sapiant. Quæ omnia humana, mendacio, uanitati, & perditioni deputat. Ideoq; lugendum docet, quoties nos homines, rationales, liberi arbitrij, omnium deniq; operum nostrorum titulis laudari contingit: Quando seruum Christi, id est, ueritatis esse non posse pronunciet Paulus, qui sibi uel hominibus placeat.

Placere.

Verbum autem PLACERE, hic in Spiritu intelligitur, hoc est, pro uoluntate placendi. Quandoquidem non in nobis est, quibus placeamus uel displiceamus, quod satis ipsemet Apostolus hic explicat, cum prius dixisset, An quæro placere. Mox non ait. Si adhuc quærerem placere, sed, si adhuc placerem. Ita & 1. Corin. 3. Placete omnibus per omnia, sicut & *1. Cor. 3.* ego omnibus per omnia placeo. Quomodo omnibus places? sequitur, Nō quærens quod mihi utile sit, sed quod multis. Ecce placere est quærere, ut placeat omnibus, etiam si forte nulli aut paucissimis placeat. Canonicum est enim Christo & suis, ut dum quærunt placere, & ea faciunt, unde debeant placere, displiceant. Iuxta illud, pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi. Et rursum: Odio habuerunt me gratis. Item, impugnabant me gratis, id est, cum esset in me causa amoris. Ideo Exemplo Christi perdenda sunt beneficia, ut quæramus, quo placeamus omnibus, nullo modo quæramus, quo placeamus. Sed, ut Rom. 15. Vnusquisq; alteri placeat, in bonum (inquit) ad ædificationem. Vtiq; non ad eorum desideria & uanitates &c.

Perdenda beneficia

Notum enim uobis facio fratres Euangelium, quod Euangelisatum est a me, quia non est secundum hominem, neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationem Ihesu Christi.

HIc ostendit quod iuste illos anathematizauerit, longo tractu, multisq; argumentis declarans, quod non humana, sed diuina docuerit. Primum (inquit) ut Euangelium meum diuinum esse sciatis, ego non ab homine accepi, neq; ipsemet didici, sed per reuelationem Ihesu Christi. Hic inter ACCIPERE ET DISCERE B. Hieronymus sic distinguit. Quod accipit, cui primum intimatur, & ad fidem eius inducitur. Discit autem, qui ea, quæ in illo figurata sunt, explanata cognoscit. Hoc sic intelligo. Accipit qui incipit, Discit, qui proficit in Euangelij noticia. Quid si Apostolus id uelit, quod uerbum, accepi, copuletur cum nomine isto, ab homine, & uerbum didici, absolute ponatur, ad hunc scilicet sensum. Neq; ab homine, aut ullius magisterio, illud accepi, neq; mihi traditum est a quoquam, sed neq; a meipso didici, non meo studio inueni, nec quæsiui, a Deo sola reuelatione Christi ipsum accepi, & ipso docente, didici, scilicet in itinere, quando ad Damascum profectus, Christi uocem audiuit, ut B. Hieronymus sentit.

Accipere & discere discernuntur.

Notat hic idem D. Hierony. Christum a Paulo Deum prædicari, quia non ab homine, sed per Christum, ergo Christus plusquam homo. Item, saluberrime admonet, quam grande sit periculum in Ecclesia, loqui sine reuelatione Christi, Ne peruersa interpretatione, ex Euangelio Christi, Euangelium hominis fiat, ut nunc passim fit, ubi Scripturas, uel humanis

Salubris Hiero. admonitio, de modo tractandi Euangelii.

humanis opinionibus acceptis, uel proprio magisterio inuentis glossis contaminant. Hominem autem hoc loco, non tantum pro malis, sed & pro ipsis Apostolis accipit, ut statim dicet, se non ab eis eruditum, neq; cum eis contulisse, mox post reuelationem. Quod ideo facit, ut corroboret quę supra dixit: scilicet, etiamsi Apostoli, aut ipsemet aliud doceret (cum sint homines) non tamem deserendum esse, quod semel docuisset, quando hoc, nec ex Apostolis, nec ex seipso habuisset. Ideo anathema habendum, quicquid Pseudoapostoli, uel Apostolorum, uel etiam Pauli nomine aliter docerent. Non enim posse eos, nisi ex homine acceptum Euangelium, uel potius errorem habere, se autem ex Christo ueritatem. *Homo.*

Euangelium & Lex proprie in hoc differunt, quod Lex prædicat facienda & omittenda, imo, iam commissa & omissa, ac impossibilia fieri & omitti, ideo solam peccati ministrat cognitionem. Euangelium autem, remissa peccata, & omnia impleta, factaq;. Lex enim dicit. Redde, quod debes. Euangelium autem, dimittuntur tibi peccata tua. Sic Rom. 3. per Legem cognitio peccati. Et 4. Lex iram operatur. Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. At de Euangelio dicit Lucæ ulti. Sic oportuit Christum pati, & a mortuis resurgere, & prædicari in nomine eius (nota insigniter, in nomine eius, non nostro) pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes gentes. Ecce predicatio remissionis peccatorum, per nomen Christi, hoc est, Euangelium. Et Rom. 10. Quam speciosi pedes Euangelisantium pacem, annunciantium bona, id est, remissionem peccatorum, & gratiam, Legis plenitudinem, per Christum. Inde iustificatus per gratiam, a Lege ad Euangelium fugiens, dicit. Dimitte nobis debita nostra. *Euangeliũ & Lex differunt.* *Rom. 3. & 4.* *Lucæ 24.* *Rom. 10.*

Sed cur Christus in Euangelio multa præcipit & docet, si hoc Legis officium est? Item & Apostoli multa præcipiunt, cum tamen sint Euangelici prædicatores. Respondeo. Doctrinæ eiusmodi, quæ ultra fidem traduntur (nam credentibus annunciatur salus, & remissio peccatorum in Euangelio, ut Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine eius, quotquot eũ receperunt) sunt uel interpretationes Legis, quibus peccatum clarius cognosceretur, ut gratia tanto ardentius quæreretur, quanto peccatum certius sentiretur. Vel sunt remedia & obseruationes, quibus gratia iam accepta, & fides donata, custodiretur, aleretur, perficereturq;, sicut fit, dum ægrotus incipit curari. *Cur Christus in Euangelio multa præcipit, item Apostoli.* *Iohan. 1.*

Igitur uox Euangelij, dulcis est, ut spõsa in Canticis. Sonat uox tua in auribus meis, uox enim tua dulcis. Et iterũ. Meliora sunt ubera tua uino, fragrantia ungẽtis optimis, id est, uerba Christi, quibus pascit fideles suos, sunt meliora uerbis legis, quia spirant ungentum gratiæ, quo remissis peccatis, sanantur naturę uulnera. Ita Psal. 45. Diffusa est gratia in labijs tuis, nõ scientia, nõ cognitio, quæ & in Mosi labijs diffusæ sunt, sed gratia, id est, gratiosa & iucunda sunt uerba tua peccatoribus perditis, quia remissionem & gratiam nunciant. Hoc est, quod Psal. 51 quoq; orat. Docebo (inquit) iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Ac si diceret. Obsecro, non doceam uias hominum, & doctrinas iusticiæ nostræ, quoniam ijs non ad te conuertentur, sed longius auertentur, labia mea quæso aperias tu, ut os meum, tuam potius annunciet laudem, id est, gratiam, qua peccata remittis. Ex hoc enim fiet, ut homo te laudet, glorificet, diligat, dum senserit beneficium misericordiæ tuæ, & non seipsum laudarit in iusticia sua. Qui enim iusti sunt, non docentur, non ad te conuertuntur, non te laudant, sed seipsos, sani sunt, medico non egent. Ideo, nec annunciari po- *Psal. 45.* *Gratia.* *Psal. 51.*

test eis laus gratiæ tuæ, de quibus mox ibidem. Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea iusticiam tuam. Non nostram hominum iusticiam, sed gratiam tuam, qua iusticiam nobis tribuis, per quam & Deus salutis nostæ tu es.

Quod Euangelium Paulus prædicauit?

Quæsitum est autem, quod nam Euangelium Paulus prædicarit, an Lucæ, Matthæi, aut alterius. Et B. Hiero. ex Eusebio uel Origene, alicubi Lucæ Euangelium, Pauli putat. Quasi non plura sint Euangelia, quam ista quatuor usitata, cum quilibet Apostolus, idem quod omnes prædicarit. Euangelium enim est sermo bonus, nuncius pacis, de filio Dei incarnato, passo, resuscitato per Spiritum sanctum, in salutem nostram, ut Rom. 1. describitur, & ut Zacha. Lucæ 1. dicit. Visitauit & fecit redemptionem plebi suæ. Et infra, ad dandam scientiam salutis, in remissionem peccatorum, per uiscera misericordiæ Dei nostri. Igitur, Quandocunque prædicatur gratia Dei, & remissio peccatorum, per Ihesum Christum facta, hic uere Euangelium prædicatur. Proinde, Epistolæ Pauli, Petri, Iohannis, omnino sunt, & uere Euangelia. Nec Paulus, Lucę, aut ullius Euangelium prædicauit, sicut hic expresse dicit, Euangelium a se prædicatum, nec ab homine, nec per hominem, sed a solo Ihesu Christo sibi reuelatum, sicut & infra. Reuelaret Filium suum in me, ut Euangelisarem illum in gentibus. Ecce Euangelium est doctrina de filio Dei Ihesu Christo.

Euangelium.

Rom. 1. *Lucæ. 2.*

Audistis enim conuersationem meam, aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo, supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens, paternarum mearum traditionum.

Dissentit ab Hiero.

HAEc pro consequentia sententiæ, oportet intelligi dicta ab Apostolo ad confirmandum id, quod iam cœpit, id est, Euangelium suum non ex homine esse, sed se diuina suadere, etsi scio D. Hiero. alio respicere, & ordinem sententiæ relinquere. Igitur uult Apostolus dicere, ut plenissime sciatis, me, nec a Maioribus meis, nec ab Apostolis, aut ullis hominibus eruditum, sed a solo Deo, ut sic diuina uos audisse certi sitis, & non trasferamini ad humana, ullis aut meo, aut Apostolorum nominibus, Ecce denuo uobis recenseo, & suggero historiam meam. Audistis enim &c. Mira autem (ut B. Hierony. ait) & pulchra obseruatio, pondusque uerborum. Conuersationem (inquit) non gratiam, aliquando non modo in Iudaismo, non in fide Christi, non ut cæteri persecutores, sed sicut grassator & prædo uastabat Ecclesiam Dei, non quod eam talem tunc crederet, sed talem nunc cognitam nominat. Et iterum, proficiebam in Iudaismo, non in fide Christianismi, super multos, non super omnes (ut modestiam seruet) super coætaneos meos, non super senes, in genere meo, non in gentibus. Sic enim gentem hebræam solet nominare, ut 2. Corint. 11. periculis ex genere, periculis ex gentibus. *2. Cor. 11.*

Pulchra obseruatio pondusque uerborũ.

Consilium Pauli

Non tamen negarim, quin simul & obiter, dum ex historia sua probat se diuina docuisse, uelit & exemplo suo Galatas retrahere a lege, ut inter audiendum, simul moneantur, moueanturque. Si talis ac tantus legis æmulator, qui multo potest amplius de lege gloriari, & in carne commendari, quam

2. Cor. 11. dari, quam illi Pseudoapostoli (sicut facit 2. Corin. 11. & Colloss. 3.) & tamen hæc uelut stercora arbitratus reliquit, quanto magis nos, qui in
Colos. 3. gratia sumus, ad legem non debemus reuerti? Hoc notandum, quod paternas traditiones Hiero. intelligit, pharisaicas doctrinas, & mandata hominum: Sed mea temeritate credo, quod totam legem Mosi intelligat, quod non aliunde, quam ex ipsomet Apostolo docebor, qui Philip.
Philip. 3. 3. dicit. Si quis uidetur confidere in carne, Ego magis, circumcisus octauo die ex genere Israel, de tribu BenIamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus, secundum æmulationem persequens Ecclesiam Dei, secundum iusticiam, quæ est in lege, conuersatus sine querela, sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc propter Christum arbitratus sum detrimenta. (Ecce circumcisionem quoque, & iusticiam legis sine querela, propter Christum, detrimenta arbitratur) Et ut inueniar in illo, non habens meam iusticiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Ihesu Christi.

Quare traditiones paternas, legem uocat? quod in illa sit ab hominibus, patribus, ac maioribus suis eruditus, tum, quod patres sui illas a Mose acceperint, & filijs suis tradiderint, iuxta edictum Psal. 78. Quan-
Psal. 78. ta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis. Omnia enim Apostolus contentiose aptat, & opponit Pseudoapostolis, ut suum Euangelium, a Deo esse statuat, ac sic Galatas firmiter in ipso stare cogat. Ideo & paternas traditiones, quadam uelut tapinosi, opponit Euangelio, quod diuinas traditiones uult haberi.

Sed, ne cuiquam scrupulum inijciam, hanc rem paulo tractemus latius, quo simul & sequenter dicendis, uiam paremus. Lex, non modo ceremonialis, uerum & moralis, denique ipse sacratissimus decalogus æternorum præceptorum Dei, litera est & literalis traditio, neque uiuificans, neque iustificans, ut abunde probat B. Augustinus, de Spiritu & litera, Sed occidens, & peccatum faciens abundare. Quantumcunque enim doceatur, aut obseruetur, non per hoc, cor ipsum purificatur. Corde autem non purificato, quid sunt opera bona, siue ceremonialia, siue moralia, nisi species ipsa pietatis & hypocrisis? Sicut Christus Pharisæos foris speciosos, intus plenos spurcitia dicit. Quo fit, ut, licet non faciat furtum, non adulteretur, extra in opere, tamen, uel intus in eadem pronus est, uel amore commodi sui, uel timore pœnæ abstinet, ac sic alio peccato, aliud uincit, ut B. August. dicit de nuptijs & concupis. Nam amor commodi, & timor pœnæ, uitia sunt, & quoddam genus idolatriæ, cum soli Deo amor & timor debeatur. Ab hac igitur impuritate cordis, nihil, nisi fides liberat, ut
Actor. 15. Act. 15. Fide purificans corda eorum, ut sic stet uerbum Pauli. Tit. 1. O-
Tit. 1. mnia munda mundis, immundis uero & incredulis, nihil mundum. Ea-
Rom. 2. dem regula Rom. 2. dicit. Qui doces non furandum, furaris &c. interprete B. August. furaris, scilicet non opere, quod doces non faciendum, sed rea uoluntate.

Lex litera est.

Sola fides ab impuritate cordis liberat.

Quare, nisi doctrina fidei, qua cor purificatur & iustificatur, reueletur, omnis omnium præceptorum eruditio, literalis & paterna traditio est. Præceptum enim docet, quæ sint facienda. Quæ cum fuerint impossibilia, doctrina fidei (id est Euangelium) docet, quo modo fiant possibilia. Hæc enim docet ad gratiam Dei confugere, & implorare ipsummet Deũ, Magistrum & Doctorem. Qui digito sui spiritus scribat in corda nostra, suas literas, uiuas, & lucentes, & ardentes. Quibus illuminati & accensi clamemus, Abba pater. Et hæc non est paterna, sed diuina eruditio.

Aduerte autem lector. Si Apostolus tam speciosam Iudaismi sui conuersationem & iusticiam legis damnat, adeo, ut stercora & detrimenta arbitretur, quid prætendent isti naturæ prædicatores, & moralium operum laudatores? Si malus erat iste Apostoli profectus, omni nimirum dictamine rationis, sed & ipsa lege Dei probatus, quando & finis (ut uocant) suæ uitæ erat æmulatio Dei, & legis eius. Quid erunt actus illorum, qui, uel alio fine, uel simili fine iactantur? Nempe id quod Hiere. de eiusmodi Prophetis dixit. Viderunt tibi uisiones stultas & eiectiones, nec aperuerunt tibi peccata tua, ut te ad pœnitentiam prouocarent. Itaq; timorem Dei ab hominibus tollunt, securitatemq; docent, dum moralia sua bona, & dictante ratione opera, non esse peccata, garriunt. Philip. 3.

In naturæ prædicatores, & moralium operum laudatores.

Cum autem placuit ei (qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam) vt reuelaret filium suum in me, ut euangelisarem illum in gentibus.

Aliud est legem, aliud filium Dei, cognouisse.

Aliud ergo est legem nosse, & in iusticia eius excelluisse, & aliud filium Dei cognouisse. Hoc enim salutem, illud perditionem operatur. Et uide, quam gratus & syncerus confessor sit gratiæ diuinæ. Non (inquit) reuelatus est mihi filius Dei, quia sic profeceram in iusticia paternæ legis, non meo merito, sed quia placuit Deo ita fieri, cum ego longe meruissem contraria. Quod autem placuerit ei sine meritis meis, id conuincit, quod me in hanc sortem, antequam natus essem, segregarit, & in utero matris meæ, me talem præpararit. Deinde & per gratiam uocarit, ut his omnibus intelligatis, quod fides & cognitio Christi, non ex lege mihi uenerit, sed ex prædestinante & uocante gratia Dei. Quare nec uobis ex lege salus esse poterit.

Non potest esse salus ex lege.

Alij uerbum, segregauit, eo referunt, quod Act. 13. dicitur. Segregate mihi Paulum & Barnabam in opus &c. uerum coacte, cum uterum matris tum cogantur intelligere allegoricos, synagogam. Prætereo, quæ D. Hieron. hic tractat satis scrupulose & scopulose. Mihi omnino uidetur de prædestinatione sui loqui, sed breuiter & obscure, pro captu Galatarum. Sat habens, quod Ihesum Christum filium Dei simpliciter asseruerit, non ex se, nec alijs, sed ex reuelante patre sibi cognitum, & a sese doctum & euangelisatum, ut sic diuina sese didicisse ex Paulo scirent. Iam sequitur, & simplici narrationi Historiam addit, demonstraturus, non ex hominibus eruditum, aut humana docuisse. Act. 13.

Continuo non acquieui carni & sanguini.

Mire hic torquetur & torquet D. Hiero. Primum, ne Apostolos carnem & sanguinem dici, & Porphyrio blasphemanti Paulinam fiduciam, cedere cogatur, per carnem & sanguinem, Iudæos & peccatores intelligit, præsertim, cum postea sese contulisse cum Apostolis Euangelium suum profiteatur, quod hic negat. (Nam idem uerbum, quod hic, Acquieui, infra translatum est, Contuli) Sed mittamus ista, uideat qui uolet. Ego interim sic abundo, quod Paulus ostensurus, se ex Deo reuelante docuisse Galatas, non prius contulerit suam reuelationem cum ullo hominum, sed continuo, accepta reuelatione, Christum prædicarit. Quemadmodum Act. 9. scribitur. Fuit autem cum Discipulis, qui erant

Sententia Lutheri.

erant Damasci, per dies aliquot, & continuo ingressus synagogam, prædicabat Ihesum. Continuo scilicet, non prius conferens cum eis. Vnde & hic eclipsis in Paulo uidetur, ut integer contextus sic habeatur. Continuo prædicaui seu euangelisaui filium Dei, non contuli prius cum hominibus. Vt aduerbium, continuo, prorsus neget, sese ex hominibus eruditum esse, sed potius contra, homines continuo ex sese eruditos in Christo. Nam, ut dixi, contentiose Apostolus agit, ut sese diuina docuisse probet. Hoc enim uelut capitali argumento probato, iam pronum erit, omnia destruere, quæ contra se tradita erant Galatis.

Conferre.

Est autem, teste Hiero. CONFERRE, quod hoc loco acquieui dicitur, aliud quiddam, quam apud nos intelligitur, cum scilicet ea quæ nouimus, conferimus cum amico, ac uelut in sinum & conscientiam eius reponimus, ut pari consilio, uel probanda sint, uel improbanda. Et quanquam interpres, id uerbi non reddiderit, non tamen penitus aberrauit a sensu. Qui enim hoc modo confert cum amicis, certe iam animo acquiescit, & docilem sese præbet illis. At Paulus, nec uoluit doceri, nec animum unquam habuit disputandi, recta ne essent an minus, quæ ex Deo audierat, & iustissime. Impium enim fuerat, diuinam reuelationem, ac si dubitaret, hominum consilio stabilire.

Impium est diuina, humano cõsilio stabilire.

Nihil ergo facit Porphyrius criminator Pauli, superbiam in eo taxans, Non enim pro superbia, sed pro gloria diuinæ autoritatis & certissimæ ueritatis, noluit conferre, sed nec potuit, citra iniuriam autoritatis diuinæ. Quanquam & in hoc errat, quod Paulum putat hic de Apostolis loqui, cum de ijs loquatur, qui in Damasco erant, quicunque tandem illi fuerunt. Nam de Apostolis statim dicit. Nec ueni ad antecessores meos Apostolos. Alij ergo sunt, quos carnem & sanguinem uocat. Et, ut mihi uidetur, alludit more suo & hebræorum, ad nomen Damascus, quod iuxta etymologiam, sanguinem & saccum significat, & non raro in scripturis, mysterium gerit carnis & sanguinis, Q. d. Non contuli cum ijs, qui Damasci erant, qui caro sunt & sanguis.

Paulus alludit more suo ad nomen Damascus.

Veruntamen, hoc ipsum non negarim, de sanctis dici. Nec Apostolos ipsos dubitem carnem & sanguinem appellare, etiam autoritate Christi, qui ad Petrum dixit. Caro & sanguis non reuelauit tibi, id est, nec ex teipso, nec ex alijs id habes. Et alibi. Non enim uos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris uestri, in quo manifeste significat, eos esse aliud a Spiritu, & Spiritus reuelatione, nimirum, in seipsis uere carnem & sanguinem. Placet ergo tempestiua hæc Tapinosis, qua in odium Pseudoapostolorum etiam sanctos Dei, carnem & sanguinem appellat, præ maiestate diuinæ reuelationis. Quia, si ceperint hominum quantumlibet sanctorum, uel uerba, uel exempla aduersus diuina iactari, tempus est, ut quicquid non fuerit diuinum, cum fiducia carnem & sanguinem, imo nihil ducamus.

Matt. 17.

Tapinosis.

Neque ueni Hierusalem ad antecessores meos Apostolos.

NOn solum Damascenos non consului, sed nec Apostolos, qui ante me fuerant in Apostolatu (id enim significat antecessores meos) quod tamen oportuerat fieri, si per hominem, uel ab homine doceri uoluissem. Satis mihi fuit, certa & infallibilis reuelatio patris. Nota necessariam Pauli superbiam, uel rectius æquitatem. Cæteros Apostolos, priores se fuisse confitetur, nec sese maiorem, nec tamen rursus minorem. Quanquam enim iuxta personam omnibus sese inferiorem, & nimium

Necessaria Pauli superbia.

Apostolorum pronunciet, imo nec dignum uocari Apostolum, tamen officium & ministerium ita honorificat (hoc enim Dei, non suum est) ut nulli prorsus Apostolorum cedat. Nam quæcunq; sit persona Apostolorum, officium certe idem & æquale est omnium, eundem Christum docent, eandem potestatem habent, ab eodem æqualiter missi sunt. Et tamen dicit 2. Corin. 11. Existimo me nihil minus fecisse a magnis Apostolis. Et 12. Nihil enim minus feci ab ijs, qui supra modum sunt Apostoli. Ecce mire præfert eos, & æquat se eisdem dignitate humiliter cedens, officio & potestate fidenter se conferens.

Idem & æquale est officium Apostolorum.

2. Cor. 11 & 12.

Sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascum.

LVcas Act. 9. non meminit huius in Arabiam secessus, sed omnino Paulum per murum submissum, uenisse Hierosolymam scribit. Inde D. Hiero. uarias rationes exquirit, ex quibus secundam sequor, quæ est fuisse Paulum post baptismum aliquot diebus Damasci, ut Lucas scribit, in quibus Christum prædicarit in Synagoga. Deinde (quod Lucas tacuit) abijsse in Arabiam, & redijsse Damascum, ut hic dicit, tum ea quæ prosequitur Lucas, scilicet propter insidias, missum per murum in sporta, ac uenisse in Hierusalem. Laborat itaq; D. Hiero. Cur Paulus hæc recitet, quæ Lucas tacuit. Mea temeritate puto, sicut omnia, ita & hoc referat, ad ostendendum, quod non uenerit ad Apostolos, nec ab eis didicerit, quin potius fretus diuina reuelatione, prius in Arabiam docturus abierit, deinde & reuersus Damascum, eadem docuerit, uidelicet, adeo certus de reuelatione Christi sibi facta. Neq; enim ea doceret, diuersis etiam locis, si talia æstimaret, quæ cum Apostolis uel hominibus conferenda essent. Quod autem D. Hiero. eum in Arabia frustra putat fuisse, & mysteria quædam sectatur, permittendum est tanto uiro.

Opinio Lutheri.

Deinde, post annos tres, ueni Hierosolymam uidere Petrum, & mansi apud eum, quindecim diebus.

OBserua, quam diligenter addat, post tres annos, & non audire, sed uidere Petrum. Quod enim annos tres Damasci se docuisse insinuat (scilicet donec per murum coactus est abire) id certe contendit, se non factum a Petro, sed iam diu Euangelistam fuisse, quando uenit ad Petrum. Vt obstruat os Pseudoapostolorum, qui forte hoc argumento, Paulum a Petro doctum asseruerant, per cuius exemplum, Galatas ad legem seruandam solicitarant. Verum D. Hiero. hoc loco geminam intelligentiam se professus sequi, & eam, qua asseritur Paulus a Petro doctus, & eam, qua negatur.

In Epistola tamen ad Paulinum, omnino declinat in sententiam priorem, uolens doctorem gentium (ut suis utar uerbis) mysterio Ogdoadis & Hebdoadis instructum. Quod ideo commemoro, ut prudens lector, ita Hieronymum intelligat, ne contra Apostolum Paulum sapiat, qui hæc omnia eo spiritu detonat, ut conuincat fortissimis argumentis, se nihil ab Apostolis didicisse, sed a solo Deo (ut iam satis dictum) omnia accepisse. Quod autem D. Hiero. in mysterio quindecim dierum, libenter & sæpius ludit, non contemnendum est, sed hoc loco, non mysterij tantum delectatione, sed rei & historiæ necessitate quoque positos esse a

Hiero. in Epistola ad Paulinum.

esse a Paulo omnino credendum est, forte, ut ostenderet, sat temporis se cum Petro fuisse, si docendi gratia uenisset, uel contra, non discendi gratia, sed uisendi tantum, tanquam hospitem apud eum mansisse. Quando ad discendum, longiore tempore opus fuisset.

Alium autem Apostolorum uidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.

NE dicerent, si non a Petro, saltem ab alijs Apostolis doctus es. Non uidit autem, quia (ut Hiero. ait) erant toto orbe dispersi ad praedicandum Euangelium, quod si uerum est, ubi subsistet fabula illa, de diuisione Apostolorum, qua dicitur, anno tertiodecimo post resurrectionem Christi, fuisse Apostolos diuisos? Cum hic Paulus post tres annos, aut certe post quatuor annos suę conuersionis, iam dispersos inuenerit, qui tamen anno eodem, quo Stephanus coronatus est, uideri potest conuersus esse. Sed alijs hæc ociosis relinquo. Hoc uide, quod Lucas Act. 9. scribit, Paulum, cum eum Discipuli timuissent, a Barnaba ductum ad Apostolos, & cum illis egressum & ingressum &c. cum hic fateatur, se neminem Apostolorum uidisse, nisi Petrum & Iacobum. Aut ergo Lucas, Apostolos pluraliter appellat Petrum & Iacobum, aut illud uerum est, quod D. Hierony. dicit, Apostolorum nomine & multos alios censeri, præsertim in Epistolis Pauli, ut qui ab Apostolis primis, ordinati fuerunt.

Fabula. De diuisione Apostolorum.

Acto. 9.

De isto Iacobo, qui usitate a uulgo, Iacobus minor uocatur, dicit Euseb. lib. 2. Ecclesiast. histor. c. 1. quod dictus sit frater Domini, quia esset filius Ioseph, qui quasi pater Christi habebatur. Hoc B. Hiero. lib. illust. uirorum, recitans & dissentiens, dicit: Iacobus, ut nonnulli existimant, Ioseph ex alia uxore, ut autem mihi uidetur, Mariæ sororis matris Domini, cuius Iohannes in Euangelio suo meminit, filius &c. Iohannes enim c. 19. dicit. Stabat iuxta crucem Ihesu, mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Item Marcus 15. Inter quas erant Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Iose mater, & Salome. Cui consentiens Mattheus 27. inter quas (inquit) erant, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Iose mater, & mater filiorum Zebedei.

Eusebius de Iacobo minore fratre Domini &c.

Iohan. 19. Mar. 15. Matt. 27.

Ex quibus colligitur, quod eadem est, Maria Iacobi, & Maria Cleophę, ipsa scilicet soror uirginis Mariæ, dicta Cleophæ a uiro, Iacobi autem a filio, quæ & ipsa mater est Simonis & Iudæ. Nam & Euseb. lib. 3. Ecclesiast. dicit Cleopham fuisse fratrem Ioseph, & exinde Simonem dictum consobrinum Domini. Hoc autem clarissime uidetur Marcus 6. dicere. Nonne hic est faber, filius Mariæ, frater Iacobi, & Iose, & Iudæ, & Simonis? Proinde, manifestus error est eorum, qui tertiam Mariam finxerunt, quam Mariam Salome uocant. Salome enim fœmininum nomen est. Et quam Marcus Salome, hanc Mattheus matrem filiorum Zebedei appellat. Sed & non nisi duas Marias fuisse, scilicet Magdalene & Iacobi satis Matthęus probat, qui Mariam Iacobi, fere alteram Mariam solet appellare. Sed finem tędij faciamus. Et hunc Iacobum, fratrem Domini, id est, fratruelem, seu potius consobrinum Domini, intelligamus dictum, ad aliorum Iacaborum differentiam. Plures enim Iacabos, inter Discipulos Christi fuisse, omnes affirmant. Et licet B. Hierony. aduersus Helphidium, & hoc loco, dicat eum potius similitudine uirtutis

Error quorundam, tertiā Mariam fingentium.

Plures Iacobi.

uirtutis & sapientiæ, quam carne fratrem Domini dictum. Magis tamen placet, quod ex illustribus uiris, supra adductum est.

Quæ autem scribo uobis, ecce coram Deo non mentior.

Apostolus iurat.

IVrat Apostolus in re (ut apparet) tam leui, nempe ut uerum credant, eum uenisse Hierusalem, neminem Apostolorum uidisse, & quæ alia commemorauit. Qua necessitate? Anxius est, & urgeri sesentit, Apostolorum nomine & couersatione, quibus Pseudoapostoli nitebantur. Ideo, cum non habeat, quo firmet suam narrationem, iurat, & sancte ac pie, ne scilicet diuinę reuelationis autoritas, qua Galatas docuerat, Apostolicæ & humanæ autoritatis prætextu & pompa minueretur, in præiudicium & fidei, & Euangelij. Iurat autem non tantum pro prædictis, sed & pro sequenter dicendis. Ita enim solent nimiū soliciti, inter medium sermonem iurare.

Deinde ueni in partes Syriæ & Ciliciæ.

QVod Lucas Act. 9. sic loquebatur quoq; (scilicet in Hierusalem) gentibus, & disputabat cum Græcis. Illi autem quærebant occidere eum. Quod cum cognouissent fratres, deduxerunt eum Cæsaream, & dimiserunt Tharsum, quæ est Ciliciæ. Ecce habes, quid gesserit per quindecim dies apud Petrum. Non didicit, sed docuit Gentes (harum enim Apostolus futurus erat, uel iam erat) Et cum Græcis disputabat, utiq; Iudæis, sicut & Stephanus ante eum. Act. 7. Quid ergo necesse est nos audire, quod in Syriam & Ciliciam uenerit? Nempe, nusquam sese doctores Apostolos habuisse, sed doctorem ubiq; se fuisse, probat, semper huc spectans, & arcum narrationis eo tendens, ut tandem robustissime feriat, omnes, qui ei contraria docebant, & sapiebant. Quia diuina, non humana ipse docuerit. Illi uero humana, non diuina.

Eram autem ignotus facie Ecclesijs Iudęæ, quæ erant in Christo Ihesu, tantum autē auditum habebant. Quoniam, qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelisat fidem, quam quondā expugnabat, & in me glorificabant Deum.

HOc scilicet vult, quod non solum a Petro, & ab alijs Apostolis, non sit doctus, sed nec ab ullis alijs, qui in Iudęa Christiani erant, & legem mixtim cum fide seruabant, imo, quod maxime commendat Pauli doctrinam cum ipse nec uisus eis fuisset, testimonium tamen eorum habuit, quod fidem doceret (Hanc enim solam quærit in tota Epistola statuere) Igitur iam autoritate omnium Ecclesiarum, sese recte docuisse demonstrat, quando fidem prædicans, ab illis Ecclesijs laudatus est, & Deus glorificatus, quarum tamen exemplo, Pseudoapostoli Galatas ad legem cogebant, manifeste probans, quod non uere Ecclesiarum Iudęæ exemplum & autoritatem iuduxerint Galatis. Glorificant illi Deum, quod Paulus fidem prædicat, qui doluerunt prius, quod fidem expugnabat, nihil de lege quærentes. Quid ergo legalibus iusticijs illi falso Apostolorum nomine Galatas tentant? Reliquum ergo est, quod legalia seruauerint Ecclesię Iudęæ, nō salutis necessitate compulsi, sed libera charitate, aliorum infirmitati seruientes.

In mores nostri seculi.

O utinam & nostræ leges in Ecclesia, hodie, simili prudentia, & docerentur, & seruarentur. Nunc uero ita regnant, ut in his salus cōstituta putetur, & fides prope sit extincta. Paulus fidē facit dominam libertimam omniū legum humanarum. Nos leges humanas facimus tyrannos fidei. Nec ipsas tamen

tamen proceres & magnates pili faciunt, non sine scandalorum uastissimo gurgite Ecclesiam uorantes, & solos subditos, tot oneribus importabilibus opprimentes, aut libertatem eorum Christianam, per hos pecuniarum laqueos captiuam, denuo fœdissime uendentes, dispensantes, indulgentes.

CAPITVLVM II.

DEINDE post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam, cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem, secundum reuelationem, et contuli cũ illis Euangeliũ, quod prædico in gentibus. Seorsum antem ijs, qui uidebantur aliquid esse, ne forte in uacuum currerem, aut cucurrissem.

POStquam satis probauit, nullius hominis Magisterio, se Apostolum factum, sed diuina reuelatione, nunc probat se eandem reuelationem tam certam firmamq; habuisse, ut nullos prorsus homines, etiam Apostolos, sit ueritus habere iudices, tum nullorum quoq; importunitati cesserit.

Primum (inquit) post annos quatuordecim, quibus, si annos tres, quos supra memorauit, adiunxeris, iam decem & septem, aut decem & octo annos, eum prædicasse inuenies, antequam conferre uoluerit, ita, ut impossibile uideatur, quod tot locis, tot populis prædicarat, potuisse reuocari. Ideoq; non sua causa ascendit, quasi timuerit (ut Hiero. sentit) ne falsum per decem & septem annos prædicasset, sed ut ostenderet alijs, non inuacuum sese cucurrisse, approbantibus & cæteris Apostolis suum cursum. Si enim dubitasset, uerum ne an falsum doceret, insignis & inauditæ temeritatis ac impietatis fuerat, dilata necessaria collatione, tot populos ludere incerta doctrina.

Quot annos Paulus prædicauerit, prius quam cum alijs conferre uoluerit.

Secundo non ascendisset unquam, nisi reuelatione Dei monitus, non aliorum importunitate commotus, tantum abest, ut de doctrinæ certitudine diffisus, contulerit, nullam habens prorsus necessitatem ascendendi in hanc causam.

Tertio, ad ipsam Hierosolymam, ubi erant principes tam synagogæ, quam Ecclesiæ, paratus cum omnibus conferre, nec multitudinem Iudæorum, nec legis acerrimos æmulatores formidans.

Quarto, non solus, sed cum Barnaba & Tito, diuerso genere, aptissimos testes, ne aliud egisse præsens, aliud absens agere crederetur, ut si quid pro Iudæis nimium faceret, Titus gentilis proderet. Si rursus nimis pro gentibus, Barnabas Iudæus obsisteret. Quare, fiduciam eius uide, hos duos secum duxit, & utrunq; testem habuit. Deniq; cum utroq; sese offerens, manifestum facturus, quod cum Tito gentilem, cum Barnaba Iudeum esse licuerit. Et sic Euangelij libertatem in utroq; probaret, quod circumcidi licet, & tamen circumcidi non sit necessarium, ita & de tota lege sentiendum.

Supra satis dictum est, de uerbo CONTuli & ACQuieui. Et tropum hebræum, uel Scripturæ sacræ proprium nota, quod currere significet officium docendi, seu uerbum Dei nunciandi, sumptum a nuncijs, qui mittuntur & currunt. Sic supra ex Hierem. dixi. Currebant, & non mittebam eos. Et Psalm. 146. Velociter currit sermo eius, & multa in sacris literis eiusmodi. Quo significatur, oportere uerbi Dei præcones esse prom

Currere in sacris literis.

esse promptos, & fideles nuncios, ut magis currant quam eant. Ita & Isa. 52. Quod speciosi pedes Euangelisantium &c. Et Ezech. 1. Animalia sua cum pedibus & cursu describit. Et Ephe. 6. Calciatos iubet haberi pedes, Euangelico apparatu, & omnium pedum officia. Cursus, missio, ac similia, ministerium uerbi Dei significant in sacris literis. Nec multum dissimilia Poetæ quoque in suo Mercurio adumbrant.

Esai. 5
Ezech.
Ephe. 6

Fabula de diuisione Apostolorū, anno decimotertio facta.

Iterum nota, quod post annos quatuordecim Paulus inuenit Apostolos in Hierusalem, aut saltem Petrum & Iacobum & Iohannem, si non omnes, & cum illis confert. Non, quod me torqueat adeo fabula de diuisione Apostolorum, anno tertiodecimo facta, & sic iactata, quam ut moneam, ne in similes nugas (quæ plurimæ hodie sunt) facile labamur, contra apertissimas Scripturas, sine iudicio quoduis superstitionis figmentum, titulo quocunque pietatis ornatum acceptando. Illud iam ex Erasmi annotationibus notum est, qui uidebantur esse aliquid, quid significet. Nam & D. Hieron. habet, qui uidebantur (id est, maioris authoritatis & opinionis erant) Quare esse aliquid, addititium est.

Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi. Sed propter introductos falsos fratres, qui subintroierant explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Ihesu, ut nos in seruitutem redigerent, quibus neque ad horam cessimus subiectioni, ut ueritas Euangelij maneret apud uos.

D. Hiero. indicat, olim in latinis codicibus fuisse scriptum, quibus cessimus ad horam, affirmatiue. Quod coarguit, tum ex græcis, tum ex euidenti contextus præcedentis sententia, qua Paulus negat Titum circumcidi compulsum, & non se cessisse potius monstrat. Deinde laborat in coniunctione SED, uel AVTEM, & tollendam dicit, ut sit ordo. Sed neque Titus compulsus est circumcidi, propter subintroductos fratres &c. Verum, si mea diuinatio aliquid est, uel hyperbaton, uel hæbream iterum eclipsin hic facit, ut coniunctio SED, pertineat ad uerbum CESSIMVS, uel aliud uerbum iuxta eam subaudiatur, puta, restitimus, aut repugnauimus, ac uicimus. Atque hoc fecimus, non odio, aut contemptu legis, aut operum legis, sed propter falsos fratres, qui ex libertate, seruitutem nobis facere uolebant &c. Istas autem Eclipses solet & alibi facere, præ uehementia affectus, nec infreqnens est in ueteri testamento, ut satis notum credo.

Diuinatio Lutheri.

Illud quoque, quibus neque ad horam cessimus subiectioni, poterat clarius dici, quibus neque ad tempus (Sic Hiero. habet) cessimus in subiectionem, seu, ut subijceremur, hoc est, adeo stetimus pro libertate Euangelica, ut nec id saltem a nobis obtinere potuerint, quo ad tempus cederemus, & pro hac tantum uice, quasi postea redituri, postquam expletus fuisset, hac cessione, animus æmulatorum legis, cum tam multa pro tempore & loco ac personis facere soleamus, quæ nobis liberum est postea omittere. Verum, hoc fiat in ijs, ubi diuina ueritas, & Euangelica libertas non uenit in periculum, pro qua, nec tempus, nec locus, nec persona curanda sunt. Hæc pro Grammatica.

Opera legis et Lex

Cæterum, tota uis huius controuersiæ consistit, non in operibus legis, quæcunque illa sint, sed in necessitate & libertate operum legis. Non enim opera

opera legis, & lex ipsa, sic sunt mortificata & finita per Christum, ut ea nullo modo liceat operari (quemadmodum D. Hiero. ex Origene suo ductus, non uno loco contendit) Sed tantum, ut absq; eis, salus esse credatur, per solum Christum, qui finis legis est, in quem futurum erant praecepta. Postquam enim Christus aduenit, legis opera sic abrogauit, ut indifferenter ea haberi possint, non autem amplius cogant, sicut infra c. 4. pulchrum dabit paradigma de hærede paruulo. Ideo cæteri Apostoli ea fecerunt cum Iudæis fidelibus.

Paulus autem & Barnabas, aliquando fecerunt, aliquando non fecerunt, ut ostenderent ea prorsus esse Adiaphora, & talia qualis esset ille, qui faceret. Vt 1. Corin. 12. Factus sum Iudæis, tanquam Iudæus, ut Iudæos lucrifacerem. Iis, qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege. Iis, qui sine lege erant, tanquam sine lege essem. Quomodo potuit libertatem Euangelicam clarius explicare? Veni (inquit) ad Iudæos prædicaturus Christum. At ut me audirent, necesse mihi fuit propter eos, nondum hac uti libertate, & eos contemnere, cum suis operibus. Feci ergo, quæ ipsi faciebant, donec docerem non esse necessaria, sed solam fidem Christi sufficere. Ita ueni ad gentes, iam nihil eorum egi, quæ apud Iudæos egeram, sed omnino edebam, bibebam, quæ & illi, donec docerem eos Christum. Quomodo me admisissent, si eos statim fastidijssem, in rebus illis neutralibus? Alioqui, si licet, imo meritorium est, pro fratre & proximo dolere, pati, mori, laborare, quanto magis licet opera legis quæcunq; fieri, si ea requirat charitas fraterna? modo non lege cogente (nam superatus est ille exactor, per paruulum, qui datus est nobis) sed charitate, sponte & hilariter seruiente, facienda scieris. Proinde, si fratris necessitas postularet, ut circumcidereris, iam non modo sine periculo (quia non propter legem & necessitatem eius) imo cum multo merito circumcideris.

1. Cor. 12.

Adiaphora incorruptibilia.

Opera legis licita, si requirat charitas fraterna.

Proinde, Apostolus uigilanter, non ait, Non uoluit non licuit, sed non est compulsus circumcidi. Circumcidi malum non erat, sed iam Christo solo nos per gratiam iustificante, cogi ad circumcisionem, tanquam necessariam, ut iustificeris, hoc impium erat, & in Christi iustificatricem gratiam contumeliosum. Quare legis opera sunt post Christum, sicut diuitiæ, honor, potestas, iustitia ciuilis, ac quæcunq; alia res temporalis, quas si habeas nō ideo melior es coram Deo, si careas non ideo peior. Esses autem pessimus, si eas necessarias assereres, quo Deo placeres. Igitur, uerba Apostoli uide, in quibus uis intelligentię sita est. Compulsus (inquit) Item libertatem, seruitutem, subiectionem. Quibus id satis exponit, fuisse scilicet inter eos, qui obseruarant eum, quod legem pro licentia & libertate sua, quandoq; seruarit, quandoq; cōtra fecerit, prout lucrādis animabus, & Euangelio prædicando uidebat conuenire. Et illi prodentes accusantesque, quod legem non seruaret, non circumcideret gentes &c. uolebant eū cogere, quam uocat hic subiectionem & seruitutem.

Opera legis qualia sint.

Est enim libertas ista, quam in Christo nos habere gloriatur, quod nulli prorsus uni externo operi sumus alligati, sed liberi in quodlibet, ad quemlibet, quocunq; tempore & modo, nisi ubi fraterna charitas & pax offenditur. Sicut Rom. 13. nulli quicquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Igitur Christianus uerus, ut infra c. 5. nec est liber, neq; seruus, neq; Iudæus, neq; gentilis, neq; masculus, neq; fœmina, neq; clericus, neq; laicus, neq; religiosus, neq; secularis, neq; orat, neq; legit, neq; facit, neq; omittit, sed ad omnia prorsus indifferens est, faciens & omittens, si-

Libertas.

Verus Christianus, ad omnia indifferens.

tens, sicut ad manum sese res, uel obtulerit, uel abstulerit. Sicut Samuel. 1. Reg. 10. dixit ad Saul. Mutaberis in alium uirum. Et, Fac quodcunq; inuenerit manus tua, Dominus tecum est.

Quod autem alius ducit uxorem, alius intrat monasterium, alius alio sese mancipat operi, non facit lege cogente, sed sua sponte se subijcit seruituti, quod si ex charitate facit, optime facit. Sin ex necessitate, aut timore urgente, non christianiter, sed humaniter facit. Quocirca grauissime errant, nostri seculi homines, maxime Clerus & religiosi, qui propter pompas externi cultus, propter ritus & ceremonias suas (quibus usq; ad incurabilem perditionem animarum sunt impliciti) ita fastidiunt alios, qui simili specie non speciuntur, ut & sine fine litigent, & audeant protestari, nunquam uelle eos communia cum illis sentire & habere.

Religiosi litigantes.

Vltimo, ueritas Euangelij hoc loco, non pro ipsa sententia Euangelij, sed pro uero usu Euangelij accipi uidetur, quia Euangelium semper uerum est, usus autem eius simulatione non raro subuertitur. Est enim ueritas Euangelij, scire, quod omnia liceant, omnia munda mundis, & nullum opus legis ad salutem & iusticiam necessarium, cum lex mortua sit, non amplius cogat. Licere tamen pro charitate legem operari, sed non ut legem.

Veritas Euangelii.

Ab ijs autem, qui uidebantur esse aliquid, quales aliquando fuerint, nihil mea interest, Deus personam hominis non accipit.

Esse aliquid.
Eclipsis.

HOc uno loco, esse aliquid, cum uerbo, videbantur, Paulus posuit, unde & in alia duo loca, idem additum est, a librarijs. Iterum Eclipsis hic est, Ab ijs autem, qui uidebantur aliquid esse, subaudi, nihil accepi, quod infra repetens, dicit nihil mihi contulerunt, idem uerbum contulerunt, quod supra.

D. August. illud, quales aliquando fuerint, ad indignitatem refert, quod & Apostoli peccatores aliquando fuerint, uerum, sua illud nihil referre, quanquam ijs, qui eum persecutorem Ecclesiæ fuisse, ob idq; cæteris non comparandum, potuisset ita respondere. Nunc quando Deus personam hominis non respicit, nec illorum, nec suum Apostolatum, propter priora peccata uilescere, omnes enim æqualiter ad salutem uocat Deus. Sed S. Hiero. placet sententia, qui ad dignitatem refert, & dictum esse in Pseudoapostolos, qui Apostolorum gloriam iactabant, quod cum Christo conuersati essent, omnia uidissent, audissent, accepissent, Christo præsente. Ideoq; Paulo præferendos, legemq; cum illis seruandam.

Paulus autem Apostolos nihil uituperans, & uera esse, quæ obijciuntur admittens, optima & saluberrima eis obuiat responsione, scilicet totum hoc, nihil ad rem pertinere, quo ipsi inflantur. Non enim ideo uerum aut bonum aliquid est, quia a magno, sancto, aut cuiuscunq; tandem personæ sit, profertur. Sed quia a solo Deo proficiscitur. Quid enim Iudæ traditori profuit, cum Christo fuisse conuersatum, & omnia cum Apostolis communia habuisse? Frustra ergo laruam, & externam Apostolorum gloriam, illi iactant, aduersus uerbum Dei, quod Deus sine ista persona, reuelat & docet. Si personam Apostolatus in Iuda despexit Deus, certe nec in alijs eam accepit.

Quomodo persona accipiatur.

* Et notabis PERSONAM hoc loco longe aliter accipi, quam in scholis nunc usus habet. Non enim rationalem indiuiduamq; substantiam, ut illi di-

illi dicunt, sed externam qualitatem uitæ, operis, aut conuersationis; iuxta quam homo de homine iudicare, laudare, uituperare, nominare potest. Et quicquid non fuerit in spiritu, iuxta illud. 1. Reg. 16. Homo uidet ea quæ patent, Deus autem intuetur cor. Et Psal. 7. Scrutans corda & renes Deus. Ista ergo patentia, quæcunque tandem sint, tu intellige personas, facies, apparentias, & personalia ista, si recte uis intelligere Scripturas, de respectu personarum loquentes. Homo semper respicit personas, nunquam cor. Ideo semper male iudicat, Deus nunquam respicit personas, semper autem cor, ideo iuste iudicat populos. Denique alibi PROSOPON, faciem uertit. Facies autem in Scriptura proprie significat omne, quod externe apparet. Sic Marci 12. Non enim uides in faciem hominis. Et 1. Re. 16. Ne respicias in uultum eius. Quando autem nomen personæ, iamdiu abijt in aliam significationem, bonum uidetur, si ubique facies pro persona scriberetur in Biblijs.

Reg. 16. Psal. 7. Mar. 12.

Deus semper cor intuetur, non personas.

Vides ergo, quam saluberrime nos Paulus erudit, ne, titulo, nomine, facie, persona decepti, omittamus consilium eius, qui dicit, OMNIA PROBATE, QVOD BONVM EST TENETE. Quid putas modo diceret, si audiret in Ecclesia doceri omnia sine omni probatione, per eos, qui gloriantur, de potestate, de sanctitate, de eruditione autorum suorum? Apostolorum faciem nihil ad rem pertinere audacter asserit. At Apostolorum facies, erat sanctitas, potestas, Christi familiaritas, & multo maiora, quam nunc in quocunque pontifice inuenias. At nunc potestas Papæ sola sufficit. Sanctitas doctorum sola dominatur, ut doceatur, quicquid uel libuerit. At certe potestas Papæ, cum sit persona quædam hominis, a Deo non respicitur. Neque sanctitatis opinio, neque scientiæ fama, omnia sunt personalia, ideo nec satis firma, ut propterea necesse sit uerum credi, quicquid senserint: Certum est autem, quod nec ipsis Apostolis placuerit, iactata eorum persona, ut qui scirent, in Domino, non in se aut sua apparente uel potestate uel sanctitate gloriandum. Et nota hanc Paulinam monitionem diligentissime.

In mores nostri seculi.

Mihi enim qui uidebantur, nihil contulerunt.

NOn rursum suum Paulo Euangelium exposuerunt, & cum eo contulerunt (id enim uerbum conferre, iam dictum est significare) sed nec opus erat. Satis erat, quod approbauerunt, & (ut sequitur) uiderunt sibi creditum præputij Euangelium. Hoc dicit, quo iam autoritate Apostolorum quoque, quos illi iactabant aduersus Paulum, recte se docuisse ostendat, & Apostolos secum stare, contra iactatores personarum Pseudoapostolos. Ideo id nunc latius prosequitur.

Sed econtra, cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut Petro circumcisionis, (Qui enim operatus est Petro in Apostolatu circumcisionis, operatus & mihi inter gentes) & cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Iohannes, qui uidebantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem; tantum, ut pauperum memores essemus. Quod etiam solicitus fui, hoc ipsum facere.

Hyperbaton S. Hierony. esse putat, & sublatis, quæ in medio interiecta sunt, sic legendum. Sed econtra, dexteras dederunt mihi & Barnabæ societatis &c. Mihi uidetur, more suo defectum orationis facere, rapitur enim interim, & digreditur in alia, interserta etiam parenthesi, ac sic non redit ad ceptam orationem. Subaudirem ergo uerbum, ut, sed contra uiderunt & comprobauerunt meum, quod ego contuleram. Et cum ex ista collatione uidissent &c. Ecce idem Euangelium Pauli & Petri, ille in gentes, hic in Iudæos Apostolus. Quomodo ergo Pseudoapostoli, Petrum & Apostolos, contra Paulum iactant, qui eadem sapiunt? Si aliter sensisset Petrus, Iacobus & Iohannes, quam Paulus Galatas docuerat, corripuissent utiq;. Nunc autem & commendant, & dextras societatis dant.

Idem Euangelium Petri & Pauli.

Nondum erant in Ecclesia contentiones istæ, de præcellentia Ecclesiarum, & Pontificum. Petrus, Iohannes, Iacobus, Paulum & Barnabam, non dedignantur socios & æquales suos, sed successu temporis & uitiorum (ut Hiero. ait) societas desijt in potestatem & præcellentiam. Videtur & id hebraismum spirare, DEXTERAS SOCIETATIS, pro dexteras socias, uel pro societate firmanda. Nisi id malit, quod non dederint dexteras adorationis exosculandas, pro reuerentiæ confessione.

De præcellētia Ecclesiarū, & potestate Pontificum.

Illud uide, quod nihilominus seruat ordinem & reuerentiam dignitatis. Iacobum præponit Petro, quia Episcopus Hierosolymitarum fuit, cæteris Apostolis, euntibus & redeuntibus. Id enim Apostolos constituisse ferunt, Petrum, Iacobum, Iohannem, ut iuxta doctrinam Christi, minores se facerent, cum fuissent uiuente Christo, cæteris priores & maiores.

Iacobus præponitur Petro.

Non dicit, Qui cooperatus est, sed qui operatus est. Intelligit autem id, quod 1. Corin. 12. copiose describit, quod diuisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Sed & græca uox, autore Erasmo, plusquam operari latinum significat, scilicet efficacem uim suam ostendere. Vnde latentem Energiam, Hierony. ad Paulinam dicit. Hæc est gratia Spiritus, qua diuersa dona & opera multiplicat in Apostolis, & cum uirtute perficit in auditoribus.

1. Cor. 12.

ἐνεργεῖν efficaciter operari.

Vide electum uerborum pensatorem, Euangelium præputij, Euangelium circumcisionis. Apostolatus circumcisionis, Apostolatus in gentes. Nomina officij & laboris tantum recenset. Euangelium enim pro officio Euangelij prædicandi nimirum accipit. Et in præputium, in gentes, quod ad gentes hoc officio fungeretur. Apostolatus uero ipso nomine, officium sonat. At nostro seculo, nomina dignitatis duntaxat sunt. Euangelium enim, quam contemnatur ab ijs, qui titulo eius uehuntur, horrendum est cogitare, si æstimes, quid sit uerbum Dei, & quanto precio paratum, ut reuelaretur hominibus.

Vide electum uerborum pensatorem

In nostrum seculū.

Non satis erat dicere, cum uidissent, quod mihi creditum esset Euangelium, sed addit, cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi. Ministerium uiderunt, gratiam cognouerunt. Quid ita? Nempe gratiam sapientiæ, qua præ cæteris pollebat in uerbo, & uirtutis, qua inter gentes miracula fecerat, ex uerbo & opere, cognita est in eo gratia. Necessarium forte ratus, hæc duo simul ponere, ne officium uerbi suscipiat, qui gratia careat, qua ministerium eiusmodi adimpleat. Multis uidemus credi Euan-

Officium cū gratia.

di Euangelium, & officium Apostolicum, sed gratiam non cognoscimus in eis, neq; enim uerbo, neq; opere eam possunt indicare.

Videbantur Columnæ esse. Obsecro, cur non dicit, Erant columnæ? An inuidet eis gloriam? Absit. Sed de re, ut est, loquitur. Esse enim columnam in Ecclesia, personale est, & iuxta faciem, quam Deus non respicit. Est enim in uisu & opinione hominum, necessaria quidem ipsa, propter subiectos, sed non res ipsa, in qua sit fidendum. Necesse est, esse principes & reges, id est, uideri, & tales in opinione hominum existimari, cæterum, personæ sunt mundi & externæ uitæ, intus, ubi Deus uidet, forte ultimis seruis inferiores. Ita Episcopatus, sacerdotium, & omnis ordo, & status Ecclesiæ, personæ sunt, non res ipsa solida in æternum. Quare aptissime per uerbum VIDEBANTVR, de ijs loquitur, contra insensatos, qui in personas, non secus ac res ipsas ueras, intuentur. Quare uerbum, VIDEBANTVR, non accipiendum est, quo nunc usu habetur, dum de re, uel falsa, uel apparente dicimus, mihi uideor. Sed simpliciter, uidebantur, id est, habebantur, & suspiciebantur pro columnis, & ueræ columnæ erant, quantum in hac uita esse potest, in qua omnia, quæ uidentur, personæ sunt, & externa rerum facies.

Esse in Ecclesia columnam.

Videbantur.

Et hæc ecliptica oratio est, ut nos in Gentes, ipsi autem in circumcisionem, subaudi, euangelisaremus, aut Apostoli essemus, & huic tropo Paulino, tandē assuescendum est. Non autem sic partiti sunt ministeria ista, ut nullum Iudæum Paulus, & nullum gentilem Petrus doceret, cum sint in contrarium, utriusq; Epistolæ. Ideo, aduerbium TANTVM, non potest cohærere præcedentibus. Sed quod (ut Hiero sentit) utriq; populo, suus Apostolus mitteretur. Gentibus is, qui liberam fidem sine onere legis doceret. Iudæis is, qui legem inolitam, propter fidem paulatim alendam toleraret.

Ecclipsis tropus Paulinus.

Pauperes, quos Rom. 16. Pauperes sanctorum uocat, ij sunt, quibus Iudæi substantias rapuerant, propter Christum, ut ad Heb. scribit. Aut qui sua bona communia fecerant, ut Act. 4. scribitur. Forte & ij, qui penuria laborabant famis tempore, quam sub Claudio factam, Lucas in Actis 11. meminit. Certum est autem, quod sub Claudio ista contigerunt, quæ hoc narrat capitulo, si calculum duxeris annorum.

Pauperes.

Acto. 11.

Cernis autem, quod alterum Apostolicum opus sit, solicitum esse pro pauperibus. Admonendi enim gratia, hoc addidisse uidetur, futurum sciens, Apostolorum successores, alia curaturos, quam pauperes. Vnum merito mouere potest. Cur potissimum Petro sese æquet, cæteris Apostolis tacitis? Quin & Petro apostolatum circumcisionis tribuit, item cæteris tacitis. Forte, quod hic, ut erat primus inter Apostolos, ita maxime eum Pseudoapostoli iactauerint, ad Euangelij iniuriam. Aut iterum futuris monstris prouidit cautionem.

Apostolicum opus est, solicitum esse, de pauperibus.

Cum autem uenisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam uenirent quidam a Iacobo, cum gentibus edebat. Cum autem uenissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant, & simulationi eius cæteri Iudæi consenserunt, ita, ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

Acriter in hoc campo congrediuntur, Hiero. & August.

ISta est Abel, seu planicies magna, in qua acriter congressi sunt illustrissimi duo Patres, Hierony. & August. Hierony. nixus eo fundamento, quod Paulus similia fecerit, quando Acto. 16. circumcidit Timotheum propter Iudæos, qui erant in illis locis, non utiq; necessitate legis, cum iam c. 15. Apostoli statuissent, gentiles non debere oneribus legis premi. Timothei autem pater gentilis fuerat. Et quod amplius est, in eodem c. docet custodiri dogmata & decreta Apostolorum, contra quæ ipse eodem tempore, circumcidit Timotheum. Item Act. 18. totondit sibi caput in cenchræis, & habebat uotum. Et c. 21. cum uiris quatuor habentibus uotum super se, intrauit templum, & sanctificauit se cum illis, & oblata est oblatio pro eo. Item suo ipsius testimonio 1. Corin. 9. Factus sum Iudæis tanquam Iudæus.

Act. 16. *1. Cor. 9.*

B. Hieronymus.

Dicit ergo B. Hieronymus. Qua fronte, qua autoritate audet hoc in Petro reprehendere, qui circumcisionis Apostolus erat, quod ipse Apostolus gentium arguitur commisisse? Quare putat, Paulum simulatoria reprehensione in Petrum usum esse, ut, quia Petrus simulatione sua, gratiæ periculum dederat. Paulus noua (ut dicit) usus arte pugnandi, noua simulatione, seu contradictionis dispensatione corrigeret. Huic sententiæ textus græcus fauere uidetur, ubi secundum faciem, seu in facie habetur.

Erasmus.

Vt enim Erasmus hic dicit præpositio Kata cum accusatiuo significat secundum, seu per, cum genitiuo autē, in, seu aduersus, hic autem Kata prosopon est, id est, secundum faciem, in facie, apparenter, coram alijs, pia scilicet hypocrisi, apud se aliud sentiens. Et illud, quod in Græco, non reprehensibilis erat, sed reprehensus erat. Quia reprehensus esse potuit, infirmis & ignorantibus, qui tamen reprehensibilis non sit.

B. Augustinus.

B. August. eo uerbo nititur, quod supra dixit Paulus. Quæ autem scribo uobis, ecce coram Deo non mentior. Ne si Paulus, quando dicit Petrum reprehensibilē, & se ei in facie restitisse, & eum corripuisse, non uere hæc ita sint facta, citraq; simulationem, iam non uerum dicat, sicut iurauit dicturum: Et mendacio saltem officioso sit mentitus. Ac sic totius Scripturæ uacillabit autoritas, si in uno loco, aliud dicatur, & aliud sentiatur. Necesse est enim, Petrum fuisse uere reprehensibilem, & uere a Paulo correctum: aut Paulum esse mentitum, quando eum correxit & reprehendit. Et quanquam sententia B. August. possit eludi, per græcum textum, qui non reprehensibilis, sed reprehensus habet, ut & Hiero. subnotat, tamen adhuc uerum est, & certum, eum reprehensibilem fuisse, ex facto Pauli, qui irreprehensibilem non reprehenderet.

Textus iudex optimus.

Sed textum uideamus, qui erit optimus in hac re iudex. Primo, certum est, quod Paulus Petrum non reprehendit, quia gentiliter uixisset, (ut uult B. Hierony.) tunc enim uere & idem in seipso reprehendisset, & staret

staret omnino firmiter sententia B. Hierony. qui legalia non licere putauit, & mortifera esse, post passionem Christi, hic enim defecit sanctus uir, abductus a maioribus suis aliquot. Sed ideo reprehendit, quia simulauit. Simulationem inquam Petri, Paulus non tulit. Nam hoc approbat, quod gentiliter uixerat, & rursum Iudaice, sed quod uenientibus Iudæis subtrahebat, ac segregabat se a cibis gentilium, qua subtractione, gentibus & Iudæis autor fiebat, gentilia esse illicita, & Iudaica necessaria, cum tamen sciret utraque esse libera & licita. Vnde & textus indicat, Petrum non ignorasse hæc esse libera, quia prius (inquit) cum gentibus edebat. Item, timens eos qui a Iacobo uenerant, Timore ergo, non ignorantia hæc fecit. Non enim dicit Paulus, Quare tu gentiliter uiuis? Nec dicit, Quare ad Iudaismum reuerteris? Vtraque licuit facere, sed quare cogis gentes Iudaisare? Coactio ista, per simulationem & subtractionem, reprehensibilis erat, qua gentes & Iudæi credebant esse Iudaica necessaria, & gentilia illicita.

Deficit Hierony.

Coactio per simulationem reprehensibilis.

Sic non queritur, cæteros Iudæos consensisse in cibum, uel gentilem, uel Iudæum (sciebant enim esse licitum) sed in simulationem Petri, & coactionem gentium & Iudæorum, ad Iudaismum, ut necessarium. Item, nō queritur Barnabam edisse cum eis Iudaice uel gentiliter, sed abductum in eandem simulationem, & coactioni gentium & Iudæorum, ad Iudaismum consensisse. Igitur contra necessitatem, pro libertate pugnat Paulus. Sola enim fides Christi necessaria est, ut iusti simus, Cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita. Si ergo Petrus recta fronte, utraque fecisset, non fuisset reprehendendus. Sicut Paulus utraque cum fiducia fecit.

Ad Hierony. ergo dicimus, quod admittendum sit in græco, Reprehensus, ad eos pertinere, qui Petrum apud Paulum accusarunt, quod ab eis se subtraxerat, & Paulum in hanc reprehensionem Petri commouerunt, fuit tamen uere reprehensibilis. Porro, an Petrus in hoc peccauerit (ut uocant) mortaliter, uiderint alij. Hoc scio, quod ij, qui tali simulatione cogebantur ad iudaismum, nisi fuissent per Paulum reducti, perijssent, quia non in fide Christi, sed in operibus legis iustificari cœperunt. Ideo Petrus cum cæteris præbuit efficax scandalum, non morum, sed fidei, & æternæ damnationis. Nec Paulus tam fidenter restitisset, si leue & ueniale periculum hic fuisset. Conqueritur enim, Euangelij ueritatem fuisse desertam. At ueritatem Euangelij non sequi, iam infidelitatis crimen est. Non mihi placet studium illud in sanctos nimium excusandi & efferendi, præsertim, si in sacræ Scripturæ uim uergat. Melius est Petrum & Paulum in infidelitatem lapsos, imo anathema haberi, ut supra dixit, quam unum iota Euangelij perire.

Ad D. Hierony.

Petrus scandalū fidei præbuit.

Iam quod græce Kata prosopon, in facie, putatur ad simulationem Pauli astruendam ualere, non probo. Non simulabat Paulus, sed ex corde pleno restitit simulationi Petrinæ, noxiæ. Et in facie, idem est, quod coram omnibus, seu in manifesto, ut B. Ambrosius quoque exponit, sic infra. Dixi cephæ coram omnibus, Sic enim supra dixi, faciem (more Scripturæ) significare id, quod in manifesto est, & contrarium abscondito, ut illic homo uideat ac iudicet, hic Deus. QVO uerbo, non procacitatem, ac superbiam suam prodit, ut insipiens Porphyrius criminatur, sed necessitatem & summam modestiam. Nec enim reprehendit Petrum, donec cæteri omnes consenserunt, deinde & Barnabas

κατα prosopon, in facie.

socius suus quoque esset abductus, ac iam nullus prorsus relictus, qui pro ueritate Euangelij staret, & illorum factum, iam autoritas fiebat, contra libertatem Euangelicam. Modestiæ debetur, quod non mox reprehendit, sed omnes prius abduci permisit. Necessitati autem, quod Euangelium iam peribat.

Factum non fiat autoritas contra Euangelium.

Aut, si pertinaciter in ui uerbi græci statur, quod secundum faciem omnino significet, secundum apparentiam, ut Iohan. 7. Nolite iudicare secundum faciem, adhuc non cogit simulationem in Paulo fuisse. Sed iste potius erit sensus, quod ex animo quidem restitit, externo uerbo obiurgans, sed non ex corde maligno. Quo modo Ecclesiast. 7. Filiæ tibi sunt, serua corpus earum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad eas. Sic parentes sunt asperi filijs secundum faciem, non ex corde, nec tamen simulatorie. Et quilibet Christianus seruata cordis dulcedine & unitate, corripere fratrem & dissentire ab eo debet. Sed & de ipso Deo dicitur, Tren. 3. Non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum. Quis autem dicat Deum simulare flagella, & abiectiones hominũ? Ita Paulus uera reprehensione Petrum corripuit, durus in facie, dulcis in corde erga Petrũ. Vera itaque culpa Petri, & reprehensione dignissima, & in neutro simulatio, qualem D. Hiero. putat, Prior autem erat simulatio illa, qua rogabat Petrus, Iudaica & legalia seruari.

Dissentire à fratre

Paulus uere Petrũ corripuit.

Quæstio.

Quæstio. Quando Petrus infirmorum scandalum ueritus, pia cogitatione se subtraxit. Quid faceret Paulus, si in eodem euentu, utrinque essent infirmi, tam gentiles quam Iudæi? Cui cederet? Nam seorsum singulis consentire, nullam habet perplexitatem. Si enim cum Iudæis ederet, gentiles offendet sicut Petrus. Si cum gentilibus, Iudæos offendet, sicut Petrus hic timuit. In hoc euentu Euangelica ueritas seruanda est, & reddita ratione exponenda, sicut Paulus hoc loco facit, coram omnibus arguens Petrum, & licitum asserens, gentiliter uiuere, & supra. Quando Titum gentilem non permisit circumcidi, nec cessit ad horam. Si autem hic Iudæi infirmi nolint sequi, dimittendi sunt. Melius est unam partem, cum Euangelij ueritate seruari, quam utranque partem una cum Euangelio perire.

Solutio.

☞ Hunc autem locum Apostoli, quam uellem cunctis Christianis esse cognitissimum, præsertim religiosis, clero, & non paucis superstitiosis; qui propter leges Pontificias, aut sua statuta, non rara subuertunt Euangelicam & fidem & charitatem. Nec tantum habent iudicij, ut si postulet fraterna charitas, omittant onera sua, nisi denuo per pecunias emerint, & dispensationes & indulta. Cum nec Pontifices, nec Ecclesia possit quicquam statuere, nisi quatenus, libera permittatur charitas, mutuaque beneficentia. Si enim aliquid potest Pontifex dispensare, & causa, uel utilitatis, uel honestatis, aut quæ maxima est, charitatis subsit, iam non eges dispensatione, nisi tua propria. Nec enim lex hominum, huc usque peruenire potuit, ut in his causis te uel pilo ligaret, sed exceptas semper habeat has causas, uelit, nolit. Quod si causæ hæ non subsint, & solam libidinem tuam sequeris, certe Pontificis dispensatio, tui & ipsius dissipatio & perditio erit. Heu quot carnificinas con-

scientia-

ſcientiarum, in Eccleſiam inuexit, ignorantia iſta legis Dei, & legum hominum.

Non poſſum omittere nobilem illam hiſtoriam, ad hanc rem maxime pertinentem. De S. Spiridone Cypri Epiſcopo, extat lib. 1. tripartitæ, quod in quadrageſima ſuſcepto peregrino, cum aliud non haberet, appoſuit carnes porcinas, orans tamen primum, ac ueniam petens a Deo, cum autem hoſpes refutaſſet, & Chriſtianum ſe profeſſus eſſet, propterea (inquit) magis non debes refutare. Omnia enim munda mundis, ſicut ſermo diuinus edocuit. Non quod uelim præcepta maiorum contemni ullo modo, ſed recte intelligi, quod ubi neceſſitas uel charitas contrarium obtulerit, ibi (præſertim accedente conſilio Confeſſoris uel boni uiri) pia humilitate & reuerentia, debet præceptum eiuſmodi infringi. Vt non ſit neceſſe, Confeſſionalia illa & indulta uendi & emi. Nam, niſi alia cauſa tibi licuerit leges infringere, nulla diſpenſatio, nullum Confeſſionale, nullum indultum per ſe tibi ſatis fuerit. Si autem alia cauſa fuerit, iam illis nō indiges, ut dixi. Ego tamen Pontifices monerem, ut aliquando Eccleſiarum periculis miſerti, tollerent tandem leges ſuas, quibus uidemus, nihil niſi conſcientias illaqueari, aut pecunias expiſcari, inſuper & fiduciam Chriſti penitus ſuffocari, id eſt, ueros Chriſtianos extingui, & Eccleſiam hypocritis & idolis repleri.

Spiridonis nobile factum.

Conſilium.

Cum autem uidiſſem, quod non recte ambularent ad ueritatem Euangelij, dixi Cephę coram omnibus, Si tu cum Iudæus ſis, gentiliter uiuis, non iudaice, quo modo cogis gentes Iudaiſare?

PRodit Paulus Petrum, & retegit eius ſimulationem (nam hanc ſolam arguit) Simulabat ſe Petrus, non uiuere gentiliter, ſed iudaice. At Paulus, imo (inquit) gentiliter uiuis, & uixiſti, & nunc aliud ſimulas, & hac ſimulatione cogis gentes non gentiliter, ſed Iudaice uiuere, & ita in ſeruitutem legis urges. Ex quo perſpicuum fit, Paulum non fuiſſe, a D. Hiero. ſatis intellectum. Nam Hiero. eam ſimulationem intelligit, qua Petrus propter Iudęos Iudaiſabat, ſeruans legem, quam non licebat ſeruare. At hanc Paulus non arguit, neq; curat, ſed eam, qua ſimulabat & ſegregabat ſe a gentilibus eſcis, quaſi non liceret eis uti, hæc enim erat Euangelio periculoſa, non illa.

Fuerunt, qui hunc Cephe, alium quendam, ex 70. Diſcipuls, fuiſſe aſſererent, ut eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria Euſebij. Sed hoc erudite & potenter conuellit D. Hiero. Peruerſo enim ſtudio uoluerunt Petro patrocinari, cum Paulus dedita opera hæc ad Galatas ſcripſerit, ut obtunderet os detrahentium ſibi, quod ſua doctrina eſſet Petro poſtponenda. Contra (inquit) non ex hominibus, ſed ex Deo, inſuper, non ſolum probata fuit per Petrum & Apoſtolos, ſed & ipſe Petrus per eam correctus, ut iam non reliquum haberent, quod Paulo obgannirent, quando & Petrus lapſus fuerit in ueritate Euangelij, libertatem, quam ſibi uendicabat, alijs, timore Iudæorum, ſubtrahens, ac per hoc inique cum eis agens. In qua re, nimirum Paulus ſuperiorem ſe Petro oſtendit. Nec iſta ſuperioritas (ut dicitur) inflationis cauſa fuit. Quia perſona hominis eſt, quam Deus non reſpicit, ſuper qua tamen horrenda diſcordia, olim Rom. & Conſtantinopol. ſedes contenderunt, tanquam re ad Eccleſiam ſola neceſſaria. Quaſi unitas Eccleſiæ ſita ſit in perſona hominis, & poteſtate præcellente, ac non potius in fide, ſpe, & charitate in Spiritu.

Cephas.

Peruerſum ſtudium pro Sanctis.

Hic Paulus Petro ſuperior.

Illud

Cephe. Illud quoq; omittendum non est; quanquam tritum & uulgare, quod Cephe authore Hiero. hebræum; imo Syrum idem sit, quod Petrus seu petra græce; saxum uel soliditas latine; ut & decreta indicant; ex Leone & Ambrosio sumpta. Errat ergo decretum Nicolai (si titulus non mentitur) quod Cephe sit idem, quod caput; ut Petrum; anxia illa affectione caput Ecclesiæ, præter Christum faciat. Cephale græcum; caput significat; non Cephe Syrum.

Error decretis

Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.

COmparat Iudæos & gentes. Nos, inquit, natura Iudæi, in legali iusticia excedimus quidem gentes, qui peccatores sunt, si nobis conferantur, ut qui, nec legem, nec opera eius habeant, uerum non in hoc iusti sumus coram Deo. Externa est ista iusticia nostra. Et hanc sententiam copiosissime tractat Rom. 1. & 2. ubi primum gentes declarat maximos peccatores fuisse, sed in secundo c. ad Iudæos uertens, etiamsi tales non sint, quales gentes descripserat, nihilominus peccatores asserit, quod legem foris, non intus seruarint, & in lege gloriantes, per legis transgressionem Deum inhonorauerint. Rom. 1. & 2.

Scientes autem, quod non iustificatur ex operibus legis, nisi per fidem Ihesu Christi, & nos in Christum Ihesum credimus, ut iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

IVsti (inquit) sumus, sicut natura Iudæi. Non peccatores sicut gentes, sed iusticia operum legis, qua nullus iustificatur coram Deo. Ideo & nos, sicut gentes, iusticia nostra, pro stercore ducta, per fidem Christi iustificari quærimus; iam simul peccatores cum gentibus, simul iustificati cum gentibus; quando Deus nihil discreuit (ut Petrus Act. 15. dicit) inter nos & illos; fide purificans corda illorum. Verum, hic locus, quoniam absurdus uidetur ijs, qui Paulinæ theologiæ nondum assueuerunt; Quando & D. Hiero. non nihil sudat in hac intelligentia, latius prosequemur eadem, quæ supra cœpimus de paternis traditionibus. Nec uideo inter extantes autores, qui ad hanc sententiam satis sit, præter unum Augustinum. Nec hunc in omnibus locis, sed ubi cum Pelagianis gratiæ Dei hostibus pugnat. Hic facilem tibi & apertum faciet Paulum. Actu. 15.

Iusticia duplex. In primis itaq; sciendum, quod homo dupliciter iustificatur, & omnino cõtrarijs modis. Primo ad extra, ab operibus, ex proprijs uiribus, quales sunt humanæ iusticiæ; usu (ut dicitur) & consuetudine comparatæ. Qualem describit Aristoteles, alijq; Philosophi. Qualem leges ciuiles, & Ecclesiasticæ in ceremonijs. Qualem dictamen rationis, & prudentia parit. Sic enim putant, operando iusta, iustum fieri, temperando temperatum; & similia. Hanc facit & lex Mosi; ipse quoq; decalogus, scilicet ubi timore pœnæ, aut promissione mercedis seruitur Deo, non iuratur per nomen Dei, honorantur parentes, non occiditur, non rapitur, non adulteratur &c.

Iusticia humana. Hæc est iusticia seruilis; mercenaria, ficta, speciosa, externa, temporalis, mundana, humana, quæ ad futuram gloriam nihil prodest, sed in hac uita recipit mercedem, gloriam, diuitias, honorem, potentiam, amicitiam, sanitatem; aut certe pacem, ac tranquillitatem; minusq; malorum, quam ij, qui secus agunt, sicut Christus Pharisæos describit. Et B. August. Romanos lib. 1. ciui. 8. Hæc mire fallit, etiam sapientes & magnos uiros, nisi in sacris literis fuerint eruditi.

Hanc

Hanc Hierem. 2. uocat cisternam dissipatam, quæ non continet aquam, & tamen (ut ibidem dicit) facit, ut præsumant se sine peccatis esse. Et omnino similis est actibus ijs, quos uidemus a Simia fieri, æmulatione hominum, aut quos personati in scœnis & ludis ostentant, atque omnino hypocritarum & idolorum propria est. Ideo in Scripturis uocatur mendacium & iniquitas. Inde nomen Bethauen, domus iniquitatis. Ex horum genere sunt & hodie, mentium illi deceptores, qui libero freti arbitrio, bonam (ut aiunt) formant intentionem, & actum diligendi Deum super omnia, ex naturalibus elicitum habentes, mox gratiam Dei sese obtinuisse perditissime præsumunt. Hi sunt, qui hæmorrhoissam (id est peccatricem conscientiam) operibus sanare laborant, & consumpta substantia, peius habere faciunt. *Bethauen.*

Secundo, ab intra ex fide, & gratia, ubi homo de priore iusticia prorsus desperans, tanquam ab immundicia menstruatæ, proruit ante Deum, gemens humiliter, peccatoremque sese confessus, cum publicano dicit. Deus propicius esto mihi peccatori. Hic (inquit Christus) descendit iustificatus in domum suam. Hæc enim, quia est aliud nihil, quam inuocatio nominis diuini. Nomen autem Dei, est misericordia, ueritas, iusticia, uirtus, sapientia, suique nominis accusatio. Est autem nomen nostrum, peccatum, mendacium, uanitas, stultitia, iuxta illud. Omnis homo mendax, uanitas &c. omnis homo uiuens. *Iustitia Dei & uera.* *Luce 18.* *Nomen Dei.* *Nomen nostrum.*

INVOCATIO autem nominis diuini, si est in corde, & ex corde uere facta ostendit, quod cor & nomen Domini sint unum simul, & sibi cohærentia. Ideo impossibile est, ut cor non participet, eiusdem uirtutibus, quibus pollet nomen Domini. Cohærent autem cor & nomen Domini per fidem. Fides autem, per uerbum Christi, quo prædicatur nomen Domini, sicut dicit: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Et rursum. Vt annunciet in Syon nomen Domini. Sicut ergo nomen Domini est purum, sanctum, iustum, uerax, bonum &c. ita, si tangat, tangaturque corde (quod fit per fidem) omnino facit cor simile sibi. Sic fit, ut credentibus in nomen Domini, donentur omnia peccata, & iusticia ei imputetur, propter nomen tuum Domine, quoniam bonum est, non propter meritum ipsorum, quoniam nec ut audirent, meruerunt.

Iustificato autem sic corde per fidem, quæ est in nomine eius, dat eis Deus potestatem filios Dei fieri, diffuso mox Spiritu sancto in cordibus eorum, qui charitate dilatet eos, ac pacatos hilaresque faciat, omnium bonorum operatores, omnium malorum uictores, etiam mortis contemptores & inferni. Hic mox cessant omnes leges, omnium legum opera, omnia sunt iam libera, licita, & lex per fidem & charitatem est impleta.

Ecce hoc est, quod Christus nobis meruit, scilicet prædicari nomen Domini (id est misericordiam, ueritatem Dei) in quod qui crediderit, saluus erit. Igitur, si te conscientia uexat, & peccator es, & quæris fieri iustus, quid facies? An circumspicies quæ nam opereris, aut quo eas? Non. Sed uide, ut nomen Domini, uel audias, uel recorderis, hoc est, quod Deus est iustus, bonus, sanctus, & mox huic adhære, firmiter credens, cum esse tibi talem, & simul tu iam talis es, similis eius. Verum, nomen Domini, nusquam clarius uidebis, quam in Christo, ibi uidebis, quam bonus, suauis, fidelis, iustus, uerax sit Deus, ut qui proprio filio suo non pepercerit. Hic te per Chri- *Quid faciendum peccatori, ut fiat iustus.*

per Christum trahet ad seipsum. Sine hac iusticia, impossibile est, cor mundum esse, ideo impossibile est, iusticiam hominum, ueram esse. Hic enim assumitur nomen Domini in ueritatem, illic assumitur in uanitatem, Quia hic Deo gloriam, sibi confusionem, illic sibi gloriam, Deo contumeliam, reddit homo.

Vera cabala.
Fides in nomen Domini.

Hæc est uera cabala nominis Domini, non terragrammati, de quo Iudæi superstitiosissime fabulantur. Fides, inquam, in nomen Domini, est intelligentia legis, finis legis, & prorsus omnia in omnibus. At in Christum posuit hoc nomen suum, sicut per Mosen prædixit. Hæc est iusticia, liberalis, gratuita, solida, interna, æterna, uera, cœlestis, diuina. Quæ in hac uita, nihil meretur, neq; accipit, neq; quærit. Imo, cum sit in Christum, & nomen eius (quod est iusticia) fit, ut Christi & Christiani iusticia, sit una eademq; ineffabiliter sibi coniuncta. Christo enim scaturit & ebullit, sicut dicit Iohan. 4. Aquam, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ uiuæ, salientis in uitam æternam. Ita fit, ut sicut alieno peccato omnes facti sunt peccatores. Ita aliena iusticia, omnes fiunt iusti, ut Rom. 5. dicit. Sicut per inobedientiam unius, hominis peccatores constituti sunt multi, Ita per unius hominis Christi iusticiam, iusti constituuntur multi. Hæc est illa misericordia per omnes Prophetas prædicta. Hæc benedictio, Abrahæ & semini promissa, ut infra uidebimus.

Vt per unius hominis inobedientiam, peccatores facti sunt multi, ita per unius hominis Christi iusticiam, iusti facti sunt multi.

Iohan. 4.

Nunc reuertendo ad textum, uidemus, quam recte Apostolus dicat, Scientes, quod ex operibus legis, non iustificatur homo, nisi scilicet ex fide Ihesu Christi, & nos in Christo Ihesu credimus, vt iustificemur ex fide Ihesu Christi, & non ex operibus legis, in quibus uerbis, utranque hanc iusticiam designat, & priore reprobata, posteriorem amplectitur. Ita & tu facias charissime frater, audi primum, quod Ihesus significet salutem, & Christus unctionem misericordiæ. Et inauditam hanc salutem, & misericordiam crede firmiter, & iustificaberis. Hoc est, Crede eum tibi fore salutem & misericordiam, & ita erit sine omni dubio. Quocirca, satis impie & nimis gentiliter docetur. Quando remissio peccatorum, per satisfactiunculas, per contritiones coactas fieri, docetur, hac fidei in Christum doctrina prorsus omissa, ut nunc uulgus sententiastrorum theologisat.

Opera legis.

Notandum tamen hic, quod opera legis, Apostolus non reprobat, ut & B. Hiero. hoc loco docet, sed fiduciam operum legis, hoc est, opera nõ negat, sed negat per ea quenquam iustificari posse. Vnde, cum Emphasi & Epitasi uerbum Apostoli legendum est, quando dicit. Non iustificatur homo ex operibus legis, Q. d. Admitto fieri opera legis, Sed dico eis non iustificari hominem, nisi coram se & hominibus, & pro huius uitæ mercede. Sint opera legis, modo sciatur ea esse coram Deo peccata, & iam non uera opera legis. Ac sic funditus destruit iusticiæ nostræ fiduciam. Quod ultra omnia opera legis, longe alia iusticia opus sit, nempe operibus Dei & gratiæ.

Item, & hoc obseruabis, quod opera legis generaliter dicit, non tantum ceremonialia, sed prorsus omnia etiam decalogi. Quia, & ipsa extra fidem & iusticiam ueram Dei facta, tum non sufficiunt, tum fallam fiduciam hypocritis in specie sua præstant. Desperandum ergo omnino ab omnibus uiribus, operibus, legibus, uolenti saluari. Item, Tropum hunc Apostolo familiarem tibi notabis, quod opera legis, non aliorum usu uocat, quibus impletur lex ipsa. Nam hic sensus in causa est, quod

Apostolum

Apostolum plurimi non intelligunt, qui opera legis, non nisi iusta & bona intelligere possunt, quando lex ipsa bona est & iusta, ideo coacti sunt per legem intelligere ceremonialia, quod illa fuerint tunc mala & mortua. Verum, errant, lex ceremonialis sicut fuit, ita nunc quoq; est bona & sancta, quia ab ipso Deo statuta.

Lex non impletur per opera, sed per solam fidem.

Apostolus constanter negat impleri legem per opera, sed per solam fidem. Quia impletio legis est iusticia, sed hæc non est operum, imo fidei, ideo per opera legis, non potest intelligere ea, quibus satisfit legi. Quid ergo? Regula Apostoli est hæc. Non opera implent legem, sed impletio legis facit opera. Non iusta faciendo, iustus fit, sed factus iustus, facit iusta. Prior est iusticia, plenitudoq; legis, antequam fiant opera, cum hæc ex illa fluant. Ideo opera legis appellat, ad differentiam operum gratiæ, seu operum Dei. Quia opera legis, uere legis sunt, non nostra, cum non fiant uoluntate nostra operante, sed lege, per minas ea extorquente, uel per promissa eliciente.

Regula Apostoli.

Opera legis.

Quod autem nostra uoluntate libere non fit, sed alio exigente, iam non nostrum, sed exactoris potius opus est. Eius enim sunt opera, quo imperante fiunt. Sed fiunt imperante lege, non lubente uoluntate. Quod satis patet, si cui liberum esset, sine lege uiuere, nunquam sua sponte faceret opera legis. Inde apud Isaiam 9. lex uocatur Exactor, quando dicit. Virgam humeri eius, iugum oneris eius, sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Quia per paruulum, qui datus est nobis, in quem credimus, efficimur liberi, ac lubentes in legem, ac iam nos non legis sumus, sed lex nostra est, & opera non legis, sed gratiæ sunt, ex qua libere & suauiter scaturiunt quæ lex prius aspere & fortiter exprimebat. Hæc intelliges, si quatuor ordines operum disposueris. OPERA peccati, quæ dominante concupiscentia fiunt, sine resistentia gratiæ. OPERA legis, quæ foris cohercita concupiscentia, fiunt, tamen intus eo magis feruente, & legem odiente, id est, quæ sunt bona in specie, mala in corde. OPERA gratiæ, quæ repugnante concupiscentia, uictore tamen spiritu gratiæ fiunt. OPERA pacis, & perfectæ sanitatis, quæ extincta concupiscentia plenissima facilitate & suauite fiunt, quod in futura uita erit, hic incipitur.

Quatuor ordines operum.

Propter quod ex operibus legis, non iustificabitur omnis caro.

EAndem Rom. 3. sententiam concludit, Et ibidem late probat ex Psal. 14. Non est iustus, qui faciat bonum &c. Ideo necesse est opera legis esse peccata, alioquin iustificarent certe. Atq; ita clarum est, iusticiam Christianam & humanam esse prorsus non modo diuersas, sed contrarias quoq;. Quia hæc ex operibus fit, ex illa fiunt opera. Inde nihil mirum, quod Theologia Paulina penitus ceciderit, nec intelligi potuerit, postquam ij cœperunt Christianos docere, qui Aristotelis moralia prorsus conuenire mentiti sunt, cum Christi Paulíq; doctrina, prorsus, nec Aristotelem, nec Christum intelligentes. Nostra enim iusticia de cœlo prospicit, & ad nos descendit. At impij illi, sua iusticia in cœlum ascendere præsumpserunt, & ueritatem illinc adducere, quæ apud nos de terra orta est.

Iusticia Christiana & humana.

Stat ergo Paulus fortiter. Non iustificatur omnis caro, ex operibus legis. Sicut & Psal. Non iustificabitur in conspectu omnis uiuens. Reliquum est, opera legis, non esse opera iusticiæ, nisi eius, quam nos facimus.

Quod si quærentes iustificari in Christo, inuenti sumus & ipsi peccatores. Nunquid Christus peccati minister est? Absit.

IDest, diximus iam, nos in Christum credere, ut iustificaremur ex fide Christi. At, si nec sic iustificamur, imo adhuc inuenimur peccatores, & iustificationis indigentes (Quia ex operibus legis tu cogis nos iustificari) ergo iustificatio ex fide, nihil est, & Christus sua fide nos peccatores fecit, & legis iusticia egentes, Quod est absurdissimum, & Christum prorsus abolere. Quia sic peccatum nobis ministrasset, quod per legem dilueretur, & iam esset legis iusticia melior, quam Christi. Argumentatur enim Apostolus ab impossibili & absurdo. Q. d. Si lex necessaria est nobis, qui in Christo quærimus iustificari, ergo iustificati per Christum, adhuc peccatores inueniemur, & legis debitores. Quod si hoc est, iam Christus non iustificauit nos, sed peccatores tantum fecit, ut per legem iustificemur, quod est impossibile. Quare & hoc est impossibile, legem (inquam) esse necessariam, & operibus legis nos iustificari. Iustificati enim in Christo, non inuenimur peccatores, sed iusti, quia Christus non peccati, sed iusticiæ minister est. Hæc B. Hieronymi sententia est.

Argumentatur Apostolus ab absurdo.

Pauli Tropus.

B. Augustinus paulo aliter, & coactius. VT AVTEM Apostolum intelligas, aduertes, quod subobscure Mosen cum Christo comparat. Nam is est Paulo tropus, quod legem appellat occasionem, uirtutemque peccati, ideo ministerium legis, ministrationem mortis & peccati audet nominare. 2. Cor. 3. Si ministratio mortis in literis deformata. &c. Et Ro. 7. declarat quomodo peccatum per legem occiderit. Ideo mosen ministrum legis intelligit ministrum peccati & mortis, quod per legem peccatũ ueniat, per peccatum mors, Quia inquit Rom. 4. Vbi non est Lex, nec præuaricatio, cui opponit Christum, ministrum iusticiæ, qui hoc impleuit, quod Moses per legem exegit. Quod & Iohan. 1. non omnino tacet: lex (inquit) per Mosen quidem data, gratia autem & ueritas per Ihesum Christum facta est, Q. d. lex, non autem gratia, nec ueritas per Mosen, ergo potius peccatum & transgressio, per eum ministrata est. Igitur Christus non est legislator, sed legis impletor. Omnis legislator, minister peccati est: quia ponit occasionem peccati, per legem. Vnde ueterem legem, non per seipsum, sed per Angelos ordinauit, nouam autem (id est gratiam) per seipsum dedit, misso spiritusancto de cœlo.

Christus non est legislator sed impletor.

In miseriam Christianæ ecclesiæ.

Atqui iterum hic occurrit miseria Ecclesiæ, & populi Christiani, quando intendo in syluas, harenas, nubes, maria legum Romanarum, quarum neq; titulos sufficias ediscere tota uita, Hic Apostolus cum fiducia, leges pronunciat esse peccatorum ministrationes, cum tamen nostri legislatores & peccatis & litibus occurrere sese iactent aceruis legum nec ipsam in oculos impingentem experientiam sentiunt, stultum hoc eorum consilium demonstrare.

Allegoria decem plagarum Aegypti.

Et ut ego aliquando allegorijs ludam, decem plagas Aegipti arbitror figuras fuisse non tantum iudaicorum Thalmudim, sed & Ecclesiasticorum Nam quod per Angelos malos eas inflictas legimus, non potest negari doctrinas ac traditiones hominum illis significari, cum Angelus omnino nuncium verbi & doctorem significet. Vt etiam angeli illi Apocalypsis ostendunt, cum suis plagis & phialis. Verum cæteræ plagæ, quod aquæ nostræ in sanguinem uertuntur, quod loquacissime glossarum ranæ

nos

nos inquietant, quod pediculi uellicant, & exugunt totas substantias nostras, quod muscæ quoque laborantes & sudantes nos depascunt, quod pecora simplicis cordis occiduntur, quod uesicis inflamur, quod grandine tyrannicæ uiolentiæ censemur & ferimur, quod locustis ad medullas usque exugimur: forte tolerandæ erant, pro peccatis nostris, Sed quod nouissimis malis accedentibus, tenebris palpabilibus excæcamur, & heu tandem primogenitam iusticię & fiedi in Christo gloriam amittimus, non satis plorari potest. Verum quando hic paternum in pontificibus officium dormit, ego quod possum, saltem presto fraternum, Monens ac rogans, ut & nos ad dominum clamemus, si qua misericorditer descendat & nos liberet, de fornace ista ferrea, & domo seruitutis durissimæ

Credo autem aliquos moueri, quod Apostolus hic negat peccatores esse eos, qui in Christum credunt, & iustificantur, cum nullus sit hominum sine peccato. Nec ipsemet, ut Rom. 7. & 8. de se ipso testatur. Respondeo Omnis, qui credit in Christum, iustus, est nondum plene in re, sed in spe. Cœptus est enim iustificari & sanari, sicut homo ille semiuiuus. Interim autem dum iustificatur, & sanatur, non imputatur, ei quod reliquum est in carne peccatum, propter Christum, qui cum sine omni peccato sit, iam unum cum christiano suo factus, interpellat pro eo ad patrem. Sic Rom. 8. cum dixisset se captiuari per legem membrorum in peccatum, dicit nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Ihesu, qui non secundum carnem ambulant. Non ait, nihil peccati, sed multum peccati est adhuc reliquum, uerum, non damnationi imputatur.

Obiectio.
Dilutio.
Rom. 8.

In hoc mysterium uidetur Christus in cruce dixisse, consumatum est, antequam moreretur. Quare omnes eiusmodi iustorum Commendationes, eodem modo intelligendæ sunt, quod non omnino in seipsis perfecti sint, sed in Deo reputante & ignoscente, propter fidem filij sui Ihesu Christi, qui est propiciatorium nostrorum. Hæc longe B. August: lib. de natura & gratia. Perniciose errant & fallunt qui baptisatis & pœnitentibus nullum peccatum tribuunt, sed tantum infirmitatem, & fomitem morbum naturæ, præsertim, dum in seipso, non esse peccatum garriunt, quod in Deo reputante & ignoscente, tantumodo nonesse peccatum debuerant dicere.

Quomodo iustorũ commendationes intelligendæ.

Si enim quæ destruxi, iterum hæc reædifico, præuaricatorem me constituo.

Hoc est Quando ego per fidei prædicationem, docui iustificationem in Christo, & legem impletam, ac per hoc peccata destruxi, si iterum legem docerem seruandam, & non impletam, quid aliud facerem, quam quod peccata rursus statuerem, & adhuc esse superanda operibus nostris? In qua re nihil facerem, nisi quod me uel tunc, uel modo, male egisse ostenderem, hoc est, præuaricatorem statuerem, imo facerem me alienum a Christo, in quo iustificatus fui, & denuo sub legem & peccata me traderem, æque præuaricatorem, sicut ante Christum fui.

Iterum suis Tropis Apostolus utitur, ideo uariant interpretes, D. Hierony. destructa & reædificata uult intelligi legem, scilicet ceremonialem. Quæ sententia etsi uera est, angustior tamen est, quam ut satis sit cæteris scripturæ locis conuenire. B. August. destructa, uocat opera legis, imo superbiam gloriantem & præsumentē de operibus legis. Nec hanc damno, Verum, Apostolum cum præcedentibus, & alijs locis comparando pecca-

ta (ut dixi) uidetur destruere, non legem, præsertim, cum Rom. 3. neget se destruere legem per fidem, sed potius statuere. Peccata autem destruit, Rom. 6. ut destruatur corpus peccati. Nam per fidem destruuntur peccata quæ per legem erant & abundabant. Peccatum enim non destruitur, nisi lex impleatur. At non nisi per fidei iusticiam lex impletur. Ita fit ut per fidem simul & lex statuatur & peccata destruantur. Dum enim per fidem satis fit legi, desinunt peccata, & lex permanet in robore.

Reædificare peccata.

Reædificare uero peccata, est rursum legem prædicare, & putare seruandam & implendam. Vbi uero implenda lex est, nec dum iusticia facta est, imo peccatum superest. Peccatum est enim legem nondum implesse, ita redeunt peccata, quæ prius destructa per fidem docebantur. Quare ædificare Peccatum, idem est, quod infirmare, destruere, irritamq; facere legem. Destruere autem Peccatum, idem est, quod legem statuere, ædificare & implere. Quicunq; ergo docuerit legem impletam, factamq; iusticiam, hic utiq; destruit peccata. Hoc autem facit, qui docet per fidem Ihesu Christi, iustos fieri, id est, legis impletores. Qui uero dixerit legem implendam, neq; fractam iusticiam, hic utiq; rursum statuit, ac resuscitat peccata, & debitores legis constituit, ac reos facit seruandæ legis.

Aedificare peccatum.

Destruere peccatũ

Hunc inquam esse sensum Apostoli puto hoc loco, Qui per peccatum destrui legem, solet docere, ut Roma 8. Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, id est, non implebatur. Caro enim non implet legem, ideo infirmat legem. Sed in aliis quoq; locis scripturæ, idem Tropus inuenitur. Sic Hiere. 35. Firmauerunt filij Ionadab præceptum patris sui, quod præceperat illis. Item præualuerunt sermones Ionadab, quos præcepit. Et Psal. 140. Audient uerba mea, quoniam potuerunt, id est, potentia facta sunt, firmata, impletaq; sunt. Rursus Psal. 17. Non sunt infirmata uestigia mea, id est, uiæ meæ, firmatæ & impletæ sunt. Sed Psal. 10. Quoniam quæ perfecisti destruxerunt, id est, legem tuam, ut heb. habet dissipauerunt. &c.

Hiere. 35.

Sed ex præcedentibus quoq;, hunc esse sensum liquebit. Vbi negauit inueniri peccatores, qui in Christo iusticati sunt, ideo peccata eis esse destructa conuincitur. Si autem inuenirentur peccatores, iam peccata prius destructa restituerentur, quod esset in Christum blasphemia, qui peccatum & mortem nobis destruxit, si in eum crediderimus, Et, ut Iohan. ait. Qui natus est ex Deo, non peccat. Credo autem satis patere, Apostolum, non tantum de ceremonialibus legibus loqui, sed prorsus de omni lege. Parum enim Christus contulisset, si sola peccata legis ceremonialis destruxisset. At quando etiam Decalogi peccata destruxit, iam a fortiori, planum est, & ceremonialia destructa esse, & liberas omnes leges factas.

Iterum autem cogor admonere lectorem triuiali isti Theologiæ assuetum, Qui forte turbabitur, audiens, legem esse impletam omnibus, qui in Christum credunt. Dicet enim, Cur ergo Decalogus, & tot Euangelij & Apostolorum præcepta, docentur implenda, & exhortamur cotidie ad eorum opera? Respondetur, sicut supra dictum est, quomodo in Christo iustificati, non sunt peccatores, & tamen sunt peccatores. Vtrumq; enim de iusto scriptura statuit, Iohannes in canonica sua c. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est, Qui eiusdem c. ultim. dicit. Scimus, quoniam omnis qui ex Deo natus

Quæstio.

Responsio.

natus est non peccat: sed generatio Dei, id est, qui ex Deo natus est, conseruat eum, & malignus non tanget eum. Idem c.3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare. Ecce nec potest (inquit) peccare, & tamen si dixerit, se non habere peccatum, mentitur.

Similem contradictionem in Iob licet uidere, quem Deus, qui mentiri non potest, pronunciat uirum iustum, & innocentem c.1. Qui tamen inferius confitetur, se peccatorem in uarijs locis, præsertim c.9. Et.7. Cur non tollis peccatum meum &c. Verum autem loquatur oportet. Quia si coram Deo mentitur, iam Deus eum non pronunciaret iustum. Simul ergo iustus, simul peccator. Quis soluet hæc, diuersas contra se facies, aut in quo conuenient? Nempe in propiciatorio, in quod uultus Cherubin alioquin sibi contrarij conueniunt. Quia ergo, per fidem incepta est iusticia, & impletio legis, ideo, propter Christum, in quo credunt, non imputatur, quod reliquum est peccati, & implendæ legis. Fides enim ipsa, ubi nata fuerit, hoc sibi negocij habet, ut reliquum peccati e carne expugnet, uarijs afflictionibus, laboribus, mortificationibus carnis. Vt sic Lex Dei, non modo in spiritu, & corde placeat, & impleatur, sed & in carne, quæ adhuc resistit fidei & spiritui amanti & implenti legem, sicut pulchre Rom.7. describitur. Proinde, si fidem spectes, lex impleta est, peccata destructa, nullaque lex superest: sed si carnem, in qua non est bonum, iam peccatores cogeris fateri eos, qui iusti sunt in spiritu, per fidem. *Fidei negocium.*

Totum ergo quod æstuat Apostolus, est, ne quis per opera legis introducere iusticiam in cor præsumat, quasi non iam fidei iusticia ibi regnet, e qua in carnem fluant opera & plenitudo legis. Et accipe tibi simile: Sicut Christus sine omni peccato, caput iustorum, nihil debet legi prorsus, nec docendus est, quid facere debeat, qui omnia iam facit, & abundantius quam lex doceat. Tamen corpus suum & carnem suam, ecclesiam regit & exercet, ut suam iusticiam ei influat, ut quo modo ipse patri per omnia obediens est, ita corpus quoque suum reddat obediens, quod nondum est tam obediens, & sine peccato Ita spiritus iusti, iam per fidem sine peccato, nihil debens legi, Corpus tamen habet, adhuc sibi dissimile & rebelle, in quod operatur & exercet, ut ipsum quoque sine peccato, iustum ac sanctum sibi simile reddat.

Ideo præcepta sunt necessaria tantum peccatoribus. At iusti quoque sunt peccatores, propter carnem suam. Quod tamen non imputatur eis propter fidem interioris hominis, qui Deo conformis, persequitur, odit, crucifigit peccatum in carne sua, donec in futuro consummatus, in carne & spiritu, nulli legi debeat. Ex parte ergo impleta est lex, ex parte nihil debemus legi, ex parte destructa sunt peccata. At qui iusticiam quærunt per opera legis, ipsi reædificant etiam infidelitatis peccatum, contra fidem in spiritu, imo peruersissimi hominum, peccatum, in carne quod fides expugnat per totam uitam, ueluti non sit, per opera legis extollunt. Et in hoc statuunt iusticiam, legis impletionem, non in fidem. *Qui reædificant.*

Arbitrantur enim sese iustos, si legis opera fecerint, cum tamen nec fidem Christi habeant: quæ interior est iusticia, nec puritatem carnis, sed simulant eam. At ita, nec intus, nec foris iusti sunt, sed mera specie se, & homines illudunt. Igitur, necessaria sunt præcepta, non ut per opera eorum iustificemur, sed ut iam iusti sciamus qua ratione, spiritus noster carnem crucifigat, & in rebus huius uitæ dirigat, ne caro insolescat & ruptis frenis, sessorem spiritum fidei excutiat. Non equiti, sed equo frenum debetur. *Quare necessaria præcepta.*

Ego enim per legem, legi mortuus sum, ut Deo uiuam.

ET hunc Tropum Rom. 7. latius prosequitur, ubi describit mulierem uiuam solui a lege mariti mortui. Quæ omnia, nisi metaphysicas mortes & mutationes ab intellectu dimoueris, barbara tibi erunt. Sicut mors mortem, peccatum peccatum, captiuitas captiuitatem, libertas libertatem, seruitus seruitutem, uita uitam, bonum bonum, malum malum, maledictum maledictum, lux lucem, tenebræ tenebras, dies diem, nox noctem, ita lex legem tollit. De ijs in scripturis, præsertim Paulo, late patent exempla.

Vt mors mortem, peccatum peccatũ, ita lex legem tollit

Manifeste itaq; duplicem legem tangit, Vna est spiritus & fidei, qua uiuitur Deo, uictis peccatis, impletaq; lege, ut satis dictum est. Altera lex literæ & operum, qua uiuitur peccato, nunquam impleta lege, sed simulata impletione. Per legem enim suscitatur odium legis, sed per fidem infunditur dilectio legis. Ideo legis operator, legem seruat, cum odio legis, id est, pessime omittit, dum aliud intus optat, aliud foris simulat. Fidei autem spiritus legem seruat, cum dilectione legis, hoc est, optime legem implet, & tamẽ foris cum peccatis suis pugnans, ostendit se peccatorem esse. Sunt ergo duo isti aduersarij, legalis ille intus peccat, & foris iusticiam prætexit, fidelis intus bene facit & foris peccata sua portat ac persequitur.

Igitur, Paulus per legem fidei, uiuit intus Deo, ibidemq; est mortuus legi. Verum in carne nondum uiuit Deo, sed uiuificatur Deo, nondum est mortuus legi, sed mortificatur legi, dum eandem fidei puritatem cordis satagit, & in carnem foris propagare, quo studio meretur, ut totus Deo uiuere, & legi mortuus reputetur, eodem prorsus tropo, quo superius, peccator & non peccator, impletor & non impletor, dictus est. In futuro enim est, ut plene Deo uiuamus, & legi mortui simus.

Viuere & mori.

Viuere & mori, hoc loco non corporaliter, aut naturaliter accipi, ipsa locutio ostendit Apostolica. Quia non simpliciter, sed legi mortuum se dicit, & Deo uiuum. Est autem uiuere legi, esse sub lege & domino eius, Vt Rom. 8. lex in homine dominatur, quanto tempore uiuit. Sicut seruus quamdiu non redimitur, domino suo uiuit per legem seruitutis & ius gentium. Ita nos, dum extra fidem sumus, regnante concupiscentia, legi seruimus, coacti eius opera facientes, ac per hoc legem non implentes, quæ dilectione fidei tantum impletur. Mori autem legi, est liberum fieri a lege, Sicut debitor quispiam, cum mortuus fuerit, liber est ab exactore suo. Ita dum per fidei gratiam, homo uetus incipit occidi, & destrui peccatum, quod per legem abundabat, morimur hac sancta morte, id est, uiuificamur ad iusticiam, sicut copiose Rom. 6. & 8. disputat eodem uerborum tropo, mortuos peccato, uiuos iusticiæ appellans.

Legi uiuere.
Legi mori.

Quare legi uiuere, est legem non implere. Legi mori, est legem implere. Hoc per fidem Christi fit, illud per opera legis. Sic Rom. 3. Arbitramur enim hominem iustificari per fidem, quam & legem fidei dicit. Item Rom. 8. Lex spiritus uitæ, id est, fidei, liberauit me a lege mortis & peccati, id est, lege quæ mortem & peccatum operatur & auget, ut est omnis lex siue diuinitus, siue humanitus data. Vnde, ut cœpimus, duas has leges clarius exponemus.

Lex spiritus est, quæ nullis prorsus scribitur literis, nullis profertur uerbis, nullis cogitatur cogitationibus, Sed est ipsa uiua uoluntas, uitaq; experimen-

experimentalis, res quoq; ipsa, quæ scribitur digito solo Dei, in cordibus. Ro. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritũ sanctum. De qua & Iere. 31. ut Heb. 8. & 10. adducit Apostolus, Dabo leges meas in mentes eorũ & in corda eorũ superscribam eas, Hæc inquam intellectualis lux mentis, & flamma cordis, est lex fidei, lex noua, lex Christi, lex spiritus, lex gratiæ, iustificans, omnia implens, & carnis cõcupiscentias crucifigens. Ita & B. Aug. pulchre hoc loco dicit, Ipsam quodammodo legem uiuit, qui cum dilectione iusticiæ iuste uiuit. Nota cum dilectione iusticiæ. Hanc enim natura nescit, sed fides eam impetrat. Sic 2. Corin. 3. Epistola estis Christi ministrata a nobis, scripta autem non atramento, sed spiritu Dei uiui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.

Nomina legis spiritus ac eius uirtus.

Lex literæ, est quæcunq; scribitur literis, dicitur uerbis, cogitatur cogitationibus, siue sit tropologia, allegoria, anagogia, aut cuiuscunq; tandem mysterij doctrina. Hæc est lex operum, lex uetus, lex Mosi, lex carnis, lex peccati, lex iræ, lex mortis, damnans omnia, reos faciens omnia, concupiscentias augens, & occidens, eoq; magis quo fuerit spiritualior, Sicut est illa, Non concupisces. Hæc enim plures reos facit, quam illa, Non occides, aut illa, Circumcidite præputia uestra, aut similis ceremoniæ. Quia sine lege spiritus, nullum opus bene fit sed semper simulatur.

Lex literæ.

Consequens est, quod lex spiritus est id, quod lex literæ requirit, uoluntas inquam, Psal. 1. sed in lege Domini uoluntas eius, id est, charitas Rom. 13. plenitudo legis dilectio. Et 1. Tim. 1. finis legis charitas. Atq; ut planissime ac uulgariter dicam. Lex literæ, & lex spiritus differunt, sicut signum & signatum, sicut uerbum & res. Ideo obtenta re, iam signo non est opus, itaq; neq; iusto lex est posita. Habito autem solo signo, docemur rem ipsam quærere.

Pulcherrima similitudo.

Sic Moses & prophetæ, tandem Iohannes baptista ad Christum nos mittunt. Lex docet, quid debeas & quo careas. Christus dat quod facias & habeas. Ideo qui lege aliter utuntur quam signo, quo ad Christum diriguntur, quo cognoscant suam miseriam, & quo gratiam quærant, pessime ab utuntur, ut qui suis uiribus freti, mox lege audita, in opera eius accinguntur, rem legis in seipsis quærentes, ac præsumentes, cum nec signum, ipsam inquam legem, in seipsis inuenisse se uideant.

Lex docet, quid debeas, & quo careas. Christus dat quod facias & habeas.

Item sequitur, quod omnis lex literæ, est spiritualis, Quomodo dici potest spiritualis, sicut Rom. 7. Scimus quia lex est spiritualis. Neq; unquam in scripturis legimus carnalem legem uocari, quæ literis scribatur, licet Origenes multo frequentiq; studio huc feratur, actus suis opinionibus, habet quidem Paulus, legem membrorum, & carnis concupiscentiam, sed hæc non est litera, sed significatur prohibeturque litera legis.

Igitur spiritualis est, quia spiritum fidei requirit, id est, non propter signum sed propter rem, spiritualis est, Cum nullũ opus bonum fiat, nisi hilari, uolente, gaudenteq; corde fiat, id est, in spiritu libertatis. Alioqui, si lex spiritualis dicenda est, quæ tantummodo spiritualia opera præcipiat, iam nulla lex spiritualis erit, nisi quæ iuxta Theologos nostros, de actibus cordis elicitis præcipit. Neq; charitatis opera erunt spiritualia. An lauare pedes hospitum, subuenire pauperi, monere errantem, orare pro peccatore, tolerare iniuriam, non sunt corporalia? imo, non minus, quam ulla ceremonialia tam ueteris, quam noui testamenti. Sed spiritus fidei, ipse solus inter opera discernit, alioqui operum nulla prorsus differentia, neque eorum, quæ per animam, neque quæ per corpus fieri possunt. Omnia tunc sunt carnalia uel literalia, quando cogente

Opus bonum fit in spiritu libertatis.

litera, absente lege spiritus, fiunt. Tunc sunt spiritualia, quando praesente lege spiritus fiunt, ut infra uidebimus.

Et hic uides, credo radicem, unde mihi crescit indignatio, in tot decreta, statuta, decretales pontificum, qua tyrannide nunc ecclesia, & oppressa iacet & indies vastatur. Nam cum refrigescente charitate, & Deo pro peccatis nostris, legem spiritus paulatim auferente, penitus tolli oportuit & leges, quas sine illo spiritu impleri non sit possibile. Potius augentur cotidie, magna ira Dei, Et fit ut imponant onera hominibus importabilia (praesertim, si redemptrice careas pecunia) quae nec digito ipsi mouere uelint aut possint, interim pastura ouium per uerbum fidei & spiritus, ne cogitata quidem, a tam uigilantibus pastoribus ouium Christi, hoc est quod gemo, per tot inutiles leges & noxias, nihil nisi infinitas offensas Dei augeri, cum & spiritu impleri praecepta oporteat, & tamen ex nobis spiritus haberi non possit.

Consilium.

Verum, consilium tamen interim dabo. Primum, si spiritum habes, ut uolenter possis omnia illa tollerare, fac ita & uelut si sub Turca alioue tyranno, pro uoluntate Dei, premereris. Siquidem, legum tyrannis cum premat conscientias, longe superat Turcarum tyrannidem, quae corpora tantum premit, aut resculas corporis: quanquam nec in hac parte Turcas nobis superiores habemus, si rapinas palliorum, annatarum, aliosq; intolerabiles Bullarum cauponationes expenderis. Sin inuitus es, age, data uel pecunia, uel fauore, eme, quae tibi gratis debebantur, quando aliter fieri non potest, & excute per indulta collum tuum, ab hoc onere. Verum, haec intelligo de ijs praeceptis, quorum opus non obstet necessitati aut charitati. Nam talia, ut supra dixi, cum fiducia rumpenda sunt etiam gratis, adhibito consilio boni uiri. De ijs autem loquor hic, quae inuitus facis, etiam si non sit necessitas uel charitas causa omittendi. Hic enim melius est, ut modicam pecuniam perdas, quam laqueo legum conscientiam torqueas. Nec simoniam timeas, quando non studio & uoluntate emis (uelles enim magis gratuitum dari tibi) sed uelut exactionibus importunis cedis inuitus. Si pauper es, aut loci distantia prohiberis, saltem in publico, pro uitando scandalo, obtempera, in occulto penes te ipsum, arbitrium consule boni uiri, certus, quod, ubi pastor tuus curam tui posthabuit, Christus eo mitius tecum aget, modo suis mandatis obedieris ex corde.

Bullarum cauponationes.

Christo crucifixus sum cruci, uiuo autem, iam non ego, uiuit uero in me Christus.

MOrtuum se dixerat legi, iam modum huius mortis exprimit, qui est crux Christi. Huc pertinet quod Gal, inf. 5. Qui Christi sunt carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs suis, Et Petrus 1. Petri 4. Christo in carne passo, & uos eadem cogitatione armamini, qua qui passus est in carne, desijt a peccatis, Et c. ij. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, iusticiae uiuamus. Hinc B. Augu. lib. 3. Tri. 4. passionem Christi esse, & Sacramentum & exemplum, docet. Sacramentum quod significet, & credentibus donet mortem peccati in nobis, Exemplum, quod & nos imitari eum oportet patiendo moriendoque corporaliter. Sacramentum est illud Rom 4. Qui mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationē nostram. Exemplū est 1. Pet. 2. Christus pro nobis passus est, uobis relinquens exemplū, ut sequamini uestigia eius. Sacramentū latissime tractat Ro. 6. 7. Col. 3. & alijs multis locis.

Christi passio, est Sacramentum & Exemplum.

Ita &

Ita & hic Crucifixum se dicit Christo, iuxta sacramentum quod peccatum & concupiscentias mortificauerit.

Quod autem dicit Apostolus, hoc est, ij, qui per legis opera iustificari quærunt, non modo non crucifigunt carnem suam, sed etiam augent concupiscentias eius, tantum abest, ut iustificari possint. Lex enim uirtus peccati est, irritans inuitam concupiscentiam, dum eam prohibet. Fides autem Christi, cum diligat legem concupiscentiæ prohibitricem, iam idem quod lex iubet faciens, concupiscentiam aggreditur & crucifigit. Non ergo per legem peccati abolitio, sed cognitio tantum & auctio, frustraque in illa iustificatio quæritur. Tum uiuit iustus non ipse, sed Christus in eo, quia per fidem Christus inhabitat, & influit gratiam, per quam fit, ut homo non suo sed Christi spiritu regatur. Nam dum nostro agimus spiritu, concupiscentias sequimur, non crucifigimus. Totum ergo Christo, non nobis dandum est, quod credimus, quod iusti sumus, quod legi mortui sumus, quod concupiscentias mortificamus.

Lex uirtus est peccati.

Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei, qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.

OPtime Erasmus, Quod autem nunc uiuo, id est, quam uitam nunc uiuo &c. Sicut & ad Romanos 6. idem interpretatur, aut quod tempus uiuo. Sicut 1. Pet. 4. Voluntati Dei quod reliquum est, uiuat tempus. D. Hierony. aliud putat, esse in carne, & uiuere in carne, Quod alibi dixerit. Vos non estis in carne, Et Rom. 7. Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Hoc uideo, quod 2. Cor. 10. In carne enim ambulantes, non tamen secundum carnem militamus, malum semper intelligat, secundum carnem ambulare. Permanere autem in carne, necessarium scribit ad philippenses. Proinde, haud scio, an constans sit ista distinctio.

Esse in carne.

Est autem sensus Apostoli, Dixi me iam non uiuere, sed Christum in me, uerum, ne existimetis aut hæreticis futuris occasio data uideatur, quod uita christiana sit extra carnem, in religione angelorum, in mirabilibus supra se ambulando, sic uiuit in me Christus, ut tamen in carne uitam agam, non autem sic in carne uiuam, quod ex carne, in carne, aut secundum carnem sit uita mea, sed in fide filij Dei. Iusticiarij uero & ipsi in carne quidem uiuunt, id est, In præsenti uita agunt ueram hanc uitam, non agunt in fide Christi, sed in operibus legis, ideo mortuam in peccatis uitam agunt. Vbi Paulus uitam in iusticia uiuentem ducit, Sic utramque uitam simul inuoluit corporalem & spiritualem. Corporalem tunc uere esse uitam, si in Christo & spiritui fidei uita uiuatur. Sicut enim lex occidit suos cultores spirituali morte, dum facit peccatum roborari & augeri, Ita & uitam corporis, mortuam, id est, peccatricem facit.

Interpretatio Apostoli.

Vbi sunt ergo nostri Neutrales, qui inter peccatum & iusticiam fidei, medium statũ finxerunt, scilicet moraliter bonum? cum Apostolus ipsam legis iusticiam appellet mortuam. At mortuam apud Apostolum non dicitur nisi quod peccatum prius sit, sicut dicit; Stimulus autẽ mortis, peccatum est. & Rom. 5. Per peccatum mors. Non ergo opus aliquod mortuum, & non mortale (ut dicunt) seu non meritorium, sed mortuum simul & peccatum est.

In neutrales & morales theologos.

Non abijcio gratiam Dei, si enim per legem iusticia, ergo Christus gratis mortuus est.

Tam

Magnopere notandum.

Syllogismus Apostoli.

In cerebrosos distinctores.

TAm magna iniuria est, uelle operibus, uiribusque nostris per legem iustificari: ut Apostolus id appellet, abiectionem gratiæ Dei: non tantum ingratitudinem (quæ per se pessima est) sed & contemptum, cum gratia dei, summis studijs, debuerat inquiri, at illi gratis acceptam repudiant, uehemens certe obiurgatio. Illum Syllogismum Apostoli, dignum est perpendere, Si per legem iusticia, &c. cum fiducia pronunciat. Aut Christum esse gratis mortuum (quod est summa blasphemia in Deum) aut per legem nihil, nisi peccatum, haberi. Nam illi procul a sacris literis arcendi sunt, qui distinctionibus e suo cerebro depromptis, iusticiam aliam moralem, aliam fidei, & nescio quas alias, ad Theologiam afferunt. Habeat sane ciuile Ius, suam iusticiam, philosophi suam, & quicunque suam. Nos oportet hic iusticiam ad intellectum scripturæ accipere, quam Apostolus plane negat esse, nisi per fidem Ihesu Christi. Cætera omnia opera, etiam sacratissimæ legis Dei, adeo non præstare iusticiam, ut etiam peccata sint, & hominem peiorem faciant coram Deo. Quin tanta esse peccata, & a iusticia tam longe, ut necesse fuerit filium Dei mori, quo iusticia nobis donaretur. Ne ergo in Theologia iusticiam uocaueris, quod extra fidem Christi fuerit. Si autem iusticiam non esse certum est, certum pariter est peccatum esse, & damnabile peccatum.

Iusticia moralis.
Iusticia Christi.

Fides iustum facit.

Vide ergo, nouam iusticiam, nouamque iusticiæ definitionem. Vsitate enim dicitur, iusticia uirtus est, reddens unicuique quod suum est. Hic dicitur, iusticia est fides Ihesu Christi, seu virtus qua creditur in Ihesum Christum, ut Rom. 10. Corde creditur ad iusticiam. id est, si quis uelit iustus esse, credat necesse est corde in Christum. Et B. Hiero. c. 3. Scita est sapientis, uera illa sententia, non fidelem uiuere ex iusticia, sed iustum ex fide, id est, non sua iusticia, fidelis est, sed fide iustus est. Pulchra certe sententia Iam sequitur, quod iustus per fidem, nulli dat quod suum est per seipsum, sed per alium scilicet, Ihesum Christum, qui solus ita iustus est, ut omnibus reddat, quod reddendum est, imo omnia ei debent. Qui autem in Christum credit, & spiritu fidei, unus cum eo factus est, iam non solum satisfacit omnibus, sed id quoque efficit, ut omnia sibi debeant, habens cum Christo omnia communia. Peccata sua iam non sua, sed Christi sunt. At in Christo peccata iusticiam uincere nō possunt, sed uincuntur, ideo in ipso consumuntur. Rursum, iusticia Christi, iam non tantum Christi, sed sui Christiani est. Ideo non potest ulli debere, aut a peccatis opprimi, tanta fultus iusticia

Inæstimabilis Christianorum gloria.
Iusticia Dei.

Hæc est illa inæstimabilis gloria Christianorum, Hæc ineffabilis diuinæ charitatis circa nos dignatio, qua tanta, tam preciosa nobis donata sunt, pro quibus ne abijciatur, merito sic ęstuat Paulus. Vnde & hęc iusticia, Dei iusticia uocatur ut 1. Cor. 1. Qui factus est nobis a Deo, sapientia & iusticia, & sanctificatio, & redemptio. Sic Ro. 1. Non erubesco euangelium, iusticia Dei reuelatur in illo, ex fide in fidem, sicut scriptum est, Iustus ex fide uiuet: & Rom. 10. Ignorantes iusticiam Dei, & suam querentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti. Hæc est illa uox Psalmorum. 30. In iusticia tua libera me, non mea utique quæ ex lege est, & peccatum est, Et iterum 42. Exaudi me in iusticia tua. 71. Deus iudicium tuum Regi da. Et iusticiam tuam filio regis. Orietur in diebus eius iusticia, & abundantia pacis Et: 97. Iudicabit orbem terrarum in iusticia. Et quid multis? IVSTICIA Dei in Scripturis fere semper, pro fide & gratia accipitur, rarissime pro seueritate, qua damnat impios, & liberat iustos, ut nunc passim usus habet.

Iusticia Dei, fides & gratia.

Quod

Quod si iusticia fidei, dicenda est, reddere unicuiq; quod suum est ex nobis ipsis, potius intelligitur id facere per cessionem (ut uocant) omnium bonorum, quo modo docuimus Lucæ. 14. in parabola ædificantis Turrim & pugnaturi contra Fortiorem se docet. Hi enim ædificant turrim (exemplo eorum, qui Babyloniæ turrim cœperunt) qui suis uiribus freti, per opera legis sese quærunt iustificare, & saluos facere. Et occurrunt Christo iudici futuro robustissimo, cum pauculis operum copijs. Quibus consulit, ut primum sumptus supputent, & inuenient quod non possint, ideo relictis omnibus, sapientiæ, uirtutis, iusticiæ præsumptionibus, adhuc illo longe agente, rogent pacem, desperantes de seipsis, & se in misericordiam uenturi regis, plena fide projcientes. Sic enim conclusit eandem Parabolam. Sic omnis ex uobis, qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus, hoc est, non eris christianus, nisi sola fide nitaris, tuis iusticijs penitus reiectis. *Cedendum bonis nostris.*

CAPITVLVM III.

O Insensati Galatæ, quis uos fascinauit non obedire ueritati?

NVnc ad Galatas reuertitur. Nam hucusq; contra Petrum dixisse, D. Hierony. putatur. Verum, an omnia ista, præsente Petro effuderit, nescio. Ego diuinarem, ab illo loco, propter quod non iustificatur ex operibus legis omnis caro, desijsse cum Petro loqui. Quia repetit, quod Paulo superius ad Petrum dixisse se scribit, scientes, quod non iustificatur homo ex operibus legis &c. Atq; iam ab isto loco, cum Galatis deinceps disputare, & reliquis argumentis, opera legis confutare. Tamen esto unicuiq; hic suum iudicium. Igitur Paulus totus æstuans pio zelo, & si totam Epistolam fere argumentis & confutationibus repleuerit, immiscet tamen aliquoties exhortationem, obiurgationem, nonnunquam & eadem repetens inculcat, omnia tentans pro Apostolica sollicitudine, insensatos, stultos, amentes, eos uocat, autore Hieronymo. Vel quod Regionis proprietate eos pulsat, sicut ad Titum, Cretenses mendaces, & alias gentes, alijs uitijs notat, uel, quod a maioribus ad minora uenerant, ac uelut repuerascere cœperant, ad Pædagogum legis reuersi. Et hoc magis mihi probatur, nam in sequentibus de elementis, de Pædagogo, de hærede paruulo disputat, manifeste eorum stultitiam & pueriiciam taxans. Hoc & uerbum fascinauit, ostendit. Pueris enim & ætati paruulæ, ut idem Hieronymus ait, dicitur proprie fascinus nocere. *Pia & feruens Apostoli solicitudo.*

Est autem FASCINARE, aspectu malefico lędere, ut Virg. Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Hoc utrum uerum sit, nec ne, Deus uiderit, inquit Hiero. Quia potest fieri, ut Dæmones huic peccato seruiant. Ego credo hunc esse morbũ infantulorum, quẽ mulierculæ nostræ uulgo, die Elbe seu das Hertz gespan, uocant, quo uidemus infantes tabescere, macrescere, ac misere torqueri, aliquando incessanter clamare & flere. *Fascinare.*

Cui mor-

Cui morbo, rursum, nescio quibus literis & superstitionibus, tentant occurrere. Creditum est enim, ab inuidis illis, & maleficis uetulis, si cui formosulum infantulum matri inuideant, talia fieri. Vnde & uerbum græcum non tantum fascinare, sed & inuidere quoq; significat, teste Hiero.

Pulchra similitudo

Ita & Galatæ, cum essent in Christo, quasi modo geniti infantes, & fœliciter crescerent, a Pseudoapostolis fascinantibus sunt læsi, & ad legis macredinem, imo miseriam, tabescentes reducti. Et satis pulchra stat similitudo. Nam ut fascinator diros figit in infantē oculos, donec noceat, ita pestilens doctor, figit oculum suum nequam, id est, sapientiam suam impiam, in simplices animas, donec in eis ueram intelligentiā corrūpat. Oculus enim, ut Lucæ 11. in scripturis, doctrinam, cognitionem, etiam ipsum doctorem significat, ut Iob. 31. oculus fui cæco. Et, Si oculus tuus scandalisat te &c. Hi sunt, quos scriptura, dolosos, illusores, mentiumq; deceptores uocat. Psal. 1. In cathedra pestilentiæ non sedit. Heb. in sessione illusorum. Prouerb. 3. abominatio est Domino omnis illusor, & cum simplicibus sermocinatio eius.

Oculus in S. literis.

Sed hic insurgit quæstio, an Apostolus hoc loco credendus sit approbare, fascinum esse aliquid. D. Hiero. putat eum usum sermone triuij, & ex opinione uulgi exemplum sumpsisse, non quod fascinum esse scierit, quo modo & nonnulla alia, ex gentium fabulis, in scriptura assumi uidentur, ut Arcturus, Orion, Pleiades in Iob. Syrenes, Onocentauri Pilosi apud Isaiam. Ego (ut dixi) credo maleficas illas, opera Dæmonum, Deo permittente, uere infantulis nocere posse, in pœnam infidelium, & in probationem fidelium, cum & multa alia, ut euidens est experientia, noceant, tam in corporibus hominum, quam pecorum, omniumq; rerum. Atq; hæc Apostolum, non ignorasse.

Quæstio de fascino, an sit aliquid.

Ante quorum oculos Christus Ihesus proscriptus est, & in uobis crucifixus.

Varie hic locus tractatur.

VArie hunc locum uideo tractari. D. Hiero. proscriptus intelligit, quod Galatæ Christum crucifixum, non modo Apostolorum uoce, sed ex scripturis quoq; Prophetarum cognouerint, & sic pro & ante scriptum cognouerint, quam dictum seu prædicatum. Et ista gemina eruditione scripturæ & uocis firmati, non debuerant utiq; a Christo desciscere. B. Ambro. quem Lyra sequitur, arbitratur, Galatis, quia in opera legis confidebant, Christum esse proscriptum, ut Iuristæ de proscriptione loquuntur, id est, eiectum, damnatum & exulem factum. B. August. præscriptus legit. Et sicut possessio amittitur per alterius præscriptionem, ita Christus amiserit Galatas, præscriptus, scilicet a Pseudoapostolis. Nulla harum me capit.

D. Hieronymus.

B. Ambrosius.

B. Augustinus.

Erasmus, sed & Stapulensis non dissimiliter, sic accipiunt Christum fuisse, uelut in pictura, Galatis præscriptum, & depictum, ita ut manifestissime cognitum haberent, & tamen nunc fascinati & illusi, eum non agnoscant. Sic enim solent incantamentis & præstigijs capti, nec id cernere, quod in oculis manifestissimum est, & id uidere, quod nusquam est. Et huic uerbum græcum Proegraphe patrocinari uidetur sensui. Id autem me mouet, QVOD CHRISTVM IN ALIQVO CRVCIFIGI, nunquam in bonum accipitur in scripturis, sicut Heb. 6. Rursus crucifigentes in semetipsis filium Dei. Et supra. Non ait crucifixus est in me Christus, sed uiuit in me Christus. Hic autē dicit, in uobis crucifixus, utiq; hoc gemens & æstuans

Christum in aliquo crucifigi.

& æstuans. Quod Christus non uiuit, sed mortuus in eis est, hoc est, fidem eius, per legis iusticiam, in eis extinctam esse.

Proinde si auderem, diuinationem meam hanc diuinarem. Primum, uerbum præscriptus, siue, de Scriptura, siue pictura accipiatur, probo ut sit præscriptus, quod coram positus, & ad oculum monstratus. Nam ideo addit, ante oculos, ut exprimat hunc sensum. Deinde deleta coniunctione & (ut in græco) sic stet textus. Quibus in oculis, seu ante oculos, Ihesus Christus præscriptus est, in uobis crucifixus, hoc est, Ecce uosipsi cernitis, & argumentis prædictis effectum est a me, ut clarum, & in oculis uobis depictum & ante scriptũ sit, Ihesum Christum esse in uobis crucifixum. Hunc esse sensum, si præcedentia, imo totius Epistolæ argumentum attendas, credo, non negabitur. Præmiserat enim, Non abijcio gratiam Dei, uiuo non ego. Item, si ex lege iusticia, iam Christus gratis mortuus est. Quæ omnia eo tendunt, quod Christus sit in ijs crucifixus (sicut in Iudæis) quicunque non in eum, sed in seipsos, ac legem confidunt. Nam tunc est abiecta gratia Dei, non uiuit in eis Christus. Quid ergo restat, nisi quod sit mortuus, & crucifixus in eis. *Diuinatio Lutheri.*

Vtitur autem Apostolus pro æstu suo, uerbis epitasi multa ardentibus, & uelut impetuosis. Ante oculos præscriptus (inquit) Q. d. nescio, quomodo clarius monstrare possem. Deinde, non solum nomen Christi, sed Ihesus Christus. Vtrunque nomen cum pondere inclamans, tandem in uobis crucifixus. Mitius erat, si non in uobis, qui tanti fuistis: & leuius erat, mortuus aut passus, aut infirmus: sed atrociter crucifixus (inquit) in uobis, ignominiosissime scilicet a uobis tractatus. Obsecro, quid faceret, si & modo uideret in Ecclesia, legibus hominum, Christum etiam plus quam crucifigi? Nempe illud, quod Act. 20. cum lachrymis intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in uos, non parcentes gregi &c. *Nota pondus Scripturæ.*

Hoc solum a uobis uolo discere, ex operibus legis, Spiritum accepistis, an ex auditu fidei?

VIde quam efficaciter tractat locum ab experientia. Quid enim hic prætexent? sint cætera (inquit) infirma argumenta, quibus usus sum, quid hic dicetis? hoc solum docete, age, sim hic discipulus uester, in operibus legis, qui uersati estis, dicite, si unquam Spiritum acceperitis, donec me prædicante Christum, crederetis? Sic, cum fiducia insultans, ac iam uelut insolubili uinculo obstrictis, dicit.

Sic stulti estis, ut cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.

APparet autem ista ab Apostolo scripta, ijs, qui ex Iudaismo crediderant, & prius in operibus legis uersati fuerant: Deinde Spiritum sanctum uisibili signo acceperant, sicut tunc dabatur: alioqui non satis urgeret hic locus. Aut certe mixtim gentibus & Iudæis scribit. Sed gentibus, quæ a Iudæis antea in legem tractæ fuerant. Nisi dixeris Apostolum loqui de operibus legis, in quæ relapsi fuerant a fide Christi, quod sane mihi probabilius est. Nam ab Apostolis falsis, non accepisse eos

Spiritum, sicut acceperant per Paulum antea, satis certus erat. Quod autem D. Hiero. hoc loco discernit opera legis ab operibus bonis, & Cornelium ex operibus spiritum accepisse putat, Act. 10. sane non credo, cum clarum sit, ad prædicationem Petri, hoc est, ad auditum fidei (ut hic dicit) cecidisse super eos Spiritum sanctum. Neque etiam Abraham, Moses, & cæteri Sancti (sicut conatur) ex operibus legis naturalis iustificati sunt, sed ex fide, ut hic, & Rom. 4. scribitur. Apostolus non legem ceremonialem tantum, sed omnem prorsus legem notat.

Sola fides iustificat, & bona opera facit.

Quia cum sola fides iustificet, & opera bona faciat, Sequitur, quod nulla prorsus cuiuscunque legis opera iustificent, neque bona sint opera ullius legis, sed tantummodo fidei. Hæc autem attuli, ut lectorem Hieronymianum monerem id, quod ipsemet postulat, & in prologo suo & Epistola ad B. August. scilicet commentarios a se esse scriptos, in quibus usus est, referre aliarum sententias, & lectoribus liberum iudicium relinquere. Hoc enim, cum non pauci Theologi & Iurisperiti non obseruent, aliquando monstra sententiarum sequuntur, pro domestica Ecclesiæ doctrina.

Auditus fidei.

Illud autem, auditu fidei, pulchre Erasmus (ut omnia) pro ipso audibili, pro ipso (ut inquit) sermone, qui auditur, ut sit auditus Fidei, id, quod uerbum fidei auditum. Acto. 10. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant uerbum. Sic Isa. 53. Domine, quis credidit auditui nostro. Et Abacuc. 3. Domine, audiui auditionem tuam & timui. Item frequens hic Tropus scripturæ, ut Hiere. 49. Abdiæ. i. Auditum audiuimus a Domino &c. Sed hic rursus laborat D. Hiero. Vnde surdi fiant Christiani, præsertim, quando Rom. 10. dicit. Quomodo audient sine prædicante? quomodo credent, quem non audierunt? Et ut habet illic gradatio Apostoli. Primum est mitti, deinde prædicari, tum audire, tum credere, tum inuocare, & sic salutem consequi.

Gradatio Apostoli. Rom. 10.

Addam ego, quomodo infantes salui fiunt, & baptisantur? cum & ipsi non audiant. Respondet Primum, quod fidem ex auditu esse, & in parte, & in toto accipi potest, sed hoc euincit Paulus. Quomodo (inquit) credent, quem non audierunt? Deinde, quod aliorum gestu & conuersatione possunt surdi Euangelium discere, sed ubi infantes? Igitur, quod nouissime sentit, sequor, scilicet, quod uerbo Dei nihil surdum est, & ad eas loquitur aures, de quibus dicitur. Qui habet aures audiendi, audiat. Hanc Responsionem fortiter amo, eo, quod nec in adultis & audientibus, uerbum Dei audiatur, nisi intus Spiritus incrementum det. Ideo, uerbum uirtutis & gratiæ est, simul dum aures pulsat, intus spiritum infundit. Quod si Spiritum non infundit, nihil differt audiens a surdo. Quocirca, ipse sonus uerbi, ministerio Ecclesiæ super infantem prolatus, eo facilius operatur per Spiritum, quo paruulus uerbi est capacior, id est, patientior, nullis aliis rebus implicatus.

Meritum congrui.

Potentissime ergo Paulus hic confodit opera legis, tum etiam nostrorum Theologorum somnia, qui meritum congrui inuenerunt ad gratiam obtinendam. Verum, Apostolus dicit, non operibus, sed auditu uerbi, hoc est, si patiaris uerbum, quiescas tu, & sabbatum Domini, a tuis operibus ferieris, ut audias quid loquatur in te Dominus Deus tuus. Ideo signabis hoc Pauli memorabile documentum. Si uis gratiam consequi, id age, ut uerbum Dei, uel audias intente, uel recorderis diligenter, Verbum inquam, & solum uerbum, est uehiculum gratiæ Dei.

Verbum audire.

Nam,

Nam quæ tu opera congrui uocas, aut mala sunt, aut gratiam iam uenisse necesse est, quæ illa operetur, stat fixa sententia, ex auditu fidei accipi spiritum. Hoc modo acceperunt spiritum quicunque acceperunt. Tu ergo ne tibi propriam fabrices machinam consilij, reiecto consilio Dei.

Obserua, carne consummari dicit, hoc est, finiri, desinere, deficere. Ex quo loco claret, carnem non modo pro sensualitate, seu concupiscentijs carnis accipi, Sed pro omni eo, quod extra gratiam & spiritum Christi est. Nam certum est, Galatas non ideo consummari carne, quod luxurias, libidines, aut quibuscunque moribus carnem sequerentur. Sed quod opera legis & iusticiam, relicta fide, quærerent. At iusticia, & opera legis, non sunt tantum res sensuales, cum huc etiam pertineat opinio & fiducia, quæ in corde sunt. Quicquid igitur ex fide non est, caro est. Heb. 9. In uarijs iusticijs & baptismatibus carnis. Sic Gen. 6. Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Non ait, quia carnem habet, sed quia caro est. Et Rom. 7. Non inuenio in me, hoc est, in carne mea bonū. Idem ergo ipsemet & caro sua, quantum est ex Adam. Sic iterum. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et Matth. 16. Caro & sanguis non reuelauit tibi. Sed & 1. Corin. 3. Adhuc (inquit) carnales estis, homines estis, cum tamen de Apostolorum nominibus certarent.

Caro. *Hebr. 9.* *Gen. 6.* *Rom. 7.* *Matth. 16* *1. Cor. 3.*

Quibus fit, ut omnis omnium hominum, Philosophorum, Oratorum, etiam Pontificum doctrina & iusticia carnalis sit, ubi non fidem docent, & satis abusiue sacros Canones dici, qui de dignitatibus & opibus statuuntur, intelliges, si hic Apostolum audias. Rursum, nihil tam carnale est, & externum, quin si operatore fidei spiritu fiat, spirituale sit. Consummantur ergo Galatæ carne, dum affectum & opinionem accipiunt operum legis quorumcunque, præsertim relicta fide. Quod aut Origen. & D. Hiero. triplicem hominem ex Apostolo colligit, spiritualem, animalem, (quem neutralem & medium intelligit) & carnalem, infra forte uidebimus quid sentiendum sit.

Doctrina carnalis. *Canones sacri.*

Tanta passi estis, sine causa, si tamen sine causa.

VArie hunc locum D. Hierony. enarrat, sed breuiter, unam sententiam sequor. Quod Galatæ, cum bene currerent in fide Christi, multa fuerant passi, præsertim a Iudæis, qui nullum Christianum non persequebantur, ut in Actibus Apostolorum, & multis epistolis Pauli patet: quæ tamen frustra passi sunt, si in legē recidentes, permanserint extra fidem, tamen, quia sperat eos redituros, dicit, si tamen sine causa, Q. d. si redieritis, non frustra passi fuistis. Arguit enim ab eorum damno, & frustaneo labore, ut commoueat eos, Quia per legem, non modo a iusticia Christi, sed & ab omnibus illius meritis & præmijs simul exciderint.

D. Hieronymus.

Qui ergo tribuit uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis ex operibus legis, an ex auditu fidei?

SVbaudi, tribuit & operatur. Repetit autem & inculcat, quæ iam supra dixerat. Examinat enim experientiam, qua fortissime eos stringit, simul ut audat, & sequentia subiungat. Prius enim solum spiritum acceptum, nunc & operationes uirtutum opponit, hoc est, miracula, quę ex legis operibus sese prius operatos non fuisse, non potuerunt negare.

 Sicut

Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iusticiam.

HOc exemplum & argumentum late Rom. 4. tractat, ubi probat, Abraham ante circumcisionem credidisse, & hanc fidem sibi in iusticiam reputatam. Verisimile est, & apud Galatas, eundem locum ab eo fuisse uocaliter explicatum, & nunc illos commonefieri, & reuocari ad priorem intelligentiam. Rom. 4.

Cognoscite ergo, quia, qui ex fide sunt, hi filij sunt Abrahæ.

COgnoscitis ex iam citata Scriptura, non ergo, qui ex Semine, aut ex circumcisione. Rom 4. Et signaculum accepit iusticiæ fidei, quæ est in præputio patris nostri, ut sit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad iusticiam. Et. 9. In Isaac uocabitur tibi Semen, id est, non qui filij carnis, hi filij Dei sunt, sed filij promissionis æstimantur in semine. Ex hoc loco uides, quam intente & obseruanter uelit Scriptura legi. Quis enim hæc argumenta ex textu Genesis traxisset, quod Abraham ante circumcisionem credidit, quod Isaac non, nisi per repromissionem obtinuit. Et in hoc significari, sicut Isaac acceptus est per fidem Abrahæ credentis promittenti Deo, & in Semen ei uocatus, ita nullus sit alius, quam Abrahæ filius, aut Semen, nisi promissus, & fide acceptus. Et tam longe ante gloriam Iudæorum fuisse confusam, qua de carne gloriantur patrum? Tropus ille (esse ex fide, esse ex operibus) credo satis iam notus sit. Sunt ex fide, qui credunt, & infra. Sunt ex operibus legis, qui operantur. Eiusdem generis sunt, esse ex lege, ex circumcisione, & similia apud Paulum.

Scriptura attente legenda.

Sed non seruat Apostolus regulas Dialecticæ consequentiæ. Dicit enim, Spiritum tributum, & uirtutes factas ex auditu fidei. Et hoc probat, Quia sic Abrahæ fides est reputata ad iusticiam. Ergo ne fidem reputari ad iusticiam, est Spiritum accipere? Aut ergo nihil facit, aut accipere Spiritum, & reputari ad iusticiam, idem erit. Quod & uerum est, & ideo refertur, ne diuina reputatio, extra Deum nihil esse putetur, ut sunt, quibus uerbum Apostoli, gratia magis fauorem quam donum significari putatur. Nam fauente & reputante Deo, uere accipitur Spiritus, donum, & gratia. Alioquin ab æterno gratia fuit, & intra Deum manet, si tantummodo fauorem significat, eo, quo in hominibus modo fauor est. Deus enim sicut diligit reipsa, non uerbo tantum, ita & fauet re præsente, non tantum uerbo. Nec ista ratio consequentiæ uidetur aliqua esse, quod dicit, Abraham credidit, ergo qui ex fide sunt, filij Abrahæ sunt. Posses eadem Dialectica dicere, Abraham genuit ex uxore filium, aut commedit, aut aliud fecit. Ergo qui idem facit, est filius eius. Denique Iudæis sua sententia firmabitur, Abraham est circumcisus. Ergo circumcisi erunt eius filij.

Apostolus non seruat regulas Dialecticæ consequentiæ

Vide rationem consequentiæ.

Fides Abrahæ.

Verum, Apostolus ad Abraham respicit, quando Isaac (qui ei solus in Semen promittebatur) fidei merito obtinuit. Non enim de fide commendatus est, quando Ismael genuit, sed tunc pater fidei institutus est, & multarum gentium, quando uerum suum filium, & legitimum Semen accepit. Ideo Isaac non tam carnis, quam fidei filius est, Abrahæ caro non potuit, sed fides Abrahæ eum genuit, tamen ex carne sua. Quare, non tam

tam Abrahæ, quam credentis Deo promittenti, filius est. Ideo tot uerbis agitur in Gen. ut describatur promissio Seminis, & fides Abrahæ in eandem, & appellatio Seminis in Isaac, sic promissi & crediti, ut ostendatur Abrahæ non esse filios, qui ex carne, sed qui ex fide ei nascuntur. Ideo, quod breuius dixerat, iam latius prosequitur, quomodo sint filij Abrahæ, qui ex fide sunt, propter, scilicet, promissionem, quæ super Ismael non contigit, ideo nec in semen ei reputatus est.

Præuidens autem Scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænunciauit Abrahæ, quia benedicentur in te omnes gentes.

PRæuidens, id est, longe ante uidens, Scriptura, id est, spiritus in Scriptura. Si id, quod hic dicitur, Benedicentur in te omnes gentes, acceperimus pro eo, quod Gen. 12. scribitur, laborem nobis Apostolus præbet, non illum solum, quo B. Hiero. laborat, quod Apostoli sensum magis quam uerba adducant. Sed illum potius, quod eo tempore Abrahæ, nondum erat de filio promissum, nec de fide commendatus ipse, quod c. 15. contigit. Proinde, Hiero. accipit istud Gen. 22. ubi post tentationem Abrahæ, dicitur. Benedicentur in Semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ. Apostolus autem, hoc loco, non in semine tuo, sed in te dicit, sicut Gen. 12. dicitur. Et ego Hieron. secutus, puto Apostolum breuitatis studio omisisse, In Semine tuo, cum statim infra utrunque positurus esset. Abrahæ autem (inquit) dictæ sunt promissiones, & semini eius. Et ita uerum est, in utroque Abraham, & in semine eius promissionem factam. Non refert autem, utrum hic dixerit.

Prouidens.

Gene. 12.

Gene. 15.

Gene. 22.

Cum igitur hæc dicta sint ad Abraham, non qualemcunque aut carnalem, sed iam credentem, obedientem, spiritualem, & omnino alium hominem, denique habentem promissionem: Sequitur, quod Scriptura nos uoluerit docere, non esse filios Abrahæ, nisi qui tales & huius Abrahæ filij & semen essent. Adeo, ut etiam illi fierent filij, qui de carne eius non essent, sed gentes, ut hic dicit. Quod Deus iustificet gentes ex fide, ut Scriptura prouiderat, & Abrahæ pronunciauerat. Ergo in Abraham benedicimur, Sed in quo Abraham? Credente utique. Quod si extra Abraham sumus, maledicemur potius, etiam si in Abraham carne fuerimus. Quia de Abraham carne nihil agit Scriptura. Sunt ergo in Abraham, qui credunt Deo, sicut Abraham.

Filii Abrahæ, credentes, obidientes, & spirituales.

Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

OBserua Epitheton Abrahæ, FIDELI, cum credente Abraham benedicentur, non cum carne generante, aut alia faciente. Non enim Scriptura ei tribuit filios, aut Semen, nisi credenti. Qui ergo sine fide sunt, patris sui imaginem & hæreditatem non referunt. Ergo nec filij quidem sunt, nisi spurij. Sed adhuc obstrepet argutulus quispiam, nec sic ratio consequentiæ stabit: Abraham credit, Ergo credentes sunt filij eius. Quia per fidem Abraham meruit quidem filium & Semen, sed non hinc sequitur, filios eius oportere credere. Alioquin & omnia, quæ credendo meruit, ne-

Non credentes spurii.

Sophista eluditur.

ruit, necesse erit ut credant, aut Abrahæ non erunt. At iam necesse erit, terram Cananeam credere. Sat ergo est, Abraham credidisse, & filios meruisse, sed non ideo filios oportet esse credulos. Respondetur. Primum, quod Apostolus Galatis, ut rudioribus satis esse credit, si filios Abrahæ esse non posse sciant, nisi sint similes eidem.

Profundiorem huius mysterij rationem, quam Rom. 10. prosequitur, consulto hic prætermittit. Nam uere non sunt filij Abrahæ, nisi promissionis filij. Cum autem diuina promissio & prædestinatio fallax non possit esse, Sine difficultate, & consequentia infallibili erit, ut omnes sint fideles, qui promissi sunt, ut sic fides promissorum stet, non necessitate operum, & fidei illorum, sed firmitate diuinæ electionis. Hoc loco satis erat, imitationem Abrahæ commendare, non promissionis & prædestinationis sublimitatem inculcare. Ideo, quamuis consequentia illa non stet, Abraham credit, Ergo filij eius credent, Nisi dum promissionis filios (qui non in sua, neq; Abraham iusticia firmabuntur, sed in electione Dei, Nec ideo credent, Quia filij Abrahæ erunt, Sed ideo filij Abrahæ erunt, quia credent certissime, ut qui a Deo donabuntur, Abrahæ non mendaciter promittente) consyderes, tamen hæc stat, Abraham credidit, ergo filij eius debent credere, si uolunt esse filij. Hoc inquam, satis erat Galatis insensatis, Romanis sapientibus alia debebantur. Itaq; sunt filij Abrahæ, qui credunt, non alij.

Rom. 10. — *Filii Abrahæ, promissionis filii.* — *Nota consequentiã.*

Quicunque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.

DIxerat, benedictos esse eos, qui ex fide sunt. Iam alio argumento, & a contrarijs assumpto, maledictos dicit, qui ex operibus sunt. Vide autem mirabilem Syllogismum Apostoli. Adducit ex Deutro. c. 27. Esse maledictos, qui non faciunt ea, quæ scripta sunt in libro legis. Ex qua negatiua, colligit affirmatiuam hanc. Maledicti, qui operantur opera legis. Nonne hoc affirmat, quod Moses negat? Et quo maior sit absurditas, suam affirmatiuam, per Mosi negatiuam probat.

Mirabilis syllogismus Apostoli.

Diceret aliquis Festus Portius: Insanis Paule, multæ literæ te ad insaniam conuertunt. Quid ergo dicemus? An benedicti sunt, qui non operantur legis opera, etiam tanto Apostolo doctore? At Moses dicit: Maledictos qui non faciant. Restat itaq;, ut iam supra diximus, quod quicunq; extra fidem sunt, operantur quidem opera legis, sed legem non implent. Opera enim legis, simulata opera sunt. Sicut & infra c. 6. dicit. Neq; enim, qui circũciduntur, legem custodiunt. Et 5. Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis faciendæ.

Festus Portius. Act. 26. — *Quæstio. Solutio.*

Ecce nihil implet de lege tota, qui circumcidit se, ergo neq;, si ullum aliud opus legis faciat. Consequens est, ut Moses eo uerbo, omnes homines, sub maledictionem coegerit, & cum dicit, Maledictus omnis &c. idem uoluerit, ac si diceret. Nullus hominum hæc faciet, quæ scripta sunt, ideo omnes erunt maledicti, egentes redemptore Christo. Igitur apud Apostolum, & ipsam ueritatem fixum est, quod operantes opera legis, non implent legem. Et facientes, non faciunt. Sic ut audientes non audire, & uiden-

Operantes opera legis, non implent legem.

& uidentes non uidere, Christus dixit. Videntur enim sibi legem implere, & opera legis facere, sed simulant potius, dum sine gratia, nec cor, nec corpus mundare possunt. Ideo immundis nihil esse mundum, necesse est.

Iam puto Neutralenses meos, hoc loco satis confossos, qui opera quędam neutralia, & in genere morum bona, fixerunt. Hic Apostolus legis opera maledicit, legis, inquam, Dei, quæ utiq; meliora fuerunt, quã dictaminis naturalis. Et ipsa adhuc stertentes, facient securos. At dicunt Apostolum loqui de legibus ceremonialibus, quæ iam sunt mortifera. Contra, ceremonialia nec sunt, nec fuerunt unquam mala, sed fiducia eorum, ut B. August. docet.

In neutralenses Theologistas.

Deinde quod Apostolus de omnibus legibus loquatur, patet, quod etiam querulante Hieronymo, uerbis Mosi addiderit omnis, & omnibus, inquiens, quæ in libro legis scripta sunt. Fortissime autem, quod statim dicet, Christum nos redemisse a maledicto legis. At gentes nunquam fuerunt sub maledicto ceremonialis legis. Ergo omnes redempti sub maledictione legis fuerunt. Sicut enim ante quoq; dixi, parum præstitisset Christus, si a circumcisione, sabbatis, uestibus, cibis, lotionibusq; nos liberasset, & non multo magis, a grauioribus legis peccatis, concupiscentia, cupiditate, ira, impietate. Tum uere non fuisset saluator animarum, sed corporum, quod hæc omnia corporalia fuerunt. Vere itaq; peccatum & maledictum opus est cuiuscunq; legis, si extra fidem, id est, extra puritatem cordis, innocentiam, iusticiam, fiat.

Illud lectoris iudicio relictum uolo, an idem, uel diuersum sit, quod Paulus dicit, qui ex operibus legis sunt. Et quod Moses. Qui non permanserit (seu ut, Heb. est) firmauerit omnia &c. ut faciat ea. Fortasse, aliud est, facere opera legis, & aliud facere ea, quæ scripta sunt, ut sit FACERE, quæ scripta sunt, idem, quod implere. Et facere opera legis, idem, quod simulare, quibusdam externis operibus, impletionem. Sicut Christus dicit. Quid uocatis me Domine, & non facitis quæ dico uobis. Et Rom. 2. Non auditores, sed factores legis iustificabuntur.

Facere ea quæ scripta sunt.
Facere opera legis.

Certum est enim, quod maledictio utrisq; manet, & ijs, qui non faciunt, ut Moses dicit: Et ijs, qui sunt ex operibus legis, ut Apostolus dicit. Ideo omnino tropus est Pauli, ut dixi, eos, qui operantur opera legis, non facere ea, quæ scripta sunt in lege, in qua nimirum fides scribitur. Hæc sola facit omnia legis.

Sola fides, omnia legis facit.

Quod autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, Quia iustus ex fide uiuet.

HAEc est subsumptio explicaturi uerbum Mosi adductum, ac si dicat: Audis ex Mose, maledictum esse eum, qui non fecerit ea, quæ scripta sunt. Et ego pariter assumpsi, tales esse, qui ex operibus sunt. Vtrunq; ita esse illud conuincit, Quia apud Deum, in lege non iustificabitur ullus. Si non iustificabitur coram Deo, iam non facit, quæ scripta sunt. Quod si hoc est, uere maledictus est. Ii enim, qui faciunt, quæ scripta sunt, iustificabuntur. At quod operatores legis non faciant, ex eo sane probatur. Quia iustus ex fide uiuet, Abacuc. 2. Si hic Scriptura uera est, sicut oportet. Et opera legis sine fide sunt, mortua nimirum sunt, & iniustus est, qui facit ea. Si iniustus, ergo non facit quæ scripta sunt. Hic uelim

& illud, in lege, pro, per legem, seu lege dici, ut sit sensus, per legem, nemo iustus erit apud Deum, ut opera legis simul includat.

Lex autem non ex fide.

Hoc est, quod dixi, ideo lege neminem iustificari, quia sola fide iustificabitur iustus. At lex & fides non sunt idem. Nec ipsa, nec opera eius, sunt ex fide, neque cum fide. Proinde coram hominibus iusti sunt, sed non apud Deum, ut sequitur.

Sed qui fecerit ea, homo uiuet in illis.

HOc uerbum ex Leuit. 18. adducit, & Rom. 10. Est autem Apostoli sensus, lex non uiuificat, nec iustificat coram Deo, Qui autem fecerit ea, quæ legis sunt, uiuet ut homo in illis, hoc est, euadet pœnam legis, acquiretque præmium legis, sed non uiuet in Deo, nec ut filius Abrahæ. Quare uim uerborum expende. Homo uiuet in operibus legis, qui tamen mortuus est apud Deum. Homo, inquam, non iustus, & in illis operibus, inquam, suis uiuet, id est, uitam tuebitur, ne occidatur iudicio legis, Non autem uiuet iustus in illis, sed in fide. Memento itaque hoc loco, te ex Apostolo didicisse opera legis esse, quibus ad hominem apparemus iusti & legis seruantes, intus autem, defectu fidei, nihil minus quam iusti sumus. Ideo per legem, non nisi hypocritam fieri, & sepulchrum foris speciosum, intus plenum spurcitia.

Homo uiuet in operibus legis, mortuus tamen apud Deum.

Nam quo minus D. Hiero. Paulum intellexit, in his & similibus locis, causa fuit, operum legis non recta cognitio, & nimia Origenis allegorisatio. Dicit enim hoc loco, Mosen & Prophetas, sub operibus legis & maledicto fuisse, quod omnino falsum est. Fide enim iustificati & sanctificati uixerunt apud Deum, etiam antequam lex & opera legis præciperentur, qualia ipse uult ceremonialia tantum. Postea tamen ui ueritatis, redit in uiam, dicens, eos fuisse peccatores, iuxta illud Eccles. 7. Non est iustus in terra, qui faciat bene, & non peccet, quod de lege morali utique intelligi oportet.

Matt. 23.

Tale & illud est, quod iustum ex fide uiuere, sic intelligit, quod iusto si accesserit fides, iusticia eius uiua erit, ita ut sine fide, uirtutes asserat, sed uitiosas. Sed hæc & alia, prudens Lector sic legat, ut meminerit ex aliis ea, per D. Hiero. allata. Non est iustus ullus ante fidem, sed gratis iustificatur, & bonum pro malo accipit. Apostolus enim uult hominem ex lege uiuere apud homines, sed iustum hominem ex fide apud Deum, hoc est, quod iusticia, uita, & salus hominis, apud Deum sit fides, non iusticia prior fide, sed per fidem iusticia & uita.

Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum (quia scriptum est, Maledictus omnis, qui pendet in ligno) ut in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Ihesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem.

☞ PRimum, cum iis expostulo, qui nec sub maledicto legis sunt, nec Christo redemptore indigent. Hi sunt, qui aliud esse contra legem, aliud contra intentionem legis statuunt. Contra legem agens peccat, sed contra intentionem legis, non peccat, tantum a bono deficit. Hæc uenena quis fe-

quis ferat ? Sed audi, quomodo probent (intentionem autem uocant, quod Deus opera legis requirat in charitate fieri) Si homo (inquiunt) teneretur ad intentionem legis, Sequeretur, quod existens extra gratiam, assidue peccaret, non occidendo, non mœchando, non furando &c.

Respondeo, non peccat, non occidendo &c. sed peccat intus, odiendo, concupiscendo, cupiendo latenter, & irritatus euidenter. Ista enim immundicia occulta cordis & carnis non tollitur, nisi fide per gratiam Christi. Non est ergo intentio legis, ut in gratia seruetur, tanquam sit gratia, exactio quædam. Sed intendit lex ut seruetur. Seruari autem non potest sine gratia, Ideo cogit quærere gratiam. Itaq;, omnes sub legis maledicto sumus, qui sine gratia fidei sumus, ut iam satis est dictum. Cum enim solum, ex fide iustus uiuat, patet maledictio legis in incredulos, ne Christi redemptionem frustremus, aut tantum ad ceremonialia referamus, a quibus & homo potuisset nos redimere. Denique, opera legis fieri ex nobis potuerunt.

Reliquum ergo est, ut ab ira, impietate, concupiscentia, & alijs malis, in corde & carne, per Adam & Euam plantatis, redemerit, quibus facti immundi omnes nos, iusticias pollutas operabamur, & ita nihil implebamus de lege. Quare iuste maledictioni & damnationi deputabamur. Sic per legem non adiutorium, sed nostri mali indicium & monitorium habemus. Sicut autem ad Corinthios dicit, Christum esse pro nobis factum peccatum, ut nos essemus iusticia Dei in illo, ita hic maledictum, ut benedictio Abrahæ fieret in Christo eodem, in gentibus. Simili omnino tropo: Sic mortuus est, ut nos essemus uita in illo : sic confusus, ut nos gloria fieremus in illo, omnia pro nobis factus, ut omnia fieremus in illo. Hoc est, si credimus in eum, iam legem implemus, & liberi sumus a maledictione legis. Nam hoc quod nos merebamur maledici & damnari, pro nobis subijt & exoluit. *Christus pro nobis factus peccatum.*

D. Hierony. mire laborat, ne Christum a Deo maledictum admittat. Primum ponderat, quod Apostolus non reponat uerba legis, quæ sic habent, Deut. 21. Maledictio Dei suspensus. Apostolus autem 70. sequutus dicit. Maledictus omnis, qui pendet in ligno, omittens particulam, a Deo, quam illi addiderunt. Breuiter, etiamsi in Heb. non ponatur (in ligno & omnis) tamen præcedentia textus cogunt, de quolibet in ligno suspenso, Mosen intelligi. Ideo nihil Apostolus mutauit, quod mouere possit. Quod autem omisit (a Deo) nec hoc mouet, certum fuit Apostolo, quod a Deo factum intelligeretur. *D. Hieronymus.* *Deut. 21.*

D. August. refert quosdam, parum eruditos, id intelligi uoluisse, de Iuda traditore suspenso. Stapulensis alia cogitat. Verum, stat textus Apostoli clarus, ideo Christum esse maledictionem factum, non, quod aliquid dignum maledicto admiserit, sed quia Scripturæ sententia generalis est, omnem, qui in ligno pependerit, esse a Deo maledictum, ideo Apostolus forte, quia dire sonabat, Christum maledictum uocari, molliuit hoc statim, adducta Scripturæ autoritate. Nihil ergo est, quod D. Hiero. hoc uerbum, non de Christo uelit intelligi, cum Apostolus, ut generalem sententiam adducens, de Christo uoluit probare, quod dixerat. Nam cum ipsemet Christus ex Isaia. 53. dicat, Se cum iniquis deputandum, Quid monstri est, eum maledictum cum maledictis nominare ? Si cum sceleratis reputatus est, certe, id quod scelerati uocantur, patiunturq;, uocandus est. *D. Augustinus.* *Christus maledictio* *Isa. 53.*

Est autem homo duplex, interior & exterior, ita duplex benedictio & maledi-

Benedictio. *Maledictio interior* maledictio. Benedictio interior, gratia & iusticia in Spiritu sancto. Hæc proprie Abrahæ promissa est in Christo. Maledictio interior, peccatum, iniquitas, ut Psal. 119. Maledicti, qui declinant a mandatis tuis. Et Matt. 25. Ite maledicti &c. Et Hiere. 48. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter, Idem, maledictus, qui confidit in hominem. Benedictio exterior, est abundantia rerum corporalium, Hæc propria fuit ueteris legis. Maledictio, est penuria, ut Malach. 3. Et in penuria uos maledicti estis. Sic Christus maledixit ficum, & exaruit. Sic Heliseus filios Bethel. Nullus itaque scrupulus sit, Christum esse maledictum cum omnibus suis Sanctis, maledictione externa, simul benedictum benedictione interna, ut Psal. 108. Maledicent illi, tu uero benedices. Sic nec horror est, Christum esse mortuum, passum, crucifixum, imo, beati (inquit) cum maledixerint uobis homines. *Psal. 119.* *Matth. 25.* *Hiere. 48.* *Psal. 108.*

Obiectio. *Solutio.* At dices, nondum probas, quod a Deo maledictus sit, id enim B. Hiero. mouit. Respondeo. Maledictiones hominum, sine dubio, Deo ordinante, quenquam tangunt. Sicut 2. Reg. 16. Dominus præcepit ei, ut malediceret Dauid. Et ibidem, Dimitte eum, ut maledicat mihi secundum mandatum Domini. Non præcepit Deus Semei, ut malediceret. Sed quando plenus erat maledictis, ut malo illius bene uteretur, uoluit, ut in Dauid euomeret maledicta sua. Quod autem D. Hiero. audacter negat, in scripturis inueniri quenquam a Deo maledictum, & nunquam nomen Dei cum maledictione adiunctum. Miror, quomodo intellexerit, quod Gene. 3. Serpens a Deo maledicitur, & terra in opere Adam. Sed & Cain c. 4. maledicit Deus. 4. Reg. 2. maledixit Heliseus in nomine Domini pueros Bethel. Et Abacuc. 3. Maledixisti sceptris eius. Et Malach. 2. Maledicam benedictionibus uestris, & benedicam maledictionibus uestris. Forte sanctus uir, quia usu loquendi, Maledictio fere sonat in perniciem rerum omnium, maxime spiritualium & æternarum, quo modo certum est, Cain & terram non maledictos, quia (inquit) maledictus eris super terram. Nam illud Matth. 25. Ite maledicti, forsan denunciari maledictum magis, quam maledici intelliget. *2. Reg. 16.* *Gene. 3.* *Excusat Hiero.* *Matt. 25.*

Sed, ad Apostolum, ut benedictio Abrahæ fieret in gentibus, in Christo, id est, ut impleretur benedictio Abrahæ promissa, quod esset pater multarum gentium in fide. Hæc, inquam, fides promissa est in benedictione. Vnde hic iterum breuiter & obscure tangit, Gentes fore filios Abrahæ, non quia imitarentur, sed, quia promissæ fuerunt, & ideo imitaturæ essent, quia filij essent futuri, Deo promittente & implente, non gentibus facientibus & imitantibus. Non imitatio fecit filios, sed filiatio fecit imitatores. Addit autem, in Christo, ne a linea discedat, quia non suis meritis gentes, sed, nec alia uia Abrahæ facti sunt filij, quam per Christum, id eis promerentem, & ab eis per fidem susceptum, ut sequitur, ut pollicitationem Spiritus, id est, promissionem dandi Spiritus sancti, per fidem acciperemus. Spiritus enim sanctus promissus est Abrahæ, dum benedictio fidei ei est promissa. Fides etiam per Spiritum sanctum, donatur merito Christi, in uerbo & auditu Euangelij. *Gentes fore filios Abrahæ.* *In Christo.*

Fratres, secundum hominem dico, tamen hominis testamentum confirmatum, nemo spernit, aut superordinat.

Apocopen facit Apostolus, addendum est enim. Ergo multo minus testamentum Dei confirmatum, nemo debet spernere, & superordinare, Dicit secundum hominem, ut rudibus Galatis, humana similitudine persuadeat diuina, ut Hiero. sentit. Verum, meo iudicio, nullus tam eruditus est, qui non egeat huiusmodi similitudinibus, in discendo Christo, imo maxime necessarium fuit hoc similitudinis exemplum, alioquin difficilius intelligeretur, quam Rom. 4. ubi idem tractat, sine exemplo huiusmodi, & nondum uidi, qui digne explicaret.

Statuamus ergo utrunque ante oculos, similitudinem, & rem ipsam, & uidebimus, quanto iterum argumento, legis iusticiam expugnet. Intendit autem hanc inferre Conclusionem, Si Iusticia potest haberi ex nobis per legem & opera eius, Iam frustranea est promissio benedictionis Abrahę facta, Quia sine ea iusti esse possumus per legem, aut certe, ipsa non satis est, ut iustificet, si legis iusticia superaddenda est. Et sic testamentum & promissio Dei, aut superfluit, aut deficit, ut necesse sit aliud superordinari. Vtrunque autem detestabilissimum, Ergo oppositum uerum, iusticiam legis, neque necessariam, neque sufficientem. Ecce fortissimum certe argumentum.

Videamus itaque, In omni testamento, est testator, est cui fit testamentum, est ipsum testamentum, est res quæ testatur, seu legatur. Ita hic, Deus est Testator, ipse enim promittit & legat. Abraham & semen eius, sunt, quibus fit testatio, ut hæredibus Dei testatoris. Testamentum est ipsa promissio. Gen. 21. & 17. Res testata, est ipsa hæreditas, id est, gratia, & iusticia fidei, scilicet benedictio gentium in Semine Abrahæ. Si ergo, gratia promissionis, & iusticia Dei, per Christum exhibita (& sic testamento Dei per mortem suam cõfirmato, imo iam executo & distributo) non sufficit, nisi & legis iusticiam habeas, nonne iam testamentum Dei, non nuncupatum modo, sed confirmatum & expletum quoque, irritum fit, & aliquid ei superordinatur? quod ne hominis testamento quidem fieri debet. Si autem sufficit gratia, & testamentum Dei firmum est, patet iusticiam legis, non esse quærendam. Idem Rom. 4. Si qui ex lege sunt, hæredes sunt, exinanita est fides, abolita promissio, quod uidelicet iusticia legis satis esset, non opus esset fide & gratia Abrahæ promissa. *In testamento sunt quatuor.*

Vides ergo quam digne tractet Scripturas Apostolus, ita, ut impossibile sit eum intelligi ab ijs, qui de lege ceremoniali tantum eum putant loqui. Nam eodem argumento concludit contra iusticiam Decalogi, si operibus eius iusti fieri possumus, frustra est Fides, & Benedictio Abrahæ promissa, in gentes diffundenda, cum sine fide & benedictione illa, simus iusti.

Abrahæ autem dictæ sunt promissiones, & Semini eius.

ID est, testamentum Dei ad eum dispositum, quod hic promissiones, infra statim testamentum uocat. Obserua ergo, quomodo similitudinem per testamentum applicet. Promissiones (inquit) dictæ sunt, id est, res legatæ testamentum. Quæ autem res? Benedictio gentium in semine eius, id est, gratia fidei in Christo. Vnde sequitur.

Non dicit, in seminibus, quasi in multis, sed quasi in uno, in semine tuo, qui est Christus.

ILlud, quasi, male ponitur, melius diceretur, ut in multis, ut in uno, quod ui Grammatici sensus patet. Vide, ut Semen Abrahæ significa- *Quasi pro ut.*

significatum docet, Christum, ne Iudaei, se esse iactarent, in quibus gentes benedicerentur, cum tam multi sint, ut certum esse nunquam possit, in quo fieret satis promissioni, iterumq; promissio periclitaretur, & testamentum Dei corrueret. Vnum ergo Semen oportuit, huic benedictioni dandae nuncupari, non modo pro certitudine, sed & pro unitate unius populi Dei, ad sectas prohibendas. Habes ergo, testatorem, testamentum, rem testamenti, ipsosq; quibus factum est. Iam restat, ut confirmetur, & confirmatum reueletur ac distribuatur, hoc est, ut gentes eam in Christo benedictionem accipiant.

Hoc autem dico.

Id est, quod intendebam, nunc dico, nunc me explico, & applico.

Testamentum confirmatum a Deo in Christum.

ID est, per mortem Christi ratum factum. Ratum autem factum in Christum, id est, ut in Christo tanquam repositum, gentibus distribuatur. Nam per Christum, in Christum, testamentum Dei impletum est. Non enim Christus sic mortuus est, ut gratia fidei diffunderetur, qua in aliũ, quam Christum, crederetur, sed in illum ipsum Christum.

(Quae post quadringentos & triginta annos facta est) lex non irritum facit, ad euacuandam promissionem.

OBscurissime & inuolutissime loquitur Apostolus pro aestu suo. Testamentum (inquit) Dei confirmatum in Christum, non debet irritum fieri per legem & iusticiam eius. Fieret autem irritum, & euacuaret promissionem omnino, si eius opera, ad iusticiam necessaria forent, tanquam promissionis gratia non esset satis, aut impotens, ad iustificationem nostri.

Lex 400. & 30. annos lata, post promißionem Euangelij.

Quod autem addit, quae post cccc. xxx. annos facta est lex, per tapinosin facere uidetur in legem, ac si dicat. Si promissio fuisset post legem data, poterat uideri per iusticiam legis merito impetrata. Nunc uero a Deo sine legis operibus, gratia & iusticia datur, ut etiam tot annis, ante legem, multo magis ante iusticiam eius, fuerit promissa, nullis merentibus, nullis petentibus, sed sola Dei misericordia gratuito promittente. Cur ergo lex euacuabit hanc gratiae promissionem, & nunc exhibitionem, cum ad utrunq; lex nihil fuerit operata? Et Ro. 3. dicit. Sine lege manifestata est iusticia Dei. Imo Rom. 4. Contra operata est lex, dum iram potius operatur, & offensiones auget. Absit ergo, ut iusticia innitatur legi, & operibus nostris, imo innitatur fidelissimae promissioni Dei, qui non mentitur, etiamsi nos per legem peiores & indigniores efficiamur.

Iusticia innititur Dei promißioni.

Nam si ex lege haereditas, iam non ex promissione.

Promißio non euacuatur per legem.

ID est, si iusticia quae Abrahae promissa est in benedictione, ex operibus legis, & ex nobis est, euacuata & superflua est promissio. Non potest idem ex nobis, & Deo esse, cum ipse uerax, nos mendaces simus. Probat hoc uerbo, quod iam dixit, promissionem non euacuari per legem. Quia (inquit) si ex lege, iam promissio euacuatur per legem. Sicut & Ro. 4. Si ex lege haeredes, abolita est promissio. Tropum Apostoli satis supra commen-

commendaui, quod legem & opera legis, & iusticiam legis, pro eodem habet, quod iusticia eiusmodi, non uolentibus nobis, sed sola lege exigente fiat. Nostri Theologi hoc uocant ex nobis, seu ex uiribus nostris, seu ex puris naturalibus, Ideo Paulum nequeunt capere, qui legem uidetur accusare. *Nostri Theologi, Paulum non capiunt.*

Abrahæ autem, per Repromissionem donauit Deus.

NOn per legem reddidit, sed per gratuitam promissionem donauit, cum lex nondum esset, multo minus lege ueniente impleuit eandem, Sic habes totum hoc Apostoli argumentum.

Nunc id uidendum, quod Lex post cccc. xxx. annos data est, Supputantur enim anni isti, ab exitu Abrahæ, de terra sua, quando primo accepit promissionem. Gen. 12. usque ad exitum filiorum Israel, hoc modo. Abraham 75. anno egressus est de terra sua. Gen. 12. centenarius autem genuit Isaac (sic habes 25. annos) Isaac sexagenarius genuit Iacob & Esau. Gen. 21. (signa 60. annos) Iacob nonagenarius genuit Ioseph (90. annos signa) ut ex Gen: per multa cap. colligitur. Ioseph uixit c. 10. annos. Gen. ultimo. Post hunc durauit seruitus Aegypti. 65. ut Io. Annius ex Philone dicit, tunc Moses natus, cuius anno 80. exierunt filij Israel. Igitur a. 75. anno Abrahæ ad. 80. annum Mosi, sunt cccc. xxx. anni. Hæc an ita habeant, alij uiderint. Ego cum D. Hiero. sentio, dicente. A multis hæc res quæsita, & nescio, an sit inuenta. Credo enim Apostolum non ex supputatione, ista dixisse, sed ex c. xij. Exodi, ubi dicitur habitatio filiorum Israel, qua habitauerunt in Aegypto, fuit. cccc. xxx. annorum. Sic & Stephanus Act. 7. ex Genesi recitans historiam, ubi c. 15. Abrahæ Deus prædicit. cccc. annos seruiturum Semen suum, ipse miscens utrunque locum cccc. xxx. annos numerat. *Gene. 12.* *Act. 7.* *Annorum ab exitu Abrahæ, ad exitum filiorum Israel supputati.*

Illud quoque nota, quod Apostolus promissiones Dei, testamentum uocat, sicut & alijs locis Scripturæ uocantur, in quo subobscure indicauit fore, ut Deus moreretur. Atque ita in promissione Dei, tanquam in nuncupato testamento, simul incarnatio & passio Dei intelligeretur. Nam ut Heb. 9. Testamentum in mortuis confirmatur. Quare nec Dei testamentum confirmari debuit, nisi Deus moreretur, ut ibidem de Christo dicit. Idcirco, noui testamenti mediator est, ut morte intercedente, repromissionem accipiant. Et hunc esse diem Christi, quem promittente Deo, Abraham cognouit & gauisus est. Quod simul concordari potest, quod D. Hiero. in Heb. pactum potius quam testamentũ haberi dicit. Is paciscitur, qui uiuus manet, testatur moriturus. Ita Ihesus Christus, Deus immortalis fecit pactum, idem simul testamentum, quia futurus mortalis, sicut idem Deus & homo, ita idem pactum & testamentum. *Hebr. 9.* *Iohan. 8.* *Pactum. Testamentum.*

Quid igitur lex?

QVia negauit per legem iusticiam haberi, idque satis robustis argumentis stabiliuit, Iustissime sibi obijci posse uidet, ad quid tum lex ualeat, cum omnis lex, propter iusticiam, & bonos mores poni uideatur? Et satis uides, quod de omni lege loquatur, etiam Decalogi, per omnia, ut ad Rom. 4. & 5.

RESPONDET AVTEM.

Propter transgressiones posita est, donec ueniret Semen cui promiserat, ordinata per Angelos, in manu mediatoris. Mediator autem unius non est, Deus autem unus est.

Lex posita est, ut transgressiones abundaret.

Argumentatur contra D. Hieronymū.

QVis unquam expectasset talem responsionem, contrariam certe omnibus, qui de utilitate legum sapere & dicere solent: legem dicit positam seu additam & appositam, ut transgressiones abundarent, eodem sensu, quo Rom. 5. dicit, Lex subintrauit, ut abundaret delictum. Verum, quod D. Hiero. negatiue intelligit, ut per legem transgressiones cohiberentur, huic resistit. Primum, quod tum potius, propter iustificationem posita dici debuit: lex enim propter obseruationem ponitur. Secundo, quod iste sit tropus Apostolo familiaris, lex est uirtus peccati, occasio peccati, lex mortis, lex iræ. Sic Rom. 4. Lex iram operatur, Vbi enim non est lex, nec præuaricatio. Ita certe, ubi non est præuaricatio, nec remissio, ubi non est remissio, ibi nec salus. Proinde, ut remissio propter salutem, ita præuaricatio propter remissionem, ita lex propter transgressionem. Lex ponit peccatum, peccatum remissionē, remissio salutem. Hoc totum, quia sine lege, peccatum mortuum est, & non cognoscitur. Rom. 5. & 7. Peccatum erat in mundo, sed non imputabatur usque ad Mosen. Est ergo sensus, lex propter transgressionem posita est, ut transgressio sit, & abundet, atque sic per legem homo in sui cognitionem perductus, quærat manum miserentis Dei, qui sine lege, peccatum ignorans, sibi sanus uidetur.

Rom. 5. *Rom. 4.* *Rom. 5. & 7.*

Sensus Apostoli.

Peccatum per legē auctum, donec Christus finiret.

Tertio, nec sequentia consonant, donec ueniret Semen. Absurdum est enim, transgressionem cohiberi, donec Christus ueniat, quasi tum sit non cohibenda, cum Apostolus contrarium uoluerit, quod peccatum per legem, non solum sit non cohibitum, sed auctum quoque, donec Christus ueniens, peccatum finiret, legem implendo, & gratiam dando, ut Daniel. 9. Gabriel dicit. Vt finem accipiat peccatum, & adducatur iusticia sempiterna, ac si dicat. Peccatum sumpsit initium in Adam, per legem etiam incrementum, per solum Christum finem accipiet, qui iusticiam adducit, mortuo peccato, sempiternam, ut Psalm. 110. & 111. iusticia eius manet in seculum seculi.

Psal. 110. & 111.

Quarto, nec cum illo conuenit, Ergo lex aduersus promissa Dei? hoc non inferretur, si Apostolus uellet intelligi, legem pro cohibenda transgressione positam, quia tum non esset aduersus promissa, sed pro promissis. Nunc uero, quia peccatum auget, iramque prouocat, apparet non prouocare Deum ad soluenda promissa, sed potius irritare & impedire. Sic intelligendo, contextus sibi pulchre cohæret, alioquin, tot fingas sententias, quot sunt constructiones, necesse est.

In manu mediatoris.

Quinto, quod dicit, IN MANV MEDIATORIS, quod meo iudicio dicit, quia lex non sit posita in manu nostra, ut nos eam impleamus, sed in futuri Christi, eam impleturi. Quare, non ut iustificaret, posita est, sed magis peccatores argueret, & manum Mediatoris requireret. Resistendum enim fuit humanæ superbiæ, ne filium Dei suis meritis incarnatum crederet, & tantæ misericordiæ ingrata fieret. Nunc lege in demerita lapsi, tanto fideliorem, & misericordiorem Deum amamus, quo indigni oribus tantam charitatem exhibuit. Nobis enim per legem cognitio, soli autem Christo impletio & operatio. Donec ueniret Semen, cui promissum erat, id est, in quo benedictio, iusticia, & plenitudo

legis

legis danda erat, & transgressiones, quæ per legem erant, non iam cohibendæ, sed extinguendæ, quod per fidem Christi efficitur. Iam quæ sequuntur. Ego apud nullum Doctorem inuenio explicata, transeunt Hiero. August. Amb. nihil nisi Christum mediatorem Dei & hominum dicentes, non ostendentes, quæ uerborum sit consenquentia, aut intelligentia. Porro, recentiores etiam aliena hic comminiscuntur. Quare pio Lectori submitto, quæ ipse meditari possum.

Ordinata (inquit) per Angelos in manu mediatoris. Et B. Ste-
Act. 7. phanus quoq; Act. 7. Qui accepistis legem in dispositione Angelorum, &
Heb. 2. non custodiuistis. Et Heb. 2. Si enim, qui per Angelos dictus est sermo,
2. Cor. 3. factus est firmus &c. Apparet itaq; Apostolum uelle, legem esse literam, ideoq; non nisi uirtutem peccati existere, & ut. 2. Corin. 3. dicit. Litera occidit, Spiritus autem uiuificat. Magnum quidem est, per Angelos ordinatam esse, sed hoc nihil ad iusticiam, cum Angeli non possint, nec pro nobis eam implere, nec dare id, quo impleatur, id unum possunt, quod ordinante Deo, nobis eam tradiderunt. At, quoniam ordinante Deo, tradita est, nimirum simul datur intelligi, omnino implendam esse, non enim Angeli autores, sed ministri legis erant, per quos ordine ad nos ueniret. Rumpatur ergo ordo ille, & iam non sit inter Deum & hominem mediator Angelus, sed ipse, qui per Angelos ordinat, & nos longe sibi habet, ipse, inquam, ueniat, & legem nos doceat, cuius uerba erunt spiritus & uitæ uerba. Nihil enim proficit, quod nuncios quoscunq; mittit, nisi ipsemet uenerit. Sit ordinata per Angelos, sed non in manu Angelorum, imo mediatoris alicuius, qui reos per legem absoluat & iustificet.

Nam hoc intelligo, IN MANV MEDIATORIS, ut ipse legem per Angelos ordinatam, in potestate habeat solus, non subiectus legi, ut cui ipse nihil debeat, & quem uolet, ab eadem liberet. Nos uero ipsa lex in manu habet, & subiectos per peccatum. Quibus omnibus id uult, impossibile esse, nos per nos saluos fieri, facile autem esse per manum alterius, scilicet mediatoris. Quod, si quis putet sic intelligendum, ordinata per Angelos in manu, id est, potestate & imperio mediatoris, non resisto, nisi quis putet simpliciter, per mediatorem intelligi oportere Mosen, qui sit mediator ueteris, sicut ad Heb. Christum melioris, & noui testamenti mediatorem appellat. *In manu mediatoris*

Iam illud, Mediator autem unius non est, Ex nomine mediatoris, concludit, nos adeo esse peccatores, ut legis opera, satis esse nequeant. Si (inquit) lege iusti estis, iam mediatore non egetis, sed neq; Deus cum sit ipse unus, secum optime conueniens. Inter duos ergo quæritur mediator, inter Deum & hominem, ac si dicat, Impijssima sit ingratitudo, si mediatorem reijcitis, & Deo, qui unus est, remittitis, reijcitis autem, si iustificari potestis ex lege, ita fiet, ut nec uobis mediator esse possit, ut qui nolitis, nec Deo, ut qui non egeat. Proinde, iam lex in manu uestra quoque erit, & non sic ordinata per Angelos, ut per mediatorem impleatur, sed prorsus impleta per uosipsos. Si quid profundius latet, alij quærant, ego mea uela colligo. *Mediator autem unius non est.*

Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit.

SIc enim soluta una quæstione, aliam sibi suscitauit. Si enim lex transgressiones auget, iam irritare promittentis bonitatem uidetur. Hoc uerum esset, si promissio benedictionis inniteretur legi, aut iusticijs nostris

in lege. Nunc uero soli ueritati promittentis nititur, ideo Lex non aduersus promissa Dei, imo, pro promissis Dei. Quomodo? Quia, dum peccata ostendit, & conuincit non posse per eam quenquam iustificari, quin & augeri peccatum per eam contingit, iam eo magis, promissionis impletionem quæri, inuocari, expectari cogit, ut multo magis necessariam, quam dum lex non esset, Tantum ergo abest, ut contra promissa sit, ut eadem uehementer commendet, & optatissima reddat ijs, quos suorum peccatorum cognitione humiliauit.

Vide quæso.

Si enim data esset Lex, quæ posset uiuificare, uere ex lege iusticia esset.

IDest, non est aduersus promissa, quia data est, ut occidat, & peccatum augeat, hoc est, ut per legem homo agnoscat, quam uehementer promissionis gratia indigeat, dum per legem, bonam, iustam, sanctam, non, nisi peior efficitur, ut sic, non in lege nixus, fiducia operum legis securus fiat, sed longe aliud, & melius a lege quærat, id est, promissionem. Si enim lex uiuificare potuisset, iusti essemus, At nunc occidit potius, & peccatores amplius facit, atque hoc ipso, pro promissis facit, dum ea fortius optari cogit, & omnem iusticiam operum funditus destruit. Si enim non destrueret, promissionis gratia non quæreretur, ingrate susciperetur, imo repudiaretur, sicut fit in ijs, qui legem non recte intelligunt. Non destrueret autem, nisi non solum non iustificaret, aut uiuificaret, sed occasio quoque fieret plurium peccatorum, & magis occideret.

Quid est, legem peccatum augere.

Nam prohibita concupiscentia, semper irritatur & maior fit. Idcirco, etsi aduersus promissa uideatur lex esse, dum auget peccatum, apud eos, qui peccatum per legem non agnoscant: Hoc tamen legis uitio non fit, quia ne lex quidem est, ubi non recte intelligitur, Tunc autem recte intelligitur, quando peccatum per eam cognoscitur. Vbi autem intelligitur, & peccatum agnoscitur, ibi certe pro promissis facit. Quia, & gratiam promissionis suspirari facit, simul ostendens, quam nullo merito, sibi gratia debeatur, ut stet & firmetur, per legis intellectum, purissima promittentis dignatio, & syncerissima exhibitæ dignationis gratitudo.

Sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Ihesu Christi, daretur credentibus.

HOc uerbo ad utrunque respondet simul, quod lex sit causa transgressionis augendæ posita, non tamen per transgressiones auctas aduersus promissa Dei. Omnes (inquit) sub peccatū conclusit Deus, per Scripturam, hoc est, per legem & literam ostendit id, quod eramus peccatores, & impotentes ad iusticiam, seu legis impletionem, ut sic peccato per legem manifestato, infirmitateque ad implendam conuicta, cogeret humiliatos, de seipsis desperatos, trementes, ad gratuitam misericordiam Dei, in Christo propositam, currere. Et sic daretur (ut hic dicit) daretur, inquam, non persolueretur. Daretur autem indignis, & per legem longe contraria meritis, promissio Abrahæ facta, hoc est, gratia, benedictioque iustificationis, ex fide Christi omnibus, qui crederent in eum.

Lex, est causa transgreßionis posita.

Idem Rom. 12. Conclusit Deus omnes sub peccato, ut omniū misereatur, *Rom. 12.*

feratur, & obstruatur omne os, & subditus fiat mundus Deo, quia ex operibus legis, non iustificatur omnis caro coram illo. Quomodo conclusit? per Scripturas, per legem, per literam, hoc est, quod supra fidenter de operibus legis exposuit, quod Moses scripserat. Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, hoc est, quod Rom. 3. causari se dicit cum fiducia, Iudaeos & Graecos omnes sub peccato esse. Et illud Psal. 14. constanter super omnes pronunciare: Non est iustus, non est intelligens, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, hoc est, quod & Iudaeos de specie operum fidentes, ipse nihil aestimata specie, audet Rom. 2. reos diffinire. Eadem (inquit) facis, quae iudicas. Qui doces non furandum, furaris, scilicet cupiditate &c. adeo certus erat, sicut & reuera certum est, omnia, quae extra gratiam fiunt, peccata esse, & meras simulationes. Ita & B. August. Illud prouerb. ult tractans, de spiritu & litera. 10. Lex & clementia in lingua eius, praeclarissime dicit. Propterea, de sapientia scriptum est, quod gerat legem & Clementiam in lingua, Legem, ut reos faciat superbos, Clementiam, ut iustificet humiliatos.

Rom. 3. Psal. 14. Rom. 2. *Extra gratiam facta peccata.*

Stat ergo sententia, OMNIS HOMO MENDAX. Stat sententia. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens, ut stet simul, gloria Dei, laus gratiae, & magnificentia misericordiae suae. Nobis (inquit Dani. 3.) confusio, Deo nostro iusticia &c. Vides ergo, quid sit per fidem Christi iustificari, nempe per legem cognita iniquitate & infirmitate tua, desperare de te, de uiribus tuis, de scientia, de lege, de operibus, prorsus de omnibus, & cum tremore, ac fiducia in humilitate implorare solius Christi dexteram, seu manum mediatoris, fortiter credens, quod gratiam consequaris, sicut Rom. 10. ex Iohele dicit, Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Simulque uides, totum genus humanum, quantalibet sapientia, aut iusticia coram hominibus fulgeat, nihil esse, nisi massam perditionis et maledictionis. Quod et ex uerbo promissionis licet cognoscere, In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Omnis homo mendax. Dan. 3. *Per fidē Christi iustificari.* Rom. 10.

Quid est, omnes gentes benedicendas esse, nisi omnes gentes maledictas esse? ita iustificandas, saluandas esse, & quicquid nomine benedictionis significatur, est eas peccatrices, perditas esse, & quicquid maledictionis nomine significatur. Est itaque lex posita, ut peccatum augescat. At non solum peccati augmentum quaesitum est, sed, ut homo superbus, idipsum cognosceret & terreretur per legem, coactusque in sui desperationem, misericordiam sitiret. Sicut ille Psal. 24. Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Item fuerunt mihi lachrymae meae, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus. Hinc omnis clamor, gemitus, desiderium, Patrum & Prophetarum, & anxia Christi expectatio, & de legis onere grauissima questio.

Omnes gentes benedicendas &c. Psal. 42.

Lex ergo bona, iusta, sancta, sed non iustificat, ostendit mihi quis ego sim, dum per eam irritor, & magis odi iusticiam quam prius, magis diligo concupiscentiam, quam prius, solo terrore minantis legis, coercitus ab opere malo, nunquam autem a concupiscentia mala. Et ut rem similitudine tibi tradam: Aqua bona est, sed superfusa calci, incendit eam, nunquid uitium aquae est, quod calx calescit? imo, calx, quae frigere putabatur, per aquam conuicta est, quid intus haberet. Ita lex concupiscentias & odia irritat & ostendit, non autem sanat. Si autem oleum calci superfuderis, non calescit, sed extinguitur ardor eius occultus. Ita gratia diffusa in cordibus nostris per spiritum sanctum, extinguit odium & con-

Lex bona. *Aptissima similitudo.*

Tyrannis iusticiarũ legalium nostro seculo rursum inualuit.

cupiscentiam. Verbosissime hæc dixi, quod nostro seculo, non satis queat ista res inculcari, adeo rursum inualuit tyrannis iusticiarum legalium.

Verum, tu obserua, si lex sanctissima Dei, non potuit nos iustificare, sed magis peccatores fecit: Quid facient maria ista nostrarum legum, traditionum, ceremoniarum in Ecclesia? præsertim, quando ea opinione seruentur, qua existimant sese iustificari in illis, nec scire permittant, quid Christus, aut cur in eum credendum sit. Non enim utuntur eis legibus, ut peccatum per eas cognoscerent, neq; ut fidem Christi gratuita charitate exercerent, sed seruatis eis, iustos sese confidunt, nec aliquo alio amplius indigere se credunt. Aut si gratiam Christi implorant, ad hoc implorant, ut opera eiusmodi facere possint, non, ut liberi fiant, ab interna carnis corruptione, & immundicia. Itaq;, ut sæpe dixi, per imprudentes & tot infœlices leges, necesse est, Ecclesiam funditus perire, nisi Deus nobis remedium prouiderit.

Nota quæso communem, sed pernitiosum errorem.

Prius autem quam ueniret Fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat.

OMnibus (inquit) qui sub lege sunt, antequam fide iustificentur, lex ipsa uelut quidam carcer est, in qua concludantur, & seruentur. Quia ui & terrore legis, arcentur a libertate peccandi, inuita & reluctante concupiscentia. Furit enim concupiscentia, & odit legem, carcerem suum, sed cogitur tamen ab operibus abstinere peccati. Hanc autem miseriam qui intellexerint, utiq; humiliati, gratiam suspirant, nec possunt de legis iusticia confidere, quando sentiunt, se inuitos ad legem, & pronos ad peccatum, per legem fieri, Mallent enim legem non esse, ut impune liceret, concupiscentias explere. At hoc malle, est legem odisse: legem odisse, est ueritatem, iusticiam, sanctitatem odisse. Hoc iam non solum est peccatum, uerum, & amor peccati, non solum non esse iustum, sed odisse etiam iusticiam, quod est uere peccatum per legem augeri. Vnde B. August. hoc loco, quod per legem præuaricatores legis ipsius inuenti sunt, non ad perniciem, sed ad utilitatem ualuit eis, qui crediderunt, quia per cognitionem maioris ægritudinis, & desyderari medicum uehementius fecit, & diligi ardentius. Cui enim plurimum dimittitur, plurimum diligit. Et hoc Rom. 5. Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia. Non ergo lex solum posita est, ut peccatum reuelaret & augeret, alioqui melius dilata fuisset ad extremum iudicium, ne duplici contritione contereremur, sed ut per peccatum reuelatum humiliaret, & ad Christum urgeret. Rom. 5.

In Dei gratia fidendum.

Fructus legis.

Illud, Priusquam ueniret fides, non tantum de fide, quæ post Christum reuelata est, sed de omni fide omnium iustorum intelligitur. Nam & patribus olim eadem fides uenit, quia & lex Dei eis primo reuelata, coegit eos gratiam Dei quærere. Licet tum non ita per orbem prædicaretur, prædicabatur tamen priuatim per familias patrum. Item, uide, ne sic contextum ordines. Conclusi in eam fidem, quasi in fide, uelut in carcere conclusos intelligi uelit, cum hoc de lege affirmet, sed eramus conclusi carcere legis, & hoc in fidem, id est, ad fidem futuram, seu in hoc, ut fide futura liberaremur, quando lex carcere suo id fecit, ut per fidem optaremus liberari. Sicut supra testamentum Dei confirmatum in Christum, id est, ut in futuro Christo confirmaretur, & mox, Lex pædagogus noster in Christum, id est, ad Christum fuit.

ordo contextus.

Itaque

Itaque lex pædagogus noster fuit in Christum, ut ex fide iustificemur. At ubi uenit fides, iam non sumus sub pædagogo.

PVlchra certe similitudo. Pædagogus a puero & ago, nomen habet, quod pueros agat, & exerceat: Sicut (inquit) paruulis pædagogus assignatur, qui lasciuientem refrenet ætatem, ita lex nobis data est, quæ cohiberet peccata. At sicut pueri solo timore disciplinæ coercentur, plærunque & odiunt pædagogum, & liberi esse malunt, omniaque faciunt, uel coacti, uel blanditijs illecti, nunquam autem amore rei ipsius, nec libertate uoluntatis. Ita qui sub lege sunt, timore minantis legis coercentur ab operibus peccati, odiunt legem, maluntque & ipsi liberas cupiditates habere. Faciunt autem omnia coacti terrore pœnæ, aut amore temporalis promissionis illecti, nunquam autem gratuita, liberaque uoluntate. Deinde, ubi pueri ad hæreditatem peruenerunt, intelligentes, quam utilis fuerit pædagogus, iam incipiunt diligere quoque & laudare officium pædagogi, damnareque seipsos, quod non libentes & uolentes obtemperarint. Nunc uero sine pædagogo sua sponte faciunt hilariter, quæ sub pædagogo nolentes faciebant, & inuiti. *Pulchra similitudo à pædagogo sumpta.* *Pædagogus.*

Ita nos, fide acquisita, quæ uera est hæreditas nostra, Abrahæ & Semini eius promissa, intelligentes, quam sancta, salubrisque sit lex, quam fæda uero cupiditas, iam legem diligimus, laudamus, & mire probamus. Rursum cupiditates nostras, eo magis damnamus & uituperamus, quo magis lex ipsa placet. Et nunc hilariter & libenter facimus, quod ignorantibus tunc nobis, salubris lex, ui & terrore extorquebat foris, & tamen intus extorquere nequiuit. Hoc est, quod dicit, iam non esse nos sub pædagogo, postquam fides uenit, sed pædagogus amicus factus est, & a nobis honoratur magis, quam timetur.

Iterum (ut dixi) caue, ne sic contextum legas, lex pædagogus noster fuit in Christo, quasi in Christo iam uiuentibus, lex pædagogus noster sit, ut nostra translatio habet, & sapere uidetur. Hoc enim Apostoli sensum penitus subuertit, sed sicut pueri sunt sub pædagogo ad hæreditatem, id est, quo erudiantur, ut ad hæreditatem pertingant, ita lex est noster pædagogus ad Christum, id est, ut per legem acti & exerciti, ad Christum, ad fidem, ad hæreditatem quærendam & suspirandam paremur. Lex enim (ut dixi) ad gratiam præparat, dum peccatum reuelat & auget, humilians superbos, ad auxilium Christi desyderandum.

Et hunc sensum Apostolus iuuat particula sequente. AD CHRISTVM, inquam, ut fide scilicet iustificemur, qui per legem peccatores fiebamus. Sic Psal. 68. Quoniam suauis est misericordia tua Domine. Quare? quia amara est lex tua Domine. Non ergo puer sub pædagogo manebit, sed ad hæreditatem dulcius accipiendam erudietur, ita & lex gratiam Dei, dulciorem reddit, & commendat. Egregie itaque finem legis declarat, non esse scilicet nostram iusticiam & impletionem, sed suspirium ad Christum, ut per fidem eius quæratur impleri. At nostri Iusticiarij legum suarum finem habent, ipsas leges, & opera earum, nec eas ad Christum ordinant, sed in opera solum, ut in æternum pereant cum Iudæis, quos imitantur, nec legem, nec opera eius intelligentes. *Ad Christum.* *Psal. 68.* *Lex gratiam Dei dulciorem reddit.*

Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Ihesu.

QVia fides est ipsa benedictio, ipsa hæreditas Abrahæ, in semine suo Christo promissa, ideo, qui fidem in Christum habet, hæreditatem Dei habet. Si hæreditatem habet, iam non sub pædagogo, sed liber & dominus & hæres. At nullis datur hæreditas, nisi filijs, Sequitur, quod credens in Christum, sit filius Dei, ut Ioan. 1. dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs, qui credunt in nomine eius.

Quicunque enim in Christo Ihesu baptisati estis, Christum induistis.

Christum induere.

DEclarat esse eos filios Dei per fidem Christi. Baptismus (inquit) facit, ut Christum induatis. Christum autem induere, est iusticiam, ueritatem, omnemque gratiam, totiusque legis plenitudinem induere. Quare per Christum habetis benedictionem & hæreditatem Abrahæ. Si autem Christum induistis, Christus autem filius Dei, & uos eodem indumento, filij Dei estis. Est autem hic Tropus Apostolicus, quo & Roma. 13. usus dicit, Sed induimini Dominum Ihesum Christum. Ephe. 4. Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia & sanctitate ueritatis. Veritatis (inquit) quia sola lex sanctitatem & iusticiam simulationis induit.

Tropus Apostolicus. Rom. 13. Ephe. 4.

Non est Iudæus, non est Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus neque fœmina.

Sectarum origo.

NOn (inquit) ideo iustus es, quia Iudæus es, & Legis obseruator, sed, quia in Christum credens, Christum induisti. Quid ergo ad Iudaismum trahimini per Pseudoapostolos? In Christo, sicut persona Iudaicæ obseruantiæ non est, ita nec ulla alia. Humanarum & legalium iusticiarum est, per sectas diuidi, & penes opera discerni, aliud illis, aliud istis profitentibus, agentibus, sectantibus. In Christo omnia omnibus communia, omnia unum, & unum omnia. Sic infra. 5. In Christo Ihesu, neque circumcisio aliquid ualet, neque præputium, sed fides & noua creatura. Idcirco Christianus, siue fidelis, est homo sine nomine, sine specie, sine differentia, sine persona. Psal. 133. Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum. Vbi unitas, ibi nec species, nec differentia, sed neque nomen. Sic inclytus martyr Attalus, requisitus de nomine Dei, optime respondit. Qui plures sunt discernuntur nominibus, qui unus est, non indiget nomine.

Christianus est sine nomine, specie, differentia, persona. Psal. 133.

Attalus.

Et hac ratione, uocatur Ecclesia in Scripturis, abscondita & occulta, & mire obseruatur, ut quoties describuntur iusti, sine ullius sectæ, aut personæ uocabulo describantur, ut Psal. 1. Quoniam nouit Dominus uiam iustorum, non ait, Iudæorum, uirorum, senum, puerorum. Et 15. Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? Respondet, Qui ingreditur sine macula, non ait Iudæus, huius aut huius professionis. Et Psal. 109. In consilio iustorum & congregatione, non ait, Sacerdotum, Monachorum, Episcoporum Eodem iudicio dicendum, de alia quacunque persona. Quia Deus personam nō respicit. Nō est ergo diues nec pauper, nec formosus nec deformis, nec ciuis nec rusticus, nec Benedictinensis nec Chartusiensis, nec Mi-

Iustus sine nomine. Psal. 1. Psal. 15.

nec Minoritanus, nec Augustinensis. Omnia hæc talia sunt, ut Christianum non faciant, si assint, nec infidelem, si desint. Et prorsus in hoc cœpta & facta, ut Christianum exerceant, & meliorem faciant.

Vnde hoc loco B. August. Ista differentia Iudæorum & gentium, uel conditionis, uel sexus manet propter corpus in hac uita mortali, ablata est autem per unitatem fidei in spiritu. Quia de illa, non tantum Apostoli, sed & ipse Dominus, saluberrimas tradiderunt doctrinas. Christus enim mandat, dari Cæsari, quæ sunt Cæsaris, Apostoli, seruos obedire dominis suis, uxores subijci uiris suis, omnes uero magistratibus parere, cui tributum, tributum, cui honorem, honorem. At hæc omnia sunt personalia. Hoc solum quæritur, ut ijs personis, non contra unitatem fidei, sed pro unitate fidei seruiamus, ut non sit fortior dissimilitudo externæ conditionis, quam similitudo internæ fidei, sicut proh dolor, nunc inter titulos professionum, dignitatum, religionum, ecclesiarum, artium, gentium, regionum, familiarum, amicitiarum, fœderum, uidemus pugnas & lites infinitæ diuersitatis, ut uel hoc argumento probatum sit, fidem in Ecclesia prope extinctam esse, & solas laruas, & (ut Isaias de Babylone dicit) pilosos, Vlulas, Syrenas, in ea bacchari.

In metientes sancti moniam professionibus.

Sectæ inseruient fidei unitati.

Omnes enim uos unum estis, in Christo Ihesu.

ID est, in fide Christi unum estis, & si pro corporis & huius uitæ necessitate, necesse sit in diuersas personas diuidi, sicut multa membra, tamen unum corpus sub uno capite.

Si autem uos Christi, ergo semen Abrahæ estis, secundum promissionem hæredes.

QVia dixit, induisse nos Christum, & unum in Christo factos, idem ergo, quod de Christo dictum est, etiam de nobis, propter Christum dictum intelligetur. Non enim potest Christus separari a nobis, nec nos ab illo, cum unum simus cum illo, & in illo, sicut membra unum in capite, & cum capite uno. Vt ergo de alio, quam Christo promissio Dei intelligi non potest, Ita cum aliud quam Christus non simus, de nobis quoque intelligatur oportet. Vere ergo Abrahæ semen sumus, & hæredes, non secundum carnem, sed secundum promissionem. Quia illi sumus, de quibus in promissione fit mentio, de Gentibus, inquam, in semine Abrahæ benedicendis. Sic Rom. 10. Filij promissionis æstimantur in Semine. Non qui filij carnis, hi filij Dei &c.

Rom. 10.

CAPITVLVM IIII.

DIco autem, quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt a seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus a patre.

ADhuc alio ariete pulsat iusticiam & opera legis, sumpta iam tertia ex hominibus similitudine, propinqua priori, de pædagogo, similitudini, ut de eodem paruulo, sed & illa de testamento ad paruulum, aut ad hæredem saltem pertinet, adeo locuples est Apostolus, in declaranda

randa promissione Dei. Primum, hæres paruulus non differt a seruis, atque potestatem non habens in bonis paternis, ac seruus. Secundo, est tamen dominus omnium, in spe, & nuncupatione patris. Tertio, sub tutoribus & procuratoribus est, usq ad præfinitum tempus a patre. Siue hic Apostolus leges Romanas sequitur, siue alias, nihil refert. Nam, ut Hiero. dicit, legitimum tempus hæredis, legibus Romanis Viginti quinque annorum terminatur. Nos quantum sat est, exemplo utemur.

Exemplis quantum satis utendum.

Ita & nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.

Reddit singula singulis, paruulus hæres nos sumus. Tutores sunt elementa mundi. Nihil differimus a seruis, quia eramus seruientes. Et tamen domini fuimus omnium, prædestinante scilicet Patre cœlesti. De hæredibus & hæreditate, abunde satis est dictum, Esse uidelicet Hæredes semen Abrahæ, id est, Christum & Christianos. Hæreditatem autem gratiam & benedictionem fidei Christianæ in gentibus. De seruitute autem hæredum, alijs uerbis superius dictum est. Serui enim sunt, qui non pro hæreditate patrisfamilias, sed pro mercede seruiunt, aut etiam timore pœnæ coacti opera faciunt, ideo, ut Christus ait. Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in domo in æternum.

Hæreditas.

Quod pulchre figuratum est Gen. 21. Quando filius ancillæ Ismael eiectus est, datis ei uictualibus. Et c. 25. Dedit Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac, filijs autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos a filio suo Isaac. Ita & nos, quando citra gratiam in lege sumus, opera legis facimus seruiliter, hoc est, aut timore pœnarum coacti, aut temporali mercede allecti. Quibus tamen omnibus ita erudimur, ut ad hæreditatem, id est, fidem & gratiam suspiremus, qua de seruitute hac erepti, libertatis spiritus legem impleamus, non iam timentes pœnam, aut cupientes mercedem, id est, non amplius seruientes. Interim sumus domini omnium, prædestinante & præparante Deo nobis hanc hæreditatem, & nos per seruilem timorem pœnæ, & amorem rerum, quæ sunt in lege erudiente, ut illam appetamus, nequaquam autem in seruitute, cum Iudæis & Hypocritis perstemus, quod faciemus, si per timorem pœnæ, & amorem mercedis sentiamus, non legis amorem, sed odium potius in nobis augeri, quia (ut dixi) mallemus legem non esse, sic omnino lex cogit ad hæreditatem, per quam domini efficiamur omnium, id est, possessores benedictionis in Christo, per fidem.

Gene. 21. *Gene. 25.*

Lex cogit ad hæreditatem.

De Elementis mundi, tutoribus & procuratoribus, uarie cogitatum est. Breuiter, ELEMENTA hic non philosophice, pro igne, aere, aqua, terra, accipiuntur, sed proprio Apostoli tropo & grammatice, pro ipsis literis legis, quibus lex constat. Sicut & 2. Corin. 3. & alias literam uocat, ut sint elementa pluraliter, quod Scriptura, uel lex scripta, nec alia opus est probatione, quam ipsius Apostoli autoritate, qui dicit. Sub elementis mundi eramus, & mox sequitur, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut ostendat idem se intelligere, per legem & elementa. Alioquin & redempti in tempore plenitudinis, sub naturalibus elementis sunt. Et infra. Quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa huius mundi, quibus denuo seruire uultis? Et seipsum exponens, sequitur, dies obseruatis & annos &c. Ergo dies & annos obseruare, hoc est, ad elementa, id est, ad literam legis conuerti.

Elementa literæ. *2. Cor. 3.*

Sed &

Sed & ratio non sinit, per elemeta intelligi idola aut naturalia elementa, ut aliqui putarunt, tum, quod nusquam legitur Iudæos unquam elementa coluisse, tum, quod potius debuerat dicere, sub potestate idolorum, aut tenebrarum eramus, ut ad Rom. & ad alias facit, tum, quod generalissime loquitur, quod omnes, quotquot sunt hominum sub elementis seruierint, citra fidem Christi, quod nisi de lege intelligatur, nullo modo intelligitur, Lex enim conclusit omnia sub peccatum, ut supra dixit. Præsertim, cum hic aliud non faciat, quam quod legem & gratiam inuicem comparat, ut hanc eleuet, illam deprimat. Maxime uero, quod hic locutionis tropus Apostolo familiaris est, ut Colloss. 2. Videte, ne quis uos decipiat, per inanem philosophiam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Neq; enim D. Hiero. credendum est, aliena recitanti, & elementa illo loco, non eadem esse, quę hac Epistola ponuntur, nam sunt utiq; eadem. Elementa enim uocat scripta & doctrinas mundi, id est, hominum, uel potius de rebus mundi statutas. Ibidem paulo infra. Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc tanquam uiuentes, mundo decernitis? Hanc esse sententiam Apostoli, sequentia mox probant, ubi de superstitionibus Iudaicis docet, sicut & hic facit. Sed & Heb. 5. eodem modo utitur, indigetis (inquit) ut doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum Dei.

Dissentit à quibusdam.

[Ro]m. 11.

[Co]los. 2.

[H]ebre. 5.

Appellat autem legem elementa mundi, utroq; uocabuli per Tapinosin, id est, humiliationem & deiectionem utens, ut extenuet gloriam & opinionem iusticiæ, & operum legis, Q. d. Quid ex lege habemus, nisi literas, & eas inanes spiritu, ut quæ nec dent, quo impleantur, nec nos eas implere possumus? Mundi autem uocat, quod sint de ijs rebus, quæ in mundo sunt, ut de externis operibus, sicut scientia Dei dicitur, quæ de Deo scitur. Non enim lex aliquem ad Spiritum perduxit, sed in carne tantum obseruabatur, intus rebelle & odiente concupiscentia. Iam uide, quo modo possint Apostolum intelligere, qui spiritualia uocant, tonsuras, uestes, loca, tempora, ecclesias, altaria, ornamenta, & omnem illam pompam ceremoniarum. Siquidem negare coguntur hæc esse mundana, nisi uelint ipsi quoq; mundani (quod summe abhorrent) uocari. Negantes autem hæc esse mundana, simul sibi Apostoli intellectum præcludunt, qui mundi nomine hæc omnia censet. Elementa mundi contemptibiliter uocans, decreta & doctrinas in his rebus externis statuta, imo, & ipsa Decalogi externa opera. Idcirco nostro seculo spiritualia sunt, diuitiæ, tyrannis, fastus, libertas, aut summo gradu, omnes uocales sine intellectu, & uestes & loca doctrinis hominum asserta. Corporalia, sunt opera misericordiæ, & quæcunq; alia opera & loca hominum, etiamsi ex spiritu pleno fidei sint sanctissima.

Tapinosis, extenuatio.

Spiritualia non dicantur ceremonialia.

Elementa mundi.

Sed redeamus ad Apostolū. Elementa ista sunt tutores & procuratores, sicut lex pædagogus. Quia litera legis, dum timore pœnæ inuitos cogit ad opera sua, simul cogit agnita hac inuita uoluntate currere ad Christum, spiritus libertatis largitorem. Non ergo perdit lex, sed officiosissime prodest, modo intelligas, te per eam, uelut pium procuratorem, ad Christum, ad hæreditatem duci, imo, pelli. Quod si non sic eam intelligas, erit tibi exactor & aduersarius, tradens te tortoribus, erit iudex & persecutor tuus, quia nunquam tibi quietam conscientiam relinquet, dum nunquam in te tuisq; operibus inuenire possis, quo illi sit impleta & contenta. Sic autem eam intelligunt, qui non ad Christum se dirigi per eam, sed suis uiribus eam implendam, accipiunt.

At ubi

At ubi uenit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

Plenitudo temporis

PLenitudinem temporis huic reddit, quod supra dixerat, præfinitum tempus a patre, Ita enim & Deus præfinierat tempus, quo benedictio Abrahæ promissa, in Semine suo Christo, impleretur. Non, quod non interim sancti Patres, eandem benedictionem consecuti sint, sed, quod in Christo reuelanda erat, per mundum, & ipse manifestandus, in quo & illi & nos benedicimur. Et hoc uocat plenitudinem temporis, id est, impletionem temporis præfiniti.

Reuellit quempiã ad. Hier. recitatũ.

Aliĳ, plenitudinem temporis, tempus plenitudinis, id est, gratiæ uocant. Ille, quisquis est, quem D. Hieronymus recitat, qui sibiĳpsi opponens dicit, Si necesse fuit, ut sub lege fieret, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, Ergo necesse quoque fuisset, ut sine lege fieret, ut eos (puta gentes) qui sine lege erant, redimeret. Aut si hoc non necessarium, illud quoque superfluum est. Ille, inquam, de sola lege ceremoniali Apostolum intelligit, cum Apostolus de tota lege loquatur. Non enim Christus de ceremoniĳs tantum, ac non potius de concupiscentiĳs, seu lege concupiscentiam prohibente, redemit, ipse enim nulli debuit & tamen debitorem sese fecit, conuersatus sicut peccator.

Esse sub lege.

Proinde Tropus Apostoli seruandus est. Non enim sub lege esse, est id, quod tempore & decreto legis uiuere, sic nec Iob, nec Naaman Syrus sub lege fuerunt, nec Sareptana Sidonis mulier: Sed est, esse debitorem legis, non habere quo impleas, & reum esse omnium pœnarum a lege positarum. Christus autem, cum non esset, nec esse possit sub lege, factus tamen est sub lege, peccatum & peccator, non contra legem operans sicut nos, sed pœnas peccatorum a lege statutas pro nobis suscipiens innocenter. Quare omnes gentes sub lege fuerunt, saltem naturæ & Decalogi. Non ergo eodem modo Christus sub lege factus est, quo nos sub lege sumus. Sicut nec eodem modo, maledictum & peccatum fuit, quo nos sumus, ipse tantum corpore, nos utroque, corpore & spiritu. Et ut B. Augu. lib iiĳ. Trip. iiĳ. suo simplo, nostro duplo consonat, & pulchrum Diapason adimplet.

Factum ex muliere.

Illud, factum ex muliere, nonne uidetur prope contumelia uirginis matris? Potuit enim eodem uerbo, factum ex uirgine dicere. D. Hiero. propter Manicheum ita dictum, qui Christum per mulierem, non ex muliere natum dicit, non ueram, sed putatiuam eius carnem simulans. Potest etiam dici, commendari ab Apostolo diuinam dignationem, quæ eo descenderit, ut non modo ex natura humana, sed & ex infirmiore sexu eiusdem nasci uoluerit, ideo nomen sexus, aptius fuisse, quam nomen conditionis. Simul, quod illud monet, quod Adam non ex muliere factus est, Eua ex uiro, non muliere, ut sicut mulier ex uiro facta, causa fuit peccati, & perditionis, ita uir ex muliere factus, causa fieret iusticiæ, & salutis, contrariĳs sexibus, comtraria operantibus, quod citra nomen sexus, non potuit obseruari. Quanquam nec uirginitatem Mariæ in hoc intactam relinquit. Nam cum cæteri omnes, ex uiro & muliere ueniant, solus hic ex muliere, satis commendat miraculum, esse matrem, mulierem uirginem, & filium uirginis. Denique, quia homo naturalis esse debuit, & filius, necesse fuit, ut nasceretur. Ad nascendum autem, & sexu muliebri opus est.

Mariæ uirginitas.

Non enim

Non enim esset homo filius, nisi per mulierem natus esset, Sicut nec in Adam filius homo, nec Eua filia homo fuit.

Adoptio Filiorum, aptius in græco, Hiothesia dicitur, a ponendo & filius, sicut legisspositio eadem compositione dicitur. HIOTHESIA autem hæc fit, ut supra docuit, per fidem Christi, quam Deus in ipso futuram promisit Abrahæ. Credere enim in Christum, est eum induere, unum cum eo fieri. At Christus filius est, quare in ipso quoque credentes, filij cum eo sunt. Propter eos, qui nondum satis in Christo sunt eruditi, repeto, quæ supra sæpius dixi, hoc est, uerba illa, REDIMERET, ADOPTIONEM RECIPEREMVS, Estis filij, misit Spiritum, Non est seruus, sed filius & hæres, & similia, non sunt intelligenda, quod completa in nobis sint, sed quod Christus hoc expleuit, quo in nobis & ipsa explerentur. Sic enim omnia incepta sunt, ut de die in diem sint magis ac magis perficienda, ideo & phase domini (id est transitus) dicitur. Et nos Gallilei, id est, migrantes uocamur, quod assidue de Aegypto per desertum, id est, per uiam crucis & passionis eximus ad terram promissionis, redempti sumus, & assidue redimimur, recepimus adoptionem, & adhuc recipimus, facti sumus filij Dei, & sumus & fiemus, missus est Spiritus, mittitur & mittetur, cognoscimus & cognoscemus.

Adoptio filiorum.

Credere in Christũ

Repetitio propter rudiores.

Pascha iugiter celebrandũ Christiano.

Et ita, uitam Christiani, ne imagineris statum & quietem esse, sed transitum & profectum de uitijs ad uirtutem, de claritate in claritatem, de uirtute in uirtutem. Et qui non fuerit in transitu, hunc nec Christianum arbitreris, sed populum quietis & pacis, ad quos inducit Propheta hostes eius. Ne ergo credas Thelogis istis deceptoribus, qui tibi dicunt, Si unum & primum gradum charitatis habeas, satis habes ad salutem. Stultis opinionibus suis, ociosam, ac uelut in uase uinum, in corde charitatem fingentes. Non est ociosa charitas, sed crucifigit carnem assidue, & suo gradu stare non potest contenta, sed se dilatat in totum hominem expurgandum. Illi autem cum suo uno gradu, tempore tentationis & mortis, nec primum, nec secundum gradum habebunt.

Vnus gradus charitatis.

Quoniam autem estis filij, misit Deus Spiritum filij sui in corda uestra, clamantem, Abba pater.

D. Hieronymus, corda nostra, habet, quod & Græcus habet, quin ita consonat, Rom. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater, non ait, in quo clamatis, cum tamen in secunda persona ad eos locutus sit, ita & hic facit. Abba pater, cur geminarit, cum Grammatica ratio non appareat, placet uulgata ratio mysterij, quod idem Spiritus fidei sit Iudæorum & gentium, duorum populorum unius Dei, sicut Apostolus Rom. 1. & 2. Iudæo primum & Græco dicit.

Roma. 8. *Abba pater.* *1. Cor. 2.*

Obseruat Apostolus, quia de filijs Dei dixerat, ideo Spiritum sanctum, Spiritum filij Dei appellat, ut eundem Spiritum in fidelibus missum ostendat, qui in Christo est filio Dei. Manifeste autem SANCTAM TRINITATEM unum Deum notat. Nam filius cum sit uerus Deus, uiuit Spiritu suo, quo & pater sine dubio uiuit, & quem alibi Spiritum Dei uocat, hic Spiritum filij uocat. Ita & nos in Deo sumus, mouemur, & uiuimus. SVMVS, propter Patrem, qui substantia diuinitatis est. MOVEMVR, imagine filij, qui ex Patre nascitur, diuino & æterno uelut motu, motus. VIVIMVS, secundum Spiritum, in quo Pater & Filius

Manifeste sanctam trinitatem unum Deum notat. *Acto. 17.*

quiescunt, & uelut uiuunt, sed hæc sublimiora sunt, quam ut huic loco conueniant.

Hoc magis obseruandum, quod Apostolus credentibus, mox & Spiritum filiorum dari testatur. Quia (inquit) estis filij (utiq; per fidem, ut iam sæpe dictum est) misit Deus Spiritum filij, in corda nostra. Quibus facile soluitur illorum quæstio, quomodo sola fide hominem iustificari & saluari doceatur. Nihil est, quod mouearis, si uera est fides, & uere filius, non deerit Spiritus: Si autem assit Spiritus, charitatem diffundet, & omnem illum uirtutum concentum absoluet, quem 1. Corin. 13. tribuit charitati. Charitas patiens est, benigna est &c. Ideo, quando de fide iustificante loquitur, de fide, quæ per dilectionem operatur, ut alias dicit, loquitur. Fides enim meretur, ut Spiritus detur, sicut & supra. Ex operibus, an ex auditu fidei Spiritum accepistis? Cæterum, fides, qua & Dæmones contremiscunt, & impij miracula faciunt, uera non est, cum nondum sint filij, nec hæredes benedictionis.

Sola fide homo iustificatur & saluatur.

1. Cor. 13.

Fides meretur, ut Spiritus detur.

Itaque iam non est seruus, sed filius, quod si filius, & hæres per Deum.

PEr Christum, D. Hiero. legit, & ita græce legitur. Hoc enim addit, ne, uel per legem, uel aliunde, hanc hæreditatem sibi quisquam speret, quam per Christum. Quia in semine Abrahæ (qui est Christus) promittitur, & exhibetur benedictio. Idem Rom. 8. Si autem filij, & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quid sit seruus & seruitus, satis dictum est, nempe, qui legem seruat, & non seruat. Seruat in operibus, uel timore pœnæ, uel amore commodi. Non seruat in uoluntate, qua mallet non esse legem, ac si iam intus odit iusticiam legis, quam foris simulat coram hominibus. Filius autem gratia adiutus, libere seruat, nollet non esse legem, imo gaudet esse legem, illi manus est in lege Domini, huic uoluntas in lege Domini.

Seruus.
Seruitus.
Filius.

Sed tunc quidem, ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt Dij, seruiebatis.

DVpliciter Deum dici, manifeste indicat Deum natura, id est, uerum unum, uiuum & æternum. Alios multos, falsos, mortuos, hoc est, homines, bestias, uolucres, ut Rom. 1. Qui commutauerunt gloriam immortalis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum, & quadrupedum, & serpentum. Ergo non natura, sed opinione & errore hominum Dij sunt, quibus contra præceptum secundum, nomen & gloriam Dei ueri, in uanum assumentes, tribuerunt, sicut & nunc, nomen Domini, infinitis superstitionibus seruit. Cum enim sit sanctum, & terribile, non potest, nisi nocentissime prætexi, quibuscunq; iniquitatibus & deceptionibus, quod illius terrore, homines efficacissime trahantur, natura insita est ueneratio nominis Diuini, sed difficillimum est nosse, quando inuocatur in ueritate. Hic enim ignorantia a uero Deo subtrahit insidiosissime, qua & Galatas dicit olim fuisse, cum cæteris gentibus deceptos.

Deus dicitur dupliciter.

Ignorantia duplex.

Distinguunt Recentiores ignorantiam, aliam inuincibilem, aliam crassam & affectatam. Inuincibilis (inquiunt) excusat a toto peccato. Crassa, non a toto, sed a tanto. Affectata uero magis accusat. Hæc mihi uidentur ad hoc conficta, ut gratiæ Dei iniuriam faciant, & liberum arbitrium inflent, deinde homines securos in perditione sua reddant. Nam, dum ho-

Causa magistralis distinctionis.

dum homo fecerit quod in se fuerit, securus est. Quia inuincibilis ignorantia non nocet. Breuiter, ignorantia inuincibilis, uel dicitur quo ad nos, nostrasq́ uires, tunc certum est, nullam esse uincibilem ignorantiam, saltem in ijs, quæ pertinent ad Deum. Iohan. 3. Non potest homo quicquam accipere, nisi fuerit ei datum desuper. Et Iohan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater meus traxerit eum. Nihil enim boni ex nobis possumus, sed tantum errare, ignorantias augere, & peccare. Proinde, qui suis uiribus ignorantiā quamcunq; euadere tentat, duplici peccato & ignorantia se excæcat. Primū, quod ignarus est. Secundo, quod ignorat se ignarum esse, & per ignorantiam ignorantiā præsumit pellere, & opus efficere, quod solius Dei est: ita dum ad meliora per seipsum nititur, sine Deo, de peccato impietatē facit, & quod a Deo quærere debuerat, in seipso inuenisse se mentitur. Solus Christus est lux, & uita omnium hominum, non ratio nostra. Vel dicitur inuincibilis, quo ad gratiam Dei nobiscum: sic nulla est inuincibilis. Quia omnia possibilia credenti. *Eludit distinctionē.*

Igitur non sunt docendi homines, ut ignorantiam inuincibilem non timeant, ne in se & sua confidentes, timorem Dei remittant, quin potius siue fecerint, quod in se est, siue non, desperare de seipsis debent, & in solum Deum confidere, eius iudicium etiam in bonis timere, eius misericordiam etiam in malis sperare, ut nihil unquam faciant, quo securi sint, nihil unquam peccent, in quo desperent: Ita semper est ignorantia inuincibilis, eo ipso tamen dum timent & sperant, sunt sine omni ignorantia. Quare non excusat ignorantia inuincibilis, sed confessio & agnitio gemebunda ignorantiæ inuincibilis, excusat, uel potius gratiam impetrat. *Ignorantia quomodo docenda.* *Ignorantia inuincibilis non excusat.*

Nunc autem, cum cognoueritis Deum, imo cogniti sitis a Deo, Quomodo iterum conuertimini, ad infirma & egena elementa, quibus denuo seruire uultis?

NEscio, an locum ab ingratitudine tractet Apostolus, an a minori, utrunq; tentemus. A minori, si tunc, quando Deum ignorantes, Dijs falsis seruiebatis, non conuertebamini ad elementa infirma, quo modo nunc, cum cognoueritis Deum, ad illa conuertimini? cum tunc magis uidebamini illorum egere, quod Iudaismus non parum excellebat gentilitatem: Nunc autem incomparabiliter etiam Iudaismo superiores facti, nihil prorsus illorum egetis. Ab ingratitudine sic. Memores estis, quam fœda idolatria, Dijs immundis seruieritis, & nunc misericordia Dei, ad ueri Dei cultū uocati sitis: Num ergo uos pudet, tantæ ingratitudinis, quod a Deo rursum disceditis, qui e tantis malis, in tanta bona uos uocauit? Aut utrunq; locum forte simul inuoluit, more suo. *Locus a minori.* *Locus ab ingratitudine.*

Illud, imo cum cogniti sitis, putat S. August. dictum uelut infirmis, explicandi gratia: quia rudes intelligerent cognitionem Dei, qua eos cognouisse dicit, facie ad faciem fuisse, & ita Apostolum non intelligerent. Ideo seipsum exposuerit, quod cogniti magis sint, quam cognouerint. Verum sub hac simplicitate, latet non minus sublimis illa intelligentia, quod nostrum agere, est pati Deum in nobis operantem; quo modo uidemus instrumentum artificis, magis agi, quam agere. Quod & Isa. 26. Omnia opera (inquit) nostra, in nobis operatus es Domine. Ita nostrum cognoscere, est cognosci a Deo, qui & operatus est in nobis hoc ipsum cognoscere (de fide enim loquitur) ergo prior cognouit nos. Et aptissime hoc utitur tropo in eos, qui iam in sua iusticia niti cœperunt, quasi Deum uelint *Cum cogniti sitis.* *Isa. 26.* *Nostrum agere est pati Deum in nobis operantem.*

uelint præuenire operibus suis, & iusticiam Deo parare, quam ab ipso acceptam oportuit. Qui furor, cōmunis est omnium legalium & ceremonialium iusticiariorum. Simul tamen eodem uerbo, prædestinationem occulte tangit, sicut & superius alicubi eandem indicat tantum, & transit. Nam, non ideo cognoscuntur, quia cognoscunt. Sed conta, quia cogniti sunt, ideo cognoscunt, ut sit non uolentis, neq; currentis, sed miserentis Dei omne bonum, & omnis gloria boni. Simili modo de fide & Spiritu, sentiendum.

In eos qui sua iusticia niti cœperunt.

Ecce pondus uerborum, & mira tapinosis. Ad elementa, id est, literam, & signa rerum, cum ipsi ad rem ipsam sibi uiderentur conuersi. Deinde infirma, quia lex prorsus ad iusticiam iuuare non potuit, quin potius augebat peccatum. Et egena, uacua, quia lex non solum non potest ulterius prouehere, sed nec seruare & fouere uos potest, in eo quod estis, sed peiores uos per eam fieri necesse est. Gratia autem fidei in Christo, potens est, non modo seruare, sed & ad perfectum promouere. Dictum est supra, quid sint, & quare sint elementa. Vides ergo quā cōtemptim de lege loquatur, contra magniloquos Pseudoapostolos. Quęrit hic D. Hiero. an Moses & Prophetę Deū cognorint, & sic legē non seruarint, aut legē seruarint & sic Deum non cognorint. Quia Apostolus hæc duo facit pugnantia, & utrumlibet de Prophetis asserere periculosum est. Sed uno uerbo, Apostolus hoc dissoluit, quibus (inquit) denuo uultis seruire. Seruare legalia, non est malum, sed seruire legalibus, malum est. Seruit autem, qui timore (ut iam sæpe dictum est) minarum, eadem facit coactus, uelut necessaria, quibus mereatur iustificari. Libere autem facta, nihil obsunt. Sic Prophetæ ea obseruauerunt, non pro iusticia obtinenda, sed pro charitate Dei, & proximi exercenda, ipsi ex fide iustificati.

Seruire legalibus malum est.

Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos.

B. August. dubie hunc locum exponit, magis tamen de gentium, quam Iudæorum ritu. Dicit enim, uulgatissimus error est gentiliū, ut uel in agendis rebus, uel expectandis euentibus uitæ ac negociorum suorum, ab Astrologis & Chaldeis notatos dies, menses, tempora, & annos obseruent. Et hoc sensu, Apostolum passim decreta allegant, pro more suo, quo & multa alia assueuerunt hoc nomine, quod a sanctis Patribus dicta sunt, non qua causa dicta sunt. Quanquam statim B. August. de Iudæis quoq; intelligendum dicat. B. Hiero. simpliciter & recte de Iudæis tantum accipit. Dies (inquit) ut sabbati, & Neomeniæ. Menses autem, ut primum & septimum mensem. Tempora, quibus ter ueniebant in Hierusalem, per singulos annos. Annos autem, septimum remissionis, & quinquagesimum, quam iubilęum illi uocant.

Quæstio Hieronymi.

Quærit idem, an & nos eodem crimine teneamur, quod quartum sabbati, parasceuen, diem dominicam, quadragesimæ ieiuniæ, pascæ, & penthecostes, & pro uarietate regionum, diuersa in honore martyrum constituta tempora obseruamus. Respondet primum, Nos non Iudæorum, sed alios dies obseruare. Secundo, Constituti dies, nō quo celebrior sit illa, qua conuenimus, sed ne inordinata congregatio populi, fidem minueret in Christo. Tertio, qui acutius respondere conatur, affirmat omnes dies æquales esse. Semper esse sanctum resurrectionis diem, semper licere ieiunare, semper uesci dominico corpore, semper orare. Ideo ieiunia & con-

Solutio Hieronymi.

& congregationes inter dies, propter eos a iurisprudentibus constitutos, qui magis seculo uacant, quam Deo &c. Hoc uerum est. Sic enim Isa. ult. futurum esse predixit. Erit sabbatum ex sabbato, & mensis ex mense. Re uera enim omnis dies festus est in noua lege, nisi quantum Ecclesiæ præcepto constituitur, pro uerbo Dei audiendo, & communicando, & orando communibus precibus. Sed nunc longe in maiorem superstitionem abierunt, quam Iudæorum festiuitates, adeo, ut se obsequium Deo nunc præstare arbitrentur, si hos dies multiplicent, non orandi, non audiendi uerbi Dei, non communicandi gratia, sed tantum feriandi, & uere feriantur perfectius quam Iudæi. Hi enim saltem Mosen & Prophetas legunt: Nos nec Deo nec hominibus seruientes, absolutissime uacamus ab omnibus, nisi quod uentri & ocio, alijsq́ portentis seruimus.

Omnis dies in noua lege festus.
In superstitionem nostri seculi.

Nec sic tamen Pontifices populorum miserti, dies aliquot festos abrogant & minuunt, timentes forte Rom. Pontificis autoritatem, hæc sancientis, quasi non hoc ipsum impium sit, putare, quod Roma. Pontifex intenderit, aut potuerit statuere, uel tolerare eos dies, qui Diabolum tot monstris colunt, in summum dedecus Christiani nominis, & blasphemiam diuinæ maiestatis. Aut si putant illum hæc intendere, & tolerare uelle, impijssimum est obedisse, & hominis statutum, in tantam Creatoris contumeliam uergens, non penitus & cum fiducia diripuisse & cassasse. Non est excusatus Episcopus, aut ullus pastor, si uiderit dies festos in sua Ecclesia, ebrietatibus, ludis, libidinibus, cædibus, ocio, fabulis, spectaculis consumi, sicuti fere consumuntur, præter paucos celeberrimos, & non eos abrogarit. Non (inquam) excusatus est, quod sine autoritate Papæ non licet. Nam, si & Angelus de cœlo sic contitstituisset, plus tamen diuinæ gloriæ & honori debemus, in cuius iniuriam, quicquid statuitur, aut quicquid a quocunq́ toleratur, tollendum est cum fiducia, nisi quis malit omnium malorum tali permissione factorum, reus fieri. Non ligat mandatum Roma. Ecclesiæ, nisi ubi cum honore & gloria Dei seruari potest: Quod si seruari non ita potest, iam impios esse pronuncio, qui illud mandatum cogunt uideri. Sicut nos impijssimi homines ludunt, qui hominis timorem, præponunt Dei timori, & sub nomine Papæ, & S. Petri, Diabolum coronant in Ecclesia Christi, imo adorant.

Pium pro Christiano profectu consilium.
Quatenus Rom. ecclesiæ mandatum ligat.

De bello in Turcas cogitamus, de hoc & alijs necessitatibus Ecclesiæ, longe quam Turcarum tyrannis sit, peioribus, securi sumus, & in utranq́ dorminus aurem, quasi non melius sit Turcam, uere uirgam Dei uenire, & nostris malis, uel morte corporis mederi, quam tanta licentia populi, tanta segnitie pastorum Ecclesiæ, populum in peiores Turcas degenerare. Ille sane corpora occidet, & terra spoliabit. At nos animas occidimus & cœlo priuamus. Si tamen uera est diffinitio nouissimi concilij, Animas scilicet esse immortales, præsertim Christianorum.

Ad Apostolum redeundo, sicut circumcisio, ita dies quoq́ festi nihil conferebant iusticiæ neq́ alia, quorum latius meminit Collos. 3. Non ergo, ut necessaria fuerunt obseruanda. Non magis certe quam nostri festi dies, nobis iusticiam conferunt obseruati, aut ulla alia onera traditionum. Sed ex fide Christi iusticia nostra est, quæ non fit ex ceremonijs, sed utitur ceremonijs libere pro charitate Dei & proximi, nisi id lucri tibi fecerint, multiplicati dies festi, quo ab operibus manuum feriatus, rem familiarem extenues, & sic paulatim ad inopiam uenias, iuxta illud Euangelij: Beati pauperes, ut dies festi, non ad cultum Dei, sed ad paupertatem adducendã ualeant, aut ad euacuandum præceptum Dei saluberrimum, ueteri homini

Vide, quanto lucro sunt multiplicati dies festi.

 imposi-

impositum: In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Sed alias hæc & alia misere habet Ecclesia Christi, irascente peccatis nostris cœlo & terra.

Timeo uos, ne sine causa, in uobis laborauerim.

Non acerbe inuadere recuperandos.

TImeo uos. B. Hiero. pro timeo de uobis dictum putat. Et defectum mihi uidetur oratio sapere, tanquam uoluerit Apostolus eos terrere periculo eorum, & dicere, Timeo uos perituros esse in æternum, & ita frustra omnia in uobis laborauerim. Verum uertit uerba, & ut dura hæc supprimit, & suum damnum tantum causatur. Ita enim conuenit Apostolicæ lenitati, non nimium aspere inuadere, quos recuperare cupiebat: Siquidem, ut est humanus affectus, præsertim in culpa deprehensus, magis trahitur & corrigitur lenitate, quam cogitur minis & terrore. Et uehementer mouet, si aliorum mala tua feceris, & te in illis deploraris, ut permoueas tandem, quo sua saltem tecum deplorent. Dicat ergo Paulus; O Galatæ, & si uestrum malum non satis uos mouet, misereminí saltem mei, condolete mihi, qui in uobis me perdidisse timeo, non rem, non famam, non honorem, nec solum uerbum aut opus, sed uniuersum laborem. Mitius erat, si tantum locutus fuissem, nunc laboraui pro uobis, oraui, multa passus, multa periclitatus, sicut ad Corinthios recitat copiosius, & hæc omnia nunc frustra consumpsi. Lachrymas Pauli hæc uerba spirant.

Estote sicut ego, quia & ego sicut uos.

D. Hiero. duas affert sententias. Vnam.

ET hic obscuritas uarietatem parit. D. Hiero. duas affert: Priorem, Estote sicut ego, id est, robusti & uiri in fide Christi, sicut ego iam sum, ut sit exhortatio ad perfectiora, quia & ego, sicut uos, scilicet fui, tunc scilicet, quando primum uobis Euangelij lac dedi. Nam feci me paruulum & infirmum uobis, abscondens perfectiora, & infirmiora fidei uobis dedi, & talem doctorem exhibui, quem uos infirmi intelligere possitis. Eram ergo tunc sicut uos. Quare nunc uicem rependite, & sitis sicut ego, id est, potentes me capere fortiora tradentem. Alteram, fui & ego quondam in ceremonijs, sicut uos modo estis: sed arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifacerem. Et uos quoque sic facite, & estote sicut ego modo sum.

Alteram.

B. Augustinus.

B. August. Estote sicut ego, qui contemno legalia Iudæus, Quia & ego sicut uos, id est, homo sum sicut uos. Si mihi, qui similis sum uobis homo, licet elementa negligere, & uobis quoque licebit. Potest & ita cogitari, quia dure eos increparat, ne exasperarentur & læderentur, præoccupat & expostulat, ut sese præbeant ei, qualem ipse se præbet illis, ut sit sensus: Ego quidem non sum læsus a uobis, non exasperastis me: Ita rursus, nolite a me lædi & exasperari, sed commune malum utrunque deploremus. Meum malum est, quod uos reciditis, ideo non a uobis offensus sum, sed a malo iam meo: ita uos nolite offendi mea increpatione, sed uestro malo potius.

Alia interpretatio.

Et hunc sensum sequens contextus uidetur iuuare. Nihil, inquit, me læsistis. Huic non multum absimilis est sensus, si cum præcedentibus iam dictis, ita nectatur: Quando ego uestro, hoc malo, non secus afficior, ac si meum esset, ita, ut iam uere cum infirmis infirmer, cum flentibus fleam, omnibusque omnia factus sim: ita rursum peto, ut mihi quoque timenti, ne frustra laborarim, assimilemini, & cum timenti timeatis, cum dolente perditum laborem esse doleatis; ut si uestro malo non mouemini, meo moueamini, ut sic ad uestrum quoque perueniatis malum deplorandum. Sic enim

enim & Christus, teste D. Bernardo, cum nos peccata nostra non cruciarent, pro nobis doluit, & passus est, ut suo pro nostris peccatis dolore, multo fortius nos ad luctum moueret, sicut ad mulieres sequentes dixit. Nolite flere super me, sed flete super uosipsos. In his liberum linquo iudicium lectori. *Sententia B. Bernardi.*

Fratres, obsecro uos, nihil me læsistis.

D. Hiero. ad superiorem sententiam hoc iungit, sic legens. Fratres, obsecro uos, estote sicut ego, quia ego sicut uos, nihil me læsistis. Verum cum Apostolus soleat ingredi nouam sententiam, quando dicit: Fratres obsecro uos, nescio an iste ordo sit tenendus. Quid si per Eclipsim, hoc uel simile uoluerit, obsecro, ignoscite mihi, durus fui, sed necessario, sustinete modicum quid zelotypiæ meæ. B. Hiero. sic, Quum huc usque non me læseritis, quando uobis paruulis & infirmis infirmus factus, infirma tradidi: cur nunc lædor a uobis, ad maiora uos prouocans? Et hanc sententiam statuit ex sequentibus, ubi per infirmitatem se eis prędicasse dicit. Et tamen susceptum sicut Angelum Dei &c. Igitur, certum est Apostolum hoc contextu pro paterna solicitudine, lenire & mollire suam totius præcedentis sermonis asperitatem. Arguerat insensatos, cito translatos, conuersos ad elementa mundi, carne consummatos, fascinatos, crucifixum in eis Christum, contemptam gratiam, irritum testamentum Dei, seruos ex filijs factos. Et iam in summa, frustra se omnia fecisse, & laborem uniuersum perdidisse, ac ita iam prope de eis omnia pessima & desperata significarat. *D. Hieronymus.* *Solicitudo & lenitas Apostoli.*

Et hæc omnia pro uehementia, & studio ardentissimo tuendæ gratiæ Dei. Ideo nunc temperat, & castigationem mitigat, oleo lenitatis, postulans, ut sint patientes, donent aliquid zelo Dei, quo eos zelat, sicut ipse patiens fuit, multa & hoc præsens quoque malum eis donans, Obsecro (inquit) charissimi fratres, non sum hæc locutus, odio uestri, uera uobis dico: sed non ideo inimicum uestrum me arbitremini. Nam quod timuerit eos nimium offensos, satis indicat, quod infra dicit. Ergo inimicus factus sum uobis, uerum dicens? Et iterum. Vellem autem esse apud uos modo, ut mutarem uocem meam. Q. d. timeo ne scripta nimis offendant, ut uidebimus. Et, ut efficacissime suadeat, non amaro animo se esse, neque odio hæc locutum, incipit eos copiosissime commendare. Non sum inimicus uobis fratres: nihil enim me læsistis unquam, imo adeo non læsistis, ut & eximie, sicut Angelum Dei susceperitis.

Scitis enim, quia per infirmitatem carnis Euangelisaui uobis, iampridem, & tentationem uestram, in carne mea, non spreuistis, neque respuistis, sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Ihesum.

INfirmitatem carnis D. Hiero. ad Galatas refert, ut quibus tanquam infirmis, & adhuc carnalibus, non potuerit spiritualia prædicare, quod non placet: sed Tropus est Paulinus, quo exprimit conditionis utilitatem. Infirmitas enim imbecillitas est, qua Apostoli, cum essent pauperes contempti, uarijs deinde persecutionibus subiecti, &, ut ad Corinthios dicit, nouissimi omnium secundum carnem, & coram hominibus, omnino impotentes, & nihil habebantur. Nihilo tamen minus sub hac infirmitate, operabantur uirtutes, & erant potentiores in uerbo & opere, quam totus mundus. Ideo Genitiuus carnis, neque ad Apostolum,

neque ad Galatas referri debet: Sed absolute, sicut ab Apostolo ponitur, ad Spiritum comparari, ut Rom. 1. Qui factus est ex semine Dauid, secundum carnem, & declaratus filius Dei in uirtute Spiritus sanctitatis &c. Et. 1. Pet. 3. Mortificatus quidem carne, uiuificatus autem Spiritu. Ita & hic, infirmitas carnis, id est, imbecillitas, quæ est secundum carnem, si uirtutem non uideas, quæ est in Spiritu.

Infirmitas carnis. Quod autem infirmitas significet ea, quæ dixi, ex. 2. Corin. 11. & 12. patet, ubi omnia recensens, quæ gesserat & passus fuerat, libenter (inquit) gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Et uirtus in infirmitate perficitur. Et cum infirmor, potens sum. Laus ergo Galatarum eximia, quod illis offendiculis non sunt offensi, quibus totus mundus scandalisatus, irrisit Apostolos, tum propter infirmitatem carnis, tum propter stulticiam crucis, qua futuram uitam docebant, & præsentia omnia contemnenda, in quibus gloriantur de uirtute sua homines, imo, sicut Angelum, sicut Christum ipsum, sine dubio summa reuerentia & humilitate exceperunt. *Tentatio Galatarũ.* Tentationem autem Galatarum D. Hiero. uarie interpretatus, ultimo tandem, meo iudicio, recte dicit, contumelias, persecutiones, & talia, quæ a Iudæis maxime, & a gentibus, pro uerbo Christi tulisse, & ferre eum uiderunt in carne sua, hoc est, coram hominibus (nam in Spiritu semper triumphabat eum Deus per Christum, ut alibi dicit) non spreuerunt, neq; respuerunt, cum tamen his quam fortissime tentarentur, ut illorum timore uerbum fidei relinquerent. *2. Cor. 11. & 12.*

Nam & hodie ista tentatio multos cito subuertit, qui pro ueritate Dei passos & afflictos considerant, quę tunc Galatas prorsus nihil mouebat, per omnia Apostolum afflictum cernentes, uere Apostolicam quandam uirtutem in eis prædicat, qui contemptis omnibus, uictores huius tentationis, sicut Christum, susceperunt Apostolum. Nonne putas uitæ & omnium rerum periculo hoc fecerunt? Nonne propter Paulum, omnium Pauli hostiũ uim & iram in se deriuarunt? Non potuerunt Paulum suscipere, & non lædere Pauli persecutores, imo & irritarunt eos magis, quod non solum susceperunt, sed ut Angelum, ut Christum susceperunt, summa scilicet reuerentia, quem aduersarij summa contumelia affectum, ut omnium pessimum, quærebant ad mortem.

Monet hoc loco D. Hier. Episcopos, Discant (inquit) ab Apostolo, errantes, insipientes Galatas fratres uocari, discant post increpationem, blanda uerba dicentis, OBSECRO VOS. Quod obsecrat, illud est, ut sint eius imitatores, sicut & ipse Christi. Decutiunt hæc supercilium Episcoporum, qui uelut in aliqua sublimi specula constituti, uix dignantur uidere mortales, & alloqui conseruos suos. Hæc retuli, quia nostro seculo miraculum, imo plusquam impietas est, Pontificum uitia uel recitare. Aliud dixisset, si nostri seculi Pontifices, pro magna parte regum & principũ fastus superare, rursum, in Christi uita uel scientia, nec idiotas, aut mulierculas æquare uidisset. At Apostolus pulchre memor, quod ad Timotheũ scripsit, argue, obsecra, increpa, insta opportune, importune, cum omni patientia &c. Idem in hac Epistola, & exemplo docet, non excommunicat, non clamat ad ignem, non mox hæreticos pronunciat, non aggrauat, nec reaggrauat, sed ignem charitatis, & flammas cordis sui iactat. *Apostolus nescit fulmina latæ sententiæ.* Quia nõ occidere homines, sed hominum uitia & errores, studuit, nescit fulmina latæ sententiæ, nisi fulmen uerbi Dei, & tonitru Euangelicum, quo solo occiduntur & uiuificantur peccatores.

Vbi est ergo beatitudo uestra?

Vel,

VEl, quia pro tantæ fidei constantia, beatos ipse tunc eos dixerat: Vel quia, qui tales sunt, quales commendauit Galatas, uere beati dici possunt, nisi quis existimet Apostolicam uerecundiam hic signari, ut qui uellet dicere, ubi nunc est uestra illa in me reuerentia, obseruantia, & quædam uelut adoratio? Maluerit uerecunde eorum beatitudini, quam suæ gloriæ tribuere, exemplo Christi, qui & ipse uirtutes suas, fidei eorum, quibus fiebant, deputare solebat. Aut si simplex sensus placet, fidem Christi, in qua beatificabantur, expostulat & exprobrat.

Testimonium enim uobis perhibeo, quia, si fieri potuisset, oculos uestros eruissetis, & dedissetis mihi.

HYperbolen esse putat D. Hiero. At non puto necessariam hyperbolen, cum ex prædictis pateat, eos & uitam suam, pro Apostolo in periculum posuisse, ideo non mirum, si fieri potuisset, hoc est, si ipse permitteret, & ita fieri oporteret (alioquin, quomodo non potuit fieri, si uellent) eos eruturos fuisse & oculos, nisi ad occultam reprehensionem per mysterium oculorum alludit, ut qui tunc oculos suos, id est sensum suum, libentissime Apostolo submiserunt, ut fidem docerentur, quæ stultificat sapientes, & uidentes reddit, ut non uideant, nunc receperunt, ut suo oculo scandalisentur, quem Dominus erui iussit, & proijci a nobis. Vide quid sit, pastorem negligere oues Christi, tantam charitatem, tantam fidem, tam synceram religionem Galatarum, Pseudoapostoli tam cito subuerterunt, breui, absente Apostolo, quid faciat Diabolus, ubi nullus est pastor, aut si est, oues Christi nunquam uisitet aut pascat? Nunquid solo titulo, nomine, potestate, pastores, poterunt seruari? Nam ijs illæsis putatur Ecclesia esse illæsa.

Ergo inimicus uobis factus sum, uerum dicens?

REcte hoc Hiero. exponit, de ueritate, quam in hac Epistola ad eos loquitur, non de illa, qua primum eos instituit. Nam, ut dixi, id agit Apostolus, ne Galatæ iniquius ferrent, quæ hucusque in eos dixerat, nonnulla satis dura, sed tamen uera, ideo præuenit eos, ac dicit, non accipite uerba mea, quod dura sunt, sed hoc potius uidete, quam uera sunt. Esto, durius uos inuasi, nunquid ideo inimicum me habetis, ac non magis amicum, quia ueritatem, & si necessario duram, uobis loquor? O pulcherrimum docendę ueritatis exemplum. Sic enim uulnus infligere oportet, ut scias & mitigare & sanare, sic seuerum esse, ut benignitatis non obliuiscaris. Sic & Deus fulgura in pluuiam facit, & tristes nubes, atrumque cœlum, in fructiferos imbres resoluit, ita habet Prouerbiũ, innoxiam esse tempestatem fulgurum, quæ pluuia mixta fuerit, formidabilem autem & noxiam, quæ sicca & sola. Neque enim uerbum Dei in perpetuum irasci, neque in æternum comminari debet.

Pulcherrimum docendæ ueritatis exemplum.

Simile.

Prouerbium.

Aemulantur uos, non bene, sed excludere uos uolunt, ut illos æmulemini.

OCcurrit excusationi, quam uidet, eos posse prætexere & dicere, quod nos illis obediuimus, ideo fecimus, quia pio studio, & bona (ut nunc dicitur) intentione, nostram salutem quærere uidebantur, præsertim, cum nemo debeat suus esse magister, Et sicut Deut. 12. dicitur, non faciendum est, quod rectum nobis uidetur. Respondet, scio zelum habent, sed non bonum, nec secundum scientiam. Hic sciendum, quod uerbum

Deut. 12.

Aemulari

Aemulari apud Apostolum. AEMVLARI, quanquam frequenter idem sit, quod imitari, Apostolus tamen familiarem eius habet usum, pro inuidere cum amore, seu alicuius amore contendere & conniti. Et ut plenius rem pro opinione nostra tractemus. Amare dupliciter contingit, in bono & in malo: ita & æmulari. Diligimus enim quandoq, sed non bene, ita æmulamur quandoq, sed non bene. Verum, ut amor est diligere bonum, odium odisse malum: ita æmulatio seu zelus utrunq inuoluens, proprie est odisse malum in re amata, & quo uehementius ames, eo ardentius odias, & inuideas malum amati. Vnde ego soleo zelum intelligere, iratum amorem, uel amarosam inuidiam. Sic Apostolus. 2. Corin. 11. Aemulor enim uos æmulatione, ubi de imitatione loqui, ne potest quidem fingi, Quia sequitur, despondi enim uos uni uiro. Timeo autem, ne sensus uestri corrumpantur &c. Q. d. ita diligo castam fidem uestram, ut non possim non timere, & odisse corruptionem uestri, clare exponens, quid sit æmulari, æmulatione Dei.

Amari in bono & malo.

Aemulatio Dei. *Aemulatio hominũ.* Quin hoc ipso uerbo, duplicem illam æmulationem indicat. Aemulatio Dei, id est, secundum Deum, est odium mali in re amata, secundum ueritatem, seu amor boni, & odium mali in re amata, secundum ueritatem. Aemulatio hominum, odium mali in re amata, seu amor boni, & odium mali, in re amata, sed secundum speciem & erronee. Talis est Pseudoapostolorum, de qua dicit, æmulantur uos, sed non bene, hoc est, quærunt bonum uestrum, & abominantur malum uestrum, sed male, quia malum iusticiæ legis, uelut bonum in Galatis quærebant statuere. Iste est stultus ille zelus, quo & Iudæos scribit ad Rom. zelare Deum, id est, ea, quæ Dei sunt. Non enim æmulari hoc loco, pro imitari accipi potest, quod Pseudoapostoli Galatas utiq non imitarentur. Sed contra (inquit) excludere uos uolunt, scilicet a Christo, & fiducia eius, in fiduciam legis incarcerandos, ut ipsos æmulemini. Hoc loco potest pro imitari positum esse, quanquam nec a priore significatione abhorret, si intelligas, Pseudoapostolos uoluisse a Galatis diligi, pio studio ambiri, & (ut Discipuli pro præceptoribus solent) zelo in se affici, amari, quæ illorum essent, odio haberi quæ contraria. Et non inepte dixisset, excludere nos uolunt. Sed, ne arrogantiam, uel specietenus incurreret, uos (inquit) uolunt excludere, ut nobis exclusis, simul uos quoq excludant.

Stultus zelus.

Bonum autem æmulamini in bono semper, & non tantum, cum præsens sum apud uos.

ALternam partem excusationis eorum confutat, Vna enim erat, quod illi pio studio quærebant eorum salutem, quod Apostolus negat, non bene (inquit) æmulantur uos, non, quæ uestra, sed quæ sua sunt, quærunt, ut in uobis glorientur, ut infra. 6. Altera, quod obediendum sit, & non sibiipsi credendum. Ad hoc respondet: Bonum quidem est æmulari, & imitari alios, sed hoc præstate in re bona semper, nunquam in mala, non tantum me præsente, sed etiam absente, ne mei causa, ac non rei ipsius causa facere uideamini. Quocirca miror interpretem & D. Hierony. hunc contextum ita præterijsse, cum satis sit obscurus, si dixeris. Bonum æmulamini in bono. Quid est bonum in bono æmulari?

Quare officiose Erasmus & Stapulensis, e græco sic reddiderunt. Bonum est æmulari in bona re semper, uel bona est æmulatio in re bona semper. Est enim infinitiuus æmulari, non imperatiuus æmulamini, nisi Sciolus deprauator quispiam, & interpretem, & Hieronymum uiolauerit.

Quod

Quod Apostolus uult, hoc est, omnia probate, quod bonum est, tenete. Regula Apostoli. Omnia probate, quod bonum est, tenete.
1. Thes. 5. Quam regulam uidemus omnibus Ecclesijs, ab eo traditam. Et tamen per multos annorum centenarios penitus est obliterata.

Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in uobis.

VIde miram Apostoli charitatem, ut totus est nihil aliud, quam Galatæ, adeo omnia in se transformat, sui penitissime oblitus, ut patitur in illis, ut laborat, ut æstuat, de nulla sua re, sed Galatarum solicitus. O exemplum Apostolicum pastoris Christiani. Vera charitas, non quærit quæ sua sunt. Dulcissimi filioli mei, materna mea uiscera torquentur, pater fui, mater factus sum, porto uos in utero, formo, fingoq; uos: Vellem uos parere, & in uitam edere, si quo modo possem. Commendat affectum hunc multis D. Hiero. Nam hoc demum est, animas quærere, non pecunias. Nota uerborum obseruationem, non ait, donec Christum formem in uobis, sed formetur. Plus gratiæ Dei tribuens, quam operi suo, uelut mater gestat eos in utero, rude semen, donec Spiritus cooperatus, formet eos in Christum. Apostoli charitas. Christiani pastoris animas quærere. Verborū obseruatio.

Anxiari potest prædicator, quomodo pariat Christianos, sed formare non potest, non plusquam mater carnis format fœtum, sed tantum portat formandum & pariendum. Nec dixit, donec in Christum formemini, sed formetur Christi in uobis. Quia uita Christiani non est ipsius, sed Christus in eo uiuentis, ut supra. 2. Viuo iam non ego, uiuit uero in me Christus. Nos oportet destrui & difformari, ut Christus formetur, & solus sit in nobis. Vita Christiani nō est ipsius Christiani, sed Christi in eo uiuentis.

Vellem autem esse apud uos modo, & mutare uocem meam.

HOc Hieronymo uidetur dicere, quia Scriptura diuina lecta quidem ædificat, sed multo magis prodest, si de literis uertatur in uocem, sicut & ad Paulinum scribit, de Energia uocis uiuæ. Non solum autem, hoc Apostolus intendit, uerum, uellem (inquit) ut essem modo apud uos, ad hoc, ut uocem possem mutare, non musica mutatione, sed theologica, hoc est, quia Epistola scripta, si nimium obiurgat, offendit: sin blandior est, non satisfacit apud insensatos. In tam seria re, Scriptura mortua est, tantum dat, quantum habet: At si præsens esset, posset pro uarietate auditorum, temperare sermonem: illos obiurgare, hos mitigare: illos rogare, hos increpare: & in omnem affectum, sicut oportunum esset, mutare. Nam apparet Apostolum solicitum esse, ne & in superioribus nimium in partem obiurgandi, & hic inter laudandum & blandiendum, nimium ad commendationem declinarit, timens pijssime, ne utrinq; aut nimium ledat, aut minus, quā necesse est, percutiat, & ita inter utrunq; herens confunditur, ignarus quid faciat, nec integrum habens obiurgare, nec commendare. Hanc sententiam probat uerbum, quod sequitur. Sententia Apostoli.

Quia confundor in uobis.

HOc est, ut dignissime Erasmus reddidit, hæreo, perturbor, inopsq; consilij sum, quid uobiscum agam. In quam sententiam & D. Hiero. multa commentus, tandem ægre ac pene imprudens, & alia agens, confundor (inquit) in uobis, & ignoratione huc atq; illuc distrahor, & ignorans quid agam, in diuersa distractus laceror, dilaniorq;. Nescio enim, quæ primum uerba promam &c. Hæc ille sparsim. S. Hiero.

Dicit

Dicite mihi, qui sub lege uultis esse, legem non legistis?

LEgem non audistis, Hiero. & Græcus habent. Laborat Hiero. legem uocari, hoc loco Genesin, de qua Apostolus sumit, quod dicit. At quando Hebræis quinq; libri Mosi Thora, id est, lex uocantur, non inepte Apostolus legem appellat, librum Genesis, in qua si nihil aliud, certe circumcisio saltem præcipitur, præcipua Iudæorum lex, omniumq; prima.

Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de Ancilla, & unum de Libera. Sed qui de Ancilla, secundum carnem natus est, Qui autem de Libera, per Repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta.

NOn, quod in Genesi allegorice sint intelligenda, sed Apostolus a se dicta per allegoriam, quæ illic ad literam dicuntur, significat. *Quæstio.* Quæritur. Quomodo non & Ismael per repromissionem natus sit, de quo Gen. 16. tam multa per Angelum Domini promittuntur matri suæ, antequam natus esset. Rursus. 17. multo plura ad Abraham de eodem ab ipsomet Deo promittuntur, cum iam natus esset. D. Hiero. multa adducit, & incertum relinquit. Verum clarum est, quod Ismael, non promittente Deo, sed iubente Sara, naturali uirtute, in adolescentula Agar conceptus est. Isaac autem de sterili, uetulaq; matre, supernaturali uirtute promittentis conceptus. Nam, quod Angelus ad Agar dixit. Ecce concepisti, & paries filium, certe, non est promittentis concipiendum, sed prædicentis futura de iam concepto, aut etiam præcipientis est. Ideo Isaac filius repromissionis est, tamen ex carne natus, sed non uirtute, nec secundum carnem conceptus. *Gene. 16. & 17.*

Hæc enim sunt duo Testamenta, unum quidem a monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar.

QVia Galatæ fideles erant, allegoricis doctrinis erudiri potuerunt. Alioquin, ut 1. Cor. 14. dicit. Infidelibus sunt linguæ in signum, infidelibus uero allegoricis nihil potest probari. Vt & D. Augu. ad Vincentium docet. Aut certe, quod Apostolus Galatis, ut infirmioribus, paterna solicitudine, & uolens, rem similitudinibus & allegorijs deliniat, ut uerbum eorum captui attemperet. Nam rudiores, similitudinibus, parabolis, allegorijs, etiam cum uoluptate capiuntur, ideo & Christus in Euangelio (sicut Mattheus dicit) parabolis docet, pro captu uniuscuiusq;. Videamus ergo, quomodo locum hunc allegoricum tractet aduersus legis iusticiam. Hæc (inquit) duo Testamenta, hoc est, duæ mulieres Sara & Agar, figura fuere duorum testamentorum, sub uno eodemq; Abraham, qui patrem cœlestem repræsentat. *Qui allegoricis doctrinis instituendi.* *1. Cor. 14.* *Rudiores similitudinibus.*

VErum, quod pene transieram, de mysticis & allegoricis quoq; aliqua uidenda sunt, quando hæc res postulat & tempus. Habentur in uia quatuor sensus Scripturæ, quos literam, tropologiam, allegoriam, anagogen uocant, ut Hierusalem iuxta literam, Ciuitas Iudeæ metropolis est: Tropologice, conscientia pura uel fides: Allegorice, ecclesia Christi: Anagogice, cœlestis patria. Ita Isaac & Ismael hoc loco, literaliter, filij duo Abrahæ: Allegorice, duo testamenta seu Synagoga & Ecclesia, lex & gratia: Tropologice, caro & Spiritus, seu uirtus & uitium, gratia & peccatũ: *Quatuor sensus Scripturæ in usu.*

Anagogice

Anagogice, gloria & pœna, cœlum & infernus, imo alijs, Angeli & Dæmones, beati & damnati. Permittatur sane is ludus ijs, qui uolunt, modo ne assuefiant aliquorum temeritati, Scripturas pro libidine lacerare, & incertas facere. Quin potius ad capitalem legittimumq; sensum, hæc uelut accessoria ornamenta adijciunt, quibus uel oratio locupletius ornetur, aut exemplo Pauli rudiores, uelut lactea doctrina, mollius foueantur, non autem in contentionibus, pro stabilienda fidei doctrina proferantur. Nam ista Quadriga (etsi non reprobem) non Scripturæ autoritate, nec patrum usu, nec Grammatica satis ratione iuuatur. *Capitalis sensus scripturæ.*

Primum, manifestum est, quod Apostolus hoc loco allegoriam & anagogen non distinguit, imo, quod ille anagogen, hoc ipse allegoriam uocat, Saram interpretatus, cœlestem Hierusalem, quæ sursum est, mater nostra, hoc est, illorum anagogica Hierusalem. Deinde S. Patres, allegoriam Grammatice, una cum alijs figuris tranctant in sacris literis: sicut abunde docet B. Augu. in lib. de doctri. Christ. Atq; Anagoge, non tam figuram propriam, quam generalem dictorum conditionem significat, hoc est, Anagoge dicitur, quoties in recessu & inseparato, aliud intelligi potest, quam sonat: unde & reductio interpretatur, quod & Allegoria significat, id est, alieniloquium, hoc est, ut B. Hiero. ait, aliud prætendit in uerbis, aliud significat in sensu. Tropologiam sermonem de moribus esse conuenit, quam aliquando esse allagoriam nihil obstat, dum scilicet aliud dicitur, sub quo mores boni aut mali significantur. *Anagoge, reductio.* *Allegoria alieniloquium.*

Liber igitur patrum usus in his nominibus uidetur anxietate quadam, in captiuitatem huius quadrupli coactus, sicut & multa alia, temere distinxerunt multi, quæ, & re, & uoce idem sunt. Illud magis monendum, quod & supra dictum est, apud Origenem & Hieronymum sensum spiritualem eum uideri, quem hic Apostolus allegoriam uocat. Literam enim, ipsi figuram & historiam accipiunt. Mysticum autem & allegoricum, spiritualem dicunt. Et uirum spiritualem, qui sublimiter omnia intelligat, nihil (ut inquit) Iudaicæ traditionis admittat. Hac Regula incedit fere totus Origenes & Hieronymus, &, ut audacter dicam, non raro in difficultates inextricabiles labuntur. Verum, expeditius mihi incedit B. August. Nam ut omittam illud, quod mysticus sensus sit, uel allegoricus, uel anagogicus, aut omnino, qui aliud habet in recessu, quam in fronte ostenditur: Et huic opponatur historicus sensus, aut figuralis. *Origenes.* *Hieronymus.* *B. Augustinus.*

Psal. 70. Hæc tamen duo uocabula, LITERA & SPIRITVS, Literalis deinde, & spiritualis intelligentia, segreganda sunt, & in sua propria significatione seruanda. Nam Litera, ut idem Psal. 70. pulchre & breuiter dicit, est lex sine gratia. Quod si uerum est: Omnis lex litera est, siue allegorica, siue tropologica, Denicq;, ut supra diximus, quicquid scribi, dici, cogitari, citra gratiam potest. Sola gratia autem est ipse Spiritus. Vnde spiritualis intelligentia, non dicitur quæ est mystica uel anagogica, qua & impij præstant, sed ipsa proprie uita & experimentalis lex in anima per *Roma. 7.* gratiam, digito Dei scripta, & omnino, totum illud impletum, quod lex præcipit ac requirit. Nam & Decalogum Roma. 7. uocat spiritualem legem, cum tamen sit litera, Non concupisces. Quod si intelligentia spiritualis dicitur, quia spiritum significat, quem lex requirit, ut impleatur, nulla lex est, quæ non sit spiritualis. Tunc autem solum est literalis, quando gratia quæ impleat non adest, tunc non sibi, sed mihi est literalis. Maxime uero, si sic intelligatur, quod gratia non sit necessaria. *Sola gratia est spiritus.* *Spiritualis intelligentia.*

dd Concludi-

Lex in se semper est spiritualis. Concludimus ergo, lex in se semper est spiritualis, id est, spiritum significans, qui est plenitudo eius. Aliis autem, non sibi unquam est literalis. Nam quando dico, Non occidas, literam audis sonantem, sed quid significat? nempe, ne sis iracundus, hoc est, rem ipsam, quæ est mansuetudo suauitasque erga proximum. Hæc est autem charitas & Spiritus, quo impletur. Ab hac significatione rei uerissimæ & solius spiritualis, lex quoque spiritualis dicitur: quia semper hanc significat: sed quia hanc nobis non dat, nec dare potest: nobis litera dicitur, quantumlibet spiritualis ipsa sit. Cum autem nullum opus sine charitate bene fiat, claret, omnem legem, quæ bonum opus præcipit, bonum opus, id est, charitatis significare & requirere, ideoque spiritualem esse. *Spiritualis intelligentia legis.* Quare spiritualem intelligentiam legis, recte appellamus eam, qua scitur lex requirere spiritum, & nos carnales conuincere. *Literalis.* Literalem autem eam, qua putatur, imo erratur, legem posse impleri operibus, & uiribus nostris, citra spiritum gratiæ. Ideo litera occidit, quia nunquam recte intelligitur, dum sine gratia intelligitur: Sicut nunquam recte habetur, dum sine gratia habetur, utrobique mors & ira est. Hæc ex B. Augustino in lib. aduersus Pelag. exucta sunt.

Apostolũ explicat. Ad Apostolum redeundo. Vnum quidem a monte Sina in seruitutem generans. Satis dictum est, quæ sit seruitus legis, in quam tradimur, quando legem sine gratia accipimus. Aut enim timore mali intenti, aut spe mercedis, hoc est, simulate eam seruamus, utrinque seruiliter, non liberaliter agentes. Testamentum autem uocat, ideo ut intelligatur, uidendum est & hic testamenti symbolum. *Testamentũ eiusque symbolum.* Primum, est ipsum Testamentum, quod erat nuncupatio terræ promissionis, ut Exod. 1. scribitur. Testator fuit Angelus in persona Dei. *Exod. 1.* Testata hæreditas, ipsa terra Canaan. Hi, quibus fiebat Testamentum, filii Israel ut omnia hęc Exodus describit. Sed hoc Testamentum confirmabatur morte & sanguine pecudis, quo aspergebantur, ut Exo. 24. legitur. *Exod. 24.* Quia carnalis hostia, carnali promissioni, & carnali testamento, carnalibus hæredibus conueniebat. Quæ est Agar (inquit) id est, hoc Testamentum seruitutis seruos generans, est allegorica Agar, ancilla.

Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem, & seruit cum filiis suis.

PRimum hoc mouet, quod Sinam montem dicit coniunctum Hierusalem ciuitati Iudeæ, cum illum in Arabia esse dicat. D. Hiero. legit, qui conterminatus est, & inter interpretandum dicit, qui confinis est. Forte, quod mons Sina ideo confinis recte dicitur Hierusalem esse, non quod mons ciuitatem attingat, sed, quod Iudæa (in qua est Hierusalem, uelut medio) & Arabia deserta (in qua est Sina mons) sunt confines. Nam Iudæa ab oriente habet Arabiam petream, & iuxta hanc ad meridiem tangit Arabiam desertam, ut sic propter totius confinitatem, pars quoque parti confinis & coniuncta dicatur. *Faber Stapulensis.* Stapulensis uim græci uerbi explorans, dicit intelligendum, quod Sina mons coniunctus est, id est, incedit & tractu quodam pertingit, seu ut uerbo Cosmographico dicam, pertinet usque Hierusalem quod utique non potest intelligi, nisi quod Sina mons continente sua: iungitur continenti Hierusalem. Sicut Vuitemberga coniungitur Lipsiæ, illa in Saxonia, huic in Mysnia.

Item Erasmus optimus, addit in græco sic haberi. Nam Agar Sina mons est in Arabia &c. Et Agar hic genere neutro dici, ut ad montem referatur, qui græcis est neuter, quæ mox iam dicta est fœminino genere, ubi ait,

ait, Quæ est Agar, ut sit ordo, Quæ est Agar. Nam hic Agar Sina mons est in Arabia &c. Diciturque in græcis scholijs moneri, Sinam Arabice dici Agar. Et ipse contextus Apostoli forte hoc uult, quando dicit, Agar Sina mons est in Arabia, hoc est, Agar est, & dicitur in Arabia, qui nobis Sina dicitur: seu Arabes appellant montem Sina, sua lingua Agar: ut sic reddat rationem eius quod dixerat. Vnum testamentum a monte Sina esse, & hanc ideo esse Agar, quia allusione Arabica, Sina mons, Agar dicatur. Quare, Deo sic ordinante, Agar præparata fuerit figura montis Sina, per legem generantis in seruitutem. *Sina in Arabia Agar.*

Diximus autem supra, quod Apostolus non abhorreat a peregrinæ linguæ allusionibus, quod Galatas quoque translatos suo nomine, hebraica allusione notarit, sicut hic Arabica allusione, Agar ancillam notat. Sed & Salomon in Canticis suis, montem Amanum uocat Sanir, & Hermon, & Libanum, pro uarietate linguarum (ut Deut. 3. scribitur, usque ad montem Hermon, quem Sidonij Sarion uocant, & Amorrei Sanir) sumens allusionem & allegoriam peregrinam, ad suæ sponsæ laudem. Itaque, cum per allegoriam se locuturum prædiceret, oportunum fuit, ut Agar ancillę nomen, cum monte Sina (ubi cœpit testamentum Agarenum) aliqua allusione componeret, & hoc commoditate communis nominis. Nec est hic exigenda ab Apostolo alia ratio, cum allegoriset infirmorum gratia. *Salomon.* *Deut. 3.*

Verum, quid hoc ad rem, quod Sinam montem coniunctum dicit Hierusalem? An non fuit satis, quod unum Testamentum Sinæ & Agar esset ancillæ? Nec ego habeo quod dicam, quando cæteri omnes transeunt. Diuinandum ergo. Videtur id uelle, quod cum inter allegorisandū (ut fit) allegoria allegoriam pariat, dum de Agar ancilla ad montem Sina nominis similitudine peruenit, simul de Hierusalem terrestri, incidenter ad cœlestem allegoricos, eodem nominis argumento prouocatus, peruenerit: ut quæ uisio pacis interpretetur, & rectius tamen Sina, id est, tentatio appellaretur. Verum, antequam nomen Hierusalem ad cœlestem transferret, sola collatione utriusque contentus, allegorias multas implicat. Alioqui lucide dixisset. Nam Hierusalem ciuitas est in cœlo, in libertatem generans, hoc enim uerbo sustulisset anapodoton obscurissimum. Proinde (inquit) quando Hierusalem cœlestis tanto interuallo distat ab ista terrestri, nihil refert quod hæc non Sina, sed in Iudæa est, contermina Arabię, idem est, ac si esset ipsa Sina, cui contermina est: conuenit cum eo monte communi termino terræ: ita communi legis generatione, quando illi cœlesti nulla ex parte confinis est, nec ad eam pertinet, sed ad Sina Agar potius cui confinis est. *Diuinatio Martini.*

Multas hic prætermitto allegorisandi miras rationes, quas Apostolus hic indicat, ne obscuritatibus maiores tenebras addam. Quare illud, Hierusalem quæ nunc est, referri debet ad futuram Hierusalem, sicut Agar ad aliam Agar retulit, ut sit sensus, Hierusalem, quæ huius uitæ est, & confinis, tum re tum mysterio, Sinæ monti. Deinde, quod addit: Et seruit cum filijs suis, ideo facit, ut excipiat eos, qui fuerunt in Hierusalem, ad supernam Hierusalem pertinentes. Eam (inquit) Hierusalem appello, quæ nunc est, & in futuro non erit, nec omnem, sed eam quæ seruit cum filijs suis, id est, qui sunt in ea seruientes legi, cuius termino terræ confines sunt. Seruire legi, satis & ad tædium usque dictum est. Tropum Hebræum quoque obserua: Filij Hierusalem uocantur, quia ciuitas mater, habitantes in ea, filij uocantur, ut Psal. 147. lauda Hierusalem Dominum, benedixit filijs tuis in te. Hæc autem uulgata & triuialia sunt in Prophetis. *Hierusalē quæ nūc est.* *Et seruit cum filijs suis.* *Tropus hebræus.*

Nominũ allegoriæ. Sara. Nunc nominum quoq; allegorias iuxta Hiero. SARA princeps dicitur genere fœminino, seu domina: ideo filij Saræ, filij dominæ, filij principis, filij liberæ, recte dicuntur. Contra, ancillæ filij, filij seruæ & seruitutis. Nam & nomen Saræ, pene expressit Apostolus, quando eam liberam uocat. Principes enim in Scrip. etiam Nedaboth, id est, liberi & spontanei uocantur. Agar. AGAR uero peregrinatio seu aduena, incola, mora, quæ recte opponitur ciuibus & domesticis Dei, Non estis (inquit) aduenæ & hospites. Q. d. Agareni, sed Sacareni: Non aduenæ, sed liberæ & dominæ filij. Seruus non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Legis autem iusticia temporalis est, sed Christi iusticia manet in seculum seculi, quia illa mercenaria huius uitæ, illa hæres gratuita futuræ.

Arabia. Arabia occasus uel uesper, qui uergit in noctem: At Ecclesia & Euangelium, aurora & matutinum uocatur, in multis locis. Ita lex & synagoga occumbunt tandem, sed gratia regnat & cubat in meridie æternitatis. Quid si Arabiam Apostolus desertum quoq; notet: nam id quoq; significat Arabia, imo Arabia in Sacris literis fere semper: Arabia triplex. pro deserta Arabia accipitur. Nam Arabia fœlix Saba, & alijs nominibus partialibus. Arabia Petrea, Cedar, Amon, Moab, & multis nominibus appellatur, ita, ut a uastitate Arabia, sic uideatur appellata, ut significet sterilem & desertam synagogam, seu legis iusticiam coram Deo. Contra, Ecclesia fœcunda coram Deo, & si deserta coram hominibus. Sina tentatio dicitur. SINA tentatio dicitur, D. Hiero. teste, id est, inquietudo & turbatio pacis, quam ex lege habemus, per legem enim cognitio peccati, ideoq; & turbatio conscientiæ. Hierusalem. Hierusalem uisio pacis, quies conscientiæ. Per Euangelium enim in Ecclesia uidemus remissionem peccatorum, quæ est pax cordis.

Ismael. ISMAEL auditus Dei, seu audiens Deum, populus est, qui præcedens, audiuit post se uenturum Christum, sed non uidens ante faciem, & manifesto. Audijt Prophetas, legit Mosen: sed tamen non cognouit præsentem Christum, semper habens eum in dorso, semper audiens & nunq; uidens. Ita est omnis, qui in lege iustificatur, audit iusticiam legis, & non uidet eam in Christo esse: alio respicit & alia audit, respicit in ea, quæ sunt ante se, & in suas uires, non in uirtutes Christi: semper tamen audit sese ad iusticiam per legem cogi, ad quam nunquam peruenit. ISAAC risus dicitur, hoc enim est gratiæ, quæ exhilarat faciem hominis oleo suo. Cui fletus contrarius est, hoc est, culpæ, quæ est ex lege. Quare singula nomina, suis contrarijs collata, pulchre differentiam legis & Euangelij, peccati & gratiæ, synagogæ & Ecclesiæ, carnis & Spiritus, uetustatis & nouitatis ostendunt.

Illa autem, quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater omnium nostrum.

DIceret, alterum testamentum a Hierusalem, quæ sursum est, sed interim aliam Hierusalem intuitus, mutauit distributionem, & anapodoton fecit, alijs tamen uerbis satisfaciens. Quia reuera, alterum testamentũ cœpit in Hierusalem, misso Spiritu sancto, de cœlo in montẽ Zion, ut Isa. 2. de zion exibit lex, & uerbum Domini de Hierusalem. Et Psal. Psal. 110. 110. Virgam uirtutis tuæ emittet Dominus ex zion. Verum, quia Hierusalem terrena, erat quidem hæreditas, in Sina priori testamento promissa. Nobis autem alia promissa in cœlo: ideo & aliam Hierusalem habemus

habemus, quæ non sit confinis monti Sina, & seruituti legis propinqua ac cognata quædam. Sed & illa differentia est, Lex literæ, est a monte Sina data, quibus promissa sunt temporalia, sed Lex spiritus, non a Hierusalem, imo de cœlo data est in die Pentecostes, cui promissa sunt cœlestia bona. Ideo, sicut Hierusalem est mater omnium, & metropolis eorum, qui in lege sunt sinaica, filij eius, ciues eius. Ita Hierusalem superna Mater omnium eorum, qui in lege sunt gratiæ cœlestis, filij eius, ciues eius. Hi enim sapiunt, quæ sursum sunt, non, quæ super terram. Qui spiritum habent pignus & promissionis arram, ac primitias futuræ hæreditatis, ciuitatis æternæ, & nouæ Hierusalem.

Lex literæ, est a monte Sina.
Lex spiritus de cœlo.
Hierusalē inferna.
Hierusalē superna.

Sicut scriptum est, Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis. Quia multi filij desertæ, quam eius, quæ habet uirum.

ESa. 54. hæc scripta sunt, miraque antithesi & antilogia sibi pugnant, sterilis & uidua gaudet multis filijs: Rursum, maritata & fœcunda caret filijs. Quis intelliget hæc? allegoricus est, & in spiritu loquitur, sumpta ex carnali generatione Parabola, in qua filij generantur, seminante uiro ex muliere. Vir iste allegoricus, qui tum maritatas, tum uiduas, tum steriles, tum fœcundas facit: Lex est, quod in græco (ut B. August. ait) aptius dicitur: ubi Nomos masculino genere dicitur, sicut & Thanatos, quem æque Apostolus genere masculino, nouissimum inimicum uocat. Lex (inquam) uir synagogæ, seu populi cuiusque extra gratiam Dei positi, generat quidem, sed cum suo dolore filios multos, omnes autem peccatores, ut qui sapientia legis, & iusticia operum legis freti, in lege glorientur, quod ex lege tales facti sint: & parenti suo, id est legi, tota facie uitæ similes, cum intus in spiritu sint longe diuersi, a legis forma: quandoquidem lege potius augescit peccatum (ut dixi) quæ peccatum ostendit, non auffert. Id quod Rom. 7. latius tractat. Cum essemus (inquit) in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti.

Lex, uir allegoricus.

Roma. 7.

Seminat itaque uir ille, in mulierem suam, id est, docet bona Synagogam: At illa, deserta spiritu gratiæ, non parit nisi peccatores, qui simulant legem, magis autem contra legem irritantur: sicut Iudæi contra Mosen in deserto, qui fuit figura legis & uiri huius. Soluitur ab hoc uiro Ecclesia, uel quilibet populus per gratiam; qua sic moritur legi, ut lege iam urgente ac exigente, non egeat, sed sponte ac libere omnia faciat, quæ legis sunt, ac si lex non esset: quia iusto lex non est posita. Ita fit, ut quæ legi subiecta erat, uelut uxor fœcunda prole peccatrice, iam sit uidua, & sine lege, ac deserta sterilisque, sed bona & fœlici, tum uiduitate, tum sterilitate, per hoc enim fit alterius uiri, scilicet gratiæ seu Christi. Nam legi gratia, Mosi Christus succedit. E quo uiro, alia fœcunditate donata, dicit illud Isa. 49. Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiua, & istos quis enutriuit? ego destituta & sola, & isti ubi hic erant? Hæc dicit Dominus Deus. Ecce lauabo manum meam ad gentes, & ad populos exaltabo signum meum, & afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humerum portabunt. Hæc ideo, quia Ecclesiæ filij, non docente litera, sed tangente spiritu Dei, erudiuntur. Sicut Iohan. 6. dicit. Erunt omnes docibiles Dei. Vbi enim spiritus non tangit, docet quidem lex, & parit multitudo populi: sed non nisi peccato-

Legi gratia, Mosi Christus succedit.

Isa. 49.

Iohan. 6.

res, ut dixi, solumq; opus hominis ibi agitur: tales faciunt, quales sunt & ipsi, Neutri uero boni. Boni fiunt sine lege, sola gratia Spiritus.

Boni fiunt sine lege sola gratia Spiritus

Hunc autem Pauli tropum allegoricum oportet habere familiarem, ne peregrina sensus raritas, nobis offundat caliginem uerborum Paulinorum. Nam & B. August. egregie concubitum filiarum Loth cum patre suo monstrat, hoc præsens negocium significare. Loth est ipse Nomos, lex scilicet, quem inebriant filiæ suæ, id est, abutuntur lege. Nec recte eam intelligunt Synagogæ populorum, uino sensus sui eam inebriant: cogentes hoc legem esse & uideri, quod non est: Deinde, ex lege in hunc modum inebriata inpregnantur, docentur, concipiunt, assentiunt, & pariunt Moabitas & Ammonitas, id est, homines superstitiosos, & sine gratia Spiritus, de legis opere præsumentes, qui usq; in æternum non ingrediuntur in ecclesiam Dei. Vnde recte Moab ex parte Ammon, populus mœroris interpretatur, quod iusticiariorum & hypocritarum hæc una sit iactantia, se ex lege esse, secundum legem uiuere, Scripturas sibi solis arrogare, tanquam filij legis sint legitimi. Vnde & Moab apud Hiero. superbus ualde esse dicitur. Interim tamen non aduertunt, quam inquies sit eorum conscientia, & sint populus mœroris: cum sine gratia constabiliente in operibus legis, quieti esse nequeant, frustra portantes pondus diei & æstus.

B. Aug. de filiabus Loth.

Moab, populus mœroris.

Moab superbus.

Maior sane filia, impudentior gloriatur se ex patre filium habere, Moab (inquit) ex patre. Hæc est sensualitas & caro, in qua gloriantur iusticiarij, quod ex lege sint. Nam ad hominem fulgent opera legis & operatores legis. Minor uero non gloriatur, sed infœlicem populum, suum filium appellat. Hæc est conscientia, quæ ex lege & operibus eius requiem non habet, sed magis inquietudinem & turbationem.

Maior filia.

Minor.

Conscientia ex lege & operibus eius caret requie.

Hæc satis. Dicit ergo Apostolus, matrem nostram habere multos filios, & si sit deserta, sterilis, uidua, sine uiro, lege, sine filijs, ex lege doctis & factis: ideo hoc ipso lætandum ei est & erumpendum, & præ gaudio clamandum, quod hoc modo sterilis sit, & nec pariat, nec parturiat, cum interim filij legis minuantur, & filij gratiæ multiplicentur. Ad hanc rem pulcherrime ualet figura. 1. Reg. 1. de Anna & Phenenna: præsertim cum addito cantico Annæ, ut uideri possit Isaiam, ex eo loco suam prophetiam, quam Apostolus hic ponit, hausisse, præsente & illuminante eum eodem Spiritu. Donec sterilis (inquit) peperit plurimos, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Quia non in fortitudine sua roboratur uir &c.

Sententia Apostoli.

1. Reg. 1.

Nos autem fratres secundum Isaac, promissionis filij sumus.

APplicat allegoriam: nos secundum Isaac, id est, liberæ & dominæ filij sumus, sicut Isaac: & sicut ille filius non carnis, sed promissionis per carnem fuit: ita & nos, quia in semine Abrahæ promissi ei sumus, ut superius latius dictum est. Iudæi autem secundum Ismael, id est, ancillæ filij sunt, non promissionis, sed carnis filij: ita & omnes, qui ex lege operibusq; eius confidunt iustificari.

Sed quo modo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc.

Non

NOn exprimit Gen. 21. quæ fuerit persecutio, qua Ismael persequebatur Isaac. Sed ex uerbis Saræ licet eam trahere, quæ cum uidisset filium Agar Aegyptiacæ ludentem, cum filio suo Isaac, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius. Non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac, ac si dicat, uideo eum uelle eo niti, ut sit hæres contempto filio meo, oblitus, quod sit filius ancillæ. Apparet autem hunc lusum fuisse talem, quod Ismael inflatus primogenitura, exultauerit, irriserit, & insultauerit Isaac, tanquam primus filius Abrahæ: quod Sara uidens, contrarium statuit. Non erit, inquam, hæres filius ancillæ, per Tapinosin, filium ancillæ appellans. Et hunc sensum textus hebræus iuuat, ubi habemus: Cumq; uidisset Sara filium Agar Aegyptiæ, quem pepererat Abrahæ ridentem, seu ludentem (nam, cum filio suo Isaac, additum est in nostris) Q. d. hoc inflabatur, hoc ridebat, & gestiebat aduersus Isaac, quod Agar eum genuisset Abrahæ; ideo securus de hæreditate, fastidiebat Isaac uerum hæredem.

Ludus Ismaelis & Isaac.

Et in hoc consonat mysterium figuræ, quod Apostolus tractat. Sic enim & nunc Israel (inquit) quorum uesica hæc est, se solos esse semen Abrahæ, se solos hæredes promissionis. Veros autem filios Abrahæ, nemo atrocius persecutus est, quam illi ipsi, ut in Actis Apostolorum legimus. Nam ipsi sunt Ismael, qui Deum audiunt in Prophetis post se uenturum: & coram positum non agnoscunt, referentes in hoc, & nomen & sensum, & morem Ismael patris sui. Denique, uocabulum Ludentem, est idem, de quo nomen Isaac formatur, qui risus uel gaudium interpretatur, ut significet forte Ismaelem dicaculum fuisse, & nomen Isaac acuto scommate, in irrisionem illius uertisse: quasi uere ridiculum hæredem, & nihil hominem duxerit. Non enim frustra sic usurpat scriptura, uocabulum ludentem, seu ridentem: eoq; tam sanctam mulierem fuisse commotam recenset. Apostolus autem hoc adducit, ut confortet Galatas, ne propter persecutionem istorum Ismaelitarum, desinant esse Isaaceni. Quia sic oportet fieri: futurum autem est, ut eijciantur, ut sequitur.

Mysterium figuræ Apostolus tractat.

Filij Ismael.

Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam & filium eius, non enim erit hæres, filius ancillæ, cum filio meo Isaac.

EPitatice loquitur, & omnino contraria præsumptioni ancillæ, & filij eius. Ancilla est (inquit) & domina esse præsumit: filius ille ancillæ, & filium dominæ irridet, & ironijs illudit: sed absit, eijciantur potius. Quo iterum intelligitur, Agar ancillam consensisse, aut saltem indulsisse filio suo Ismael, ut Isaac irrideret, ut quæ idem sperabat, quod filius suus, se fore scilicet dominam. Nec dicit, Eijce filium tuum, sed filium eius: contendens, Ismael, nec Abrahæ filium esse, sed ancillæ. Ita & nunc (inquit) fiet. Non sunt hæredes filij carnis, sed filij promissionis. Proinde, si non uultis eijci cum filio ancillæ, filij liberæ perseuerate: Scriptura non mentietur, quæ filium ancillæ, etiam inuito Abraham, tamen autoritate quoq; Dei, eijciendum pronunciat.

Epitatice loquitur.

Itaq; fratres non sumus ancillæ filij, sed Liberæ.

APplicat historiam & allegoriam, & summam absoluit breui conclusione, quæ iam ex dictis abunde intelligitur. Esse enim filium

ancillæ, eſt ſeruire legi, debere legi, eſſe reum legis faciendæ, peccatorem, filium iræ, filium mortis, alienum a Chriſto, exciſum a gratia, exortem hæreditatis futuræ, uacuum benedictione promiſſionis, eſſe filium carnis, eſſe hypocritam, eſſe mercenarium, uiuere ſpiritu ſeruitutis in timore, & ſiqua alia recenſuit hic & alibi. Sunt enim infinita huius mali nomina. Et quamuis noſter translator in fine huius capituli adiunxerit, qua libertate nos Chriſtus liberauit, tamen nos cum græcis hoc exordio Capitulum quintum tractemus.

CAPITVLVM V.

QVa igitur libertate, nos Chriſtus liberauit, ſtate, & nolite iugo iterum ſeruitutis contineri.

VSque ad nauſeam inculco, libertatem & ſeruitutem eſſe eas, de quibus Rom. 6. dicit. Cum enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſticiæ. Liberati autem a peccato, ſerui facti eſtis Deo. Conſtituamus autem ordine & figura. Rom. 6.

Libertas iuſticiæ	Seruitus peccati
Seruitus iuſtitiæ	Libertas peccati

Qui enim liber eſt a peccato, ſeruus factus eſt iuſticiæ, Qui uero ſeruus eſt peccati, liber eſt a iuſticia, & e diuerſo. Hæc omnia repeto, ſciens, quod multitudiue locuſtarum & bruchorum, eo peruenerint terræ noſtræ fruges, ut ſeruitus & libertas iſta, paſſim non intelligatur: adeo inhæſit atque penitus inſedit humanum commentum, de libero arbitrio, in utrunque contrariorum aut contradictoriorum. Quin & carnaliter quoque de libertate ſapiunt: quibus & Apoſtolus eodem Rom. 6. coactus eſt occurrere, quaſi in Chriſto licitum ſit quodlibet fieri. Cum hæc ſit libertas ea, qua facimus ſponte & hilariter ſine pœnarum, aut mercedum reſpectu, quæ in lege dicta ſunt.

Libertas.

Seruitus.

Seruitus autem, qua timore ſeruili, aut amore puerili facimus. Non igitur refert, nec differunt, Seruus peccati, & Seruus legis. Quod is, qui Seruus legis eſt, ſemper peccator ſit, nunquam implens legem, niſi in ſpeciem operum, cui detur merces temporalis, ſicut filijs ancillarum & concubinarum. Hæreditas autem filio liberæ. Chriſtus (inquit) nos liberos fecit, hac libertate. Spiritualis eſt libertas, in ſpiritu ſeruanda, non gentilis illa, quam nec gentilis Perſius ſatis eſſe nouit, libertas eſt a lege, ſed contrario modo, quam in hominibus fieri ſoleat. Libertas enim humana eſt, quando non mutatis hominibus, leges mutantur. At Chriſtiana libertas eſt, quando non mutata lege, mutantur homines, ut lex eadem, quæ prius libero arbitrio odioſa fuit, iam diffuſa per Spiritum ſanctum charitate in cordibus noſtris, iucunda fiat. Hac libertate fortiter & pertinaciter ſtandum docet, quia Chriſtus pro nobis legem adimplens, & peccatum exuperans ſpiritum charitatis, in corda eorum, qui credunt in eum mittit, quo efficiuntur iuſti & legis amatores, non ſuis operibus, ſed gratuita Chriſti largitione. A qua, ſi recedas, & ingratus es Chriſto, & ſuperbus in teipſo, uolens teipſum ſine Chriſto iuſtificare, & a lege liberare.

Chriſtus nos liberos fecit.

Libertas humana, & Chriſtiana pugnant.

Nota pondus uerborum.

Nota pondus uerborũ, nolite iterum, nolite ſeruiture, nolite iugo ſeruitutis, no-

tutis, nolite contineri, seu ut græce significantius dicitur, mi enechesthe, fere quod supra dixit, uelut conclusi in carcere, hoc est, ne sub grauissimo & importabili onere legis, in qua tamen non nisi seruos esse liceat & peccatores, concludamini, possideamini, ut Erasmus, illaqueamini, implicemini. Minus est teneri: sed in seruitute teneri durum est: durissimum, iugo seruitutis, præsertim post acceptam libertatem. State dicit, præsumens maiora de eis, quam inueniat, scilicet nondum cecidisse eos: alioquin dixisset, surgite: nunc blandius, state, inquit, ut simul erudiat, neminem oportere statim cum desperatione reparandi corripere, imo cum magno spei bonæ argumento. Quod non faciunt fulminatores nostri seculi, quibus satis est, suæ potestatis libidinem fecisse terribilem. *Blande corripere.*

Ecce ego Paulus dico uobis, Quoniam, si circumcidamini, Christus uobis nihil proderit.

POstquam Apostolus multis & fortissimis argumentis, legis iusticiam conuulsit, rationemq; de fide in Christũ copiosissime reddidit: Nunc non minore impetu exhortatur, deterret, minatur, promittit, rigans quæ iam plantauerat: & omnia plane Apostolico ardore & zelo, tentat & temperat, ut sit iucundissimum uidere, tantum speculum Apostolicæ solicitudinis. Primum terret, Christum non prodesse, si circumcidantur, & hoc ego Paulus (inquit) denuncio uobis, repetens nomen suum in pondus autoritatis. Iterum hic & ego repeto, Circumcidi non esse malum, sed iusticiam (in hoc enim circumcidebantur) in circumcisione quærere, impietas est. Atq; in operibus ceremonialibus facilius est cognoscere, falsam iusticiæ fiduciam, quam in operibus moralibus Decalogi. Quia neq; in his quærenda est iusticia, sed in Christi fide, quod dico, ne hinc aliquis existimet Apostolum, solum contra ceremonialia legis pugnare, sed manifestissimum opus legis assumpsit, simul omnia opera legis intelligens. *Ceremoniæ nõ sunt malæ, sed in eis fidere.*

Contrarium huic uidetur Rom. 2. Circumcisio quidem prodest, si legem obserues. Quomodo (inquit Hiero.) circumcisio prodest, si legem serues, quando nec Christus prodest circumcisis? Multa hic congerit idem S. uir. Verum breuiter, impossibile est, legem impleri sine Christo, ut iam sæpius dictum est: hoc enim pro constanti hypothesi Apostolus habet, & satis probauit. Seruantibus autem legem (id est, Christum legis consummatorem, per fidem habentibus) liberum est circumcidi & non circumcidi, omnia eis prosunt, omnia cooperantur in bonum, sed qui circumciduntur seruiliter, & timore legis, quod inde legi satisfacere, & necessaria iusticia iustificari uolunt: utiq; Christum & gratiam Dei abijciunt, alia uia legem implere quam per Christum præsumentes, ita Christus eis, propter circumcisionem nihil prodest, cum illis circumcisio propter Christum nihil noceat. *Lex impleri nequit sine Christo.*

Eadem stulticia, imo impietate pereunt, qui uel tremore conscientiæ, uel periculo instantis mortis, cum uitam suam pessimam tandem aliquando senserint, uidentes, quanto interuallo a lege Dei distent, aut desperant, aut æquali impietate irruunt, uolentes satisfacere pro peccatis, & deinceps legem seruare pro serenanda conscientia sua, arbitrantes se bonos futuros, si quod lex prescribit, impleuerint. Porro implere nõ intelligunt, credere purissimum in Christum legis impletorem sed operibus multiplicatis legi satisfecisse. Has impias iusticias, ex decretis hominum, & monstrosa Theologia, cuius caput est Aristoteles, & pedes Christus, cum sola regnent, discimus. Sic enim satisfactiunculas iactitant, easdemq;

mirum

mirum est quanti faciunt per nundinas indulgentiarum, quasi parum sit in Christum credere, in qua fide sola est iusticia, redemptio, satisfactio, uita & gloria nostra. Tu ergo, cum lege duce, in peccatorum tuorum ueneris cognitionem, caue, ne primum præsumas deinceps legi satisfacere, melius uicturus, sed desperans de uita tua præterita & futura prorsus, in Christum crede fortiter. Credens autem & sic iustificatus ac legem implens, inuoca eundem, ut & in carne tua peccatum destruatur, & ibi etiam lex impleatur, sicuti iam in corde tuo per fidem impleta est, Et tum primum opera bona iuxta legem facias.

Desperandũ docet.

Proinde, placet iste modus, quod morituris, non nisi Christus crucifixus inculcatur, & ad fidem ac spem hortantur. Hic saltem (quantumlibet totam nostram uitam illuserint mentium deceptores) ruit liberum arbitrium, ruunt bona opera, ruit legis iusticia, reliqua sola fide, & inuocatione purissimæ Dei misericordiæ; ita ut mihi sæpe fuerit opinio, in morte, aut plures aut meliores esse Christianos, quam in uita. Nam quanto purior ab operibus proprijs fiducia, & absolutior in solum Christum, tanto meliorem reddit Christianum. Et in hanc fidem opera bona totius uitæ exerceri debent.

Christum morituris inculcandum.

Christiani in morte. &c.

At nunc nebulis & nubibus & turbinibus traditionum legumq; humanarum, deinde indoctorum Scripturæ interpretum & concionatorum, in merita nostra trudimur, ex nobis satisfacimus peccatis, & non ad purganda uitia carnis, destruendumq; corpus peccati, opera nostra dirigimus, sed uelut iam puri & sancti, tantum cumulamus ea, uelut frumentum in horreum, quibus Deum debitorem faciamus, & in cœlo, nescio quanta altitudine sedeamus. Cæci, cæci, cæci, his omnibus Christus nihil prodest, alio consilio iustificant seipsos.

Merita cumulare uolentes.

Consequens autem est, hoc uerbum Circumcidamini, non tam opus externum, quam internum uotum operis exprimere: in Spiritu enim loquitur Apostolus de interiore conscientia. Externum opus indifferens est. Tota autem differentia, in opinione, mente, conscientia, consilio, dictamine &c. consistit. Quare si opera legis fiant, conscientia necessitatis, & fiducia iusticiæ adipiscendæ, abitur in consilio impiorum, statur in uia peccatorum, & qui hoc docet, sedet in cathedra pestilentiæ. Si autem fiant pietate charitatis, & fiducia, ac libertate: iam per fidem adeptæ iusticiæ, merita sunt. Fiunt autem pietate charitatis, quando ad necessitatem uel uoluntatem alterius fiunt. Tunc enim non sunt opera legis, sed opera charitatis, nec propter legem imperantem, sed propter fratrem uolentem, uel indigentem, sicut Apostolus ipse eadem fecit.

Hæc tibi stet sententia firmiter in omnibus operibus, quarumcunq; legum. Nam ita sacerdos ac religiosus, si opera suarum ceremoniarum, imo castitatis & paupertatis fecerit, quod in illis iustificari, & bonus fieri uelit, impius est, & Christum negat. Cum illis iam iustificatus fide, uti debeat ad purgandam carnem, & ueterem hominẽ, ut fides in Christo crescat, & sola in ipso regnet, & sic fiat regnum Dei. Ideo hilariter ea faciet, non, ut multa mereatur, sed ut purificetur. At hui, quantus nunc in gregibus istis morbus est, qui & summo tædio, nec nisi pro hac uita, religiosi & sacerdotes sunt, ne pilum quidem uidentes, quid sint, quid faciant, quid quærant.

Elegans & uera sententia.

Ignosce lector mihi uerbosissimo. Madian iste super Ecclesiam sic multiplicatus est, ut sexcentis Gedeonibus opus sit, nedum trecentis tubis & lagenis, quibus exturbentur. Aquæ Assyriorum fortes, usq; ad collum Iuda peruenerunt, impleuitq; extensio alarum eius, latitudinem terræ tuæ o Emanuel, quia aquas Siloe, quæ uadunt cum silentio, proiecimus. Itaq; meruimus ligantibus clauibus, non nisi innumerabiles laqueos animarum.

Ad lectorem candidum.

Testificor

Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis faciendæ.

PRimum malum, quod uos terrere debeat, est, quod Christus uobis nihil prodest, hoc est, nihil aliud, quam legem non esse a uobis impletam: ideo alterum malum est, quod adhuc legis pondus super uos est, & debitores estis totius legis faciendæ. Vtrunq; certissime maximum damnum, carere tanto bono, quod in Christo est, & premi tanto malo, quod ex lege est. Sed, qua quæso, Paule, Dialectica stabit, imo curret ista consequentia: Circumcideris, ergo totius legis reus es? Nonne saltem circumcisionis legem seruat circumcisus? Respondet Hiere. 9. Omnes gentes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde. *Obiectio.* *Responsio.*

Iterum Apostolus ex hypothesi sua loquitur, quod nullius legis opus sit uerũ, nisi in fide cor purificante fiat: ideo neq; circumcisio, aut quodcunque aliud satisfacit legi, nisi foris & simulanter. Hoc enim opus solum bonum est, quod ex bono puroq; corde procedit. Bonum autem cor, non nisi ex gratia nascitur: gratia non ex operibus, sed ex fide Christi uenit. Sic circumcisio Abrahæ prorsus nihil fuisset, nisi prius credidisset, qua fide iustus reputatus, fecit bonum opus circumcidendo se, hoc est, quod Rom. 2. dicit. Si præuaricator legis sis, circumcisio tua præputium factum est: Quid hoc est aliud, quam circumcisus non est circumcisus? & seruans legem non seruat legem? quia non seruat eam maiore & meliore sui parte, scilicet corde, sed carne duntaxat. *Opus bonum est, quod ex bono puroq; corde procedit.* *Rom. 2.*

Sic Iacobus, qui offendit in uno, factus est omnium reus. Nam, qui fide unum implet, omnia implet. Fides enim plenitudo omnium legum est, propter Christum impletorem. Quod si in uno, fide careas, iam in nullo eam habes. Recte ergo dicit, qui se circumcidit sine fide, sine interna circumcisione, non se circumcidit, sed nec ullum opus ullius legis facit, uniuersæ autem legi adhuc debet. D. Hiero. intelligit, si circumcidantur, necesse esse, ut & reliquam uniuersam legem seruent, quasi Galatæ tantum circumcisionem seruarint. Quæ sententia mihi non placet, quia totam legem Mosi imposuerant Galatis Pseudoapostoli, ut supra dixi: dies, menses, annos, & tempora seruatis: ideo potius uult ostendere, longe contrarium eis euenisse per obseruantiam legis, scilicet nullam obseruantiam, imo ueram ac maiorem transgressionem. *Fides est plenitudo omnium legum.* *Consiliũ Apostoli.*

Euacuati estis a Christo, qui in lege iustificamini, a gratia excidistis.

ECce, quod dixi, non circumcisionis opus, sed fiducia iusticiæ ab Apostolo damnatur. Qui in lege (inquit) iustificamini, uitium impietatis est, quod iustificari uultis operibus legis: fieri opera legis bene possunt a iustis, sed iustificari in illis nullus impius potest. Deinde & iustus, si illis iustificari præsumat, amittit potius quam habet iusticiam: & excidit a gratia, qua iustificatus erat, translatus uidelicet: e bona terra in sterilem. Iterum hic alludere uidetur occulte ad nomen Galatarum, quod translationem significat, quod e gratia in legem exciderint. Vides ergo, quam constanter Apostolus, sola fide nos iustificari contendat, & opera non esse iusticiæ parandæ principia, sed iam partæ officia, & augendæ ministeria. *Ceremoniæ fiunt à iustis, sed non iustificant.*

Taxat

Taxat D. Hiero. interpretem in uerbo, Euacuati estis, quod significet magis, ab opere Christi cessastis. Et mire placet huius uerbi Emphasis, uult dicere, ociosi, inanes, uacui estis opere Christi, Et Christi opus non est in uobis, siquidem (ut supra dictum est) Christianus non uiuit, non loquitur, non operatur, non patitur, sed Christus in eo. Omnia opera eius, sunt opera Christi, tam inæstimabilis est gratia fidei. Qui ergo in legem transfertur, iam ipse in se uiuit ipso, suum opus, suam uitam, suum uerbum exercet, id est, peccat & legem non implet, ociosus est Christo, Christus non habitat in eo, nec utitur eo, agitqꝫ pessimum & infœlix quoddam sabbatum ab operibus Domini, cum contra, sabbatissare deberet ab operibus suis uacare, & ociosus esse, ut opera Domini in eo fierent, quod per sabbatum olim figuratum docet B. August. Igitur, qui credit in Christum, euacuatur a seipso, fit ociosus ab operibus suis, ut uiuat & operetur in eo Christus. Qui lege quærit iustificari, euacuatur a Christo, fit ociosus ab operibus Dei, ut uiuat & operetur in seipso, hoc est, pereat & perdatur.

Nos enim, spiritu ex fide, spem iusticiæ expectamus.

SPiritu ex fide, hebraice dici uidetur, pro eo, quod est, nos spiritu, qui ex fide est, seu quia credimus: Ideo non carnaliter, sed spiritualiter expectamus spem iusticiæ. Illi uero, qui non credunt, uacui spiritu sunt: ideo ex operibus carnaliter expectant spem iusticiæ suæ. Fides facit spirituales, opera carnales. Dixi & ante, non posse hominem citra gratiam legem operari, nisi uel timore pœnæ, uel spe promissi, utrunqꝫ autem carnaliter & mercenarie agitur, quare non spiritu expectatur ibi spes, sed carne appetitur res, qua fruantur. Non enim amore iusticiæ, sed commodo præmij, faciunt bene.

Fides facit spirituales, opera carnales.

Quid illud, spem iusticiæ expectamus? Quis spem expectat? Aliqui, spem pro re sperata accipiunt, sicut lib. 3. Sen. fidem pro re credita, seu uerbis fidei accipi dicitur apud Athanasium, Hęc est fides catholica &c. Verum, ego non libenter fidem & spem sic accipi audio. Sicut enim recte dicitur, uiuo uitam, ita non absurde, spero spem, dici posse uidetur, tamen interim non contendam. Sequatur quisqꝫ quod poterit aut uolet: Ego scio, quod Tropus Scripturæ ferme habet, ut illud fidei & spei tribuat, quod fide & spe attingitur. Sic enim Dij uocantur, uocantur ueraces, iusti, sancti, quæ solius Dei sunt, cuius participatione & adhæsione, tales sunt, ita spes, quia futuris inhæret, eorum adhæsione, speratio seu res sperata uocatur, non (ut illi putant) nudo arbitrio abutendæ uocis, sed iustissima ratione, quo modo seorsum quoqꝫ citra adhæsionem diuinæ iusticiæ, iustos aliquos somniant. Cum fides ideo sit iusticia Dei, quia diuinæ iusticiæ & ueritati adhæret & consentit, quod gratiæ est, non naturæ.

Viuo uitam. Spero spem. Tropus Scripturæ.

Nam in Christo Ihesu, neqꝫ circumcisio aliquid ualet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.

HIc manifestissime probatur, Circumcisionem esse licitam, quod tanto strepitu D. Hiero. cum suis impugnat. Quia, si non est licita, præputium erit necessarium. At præputium (inquit) non ualet, ergo non est necessarium. Rursum, & præputium est licitum, quia, si non est licitum, circumcisio est necessaria. At circumcisio nihil ualet, ergo non est necessaria. Quid ergo restat, nisi quod B. Augu. recte hic dicit. Nec enim Timotheo non profuit Christus, quia Paulus eum iam Christianum circumcidit,

Circumcisio licita, contra D. Hiero. Præputium licitũ.

fecit

fecit enim hoc propter scandalum aliorum, nihil simulans omnino, sed ex indifferentia illa, circumcisio nihil est, & preputium nihil est (1. Corin. 7.) Nihil obest enim circumcisio ei, qui salutem in illa esse non credit.

Ad hanc indifferentiam commendandam, prudentissime Paulus utrunque posuit, quia si dixisset, Circumcisio nihil prodest, iam uidebatur necessarium praeputium. Rursum, si dixisset, praeputium nihil ualet, iam circumcisio uideretur necessaria. Nunc uero sola opinio, fiducia, & conscientia, inter haec discernit, quae utraque sunt licita, indifferentia, neutra, sicut omnia alia opera legis. Sic. 1. Corin. 7. Circumcisus aliquis uocatus est, non adducat praeputium, in praeputio aliquis uocatus est, non circumcidatur. Circumcisio nihil est, & praeputium nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Quid hoc est? Non est obseruare Dei mandatum circumcidi? Nonne per Mosen & Abraham illud praecepit?

Opera legis neutra

1. Cor. 7.

Dixi supra, quod circumcisi carne, sine circumcisione cordis, coram Deo incircumcisi sint. Quanquam uerum est, quod ceremonialia legis usque ad Christum, necessario fuerunt Iudaeis seruanda. Usque ad Christum enim Abrahae promissio, & Mosi lex durabat, ut Deut. 18. Moses clare dicit, quod Prophetam, quem suscitaturus erat Deus, audirent, sicut ipsum Mosen. Non ergo uoluit Moses audiri, ultra hunc Prophetam, qui Christus est, sicut Apostolus Petrus eundem locum Act. 3. contra Iudaeos adducit. Et cum Abrahae circumcisionem mandauit, utique usque ad benedictionis promissae exhibitionem uoluit eam durare. Veniente enim Semine, cui promissio facta fuit, certe simul finita est promissio, & pactum promissionis cum signaculo suo. Post Christum igitur Circumcisio nihil est, neutra tamen & licita, sicut quaecunque alia de diebus, cibis, uestibus, locis, hostijs &c. quanquam nec ante Christum, aliquid erant, quando sine interiore iusticia fiebant, ut Isa. 1. dicit. Quo mihi multitudinem uictimarum uestrarum? Et Micheas. 6. Quid dignum offeram Domino? &c. Sic Heb. 9. dicit, illa omnia ad tempus correctionis imposita. Sed & opera Decalogi extra gratiam, erant & sunt finienda, ut succedant uera opera illius in Spiritu.

Deut. 18. *Acto. 3.* *Isa. 1.* *Michc. 6.* *Heb. 9.*

Opera Decalogi in Spiritu.

Haec dixi, ne quis me putet circumcisionem, etiam ante Christum, asserere neutram fuisse & indifferentem, aut Iudaeis praeputium licitum. Iob enim & multi alij orientales, Naaman Syrus, Sareptanae mulieris filius, Rex Nabocodonosor conuersus, iusti erant, & tamen incircumcisi, quia lege Mosi non tenebantur, nisi Iudaei, qui illam acceperant. Illud, quod ait, fides, quae per dilectionem operatur, declaratio est sermonum illuminans, & intellectum dans paruulis, ut intelligamus, de qua fide toties loquatur. Nempe, de uera & syncera, atque ut ad Timoth. primo dicit, Conscientia bona, & fide non ficta. Ficta uero est, quam Theologi nostri acquisitam uocant, tum, quae & si infusa est, sine charitate est.

Fides uera.

In fictam Theologorum fidem, quam acquisitam uocant.

Neque hic tracto friuolas quaestiones, & rancidas opiniones eorum, quibus statuunt fidei infusae, necessariam fidem acquisitam, quasi Spiritus sanctus nostri egeat, & non potius nos illius, in omnibus. Nam, quod somniant, si puer recens baptisatus, inter Turcas & infideles, sine Christiano doctore aleretur, non possit scire, quae sint Christiano homini scienda, nugae sunt, quasi non quotidie ad sensum experiantur, quid prosit Christiana doctrina ijs, qui non trahuntur intus a Deo. Rursum, quanta fiant per eos, qui foris non docentur, tot & tanta, quanta Theologi docent & docentur. Viua, imo uita & res est, si Spiritus doceat, scit, loquitur, operatur, omnia in omnibus, quem Deus docuerit. Non secus certe, quam dum

creat hominem e nouo. Quis enim rude Semen uiri docet, uiuere, uidere, sentire, loqui, operari, & totum mundum in omnibus operibus suis uigere? Ridicula sunt illa commenta, & de Deo nimis stulte cogitantia.

Qui uerbum Cristi synceriter audit, fideliter adhæret, spiritu quoq; charitatis induitur.

Igitur qui uerbum Christi synceriter audit, & fideliter adhæret, mox quoq; Spiritu charitatis induitur, ut supra dixit. Ex auditu fidei, an ex operibus Spiritum accepistis? Neq; enim fieri potest, si Christum syncere audias, non etiam mox eum diligas, ut qui tanta pro te fecerit, ac tulerit. Si diligere potes eum, qui te 20. florenis donat, aut honorat officio quocunq;, quo modo non diliges eum, qui non aurum, sed seipsum pro te tradit, tot uulnera pro te accipit, sanguinem sudat & fundit, moritur, & omnia extrema subit? Sin autem non diligis, certum est, quod hæc nec syncere audis nec pure credis pro te facta esse: hoc enim Spiritus facit, ut facias. Reliqua autem fides, quæ miracula facit, donum est Dei liberale, in ingratos dispersum, qui in suam gloriam operantur, quæ operantur. De quibus. 1. Corin. 13. dicit: Si habuero omnem fidem &c. Elegantissime ergo & significantissime dicit, fides, quæ charitate operatur, id est, (ut Erasmus ex græco docet) efficax est, non quæ per acquisitionem sui stertit, nec quæ per miracula potens est, sed quæ per charitatem efficax est, quomodo superius dixit: Qui operatus est Petro, operatus est & mihi inter gentes energiam enim sonat. *1. Cor. 13.*

Currebatis bene.

Tropus scripturæ. B. Augustinus.

TRopus Scripturæ est, ire, ambulare, ingredi, uia, iter, gressus, uestigia & similia, pro conuersari, imo, & pro credere & diligere accipi. Nam Deo non appropinquatur (ut August. ait) loco, sed affectu & amore, quod est, cordis & animi ambulare. Vnde & conuersationem nostram in cœlis esse dicit, dum sapimus ea, quæ sursum sunt, ubi Christus est. Hæc, quanquam uulgatissima & frequentissima sunt in Scripturis, opus tamen est ea commemorare: quod nunc passim uulgatissimus error dominetur, quo, pro religione contra religionem cursitant Romam, Hierusalem, ad S. Iacobum, & mille alia loca, quasi regnum Dei non sit intra ipsos. Ad quam impietatem non segniter patrocinantur magnificæ & immodestæ ostentationes indulgentiarum. Quibus uulgus indoctum (quia nescit distinguere) illusum, has discursitationes longe præfert exercitijs charitatis, qua sola ad Deum curritur, quam & in locis suis abunde possent exercere. Sed lucrum excæcat pastores, quo minus huic errori uulgato occurrent. *Philip. 3.*

In peregrinandi errorem.

Lucrum excæcat.

Apostolus uero non dicit, ambulabatis, sed currebatis, quo eximie eos commendat, & paterne eis blanditur. Nam cursus perfectorum est, sicut Psal. 19. Exultauit ut gygas ad currendam uiam. Et ad Corinthios, sic currite, ut comprehendatis. Rursum, de ijs, qui perfecti sunt, & obstinati in malo. dicit Prouerb. 1. Pedes eorum ad malum currunt & festinant, ut effundant sanguinem. Et idem repetit Isa. 59. Quare currere in Christo, est festinare, ardere, perfectum esse, in fide & charitate Christi. *Psal. 19. 1. Cor. 9. Esa. 59.*

Quis uos impediuit ueritati non obedire?

Explanatio Apostoli.

QVis impediuit uos in cursu bono, & adeo impediuit, ut ueritati non crederetis? quasi dicat, nullius astus, nullius autoritas, nullius quantalibet persona, seu species uos debuit mouere. Stertentes & uix reptantes in Christo (hoc est infirmiores) queat aliquis fallere, impedire, seducere

seducere: at currentes, ardentes, & plane eos, qui me sicut Christum exceperunt, qui oculos suos eruerunt, qui omnia pericula rerum & uitæ, pro me obiuerunt, tam cito, non modo impediri, sed eo etiam transferri, ut ueritati non credant, quis non miretur? Vere Galatæ, & nimium transferibiles estis, a tanta perfectionis sublimitate, in tantam contrariæ superstitionis profunditatem tam cito deiecti. Simul recordare, quid sit humana natura, quid liberum arbitrium, si Deus manum subtrahat. Deinde, quid facturi sint populi, bonis pastorum officijs carentes, quando Galatæ tanti in Christo, tam cito, absente Paulo, tam grauiter lapsi sunt.

Eant nunc, qui multorum locorum pastores, imo multorum pastorum pastores esse uolunt, & de potestate sua glorientur pasturam interim, nec sibijsis prouidentes. Siquidem hodie corruptissimæ affectiones, id quod Christus ad Petrum dixit, PASCE OVES MEAS, sic interpretantur: Esto super oues prælatus, & dominare earum, & hoc solum est hodie pascere oues Christi, etiamsi Euangelij (quod solum pascua est ouium) nec uiderint syllabam. Deinde illud, TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM AEDIFICABO ECCLESIAM MEAM, ijdem interpretantur sic: Supra petram, id est, super potestatem Ecclesiæ, quando Christus fidei soliditatem in Spiritu significauit, facientes nobis ex fide Christi spiritualissima, potentiam terrenissimam. Proinde nobis non opus est dicere: Quis uos impediuit non obedire ueritati? Sed quare uos nemo impedit obedire mendacijs, in quibus pessime curritis? Quid enim aliud faceremus, quando pastores non quo curramus, sed, quantum ipsi dominentur, spectant?

Tu es Petrus.

Contra dominantes pastores.

Nemini consenseritis.

Hieronymus hanc particulam penitus reijciendam arbitratur, quod in græcis libris non inueniatur, nec in ullis eorum, qui in Apostolum commentati sunt, quare & nos eam prætereamus.

Hæc persuasio non est ex eo, qui uocat uos.

D. Hiero. legit persuasio uestra, & multa de libero arbitrio disputat, quæ prudenter intelligenda sunt, præsertim, cum aliorum recitet sententias, id est, commentaria scribat. Mihi Erasmi sententia placet, qui dicit, nec uestra, nec est, nec hęc in gręco haberi, & responsionē esse, ad quæstionem præcedentem, hoc modo: Quis uos impediuit non obedire ueritati? Certe, non nisi persuasio, quæ non est ex Deo, qui uocat uos.

PERSVASIO autem, utroque modo accipi potest, actiue & passiue, nisi quod uehementius obiurgat, & magis præcedenti quæstioni quadrat, si passiue accipiatur, ut sit sensus: Impediti estis, quia nimis cito persuasi estis. Galatæ estis, cito transferimini ab eo, qui uocat uos, ut supra dixi. Debuerant tam perfecti, non tam cito persuaderi, quantumlibet suasores urgerent. Interim nota, quod fidem magis persuasionem uocat, quia res est, quam nisi suadenti credas, demonstrari non possit. Non enim Sophistarum pugnas fides patitur.

Persuasio. Fides.

Modicum fermentum, totam massam corrumpit.

MAle in nostris codicibus habetur: Modicum fermentum totam massam corrumpit: Et sensum potius interpres suum, quam uerba Apostoli transtulit. Hæc D. Hieronymus sic autem transfert, Modicum fermentum, totam conspersionem fermentat. Eandem sententiam, imo eadem uerba 1. Corin. 5. ponit: Nescitis quod modicum fermentum totam massam corrumpit? Videturq; Apostoli familiare quoddam prouerbium esse, sane pulcherrimum, & multæ emphasis. Apostolus autem 1. Corinth. 5. manifeste indicat, duplex esse fermentum, quando dicit. Expurgate fermentum uetus. Et iterum: Non in fermento ueteri. Est ergo & nouum fermentum.

1. Cor. 5.

Duplex est fermentum, uetus & nouũ.

Vetus.

Vetus, est pestilens Doctor, pestilens doctrina, pestilens exemplum. De primo & secundo loquitur hic Apostolus. De tertio. 1. Corinth. 5. ubi fornicarium iubet auferri de medio tanquam fermentum uetus, ut sitis (inquit) noua conspersio. Item Matth. 16. & Lucæ. 12. Attendite a fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, quod infra Euangelistæ ipsi exponunt, de doctrina Pharisæorum. Massa seu conspersio, populus, discipulus, uel pia doctrina puræ fidei. Sicut autem fermentum simile est conspersioni, ita peruersa doctrina semper induit speciem ueritatis, nec nisi sapore, id est, discretione spirituum discernitur.

Matth. 16
Lucæ 12.

Nouum.
Massa.

Fermentum nouum, Christus est, uerbum Christi, opus Christi, ac omnis Christiani, id est, doctor, doctrina, exemplum. Massa autem populus, sapientia carnis, uetus homo, uita mundi &c. Vnde Matth. 16. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum. Mulier Ecclesia uel sapientia Dei fermentum accipit (id est, uerbum Euangelij) & abscondit, quia uerbum fidei in interiore conscientia uiget, non in operibus externis legis, ut dictum est. In corde meo (inquit) abscondi eloquia tua. Iustificat enim in spiritu coram Deo in tribus satis farinæ, in certo numero & mensura electorum suorum.

Mulier.

Satum.

Est enim, teste Hierony. satum hebraice, more palestinæ prouinciæ, mensuræ genus, unum & dimidium modium capiens. (Et tantum ferme solent mulierculæ pro fermentanda farina accipere) Sata ergo tria, quocunq; quis interpretetur mysterio, permittendum est: modo certum numerum, & modum populi intelligat, uel sanctæ Trinitatis electione, uel aliter. Donec fermentaretur totum, hoc est, quod supra dixi, fides, qua iustificamur in Spiritu, & uelut absconsio fermenti, & uerbi Dei cum anima nostra, quædam temperatura id facit, ut carnem castiget, peccatum destruat, fermentum uetus expurget, ut sola ipsa in omnibus membris regnet, & totum fermentet.

Oportet allegoriis S. scripturæ assuefieri.

Cum igitur in Scripturis nos uocemur, unus panis, unus potus, & doctrina: similiter panis & potus, oportet allegorijs istis assuefieri, & temperaturas & mutaturas farinæ ac fermenti, doctrinarum & populorum mutationes in animabus intelligere. Quanquam igitur, de doctrina mala Apostolus hoc loco dicat, tamen, quia generali utitur sententia, debet etiam intelligi de qualibet mala concupiscentia, qua cum cœperimus titillari, mox hoc uerbo retundenda est: fermentum modicum corrumpit totam massam, quia, nisi in principio resistas, inualescet, & totum corpus & animam polluet, consensu aut delectatione. Si autem fermentum est lex illa Mosi, ut Apostolus sentit, quæ nihil uitiosum sapuit: quid nostræ traditiones erunt, quæ tam graue olent, & crasse spirant carnem & sanguinem.

Fermentum.

Ego con

Ego confido in uobis, in Domino, quod nihil aliud sapietis.

PVlchre temperat uerbum, ne in hominem confidere putaretur. Confido in uos, non autem in uos, sed in Domino. Et quanquam sensus idem sit: Confido de uobis in Domino, nescio tamen, quid latentis mihi magis arrideat energiæ, cum uelut hebraissans, Confido in uos in Domino, dicit. Videtur enim & hæc esse blanda quædam paternæ curæ adulatio, quod in illos confidat, sed non nisi in Domino. Iam hoc uerbum, Sapietis, quod tam frequens est in nouo testamento, aliquando sapientia, prudentia dicitur, ut Rom. 8. Prudentia carnis, mors est: tandē familiare nobis esse debet. Nam res illa, quæ uocatur animi nisus, conatus, intentio, uideri, sensus, sentimentum, opinio, sententia, propositum, institutum, consilium, cogitatio, mens &c. hoc uerbo græco exprimitur, Phronema, phronesis. Inde Psalm. 1. Beatus uir, qui non abijt in consilio impiorum. Quod germanice, Gutduncken uocatur, quando dicimus, es dunckt mich so recht. Nihil aliud, non potest referri ad proxime præcedens, sed ad totius Epistolæ argumentum & summam, ut sit sensus: Didicistis ex me Euangelium, spero, nihil nouum, nihil aliud sapietis, non mutabitis, iterum blandiens, & pie præsumens, cum iam aliud sapere cœpissent, seu aliud uideri illis cœpisset. *Sapietis.* *Phronema.* *Nihil aliud.*

Qui autem conturbat uos, portabit iudicium, quicunque est ille.

COnturbat, id est, de uera fide doctrinis suis deijcit, ac deturbat a statu, in quo stabatis. Sed nunquid excusabit illum pius zelus & bona (ut dicunt) intentio? aut ignorantia, aut quod Apostolorum discipulus est, & magnus? Non (inquit) quicunq;, quantulscunq; sit, non leue peccatum fecit, iudicium suum portabit. Et iste Tropus est scripturæ, portare suum onus, suum iudicium, suam iniquitatem, quo significatur damnatio eorum. Nam ij, qui sunt in Christo, non portant onus suum, sed ut Isa. 53. dicit: Christus languores nostros ipse tulit. Et, Dominus posuit super eum peccata omnium nostrum. Vnicuiq; autem suum peccatum est importabile, & tamen portare cogitur, ut Psal. 38. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. *Conturbat.* *Vnicuiq; suum peccatum est importabile, & tamen portandum.*

Horribile est ergo, quod Paulus hic dicit, portabit iudicium suum. Item uide, quanta superbia detrahat illi personam, quicunq; sit ille. Nihil moror, sit Apostolus, aut discipulus Apostolorum, persona nihil est. Tantam uidemus personarum despectionem in Paulo, & tanta mala sub personis & laruis hominum perpetrata, nec sic satis potest nobis persuaderi, quin uidentes & uolentes seduci delectemur, titulo sanctitatis, autoritatis, potestatis, præscriptionis, priuilegiorum, & huiusmodi uanissimarum rerum. *Apostolus detrahit personam.*

Nam, id nunc in Ecclesia non permittitur dici, quicunq; sit ille. Sed satis est dicere, hic sic sentit, sic uult, sic iubet, tum hoc totum Ecclesia uniuersalis dixit, Donec quidam Antichristi præcones eo uenerint, ut fœdissime garriant: Non licere, præsertim Romano Pontifici dicere: Cur ita facis? non habere eum in terra iudicem. Nec satis Ecclesiæ suæ prouidisse Christum, si non tantam potestatem homini tribuisset, quantam ipse

 habet.

habet. Has uoces omnium impietatum impietatibus insaniores, dignum est nostrum seculum audire, pro meritis suis in Christum.

Ego autem fratres, si circumcisionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior?

QVia, ut supra c. 1. dixit: An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Quibus uerbis idem quod hic significat, se scilicet propter uerbum Christi, quo circumcisio tollitur, a Iudeis passum persecutiones, ut in Actibus & multis epistolis scribitur. Dicit ergo, etiam eo argumento, discite circumcisionem nihil esse: quod ipse sicut uobis scribo, ita facio, ut etiam persecutionem propterea patiar, quam non paterer, si illis consentiens, circumcisionem docerem. D. Hiero. putat, Pseudoapostolos illos, nomine Pauli quoque abusos fuisse, ad subuertendos Galatas, quod uidelicet & Paulus Timotheum circumciderit, & uotum fecerit in Cenchræis, ut dictum est supra. Sed uide, non dicit, si adhuc circumcisionem patior, sed prædico: prædicanda non erat, ut necessaria, & si toleranda erat, ut innoxia, modo fides Christi dominetur.

D. Hieronymus.

Ergo euacuatum est scandalum crucis?

SI circumcisio prædicatur, Iudæi placantur, cessat ergo eorum offendiculum. Nam idem uerbum, quod supra, euacuati estis, id est, sine opere, ociosum, inane est, significat, quod uidelicet, scandalum amplius nihil aget in Iudæis. Sed quæ consequentia, circumcisio prædicatur, Ergo crucis scandalum cessat? Deinde non est optandum, ut non sit ullum scandalum crucis? An uis Paule, ut quamplurimi offendantur? Quis hoc ferat? Ad primum. Apostolus proprie tribuit Iudeis scandalum in Christo. Sic. 1. Corin. 1. Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stulticiam, nobis uero qui credimus, Dei uirtutem & sapientiam. Et Luc. 2. de Iudæis dicit Simeon, positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel. Et Isa. 8. Dominum exercituum ipsum sanctificate, & ipse pauor uester, & terror uester, & erit uobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & petram scandali, duabus domibus Israel, & in laqueum, & in ruinam habitantibus Hierusalem. Quare recte dicitur, si Iudæis placeret, prædicando circumcisionem, & eorum iusticias impias probaret, non offenderentur ipsi, nec eum persequerentur.

Duo quæruntur.

Respondetur ad unum.

1. Cor. 1.

Luc. 2.

Isa. 8.

Ad secundum potest dici, non uelle Apostolum, ut sit scandalum, sed euidentem experientiam allegat, quod non sit euacuatum scandalum crucis, ut probet, circumcisionem non prædicari a se, ut sit sensus, hoc ipso cognoscite, circumcisionem a me non prædicari, quod uidetis scandalum crucis non cessare: durat Iudæorum furor & offensio, sicut & mei persecutio: utrunque sine dubio quietum esset, si circuncisionem prædicarem: ipsa ergo utrinque experientia, quod ego patior, & illi offenduntur, sit uobis abunde argumentum, de circumcisione nos dissentire. Hæc satis, pro insensatis Galatis. Cæterum, qui sublimiorem huius quæstionis solutionem quærit, illud Euangelij tractabit, necesse est, ut scandala ueniant. Et Rom. 11. Dedit eis Spiritum compunctionis &c. Et quo modo sic oportuit fieri, ut implerentur Scripturæ, quod pelagus hic præterimus. Et si non negem, ab Apostolo tenuiter illud, hoc loco tactum esse.

Ad alterum.

Rom. 11.

Vtinam

Vtinam abſcindantur, qui uos conturbant.

D. Hierony. Apoſtolum hic maledicere putat, ſed multum laborat, ut excuſet aut extenuet ſaltem. Verum, cum ex prædictis didicerimus, ſolere ac ſolitos fuiſſe olim ſanctos maledicere, & Chriſtus ficum quoq; maledixit, aut ſi ficum maledici parũ uidetur, Heliſæus certe homines, pueros Bethel in nomine Domini maledixit. Et Paulus fornicarium. 1. Corin. 5. Satanæ tradidit, & eiuſdem ultimo dicit. Si quis non amat Dominum Iheſum Chriſtum, ſit anathema maranata. Quod Burgen. peſſimum maledicendi genus apud Hebręos eſſe dicit. Vbi noſtri maranata, Dominus uenit, intelligunt, non abſq; errore, ut puto. Nihil mirum ſit, ſi & hic maledicat, externi hominis malum deteſtans, quo bonum Spiritus impediri cernebat. Abſcindantur, Hierony. ad partes corporis referent uerendas: meminit enim eorum, qui caſtrantur, quæ tanta ſit paſſio, ut ſi inuitis illata fuerit, publicis legibus uindicetur: ſi ſponte infamia incurratur.

Maledictio.

1. Cor. 5.

Maharam Matho.

Abſcindantur.

Deut. 23. & 25.

Legimus Deut. 23. Eunuchus attritis uel amputatis teſticulis & abciſſo ueretro, non intrabit in Eccleſiam Domini. Et uiceſimo quinto, amputanda ſine ulla miſericordia, manus mulieri iubetur, quæ rixantibus uiris, ut uirum ſuum eruat, uerenda alterius apprehenderit. Nonne ſtulta & ridicula hæc, etiamſi in gentilibus libris ſcriberentur? Ita ſane, niſi Deus libenter ſtultificaret ſapientiam mundi, qui noſtram ſuperbiam, in rebus tam fœdis (noſtro tamen uicio) tanta ſacramenta nõ uoluit faſtidire. Duo teſticuli certe utrunq; teſtamentum ſunt. Scriba enim doctus in regno cœlorum proferet de ſuo theſauro noua & uetera. Vterus Fœminæ, nonne uoluntatem & conſcientiam ſignificat? ſed omitto hæc, quia ij, qui puri ſunt, per ſe inuenient: qui impuri, non ſine periculo hæc audiunt. Mulieris autem amputanda manus, quod uerenda apprehenderit alieni uiri, ſuſpicaretur mihi eſſe eorum temeritas, qui in contentione ueri & falſi doctoris, poſtpoſitis, imo tortis Scripturis, ſuo ſenſu & humanis opinionibus uincere tentant.

Eunuchus.

Deus libenter ſtultificat ſapientiam mundi.

Mulieris amputanda manus &c.

Sed quid iſta? Nempe, quod Paulus in lege eruditiſſimus, cum de circũciſione circumciſioniſq; doctoribus agit, uidetur eis optare, ut non modo circumcidantur, imo penitus abſcindantur, non tantũ præputio, ſed tam teſticulis quam ueretro, manifeſte ad myſterium alludens, quod & græcus textus indicat, qui addit copulam, &, ſic, utinam & abſcindantur. Q. d. ſi omnino uolunt circumcidi, opto, ut & abſcindantur, & ſint Eunuchi illi amputatis teſticulis & ueretro, id eſt, qui docere & gignere filios ſpirituales nequeunt, extra Eccleſiam eijciendi. Epiſcopus enim, imo Chriſtus uir eſt Eccleſiæ, quam fœcundat ſemine uerbi Dei, per teſticulos ſuos & ueretrum ſuum, pudicitia & ſanctitate pleniſſima. Impiorum autem abſcindendi ſunt, quod alienum ſemen, & adulterinum uerbum ſeminant,

Chriſtus uir Eccleſiæ.

Vos enim in libertatem uocati eſtis fratres, tantum, ne libertatem in occaſionem carni: Subaudi, detis.

Nam uerbum, Detis, per reticentiam non poſuit.

Sed per charitatem ſeruite inuicem.

ALij per charitatem spiritus seruite inuicem, parumque refert. Ea quæ hic Origenes, referente D. Hiero. de obscuritate, de carne legis comminiscitur, nec intelligo, nec sequor. Mihi plana uidetur Apostoli sententia & consequentia. Quia uos (inquit) uocati estis, in libertatem, hoc est, de seruitute legis, in libertatem gratiæ. De qua quia toties illi titubant, cogor toties & ipse loqui. Lex (inquam) facit seruos, quæ timore minarum & amore promissorum, non gratuito ab illis impletur, & sic non impletur. Non impleta autem, reos tenet & seruos peccati. Fides autem facit, ut accepta charitate, neq; coacti, neq; allecti temporaliter, sed libere ac stabiliter legem faciamus. Circumcidi ergo, seruitutis est, sed diligere proximum, libertatis: quia illud minante lege fit ab inuitis, hoc fluente ac hilarescente charitate agitur a spontaneis.

Lex facit seruos. Fides liberos.

Porro illud, Tantum ne libertatem in occasionem carni, ideo dicit, ne iuxta stultam opinionem, eam libertatem intelligamus, qua cuiq;, ut libitum est, licitum, & liberum esse cupimus. Quo modo & Rom. 6. occurrit, quando eandem libertatem docens, dicit: Non estis sub lege, sed sub gratia, hic libertas asseritur a lege: sed mox sibi ipsi opponit. Quid ergo? peccabimus, quia non sumus sub lege? Absit, hoc est, quod hic dicit, occasionem carni fieri, si sic libertas acciperetur carnaliter: non sumus liberi a lege humano more (ut dixi supra) quo lex tollitur & mutatur, sed diuino & theologico, quo nos mutamur, & ex hostibus legis, efficimur amici legis.

Tantum ne libertatem in occasionem carni. *Rom. 6.* *Libertas diuina.*

In hanc sententiam & 1. Petri. 2. dicit, quasi liberi, & non quasi uelamen habentes nequitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Ecce occasio carnis quid sit, uelamen nequitiæ, qua, quia nulla iam lege tenentur, putant se non debere bona operari, & bene uiuere: cum potius id agat libertas, ut iam non coacte, sed hilariter & gratuito bona operemur. Sed & hoc loco, ipsemet Apostolus hanc libertatem dicit seruitutem charitatis esse: seruite (inquit) per charitatem inuicem. Hæc est enim libertas, quod non nisi proximum diligere debemus. Dilectio autem omnium facillime docet benefieri, sine qua nihil satis doceri potest. Proinde, uide stultos, si per libertatem, qua a lege & peccato liberamur, intelligunt dari licentiam ad peccandum: Cur non rursus per libertatem, qua a iusticia liberi fiunt, etiam intelligunt dari licentiam ad bene operandum? Si enim recte inferri putant, solutus sum a peccato, ergo faciam peccatum: etiam inferri debet, solutus sum a iusticia, ergo faciam iusticiam. Si hoc non sequitur, neque illud. Venit hæc stulta imaginatio ex humano sensu, & usu propriæ iustificationis (ut dixi) quia humana iustificatio per opera fit: ideo libertas & ocium iusticiæ, post finem acquisitæ iusticiæ intelligitur.

Libertas non est licentia peccandi.

At fidei iusticia ante opera donatur, & ipsa principium est operum: ideo est libertas faciendi, sicut illa est libertas omittendi, longe contrario modo sese habentes ambæ, sicut Isa. 55. dicit. Quo modo exaltantur cœli a terra, sic exaltatæ sunt uiæ meæ, a uijs uestris. Ista ergo carnalis imaginatio, libertatem iusticiæ, potius intelligit seruitutem odiosam. Odit enim legem & opera eius, ideo non aliam libertatem metitur, quam ut lex mutetur & tollatur, odio suo manente. Non ergo carni, hoc loco allegorice, sed proprie accipitur pro uicijs carnis, seu carne, in qua sunt uitia, quibus mouemur ad quærenda ea, quæ nostra sunt, & negligenda ea, quæ proximi sunt. Hoc est autem contra charitatem, & qui sic libertate utitur, in occa-

Carnalis imaginatio peccat. *Occasio carnis.*

in occaſionem carnis utitur, ut caro, iam libertate donata, occaſionem habeat, ſuis deſiderijs ſeruiendi, contempto proximo.

Omnis enim lex in uno ſermone hoc impletur, Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.

Leuit. 9. *Rom. 13.* LEuit. 9. Idem Rom. 13. dicit, Nulli quicquam debeatis, niſi ut inuicem diligatis. Qui enim diligit proximum, legem impleuit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, non concupiſces, & ſi quod aliud mandatum in hoc uerbo inſtauratur, diliges proximum tuum, ſicut teipſum. Græce pro inſtauratur, capitulatur, ſeu ſummatur, ut Hiero. in uarijs locis transfert: ideo & hoc loco uerbum, impletur, intelligi debet, ſummatur, comprehenditurue. *Impletur.* Quod ideo dico, ne quis Apoſtolum putet docere, per nouam legem ſic impleri ueterem, quod illa ſit ſpiritualis intelligentia, & ſpiritualia uerba, cum ſola gratia ſit plenitudo legis, & uerba, uerba non implent: ſed res implent uerba, & uirtutes confirmant ſermonem, alioquin hoc præceptũ diligendi proximi ſpiritualiſſimum, Nonne Leui. 19. ſcribitur? Summatur ergo hoc uerbo omnis lex, ſed gratia impletur. Igitur in libertatem uocati ſumus, omnem legem facimus, ſi proximus ea opus habeat, huic uni charitate ſeruimus,

Quare recte ſuperius dictum eſt: Seruitutem ſpiritus, & libertatem peccati ſeu legis, eandem eſſe, ſicut ſeruitutem peccati & legis eſſe eandem, cum libertate iuſticiæ, ſeu a iuſticia & ſpiritu. Itur de ſeruite in ſeruitutem, de libertate in libertatem, hoc eſt, de peccato ad gratiam, de timore pœnarum ad amorem iuſticiæ, de lege ad legis plenitudinem, de uerbo ad rem, de figura ad ueritatem, de ſigno ad ſubſtantiam, de Moſe ad Chriſtum, de carne ad ſpiritum, de mundo ad patrem, omnia hæc ſimul fiunt. Quando autem hoc præceptum ab Apoſtolo, ſumma ſummarum uocatur omnium legum, & in hoc uno capitulo charitatis, omnia concluduntur (ut Hierony. transfert) illi pauliſper immorandum eſt.

Primum, quam multi deſcribunt, quid loquendum, quid agendum, quid ferendum, quid cogitandum: nempe, multa ſunt, quæ erga homines inuicem fieri poſſunt, tot ſenſibus, tot membris, tot obiectis, tot caſibus: ita, ut legum & librorum faciendorum non ſit finis. Quantis enim præceptis ſola indiget lingua? quantis oculi? quantis aures? quantis manus? quantis guſtus? quantis tactus? Deinde, quantis res familiaris? quantis amici? O reptilia, quorum non eſt numerus. Si non credis, uide iurium & legum hodie infœliciſſimum ſtudium. At hoc præceptum, quanto compendio, quam cito, quam efficaciter omnia abſoluit, ad caput, ad fontem, ad radicem horum omnium mittit manum, ad cor (inquam) unde, iuxta Sapient. aut uita aut mors procedit. Siquidem, inter opera hominis, alia magis, uel interiora, uel exteriora, nullum uero intimius eſt dilectione, ultra quam, nihil in humano corde ſecretius inuenitur. Quo affectu in rectitudinem poſito, iam nullis præceptis indigent alia membra. Omnia enim ex hoc affectu fluunt, qualis hic, talia & omnia, ſine quo alia uniuerſa ſunt labores ſtulti, de quibus Ecclíaſt. 10. Labor ſtultorum affliget eos. Contra, Prouerb. 14. Doctrina prudentum facilis. Hinc in Prophetis, iuſticiæ hominum, labor & dolor appellantur. Pſal. 7. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Item, Conuertetur dolor in caput eius. Et alio Pſalm. Labor labiorum ipſorum operiet eos. Et

De præcepto dilectionis.

Ex corde, uel uita, uel mors procedit.

Eccle. 10. *Prouc. 14.* *Pſal. 7.*

eos. Et 9. Sub lingua eius labor & dolor. Sic enim AVEN hebraicum, nunc dolor nunc labor transfertur, quod iniquitatem, seu rectius iusticiam illam impiam legum & operum significat, quæ nunquam cor hominis quietat.

Inde est usitatum hoc uocabulum, Bethauen, id est, domus idoli. Sic enim illam Propheta appellat, in qua Hieroboam uitulos aureos statuit, & peccare fecit Israel. Quia in his iusticijs, sine charitate, multum est operis & laboris, sed nullus fructus. Vnde B. Hiero. hoc loco deplorat eos, dicens: At nunc, cum omnia difficiliora sunt, uel modica, ex parte facimus. Hoc solum non facimus, quod & factu facilius est, & absque quo cassa sunt uniuersa quæ facimus. Ieiunij corpus sentit iniuriam, uigiliæ carnem macerant, eleemosinæ labore quæruntur, & sanguis in martyrio, quamuis ardeat fides, tamen sine dolore & timore, non funditur. Hæc omnia sunt, qui faciant, sola charitas sine labore est &c.

Nihil perniciosius charitati, ut & tyrannide humanarũ legum.

Quid putas dixisset, si nostro seculo uidisset, multitudine legum & superstitionum, nedum sine labore esse charitatem, sed penitus extinctam? Neque enim meo iudicio, charitati aliud perniciosius potest oriri, quam legum & traditionum copia, quibus homines seducuntur in opera, & iusticijs hominum occupantur, ut charitatis etiam cogantur obliuisci. Iam igitur Emphasin & Epitasin uerborum uideamus. Primo, nobilissimam describit uirtutem, puta dilectionem. Non enim (inquit) affabilis esto proximo tuo, da ei manum, benefac, saluta, aut ullum aliud opus externum, sed diliges. Siquidem sunt, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Deinde nobilissimum depingit obiectum, quia detractis omnibus personis, dicit proximum tuum. Non dicit, diliges diuitem, potentem, doctum, sapientem, probum, iustum, formosum, iucundum &c. sed absolute, proximum tuum. Per hoc ipsum declarans, nos omnes esse quidem diuersos personis ac conditionibus coram hominibus, Verum unius massæ, & æqualis opinionis apud Deum. Personarum enim differentia obseruata, penitus extinguit hoc præceptum, ut qui indoctos, pauperes, infirmos, humiles, stultos, peccatores, difficiles fastidiunt. Hi enim non homines, sed laruas & facies eorum considerant, atque ita falluntur.

Nobilißima uirtus dilectio.

Personarum differentia.

Tertio, nobilissimum exhibet exemplum, utriusque huius, sicut teipsum (inquit). Cæterarum legum exempla extra nos petenda sunt, hoc intra nos, nobis monstratur. Deinde externa exempla, quia non sentiuntur neque uiuunt, non satis mouent: Hoc autem exemplum intus sentitur, uiuit ac efficacissime docet, non literis, non uocibus, non cogitationibus, sed ipso experientiæ sensu. Quis enim non sentit uitaliter, quam seipsum diligat, quam omnia quærat, cogitet, tentet, quæ sibi salutaria, honesta, necessaria sunt? At uniuersus hic sensus, uiuus est index, intimum monitorium, præsentissimum documentum, quid proximo debeas, nempe eadem eodemque affectu.

Dilectio proximi.

Quid est ergo, quod multis libris occupamur? Quid multos magistros quærimus? Quid operibus & iusticijs laboramus? Ad huius intimi sensus & affectus amussim, omnes leges, omnes libri, omnia opera exigenda sunt. In hoc exercitandus Christianus homo, per omnia opera, per totam uitam. Non potuit igitur efficacius tradi exemplum huius doctrinæ diuinæ, quia hoc non uidemus & audimus, sicut cæterarum legum exempla, sed experimur & uiuimus: nec unquam nos ab ipso, & ipsum a nobis abesse potest. Nec dignius tradi obiectum, quam proximus tuus, id est, simillimus & cognatissimus tuus. Nec perfectius tradi

Ad dilectionis amußim omnia dirigenda.

uirtutis

uirtutis genus, quam dilectio, quæ est fons omnium bonorum, sicut radix omnium malorum cupiditas. Et sunt plane omnia summa in isto breuissimo præcepto, ut uerissime sit, summa, caput, perfectio, finis, omnium legum, sine quo omnes merito nihil sunt. *Summa legum.*

Nihil est ergo, quod queraris te nescire, quid, aut quantum debeas proximo tuo. Pereant acutæ illæ magistrorum distinctiones. Prope est uerbum in corde tuo, tam crassis scriptum literis, ut palpare queas, ut qui uiuas & sentias hanc regulam: sicut teipsum (inquit) diligas, non minus quam te diligas, quantum autem te diligas, nemo tibi melius dixerit, quã tu ipse: qui hoc ipsum sentias, quod ab alio non nisi diuinari tibi potest, Ideo nec ullus melius dixerit tibi, quam tu ipse, quid faciendum, dicendum, optandum sit proximo tuo. Hic enim locum non habet prouerbium, Pessimum esse Magistrum suipsius, imo optimus, & minime omnium fallax magister tuipsius hic fueris, cæteris omnibus fallacibus, adeo facilis & prope posita est lex Dei, ut nullus possit excusari, si non bene uixerit. *Deut. 30.*

Et, proh dolor, quod hæc res hodie ita negligitur, tam prædicantibus, quam audientibus, cum interim tot scateant erucæ & locustæ, imo sanguisugæ, qui indulgentias, uigilias, oblationes, fabricas Ecclesiarum, institutiones altarium, memoriarum, anniuersariorum, & reliqua id genus, plus quæstui, quam charitati seruientia commendent, inclament, ingeminent, & inculcent semper, ea prætermissa, quæ sola operit multitudinem peccatorum, charitate fraterna. Consequens est, Theologos istos recte quidem dicere, qui nullum opus sine charitate bonum esse asserunt; Verum omnium pessime docent, quando dicunt, nos nescire, quando sumus in charitate. Cogunt sane nos imaginari charitatem esse uelut quietam, latentemque qualitatem in anima, quo somnio, quid moliuntur, nisi quod negant nos sentire præsentissimum, & uiuacissimum illud quod in nobis est, ipsum uidelicet pulsum uitæ, hoc est, affectum cordis? An quendam Sosiam Plautinum ex nobis facit iste Mercurius, ut nosipsos, neque sentiamus, neque agnoscamus? Non possum, obsecro, sentire, an mihi placeat uel displiceat alter? Cur ergo criminor aut laudo, uel fastiditum, uel amatum? An etiam non sentio me male dicere, malefacere, benedicere, benefacere? *In quæstuarios nostræ ætatis.* *Charitas non ignoratur.*

At (inquiunt) naturalis iste potest affectus esse, natura autem gratiæ fallacissima æmula est. Respondeo, fateor, natura uehementer æmulatur gratiam, sed non nisi usque ad crucem, a cruce uero, in totum diuersa, imo contraria sentit, & gratiæ hostilissime repugnat. Crucem autem uoco aduersitatem. Tam diu enim diligit, laudat, benefacit, benedicit natura, quamdiu non fuerit offensa. At ubi læseris, aut uoluntati eius restiteris, iam facit natura opus suum, & excedit eius amor, uerititurque in odium, clamorem, maliciam &c. *Natura quousque gratiam æmulatur.*

Hæsit enim in facie, non in ueritate, dilexit personam & speciem, non rem ipsam. Amica fuit non proximo, sed proximi bonis & rebus. Charitas autem nunquam excidit, omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet, æque diligit hostem ut amicum, nec mutatur, mutato proximo. Sicut enim proximus, manet proximus, quantumlibet uarietur. Ita charitas manet charitas, quantumlibet, uel lædatur uel iuuetur. *1. Cor. 13.*

Itaque crux est probatio, & lydius (quod aiunt) lapis charitatis, in qua non est, quod dicas, qualitatem esse latentẽ, neque te nosse, neque sentire, an diligas proximũ tuum. Si ibi sentis te dulcem affectum seruare, ne dubites, natura *Crux est probatio, & quod aiunt, lydius lapis charitatis.*

natura superior es, & charitate Christus te donauit, si amarescis, naturam agnosce, & charitatem quære. Amor naturæ quærit esse dulcis & quietus, imo ut Poeta ait, amicitias utilitate probat, sua quærens, & solum recipere bonum intentus. At charitas fortis amor est, in media turbatione perseuerans, amicitias officijs suis probans, quærens, quæ aliorum sunt, non recipere, sed dare prompta, imo uera charitas bona tribuit, mala recipit. Carnalitas uero, bona recipit, mala tribuit, aut saltem fugit.

Caue etiam ab ijs, qui orationem, aut quodlibet opus in charitate fieri, sic cogitant, quod nullo respectu ad proximum habito fiat, modo ex qualitate illa intus præsente & latente procedat, rudissimus, imo perniciosissimus iste sensus. Tunc potius oras in charitate, quando dulci affectu in fratrem, uel amicum, uel inimicum motus, pro eo oras. Tunc bene dicis in charitate, quando detractori resistis, nulla alia causa, quam quia fratrem, amicum, uel inimicum, animo complexus, non potes ferre, ut eius fama polluatur. Nulla (inquam) spe, uel gloriæ, uel amicitiæ, sed puræ beneuolentiæ, qua illi bonum optas. Sic cætera omnia in charitate facis, quando in eis, non nisi bonum & commodum proximi tui, prorsus cuiuslibet amici uel inimici spectas.

In charitate facere

Veræ charitatis officia.

Ecce hæc eruditio docebit te, quantus sis in Christianismo. Hic inuenies, quos diligas, & non diligas, quantum proficias, aut deficias. Nam, SI VNVM HABES, IN QVEM NON ES DVLCIS AFFECTV, IAM NIHIL ES, ETIAM SI MIRACVLA OPERERIS. Hac denique regula disces tu ipse, sine magistro discernere, inter opera & opera bona. Clare tunc tu uidebis, melius esse proximo bene uelle, bene dicere, bene facere, & totam uitam tuam facere, ut sit seruitus proximi in charitate (ut Apostolus paulo supra dixit) quam si omnium omnes Ecclesias ædificares, omnium monasteriorum merita haberes, omnium prorsus Sanctorum miracula faceres, absq; hoc, quod proximo in ijs seruires. Ecce, hæc est hoctrina, quam hodie, non modo ignorant, sed suis traditionibus, uelut copijs infinitis penitus expugnant. Quorum institutum hoc est, ut proximum nunquam, nisi personalem doceant, diligere, dum inter opera tantum digladiantur, & facies distinguunt.

Legis naturæ scriptæ, et Euangelicæ distinctio caute intelligenda.

Nec minus caute intelligenda est, uulgatissima illa distinctio, legis naturæ, legis Scriptæ, legis Euangelicæ. Cum enim Apostolus hic dicat, omnes in uno & in summa conuenire, Certe charitas omnis legis finis est, ut. 1. Timot. 1. dicit. Sed & Christus Matt. 6. Illam legem naturæ (ut uocant) omnia, quæ uultis, ut faciant uobis homines, & uos facite illis, expresse eandem facit cum lege & Prophetis dicens: hæc enim lex est & Prophetæ. Cum autem ipse Euangelium doceat, clarum est, tres has leges, non tam officio, quam falso sensu intelligentium differre. Proinde, hæc lex scripta, Diliges proximum tuum sicut teipsum, prorsus idem dicit, quod lex naturæ: Quæ uultis, ut faciant uobis homines (hoc enim est seipsum diligere) eadem facite uos illis (hoc certe est sicut seipsum, ita diligere & alios, ut claret.) At, quid aliud totum Euangelium quoq; docet? Igitur una est lex, quæ transijt per omnia secula, omnibus nota hominibus, scripta in omnium cordibus, nec excusabilem relinquit ullum ab initio usq; ad finem, licet Iudæis accesserint ceremoniæ, tum alijs gentibus suæ propriæ leges, quæ non uniuersum mundum obligabant, Sed hæc sola, quam spiritus dictat in cordibus omnium, sine intermissione.

Lex una omnibus omni tempore.

Illud quoq; diligentissime obseruandū, quod ex huius præcepti uerbis aliquot

aliquot Patres sumpserunt hanc opinionem, quod ordinata charitas incipit a seipso, quia (inquit) Dilectio sui praescribitur regula, qua diligere debeas proximum tuum. Haec existimabam, ut intelligerem: sed labor est ante me, nulli praeiudicabo, sed meam temeritatem reuelabo. Ego praeceptum hoc sic intelligo, ut non praecipatur amor sui, sed amor proximi tantum. Primo, quod amor suiipsius, per se in omnibus est. Deinde, quod si hunc ordinem uoluisset, dixisset. Diliges te, & proximum tuum, sicut te ipsum. At nunc dicit: Diliges proximum tuum, sicut teipsum, id est, sicut iam te ipsum diligis citra praeceptum. *Charitas quomodo incipit & ubi.*

1. Cor. 13. Sed & Apostolus Paulus. 1. Corin. 13. hoc tribuit charitati, quod non quaerit quae sua sunt, prorsus abnegans amorem sui. Christus praecipit abnegari seipsum, & odisse animam suam. Et Philip. 2. clare dicit. Non quae *Philip. 2.* sua sunt, singuli considerantes, sed quae aliorum. Denique, si homo suiipsius rectam charitatem haberet, iam gratia Dei non egeret, quia eadem charitas, si recta est, se & proximum diliget. Non enim aliam, sed eandem esse, praeceptum hoc iubet. At (ut dixi) praeceptum praerequirit hominem *Matth. 6.* seipsum diligere. Et Christus quando Matt. 6. dicit. Omnia quaecunque uultis, ut faciant uobis homines, certe declarat, iam inesse eis uoluntatem & amorem sui, nec praecipit ibi eandem, ut claret. Quare pro mea temeritate (ut dixi) uidetur praeceptum loqui, de peruerso amore, quo quisque oblitus proximi, ea tantum quaerit, quae sua sunt, qui tunc rectus fit, si rursum seipsum oblitus, proximo tantum seruiat. *Vide quid dicit.*

Hoc & membra corporis indicant, quorum quodlibet alteri seruit, suo periculo. Nam manus pro capite pugnat, & laesiones excipit, pedes in lutum, aquam ruunt, pro corpore redimendo. Sed & periculosissime nutritur affectus proprij commodi, sub isto ordine charitatis, quem tamen Christus hoc praecepto, funditus perdere uoluit. Quod si omnino amorem sui, hic primum ordinari concedendum est, certe altius ascendam, & dicam, amorem eiusmodi semper iniquum esse, dum fuerit in seipso, nec esse bonum, nisi extra seipsum sit in Deo, hoc est, ut uoluntate mei, & amore mei prorsus mortuo, nihil quaeram, nisi purissimam uoluntatem in me fieri, promptus ad mortem, ad uitam, & ad omnem formam figuli mei, quod est arduum & difficillimum, naturaeque impossibile. Hic enim amo me, non in me, sed in Deo, non in uoluntate mea, sed in uoluntate Dei. Atque ita tum diligam & proximum sicut meipsum, optans & faciens, ut sola uoluntas Dei in eo fiat, non autem ipsius ullo modo. Verum, sic non intellexisse illos credo, nec de hoc amore proprie praeceptum loqui uidetur. Quare quenque monitum uolo, caueat ab his gentilibus doctrinis: Proximus esto tibi, & similibus. Peruersae enim sunt, & contra uim Grammaticae quoque tortae. Nam, proximus non nisi ad alterum dicitur. Ideo proximus esto alteri, dicendum est Christiano, ut & hoc praeceptum indicat. *Corporis membra. Nota Theologiam. Caue.*

At hic quaeritur, Quomodo omnis lex in uno isto praecepto comprehendatur, praesertim ueteris testamenti, tot ritus, tot ceremoniae? Nunquid enim qui diligit proximum, eadem illa facit? Nam Decalogi praecepta in eo comprehendi, nihil est difficultatis, ut ex Apostolo Rom. 13. deductum est. Verum, quis modo mactat pecora, circumciditur, seruat tempora & annos &c. sicut seruamus honorem parentibus, non occidimus non adulteramus, non furamur &c. S. Hieronymus suo more spiritualiter impleri leges ceremoniales sentit. Verum, quid de legibus gentium aliarum dicemus, quas similiter Apostoli, & ipse adeo Christus ser- *Quaestio.*

 uari man-

uari mandauerunt? Deniq;, Apostolum hoc modo, æquiuocum faciemus, ut qui alio modo Decalogum, & alio ceremonias impleri doceat, eodem utens uerbo.

Libera charitas.

Ego superioribus meis consentiens, dico: Accepto ex fidei auditu charitatis Spiritu, omnia alia facta esse licita, quæcunq; ceremonialiter & humaniter statuuntur, siue apud Iudæos, siue gentes: Nec esse seruanda, quod salus sit in eis seruatis, aut operibus eorum: sed quod pro charitate seruanda sunt, propter eos, cum quibus uiuendum est nobis, donec ipsi easdem seruari a nobis exigunt, ne pax soluatur in schismata & seditiones, Nam charitas omnia suffert. Neq; in his adeo timendum, ne contra ipsas leges ueniatur, quam ne offendantur ij, qui secundum eas uiuunt, quorum uotis nos iubet charitas seruire.

Quatenus humanis legibus seruiendum

Ideo, si Deus legis ceremonias uoluisset durare, aut si pro necessitate aliqua, unum uel plures ex eis seruare oporteat, omnino faciendum est: At postquam eas abrogauit, nihil nos ligant. Ita seruiendum est legibus Imperialibus, Pontificijs, Municipalibus, politicis, ac prouincialibus: solum, ne eos (ut Christus ait) scandalisemus, & charitatem & pacem lædamus. Ac sic clare patet, quod ne cogitari quidem lex potest, quæ non sit complexa in charitate. Nam sine omni dubio, si tu quicquã statuisses, uelles tibi optemperari, quare lege naturæ & charitatis urgeris, & alteri id præstare, præsertim, deo & uicarijs potestatibus dei, modo id cures, ne in his hominum præceptis salutem constituas, sed seruiendum tibi intelligas alijs per charitatem.

Verum, contra, ipsi legislatores, multo magis debitores sunt charitati, ut quando uiderint leges suas esse onerosas subditis, aut etiam noxias, curent omnibus modis aliorum commodo seruire, & eas abrogare. Multo autem maxime, hoc ad Ecclesiasticos pertinet legislatores: Nam ipsi absq; dubio, nollent uel una syllaba legis onerari, quod nisi & alijs præstiterint, nõ pontifices, sed tyranni sunt, imponẽtes importabilia hominibus, quæ nec digito ipsi uolunt attingere. Hinc intelligis, mi lector, cur leges quasdam pontificias, soleam tyrannides appellare, quod hodie plurimis & iustissimis causis abrogandæ sint.

Leges abrogandæ.

Primum, quod onerosæ & odiosæ sunt toti orbi terrarum, cui credendum est per Pontifices. Deinde, quod mere laquei sunt pecuniarum, & per dispensationes impudenter ueṅduntur. Tertio, quod impietati seruiunt, interim ueram iusticiam, in qua salus est, & charitatem funditus perdentes. Seruandæ tamen sunt, ubi scandalo fuerit earum contemptus, propter charitatem.

In fine iterum clarere satis puto, Apostolum non de ceremonialibus tantum legibus loqui, sed prorsus de omnibus. Charitas enim fide accepta, omnes implet hilariter & libere (quod est uere eas implere) & non in ipsas, ipsarumq; opera fiduciam statuit salutis, quod est seruiliter, & nullam implere.

Quod si inuicem mordetis & comeditis, uidete, ne ab inuicem consummamini.

Charitatis defectus nocet ubiq;.

IN omnibus Epistolis Apostolus suasurus charitatem, simul fere adiungit, ut unum sapiant: ut de donis differenter eis collatis, non inflentur, alter aduersus alterum. Nam sic Roman. 12. & 1. Corinth. 12.

proponit

proponit imaginem corporis & membrorum, quomodo membra pro inuicem solicita sint, & alterum alteri seruiat, ac non lædat. Scit Apostolus, homines esse Galatas, & dona, quanto fuerint insigniora, tanto sunt nocentiora, si desit charitas. Scientia inflat, inflat potestatis administratio, inflant prorsus omnia, præter charitatem quæ ædificat. Hæc sola recte omnibus utitur, quia omnibus donis Dei, non sibi placet, sed alijs seruit. Vbi hæc non adest, ibi contentio, lis & iurgia, atq; ut Roma. 12. dicit. Sapere non ad sobrietatem, & sapere plusquam oportet. Hoc (inquam) malum, mihi uidetur hoc loco Apostolus tangere, quod maxime seruituti charitatis repugnat. Dum enim quisq; de dono sibi dato inflatur, nec quomodo in hoc alteri seruiat, cogitat, sed quomodo preferatur, necesse est, ut contentio & æmulatio insurgat, mutuusq; contemptus, detractio, condemnatio, temerarium iudicium, ira, inuidia, clamor, malitia &c.

Rom.12.

Ephe.4. Philip. 2. Eandem sententiam Ephe. 4. & Philip. 2. late prosequitur, nam hic breuiter transit. Est ergo sensus, scio uos homines esse, tentari posse, dum alter altero præstantior cupit uideri, nec boni uultis esse ministratores multiformis gratiæ Dei in uobis. Verum curate, ne detrahatis, ne mordeatis inuicem, ne consenseritis tentationi huiusmodi: sed (ut dixi) per charitatem seruite inuicem, unusquisq; in dono quo abundat, alius in docendo, alius in tribuendo, ut Rom. 12. latius. Non autem, ut is, qui docet, infletur contra eum, qui tribuere potest, quod forte non tribuerit quantum uolet, nec qui tribuere potest, contra eum, quod forte sibi non egere uideatur illius doctrina, sic in cæteris omnibus donis. Nam (ut dixi) inflatio eiusmodi proxima est ijs, qui aliquid possunt, ut aliorum se non egere glorientur: ac si non inuicem seruiant in charitate, sed consumentur mutuo contemptu, odio, superbia, detractione &c.

Rom .12.

Dico autem, Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.

VVlt dicere, hoc quod dixi, ne uos morderetis & comederetis, tantum est, quod uolo, uos Spiritu uiuere, tum fiet, ut eiusmodi non perficietis. Scio in uobis eiusmodi desideria aliquando concitari: uerum, ne obtemperetis, sed Spiritu ambulate, hoc est, proficite & magis spirituales efficiamini, ut Rom. 8. eadem sententia dicit, Si secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis, Spiritu facta carnis mortificari dicit, hic Spiritu ambulare, & resistere tentationi, ac mordeant & moriantur. Impossibile est, non moueri nos ad mordendum & comedendum, uerum, motibus istis, Spiritu resistendum est.

Rom.8.

Non moueri impossibile.

Est autem pulchra hæc allegoria, mordere & comedere, in sacris literis frequentissima. Inde in Psal. Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ. Et. 3. Dentes peccatorum contriuisti. Et Prouerb. 30. Generatio, quæ habet pro dentibus gladios, & molaribus suis commandit, ut comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Inde uerbũ deuorare. Prouerb. 1. Deglutiamus eum sicut infernus uiuentem. Et Psal. 51. Dilexisti uerba præcipitationis (id est, deuorationis, absorptionis) lingua dolosa. Videtur autem per mordere, criminationem, detractionem, uituperia intelligere, per comedere, uindictam, & oppressionem, ex altera parte, per consumari, utriusq; perditionem.

Pulchra allegoria in uerbis mordere & comedere.

Esai. 3. Prouc.30. Psal. 51.

Nota uim uerbi, Non perficietis (inquit) Nam inter facere & perfitere

ficere desideria carnis uel Spiritus sensu Paulino, ut est apud B. Augu. lib. 3. contra Iul. c. ult. hoc interest, quod facere concupiscentias, est eas habere, titillari, & moueri ab illis, siue ad iram siue libidinem. Sed perficere, est eis consentire, & eas implere, hæc sunt opera carnis. Sed eas non habere, aut non facere, tunc erit secundum B. August. lib. 1. Ret. 24. quando nec mortalem carnem habebimus. Inde omnes S. dicit esse adhuc carnales ex parte, licet secundum hominem interiorem sint spirituales, li. 6. contra Iul. sic concupiscentia spiritus ipsa charitas, concupiscit ut possit non concupiscere secundum carnem, sed non perficit, quia non potest non habere carnis concupiscentiam. Et ut interim moneam, concupiscentiam carnis uocat, non tantum libidinem, sed omnium operum, quæ statim enumerabit.

Inter facere et perficere desideria carnis & Spiritus, secundum Augu. interest.

Concupiscentiã carnis non tantum libidinem dicit.

Igitur uerba August. sunt, Non perficiuntur carnis desideria, si non consentiatur eis, quamuis agantur motibus, non tamen perficiuntur operibus: ideo dixit ad Rom. Velle mihi adiacet, perficere autem non inuenio. Quia facere bonum, est post concupiscentias non ire: perficere autem bonum, est non concupiscere. Sic concupiscentiæ carnis non perficiuntur, quamuis fiant; nec nostra bona opera perficiuntur, quamuis fiant.

Vita Christiana.

Ex quibus omnibus patet, quid sit uita Christiana. Nempe, tentatio, militia, & agon. Et quomodo instituendi sunt, qui uarijs tentantur impulsibus, ut non desperent, si se nondum senserint liberos a malis motibus cuiuscunqꝫ peccati. Sic Ro. 13. Et carnis curã ne feceritis, in desiderijs eius. Et Rom. 7. Non regnet peccatum in mortali corpore uestro, ad obediendum concupiscentijs eius. Non concupiscere nemo potest, sed non obedire concupiscentijs possumus.

Bonum fieri & perfici.

Hæc diligentius & latius retuli, propter Improprijstas meos: qui negant, omnem actum bonum, adhuc simul ex parte malum esse: & peccatum concupiscentiæ, dicunt esse peccatum improprie dictum. Verum, tu Apostolo & Augustino crede, qui dicunt, bonum fieri, sed non perfici. Fieri autem bonum, bonum est: sed non perfici, malum est. Quia lex Dei perfici debet, a qua omnes Sancti deficiunt, & ita in omni opere peccant. Nec est peccatum improprie, sed uere peccatum. Quia non est improprie gratia, nec improprie Deus, nec improprie Christus, nec improprie Spiritus sanctus, qui hæc remittit & expurgat. Verum est quidem, quod teste August. in baptismo reatus transijt peccati, sed actus tamen mansit, hoc est, quod Deus (iuxta Psal. 32.) non imputat, sed sanat. Qui si imputare uellet, sicut uere & iuste posset, totum mortale & damnabile esset.

Caro enim concupiscit aduersus Spiritum, Spiritus autem aduersus carnem.

SIcut Spiritus hoc loco non significat solam castitatem: ita necesse est, ut caro non solam significet libidinem, hoc pro necessitate. Quia inueterauit usus fere apud omnes, carnis concupiscentiam, pro libidine tantum accipi, quo usu Apostolus intelligi non posset. Hanc sententiam Roma. 7. egregie tractans, & copiosius declarans dicit: Condelector enim legi Dei secundum hominem interiorem: uideo autem aliam legem in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, captiuantem me in legem peccati, quæ est in membris meis &c. Non enim hæc in persona aliorum locutus est Paulus, sicut B. August. lib. 6. contra Iul. c. 11. dicit, se aliquando intellexisse, imo, non intellexisse. Manichęos autem dicit & Pelagianos sic in-

ſic intellexiſſet. Sic B. Petrus c. 2. Epiſt. 1. Obſecro uos tanquam aduenas & peregrinos abſtinere uos a carnalibus deſiderijs, quæ militant aduerſus animam.

D. Hierony. hoc loco profunde ſe quæſtioni inuoluit, quomodo inter Spiritum & carnem, medium inueniat, & media opera: Et ſuum Origenem ſecutus, Spiritum, animam, carnem diſtinguit: inde ſpiritualem, animalem & carnalem hominem diſtribuit. Et quanquam iſta trinitas uideatur ſtatui ex illo. 1. Theſſ. ult. ut integer ſpiritus ueſter, & anima, & corpus ſeruetur &c. tamen nec accedere, nec recedere audeo, tum quod ſpiritum & animam manifeſte pro eodem accipit Petrus in dicto loco: appellans animam, contra quam militent deſideria, ubi contra ſpiritum concupiſcere carnem dicit Paulus. Et hominem carnalem ac animalem, mihi pro eodem Apoſtolus uidetur accipere.

De triplici homine, ſpirituali, animali, carnali.

1. Theſ. ul.

Ego mea temeritate, carnem, animam, ſpiritum prorſus non ſeparo. Non enim caro concupiſcit, niſi per animam & ſpiritum, quo uiuit: ſed ſpiritum & carnem intelligo totum hominem, maxime ipſam animam. Breuiter, ut dem craſſiſſimam ſimilitudinem: Sicut carnem ſauciam aut morboſam, utrunque appello, ſanam & morbidam (neque enim ulla eſt tota morbus) quæ inquantum incipit ſanari, & ſana eſt, ſanitas uocatur: ubi uero uulnus, aut morbus reliquus eſt, morbus uocatur: atque ut morbus ſeu uulnus, reliquam ſanam carnem impedit, ne perfecte faciat, quod caro ſana faceret: Ita idem homo, eadem anima, idem ſpiritus hominis, quia affectu carnis mixtus & uitiatus eſt: quatenus ſapit quæ Dei ſunt, ſpiritus eſt, quatenus carnis mouetur illecebris, caro eſt, quibus ſi conſenſerit, totus caro eſt, ut Gene. 8. dicitur. Rurſum, ſi conſenſerit totus legi, totus ſpiritus eſt, quod fiet, quando corpus erit ſpirituale. Non ergo duo iſti homines, diuerſi imaginandi ſunt, ſed uelut crepuſculum matutinum, quod neque dies neque nox eſt, utrunque tamen dici poteſt, magis autem dies, ad quam de tenebris noctis uergit.

Caro. Anima. Spiritus. Craſſiſſima ſimilitudo.

Gene. 8.

Verum longe pulcherrime utrunque oſtendit Semiuiuus ille apud Lucam, qui a Samaritano ſuſceptus quidem curari, nondum tamen plene ſanus factus eſt. Ita & nos in Eccleſia ſanamur quidem, Sani autem plene non ſumus: ob hoc caro, ob illud ſpiritus uocamur. Totus homo eſt, qui caſtitatem amat, idem totus homo illecebris libidinis titillatur. Sunt duo toti homines, & unus totus homo: ita fit, ut homo ſibijpſi pugnet contrariuſque ſit, uult, & non uult. Atque hæc eſt gloria gratiæ Dei, quod nos fecit nobis ipſis hoſtes. Sic enim ſuperat peccatum, ſicut Gedeon ſuperauit Madian, glorioſiſſimo uidelicet triumpho, ut hoſtes ſeipſos trucident. Sic aqua uino infuſa in altari, primum pugnat cum uino, donec abſorbeatur, & uinum fiat, ita gratia, &, ut ſupra dictum eſt, fermentum in ſatis tribus abſconditur, donec fermentetur totum.

Exemplum ſemiuiui apud Lucam. Lucæ. 10. Sunt duo toti homines, & unus totus homo.

Hæc autem ſibi inuicem aduerſantur, ut non quæcunque uultis, illa faciatis.

Vide audacem Apoſtolum, nihil timet ignem, negat liberum arbitrium, quod eſt mirabile in auribus noſtris: dicit non poſſe fieri, quæ uolumus, cum nos uoluntatem conſtituerimus (autore uel Ariſtotele) reginam & dominam omnium uirium & actuum. Atque hic error & hæreſis maxima erat tolerabilis, ſi hoc dixiſſet de ijs, qui ſunt extra gratiam. Nunc ut nulla ſit eis excuſatio, quin comburatur, affirmat id de ijs, qui Spiritu

Liberũ arbitrium.

gratiæ uiuunt. Idem Rom. 7. dicit. Ego autem carnalis sum, uenundatus sub peccato, quod uolo bonum, non facio, quod nolo malum, hoc facio. Si iustus & sanctus sic queritur de peccato, ubi peccator & impius apparebunt, cum operibus suis de genere bonorum, & moraliter bonis? Gratia Dei nondum perfecit liberum arbitrium, & ipsummet seipsum liberum faciet? quid insanimus?

Spiritus & caro pugnant. Satis dictum est de diuersitate Spiritus & carnis, neutrum extinguit alterum in hac uita, & si Spiritus inuitam carnem domet, sibique subijciat, quo fit, ut nemo audeat gloriari se mundum habere cor, aut mundum esse a sordibus. Non enim caro mea aliquid facit, quod non ipse facere dicar: at si cor immundum est, iam nec opus mundum est. Qualis enim arbor, talis & fructus. Quod iterum dico, contra impropriistas, qui inueniunt in seipsis, actus bonos, sine omni uitio, aut peccato impropriε dicto uitiosos, suas opiniones Pauli tam aperto textui opponentes. Non facitis (inquit) quæ uultis, propter carnis rebellionem, repugnantem legi mentis uestræ, & spirituali uoluntati uestræ. Non seruat Apostolus hic distinctionem superius datam, inter facere & perficere, quia non faciatis, pro non perficiatis, accipit, ut clarum est: sed & Rom. 7. non seruat, quando dicit: *Rom. 7.* quod uolo bonum, non facio, id est, non perficio. At quando dicit, quod odi malum, hoc facio, hic seruat eam distinctionem: quia facit malum, sed non perficit. Quod si cui hæc distinctio August. non placet, aliter meditetur: modo hunc sensum non omittat, esse in nobis pugnam Spiritus & carnis, qua impediti, non implemus perfecte legem, ideoque peccatores *Semper peccatores* nos esse, quamdiu in carne sumus, atque in omni opere bono, egere ignoscente misericordia Dei, & dicere: Non intres in iudicium, cum seruo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens.

Quod si Spiritu ducimini, non estis sub lege.

DIxi (inquit) ut Spiritu ambularetis, concupiscentiam Spiritus sequeremini, resistentes concupiscentiæ carnis, ne morderetis & comederetis inuicem, sed seruiretis inuicem in charitate, quæ est plenitudo legis. Nam si hoc facitis, & ita Spiritu ducimini, concupiscentiæque Spiritus obeditis. Ecce non estis sub lege, nihil debetis legi, sed impletis legem. Quid ergo rursum ad legem reuerti uoluistis? Quid alia uia legem implere tentatis? Dixi satis supra, quod esse sub lege, est eam non implere, aut seruiliter sine affectu hilari implere. Affectum autem hunc hilarem, non lex, non natura, sed fides impetrat in Christo Ihesu. Atque hoc duci Spiritu, *Deus ignoscit conanti.* hoc obedire concupiscentiæ Spiritus, hæc pugna & conatus (qui est tota uita nostra) facit, ut Deus misericorditer ignoscat, quod illa non facimus quæ uolumus. Nondum enim Spiritus sumus, sed Spiritu ducimur. Nam Iohan. 3. Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est, ostendit, quid esse debeamus: hic autem quid sumus, debemus esse Spiritus, sed simus adhuc in ductu, &, ut sic dixerim, in formatione Spiritus.

Qui autem sunt sub lege, sunt & in operibus carnis, ut Roman. 7. Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti. Ita Rom. 8. quoque: *Rom. 8.* *Qui Spiritu Dei aguntur, sunt filii Dei.* Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Nam hoc ducere & agere, idem est quod trahere, de quo Iohan. 6. Nemo uenit ad me, nisi pater meus tra- *Iohan. 6.* xerit eum. Item 12. cum exaltatus fuero, omnes traham ad meipsum, id *Hoc ducere & agere, est trahere.* est, suauiter mouebo, hilares & spontaneos faciam, Spiritu concupiscen-

tiam in

tiam in eis suscitabo. Quos Moses & lex, terroribus tristes & inuitos cogebant, aut uelut pueros, temporalibus promissis interim fouebant. Sic sponsa Canti. 1. Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum. Q. d. Moses & Prophetæ uerbo legis, trucibus minis terrent & urgent, aridam & inuitam: tu autem uerbo gratiæ, & memoria exhibitæ misericordiæ dulciter trahe, & unge suauiter. Odor enim unguentorum, Euangelium gratiæ Dei est, in quo olfit, id est, fide percipitur, unguentum gratiæ Dei. Hinc illud Ecclesi. 24. in plateis sicut cynnamomum & balsamum aromatisans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. Et Psal. 44. myrrha & gutta & casia, a uestimentis tuis. Sic Paulus, odor bonus Christi sumus, alijs in uitam &c.

Cant. 1. Eccle. 24. Psal. 44.

Odor unguentorum, Euangelium est gratiæ Dei.

Idem trahere etiam sibilare dicitur apud Esaiam. 7. In die illa sibilabit dominus muscæ, quæ est in extremis finibus Aegypti &c. id est, Spiritu sancto afflabit, Spiritum eorum excitabit, ut concupiscant contra carnem &c. Sic 3. Reg. 19. scribitur. Helias, neque in Spiritu forti, neque in commotione, neque in igne (quæ omnia sunt terrores legis) sed in sibilo auræ tenuis, sensisse Dominum. Quia non ex tristicia, aut necessitate, sed hilaritate ac suauitate, impletur lex Domini.

Esai. 7. 3. Reg. 19.

Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia.

HIc omnium manifestissime patet, carnem non pro libidinosis accipi tantum concupiscentijs, sed pro omni prorsus eo, quod contrarium est Spiritui gratiæ. Nam hæreses seu sectæ & dissentiones, sunt uitia subtilissimarum mentium, & sanctissima specie fulgentium. Quod ideo dico, ut stabiliam, quæ supra dixi, per carnem totum hominem significari, per Spiritum æque totum: atque hominem interiorem & exteriorem, seu nouum & ueterem non distingui, iuxta differentiam animæ & corporis, sed iuxta affectus. Nam cum fructus seu opera Spiritus sint, pax, fides, continentia &c. Et hæc in corpore fiant: quis potest negare Spiritum & fructum eius, in corpore membrisque carnalibus esse, sicut expresse. 1. Corin. 6. An nescitis (inquit) quod membra uestra templum sunt Spiritus sancti? Ecce non tantum anima, sed membra quoque sunt spirituale templum. Et iterum glorificate, & portate Deum in corpore uestro: non dicit in anima uestra. Contra, quando inuidiæ, inimicitiæ, uitia sunt animorum, quis negabit carnem esse in anima? Igitur spiritualis homo, totus homo est, quantum sapit, quæ Dei sunt: carnalis totus, quantum sapit, quæ sua sunt.

Differt homo iuxta affectus.

1. Cor. 6.

Spiritualis homo. Carnalis homo.

Apostolus ignarus Aristotelicæ philosophiæ, non appellat hæc uitia, habitus in anima, sed opera ipsa, quibus omnibus, unum habitum tribuit, carnem, hoc est, totum hominem ex Adam natum. Nam illi adhuc hodie, quærunt subiectū uitiorum & uirtutū, nec dum inuenerunt, an in rationali, an irrationali parte locanda sint. Beatus, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris, ut liberetur a stultis illis, & uanis cogitationibus: & mitiges ei a diebus istis pessimis, donec fodiatur peccatori fouea. Igitur cum Apostolo, contemptis habitibus, alijsque delirijs moralis Philosophiæ, scito, aut carnem, aut Spiritum te esse, & utrunque ex fructibus suis cognosci, quos hic Apostolus aperte enumerat.

Variatur in numero uitiorum.

In isto uitiorum numero, nulli fere consentiunt. B. Augu. 13. B. Ambro. 16. Noster. 17. ponit. B. Hiero. 15. recitat, omittens impudicitiam & homicidia, dicensq; in latinis codicibus adulterium quoq; & impudicitia, & homicidia, in hoc catalogo uitiorum referuntur scripta: sed sciendum nō plus, quam quindecim carnis opera nominata, de quibus disseruimus. Hæc ille. Erasmus & Stapulen. fere cum nostro consentiunt, nisi quod adulterium addunt, &, uel luxuriam, uel impudicitiam tollunt.

Erasmus. Stapulensis.

Opponit autem Apostolus non singulos fructus, singulis operibus: sed confuse unum multis, & multa multis: ut charitatem & gaudium, fornicationi, immundiciæ, luxuriæ, quæ sunt peruersæ dilectiones, peruersaq; gaudia, pacem, patientiam, longanimitatem, benignitatem, bonitatem, inimicitijs, contentionibus, litibus, iræ, rixis &c. fidem hæresibus, idolatriæ, ueneficijs: Continentiam, ebrietatibus & comessationibus.

Fornicatio. Immunditia. Luxuria.

Primum est, fornicatio, nota satis. Secundum immundicia, qua D. Hiero. comprehendit omnes extraordinarias infandasq; uoluptates. Tertium luxuria, nam impudicitia nostri textus, uidetur e margine, relata in textum, ut quam aliquis glosandi studio, super immundiciam uel luxuriam signarit, aut ita in alijs haberi notarit, Hanc autem, licet D. Hiero. generaliter extenderit, etiam ad excessum coniugum, græce tamen aselgia lasciuia, uel ut Ambro. obscœnitas dicitur, quod ad mores, gestus quoq; & uerba pertinere potest. Quartum idolatria, etiam ipsa nota satis, sed nunc nulla saltem crassa illa, & quæ in gentibus erat. Cæterum, quorum Deus uenter est, & qui auari sunt, etiam Apostolo autore idolatrę sunt. Idolatrę sunt omnes adulatores & superbi, ac quicunq; gloriantur in homine, uel seipso uel altero. Ita hodie, non parum multi principes & pontifices, idola sunt. Quintum ueneficium est, quod malum hodie mire increscit. Dicitur autem, Hiero. teste, ars malefica. Pharmacum enim græce uenenum uel medicamentum dicitur, inde Pharmaceutria, uenefica. Igitur magos, maleficos, carminatrices, & si qui alij, qui pactis dæmonum usi illudunt, nocent, furantur proximis suis Apostolus significat. Claret autem tanti Apostoli quoq; autoritate, ueneficia illa non esse nihil: sed posse nocere, quod multi non credunt. Sextum inimicitiæ, simultates, & silentia inter se odia esse uidentur. Lites quod noster textus, contentiones, græcus eris, id est, lis, opus inimicitiarum, æmulationes seu zeli, supra dictum est. Iræ notum est. Rixæ, quas D. Hiero. græce eritheias dici aptius putat, quando scilicet aliquis ad contradicendum paratus, stomacho delectatur alieno, & muliebri iurgio contendit, & prouocat contendentem.

Idolatria. Idolatræ. Veneficium. Pharmacum. Inimicitiæ. Lites. Iræ.

Hæc omnia experientia & exemplo duorum aduersariorum melius, quam descriptione colligere possis. Primum enim sunt inimici atq; discordes, tum data quacunq; occasione, mox litigant: litigantes autem æmulantur, dum quisq; alteri superior esse nititur: æmulantes autem irascuntur: Irati autem quærunt utrinq; quod dicant, aut faciant, aut omittant, quod alterum mordeat ac prouocet, hoc est, rixantur. Rixantes autem dissentiunt, & quisq; sua defendere promptus est, alienaq; infirmare. Ex quibus tunc sectæ & hæreses fiunt, dum quisq; alios in suam partem trahit, & alteri abstrahit. Hinc alitur inuidia atrox malum, tandem in cædes & homicidia ruunt. Et hic finis huius mali. Exemplum sume inter duos forenses aduersarios, aut duas respublicas inuicem aduersarias, aut inter duos Sophistas ac Theologistas, pro opinionibus suis certantes. Nouem ergo gradibus seu capitibus, distinxit concupiscentiam illam carnis

amarulen-

amarulentam atque colericam, adeo detestatur aduersarios charitatis Apostolus. Addit hic D. Hiero. hæreticum dici omnem, qui Scripturam aliter intelligit, quam sensus Spiritus sancti flagitat, etiamsi de Ecclesia non recesserit; dura sententia, super Aristotelicos Theologos. *Heretici apud Hieronymum.*

Deinde septimum, ebrietas, quæ non tantum uino, sed omni alio genere potus prohibetur. Vnde Lucæ. 1. Vinum & syceram, id est, inebriatiuum non bibet. Commendatur sane abstinentia uini & sobrietas in uarijs Scripturæ locis. Contra, quid ebrietas præstiterit, satis eiusdem probant Scripturæ, historiæ in Noe, Loth, quorum ebrietas sine propria culpa, non tamen sine malo aliorum contigit. Sed notæ sunt historiæ passim. Vnde Christus Lucæ 21. Attendite, ne grauentur corda uestra crapula & ebrietate. Et certe, ebrietatem satis apparet, esse quandam pestem in nostris regionibus, diuino furore immissam: fugimus passim pestilentiam carnis, & omni studio nos armamus & curamus, ne corripiamur ab ea. In hanc uero pestem, insigni cæcitate, nos ipsi irruimus, nec est, qui saltem moneat, nedum prohibeat. Denique, impetuosius grassatur, quam ut spes esse possit eam expurgandi. *Lucæ. 1.* *Lucæ 21.* *Ebrietas est pestis quædam.*

Vltimum comessatio, quæ Lucæ. 21. crapula dicitur, sicut ebrietas nimium bibendo, ita crapula nimium comedendo grauat corda. Et hoc celebre malum, mire crescit etiam in Ducibus populi, & magnatibus Israel, tanto luxu, tanto apparatu, tanta ferculorum copia & uarietate, ut priscorum insignes crapulas uideantur, data opera uelle irridere. Venit autem uerbum Comessatio, a Nomine comos, qui græcis Deus conuiuij & crapulæ dictus est, ut sicut a Venere libido, ita a Como crapula dicitur: utrunque sane numen potentissimum & uicinum: huic uenter, illi ea, quæ infra uentrem sunt, seruiunt. Et Comos Venerem seruat ac uegetat, alioquin, sine Cerere & Baccho friget Venus. *Comessatio.* *Origo comessationis.*

In fine addit & ijs similia, quia, quis omnem lernam carnalis uitæ recenseat? Nam superbiam & uanam gloriam satis sub æmulatione & zelo comprehendit: detractionem, maledicta, clamorem, blasphemias, sub ira, inuidia, dissensione &c. dolos, fraudes, insidias, mendacia, sub eisdem Partes enim aliquot signauit, ne Galatæ causarentur sese nescire, quomodo carnis concupiscentijs resisterent.

Quæ prædico uobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Ecce hoc est, Spiritu ambulare, & non perficere carnis desideria, Spiritu duci, non esse sub lege, atque omnem legem in uno charitatis capitulo complecti, scilicet, si hæc non fiant. Iam uides, quod non sufficiat sola fides, & tamen sola fides iustificat: quia si uera est, impetrat Spiritum charitatis. Spiritus autem charitatis, hæc omnia fugit, ac sic legem implet, & regnum Dei consequitur. Proinde totum fidei tribuendum, fides autem uerbo, uerbum autem diuinæ misericordiæ mittentis uerbi Apostolos & prædicatores, ut sit omnis sufficientia nostra ex Deo, a quo uenit omne donum, & datum optimum. Hæc sunt, quæ in populo tractari oportuit, & eo ordine tractari, quo ab Apostolo traduntur: ut primum de suis uiribus desperantes, uerbum fidei audiant, audientes credant, credentes inuocent, inuocantes exaudiantur, exauditi Spiritum charitatis accipiant, accepto Spiritu, Spiritu ambulent, & desideria carnis non perficiant, sed crucifigant, crucifixi cum Christo resurgant, & regnum Dei possideant. *Sola fides non sufficit, sola tamen iustificat.* *Apostolica populi docendi ratio.*

Nos autem in operibus a nobis electis & statutis, animas occupamus,

semper

semper docentes, & nunquam ueritatis scientiam attingentes, imo contra pietatem, liberum arbitrium, & uirtutes nostras erigentes, præsumptionem docentes, & merita congrui & condigni uanissime iactantes, tandem noticiam Christi, penitus tollentes, & miserrimas conscientias hominibus multiplicantes.

Meritum congrui condigni.

B. Augusti. super uerbo, qui talia agunt. Agunt (inquit) talia, qui cupiditatibus carnalibus consentientes, facienda esse decernunt, etiam si adimplendi facultas non datur. Et subiungit miram distinctionem. Aliud (inquit) est non peccare, & aliud, peccatum non habere. Nam in quo peccatum non regnat, non peccat, hic est, qui non obedit desiderijs eius, in quo autem non existunt omnino ista desideria, non solum non peccat, sed etiam non habet peccatum. Quod, etsi multis ex partibus in ista uita possit effici: ex omni tamen parte, non nisi in resurrectione, atque commutatione carnis sperandum est. Hæc distinctio idem docet, quod supra satis est dictum, quod homo in quantum spiritu ambulat, iustus & sanctus est, ac non peccat. At, in quantum desiderijs adhuc mouetur, peccator est & carnalis. Habet ergo peccatum in carne, & peccat caro eius, ipse uero non peccat. Mira sententia, idem homo simul peccat, & non peccat. Hic concordantur duæ illæ Iohannis Apostoli sententiæ. Prior Iohan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus nosipsos seducimus. Posterior. 3. & 5. Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat. Omnes ergo sancti habent peccatum, suntque peccatores: & nullus peccat. Iusti sunt, iuxta illud, quod gratia in eis sanauit: peccatores, iuxta quod adhuc sanandi sunt.

Non peccare, peccatũ non habere

1. Ioh. 1.

Fructus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.

NOn est dubium, quin tantum nouem fructus numerauit Paulus, ut ex D. Hiero. B. August. & græco liquet, ubi sic censentur fructus Spiritus est, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Apparet autem numerum duodecimũ istum creuisse, imperita aliquorum diligentia. Qui cum uel in glosa, uel margine, uel in Hiero. inuenissent, patientiam, in textum retulerunt, in quartum locum, in quo longanimitas ponenda fuit, quam in septimum transtulerunt. Deinde continentiam, id quod modestiam & castitatem ex D. Hiero. significare uiderunt, adiecerunt has duas textui. Et fidei & mansuetudinis loca permutarunt.

Perit ergo fundamentum doctrinæ illorum, de duodecim fructibus, non modo defectu numeri, uerum, & ratione intelligentiæ. Illi enim ex fructibus faciunt suos habitus in anima subiectiue hærentes. Apostolus autem facit eos opera spiritus uitalia, & per totum hominem diffusa. Opponit enim eos operibus carnis, sed & Spiritus hoc loco (licet refragante Hiero.) non Spiritum sanctum significat, sed spiritualem hominem, ut sit antithesis, opera carnis, fructus spiritus. Caro arbor mala, proferens spinas & tribulos: Spiritus arbor bona, proferens uuas & ficus, ut Matt. 7. Nam & Amb. dicit, quod lex spiritus hæc operatur. Et B. Hiero. in uiam rediens, Spiritum, arborẽ bonam interpretatur. Item, carnis opera, non fructus: Spiritus fructus, non opera uocat. Cur hoc? nempe, quod opera carnis non sunt utilia, quia spinis & tribulis nemo frui potest, sed sunt opera mala, tantum nocentia. At opera Spiritus prosunt, & frui illis possumus in æternum, sunt ficus & uuæ terræ promissionis, recte ergo fructus nomine commendantur.

Primus

Primus est charitas, de qua dictum est, non esse eam qualitatem laten tem, sed sicut de fide B. August. dicit, quod unusquisque eam certissime uidet, si eam habet: ita & spem certe sentit se habere, ita & charitatem præsertim tempore tentationis, certissime uidet, si habet. Est ergo hæc dulcis motus in Deum irascentem, & proximum offendentem, tunc enim probatur charitas Dei, quando percutit & perturbat, sicut in martyribus monstratum est, & in Christo passo. Tunc autem probatur charitas proximi, quando proximus offendit, & odium mereri uidetur. Alioquin, nulla ferme uirtus simulationi magis patet: adeo, ut Rom. 12. Apostolus hoc unum curarit, D. charitas sine simulatione. Habet enim Deus multos amatores, qui in Psal. scribuntur, Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Et Psal. 78. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua mentiti sunt ei. Lateat ergo in pace, sed in bello nihil uiuacius sentitur, quam charitas, spes, fides, nisi diffidentiam, desperationem, odium quoque non sentiant.

Charitas quid.

Rom. 12.

Psal 78.

Gaudium secundus fructus (æque ut charitas) in Deo & proximo est. In Deo, quando de diuina misericordia læti sumus, etiam in medijs mundi procellis, laudantes & benedicentes Dominum, in camino ignis, die ac nocte. In proximo uero, quando illius bonis non inuidemus, sed congratulamur, tanquam nostris proprijs, laudantes dona Dei in illis. At sicut carnis sectatores, fingunt charitatem tempore sereno, ita & gaudium, laudant Deum & dona Dei in hominibus, sed donec offendantur, tum opera carnis proruunt, detrahunt donis Dei, quæ prius laudarant, tristantur, si detractioni eorum non sit successus, nec minuatur existimatio proximi. Nemo enim credit quam profunda sit malicia carnis, tam multos secure perdit, donec tententur & probentur.

Plana uidentur & aperta Apostoli uerba; sed si in usum ponas, inuenies quam arduum sit, non operari opera carnis, quæ insensatis illis uidentur a se esse longissima, cum sint illis plenissimi. Nam etiam super religione, super obseruantijs, super bonis operibus, super regulis, statutis, traditionibus, moribus hominum, pleno impetu proruunt: Sed hic accipiunt uelamentum zeli, & amorem iusticiæ. Et pro sancta religione, secure uastant charitatem, & pacem & gaudium. Qui furor hodie, omnia fere monasteria, omnes Ecclesias, &, ut Psal. ait. Electiores Israel occupat. Nam in ijs, qui publice mali sunt, facile dignoscuntur. At sub tonsuris, infulis, alijsque sacris ritibus, pulchre saginatur, ac secure regnat Behemoth iste, dum credunt se obsequium Deo præstare, si suæ factionis carnem ament: Extraneos uero immortali odio persequantur ac criminentur.

Tertius est pax, quæ & ipsa duplex est: In Deo, hæc est bona conscientia, in misericordia Christi nixa, sed exuperat quandoque omnem sensum dum turbatur, abscondente se Deo, & faciem auertente, conscientia sibi relicta. In proximo uero, dum ceditur eius uoluntati. Nam pax hæc cum hominibus stare nunquam potest, Si quilibet sua iustificet, tueatur, quærat, expostulet: sicut hodie forum Romanum, & iura, Ecclesiam repleuerunt litibus, iurgijs, causis, interim frusto paruulo pacis contenti, qua cum suis conueniunt, faciuntque sub ipsis operculum nequitiæ: ut nihil minus putent, quam se in operibus carnis esse submersos. Non enim cum quantis discordent, sed cum quantis concordent, attendunt: reliquos etiam docere pacem parati. Prorsus hi nihil de pace intelligunt, quam Apostolus Rom. 12. commendat, dicens, quantum in uobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. Et Matt. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei uocabuntur. Verum, huius pacis dissolutionem, iuristæ sane doctissi-

Hodie forum Rom. litibus & iurgijs featet.

doctissime excusant, quando uim ui repellere docent, & iusticiam tuendam esse iactant; quasi non sit summa omnium iusticia, iusticiam suam relinquere, & aduersario tollenti pallium cedere, etiam tunica adiecta. Breuiter, impossibile est Euangelium & iura hominum simul seruare. Ideo impossibile est pacem simul cum iuribus stare, maxime nostra ætate, ubi Euangelium nihil est, iura sunt omnia in omnibus. Hic est Angelus in Apocalypsi missus in ira Dei, ut sumeret pacem de terra.

Longanimitas. Quartus est longanimitas, græce, macrotimia. Non est enim hic hypomone, id est, patientia, nec anoche, id est, tolerantia, quanquam D. Hiero. pro eodem accipere uelit patientiam & longanimitatem: Verum aliud uidetur esse, malos tolerare, aliud eorum iniurias pati, & adhuc eorum expectare emendationem, optare salutem, non cogitare uindictam, quod proprium est longanimitatis. Rom. 2. An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis, eius contemnis? Bonitas est, qua benefacit eis. *Patientia.* Patientia, qua eos patitur abuti beneficijs, ingratos reddentes malum pro bono. Longanimitas qua expectat emendationem eorum. *Rom. 2.*

Benignitas. *Bonitas.* Quintus est benignitas: Sextus bonitas. Quæ sic differunt autore Hierony: Benignitas est uirtus lenis, blanda, tranquilla, & omnium bonorum apta consortio, inuitans ad familiaritatem sui, dulcis alloquio, moribus temperata. Vnde B. Ambro. habet lenitas, hæc passim & barbare uocatur amicabilitas, uernacula freundlich / holdselig / leudselig, græce chrestotes, quam. 2. Corint. 6. suauitatem interpretatur, dicens. In suauitate, in spiritu sancto, & hinc Rom. ult. chrestologias, dulces sermones dixit. Et rectius suauitas, quam benignitas mihi diceretur. Quod malignitas contrarium uitium, atrocius est, quam ut difficiles illos & insuaues significet. Dicitur enim de insuauibus, bonus homo est, sed nescit hominum se moribus attemperare, er ist from / aber gar zu vnfreundlich / vnd nicht leutselig. Bonitas ergo potest esse tristior, & fronte seueris moribus irrugata, ad benefaciendum tamen exposita, nemini nocet, omnibus prodest, sed humanitatis aliquid ei deest. *2. Cor. 6.* *Bonitas.*

Fides. *Substantia.* Septimus, fides, quam D. Hierony. eam intelligit, quæ ab Apostolo substantia rerum sperandarum Heb. 11. scribitur. Nam substantiam exponit pro possessione, dicens: Quia, quod fide possidemus, speramus esse uenturum. In qua sententia & ego diu fui, quod obseruassem substantiam, in sacris literis fere ubiq; pro facultatibus & possessione usurpari, maxime, cum ad hoc Hierony. huius loci tenerem autoritatem. Nam, quæ de substantia sententionarij comportarunt, quid est recensere? *Heb. 11.*

Philip. Melanch. At postquam Philippus meus Melanchthon, adolescens corpore, senex uenerabili mentis canicie, quo in græcis utor præceptore, me sic sapere non permisit, ostenditq; substantiam, quando facultatem significat, non hypostasin (quo uerbo Apostolus Heb. 11. utitur) sed, uel Vsian, uel Broton, uel Hyparxin græce dici, mutaui sententiam, cedoq; sensu meo, Hypostasin, seu substantiam significare, proprie subsistentiam & substantiã, qua quodlibet in se subsistit, ut Chrisost. sapit, uel etiam promissionẽ, pactum, de quo nõ est nunc tempus latius disputandi, expectationem, quæ uerbi, unde descendit hypotasis, uis & proprietas admittit. Potest autem fides hoc loco non absurde accipi, pro ueritate, seu fidelitate seu simplicitate, quæ neminem fallit, quæ in negocijs, & communi mortalium uita, summe est necessaria, ut etiam duplicem sic fidem inueniamus: unam *Duplex fides.*

mus; unam erga Deum, cui fideles sumus, non tantum quod seruamus nostra promissa, quantum quod credimus illius promissis. Alteram erga hominem, cui sumus fideles, seruantes & tenaces pactorum ac promissorum.

Octauus, mansuetudo, quam Hiero. opponit iræ & rixis, quæ a longanimitate forte difficulter distinguitur. At nota est mansuetudo & mititas, quod sit uirtus, quæ non irritatur ad iram, non uindicat: ultra quam longanimitas est, quæ expectat emendationem malorum, qui etiam non irritarunt. Nonus, Continentia seu rectius temperantia, quam non tantum in castitate debemus accipere, sed & in potu & cibo. Quare eius sententia castitatem & modestiam complectitur. Itaq; & coniugum hic frenat licentiam, ut continenter uiuant, modestia temperantes carnis libidinem. *Mansuetudo.* *Continentia.*

Aduersus huiusmodi non est lex.

MEmor argumenti suscepti, semper inculcat legem, quæ non iustificat confidentes in eam. Sic Timo. 1. Lex non est iusto posita, sed rebellibus & parricidis &c. Non indigent lege, qui tales sunt. Vt quid ergo Galatæ ad legem reuertuntur, non modo decalogi, sed etiam ceremoniarum? Vides enim Apostolum, non de ceremoniali tantum lege, sed maxime & de morali loqui: Iterũ autem suo tropo theologisat Apostolus, quare cauendum est a stulta intelligentia, quasi iustus non debeat bene uiuere, bonaq; facere. Nam hoc rudes intelligunt, non esse sub lege: sed ideo iustus non habet legem, quia nihil debet legi, ut qui habet charitatem, quæ facit & implet legem. *Non esse sub lege.*

Sicut. 3. &. 7. (paradigma est August.) non debent esse decem, sed sunt decem. Nec ad hoc, ut decem fiant, quærenda est ulla lex aut regula. Sic domus ædificata, non debet ædificari. Est enim quod ars ædificatoris uelut lex quærebat. Ita iustus non debet bene uiuere, sed bene uiuit: nec indiget lege, quæ doceat eum bene uiuere. Sic uirgo, non debet esse uirgo. Quod si per aliquam legem quæreret fieri uirgo, nonne insaniret. Iniustus autem debet bene uiuere, quia non bene uiuit, quod lex requirit. Hoc totum urget, ne ex lege & operibus iusti fieri præsumant: sed per fidem accipiant Spiritum sine lege & operibus, quo legi satisfaciant, ut abunde satis dictum est in superioribus. *Est & debet.*

Qui autem sunt Christi, carnem crucifixerunt cum uitijs & concupiscentijs.

AD occultam respondet quæstionem, qua ex prædictis quispiam motus, quæreret: Si aduersus hominem non est lex, & sunt iusti, nec debitores legis: ut quid præcipis, ut opera carnis non faciant: spiritu ambulent, & alia faciant? Nonne debitum ab eis exigis? Nonne legem præscribis? Nonne aduersus eos tua præcepta sunt? quid tibi ipsi contradicis? Quid putas aliud responderet, quam quod supra didicimus, quod ij, qui perfecti in ijs sunt, sub lege non sunt: legem implent plene: ideo lex nihil aduersus eos. Verum, dum in carne nemo est, qui hanc metam perfecte attingit: in hoc saltem seruantur, qui Christi sunt, quod carnem suam crucifigunt, & pugnant cum desiderijs eius: & sic Spiritu implent legem Dei, licet carne (ut Rom. 7. dicit) seruiant legi peccati. Quare fructuum Spiritus descriptio, contra quos lex non est, potius præfixa meta est, ad quam nitendum est spiritualibus, quam quod aliquos illuc peruenisse sentiat, tantum ergo illis non aduersatur lex, quantum Spiritu uiuunt: tantum aduersatur, quantum carnis mouentur desiderijs. *Subiectio.* *Solutio.*

Et hunc canonem esse intelligendi omnia alia, in quibus iusti & sancti in terra commendantur, pulchre & copiose probat B. Augustinus de natura & gratia. Sic Rom. 6. uetus homo noster simul crucifixus est cum Christo & supra 2. Christo concrucifixus sum, uiuo iam non ego, uiuit uero in me Christus. Transeo, quæ hic D. Hierony. ex Origene recenset, neque satis placent. Dixerat Apostolus non esse legem aduersus spiritum, qui fructificat fructus lege præceptos, ita contra, non operantur opera carnis, faciunt bonum & declinant a malo. Quare? quia sunt Christi, pertinent ad Christum, non ad Mosen, non ad legem. Si autem sunt Christi, sine dubio carnem crucifixam habent, non per legem, quæ carnem magis irritabat, sed per Christum, Q. D. Christi esse non potestis, si legis esse uultis. Si legis estis, carnem non crucifigetis, eritque aduersus uos lex, ideo ij, qui sunt Christi, sub lege non sunt, & simul carnem crucifigunt, cum uitijs & desiderijs.

Christi non sunt, qui legis sunt.

Vitia.

Vitia, seu græce passiones, Hierony. putat generalius dictum, ideo additum concupiscentijs, quia passiones etiam ad dolorem referuntur. Quid autem, si per uitia seu passiones intelligat perturbationes irascibilis uirtutis, in amarulentia cordis furentes, & per concupiscentias affectus concupiscibilis, in titillatione carnis blandientes (quisque suo sensu abundet) Nota est forma huius crucifixionis. Nam claui sunt uerbum Dei, per impulsum gratiæ Dei penetrantes, & carnem prohibentes, ne sequatur sua desideria. Sic Ecclesi, ultimo. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ per magistrorum consilium, data sunt a pastore uno, id est, per Apostolos & prophetas a Christo.

Forma crucifixionis.

Verba sapientium.

CAPITVLVM VI.

Si spiritu uiuimus, spiritu & ambulemus.

NOn referre multum credo, quod nostri codices hic Capitulum sextum ordiuntur, quod Hierony. & græci infra incipiunt, Fratres, etsi homo præoccupatus, &c. Eundem seruat ordinem in hac Epistola, quem ad Rom. Nam & illic primo fidem docet, per undecim capitula. Duodecimo, charitatem, & fructus spiritus tractat. Tertiodecimo & reliquis pro suscipiendis infirmis in fide laborat. Ita & hic institutis in fide & charitate, inter alios mores, id curat quoque, ut infirmos aut lapsos non fastidiant. Sic enim B. August. recte (meo iudicio) putat hæc dici in eos, qui de litera reducti in spiritum, infirmiores despiciunt, de seipsis uane gloriantes, ideo moneri, ut, si sunt spirituales, non sibi placeant, sed infirmitates imbecillium sustineant, ut Rom. 14. & 15. dicit. Nam nisi hoc facerent, spiritu quidem incepissent, sed non ambularent spiritu, facti superbi fratrum contemptores.

B. Aug. sententia.

Sensus Apostoli.

Est ergo sensus. Certus sum, quod siue ex hac, siue priore mea doctrina, in spiritu edocti fueritis, aliquot inter uos relinqui, qui scrupulosi sunt, nondum fidei sanam opinionem, ab operibus legis potentes discernere; ut qui timore conscientiæ nolunt ab operibus legis desistere, non satis fidentes iusticiæ solius fidei, hos (inquam) oportet non despicere, sed blande fouere, donec usu & exemplo fortium roborentur firmenturque. Nam ad hoc illi semper relinquuntur, uelut pauperes in medio populi, ut sint, in quos charitatis officia possitis exercere. Ideoque, si spiritu uiuimus, spiritu incedamus, hoc est, perseueremus & procedamus, quod fiet, si infirmo-

s infirmorum imbecillitate, non sinamus nos tentari, ad fastidium eorum, & nostri propriam complacentiã: Hoc enim esset de spiritu declinare, nobis placere, non per charitatem alijs seruire, sicut hodie quoq; abundat infirmorum uulgus, etiam inter doctissimos, qui misere torquentur conscientia legum humanarum, nec audent fidere soli fidei in Christum. Et pueri ac effeminati, qui regnant in ecclesia, nihil prorsus cedunt infirmitatibus nostris, sed in turbine & uiolentia, robustas offas opinionum suarum nobis proponunt: modo tyrannidem stabiliant, statim, ut non responderis, quod uolu... ... haereticus, ethnicus, schismaticus (inquiunt) sed haec alias.

Ambulemus, idem uerbum est, quod supra 4. c. coniunctus est ei, &c. Et sit sensus, Sina mons est in Arabia, qui coniunctus est, id est, qui pertingit, ambulat, incedit, usq; ad Hierusalem, sicut dictum est illic. Et infra. Quicunq; hanc regulam secuti fuerint, id est, incesserint, ambulauerint. Est enim uis huius uerbi, & propria significatio, ordine incedere, recta uia gradi, procedere, ut Erasmus dedit. Vtitur autem eo uerbo Apostolus commode hoc loco, ut non declinent, neq; ad sinistram, neq; ad dexram, sed ordine recte incedant & ambulent spiritu cepto. *Erasmus.*

Nam in populo, cum sint firmi & infirmi, duplex oritur scandalum: Vnum a sinistris infirmorum, Alterum a dextris firmorum, quos in medio retinere nititur Apostolus, & scandala utraq; prohibere. Scandalum infirmorum est, quando ea fiunt, quae infirmi non capiunt, & speciem malam distinguere non possunt, de quo Rom. 14. latissime: Exempli gratia, quando infirmi uidebant alios uesci cibis omnibus, qui in lege prohibiti erant, ceu immundi, & urgente conscientia, non audebant & ipsi manducare & tamẽ nec exemplũ aliorũ improbare. Hic cũ Iudaeis Iudaeus fiebat Paulus, cum infirmis infirmus, ut seruiret eis per charitatem, donec firmarentur in Christo. Vnde Rom. 14. Si propter cibum tuum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Sic de omnibus alijs ceremonijs, dierum, festorum, uestium &c. sentiendum. Aliud est superborum, qui rursum offenduntur in infirmis impatientes eorum tarditatis & crassitudinis: ita nulla habita ratione infirmorum, nimis libere utebantur libertate Christi contra legem. Quod cum scandalo infirmorum haec agebant, cum potius omnem legem debuissent seruare, antequam unum scandalisarent. Sic enim ambulatur spiritu. Quid enim prodest spiritu libertatis contra spiritum & charitatem uti? Licet, (inquiunt) ita sane, sed tua licentia debet posthaberi fraternae infirmitati: quod tibi non noceat impedita tua licentia, nocet autem fratri, offensa sua per tuam libertatem infirmitas. Charitatis autem est, ut ea quae alterius sunt, consideres, non tam quantum liber tibi sis, quam quantum fratri prosis. Huic enim seruituti te charitas subijcit, dum te a seruitute legis liberat. At hodie, Deus bone, quanta monstra pessimae speciei perpetrantur, & relinquuntur postea infirmis haec omnia portanda & pie interpretanda, quae uix robustissimi ferre possunt: sed sine pastore hodie pastores non sunt, omnia sunt alia in specie, alia in uirtute & reipsa.

Scandalum infirmorum. *Rom. 14.* *Exemplum.* *Superborum.* *Seruitus charitatis.*

Non efficiamur inanis gloriae cupidi, inuicem prouocantes inuicem inuidentes.

EXponit latius quod dixerat, tunc (inquit) ambulabitis & inceditis recte in spiritu, si uos qui firmi estis, non inflemini aduersus infirmos *In gloriosos.*

mos non uobis placeatis, & gloriemini contra illos, quod non sunt sicut uos, quemadmodum pharisæus ille in gloria sua, Deum glorificauit & Publicanum confudit. Si enim hoc feceritis, prouocabitis & irritabitis uanissima gloria, infirmiores ad inuidiam. Et ita inuicem eritis uos prouocantes, & illi inuidentes: neutri in recto spiritus ordine incedentes: uos ad dextram, hos ad sinistram deturbat diabolus: uos per gloriam, hos per inuidiam. Quin exemplo Christi, uestra firmitas portet super se infirmitatem illorum, donec & ipsi firmentur. Non enim nobis, sed fratribus uiuimus, si in spiritu & charitate uiuimus: ideo quid illis conueniat & necessarium sit, faciemus. Nulli(inquit)debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Si esca scandalisat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Quare? quia fratrem diligo, cuius salus mihi incomparabiliter præferenda est meæ libertati, qua mihi licet, quod ille nondum capit esse licitum. Sic, si scandalisat fratrem meum mea iusticia, sapientia, potentia, aut quodlibet opus, quod licitissimum sit, omittendum est, & seruiendum charitati.

Non nobis sed fratribus in spiritu & charitate uiuendum.

At nunc uide, quid faciant exemptiones, priuilegia, indulta, confessionalia. Nonne leges pontificum factæ sunt, non nisi retia pecuniarum & scandala conscientiarum? Nonne tota Germania repleta est querimonia assidua, quod butyrũ & lacticinia permittuntur in diebus ieiuniis, qui emerunt plumbum & cæram Romanæ curiæ, cæteris pro sua ruditate interim credentibus, hæc non licere fieri, etiamsi pontifex summus concederet: adeo leges humanæ illis insederunt. Nam homicidia & fornicationes, & ebrietates, & inuidias, & omnia opera carnis, longe minora ducunt, quam butyrum istud priuilegiatum comedere: nec est ullus hic pontificum aut priuilegiatorum, qui huius turbæ misereatur, sed multiplicat auaricia incredibilis hæc priuilegia sine fine, sine modo: quibus non nisi prouocantur infirmi, ad detrahendum, maledicendum, iudicandum. At hos rursum illi firmi, & legum robustissimi contemptores, fortiter inflati, cotemnunt & apellant bon christian, hoc est, semifatuos. Iste est mos & modus implendæ charitatis hodiernus. Quanto rectius facerent summi pontifices, ut aut in totum abrogarent leges, quo scirent omnes libertatem suam, quam habent in Christo, aut nullis, cum tanto tot infirmarum conscientiarum barathro, priuilegia concederent. Quomodo reddent rationem Christo, pro tot offensis fratribus suis, pro quibus Christus mortuus est? Sed furor auaritiæ hanc charitatem, ne a longe quidem audire permittit.

Contra exemptiones, priuilegia indulta, & confessionalia.

Scandala infirmorum.

Consilium.

Vtinam non tam uera quã manifesta.

Verum, hæc adhuc puerilia & leuissima: ueniamus ad ea, in quibus scandalisantur etiam doctissimi & robustissimi (tanta est diaboli uictoria in Ecclesia) Obsecro, quantus tumultus, quantus rumor, quantus fœtor Romanæ curiæ, de palliis & annatis, quibus euiscerantur funditus Episcopatus, & sacerdotia Germaniæ? Quid de rapina omnium sacerdotiorum comedendis & deuorandis monasteriis ecclesiisq; ? ita, ut non sit altare, uel sub terra, quod non Romanorum mulionum auariciæ totum seruiat: interim doctis bonis & populo salutaribus uiris, fame & inopia pereuntibus. Verũ metunt Romani carnalia nostra, & seminant nobis spiritualia, hoc est, uentoso, ut de spiritu & uento uiuamus: spiritus enim uentus est, sicut Ephraim (apud Oseam) pascit uentos. Non mirum (inquam) si robustissimi hæc ferre nequeant: sunt enim ultra modum, etiam Apostolicæ perfectioni difficilia ad portandum. At hæc adeo nemo curat pontificum, ut uideantur gaudere de prouocatione nostri, & inuidia sui & illud cæsaris prætendere, oderint dum metuant. Nam non desunt inflatæ eiusmodi uesicæ, de potestate tantummodo gloriantes.

Clamat & populus & Clerus.

Oderunt dum metuunt.

Deinde

Deinde, quis non amarissime prouocatur primis omnium scandalorum (nam ea, quae dicta sunt, temporalia sunt) quot compositiones, rapinarum, usurarum, hæreditatum, testamentorum, plane omnium restitutionum tam uagarum, quam certarum, siue hæc pupillis, siue pauperibus debeantur, inundant, & remissiones horrendorum peccatorum, etiam obtrudunt, nedum leuissime uendunt tam inuitis quam uolentibus, prætextu unius mortuæ fabricæ sancti Petri, aut alicuius leuioris causæ? Fateor, hæc ferenda sunt, non licet inuidere, non mordere. At quis dabit nobis tam robusta ossa, quæ hæc portent? an non licet querulari infirmitatem nostram? Non licet dicere, ferenda sunt, sed non possumus. Vtiq; non est detractio, neq; inuidia, si onus importabile ferendum imponitur, & ego uires mihi deesse clamem.

Expende.

Ferenda sunt, sed non possumus.

Deinde, quando sacras literas tractamus, hæc & similia, si arguantur, si mordeantur, si proscindantur, sancte & pro officio agitur. Aut, cur illi proceres tam docti & robusti, exigunt a nobis horum tolerantiam, non multo magis etiam ipsi a se exigunt, ne nos prouocent? præsertim, cum prius ducere debeant, non prouocari, quam non inuidere: tum maiori charitati debitores pro statu suo, longe diligentius cauere, ne prouocent, quā nos ne inuideamus, ut sic nec nos prouocati, nec ipsi inuisi, spiritu incederemus, qui spiritu uiuere debemus.

Dices forte, mi Lector, me semper in Rom. curiam grassari, quod hucusq; nimis insolitum fuit. Respondeo, testis mihi Dominus est, non studio aut libidine mea me hoc facere, qui nihil optem ardentius, quam in angulo latere: sed quādo omnino sacras literas publice tractare debeo, Domino Ihesu Christo uolo pure seruire, quantum possum. Nam, si literæ diuinæ sic tractantur, ut tantum de præteritis intelligantur, ac non nostris moribus quoq; accommodentur, quid proderunt? frigidæ, mortuæ, & ne diuinæ quidem tunc sunt. Vides enim, quam apte & uiuaciter hic locus, imo quam necessario in nostrum seculum cedat: quod, quia alij, uel non sunt ausi, uel non intellexerunt, quid mirum, si citra inuidiam fuerunt theologiæ Magistri. Mihi certum est, uerbum Dei non posse sine inuidia, & mortis periculo recte tractari, atq; hoc esse unicum signum, recte fuisse tractatum, si offendat: maxime, principes & optimates populi: petra est scandali, iuxta quam absorbentur iudices populorum. Deniq;, Ecclesia clamat, quod principes eam persequantur, & principes Christum crucifixerunt.

Autoris pietatem uide.

Vide constantiam.

Frates, & si præoccupatus homo fuerit in aliquo delicto, uos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite, in Spiritu lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tenteris.

ERasmum lege, cur Apostolus repente numerum mutarit, ac non continenter dixerit, considerantes uosipsos, ne & uos tentemini. Maiorem enim uim habet, si ad unum uertatur singulariter, & quemque seorsum conueniat. Plane & hæc doctrina dignissima est, & arte mira ab Apostolo temperata, ad formandam in illis charitatem. Primum, Fratres appellat, magis exhortatione blanda, uelut ab æqualibus petens, quam autoritate exigens, uelut ab inferioribus. Deinde, si homo, non ait, si frater, Q. d. Si frater pro humana infirmitate. Quia homines

Mira charitas Apostoli.

 sumus

sumus: ceciderit, hoc ipso uerbo ostendens, quo oculo uidere debeamus aliorum casus, nempe commiserationis, & ut promptiores simus extenuare quam aggrauare. Hoc enim Diaboli & detractorum est, illud Paracleti & spiritualium.

Preoccupatus. Et præoccupatus, præuentus, improuide lapsus, in quo similiter docet peccatum fratris extenuare, Quia, nisi manifeste indurata malicia, & incorrigibiliter peccarit, nostrũ est, illud nõ maliciæ, sed improuidentiæ deputare, seu etiam infirmitati, sicut D. Bernardus suos docuit, ut si quis peccatum fratris nullo modo potuerit excusare, saltem dicere debet, magnam fuisse eam & insuperabilem tentationem, qua præuentus, & plusquam ferre posset, occupatus sit. *Extenuare mala fratrum.* In aliquo delicto, in aliquo casu: Nam cadere facillimum est: non ait, in aliqua malicia, iterum uerbo extenuationis usus, nam peccatum leuius & tenuius nominare non possumus, quam lapsum seu casum, quod delictum hic uocat.

Vos qui spirituales estis. Vos qui spirituales estis, Mirum uerbum, quod simul moneat officium, & doceat officium. Docet officium, quod esse debent spirituales: Si sunt spirituales, faciant quod est spiritualium. Quid autem est esse spiritualem, nisi filium Spiritus sancti, & habere Spiritum sanctum? At Spiritus sanctus paracletus est, aduocatus, consolator, qui accusante nos conscientia nostra, coram Deo patrocinatur nobis & consolatur, reddens bonum testimonium conscientiæ & fiduciæ in Dei misericordiam, excusans, extenuans, omninoq; tegens peccata nostra, rursus magnificans fidem, & bona opera nostra. *Paracletus, & imitatores eius.* Hunc imitantes in peccatis hominum, coram hominibus sunt spirituales.

Satan & imitatores eius. Contra, Satan uocatur diabolus, detractor & calumniator, quia nõ solum accusat nos, & conscientiam malam auget coram Deo, sed etiam bonis detrahit, & merita nostra fidemq; conscientiæ calumniatur. Hunc imitantur in peccatis, aut etiam bonis operibus hominum, coram hominibus, qui aggrauant, incrassant, dilatant peccata hominum: rursus extenuant, accusant, criminantur bona opera eorum. *Augustinus.* Vnde B. August. hoc loco, nihil ita probat spiritualem virum, quam peccati alieni tractatio: cũ liberationem eius potius quam subsannationem, potiusque auxilia, quam conuitia meditatur. *Vir spiritualis, Homo carnalis.* Contra, carnalem hominem probabis, qui alienum peccatum tractat, tantum ut iudicet, atq; uituperet: sicut Pharisæus ille publicano insultauit, non autem misertus est.

Instruite in spiritu lenitatis. Instruite in spiritu lenitatis. Vera est enim diui Gregorij sententia: uera iusticia compassionem habet: falsa, indignationem. Ita & Christus, Lucæ. 9. cum Ioannes, & Iacobus exemplo Heliæ, uellent ignem de cælo super Samaritanos uocare, prohibuit eos dicens: nescitis cuius spiritus filij estis? Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare, &c. Ita & non quomodo perdamus, sed quomodo saluemus fratrem peccatorem cogitare debemus. Hunc locum Rom. 15. tractans dicit. Debemus autẽ nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere. Nota uerecundiam & modestiam spiritus paulini: imbecillitates & infirmos uocat, quæ superbus aliquis iusticiarius, aut hæreticæ prauitatis inquisitor dixisset (ut sunt prompti damnare & exurere homines) hæresim, aut crimina in sanctam Romanam Ecclesiam: sic enim loquuntur, quantum de maximis peccatis loquuntur. Paulus autem quæcunq; illa sint peccata, infirmitates appellat, & peccatores infirmos: quia non diaboli, sed paracleti lingua loquitur.

Deniq;

Denique subiungit exemplum. Etenim Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me, hoc est, iuxta Isaiam, peccata nostra portauit, nedum nos cum & in illis dereliquit, accusauit, damnauit: non secus nobiscum agens, quam si ipse ea fecisset, quæ nos feceramus, quæ non rapuit exuoluens. Sic & Phil. 2. idem exemplum inducens, dicit, hoc sentite in uobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo: sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo &c. Ecce similis Christus hominibus, id est, peccatoribus & infirmis. Nec alium habitum, nec aliam formam præ se fert, quam hominis & serui: dum nos non despicit in forma Dei, sed formam nostram gerit, portans peccata nostra in corpore suo. Sed dignior est hæc autoritas, quam ut paucis uerbis tractetur. Neque enim eius intelligentiam habent Magistri theologiæ: differemus eam interim.

Christus portauit nos & peccata nostra.

Christus similis hominibus, & peccatoribus.

Igitur in hac uita, sic Ecclesiam Christus administrat, ut, sicut in ueteri testamento prædixit, semper fore pauperes in populo, ut eis occasio fieret charitatis fraternæ exercendæ: Ita in nouo semper relinquit aliquos peccatores, sinit aliquos labi, ut habeant firmiores causam, qua euangelicam & christianam fraternitatem exerceant, ne charitas ociosa sit, ruatque & ipsa. At hanc diuinæ uoluntatis dispensationem non intelligentes, hypocritæ peruersissimi omnium hominum, ad suam inuidiam exercendam arripiunt: lapsus fratrũ tantũ ad accusandũ, mordendum, persequendum, considerant: nec aliud agere possunt, quam quod Simon leprosus super Mariam Magdalenam, & Pharisæus super publicanum.

Semper pauperes.

Denique addit, Considerans teipsum, ne & tu tenteris: etiam hic modeste loquitur: non ait, ne & tu cadas, sicut alibi, Qui stat, uideat, ne cadat, Sed ne tenteris, tentationem uocans eius casum, Q. D. Si cecideris, dicerem fuisse tentationem magis, quam crimen tuum: eadem lenitate & tu puta tentationem fuisse, quoties lapsum uides, ac non atrocibus nominibus casum fraternum persequaris. Ecce uerba Apostoli, non solum documento, sed simul exemplo sunt. Apud Rhetores seculi gloriosissimum est, uerba ita ponere, ut in eis rem ipsam simul obseruari & geri uideas, quod Paulus, imo Spiritus sanctus proprium habet. Optime itaque dicit D. Grego. Quoties peccatores conspicimus, necesse est, ut nos ipsos primum in eis defleamus: quia, uel in similia lapsi sumus, aut labi possumus. Neque enim est peccatum (ait August) quod fecit homo, quod non facere possit, & alter homo, si Deus deserat. Non etiam reijcio uersiculum, quem sibi quidam in huius rei memoriam fecit. Aut sumus aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est. Atque utinam Thomistæ, Scotistæ, Moderni, huc referrent suum uniuersale reale, & naturam indifferentem. Homo est homo, caro caro: nunquam fecit caro, quod similis caro non faceret, ubi Deus non discerneret.

Considerans teipsum, ne & tu tenteris.

Stylus Spiritus Sancti.

Alter alterius onera portate, Et sic implebitis legem Christi.

PVlcherrimo & penitus aureo Epiphonemate utranque prædictam doctrinam concludit. Sunt (inquit) quidam scrupulosi, non discernentes inter legem fidei & legem hominum: ferendi sunt, & a scandalis eorũ omnino

omnino temperandum. Sunt alij, qui etiam in legem Dei peccent, nec hi stulto zelo Dei, sunt contemnendi, sed utrique Christiana charitate ferendi, illi docendi, hi instaurandi, illi quid scire, hi quid facere debeant, & ita eorum, & fidei, & operibus formandis seruiendum: Nam primi indigent fidei doctrina, Secundi, bonæ uitæ institutione, Sic ubique inuenit charitas, quod ferat, quod faciat. Charitas autem est lex Christi. Diligere autem, est ex animo alteri uelle bonum, seu quærere quæ sunt alterius. Iam, si nullus sit, qui erret, qui ruat, id est, qui bono indigeat, quem diliges? cui bonum uoles? cui bonum quæres? Ne potest quidem charitas consistere, nisi sint errantes & peccantes, qui (ut Philosophi dicunt) proprium & ad æquatum obiectum sunt charitatis, seu materia dilectionis.

Amor sui. Carnalitas uero, seu amor cupiditatis, quærit, ut alij sibi optent bonũ, sibi uelint, quæ cupit, hoc est, sua quærit, & materia sua est, iustus, sanctus, pius, bonus &c. Hi sane peruertunt hanc doctrinam, quia uolunt sua onera portari, & solum commodis aliorum frui & uehi, ut qui indoctos, inutiles, iracundos, ineptos, difficiles, morosos, dedignantur habere socios uitæ: sed quærunt humanos, suaues, benignos, quietos, & sanctos homines, hoc est, uolunt, non in terra, sed in paradiso, non inter peccatores, sed inter Angelos, non in mundo, sed in cœlo uiuere, quibus quoque timendum est, ne & hic recipiant mercedem suam, & in hac uita suum regnum cœlorum possederint. Nam cum sponsa nolunt esse lilium inter spinas, nec cum Hierusalem in medio gentium posita, nec cum Christo dominari *in medio inimicorum.* Euacuant enim crucem Christi in seipsis, & ociosam ac stertentem, alijsque humeris uectatam charitatem habent.

Proinde, qui fugiunt talium societatem, ut boni fiant, nihil aliud faciunt, quam ut pessimi omnium fiant, quod tamen non credunt. Quia propter charitatem fugiunt germanum officium charitatis, propter salutem, fugiunt uerum compendium salutis. Ecclesia enim tunc semper fuit optima, quando agebat inter pessimos, horum enim onerum tolerantia, mire rutilauit eius charitas, sicut Psal. 68. dicit. Posteriora dorsi in pallore auri, hoc est, tolerantia columbæ Christianæ (quæ per dorsi posteriora significatur) tota est rutilantissima in aurea charitate. Alioquin, cur non Moses quoque reliquit duræ ceruicis populum? Cur non Heliseus & Prophetæ reges Israel idolatras? *Psal. 68.*

In Boemorũ à Romana ecclesia dissidium. *Caußa defectionis Bohemorum.* Consequens est, quod Boemorum dissidium a Romana Ecclesia nulla possit excusatione defendi, quin sit impiũ, & Christi omnibus legibus contrarium, quia contra charitatẽ, in qua omnes leges summantur, perstat. Nam hoc, quod unice allegant, sese timore Dei & cõscientiæ defecisse, ne inter malos sacerdotes & Pontifices uiuerent, hoc eos maxime omniũ accusat. Si enim sunt mali Pontifices, sacerdotes, aut quicunque, & tu uera charitate ferueres, non diffugeres, sed etiã, si in extremis maris esses, accurreres, fleres, moueres, argueres, prorsus omnia faceres. Et hanc Apostoli doctrinam secutus, non cõmoda, sed onera ferenda tibi esse scires. Itaque claret totam Boemicæ istius charitatis gloriam, esse meram speciem & lucem, in quam se Angelus Satanæ transfigurat. Nunquid & nos, qui ferimus onera, & uere importabilia monstra Romanæ curiæ, ideo fugimus & discedimus? Absit, absit. Reprehendimus quidem, detestamur, oramus, monemus, sed non scindimus ob hoc unitatem Spiritus, non inflamur aduersus eam, scientes, quod charitas super omnia eminet, non tantum super rerum corporalium damna, sed etiam super omnia monstra peccatorum, ficta charitas est, quæ non nisi cõmoda alterius ferre potest. Vulgus sane nostrum (sicuti uidemus) ut est infimum in ordine, ita supremum in charitate. Nam patientissime suffert sese a pastoribus, usque ad ossa deglubi & excoriari. *Exemplum patientiæ, à germanis sumendum.*

Rursum

Rursum, qui summo ordine inflantur, prorsus nec obulo suo carere possũt, nedũ uerbum aut factum in sua priuilegia commissum portant. & iustus es domine & rectum iudicium tuum. Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi.

Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

PVlcherrimam & efficacissimam reddit rationem, utriusq; doctrinæ, quæ est hæc. Omnes nos æquales esse, omnesq; nihil esse, ut quid ergo inflatur unus aduersus alterum, ac non potius mutuum iuuamus? Si autem aliquid in nobis est, non nostrũ, sed Dei donũ est. Si autẽ Dei donũ est, iã charitati totũ debetur, id est, legi Christi. Si charitati debetur, iã nõ mihi, sed alijs per ipsum seruiendum est. ita mea eruditio, non est mea, sed inerudi torum, quibus eam debeo. Mea castitas non est mea, sed carne peccantium quibus per eam seruire debeo, eã Deo offerendo pro illis, eos suscipiendo, excusando, ac sic mea honestate, eorũ turpitudinem uelando, coram Deo & hominibus, sicut .1. Cor. 12. scribit, quod inhonesta membra, per honestiora membra teguntur: sic sapientia mea stultis, sic potentia oppressis, sic diuitiæ pauperibus, sic iusticia peccatoribus. Hæ enim sunt formæ Dei, quas exinaniri oportet, ut formæ serui in nobis sint, quia his omnibus coram Deo stare & mediare debemus, pro ijs, qui ea non habent, tanq; aliena ueste induti: non secus ac sacerdos, in sacro ornatu sibi alieno, pro circumstantibus sacrificat, sed, & coram hominibus, aduersus detractores, aut uiolentos eadem charitate illis seruire debemus. Sic enim Christus pro nobis fecit. Hic est ille caminus Domini in zion, dulcis illa misericordia patris, qui tam inæstimabili uirtute nos copulare uoluit. Hac tessera, hoc Symbolo, hac nota, discernimur Christiani ab omnibus populis, ut essemus Deo in peculium, & genus sacerdotale, & regale sacerdotium.

Quicquid in nobis boni est, Dei est, & totum charitati debetur.

Si tibi chara salus, hæc mente repone fideli.

Caminus Domini in zion.

Dupliciter B. Hiero. hunc locum edisserit. Primum, qui se aliquid esse existimat, cum sit nihil, id est, cum omnes nihil simus coram Deo, ut dictum est. Secundo, qui se existimat aliquid esse, & tamen nihil est, ipse se seducit, hoc est, si quis sentit se esse aliquid & uere altero præstantior est, & in hoc sibi placet, se tantum existimans, sua tantũ considerans, non quomodo alijs per hoc seruiat, hic uere se decipit. Quia hoc ipso suo superbiæ sensu facit, ut nihil sit, quia tunc donum Dei in eo, frustra est, & similis ipse ei, qui non habet, Sicut auarus etiam habens non habet. Quia non in usu habet. quo haberi diuitiæ natæ sunt. Vt ergo hic diues, non diues est: sed pauper: ita, ille existimans se esse aliquid, nihil est. Hunc sensum sequitur D. Hiero. & hoc sensu aliter redditur ratio doctrinarum prædictarum. Quia nisi portet onera alterius, inflatus suo sensu, iam nihil fit & idem est, ac si non habeat, imo in damnum suum habet: utrunq; mihi placet. Addit autem & notat proprietatem uerbi Seducit, quod græce mentem seducit significat, quia alius est, quam opinatur se esse.

B. Hiero. de hoc loco duplex sẽtentia

Seducit.

Opus autem suum probet unusquisq;, & sic in semetipso habebit gloriam & non altero.

VAnæ gloriæ hæc est natura, ut conferat cum ijs, qui impares sibi sunt, ex qua collatione, sequitur fastidium inferioris, & uesica ista inflata de suis bonis. Nec enim uana gloria tam gaudet, quia aliquid est, aut habet, quam quod alij nihil sunt, aut nihil habent. Ita pharisæus ille

non tam

non tam gloriabatur de sua sanctitate, quam quod cæteri homines sibi impares uidebãtur, præsertim publicanus. Nollet enim cæteros fieri meliores aut æquales sibi. ideo sua gloria est gloria in altero, & extra seipsum, scilicet in viliore & minore. Hæc est maleuolentia semper comes uanæ gloriæ, gaudere de alienis malis, ac tristari de alienis bonis. Hoc prohibet Apostolus, ut hanc gloriam in altero nemo habeat, quam longissime a charitate abest, & abesse debet.

Maleuolentia uanæ gloriæ comes.

Probet autem opus suum, id est, omittat opus alienum, non quærens quam malus ille sit, sed quam bonus ipse sit, studeat ipse bonis operibus probatus inueniri, non autem alterius operæ occasione, securus & stertens fiat, quasi ideo bonus sit coram Deo habendus, quia melior sit isto malo, ut sic de alterius malicia plus præsumat, quam in sua opera, quam sine illius malicia. Non fiunt tua opera meliora illius malicia, ideo sic uiue, sic age, ut opus tuum probes, quatenus in teipso, in tuaq; conscientia gloriari possis, sicut. 2. Cor. 1. dicit. Nam gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, non utiq; spectaculum operis alieni. Opus autem probat si uideat quam diligens sit in charitate ad portandum alienas infirmitates. Et certe, qui hoc obseruaret, facile sibi a temerarijs iudicijs & detractionibus temperaret, ut qui inueniret, se, aut diligere, aut non diligere proximum.

Opus probat.

Vnusquisque enim suum onus portabit.

Nemo iudicandus, aut damnandus.

HOc ad præcedens ita pertinet. Quid in altero gloriaris? quid de alieno peccato uel infirmitate inflaris? Nunquid tu pro eo reddes rationẽ, aut sicut Rom. 14. eadem sententia dicit. Tu qui es, qui iudicas alienũ seruum? Domino suo stat, aut cadit, Et sequitur: Vnusquisq; pro se rationem reddet, quod hic tropo scripturæ, onus portare, & supra, iudicium suum portare, dixit. Vnde & illud Probet autem unusquisq; opus suũ, acciperem paulo aliter, ad eandem sententiam, qua Rom. 14. dicit. Tu fidem, quam habes, penes temetipsum habe coram Deo, id est, quod scis licita omnia, opus tuum est, sed in hoc coram Deo, & in teipso gloriare, nõ utere foris hac libertate, ut glorieris de hac fide tua, in proximi infirmitate, nihil curans scandalum eius. Verum, hic sensus generalis de omnibus scandalis non erit, sed tamen de ijs, quæ in lege hominum fiunt, ut nunc sunt sicut dixi, Confessionalia & aliæ facultates, alijs pro pecunijs uenditæ, alijs uero reseruatæ, ut scandalisentur.

Communicet autem is, qui catechisatur uerbo ei, qui se catechisat in omnibus bonis.

ALiam doctrinam Apostolus moralem & nouissimã præscribit, hæc est, ut præsbyteris uerbum Dei docentibus, seminantibus spiritualia, præbeant carnalia, & uitæ necessaria. Dignus est enim operarius mercede sua, ait Christus: ut latius hæc. 1. Timoth. 5. & 1. Cor. 9. prosequitur: Mirum autem, quid interpretem delectarit græcas uoces integras miscere, Catechiso doceo, instruoq; significat: inde catechumeni, qui instruuntur religione Christi, Stoicã philosophiã Paulus hic cõtemnit, bona uocãs ea, quæ corpori necessaria sunt, cum illi verborum tortores & uiolenti coactores, non nisi sapientiam & uirtutem (hoc est, superbiam de uanitate) inter bona numerent. Nos scimus, quod cuncta, quæ fecit Deus, erant ualde bona: Et omnis creatura Dei bona est: usu uero malo, mala sunt, non uitio suo, quo usu maxime omnium sapientia & uirtus, (stoicorum bona) mala sunt, cum non nisi inflent, si charitas desit.

Catechiso docco, instruo.

Stoica philosophia a Paulo cõtemnitur

Omnis creatura Dei bona.

Vide

Vide pondus uerborum, eruditori in uerbo debetur communio omnium bonorum. Qui uero uerbum non tractant, neq; docent, nihil ad eos hæc doctrina. Primum sane & maximum opus in Ecclesia est, uerbi tractatio, quod Dominus Petro ter imposuit, & contentiosissime ab omnibus exegit, quo nunc nihil postremius & abiectius est. Tot sunt officia iuristarum, iudicum, officialium. Tot cantus & ceremoniæ sacerdotum & religiosorum. At uox clamantis in deserto rara est: adeo, ut uere nihil Ecclesiæ dissimilius sit, quam ipsamet Ecclesia. Nec superfluo addit uerbo, seu (ut græcus habet) uerbum sunt, fuerunt, erunt multi, qui multa fabulentur de suo capite, aut hominum opiniones & traditiones, sicut hodie cernimus cum dolore. At ipsum uerbum, quod utique Euangelium Christi significat, ubi quæso sonat? aut si sonat contaminatum glossis hominum dicit, raucæ sunt factæ fauces meæ, ut etiam sic sonans audiri non possit: ne ergo & hi sperent ad se pertinere communionem omnium bonorum. *Primum & maximum opus in Ecclesia, est uerbi Dei tractatio.*

Deinde nota, Communicet (inquit) nunc enim non contenti sunt communione, etiamsi uerbum non doceant, sed omnimodam ditionem ac possessionem omnium rerum uendicant. Et iam instructus ab instructore pene mendicat. Creuit enim Ecclesia, donec & imperia transferre, & principatus mundi conferre cœpit. Quid enim ad uerbum? fratribus hoc relinquamus. Atq; hoc est, quod Siluester meus Papam dicit geminum Imperatorem totius mundi, ac dominum omnium rerum. Nec mirum, quia scilicet Paulus Apostolus ignarus grammaticæ, quando uoluit dicere, tribuant omnes omnia sua bona Romano pontifici, & faciant imperatorem: parcissimum uocabulum ei in buccam uenit, ut diceret: Communicet autem instructus instructori uerbo omnibus bonis. Credo autem, si scisset per communionem, ditionem, & per instrustionem uerbi potestatem dominandi, & per instructum totum mundum intelligenda esse aliquando, sine dubio, hanc doctrinam obticuisset. *Communicet.* *Quousq; creuit ecclesia.* *Siluester.*

Iterum mordes? non mordeo, sed necessitate scripturæ elucidandæ, nostri seculi mores commonstro, ut uideamus, quo peruenerit gloria Ecclesiæ, & quæ sit uera aut ficta Ecclesia. Et, ut dicam libere, impossibile est, scripturas posse elucidari, & alias Ecclesias reformari, nisi uniuersale illud reale Romana curia quamprimum reformetur. Hæc enim uerbum Dei audire non potest, nec sustinere, ut pure tractetur. Verbo autem Dei nō tractato, neq; cæteris ecclesijs succurri potest.

Omnibus bonis (inquit) magna quæstio, quid uelit Apostolus. Nam hic Syluestrascere uidetur, ut qui in omnibus bonis communionem præscribat, nisi quod hoc (ut dixi) solis uerbi tractatoribus tribuit. Quorum cum sint & fuerint infiniti, & unicuiq; omnes omnia bona debuerint, multos mundos reperiri oportuit, ut quilibet omnibus bonis potiretur. Sed facessant ista. Omnia bona uocat ea, quibus instructor eget, hoc est, ut temperalia bona, quibus hic uiuitur, cum uerbo intentus, proprio opere acquirere nequeat, omnia ab instructo suo accipiat. Quo simul uerbo præstruit, ne in grauamen fidelium, instructor ab alijs, quam ab ijs, quos instruit, bona accipiat, neq; permittere debet instructus, ut hoc ipsum instructori sit necessarium, sed communicet (inquit) ei in omnibus bonis, de suis tribuat, quocunque ille opus habuerit.

Qua

Expende quæ hic dicuntur omnia.

Quæ regula, si seruanda est, non aliud summo, non aliud medijs pontificibus, non aliud plebanis dabitur, de uno eodemq; populo. Deinde, mendicatio aliud erit, quam quod hic præscribitur. Verum, alia nunc tempora: tunc enim, cum Ecclesiastici pastores non essẽt reditibus & opibus prouisi, hæc præcepta sunt. Et nescio, an melior fuerit, hæc Spiritus doctrina, quam mos, qui nunc regnat. Nunc enim illud Prouerbij. 28. uidemus, propter peccata terræ, multi principes eius. Et hæc multitudo uocatur hodie hierarchia, & ordo Ecclesiæ, secundum sub & supra. *Prouer.28.*

Hierarchia.

Nolite errare, Deus non irridetur.

Auaritiam taxat.

AVaritiam taxat, quæ uafra est semper in excusationibus, quoties dandum aliquid est. Quas Apostolus non exprimit, neq; sane omnes posset multas commemorat D. Hiero. Eadem cura in ueteri quoq; testamento cauit, ne ullo modo leuitarum obliuiscerentur, qui aliud non habebant, quam quod de populo accipiebant.

Verbi Dei tractator, multorum inuidiæ obnoxius.

Accedit ad hoc, quod uerbi tractator necesse est, ut multos offendat, & inuidiæ pateat, ut sit summe necessarium hoc præceptum Pauli, tum propter auaros, inuidos, sed & propter negligentes. Sunt enim & eiusmodi, qui ideo non tribuunt, quod præsumant hoc ab alijs abunde fieri. Verum, friuolas istas euasiones Paulus egregie præoccupat, & dicit ne errent, Deum non irrideri, etiam si hominem fallere & ludere possint.

Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.

GEneralem sententiam particulari causæ adoptat, quam & ad Corinthios ponit, uelut sibi familiarem. Est enim prouerbialis, & pulchre allegorica. Seminat auariciæ opus, qui negat communionem bonorum doctori, ideo metet & præmium auaritiæ, sic in omnibus alijs operibus bonis & malis. Nam hac generali sententia, omnia præcepta moralia, & ipsam epistolam concludit.

Quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem. Qui autem seminat in spiritu, de Spiritu metet uitam æternam.

ITerum hic carnem non tantum pro libidine accipi oportet, sed tropo Apostolico, ut & textus ipse cogit, pro omni eo, quod non est spiritus, id est, pro toto homine. Nam falsus uerborum intellectus, Taciano hæretico causam dedit, ut copulam uiri & mulieris damnaret, ex hoc Apostoli loco, quem docte confutat D. Hierony. Igitur caro & Spiritus, duo agri finguntur ab Apostolo allegorisante, duo semina, duo opera, quorum unum est charitas, quod superius in nouem fructibus satis descripsit. Alterum carnis, quod in operibus carnis uidimus. Messes duæ, corruptio. & æterna uita. Erasmus corruptionem intelligit corruptibilem & periturum fructum, qui idem est & nullus, postquam corruptus fuerit.

Duo opera, unum charitatis, alterum carnis.

In sua carne, additum uidetur dedita opera ab Apostolo, & non in spiritu suo, ut remoueret cogitationẽ de seminatione masculi, in carnẽ fœminæ, ne de hac loqui putaretur. Quanquã uerum est, etiã corruptibilẽ fructum, quia mortalẽ hominẽ nasci ex semine uiri: nec ideo sequitur, copulam

sexuum

ſextum eſſe malam. Sed quid tandem ſeminatur & metitur in uniuerſa terra, quod non ſit corruptibile? Quare allegoricũ Apoſtolum intelligi oportet omnino, per ſeminare, non niſi operari accipiendo, ut expreſſe ex ſequentibus patet.

Bonum autem facientes, non deficiamus.
Tempore enim ſuo metemus, non deficientes.

ALlegoriam ſuam ipſemet aperit, non ait, in ſpiritu autem ſeminantes, ſed bonum autem facientes, & tamen addit, tempore ſuo metemus, alteram partem allegoriæ ſeruans. Adeo curandum fuit ne hæreticis occaſio præſtita uideretur calumniandi matrimonij. Igitur ſeminare in ſpiritu, eſt bonum operari, ſeminare in carne malum operari. Quam doctrinam nunc extendit in longitudinem, & ad perſeuerantiam hortatur per conſolationem futuræ retributionis. Non enim qui inceperit, ſed qui perſeuerauerit, hic ſaluus erit. Facile eſt, uno opere incepiſſe, ſed arduum & multis impedimentis contra nitentibus obnoxium, perficere & perſeuerare Quale eſt (inquit Hieronymus) ut cum peccatores quotidie in malis operibus augeantur, nos in bono opere laſſemur. *Perſeuerandum.*

Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei.

TEndit doctrinam in latitudinem non minus difficilem longitudine, operemur bonum erga omnes gentes, iudæos, gratos, ingratos, amicos, inimicos, proximos alienos: omninoq́ꝫ, ſicut de charitate dictum, quod nulla perſona ducitur: uidete, quanta latitudo beneuolentiæ chriſtianæ. Rotunda enim eſſe debet, ſicut & Chriſtus Matth. 5. Si diligitis eos qui uos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & publicani hoc faciunt? Domeſticos fidei tamen prefert, quia ijs arctiori uinculo colligati ſumus, ut qui de eadem domo, eccleſia, de eadem familia Chriſti ſunt, quorum una fides, unum baptiſma, una ſpes, unus dominus, & omnia eadem. Putat autem D. Hieronymus ipſos magiſtros etiam intelligi propter quos hanc doctrinam ceperat, ut eam in eiſdem concluderet, quaſi domeſticos fidei, ſeruos Chriſti in domo eius fidem docentes, uoluerit intelligi. *Omnibus eſt benefaciendum. Chriſtiana beneuolentia latiſſime patet.*

Monet idem, quod Apoſtolus dicit, dum tempus habemus, uitam præſentem, eſſe tempus ſementis, ſicut & Chriſtus dicit, Operemini, dum dies eſt, uenit nox, quando nemo poteſt operari, quæ contra purgatorium uidentur pugnare, licet enim dicant doctores, in illo non niſi ſatisfactionem ſeu nouo reperto uocabulo ſatiſpaſſionem eſſe, ego tamen non uideo quomodo ſatisfactio, uel ſatiſpaſſio, non ſit operatio bona. Ideo Apoſtolum de operibus huius uitæ loqui intelligo, & uerbum eius, nihil de purgatorio loqui, ſicut alias dixi. *Purgatorium.*

Videte qualibus literis ſcripſi uobis, mea manu.

D. Hierony. qualibus literis, intelligit de grandibus literis (ita enim πηλίκοις græce magnitudinẽ magis, q̃ qualitatẽ ſonat) uolens quod Epiſtolam ad hunc uſque locum, alius ſe dictante, ſcripſerit, uelut literis minoribus. Et Paulus ab hoc loco, uſque in finem maioribus compleuerit, ut manum ſuam manifeſte inter noſcentes intelligerent, quantam ſolicitudinem pro eis gereret, ſimul ut ſuperſtitionem falſarum literarum, quas ſub nomine eius ferebant falſi Doctores, tolleret. Nam & in alijs *D. Hieronymus.*

epistolis solet signare, Salutatio mea manu Pauli. Verum, ego Erasmum sequor, qui totam Epistolam sentit ab Apostolo propria manu exaratam, in quo commendat suũ æstum, quasi dicat, nunquam soleo propria manu scribere, sed uestræ salutis gratia, uidete, quam magnam Epistolam propria manu scripsi, Alias quidem maiores scripsi, sed manu aliena, ut & uos rem tanto serio percipiatis, quanto ego perscripsi. O Apostolicum uirum, cui tanta est cura animarum.

Vir Apostolicus.

Quicunque enim uolunt placere in carne, hi cogunt uos circumcidi, tantum ut crucis Christi persecutionem non patiantur.

BReuiter replicat, quæ scripsit. Dixit enim in exordio, si hominibus placerem, Christi seruus non essem, an quæro hominibus placere Iudæis enim summe displicebat ista libertatis Christianæ prædicatio, cum per circumcisionem, ut necessariam, iustificari præsumerent, quorum furorem, ut declinarent, atque mitigarent, docebant, quod illis placebat, necessitatem circumcisionis. Non ergo ex iudaismo fuisse certum est hos pseudoapostolos, sed ex christianismo. Quia crucis, quam professi erant, persecutionem exhorrebant, magis amantes uitam suam & pacem, quam Christum. In carne, refertur contra spiritum, Et uerbum placere, absolute accipitur, ut supra, ut sit sensus, uolunt placere in carne, id est, volunt esse placentes carnaliter, non spiritualiter. Quia placentes carnaliter, placent hominibus, placentes in spiritu seu spiritualiter, placent Deo. Et nota, cogunt uos circumcidi. Circumcisio per se nihil nocebat, uerum, coactio & necessitas, tanquam fides non sufficeret ad iusticiam, damnabilis erat, sic supra: Quare tu cogis gentes iudaissare?

Cogere ad Ceremonias.

Quæras, an Apostolus detrahat, & temere iudicet pseudoapostolos, quod crucis Christi persecutionem timuerint, & gloriam suam in carne Galatarum (ut infra dicit) quæsierint? Quis ei dixit, esse eos formidulosos & gloriosos? Nam de absentibus, & præsertim negantibus, uitia diuinare, non est sine peccato, negassent forte, nec potuissent conuinci. Verum, Apostolus in spiritu eruditus, scit hominem, qui Christum non recte prædicat aut sapit, non posse sine timore crucis, & uana gloria esse. Amet uitam suam plusquam Christum, necesse est, qui spiritum Christi non habet, tum infletur scientia, æque necesse est, ita in aduersis ruat, in prosperis eleuetur oportet, in neutris se rectum & æquabilem præstare potens. Proinde, sine periculo generalem pronunciare possumus sententiam, super quoscunque, si eos uiderimus Christum ignorare, esse eos formidulosos in aduersis, & gloriosos in prosperis, intempestiue deiecti & eleuari. Contra, uere christianus, erectus est in aduersis, confidens in Deum, deiectus in prosperis, timens Deum, non confunditur, dum patitur, nec gloriatur, dum honoratur, ubique rectus & æquabilis.

Quæstio.

Solutio.

Neque enim, qui circumciduntur, legem custodiunt, sed uolunt uos circumcidi, ut in carne uestra glorientur.

IDem superius c. 5. dixit. Esse debitorem faciendæ uniuersæ legis eum, qui se circumcidit, quia, & si foris carnem circumcidunt

neque

neque tamen, uel hanc circumcisionis, uel ullam aliam implent legem. Quia non hilaritate spiritus, sed timore minantis legis omnia faciunt. Dictum est autem iam sæpius, legem sine affectu gratuito implere, idem est quod non implere, sed simulare opera legis. Quod enim uoluntate non fit, coram Deo, & in ueritate, non fit, sed apparet coram hominibus fieri. Iterum pronunciat cum fiducia, esse eos omnes transgressores legis, qui circumciduntur, & legem suis uiribus quamcunque faciunt. Iterum confutans nostros theologos, qui opera sine gratia spiritus, facta moraliter bona, & legem quo ad substantiam facti implentia, non esse peccata, nec contra legem arbitrantur. Sed stat firma sententia, uoluntatem & hilaritatem Spiritus, qui legem impleat non nisi ex fide accipi in Christo, Cæteros omnes, legis osores esse, & ideo præuaricationis reos.

Lex impletur ex fide.

In carne uestra glorientur, id est, ut carnaliter de uobis glorientur, quod magistri uestri fuerint, uos bona docuerint, sapientes sint & religiosi. Impossibile est enim, ut doctor cuiuscunque professionis non glorietur, nisi sit in Christo bene institutus, sciens illud cū affectu, nō estis uos, qui loquimini: Et unus est magister uester Christus, adeo uiscosa est libido laudis & gloriæ præsertim, in rebus ac donis spiritualibus, ut sūt scientiæ & uirtutes.

Doctorum gloriatio

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Ihesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.

SEnsus est, glorientur illi in sapientia, uirtute, iusticia, operibus, doctrina, lege, aut etiam in uobis, & quibuscunque hominibus, Ego glorior me esse stultum, peccatorem, infirmum, passum, & inuentum sine lege, sine operibus, sine iusticia, quæ est ex lege, denique sine omnibus, præter Christum. Volo & gaudeo me esse coram mundo insipientem, malum, & omnium criminum reum, sicut 2. Cor. 12. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Christi. Nam crux Christi omnia damnauit, quæ mundus probat, etiam sapientiam & iusticiam, sicut. 1. Cor. 1. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Christus Matth. 5. Beati estis, cum maledixerint uobis homines Et & eiecerint nomen uestrum tanquam malum, & exprobrauerint uobis. &c.

Contra gloriosos milites.

Crux Christi [illegible] dana damnat.

Crucifigi mundo

Ecce, hoc est, non modo concrucifigi Christo, & cruci, passionibusque eius communicare, sed etiam in ijs gloriari, & cum Apostolis ire gaudenter quod digni habeamur, pro nomine eius coutumeliam pati. At, qui pro nomine Ihesu, honores, diuitias, uoluptates, affectant & acceptant. Deinde contemptum, paupertatem, passiones fugiunt, nunquid gloriantur in cruce Christi? imo, gloriantur in mundo, prætexentes nihilominus nomen Christi, ludibrium ex eo facientes.

Esse ergo crucifixum mundo, est (ut supra c. 1. dixit) iam non ipsum, sed Christum in ipso uiuere, habere carnem cum suis uitijs crucifixam, & spiritui subiectam, qui non sapiat ea, quæ super terram sunt & huius mundi, ne iusticias quidem, aut sapientias, sed glorietur se ijs omnibus carere & non affici, in solo Christo fiducia salutis posita. Esse mundum crucifixum ei, est non Christum, sed mundum uiuere in hominibus, habere car-

Mundusque crucifixus

nem cum uitijs florentem & regnantem in peccatis, non sapere cum Apostolo, quæ sursum sunt, sed gloriari sese abundare in hoc seculo, obtinere diuitias, & ponere spem in homine. Itaq;, nec Paulus facit & sapit, quæ mundo placent, nec mundus facit & sapit, quæ Paulo placent, uterq; utrique mortuus, crucifixus, contemptus & abominatus.

In Christo enim Ihesu, neq; circumcisio aliquid ualet, neq; præputium, sed noua creatura.

HOc .c.5. satis est expositum, esse scilicet utrunq; licitum, sed neutrum necessarium ad salutem, ideoq; nihil ad rem, seu præputium, seu circumcisio, non magis quam diuitiæ & inopia. Noua creatura, id est nouus homo, qui (Ephe. 4.) secundum Deum creatus est, in iusticia & sanctitate ueritatis, iuxta psal. 15. Cor mundum crea in me Deus. Et obserua, Iusticia ueritatis ad spiritum pertinet, sanctitas ueritatis ad carnis mundiciam, ut iustus in spiritu per fidem, & mundus in carne per castitatem uiuat. Nam ueritatis dicit, contra iusticiam & sanctitatem speciei & simulationis, quæ ex lege sunt, nec faciunt nouum hominem, nec secundum Deum, sed secundum hominem uiuit & formatur, quicunq; huiusmodi. Sic Iacobi 1. Voluntarie enim genuit nos uerbo ueritatis, ut essemus initium aliquod creaturæ eius.

Noua creatura est Iusticia ueritatis.

Et quicunq; hanc Regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei.

SEcuti fuerint, idem uerbum, quod supra, ambulemus, Sicuti fuerint, id est, hac Regula incesserint, Qua regula? nempe, ut noua sint creatura in Christo, iusticia & sanctitate ueritatis fulgeant (quæ est ex fide) non iusticia & sanctitate (quæ est ex lege) simulatis, sese et alios fallant, super quos ira & tribulatio erit, super illos autem pax & misericordia requiescet. Addit super Israel Dei, discernens ab Israel secundum carnem, ut ad Corinthios appellat, qui sūt Israel, carnis, nō Dei. Igitur pax super gentes & iudæos, modo incesserint regula fidei & spiritus.

De cætero, nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata domini Ihesu in corpore meo porto.

GRæce de cætero nemo mihi labores exhibeat, quod D. Hierony. dupliciter intelligit. Primum, quod Paulus solicitus sit, ne rursum ei laborem præbeant, in Galatis denuo reformandis. Secundo, quod contentionem uoluit præuenire eorum, qui contradicere uoluerint, Q.d. ego dixi, quæ recta & uera sunt, si quis autem nolens acquiescere ueritati, quærat quid respondeat, magis contendere quam doceri paratus, sciat sese responsione indignum, sicut ad Corinthios scribit. Si quis autem uidetur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. Hic sensus mihi placet quod contentiosos relinquendos esse docet etiam B. Augustinus, qui & ipse in libris de ciuitate Dei, denunciat, sese nolle denuo respondere uanissimæ loquacitati. Ita & Apostolus abijcit contentionis studiosos ne frustra cū illis laboret, Quia

Contentiosi relinquendi.

uere

vere non fructum, sed labores tantum exhibent. Quid si & is sensus non abhorreat, nemo mihi rursus legem resuscitet, in quo sunt labores stulti operum, nec tamen nisi peccata. sicut Psal. 9. sub lingua eius labor & dolor. Quos Christus uocat ad se dicens. Venite ad me omnes, qui laboratis, Quos labores in Aegipto figurauerunt filij Israel: sed cedo. *Alia sententia.*

Stigmata, quod latine notas impressas significat, licet possit hic pro passionibus Pauli accipi, tamen quia libenter allegorijs & metaphoris militaribus utitur, omnino pro insignibus uitæ christianæ accipit, quæ sunt carnis crucifixiones & subiectiones, tum fructus spiritus, sicut enim serui dominorum suorum insignia & arma & colores gerunt, ita Paulus & Christianus quisque crucem concupiscentiarum & uitiorum in corpore suo portat. Non sane eo modo, quo nunc insignia Christi, in Clypeum collecta, illiniunt parieti, aut tabulis & libellis, sed in corpore, non alieno, sed meo proprio. Quid proderit, si etiam in auro & smaragdo, non tantum insignia, sed ipsos etiam clauos, immo ipsa uulnera, & sanguinem Christi portaris, & nunquam in corpore tuo imaginem uiuam expresseris Porro stigmata Mosi & Pontificum & Cæsarum, sunt circumcisio, & opera legum humanarum, quæ iam sola uisuntur, eaq; infinitis modis uariata ut uix tot insignium genera, imperator cum omnibus suis nobilibus habeat. *Stigmata.*

Gratia Domini nostri Ihesu Christi, cum Spiritu uestro fratres, Amen.

HIc enim mos est Epistolæ claudendæ apud Apostolos, ubi homines uale dicunt. Gratia (inquit) domini nostri, nō ira legis nō seruitus legis quæ per seruū Mosē data est, sed gratia & ueritas, quæ per Ihesum Christū facta est. In fine, certus sum, eos, quibus meum sapere mors est, etiam hanc saliuam meam uehementer abominaturos esse, quod & liberius omnia, & longe aliter quam ipsi sapiant, hanc Epistolam tractarim. Et ubi ego legum pontificiarum onera & scandala questus sum, ipsi me rebellem ecclesiæ, sibi fingent, ubi decretis prætuli Euangelium, damnata decreta fabulabuntur, ubi summi pontificis potestatem & dignitatem charitati & necessitati fraternæ subieci, blasphemum & bis septies hæreticum clamabunt. Quos rogo per communem Dominum Ihesum Christum, ut si omnino non possunt sibi temperare, quin me superbum, temerarium, arrogantem, irreuerentem, scandalosum, seditiosum, sangninarium, schismaticum, & quocunq; libitum hucusq; fuit nomine, honorent. Age fiat, & si non hæc beneuolentissime eis ignouero, non agnoscat me Dominus Ihesus in æternum. Quin si doctrinæ a me tractatæ puritas extra periculum esse possit, libens & gratus hæretici nominis opprobrium ferrem. Deniq; maledictum nomen Martini, Maledicta gloria Martini in æternum: ut solius patris nostri nomen sanctificetur, qui in cœlis, Amen. *Autoris de se precatio.* *Vide candide Lector si impatiētia Martinum notare possis uel debeas.*

Timeo enim superbissimus contemptor, ne ijs nominibus pessimis inflatus, plus de meo lucro gaudeam, quam de eorum malo doleam. Id saltem unicum mihi, imo sibi concedant, ut paululum seposita Martini odiosissima larua, Apostolum Paulum libere & solum considerent. Et hunc tum, cum Ecclesiæ, quæ hodie est miserrima, facie conferant, neque enim

tam crassicordes eos existimo, ut non senserint unquam, quid legum multitudo hodie fecerit. Nam quot indies iugulantur & pereunt animæ, propter vnam hanc traditionem, quæ citra ullum delectum omnibus sacerdotibus interdicit vxoribus? horror est intendere, tam in scandala, quam pericula huius unius legis. Similes huic sunt & aliæ multæ, peccati, mortis, inferni, duntaxat ministræ, ut interim taceam iacturam sinceræ pietatis, quæ sub harum tyrannide, paulatim expirauit.

Multæ leges peccati ministræ.

Si tantis lachrymis res digna censetur, propter unius imperatoris uoluntatē tot milium sanguinē fundi, Quid esse putas (oculos aperi) propter unius hominis, aut unius Ro. ecclesiæ uoluntatem, tot milia perire animarum in æternum? Deniq;, si uim charitatis expendimus, procliue fuerit intelligere fiduciam illam condendarum legum, esse potestatem, non in ædificationem, sed in destructionem totius ecclesiæ. Res publica quanto paucioribus legibus administratur, tanto fœlicior est. At ecclesiastica nostra, unica lege Charitatis instituta, ut esset una omnium fœlicissima, quanto furore omnipotentis Dei, pro una illa extincta, nubes, siluas, maria legum sustinet, ut etiam titulos earum uix sufficias ediscere. Denique, quasi hoc parum sit, nullo alio remedio peccati etiam num curant occurrere quam nouas leges multiplicando, peccata peccatis accumulando, &, ut Propheta ait, densum lutum contra se aggrauando.

Fiducia condendarum legum non ædificat, sed destruit ecclesiam.

Alius suo sensu abundet, Turcas nocentissimos omnium, leges has hominum intelligo, nec debuit hac plaga insustentabilis iræ Dei percuti, nisi populus ipse peculiaris Dei, ut cuius ingratitudo præ omnibus populis terræ grauissima, meruerit etiam pœnam, præ omnibus populis terræ longe atrocissimam. Neque enim est gens in orbe terrarum, cuius miseria possit in hac plaga nobiscum conferri. O Deus quam diu continebis in ira tua misericordias tuas?

Locus Esaiæ.64.

Sed cum Esaia gemebundo & plorabundo concludam. Adduxisti populum tuum domine, ut faceres tibi nomen gloriæ. Attende de cœlo, & uide de habitaculo sancto tuo, & solio gloriæ tuæ. Vbi est zelus tuus? fortitudo tua? multitudo uiscerum tuorum, & miserationum tuarum super me continuerunt se? Tu enim Pater noster es, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos. Tu Domine pater noster, & redemptor noster, a seculo nomen tuum, Quare errare fecisti nos de uijs tuis Domine, indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos, tribus hæreditatis tuæ, quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum, hostes nostri conculcauerunt sanctificationem tuam, facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri, neq; inuocaretur nomen tuum super nos.

Vtinam cœlos dirumperes & descenderes, a facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis, a facie tua gentes turbarentur. ECCE TV IRATVS ES ET PECCAVIMVS, IN IPSIS FVIMVS SEMPER, ET SALVABIMVR. Et facti sumus, ut immundi omnes nos & iusticiæ nostræ uniuersæ, quasi pannus menstruatæ. Et cecidimus quasi folium, & iniquitates nostræ, quasi uentus abstulerunt nos. Non est, qui inuocet nomen tuum, qui consurgat & teneat te. Abscondisti faciem tuam a nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ. Et nunc Domine pater

ne pater noster es tu, nos uero lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine satis, & ne ultra memineris iniqui tatis nostræ. Ecce respice, populus tuus omnes nos, ciuitas sancti tui facta est deserta, zion facta est deserta, Hierusalem desolata est, domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi te laudauerunt patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desyderabilia nostra uersa sunt in ruinas. Nunquid super ijs continebis te Domine? tacebis? & affliges nos uehementer? Hæc Esaias 63. & 64. Qua oratione Ecclesiæ hodiernæ faciem ita depinxit, ut aptius depingi non possit. Et utinam huius orationis affectum, Deus in cor nostrum infunderet, quo iram eius quamprimum mitigaremus.

FINIS.

GLORIA IN EXCELSIS DEO. IN TERRA PAX, HOMINIBVS BONA VOLVNTAS.

ANNVS CHRISTI M. D. XX.

EPISTOLA LVTHERI AD LEONEM X. RO. PONTIFICEM: LIBELLO DE LIBERTATE CHRISTIANA PRAEFIXA.

IHESVS.

LEONI X. ROMANO PONTIFICI MARTINVS LVTHERVS, SALVTEM IN Christo Ihesu Domino nostro. Amen.

INter monstra huius seculi, cum quibus mihi iam in tertium annum res & bellum est, cogor aliquando & ad te suspicere, tuique recordari, Leo Pater beatissime, imo cum tu solus mihi belli caussa passim habearis, non possum unquam tui non meminisse. Et quanquam impijs adulatoribus tuis in me sine causa sæuientibus, coactus fuerim a Sede tua ad futurum prouocare Concilium, nihil ueritus Pij & Iulij tuorum prædecessorum uanissimas constitutiones, idipsum stulta tyrannide prohibentium, Non tamen unquam interim animum meum a tua Beatitudine sic alienaui, ut non totis uiribus optima quæque tibi Sedique tuæ optarim, eademque sedulis, atque quantum in me fuit, gemebundis precibus apud Deum quæsierim. Atqui eos, qui me autoritatis & nominis tui maiestate hactenus terrere conati sunt, pene contemnere ac triumphare cœpi. Vnum superesse uideo, quod contemnere no possum, quæ causa fuit, ut denuo scriberem ad T. B. Hæc est, quod accusari me & magno uerti mihi uitio intelligo meam temeritatem, qua nec tuæ personæ pepercisse iudicor.

Pius.
Iulius. II.
Leo. XII.

Ego uero, ut rem aperte confitear, conscius mihi sum, ubicunque tuæ personæ meminisse oportuit, non nisi magnifica & optima de te, dixisse

dixisse. Si uero a me secus factum esset, ipsemet nullis modis probare possem & illorum de me iudicium omni calculo iuuarem, nihilq; libentius quam palinodiam huius temeritatis & impietatis meæ canerem. Appellaui te Danielem in Babylone, & innocentiam tuam insignem aduersus contaminatorem tuum Siluestrum, quam egregio studio tutatus sim, quiuis Lector intelligit abunde, Scilicet, celebratior & augustior est in omni terrarum orbe, tot tantorum uirorum literis cantata opinio & uitæ tuæ inculpata fama, quam ut a quouis uel maximi nominis possit quauis arte impeti. Non sum tam stultus, ut eum incessam, quem nullus non laudat, quin & mei studij fuit eritq; semper, nec eos incessere, quos publica fama fœdat. Nullius enim delector crimine, qui & ipse mihi satis conscius sum magnæ trabis meæ in oculo meo, nec primus esse queam, qui in adulteram lapidem mittat

Communiter quidem in impias doctrinas inuectus sum acriter, & aduersarios, non ob malos mores, sed ob impietatem, non segniter momordi. Cuius me adeo non pœnitet, ut animum induxerim contempto hominum iudicio in ea uehementia zeli perseuerare, Christi exemplo, qui genimina uiperarum, cœcos, hypocritas, filios diaboli, suos aduersarios pro zelo suo appellat. Et Paulus filium diaboli, plenum omni dolo & malitia Magum criminatur, canes, subdolos, Cauponatores quosdam traducit. Vbi si des molliculos istos auditores, nihil erit Paulo mordacius & immodestius. Quid mordatius Prophetis? Nostri sane seculi aures ita delicatas reddidit adulatorum uæsana multitudo, ut quam primum nostra non sentiamus probari, morderi nos clamemus, & cum ueritatem alio titulo repellere nequeamus, mordacitatis, impatientiæ, immodestiæ pretextu fugimus. Quid proderit sal, si non mordeat? Quid os gladij si non cædat? Maledictus uir, qui facit opus Domini fraudulenter.

Quare optime Leo, his me literis rogo expurgatum admittas, tibiq; persuadeas, me nihil unquam de persona tua mali cogitasse. Deinde me talem esse, qui tibi optima uelim contingere in æternum: neq; mihi cum ullo homine de moribus, sed de solo uerbo ueritatis esse contentionem. In omnibus alijs cedam cuiuis, Verbum deserere & negare nec possum nec uolo. Qui aliud de me sentit, aut aliter mea hausit, non recte sentit, nec uera hausit.

Sedem autem tuam, quæ Curia Romana dicitur, quam neq; tu, neq; ullus hominum potest negare, corruptiorem esse quauis Babylone & Sodoma, & quantū ego capio, prorsus deploratæ desperatæ atq; cōclamatæ impietatis, sane detestatus sū, indigneq; tuli sub tuo nomine & prætextu Romanæ Ecclesiæ, ludi Christi populū atq; ita re- Curia Romana.

„ ita restiti, resistamq́ dum spiritus fidei in me uixerit. Non quod ad „ impossibilia nitar, & sperem mea solius opera, tot repugnantibus „ furijs adulatorum, quidquam promoueri in ista Babylone confusissi„ma. Sed quod debitorem me agnoscam Fratrum meorum, quibus „ consuli a me oportet, ut uel pauciores, uel mitius a Romanis pesti„ bus perdantur. Neq́ enim aliud e Roma iam a multis annis in orbem „ inundat (quod non ignoras ipse) q̃ uastitas rerum, corporum, ani„ marum & omnium pessimarum rerum pessima exempla. Luce enim „ hæc omnibus clariora sunt & facta est e Romana Ecclesia, quondam „ omnium sanctissima, spelunca Latronum licentiosissima, lupanar „ omnium impudentissimum, regnum peccati, mortis & inferni, ut ad „ maliciam quod accedat, iam cogitare non possit, ne Antichristus „ quidem si uenerit.

E Romana Ecclesia facta spelunca latronum.

Interim tu Leo, sicut agnus in medio Luporum sedes, sicut Daniel in medio Leonum, & cum Ezechiele inter Scorpiones habitas. Quid his monstris unus opponas? adde tibi eruditissimos & optimos Cardinales aut quatuor. Quid hi inter tantos? ante ueneno omnibus pereundum uobis, quam de remedio statuere præsumeretis. Actum est de Romana Curia, peruenit in eam „ ira Dei usq́ in finem. Concilia odit, reformari metuit, furorem im„ pietatis suæ mitigare nequit, & implet matris suæ elogium, de qua „ dicitur: Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam. Officij quidem tui Cardinaliumq́ tuorum fuerat, his malis mederi, sed ridet medicam ista podagra manum, & nec currus audit ha„ benas. Hac affectione tactus dolui semper, optime Leo, his seculis te „ Pontificem factum, qui melioribus dignus eras. Non enim Roma„ na Curia meretur te tuiq́ similes, sed Satanam ipsum, qui & uere „ plus quam tu in Babylone ista regnat.

O utinam deposita ista, quam tibi gloriam esse iactant hostes „ tui perditissimi, priuato potius sacerdotiolo, aut hæreditate paterna „ uictitares, hac gloria gloriari non sunt digni, nisi Schariotides, filij „ perditionis. Quid enim facis in Curia, mi Leo, nisi quo quisq́ est sce„ leratior & execratior, eo fœlicius utatur tuo nomine & autoritate, ad „ perdendas hominum pecunias & animas, ad multiplicanda scelera „ ad opprimendam fidem & ueritatem, cum tota Ecclesia Dei. O reuera infœlicissime Leo, & periculosissimo sedens solio, ueritatem enim tibi dico, quia bona tibi uolo. Si enim Bernardus suo Eugenio compatitur, cũ adhuc meliore spe Romana sedes, licet tum quoq́ corruptissima imperaret, Quid nos non queramur, quibus in trecentis annis tantum accessit corruptionis & perditionis?

S. Bernardus ad Eugenium.

Nonne uerum est, sub uasto isto cœlo nihil esse Romana Curia corruptius

corruptius, pestilentius, odiosius? Incomparabiliter enim Turcarum uincit impietatem. Vt reuera quæ olim erat ianua cœli, nunc sit patens quoddam os inferni, & tale os, quod urgente ira Dei obstrui non potest, uno tantum relicto miseris consilio, si queamus aliquot a Romano (ut dixi) isto hiatu reuocare & seruare.

Ro: Curia uincit Turcarum impietatem.

Ecce mi Leo Pater, quo consilio, qua ratione in sedem istam pestilentiæ debacchatus sim, tantum enim abest, ut in tuam personam sæuirem, ut sperarem etiam gratiam initurum me, & pro tua salute staturum, si carcerem istum tuum, imo infernum tuum, strenue & acriter pulsarem. Tibi enim tuæq; saluti profuerit, & tecum multis alijs, quidquid in impiæ huius Curiæ confusionem moliri potest omnium ingeniorum impetus. Tuum officium faciunt, qui huic male faciunt, Christum glorificant, qui eam omnibus modis execrantur. Breuiter, Christiani sunt, qui Romani non sunt.

SED ut amplius loquar, nec hoc ipsum unquam super cor meum ascendit, ut in Romanam Curiam inueherer, aut quidquam de ea disputarem. Videns enim desperata omnia salutis remedia, contempsi & dato repudij libello dixi ad eam: Qui sordet, sordescat adhuc, & qui immūdus est, immūdus sit adhuc, tradens me placidis & quietis sacrarum literarum studijs, quibus prodessem Fratribus circū me agentibus.

Hic cum nonnihil proficerem: Aperuit oculos suos Satan & seruum suum Iohannem Eccium, insignem Christi aduersarium, extimulauit indomita gloriæ libidine, ut me traheret in harenam insperatam, captans me in uno uerbulo, de primatu Romanæ Ecclesiæ, mihi obiter elapso. Hic Traso ille gloriosus, spumans & frendens iactabat, pro gloria Dei, pro honore sanctæ sedis Apostolicæ omnia se ausurum, & de tua inflatus abutenda sibi potestate, nihil certius expectabat quam uictoriam non tam primatum Petri, quam suum principatū inter Theologos huis seculi, quærens, ad quem non paruū momentum habere ducebat, si Lutherum duceret in triumpho. Quod ubi Sophistæ infœliciter cessit, incredibilis furia hominem exagitat. Sentit enim sua culpa solius factum esse quidquid Romanæ infamiæ per me natum est.

Iohannes Eccius.

Atq; sine me, quæso, optime Leo, hic & meam aliquando causam agere, uerosq; tuos hostes accusare. Notum esse arbitror tibi, quid mecū egerit Cardinalis S. Sixti Legatus tuus imprudens & infœlix, imo infidelis. In cuius manu ob tui nominis reuerentiā cum me & omnia mea posuissem, non hoc egit, ut pacem statueret, q̄ uno uerbulo potuisset facile statuere, cum ego tum promitterem silentium & finē causæ meæ facturum, si aduersarijs idem mandaretur. At homo gloriæ

Caietanus Card: S. Sixti.

Ann. 1518.

„ gloriæ, non contentus eo pacto, cœpit aduersarios iustificare, li„centiam aperire & mihi palinodiam mandare, id quod in mandatis „prorsus non habuit. Hic sane, ubi causa in optimo loco erat, illius „importuna tyrannide uenit in multo peiorem, unde quidquid post „hæc secutum est, non Lutheri, sed Caietani tota culpa est, qui ut sile„rem & quiescerem non est passus, quod tum summis uiribus posce„bam, Quid enim facere amplius debui?

Carolus Miltitius. Secutus est Carolus Miltitius, & ipse B. T. nuncius, qui multo & uario negocio cursans & recursans, nihilq́ omittens, quod ad reparandum causæ statum, quem Caietanus temere & superbe turbauerat, pertineret, Vix tandem etiam auxilio illustrissimi Principis Friderici Electoris effecit, ut semel & iterum familiariter mecum lo„queretur. Vbi denuo tuo nomini cessi, paratus silere, acceptans etiã „iudicem uel Archiepiscopum Treuerensem, uel Episcopum Numbur„gensem, Atq́ ita factum & impetratum. Dum hac spe bona aguntur, Ecce alter & maior hostis tuus, irruit Eccius cum disputatione Lipsica, quam instituerat contra D. Carlstadium, & noua accepta de primatu Papæ quæstione, in me uertit insperatum arma, & penitus hoc consilium pacis dissipat. Expectat interim Carolus Miltitius, disputatur, Iudices eliguntur, nec hic aliquid decernitur. Nec mirum, quando Eccij mendacijs, simulationibus, technis omnia ubiq́ erant turbatissima, exulceratissima, confusissima, ut quocunq́ inclinasset sententia, maius esset exoriturum incendium, Gloriam enim, non ueritatem, querebat, Nihil etiam hic omisi quod a me fieri oporteret. *Anno 1519.* *Lipsica disputatio*

„ Et fateor, hac occasione non parum uenisse ad lucem Romana„rum corruptelarum, sed in qua, si quid peccatum est, Eccij culpa est, „ qui onus supra uires suscipiens, dum gloriam suam furiose captat, „ignominiam Romanam in totum orbem reuelat.

Eccius Adulator. Leo: X. Hic est ille hostis tuus, mi Leo, seu potius Curiæ tuæ, huius unius exemplo discere possumus, non esse hostem adulatore nocentiorem. Quid enim sua adulatione promouit, nisi malum, quod „ nullus Regum promouere potuisset? fœtet enim hodie nomen Ro„ manæ Curiæ in orbe, & languet papalis autoritas, famosa inscicia „male audit, quorum nullum audiremus, si Eccius Caroli & meum de „pace consilium non turbasset, id quod non obscure & ipse sentit, sero & frustra indignatus in Libellorum meorum editionem. Hoc debebat tum cogitare, cum totus in gloriam, sicut hinniens emissarius insaniret, neq́ alia quam sua in te, tuo tamen maximo periculo quæreret. Sperabat homo uanissimus me formidine nominis tui cessurum & taciturum (nam de ingenio & eruditione non credo quod præ-

sumpserit)

ſumpſerit) Nunc cum nimio me confidere & ſonare uideat, ſera pœnitentia temeritatis ſuæ, intelligit eſſe in cœlo, qui ſuperbis reſiſtat, & præſumentes humiliet, ſi tamen intelligit.

Nihil itaq; hac Diſputatione promouentibus nobis niſi maiorem confuſionem Romanæ cauſæ, iam tertio Carolus Miltitius patres ordinis capitulo congregatos adit, conſilium petit componendæ cauſæ, quæ iam diſturbatiſſima & periculoſiſſima eſſet. Mittuntur hinc ad me, cum uiribus in me (Deo propicio) non ſit ſpes graſſandi, aliquot celebriores ex illis, qui petunt, ut ſaltem T. B. perſonam honorem, & literis humilitatis excuſem innocentiam & tuam & meam, eſſe adhuc rem non in extremo deſperationis loco, ſi Leo X. pro ſua innata bonitate manum admoueret. Hic ego, qui ſemper pacem & obtuli & optaui, ut placidioribus et utilioribus ſtudijs inſeruirē, cum & in hoc ipſum tanto ſpiritu ſim tumultuatus, ut eos quos mihi longiſſime impares eſſe uidebam, magnitudine & impetu, tam uerborum quam animi compeſcerem, non modo libens ceſſi, ſed & cum gaudio & gratitudine acceptaui, ut gratiſſimum beneficium, ſi dignum fuerit ſpei noſtræ ſatisfacere. Carolus Miltitius

ITa uenio, Beatiſſime Pater, & adhuc proſtratus rogo ſi fieri poteſt, manum apponas, & adulatoribus iſtis, pacis hoſtibus, dum pacem ſimulant, frenum inijcias. Porro palinodiam ut canam, beatiſſime pater, nō eſt q; ullus præſumat, niſi malit adhuc maiore turbine cauſā inuoluere. Deinde leges interpretandi uerbi Dei non patior, cū oporteat uerbū Dei eſſe nō alligatū, quod libertatem docet omniū aliorum. His duobus ſaluis, nihil eſt quod non facere & pati poſſim, ac libentiſſime uelim, Contentiones odi, neminem prouocabo, ſed prouocari rurſus nolo, prouocatus autem, Chriſto magiſtro, elinguis non ero. Poterit enim T.B. breui & facili uerbo contentionibus iſtis ad ſe uocatis & extinctis ſilentium & pacem utrinq; mandare, id quod ſemper audire deſideraui.

Proinde, mi pater Leo, caue Syrenas iſtos audias, qui te non purum hominem, ſed mixtum Deum faciunt, ut quæuis mandare & exigere poſſis. Non fiet ita, nec præualebis. Seruus ſeruorum es, & præ omnibus hominibus miſerrimo & periculoſiſſimo loco. Non te fallant, qui te Dominum mundi fingunt, qui ſine tua autoritate nullum Chriſtianum eſſe ſinunt, qui te in Cœlum, Infernum, Purgatorium poſſe aliquid garriunt. Hoſtes hi tui ſunt & animam tuam ad perdendum quærunt, ſicut Iſaias dicit: Popule meus, qui te beatum prædicant, ipſi te decipiunt. Errant, qui te ſupra Concilium & uniuerſalem Eccleſiam eleuant. Errant, qui tibi ſoli Scripturæ interpretandæ ius tribuunt, ſuas enim hi omnes impietates ſub tuo nomine ſtatuere

" tuere in Ecclesia quærunt, Et proh dolor, multum per eos Satan pro-
" fecit in tuis Prædecessoribus.

Summa, nullis crede, qui te exaltant, sed qui te humiliant. Hoc enim est iudicium Dei: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humi-
"les. Vide q̃ dispar sit Christus suis Successoribus, cum tamen omnes uelint eius esse Vicarij, Et metuo, ne reuera plurimi eorum sint & ni-
mium serio Vicarij eius, Vicarius enim, absentis principis est. Quod
" si Pontifex absente Christo & non inhabitante in corde eius, præsit,
" quid aliud quam Vicarius Christi est? At quid tum illa Ecclesia nisi multitudo sine Christo est? Quid uero talis Vicarius nisi Antichri-
"stus & Idolum est? Quanto rectius Apostoli, qui se seruos Christi appellant præsentis, non Vicarios absentis.

Vicarius.

Impudens forte sum, tantum uerticem uisus docere, a quo doceri omnes oportet, & sicut iactant pestilentiæ tuæ, a quo iudicantium Throni accipiunt sententiam. Sed æmulor S. Bernardum in libello de Consid. ad Eugenium, omni Pontifici memoriter noscendo, Neq;
" enim docendi studio, sed puræ fidelisq; sollicitudinis officio hoc fa-
" cio, quæ cogit nos etiam omnia tuta uereri proximis nostris, nec pa-
" titur rationem dignitatis aut indignitatis haberi, solis periculis & cõmodis alienis intenta. Cum enim sciam T.B. uersari & fluctuari Ro-
" mæ, id est, medio mari infinitis periculis undiq; urgente, & ea te mise-
" riæ conditione laborantẽ, ut etiam cuiusq; minimi fratris minima ope
" indigeas, non uideor mihi absurdus, si interim maiestatis tuæ obliuis-
" car dũ officiũ charitatis impleuero, nolo adulari in re tam seria & pe-
" riculosa, in qua si amicus esse & plus quam subiectissimus tibi non
" intelligar, est qui intelligat & iudicet.

IN fine ne uacuus aduenerim B. P. mecum affero Tractatulũ hunc sub tuo nomine editum, uelut auspicio pacis componendæ, & bonæ spei, in quo gustare possis, quibusnam studijs ego malim & possim fructuosius occupari, si per impios adulatores tuos liceret, & hactenus licuisset. Parua res est, si corpus spectes, sed summa, ni fallor, uitæ Christianæ compendio congesta, si sententiam captes. Neq; habeo pauper aliud quo gratificer, nec tu alio eges, q̃ spirituali dono augeri. Quo & meipsum Paternati & B. tuæ commendo, q̃ Dominus Ihesus seruet in perpetuum, Amen.

Vuittembergæ, Anno M.D.XX. VI. Aprilis.

DE LIBERTATE CHRISTIANA.

FAcilis res multis est uisa, Christiana fides, quam & non pauci inter uirtutes ceu socias numerant, quod faciunt, quia nullo experimento eam probauerunt, nec quantæ sit uirtutis unquam gustauerunt, cum fieri non possit ut bene de ea scribat, aut recte scripta bene intelligat, qui non spiritum eiusdem, urgentibus tribulationibus, aliquando gustauerit. Qui autem uel paululum gustauit, non potest unquam satis de eadem scribere, dicere, cogitare, audire. Fons enim uiuus est saliens in uitam æternam ut Christus Iohan. 4. appellat.

Christiana fides.

Iohan. 4.

Ego autem quanquam de abudantia non glorier, sciamque quam sit mihi curta suppellex, spero tamen nonnullā guttam fidei, magnis & uarijs agitatum tentationibus me consecutum, possēque, si non elegantius, certe solidius de ea re dicere, quam literales illi & subtiles nimirum Disputatores hactenus disseruerunt, sua ipsorum non intelligentes. Quo autem faciliorem uiam rudibus (nam ijs solis seruio) aperiam, duo hæc Themata præmitto, de libertate & seruitute spiritus.

Christianus homo omnium Dominus est liberrimus, nulli subiectus. Christianus homo omnium Seruus est officiosissimus, omnibus subiectus.

Hæc quanquam pugnare uideantur, tamen ubi conuenire inuenta fuerint, pulchre facient ad institutum nostrum. Sunt enim ipsius Pauli utraque dicentis. 1. Corin. 9. Cum liber essem, omnium me seruum feci. Ro. 13. Nemini quidquam debeatis, nisi ut inuicem diligatis. Amor uero natura sua officiosus est, & obsequens ei quod amatur. Sic & Christus, quanquam omnium Dominus, factus tamen ex muliere, factus est sub lege, simul liber & seruus, simul in forma Dei & in forma serui.

1. Cor. 9.
Rom. 13.
Gal. 4.

Altiore & crassiore petamus ista principio. Homo enim duplici constat natura, spirituali & corporali. Iuxta spiritualem, quam dicunt animam, uocatur spiritualis, interior, nouus homo. Iuxta corporalem, quam carnem dicunt, uocatur carnalis, exterior, uetus homo. De quo Apostolus 2. Corin. 4. Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renouatur de die in diem. Hæc diuersitas facit, ut in Scripturis, pugnantia de eodem homine dicantur, cum & ipsi duo homines in eodem homine sibi pugnent, dum caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, Galat. 5.

Homo duplici natura constat.

2. Cor. 4.
Galat. 5.

PRrimum autem interiorem hominem apprehendimus, uisuri quanam ratione iustus, liber, uereque Christianus, hoc est, spiritualis, nouus, interior homo fiat. Et constat, nullam prorsus rerum externarum, quocunque censeantur nomine, aliquid habere momenti ad iusticiam aut libertatem Christianam, Sicut nec ad iniusticiam, aut seruitutem parandam. Quod iuductione facile persuadetur.

Interior homo.

Quid enim prodesse queat animæ, si corpus bene habeat, liberum & uiuax sit, edat, bibat, agatque ut libuerit, cum ijs rebus floreant etiam impijssimi

Externa nec prosunt nec obsunt animæ.

pijssimi omnium scelerum serui? Rursus, quid obfuerit animę mala ualetudo, aut captiuitas, aut fames, aut sitis, aut quoduis incommodum externum, cum ijs rebus uexentur, etiam pijssimi puraque conscientia liberrimi? Neutra harum rerum pertingit ad animæ siue libertatem siue seruitutem.

Ita nihil profuerit, si corpus sacris uestibus, more sacrorum ornetur, aut locis sacris uersetur, aut officijs sacris occupetur, aut oret, ieiunet, abstineat certis cibis, & faciat opus quodcunque per corpus & in corpore fieri potest. Longe alia re opus erit ad iusticiam & libertatem animæ, cum ea, quæ dicta sunt, geri possint a quouis impio, nec his studijs alij quam hypocritæ euadant. E diuerso, nihil oberit animæ, si corpus uestiatur prophanis, uersetur locis prophanis, edat, bibat communiter, non oret uoce, omittatque omnia, quæ per hyporitas superius dicta fieri poterunt.

Et ut omnia reijciamus, etiam speculationes, meditationes & quidquid per animæ studia geri potest, nihil prodest, Vna re, eaque sola opus est ad uitam, iusticiam, & libertatem Christianam, Ea est, sacrosanctum uerbum Dei, Euangelium Christi, sicut dicit Iohan 11. Ego sum resurrectio & uita, qui credit in me, non morietur in æterunm. Item. 8. Si Filius uos liberauerit, uere liberi eritis. Et Matth. 4. Non in solo pane uiuit homo, sed in omni uerbo, quod procedit ab ore Dei. *Math. 4.*

Sine uerbo Dei nõ contingit uita.

Certum ergo habeamus ac firmiter positum, Animam posse omnibus rebus carere, excepto uerbo Dei, sine quo nullis prorsus rebus est illi consultum. Habens autem uerbum, diues est, nullius egens, cum sit uerbum uitæ, ueritatis, lucis, pacis, iusticiæ, salutis, gaudij, libertatis, sapientiæ, uirtutis, gratiæ, gloriæ, & omnis boni inæstimabiliter. Hoc est quod Propheta octonario toto, & multis alijs locis tot gemitibus & uocibus suspirat & inuocat uerbum Dei. *Psal. 119.*

Habens uerbum habet omnia.

Rursus nec sæuior plaga iræ Dei, quam dum mittit famem auditus uerbi sui, ut in Amos dicit, Sicut nec maior est gratia, quam si emittat uerbum suum, ut Psal. 107. Misit uerbum suum & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum. Neque Christus ad aliud officium missus est, quam uerbi, Et Apostolicus, Episcopalis, uniuersusque ordo clericorum, non nisi in uerbi ministerium uocatus & institutus est. *Amos. 8.* *Psal. 107.*

Fames auditus uerbi Dei.

QVæres autem: Quodnam est uerbum hoc, aut qua arte utendum est eo, cum tam multa sint uerba Dei? Respndeo: Apostolus Paulus Ro. 1. id explicat, Scilicet, Euangelium Dei de Filio suo incarnato, passo, resuscitato & glorificato per spiritum sanctificatorem, Prædicasse enim Christum, hoc est, animam pauisse, iustificasse, liberasse & saluam fecisse, si crediderit prædicationi, Fides enim sola est salutaris, & efficax usus uerbi Dei, Ro. 10. Si confitearis ore tuo, Ihesum esse Dominum, & corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit a mortuis, saluus eris. Et iterum: Finis legis Christus, ad iusticiam omni credenti. Et Rom. 1. Iustus ex fide sua uiuet. Neque enim uerbum Dei operibus ullis, sed sola fide suscipi & coli potest. Ideo clarum est, ut solo uerbo anima opus habet ad uitam & iusticiam, ita sola fide & nullis operibus iustificatur. Si enim alio quopiam iustificari posset, uerbo non haberet opus, ac per hoc nec fide. *Rom. 1.* *Rom. 10.* *Rom. 1.*

Fide sola iustificamur sine operibus. Rom. 3.

Verum, hæc fides subsistere prorsus non potest cum operibus, hoc est, si per opera (quæcunque sunt) simul iustificari præsumas, Hoc enim esset in duas partes claudicare Baal adorare & manum osculari, quæ est iniquitas maxima, ut Iob ait. Ideo dum credere incipis, simul discis, omnia quæ in te sunt, esse prorsus culpabilia, peccata, damnanda, Iuxta illud Rom. 3. Omnes peccauerunt & egent gloria Dei. Item: Non est iustus, *Rom. 3.*

non est

non est qui faciat bonum, omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. Hoc enim cognito, scies Christum necessarium tibi, qui pro te passus & resuscitatus est, ut in eum credens alius homo hac fide fieres, donatis omnibus peccatis tuis, & iustificato te alienis meritis, nempe Christi solius.

Rom.10. Cum ergo haec Fides non nisi in homine interiore regnare possit, sicut dicit Rom.10. Corde creditur ad iusticiam, & sola ipsa iustificet, Manifestum est, hominem interiorem prorsus nullo externo opere uel negotio posse iustificari, liberum & saluum fieri, & opera quęcunque ad eum nihil pertinere. Sicut econtra, sola impietate & incredulitate cordis, reus fit & seruus peccati damnandus, nullo externo peccato uel opere. Quare cuislibet Christiani prima cura esse debet, ut posita operum opinione, solam fidem magis ac magis roboret, & per eandem crescat in cognitione, non operum, sed Christi Ihesu, pro se passi & resuscitati, ut Petrus 1. Pet. ult. docet, cum nullum aliud opus faciat Christianum. Sic Christus Ioh.6. cum Iudaei interrogarent, quid facerent, ut operarentur opera Dei: Operum multitudine, qua illos uidebat turgere, repulsa, unum eis praescribit, dicens: Hoc est opus opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille. Hunc enim Pater signauit Deus. *Homo interior nullo externo opere iustificatur.* *1. Pet.5.* *Iohan. 6.*

Mar.16. Hinc recta in Christo fides, incomparabilis thesaurus est, secum habens uniuersam salutem, & seruans ab omni malo, sicut Marc. ult. dicit: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: Qui non crediderit, condemnabitur. Quem thesaurum Isaias intutus praedixit. 10. Verbum abbreuiatũ & consummans faciet Dominus super terrã, Et consummata abbreuiatio inundabit iusticiam, Quasi dicat: Fides, quae est breuis & consummata plenitudo Legis, tanta iusticia credentes replebit, ut nulla alia re ad iusticiã opus habeant. Sic & Paulus Roma.10. Corde enim creditur ad iusticiã. *Fides in Christum.* *Isa.10.* *Rom.10.*

QVaeris autem, Quà ratione fiat, ut sola fides iustificet, & sine operibus tantorum bonorum thesaurum praebeat, cum tam multa opera, ceremoniae, leges, in scripturis nobis praescripta sint? Respondeo: Ante omnia memor esto eius, quod dictum est, solam fidem sine operibus iustificare, liberare & saluare, id quod clarius infra faciemus.

Interim signandum, uniuersam Scripturã Dei in duo partiri praecepta & promissa. Praecepta docent quidẽ bona, sed nõ statim fiunt, quae docta sunt. Ostendũt enim, quid facere nos oporteat, sed uirtutẽ faciendi non donant. In hoc autem sunt ordinata, ut hominem sibi ipsi ostendant, per quae suam impotentiam ad bonum cognoscat, & de suis uiribus desperet. Qua causa & uetus Testamentum uocantur & sunt. *Scriptura complectitur praecepta & promissa.*

Exempli causa, Non concupisces, praeceptum est, quo nos omnes esse peccatores conuincimur, cum nemo possit non concupiscere, quidquid contra molitus fuerit. Vt ergo non concupiscat & praeceptum impleat, cogitur de sese desperare, & alibi ac per alium quaerere auxilium, quod in se non inuenit, sicut in Hosea dicit: Perditio tua Israel, tantum in me auxilium tuum. Quod autem hoc uno praecepto agitur, idem omnibus agitur. Aeque enim sunt impossibilia nobis omnia. *Non concupisces.* *Hos.13.*

VBi uero per praecepta doctus fuerit, impotentiam suam, & iam anxius factus, quo studio Legi satisfaciat, cum Legi satisfieri oporteat, ut ne iota quidem aut apex praetereat, alioqui sine ulla spe damnabitur: Tum uere humiliatus & in nihilum redactus coram oculis suis, non inuenit in seipso, quo iustificetur & saluus fiat.

Hic altera Scripturae pars adest, promissa Dei, quae annunciant gloriam

riam Dei, & dicunt: Si uis Legem implere, non concupiscere, sicut Lex exigit, En tibi, crede in Christum, in quo promittuntur tibi gratia, iustitia, pax, libertas & omnia, Si credis, habebis, si non credis, carebis. Nam quod tibi impossibile est in uniuersis operibus Legis, quæ multa sunt & tamen inutilia, facili compendio implebis per fidem. Quia Deus Pater omnia in fide posuit, ut quisquis hanc habuerit, omnia habeat, qui non habuerit, nihil habeat. Conclusit enim omnia sub incredulitate, ut omnium misereatur, Rom. 11. Sic promissa Dei hoc donant, quod præcepta exigunt & implent quod Lex iubet. Vt sint omnia solius Dei, tam præcepta & plenitudo eorum, Ipse solus præcipit, solus quoq; implet. Ideo promissa Dei pertinent ad nouum Testamentum, imo sunt nouum Testamentum. *Rom. 11* *Gal. 3*

Cum autem hæc promissa Dei sint uerba sancta, uera, iusta, libera, pacata, & uniuersa bonitate plena, fit ut anima, quæ firma fide illis adhæret, sic eis uniatur, imo penitus absorbeatur, ut non modo participet, sed saturetur & inebrietur omni uirtute eorum. Si enim tactus Christi sanabat, quanto magis hic tenerrimus in spiritu, imo absorptio uerbi, omnia quæ uerbi sunt, animæ communicat? Hoc igitur modo anima per fidem solam, sine operibus, e uerbo Dei iustificatur, sanctificatur, uerificatur, pacificatur, liberatur, & omni bono repletur, uereq; filia Dei efficitur, sicut Ioh. 1. dicit: Dedit eis potestatem filios Dei fieri, ijs qui credunt in nomine eius.

Homo sola fide iustificatur. *Iohan. 1.*

Fidei encomium.

Ex ijs facile est intellectu, Vnde fides tantum possit, & cur nulla, nec omnia bona opera eam possint æquare. Quia nullum opus adhærere uerbo Dei, nec in anima esse potest. Sola autem fides & uerbum in ea regnant, quale est uerbum, talis ab eo fit anima, Ceu ferrum ignitum candet sicut ignis, propter unionem sui & ignis, Vt clarum sit, homini Christiano suam fidem sufficere pro omnibus, nec operibus ei opus fore, ut iustificetur. Quod si operibus non habet opus, nec Lege opus habet, Si Lege non habet opus, certe liber est a Lege, uerumq; est: Iusto non est Lex posita. Atq; hæc est Christiana illa libertas, fides nostra, quæ facit, non ut ociosi simus, aut male uiuamus, sed ne cuiquam opus sit Lege aut operibus ad iusticiam & salutẽ.

Christiana libertas *1. Tim. 1.*

HAEc prima fidei uirtus esto, Alteram quoq; uideamus. Fidei enim & hoc officium est, ut eum, cui credit, omnium pijssima & summa colat opinione, nempe, quod eum ueracem & dignum habeat, cui credendum sit. Neq; enim alius est honor similis ueritatis & iusticiæ opinioni, qua honoramus eum, cui credimus. Quid possumus tribuere ulli maius, quam ueritatem & iusticiam & absolutam prorsus bonitatem? E diuerso summa contumelia est, opinione mendacij & iniquitatis quenquam celebrare, aut suspectum habere, quod facimus, dum non credimus ei.

Fides tribuit Deo gloriam.

Sic anima dum firmiter credit promittenti Deo, ueracem & iustum eum habet; qua opinione, nihil potest Deo præstantius tribuere. Hic summus cultus Dei est, dedisse ei ueritatem, iusticiam & quidquid tribui debet ei, cui creditur. Hic paratum sese præbet in omnes uoluntates eius, hic sanctificat nomen eius, & secũ agi patitur, sicut placitum fuerit Deo. Quia promissis eius inhærens, non dubitat eum uerum, iustum, sapientem, omnia optime facturum, dispositurum, curaturum. At nonne talis anima, hac fide sua, per omnia obedientissima Deo est? Quod ergo præceptũ est reliquum, quod talis obedientia non abunde impleuerit? Quę plenitudo plenior, quam omnimoda obedientia? At hanc non opera, sed sola fides præstat.

Summus Dei cultus

Obedientia perfecta.

Contra

Contra, quæ rebellio? quæ impietas? quæ contumelia Dei maior, quam non credere promittenti? Quid enim aliud est, quam Deum aut mendacem facere, aut dubitare ueracem esse? hoc est, sibi ueritatem tribuere, Deo autem mendacium & uanitatem. In qua re, nonne Deum negat, & seipsum sibi Idolum in corde erigit? Quid ergo prosunt opera in hac impietate facta, etiam si angelica & apostolica forent? Recte ergo Deus, non in ira aut libidine, sed in incredulitate omnia cõclusit, ne qui castis & mansuetis operibus Legis fingunt se implere Legem (ut sunt politicæ & humanæ uirtutes) saluos se futuros præsumant, cum in peccato incredulitatis comprehensi, aut misericordiam quærant, aut per iusticiam damnentur. *Non credere Deo promittenti.*

Vbi autem Deus uidet, ueritatem sibi tribui & fide cordis nostri se honorari tanto honore, quo ipse dignus est. Rursus & ipse nos honorat, tribuens & nobis ueritatem & iusticiam, propter hanc fidem. Fides enim facit ueritatem & iusticiam, reddens Deo suum, ideo rursus reddit Deus iusticiæ nostræ gloriam. Verum est enim & iustum, Deum esse ueracem & iustum, & hoc ei tribuere & confiteri, hoc est, esse ueracem & iustum. Sic 1. Sam. 2. Quicunque honorificat me, glorificabo eum, Qui uero contemnunt me, erunt ignobiles. Sic Paulus Rom. 4. Abrahæ dicit suam fidem esse reputatam in iusticiam, quia per eam dedit plenissime gloriam Deo & nobis eadem causa reputandam ad iusticiam, si crediderimus. *Deus credentes uerbo suo honorat.*

TErtia fidei gratia incomparabilis est hæc, Quod animam copulat cum Christo, sicut sponsam cum sponso, Quo Sacramento (ut Apostolus docet) Christus & anima efficiuntur una caro. Quod si una caro sunt, uerum inter eos matrimonium, imo omnium longe perfectissimum consummatur (cum humana matrimonia huius unici figuræ sint tenues) Sequitur & omnia eorum communia fieri, tam bona quam mala, ut quæcunque Christus habet, de ijs tanquam suis præsumere & gloriari possit fidelis anima, Et quæcunque animæ sunt, ea sibi arroget Christus tanquam sua. *Fides unit animam cum Christo.*

Conferamus ista, & uidebimus inæstimabilia, Christus plenus est gratia, uita & salute, Anima plena est peccatis, morte & damnatione. Intercedat iam fides, & fiet, ut Christi sint peccata, mors & infernus, Animę uero gratia, uita & salus. Oportet enim eum, si sponsus est, ea simul, quæ sponsa habet, acceptare, & ea quæ sua sunt, sponsæ impartire. Qui enim corpus suum & seipsum illi donat, quomodo non omnia sua donat? Et qui corpus sponsæ accipit? Quomodo non omnia quæ sponsæ sunt accipit? *Credens in Christũ habet cum eo omnia communia etc.*

Hic iam dulcissimum spectaculum prodit, non solum communionis, sed salutaris belli & uictorię & salutis & redemptionis. Cum enim Christus sit Deus & homo, eaque persona, quæ nec peccauit nec moritur, nec damnatur, sed nec peccare, mori, damnari potest, Eiusque iusticia, uita, salus, insuperabilis, æterna, omnipotens est. Cum, inquam, talis persona, peccata, mortem, infernum sponsæ propter annulum fidei, sibi communia, imo propria facit, & in ijs non aliter se habet, quam si sua essent, ipseque peccasset, laborans, moriens, & ad infernum descendens, ut omnia superaret, peccatumque mors & infernus, eum absorbere non possent, necessario in ipso absorpta sunt stupendo duello. Nam iusticia sua omnium peccatis superior, uita sua omni morte potentior, salus sua omni inferno inuictior.

Ita fit anima fidelis, per arram fidei suæ in Christo sponso suo, omnibus peccatis libera, a morte secura, & ab inferno tuta, donata æterna

iusticia, uita, salute sponsi sui Christi. Sic exhibet sibi sponsam sine macula & ruga, gloriosam, mundans eam lauacro in uerbo uitæ, id est, per fidem uerbi, uitæ, iusticiæ, & salutis. Sic sponsat eam sibi in fide, in misericordia & miserationibus, in iusticia, & iudicio, ut Hos. 2. dicit

Quis ergo has nuptias regales satis æstimet? Quis duitias gloriæ gratiæ huius comprehendat? Vbi diues & pius hic sponsus Christus, ducit uxorem hanc pauperculam, impiam meretriculam, redimens eam ab omnibus illius malis, & ornans omnibus suis bonis. Iam enim impossibile est, ut peccata sua eam perdant, cum super Christum posita sint, & in ipso absorpta, habeatque ipsa eam iusticiam in Christo sponso suo, de qua ut sua propria præsumat, & aduersus omnia peccata sua contra mortem & infernum, possit cum fiducia illam opponere & dicere: Si ego peccaui, At Christus meus non peccauit, in quem credo, cuius omnia mea sunt, & omnia mea illius, sicut in Canticis: Dilectus meus mihi, & ego illi, Hoc est, quod Paulus dicit. 1. Corin. 15. Deo gratias, qui dedit nobis uictoriam per Ihesum Christum Dominum nostrum. Victoriam autem peccati & mortis, sicut illic inducit, Peccatum stimulus mortis est, uirtus uero peccati Lex.

Diuitiæ, quibus Christus ornat credentes &c.

EX ijs iterum intelligis, qua causa tantum tribuatur fidei, ut sola impleat Legem, & sine ullis operibus iustificet. Vides enim primum præceptum quo dicitur: Vnum Deum coles, sola fide impleri. Si enim etiam ipse aliud non esses a planta pedis ad uerticem, quam bona opera, non tamen iustus esses, nec Deum coleres, nec primum præceptum impleres, cum Deus coli nõ possit, nisi tribuatur ei ueritas & uniuersæ bonitatis gloria, sicut uere tribuenda est. Hoc autem opera non faciunt, sed sola fides cordis. Non enim operando, sed credendo Deum glorificamus & ueracem confitemur. Hoc nomine fides sola est iusticia Christiani hominis, & omnium præceptorum plenitudo. Qui enim primum implet, cætera omnia facili opera implet.

Verus Dei cultus.

Fides tribuit Deo gloriam, non opera

Opera uero, cum sint res insensatæ, non possunt Deum glorificare, quamuis ad gloriam Dei (si fides adsit) fieri possint. Verum nos hoc temporis quærimus, non ea quæ fiunt, qualia sunt opera, sed eum qui facit, qui glorificat & opera producit. Hæc est fides cordis, caput & substantia totius iusticiæ nostræ. Vnde cæca & periculosa doctrina est, quæ per opera impleri præcepta docet, cum ante omnia opera oporteat præcepta esse impleta, & plenitudinem sequantur opera, sicut audiemus.

VT autem hanc gratiam, quam in Christo habet, interior ille homo noster, latius uideamus, sciendum, quod Deus in ueteri Testamento sibi sanctificabat omne primogenitum masculinum. Eratque primogenitura magni precij, duplici honore præ cæteris pollens, sacerdotio & regno. Erat enim frater primogenitus, sacerdos & dominus omnium aliorum.

Primogenituræ prærogatiua.

Qua figura Christus premonstratus est, uere & unice, primogenitus Dei Patris & uirginis Mariæ, uereque rex & sacerdos, non secundum carnem & terram. Regnum enim eius non est de hoc mundo: In cœlestibus & spiritualibus ipse regnat & consecrat, quæ sunt, iusticia, ueritas, sapientia, pax, salus &c. Non quod non omnia etiam terrena & inferna subiecta sint ei (alioqui quomodo posset nos ab illis tueri & saluare?) sed quod non in ijs, nec ex ijs regnum eius constet.

Regnum Christi.

Ita nec sacerdotium eius consistit in uestium gestuumque pompa externa, quale fuit humanum illud Aaronis, & nostrum hodie ecclesiasticum

Sacerdotium Christi.

cum sacerdotium, sed in spiritualibus, per quæ in cœlis inuisibili officio pro nobis interpellat apud Deum, ibiq; seipsum offert & omnia facit, quæ sacerdotem facere oportet. Sicut eum describit Paulus ad Ebræos ex figura

Ebre 7. Melchizedek. Nec solum pro nobis orat, & nterpellat, sed & intus in spiritu nos docet, uiuis doctrinis spiritus sui. Quæ duo sunt propriè officia sacerdotis, quod in carnalibus sacerdotibus figuratur, precibus & concionibus uisibilibus. *Sacerdotum officia*

Quemadmodum autem Christus primogenitura sua has duas dignitates obtinuit, Ita impartit & communes easdem facit cuilibet suo fideli, matrimonij prędicti iure, quo sponsæ sunt, quæcunq; sponsi sunt. Hinc omnes in Christo sumus sacerdotes, & Reges quicunq; in Christũ credimus,

1.Pet. 2. Sicut 1. Pet. 2. dicit: Vos genus electum, populus acquisitionis, sacerdotium regale & regnum sacerdotale, ut uirtutes narretis eius, qui uocauit uos de tenebris in admirabile lumen suum. *Christiani reges.*

Quæ duo sic se habent, Primum quod ad regnum pertinet, quilibet Christianus, per fidem sic magnificatur super omnia, ut spirituali potentia prorsus omnium Dominus sit, ita ut nulla omnino rerum possit ei quidq; nocere, imo omnia ei subiecta coguntur seruire, ad salutem. Sic Paulus Ro.

Rom. 8. 8. dicit. Omnia cooperantur in bonum electis. Item 1. Cor. 3. Omnia uestra,

1. Cor. 3. siue mors, siue uita, siue instantia, siue futura, uos autem Christi.

Non quod corporali potentia quisquam Christianorum super omnia constitutus sit possidenda & tractanda, quo furore passim Ecclesiastici quidam insaniunt, Hoc enim regum, principum & hominum est in terra, Quando ipso uitæ usu uidemus, nos omnibus subijci, multa pati, atq; adeo mori imo quo Christianior quisquam est, hoc pluribus subiectus est malis, passionibus & mortibus, ut in ipso Principe primogenito Christo & omnibus Fratribus suis sanctis, uidemus. *Pii afflictionibus subiecti.*

Potentia hæc spiritualis est, quæ dominatur in medio inimicorum, & potens est in medijs pressuris. Quod est aliud nihil, quam quod uirtus in infirmitate perficitur, & in omnibus possum lucrum facere salutis, adeo, ut

1.Cor. 12. crux & mors cogantur mihi seruire & cooperari ad salutem. Hæc est enim ardua & insignis dignitas, ueraque & omnipotens potestas, spirituale imperium, in quo nulla res tam bona, nulla tam mala, quæ non in bonum mihi cooperetur, si modo credidero, Nulla tamen mihi opus est (cum sola fides sufficiat ad salutem) nisi quod fides in ea uirtutem & imperium libertatis suæ exerceat. Ecce hæc est Christianorum inestimabilis potentia & & libertas. *Piorum dignitas, potentia & libertas.*

Nec solum reges omnium liberrimi, sed sacerdotes quoq; sumus in æternum, quod longe regno excellentius. Per sacerdotium enim digni sumus coram Deo apparere, pro alijs orare, & nos inuicem ea quæ Dei sunt, docere. Hæc enim sacerdotum officia sunt, quæ prorsus nulli incredulo concedi possunt. Ista Christus nobis obtinuit, si in eum credimus, ut sicut confratres, cohæredes & conreges, ita & consacerdotes ei simus, audentes cum fiducia, per spiritum fidei, coram Deo prodire, & clamare: Abba pater, & alter pro altero orare & omnia facere, quæ uidemus, uisibili & corporali officio sacerdotum geri & figurari. Qui uero non crediderit, huic nihil seruit aut in bonum cooperatur, sed omnium ipse seruus est, & omnia ei cedunt in malum. Quia omnibus impie utitur in sua commoda, non in Dei gloriam. Ita nec sacerdos est, sed prophanus, cuius oratio fit in peccatum, nec coram Deo unquam apparet, Quia Deus peccatores non exaudit. *Christiani sacerdotes.* *Sacerdotum officia*

Quis

Quis ergo comprehendere potest altitudinem dignitatis Christianæ, quæ per regalem suam potentiam omnium dominatur, mortis, uitæ, peccati &c. per sacerdotalem uero gloriam apud Deum omnia potest, quia Deus facit, quæ ipse petit & optat, sicut scriptum est: Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet illos? Ad hanc gloriam certe nullis operibus, sed sola fide peruenit. *Psal. 145.*

Libertas credentiũ

Ex ijs clare uidere potest quilibet, quomodo Christianus homo liber est, ab omnibus & super omnia, ita ut nullis operibus ad hoc indigeat, ut iustus & saluus sit, sed sola fides hæc omnia largitur abunde. Quod si sic desiperet, ut per ullum opus bonum præsumeret, iustus, liber, saluus, Christianus fieri, statim amitteret fidem cum omnibus bonis. Quæ stultitia pulchre figurata est in fabula illa, Vbi canis in aqua currens, & carnem ueram in ore gestans, deceptus umbra carnis in aqua parentis, dum eandem aperto rictu petit, ueram carnem simul cum imagine perdit.

Canis Aesopicus.

HIc quæres: Si omnes, qui in Ecclesia sunt, sacerdotes sunt, quo nõmine discernuntur ij, quos nunc sacerdotes dicimus a Laicis? Respondeo: Vocabulis istis, sacerdos, clericus, spiritualis, ecclesiasticus, iniuria facta est, dum a reliquis Christianis omnibus trãslata sunt ad paucos istos, qui nunc usu noxio Ecclesiastici dicuntur. Scriptura enim sancta nihil discernit inter eos, nisi quod ministros seruos, œconomos appellat, qui nunc Papæ, Episcopi, Dominiq; iactantur, qui cæteris seruiant, ministerio uerbi, ad docendam fidem Christi & libertatem fidelium. Nam & si uerum est, nos omnes æqualiter sacerdotes esse, non tamen possumus, nec, si possemus, debemus omnes publice seruire & docere, Sic Paulus 1. Corin. 4. Sic nos existimet homo, sicut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. *1. Cor. 4.*

Sacerdos, Clericus &c.

At dispensatio ista nunc in tantam pompam potestatis & terrificam quandam tyrannidem euasit, ut nec gentium, nec ulla mundi imperia queant ei conferri, Quasi Laici, aliud quiddam quam Christiani sint. Qua peruersitate factum est, ut penitus interciderit scientia Christianæ gratiæ, fidei, libertatis & totius Christi, Succedente in locum eius humanorum operum & legum intolerabili captiuitate, factiq; sumus iuxta lamentationes Ieremiæ serui hominum uilissimorum, qui in terra sunt, qui nostra miseriã abutuntur in omnes turpitudines & ignominias uoluntatis suæ.

Ministeriũ Ecclesiasticorum quo peruaserit.

REdeundo ad id quod cœpimus, puto per hæc clarum fieri, Non esse satis nec Christianum, si Christi opera, uitam & uerba prædicemus historico more, ceu res quasdam gestas, quas nosse satis sit ad uitæ formandę exemplum, quomodo ij, qui nunc optimi sunt, prædicant: Multominus, si penitus taceatur & leges hominum decretaq; Patrum uice eius doceantur. Iam sunt non pauci, qui eo studio Christum prædicant & legunt, ut affectus humanos moueant ad condolendum Christo, ad indignandum Iudæis & id genus alia puerilia & muliebria delyramenta.

Oportet autem ut eo fine prædicetur, quo fides in eum promoueatur, ut non tantum sit Christus, sed tibi & mihi sit Christus, & id in nobis operetur, quod de eo dicitur, & quod ipse uocatur. Hæc autem fides nascitur & seruatur ex hoc, si prædicetur, quare Christus uenerit, quid attulerit & dederit, quo usu & fructu acceptandus sit. Hoc fit, ubi recte docetur Christianã libertas, quam ex ipso habemus, & qua ratione omnes Christiani, reges & sacerdotes simus, in quo omnium Domini sumus, & quidquid egerimus coram Deo placitum & acceptum esse confidimus, sicut hactenus dixi.

Christus quo modo prædicandus.

Cuius

Cuius enim cor hæc audiens, non totis medullis gaudeat & tanto solatio accepto non dulcescat in amorem Christi? ad quem amorem, nullis unquam legibus aut operibus peruenire potest. Quis est, qui tali cordi nocere possit, aut ipsum pauefaciat? Si irruat conscientia peccati, aut horror mortis, paratum est sperare in Domino, nec timet ab auditione ista mala, nec commouetur, donec despiciat inimicos suos. Credit enim iusticiam Christi suam esse, & peccatum suum iam non suum, sed Christi esse, At a facie iusticiæ Christi omne peccatum absorbeatur, necesse est, propter fidem Christi, sicut superius dictum est, discitq; cum Apostolo, morti & peccato insultare & dicere: Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors stimumulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est, uirtus uero peccati Lex. Deo autem gratia qui dedit nobis uictoriam per Ihesum Christum Dominum nostrum. Absorpta enim est mors in uictoria, non tantum Christi, sed & nostra, quia per fidem nostram fit & in ipsa & nos uincimus. *Fructus uerbi in pus.*

Hæc dicta sint de interiore homine, de eius libertate & de principe iusticia fidei, quæ nec legibus nec operibus bonis indiget, quin noxia ei sunt, si quis per ea præsumat iustificari.

NVnc ad alteram partem reuertamur ad externum hominem. Hic enim respondebitur illis omnibus, qui uerbo fidei & ijs, quæ dicta sunt, offensi, dicunt, Si fides omnia facit, & sola ad iusticiam satis est, Cur ergo præcepta sunt bona opera? Ociabimur ergo & nihil operabimur, fide contenti? Respondeo: Non sic impij non sic. Vere quidem sic haberet res ista, si penitus & perfecte interni & spirituales essemus, quod non fiet, nisi in nouissimo die resurrectionis mortuorum, Donec in carne uiuimus, non nisi incipimus & proficimus, quod in futura uita perficietur, Propter quod apostolus Rom. 8. appellat primitias spiritus, quod in hac uita habemus, accepturi scilicet decimas & plenitudinem spiritus in futuro. Ad hanc partem pertinet, quod supra positum est, Christianum esse omnium seruum & omnibus subiectum. Qua enim parte liber est nihil operatur, qua autem seruus est, omnia operatur, quod qua ratione fiat, uideamus. *Quæstio.*

Quanquam homo, ut dixi, intus secundũ spiritum per fidem abunde satis iustificetur, habens quidquid habere debet, nisi quod hanc ipsam fidem & opulentiam oportet de die in diem augescere, usq; in futuram uitam, Tamen manet in hac uita mortali super terram, in qua necesse est, ut corpus suum proprium regat, & cum hominibus conuersetur. Hic iam incipiunt opera, hic non est ociandum, hic certe curandum, ut corpus ieiunijs, uigilijs, laboribus alijsq; disciplinis moderatis exerceatur, & spiritui subdatur, ut homini interiori & fidei obediat & conformis sit, nec ei rebellet aut ipsum impediat, sicut est ingenium eius, si cohercitus non fuerit Interior enim homo conformis Deo, & ad imaginẽ Dei creatus per fidem & gaudet & iucundatur propter Christum, in quo tanta sibi collata sunt bona, unde & hoc solum negocij sibi habet, ut cum gaudio & gratis Deo seruiat in libera charitate. *Opera.*

Hoc dum agit, ecce in carne propria offendit uoluntatem contrariam, quæ mundo seruire & quærere quæ sua sunt, nititur, Id quod spiritus fidei ferre non potest neq; uolet, & aggreditur hilari studio ad opprimendam & cohercendam eam, Sicut Paulus dicit Rom. 7. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meę & captiuantem me in legem *Lucta Spiritus cũ carne in Sanctis.*

peccati

peccati. Et alibi, castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte alijs prædicans ipse reprobus efficiar. Et Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum concupiscentijs suis. *Gal. 5.*

Quo fine opera facienda.

VErum ea opera oportet non ea fieri opinione, quo per ipsa coram Deo iustificetur quisquam, hanc enim falsam opinionem fides non feret, quæ sola est iusticia coram Deo, sed solum ea opinione, ut corpus in seruitutẽ redigatur, & purificetur a concupiscentijs suis malis, ita ut oculum non nisi uertat ad concupiscentias expurgandas. Cum enim anima per fidem purgata sit & amans Dei facta, uellet omnia pariter purgari præcipue corpus proprium, ut omnia secum amarent & laudarent Deum. Ita fit, ut homo exigente corporis sui causa ociari non possit, cogaturq; ob id, multa bona operari, ut in seruitutem redigat. Hęc tamen opera ipsa non id sunt, quo iustificetur coram Deo, sed gratuito amore ea faciat in obsequium Dei nihil aliud intutus q̃ diuinum beneplacitum, cui per omnia uellet obsequi officiosissime.

Corpus castigandũ, non occidendum.

Hac ratione quisq; seipsum erudire facile potest, qua mensura aut discretione (ut dicunt) corpus suum castigare debeat, tantum enim ieiunabit, uigilabit, laborabit, quantum satis esse uiderit, ad corporis lasciuiam & concupiscentiam premendam. Qui uero præsumunt operibus iustificari, obseruant non mortificationem concupiscentiarum, sed ipsa tantum opera, arbitrantes, si modo quam plurima & maxima fecerint, sese bene habere & iustos factos esse, aliquando & cerebrum lędentes, & naturam extinguentes, aut saltem inutilem reddentes. Quæ est ingens insipientia & ignorantia Christianæ uitæ & fidei, uelle sine fide per opera iustificari & saluari.

Opera primorũ parentum ante lapsum etc.

VT autem ea quæ diximus facilius capiantur, similitudinibus ea monstremus. Debent opera hominis Christiani per fidem suam ex mera gratuitaq; misericordia Dei iustificati & saluati, non alio loco haberi, q̃ opera fuissent Adę & Heuæ in paradiso, & omnium filiorum, si non peccassent, de quib. Gene. 2. Sic dicitur: Posuit Deus hominem, quem formauerat in paradisũ, ut operetur & custodiret illũ. At Adam erat iustus & rectus a Deo creatus, sineq; peccato, ita ut per suam operationem & custodiam, non opus habuisset iustificari & rectus fieri. Sed ne ociosus iret, dedit ei Dominus negocium, ut paradisũ coleret & seruaret. Quæ fuissent opera uere liberrima, nullius gratia facta, nisi beneplaciti diuini, non ad iusticiam obtinendam, quam iam habebat plene, quæ & congenita fuisset nobis omnibus. *Gen. 2*

Opera renati hominis.

Ita & credentis hominis opera, qui per fidem suam denuo repositus est in paradisum, & de nouo recreatus, non eget operibus ut iustus fiat aut sit, sed ne ociosus sit, & corpus suum operetur & seruet, sunt ei opera eiusmodi libertatis, solum intuitu diuini beneplaciti facienda, nisi quod nondum plene recreati sumus perfecta fide & charitate, quas augeri oportet, non tamen per opera, sed per seipsas.

Aliud, Episcopus sacer templum consecrans, pueros confirmans, aut aliud quippiam officij sui faciens, non consecratur ijs ipsis operibus in Episcopum, imo nisi ante esset consecratus Episcopus, nullum istorum operum quidquam ualerent, essentq; stulta & puerilia & ludicra. Ita Christianus per fidem suam consecratus bona facit opera, sed non per hæc magis sacer aut Christianus . efficiturHoc enim solius fidei est, imo nisi ante crederet & Christianus esset, nihil prorsus ualerent omnia sua opera, essentq; uere impia & damnabilia peccata.

Vera

VEra itaq; sunt hæc duo uerba: Bona opera non faciunt bonum uirum, sed bonus uir facit bona opera. Mala opera non faciunt malum uirum, sed malus uir facit mala opera. Ita ut semper oporteat ipsam substantiā seu personam esse bonam ante omnia opera bona, & opera bona sequi & prouenire ex bona persona. Sicut & Christus dicit: Mala arbor non facit bonos fructus, Bona arbor non facit malos fructus. Clarum autem, est, quod fructus non ferunt arborem, nec arbor crescit in fructibus, Sed e diuerso, Arbores ferunt fructus, fructus crescunt in arboribus.

Bona opera non faciunt bonum uirum &c.

Arbor fert fructus, & nō econtra

Vt ergo necesse est, arbores esse priores fructibus suis, & fructus non faciunt arbores, neq; bonas neq; malas, sed econtra, arbores tales faciunt tales fructus. Ita necesse est primum personam ipsam hominis esse bonam uel malam, antequam faciat bonum uel malum opus, & opera sua non faciunt eum malum aut bonum, sed ipse facit opera sua aut mala aut bona.

Similia uideri licet in omnibus artificijs. Mala domus uel bona non facit malum aut bonum fabrum, sed bonus aut malus faber facit malam aut bonam domum. Et in uniuersum, nullum opus facit artificem talem, quale est ipsum, sed artifex facit opus tale, qualis est ipse. Ita res se habet in operibus hominum, qualis est ipse, siue in fide, siue in infidelitate, tale est opus eius, bonum si in fide, malum si id infidelitate factum fuerit. Non autem id conuertitur, ut quale sit opus, talis fiat & homo in fide uel in infidelitate. Opera enim ut non faciunt fidelem, ita nec iustum. At fides ut facit fidelem & iustum, ita & bona opera.

Opus non facit artificem.

Cum ergo opera neminem iustificent, & hominem oporteat esse iustum, antequam operetur bonum, manifestissimum est, solam fidem esse, quæ ex mera Dei misericordia per Christum in uerbo eius personam digne & sufficienter iustificet & saluet, & nullo opere, nulla lege Christiano homini opus esse ad salutem, cum per fidem liber sit ab omni lege, & ex mera libertate omnia gratuito faciat quæcunq; facit, nihil quærens aut commodi aut salutis (cum iam satur & saluus sit gratia Dei ex fide sua) sed solum beneplacitum Dei.

Fides.

Sic & infideli nullum opus bonum prodest ad iusticiam & salutem, e diuerso, nullum malum opus facit eum malum aut damnatum, sed incredulitas, quæ personam & arborem malam facit, mala & damnata facit opera. Vnde, dum bonus aut malus quisq; efficitur, non hoc ab operibus, sed a fide uel incredulitate orditur, sicut Syrach 10. dicit: Initium peccati apostatare a Deo, id est, non credere. Et Paulus Ebre. 11. Oportet accedentem credere, Et Christus idem dicens: Aut facite arborem bonam & fructus eius bonos, aut facite arborem malam & fructus eius malos, ac si dicat: Qui uolet fructus bonos habere, ab arbore incipiet, & hanc bonam plantabit, Ita qui uult bona operari, non ab operando, sed a credendo incipiat, quod personam bonam facit. Non enim personam bonam facit, nisi fides, nec malam nisi incredulitas.

Infideli non prosunt sua bona opera.

Hoc sane uerum est, operibus fieri hominem bonum aut malum coram hominibus, hoc autem fieri, est idem quod ostendi & cognosci, quis sit bonus aut malus, ut Christus Matth. 7. dicit: Ex fructibus eorum cognoscetis eos. At hoc totum in specie & extra manet, qua in re plurimi falluntur, qui scribere & docere præsumunt bona opera, quibus iustificentur, interim fidei ne memorentur quidem, euntes in uijs suis, falsi & fallentes

Opera faciunt hominem ciuiliter bonum.

kk semper

semper, proficientes in peius, cęci cęcorum duces, multis sese operibus fatigantes, & tamen nunquam ad ueram iusticiam peruenientes. De quibus S. Paulus .1. Tim.3. dicit: Habentes quidem speciem pietatis, uirtutem autem eius abnegantes, semper discentes & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes.

Qui ergo cum istis cęcis non uoluerit errare, oportet, ut ulterius prospiciat quam in opera legis aut doctrinas operum, imo auerso ab operibus intutu, personam inspiciat, & qua ratione illa iustificetur, quæ non operibus neq; legibus, sed uerbo Dei (id est, promissione gratiæ suæ) & fide iustificatur & saluatur, Vt stet gloria Maiestati diuinę, quę nos non ex operibus iusticiæ, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam per uerbum gratię suę saluos fecit credentes.

FAcile ex his cognitu est, qua ratione sint opera bona reijcienda aut amplectenda, & qua regula intelligendę sint omniũ doctrinę de operibus datę. Si enim opera comparentur ad iusticiam, & peruerso Leuiathan eaq; falsa persuasione fiant, ut per ipsa iustificari præsumas, iam necessitatem imponunt, & libertatem cum fide extinguunt, & hoc ipso additamento bona iam non sunt uereq; damnabilia. Libera enim non sunt & gratiam Dei blasphemant, cuius solius est per fidem iustificare & saluare, quod opera non potentia præstare, impia tamen præsumptione, per nostram hanc stulticiam, affectant, ac sic in officium gratiæ & gloriam eius uiolenter irruunt.

Christianus certo iudicare potest, quæ opera reiicienda quæ amplectenda.

Non ergo opera bona reijcimus, imo maxime amplectimur & docemus. Non enim propter ipsa, sed propter impium hoc additamentum, & peruersam opinionem quærendæ iusticiæ, ea damnamus. Qua fit, ut solum in specie appareant bona, cum reuera bona non sint, quibus falluntur & fallunt, ceu lupi rapaces, sub uestimentis ouium.

Peruersa opinio hypocritarum de operibus.

Hic autem Leuiathan & peruesa opinio in operibus insuperabilis est, ubi deest syncera fides. Abesse enim non potest a sanctis illis operarijs, donec fides uastatrix eius ueniat & regnet in corde. Natura per seipsam non potest eam expellere, imo ne cognoscere quidem, quin eam ducit loco sanctissimæ uoluntatis. Vbi si consuetudo accesserit, & hanc naturæ prauitatem roborauerit (sicuti factum est per impios Magistros) incurabile malum est, & infinitos irrecuperabiliter seducit ac perdit. Quare etsi bonum est, de pœnitentia, confessione, satisfactione prædicare & scribere, si tamen hic sistatur, & non ad fidem usq; docendam procedatur, sine dubio deceptoriæ & diabolicæ sunt doctrinæ. Sic enim Christus cum suo Iohanne, non solum dixit: Pœnitentiam agite, sed addidit uerbum fidei dicens: Appropinquabit regnum cœlorum.

Lex.

Non enim alterum tantum, sed utrunq; uerbum Dei prædicandum est, noua & uetera proferenda de thesauro, tam uox Legis, quam uerbũ gratiæ. Vocem legis proferri oportet, ut terreantur, & in suorum peccatorum noticiam reducantur, & inde ad pœnitentiam & meliorem uitæ rationem conuertantur. Sed non hic sistendum, hoc enim esset solum uulnerare & non alligare, percutere & non sanare, occidere & non uiuificare, deducere ad ad inferos & non reducere, humiliare & non exaltare. Ideo & uerbum gratiæ & promissæ remissionis, ad docendam & erigendam fidem, prædicari debet, sine quo Lex, contritio, pœnitentia, & omnia alia frustra fiunt & docentur.

Euangelium.

Supersunt quidem adhuc Prædicatores pœnitentiæ & gratiæ, sed non explicant Dei Legem & promissionem eo fine & spiritu, ut disci queas, unde pœnitentia & gratia ueniant. Pœnitentia enim ex Lege Dei, sed fides seu

des seu gratia ex promissione Dei prouenit, sicut dicit Rom.10. Fides ex
Rom.10. auditu, auditus autem per uerbum Christi, quo fit, ut homo per fidem diui
næ promissionis consoletur & exaltetur, qui per minas & timorem Legis
Psal.30. diuinæ humiliatus, & in sui cognitionem perductus est. Sic Psal.30. Ad uesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Hæc dicta sint de operibus in genere, & simul de ijs quæ Christianus in proprium corpus exercet. *Pœnitentia fides.*

VLtimo & de ijs dicemus, quæ erga proximū suum operatur, Nō enim homo sibi uiuit soli in corpore isto mortali ad operandum in eo, sed & omnibus hominibus in terra, imo solum alijs uiuit & non sibi. In hoc enim corpus suum subiectum facit, quo sincerius & liberius queat alijs seruire, Sicut Paulus Rom.14. dicit: Nemo sibi uiuit, & nemo sibi moritur. Qui enim uiuit, Domino uiuit, & qui moritur Domino moritur. Ideo non
Rom.14. potest fieri, ut sit ociosus in habuita & absq; opere erga proximos suos. Necesse est enim, ut loquatur, agat & conuersetur cum hominibus, sicut Christus in similitudinem factus habitu inuentus est ut homo, & conuersa-
Ephe.2. tus cum hominibus, ut Baruch 3. dicit. *De operibus quæ proximo fiunt.*

Nullo tamen horum opus ei est ad iusticiam & salutem, Ideo in omnibus operibus suis ea debet opinione esse formatus & hoc solum spectare, ut alijs seruiat & prosit in omnibus, quæcunq; fecerit, nihil ante oculos habens nisi necessitatem & commoditatem proximi. Sic enim Apostolus iubet ut manibus laboremus, quo demus necessitatē habenti, Cum potuisset dicere: quo nos ipsos alamus, sed & inquit, necessitatem habenti. Nam & in hoc ipsum corporis curam habere Christianum est, quo per eius salutem & commoditatem laborare, res quærere & seruare possimus, in subsidium eorum, qui indigent, ut sic membrum robustum seruiat membro infirmo, & simus filij Dei, alter pro altero sollicitus & laboriosus, inuicem onera portantes, & sic legem Christi implentes. *Christiana uita.*

Ecce, hæc est uere Christiana uita, hic uere fides efficax est per dilectionem, hoc est, cum gaudio & dilectione prodit in opus seruitutis liberrimæ, qua alteri gratis & sponte seruit, ipsa abunde satura fidei suę plenitudine & opulentia.

Sic Philippenses cum Paulus docuisset, quam diuites facti essent per fidem Christi, in qua omnia obtinuissent, Docet eos deinceps dicens: Si qua consolatio Christi, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, & eandem charitatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neq; inanem gloriam, sed in humilitate superiores inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.

Hic clare uidemus, Vitam Christianorum ab Apostolo in hanc regulam esse positam, ut omnia opera nostra ad aliorum commoditatem ordinentur, cum per fidem quisq; suam sic abundet, ut omnia alia opera, totaq; uita ei superfluant, quibus proximo spontanea beneuolentia seruiat & bene faciat.

Ad hoc inducit Christum pro exemplo, dicens: Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Ihesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo, factus est obediens usq; ad mortem. Hoc enim uerbum Apostoli saluberrimum nobis obscurarunt ij, qui uocabula apostolica, formam Dei, formam serui, habitum, similitudinem hominum, prorsus non intellexerunt, & ad naturas diuinitatis & humanitatis transtulerunt, cum Paulus id uelit, Christum, *Forma Dei. Forma serui.*

stum, cum esset plenus forma Dei, & omnibus bonis abundans, ita ut nullo opere, nulla passione indiguerit, ut iustus & saluus fieret. Habebat enim hęc omnia statim ab initio sui. Non tamē ijs inflabatur, nec super nos eleuabatur, & quandam potentiam super nos sibi arrogabat, licet id iure potuisset. Sed contra, sic egit laborans, operans, patiens, moriens, ut similis esset cæteris hominibus, & habitu & gestu non aliud quam homo, quasi ijs omnibus egeret, & nihil haberet formarum Dei, quod tamen totum propter nos fecit, ut nobis seruiret, & nostra fierent omnia, quæ hac forma serui operaretur.

Christianus Christi exemplum imitetur.

Ita Christianus, quemadmodum caput suum Christus, per fidem suam plenus & satur, contentus esse debet hac forma Dei, per fidem obtenta, nisi quod, ut dixi, ipsam hanc fidem augere debet, donec perficiatur. Hæc enim uita, iusticia, & salus eius est, personam ipsam seruans & gratam faciens, omniaque tribuens, quæ Christus habet, ut supra dictum est, & Paulus Gal. 1. confirmat, dicens: Quod autem in carne uiuo, in fide filij Dei uiuo. Et quanquam sic liber est ab omnibus operibus, debet tamē rursus se exinanire, hac in libertate, formam serui accipere, in similitudinē hominum fieri, & habitu inueniri ut homo, seruire adiuuare, & omnimodo cum proximo suo agere, sicut uidet secum actum & agi a Deo per Christum, & hoc ipsum gratis, nulloque respectu, nisi diuini placiti, & ita cogitare.

Fructus fidei.

En mihi indigno damnatoque homuntioni, citra omne meritum, mera gratuitaque misericordia, dedit Deus meus in Christo omnes diuitias iusticiæ & salutis, ut amplius nulla re prorsus indigeam, nisi fide, quæ credat hoc se sic habere. Huic ergo tali Patri, qui me suis his inęstimabilibus diuitijs obruit, cur non liberaliter, hilariter, toto corde spontaneoque studio omnia faciam, quæcunque sciuero placita & grata coram illo esse? Dabo itaque me quendam Christum proximo meo, quemadmodum Christus sese præbuit mihi, nihil facturus in hac uita, nisi quod uidero proximo meo necessarium, commodum & salutare fore, quandoquidem per fidem omnium bonorum in Christo abundans sum.

Ecce sic fluit ex fide charitas & gaudiū in Domino, & ex charitate hilaris, libens, liber animus, ad sponte seruiendū proximo, ita ut nullā habeat rationē gratitudinis, ingratitudinis laudis ac uituperij, lucri aut damni. Neque enim agit hoc, ut homines sibi demereatur, nec inter amicos inimicosque discernit, nec gratos nec ingratos suspicit, sed liberrime, libentissime dispergit se & sua, siue ea perdat in ingratis, siue mereatur. Sic enim & Pater eius facit, omnibus omnia distribuens abundanter & liberrime, faciens solem suum oriri super bonos & malos. Ita Filius, nihil nisi gratuito gaudio, quo in Deo per Christum delectatur, tantarum rerum Largitore facit & patitur.

Donata nobis per Christum &c.

Vides ergo, si cognoscimus ea, quę nobis data sunt, maxima & preciosa, ut Petrus ait, mox per spiritū diffundi in cordibus nostris charitatem, qua liberi, hilares, omnipotentes operatores, & omnium tribulationum uictores, proximorum serui, nihilominus tamen omnium Domini sumus. Qui uere non cognoscunt donata sibi per Christum, ijs Christus frustra natus est, per opera illi incedunt, ad istarum rerum gustum & sensum nunquam peruenturi. Igitur sicut proximus noster necessitatem habet & nostra abundantia indiget, ita & nos coram Deo necessitatem habuimus, & misericordia eius indiguimus. Ideo sicut Pater cœlestis nobis in Christo gratis auxiliatus est. Ita & nos debemus gratis per corpus & opera eius proximo nostro auxiliari, & unusquisque alteri Christus quidam fieri, ut simus mutuum Christi, & Christus idem in omnibus, hoc est, uere Christiani.

Gloria Christianæ uitæ.

Quis ergo comprehendere queat diuitias & gloriam Christianæ uitæ? quæ

quæ omnia potest & habet, & nullius indiget, peccati, mortis, inferni Domina, simul tamē omnibus serua & obsequiosa & utilis, Sed quæ proh dolor hodie in toto orbe ignota est, nec prædicatur nec quæritur, adeo, ut prorsus nostrum nomen ipsimet ignoremus, cur Christiani simus & uocemur, Certe a Christo sic uocamur, non absente, sed inhabitante in nobis, id est, dum credimus in eum & inuicem mutuoq; sumus, alter alterius Christus, facientes proximis, sicut Christus nobis facit. At nunc hominum doctrinis, non nisi merita, præmia, & ea, quæ nostra sunt, docemur quærere, & ex Christo non nisi exactorem longe Mose seueriorem fecimus. *Christiani.*

Eiusdem fidei exemplū præ cæteris præbuit & B. Virgo, dum ut Luc. 2. scribitur, purificabatur secundum legem Mosi, more omnium mulierum, cum tamen lege tali non teneretur, nec purificari opus illi fuit, subiecit se tamen sponte & libera charitate legi, similis facta cæteris mulieribus, ne offenderet aut contemneret eas. Non ergo iustificata fuit hoc opere, sed iusta fecit hoc gratuito & libere. Ita & nostra opera fieri debent, non iustificandi gratia, cum prius fide iustificati, facere debeamus omnia libere & hilariter propter alios. *Exemplum B. Virginis Mariæ.*

Act. 16. Et S. Paulus discipulum suum Timotheum circumcidebat, non quod opus esset illi ad iusticiam circumcisione, sed ne offenderet aut contemneret infirmos in fide Iudæos, qui nec dum poterant capere fidei libertatem. At contra, ubi contempta libertate fidei urgebant, circumcisionem esse necessariam ad iusticiam restiti, & Titum circumcidi non permisit, Gala. 2. Sicut enim nullius infirmitatem, in fide offendere aut contemnere uoluit, cedens eorum uoluntati ad tempus: Ita rursus noluit offendi aut contemni libertatem fidei ab induratis iusticiarijs, incedens media uia, parcens infirmis ad tempus & resistens induratis semper, ut omnes ad fidei libertatē conuerteret. Eodē studio & nostra fieri debent, ut infirmos in fide suscipiamus, *Rom. 14.* ut Rom. 14. docet, sed magistris operum induratis fortiter resistamus. de quo latius inferius dicemus. *Timotheus à Paulo circumcisus.*

Christi exemplum.

Christus etiam Matth. 17. Vbi a discipulis suis petebatur didrachmum, *Matth. 17* disputabat cum Petro, An ne filij regis liberi essent a censibus? & Petrus hoc affirmasset. Iussit tamen, ut iret ad mare, dicens: Ne scandalisemus eos, uade & piscem, qui primo ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies statherem, quem tollens, da pro me & pro te.

Hoc exemplum pulchre ualet ad propositum, in quo Christus se & suos appellat liberos & filios Regis, qui nullius egeant, & tamen sponte se submittit & soluit censum. Quantum ergo hoc opus Christo necessarium aut utile fuit ad iusticiam & salutem, tantum ualent omnia alia sua & suorū opera ad iusticiam, cum sint omnia iusticia posteriora & libera, tantum ad aliorum obsequium & exemplum facta.

Talia sunt, quæ & Paulus Rom. 13. & Tit. 3. præcepit, ut potestatibus subditi sint, & ad omne opus bonum parati, Non ut per hoc iustificentur, cum iam iusti sint ex fide, sed ut in libertate spiritus per hęc alijs & potestatibus seruirent, eorum uoluntati gratuita charitate obsequerentur. *Rom. 13. Tit. 3.*

Talia oportuit esse & omnium collegiorum, monasteriorum, sacerdotumq; opera, ut quisq; suæ professionis & status opera solum in hoc faceret, ut per hæc non iusticiam, sed corporis sui subiectionem exerceret, alijs in exemplū, qui & ipsi opus habent corporis sui castigatione. Deinde ut alijs duntaxat obsequerentur, ad eorum uoluntatem, gratuita charitate, hoc tamen semper & summa cura obseruato, ne uana fiducia præsumat, per ipsa quisq; iustificari, mereri, aut saluus fieri, quod solius fidei est, ut sæpius dixi.

Mandata hominũ. SI quis ergo hanc scientiam haberet, facile se posset gerere citra periculum, in infinitis illis mandatis & præceptis Papæ, Episcoporum, Monasteriorum, Ecclesiarum, Principum & Magistratuum, quæ aliqui stulti Pastores sic urgent, quasi ad iusticiam & salutem sint necessaria, appellantes ea præcepta Ecclesiæ, cum sint nihil minus. Christianus enim liber sic dicet: Ego ieiunabo, orabo, hoc & hoc faciam, quod per homines mandatum est, non quod illo mihi sit opus ad iusticiam aut salutem, sed quod in hoc morem geram Papę, Episcopo, communitati illi & illi Magistratui, aut proximo meo ad exemplum, faciam & patiar omnia, Sicut Christus mihi multo plura fecit, & passus est, quorum ipse nullo prorsus egebat, factus propter me sub Lege, cum non esset sub Lege. Et quamuis Tyranni uim aut iniuriam faciant hoc exigentes, non tamen nocebit, donec contra Deum non fuerit.

Iudicium fidelium certum de omnibus operibus & legib. Ex ijs omnibus quisque poterit certum iudicium & fidele discrimen omnium operum & legum accipere, & scire qui sint cæci, stulti, & qui ueri & boni pastores. Nam quodcunque opus non huc solum dirigitur, ut fiat uel ad castigandum corpus, uel ad obsequium proximi (modo contra Deum nihil postulet) non est bonum nec Christianum. Et hinc ego uehementer metuo, pauca vel nulla collegia, monasteria, altaria, officia Ecclesiastica esse Christiana hodie, nec non & ieiunia & preculas peculiares de certis Sanctis. Metuo, inquam, in his omnibus quæri non nisi ea, quæ nostra sunt, dum arbitramur per hæc purgari peccata nostra, & salutem inueniri, & sic funditus extinguitur libertas Christiana, quod ex ignorantia Christianæ fidei & libertatis, uenit.

Consilium. Quam ignorantiam & libertatis oppressionem plurimi cæcissimique Pastores sedulo confirmant, dum populos in ea studia sollicitant & urgent, laudando ea, & suis indulgentijs inflando, fidem autem nunquam docendo. Ego autem tibi consultum uolo, si quippiam uoles orare, ieiunare, aut in Ecclesijs fundare, ut uocant, caue facias, eo fine, quo tibi aliquid commodi siue temporalis siue æterni pares. Iniuriam enim fidei tuæ facies, quæ sola tibi omnia præbet, Ideo sola curanda, ut augeatur, siue operibus siue passionibus exercita. Sed da quod das libere & gratis, ut alij ex te tuaque bonitate augescant & bene habeant. Sic enim eris uere bonus & Christianus. Quid enim tibi bona opera tua, quæ ad corporis castigationem superabundant, cum abundes pro te per fidem tuam, in qua tibi omnia donauit Deus?

Regula uitæ Christianæ. En ista regula, Oportet, ut quæ ex Deo habemus bona, fluant ex uno in alium, & communia fiant, ut unusquisque proximum suum induat, & erga eum sic se gerat, ac si ipse esset in loco illius. E Christo fluxerunt & fluunt in nos, qui nos sic induit & pro nobis egit, ac si ipse esset, quod nos sumus. E nobis fluunt in eos, qui eis opus habent, adeo, ut & fidem & iustitiam meam oporteat coram Deo poni, pro tegendis & deprecandis proximi peccatis, quæ super me accipiam, & ita in eis laborem & seruiam, ac si mea propria essent, sic enim nobis Christus fecit. Hæc est enim uera charitas synceraque Christianæ uitæ regula. Ibi autem uera & syncera est, ubi uera & syncera fides est. Hinc Apostolus. 1. Cor. 13. Charitati tribuit, quod non quærit quæ sua sunt. *1. Cor. 13.*

Vera charitas.

Christianus homo. Concludimus itaque, Christianum hominem non uiuere in seipso, sed in Christo & proximo suo, aut Christianum non esse, In Christo per fidem, in proximo per charitatem, per fidem sursum rapitur supra se in Deum, rursum per charitatem labitur infra se in proximum, manens tamen semper in Deo, & charitate eius. Sicut Christus Iohan. 1. dicit: Amen dico uobis *Iohan. 1.*

bis, deinceps uidebitis cœlũ apertum & angelos Dei ascendentes & descendentes super Filium hominis.

Et hæc de libertate satis, quæ ut uides, spiritualis, ueraq; est libera faciens corda nostra ab omnibus peccatis, legibus & mandatis, Sicut dicit Paulus .1. Timoth. 1. Lex iusto non est posita, quæ superat omnes alias libertates externas, quantum cœlum superat terram, quam nos Christus faciat & intelligere & seruare. Amen. 1. Tim. 1.

IN fine propter eos, quibus nihil tam bene dicitur, quod non deprauent male intelligendo, addendum est, si tamen & idipsum intelligere possint. Sunt quam plurimi, qui hanc libertatem fidei audientes, mox eam in occasionem carnis uertant, omnia sibi statim licere arbitrantes, nec alia re ulla liberi & Christiani uideri uolentes, quàm contemptu & reprehensione cæremoniarum, traditionum, legum humanarum. Quasi ideo Christiani sint, quia statis diebus non ieiunant, aut alijs ieiunantibus ipsi carnes comedunt aut preculas usitatas omittunt, suspenso naso, præcepta hominum illudentes, Cætera uero ad Christianam religionem pertinentia prorsus posthabentes. Quibus pertinacissime resistunt ex altera parte ij, qui sola obseruantia & reuerentia cæremoniarum nituntur salui fieri. Quasi ideo salui sint, quia statis diebus ieiunant, aut a carnibus abstinent, aut certas preces orent, iactantes præcepta Ecclesiæ & Patrum, nec ipsi pili facientes ea, quæ synceræ sunt fidei nostræ. Vtriq; culpabiles plane, quod rebus neglectis grauioribus & ad salutem necessarijs, super rebus ijs leuiculis & non necessarijs tanto tumultu confictantur. *Contra libertatem carnis.* *Contra fiduciam operum.*

Quanto rectius Paulus Apostolus media uia incedere docet, & utrunq; latus damnat, dicens: Qui manducat, non manducantem non spernat. Et qui non manducat, manducantem non iudicet. Vides hic, quod ij, qui ceremonias non pietate, sed mero contemptu omittunt & uituperant, reprehendantur, cum Apstolus doceat, non contemnere, Scientia enim eos inflat. Rursum pertinaces alteros docet, ut non iudicent illos. Neutri enim charitatem ædificantem inuicem custodiunt. Quare hic audienda est Scriptura, quæ docet, ut nec ad dextram, nec ad sinistram declinemus, sed sequamur iusticias Domini recte lætificantes corda. Vt enim nõ iustus est quisq;, quia operibus & ritibus cæremoniarum seruit & addictus est, ita nec iustus ex eo censebitur solo, quod illa omittit & contemnit. *Rom. 14.*

Non enim liberi sumus per fidem Christi ab operibus, sed ab opinionibus operum, id est, a stulta præsumptione iustificationis per opera quæsitæ. Fides enim conscientias nostras redimit, rectificat & seruat, qua cognoscimus iusticiam esse non in operibus, licet opera abesse neq; possint neq; debeant, Sicut sine cibo & potu & uniuersa corporis istius mortalis opera esse non possumus, non tamen in eis iusticia nostra sita est, sed in fide, nec tamen illa ob id contemnenda sunt aut omittenda. Sic in mundo sumus necessitate uitæ huius corporis coacti, sed non ex hoc iusti sumus. Regnum meum non est hinc, seu de hoc mundo, ait Christus, sed non dixit: Regnum meum non est hic, seu in hoc mundo. Et Paulus. Licet in carne ambulemus, non tamen secundũ carnẽ militamus. Et Galat. 1. Quod uiuo in carne, in fide uiuo filij Dei. Sic quod facimus, uiuimus, sumus in operibus & cæremonijs, necessitas huius uitæ facit & corporis regendi cura, non tamen in his iusti sumus, sed in fide Filij Dei. *Fides efficax per charitatem.*

Quare Christiano per medium eundum est, & duo illa genera hominum sibi proponenda. Aut enim occurrunt ei pertinaces, obdurati cęremo- *Pertinaces iusticiarii.*

nijstę, qui sicut aspides surdæ nolunt audire ueritatem libertatis, sed suas ceremonias, tanquam iustificationes iactant, imperant & urgent sine fide, quales erant olim Iudæi, nolentes intelligere, ut bene agerent. His oportet resistere, contraria facere, & fortiter scandalisare, ne opinione ista impia plurimos secum fallant. In horum oculis expedit comedere carnes, soluere ieiunia, & alia pro libertate fidei facere, quæ pro summis peccatis habent, dicendumq; de eis: Sinite eos, cæci sunt & cæcorum duces. Hoc enim modo & Paulus Titum noluit circumcidi, cum illi urgerent. Et Christus defendit Apostolos, quod sabbato uellebant spicas & multa similia. *Gal. 2.*

Infirmi in fide. Aut occurrunt simplices, idiotæ, ignari, & infirmi in fide, sicut Apostolus uocat, qui nondum possunt capere libertatem istam fidei etiam si uellent, His parcendum est, ne offendantur, & deferendum eorum infirmati, donec plenius erudiantur. Hi enim quia malicia indurata non faciunt, nec sentiunt ita, sed sola imbecillitate fidei, propter eorum scandalum uitandum, seruanda sunt ieiunia & alia, quæ ipsi necessaria arbitrantur. Hoc enim charitas exigit, quæ neminem lædit, sed omnibus seruit. Non enim sua culpa, sed Pastorum suorum, infirmi sunt, qui laqueis & armis traditionum suarum eos captiuauerunt, & male percusserunt, a quibus debuerant liberari & sanari fidei libertatisq; doctrina, sic Apostolus Rom. 14. Si esca mea scandalisat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Et iterum: Scio quod per Christum nihil est commune, nisi illi qui putat commune esse, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. *Matt. 12.* *Rom. 12.* *Rom. 14.*

In traditiones & earum conditores. Quare etsi fortiter resistendum est magistris illis traditionum, & leges Pontificum acriter uituperandæ, quibus in populum Dei grassantur. Turbę tamen pauidæ parcendum est, quam captiuam tenent eisdem legibus impij illi Tyranni, donec explicentur. Ita pugna strenue contra lupos, sed pro ouibus, non simul contra oues, Quod facies, si in leges & Legislatores inueharis, & tamen simul serues eas cum infirmis, ne scandalisentur, donec & ipsi tyrannidem cognoscant, & libertatem suam intelligant.

Quod si uti uoles libertate tua, in occulto facito, sicut Paulus dicit Ro. 14. Tu fidem, quam habes penes temetipsum, habe coram Deo caue autem ne coram infirmis utaris. Rursum coram Tyrannis & pertinacibus utere eadem, in despectum eorum, multo omnium constantissime, ut & ipsi intelligant, se impios esse & leges suas nihil esse ad iusticiam, quin eis nihil iuris fuisse condendi eas. *Rom. 14.*

Vsus exercitiorũ corporalium rerũ. CVm ergo hæc uita agi non possit, sine cæremonijs & operibus, imo feruens & rudis ætas adolescentium opus habeat, his uinculis arceri & seruari, & unicuique corpus suum eisdem studijs castigandum sit, prudentem & fidelem oportet esse ministrum Christi, ut sic regat & doceat populum Christi in his omnibus, ne conscientia & fides eorum offendatur, ne in eis opinio aut radix amaritudinis oriatur, & per illam inquinentur multi, ut Paulus præmonuit Ebræos, hoc est, ne amissa fide incipiant opinione operum inquinari, quasi per ipsa iustificandi. Quot facile fit, & plurimos inquinat, nisi fides constanter simul inculcetur. Impossibile autem est uitari ubi tacita fide constitutiones hominũ solæ docentur, sicut hactenus factum est, per pestilentes, impias, animicidas Pontificum nostrorum traditiones, & Theologistarum opiniones, infinitis animabus ad inferos his laqueis pertractis, ut Antichristum agnoscere possis. *Hebr. 12.*

¶In summa, sicut paupertas in diuitijs, fidelitas in negocijs, humilitas in honoribus, abstinentia in conuiuijs, castitas in delicijs: Ita iusticia fidei in cæremo-

in cæremonijs periclitatur. Nunquid, ait Salomon, ignem quis in sinu gestare potest, ut non comburantur uestimenta eius? Et tamen ut in diuitijs in negocijs, in honoribus, in delicijs, in epulis: Ita in cæremonijs, id est, in periculis uersari oportet. Imo, sicut infantibus pueris, maxime opus est foueri sinu & officio puellarum, ne pereant, quibus tamen adultis periculum salutis est inter puellas uersari. Ita rudibus & feruentis ætatis hominibus opus est, ut cæremoniarum claustris etiam ferreis teneantur & castigentur, ne impotens eorum animus, per uitia præceps eat, & tamen mors eis fuerit si opinione iustificationis, in eis perseuerauerint, cum docendi potius sint non ideo se fuisse adeo incarceratos, ut per hoc iusti sint aut multa meriti, sed ne mala facerent, & ad iusticiam fidei facilius erudirentur, quod præ impetu ætatis, nisi premeretur, non ferrent.

Vnde cæremoniæ in uita Christiana alio loco habendæ non sunt, quam apud fabros & artifices habentur præparamenta illa, ad ædificandum & operandū disposita, quæ non in hoc parantur, ut aliquid sint aut maneant, sed quod sine ijs, ædificari aut fieri nihil possit. perfecta enim structura deponuntur. Hic uides, non ipsa contemni, imo maxime quæri: opinio autem contemnitur, quia nemo existimat hæc esse ueram & permanentem structuram. Quod si quis tam insigniter desiperet, ut tota uita aliud non curaret, quam ut hæc præparamenta quam sumptuosissime, diligentissime, pertinacissime disponeret, nunquam autem de ipsa structura cogitaret, sibi placens & iactans suam operam in præparamentis & fulcris istis uanis, Nonne omnes eius insaniæ misererentur, & sumptu isto perdito magnum aliquid ædificari potuisse iudicarent?

Quo loco cæremoniæ habendæ?

Ita non cæremonias nec opera contemnimus, imo maxime quærimus, opinionem autē operum contemnimus, ne quis existimet illā esse uere iusticiā, sicut faciunt hypocritæ, qui totā uitam in his studijs figunt & perdunt, & ad id, cuius gratia fiunt, non perueniunt, seu ut Apostolus ait, Semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. Videntur enim uelle ædificare seseque parant & tamen non ædificant unquam, ita manent in specie pietatis, & uirtutem eius non attingunt.

Placent tamen interim sibi in his studijs, ausi etiam omnes alios iudicare. quos simili operum pompa non fulgere uident, Cum hoc uano sumptu & abusu donorum Dei, si fide essent imbuti, grandia potuissent in suam & aliorum salutem efficere. Verum cum natura humana & ratio (ut uocant) naturalis sit naturaliter superstitiosa, & propositis quibusque legibus & operibus prompta sit in opinionem iustificationis per ea adipiscendæ, His adde, quia usu omnium legislatorum terrenorum, in eundem sensum est exercita & firmata, Impossibile est, ut per seipsam se exuat a seruitute illa operaria, in libertatem fidei cognoscendam.

In iusticiarios superstitiosos.

Ideo oratione opus est, ut Dominus nos trahat, & theodidactos, id est dociles Deo faciat, & ipse in cordibus nostris, sicut promisit, legem scribat, alioqui actum est de nobis. Nisi enim ipse doceat intus hanc sapientiam in mysterio absconditam, natura non potest nisi damnare eam & hæreticam iudicare. Quia scandalisatur in ea, & stulta ei apparet, sicut olim in Prophetis & Apostolis uidimus accidisse, sicut & nunc mihi & mei similibus faciunt impij & ceci Pontifices cum suis adulatoribus, quorum aliquando nobiscum misereatur Deus & super eos illuminet uultum suum, ut cognoscamus in terra uiam eius, in omnibus gentibus salutare eius, Qui est benedictus in secula, AMEN.

Anno M. D. XX.

TESSA-

TESSARADECAS CONSOLATORIA PRO LABORANTIBVS ET ONE-ratis, Doct. Martini Lutheri.

M. D. XX.

PRÆFATIO.

Postolus Paulus Roma.15. definiturus Christianorum solatia dicit: Fratres quæcunque præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus. In quo aperte docet, solatia nostra e Scripturis sanctis esse petenda.

Scripturæ sanctæ autem gemino consolationis tropo utuntur, dum duas Imagines rerum saluberrima temperie mixtas proponunt, malarum uidelicet, & bonarum. Sicut Ecclesiasticus sapiens dicit. In die malorum memor esto bonorũ, & in die bonorum memor esto malorum. Scit enim Spiritus sanctus talem ac tantam esse homini rem quamcunque, qualis & quanta eius in ipso fuerit opinio. Quod enim uile & nihili ducitur, parum quoque afficit, seu amore, si ueniat, seu dolore, si recedat. Ideo id omni studio conatur, ut hominem a rerum opinione & affectu auocet. Quod ubi effecerit iam res quælibet sunt indifferentes. Cum autem hæc auocatio potissimum uerbo fiat, quo transfertur opinio a re, quæ præsenter afficit, in rem, quæ uel absens est, uel non afficit præsens, optimo iure, non nisi per Scripturarum consolationem eam habebimus, quæ nos in die malorum auocat ad spectanda bona, quę uel præsentia uel futura sunt, simul in die bonorum auocat, ad spectanda mala.

Verum, ut hæc duo spectra & imagines melius capiamus, dabimus unicuique suas partes, septem. Prior imago habebit mala, quæ considerentur. Primo intra se, Secundo ante se, Tertio post se, Quarto iuxta se in sinistro, Quinto In dextro, Sexto infra se, Septimo supra.

Consola-

CONSOLATIO PRO LABORANTIBVS CAPVT.I.

de spectro primo, quod est malum internum.

HOC ratum est & uerissimũ, siue id credat homo siue non, Nullum esse posse in homine cruciatum tantum, qui pessimum sit malorum, quæ in ipso sunt, adeo sunt longe plura & maiora in ipso mala, quam quæ sentit. Si enim suum malum sentiret, infernũ sentiret. Nã infernũ in seipso habet. Queris quomodo? dicit Propheta: Omnis homo mendax, Et iterũ: Vniuersa uanitas omnis homo uiuens. Esse autem mendacẽ & uanum, est esse uacuum ueritate & reipsa, At sine ueritate & reipsa esse, est sine Deo esse, & nihil esse, hoc autem est in inferno & damnatum esse.

Homo in se infernum habet.

Quid sit damnatũ esse.

Ideo Deus misericorditer nos castigans, leuiora mala nobis aperit, & imponit, sciens quod si hominem in suum malum deduceret cognoscendũ, mox in momento periret, sed & nonnullos hoc gustasse dedit, de quibus dicitur: Deducit ad inferos & reducit. Proinde recte dicunt, qui passiones corporales uocant quædam monitoria mali interni. Et Apostolus Ebr.12. uocat eas disciplinas Dei paternas, dicens: Flagellat autem omnem filium quem recipit, Quod facit, ut his flagellis & paruis malis expellat magna ista mala, ne quando ea sentire oporteat. Sicut Prouerb.22. Stulticia colligata est in corde pueri, sed uirga disciplinæ fugabit eã. Nonne & pij parentes plus in filijs dolent, si sint fures, aut mali, quam uulnerati, imo ipsimet eos cædũt & sauciant, ut mali esse non possint.

Passiones corporales.

Pii parentes,

Quid ergo obstat, quod hoc malum uerum non sentitur? Nempe, ut dixi, Deo disponente ita fit, ut homo non deficiat, si sua mala penitissima uideret. Nam abscondit ea, uolens sola fide ea cerni, dum ea indicat sensibili malo. Itaq; in die malorum memor esto bonorum. Vide quantum bonum sit, non nosse totum malũ. Huius esto boni memor, & minus cruciabit sensibile malum. Ita rursum in die bonorum memor esto malorum, id est, dum indolens es uerorum malorum, in hac indolentia gratus esto, & memorare uerorum malorum, tum fiet ut minus sentias sensibile malum. Claret ergo, maiorem esse in homine semper indolentiam quam dolorem in hac uita, non quod non præsens sit malum totum, sed quod opinio & affectus eius non sit per Dei bonitatem, qui abscondit ipsum.

In homine indolentia maior quam dolor.

Hinc uidemus eos, quibus datum est suum uerum malum intueri, quam atrociter in seipsos sæuiant, quam nihil ducant, quidquid pati possunt in tota uita, modo infernum suum non sentiant. Ita unusquisq; faceret, si uel sentiret, uel crederet firmiter malum suum internum, sponte aduocaret externa mala, luderet in eis, atq; nunquam tristior esset, quam dum non haberet mala, sicut nouimus quosdam Sanctos fecisse Qualis Dauid Psal.6.

Sentientes uerum malum suum &c.

Igitur prima imago consolatoria est, sibi ipsi dicere: Nondum o homo sentis malum tuum, gaude, & gratias age, quod non sentire cogeris, atq; ita malum comparatione maximi leue fiet, hoc est, quod alij dicunt: Longe peiora, etiam infernum meritus sum, Facile quidem dictu, sed intolerabile sensu.

Prima imago consolatoria.

Atq;

Atq; hoc malum quantumlibet lateat, tamen fructus suos prodit satis sensibiles. Hi sunt timor & incertitudo trepidæ conscientiæ, qua fides impugnatur, dum homo nescit, aut dubitat, an habeat propicium Deum, qui fructus tanto acerbior est, quanto fides infirmior. Atq; hæc sola infirmitas digne perpensa, cum sit spiritualis, longe præponderat corporali, quam & leuissimam reddit sui comparatione diligenter facta.

Vanitas & afflictio spiritus.

Præter hæc ad interna mala pertinet tota illa tragœdia, quam Ecclesiastes describit, ubi toties uanitatem & afflictionem spiritus commemorat. Quot enim consilia frustra capimus? quot uota nostra illuduntur? quot uidemus, quot audimus, quæ nollemus. Atq; hæc ipsa quæ ad uotum cedunt, contra uotum quoq; cedunt, adeo nihil integrum atq; perfectum est. Deinde hæc omnia tanto maiora sunt, quanto altiori loco & ordine quispiam sederit, quem necesse est præ cæteris in eadem re laborantibus, longe pluribus & maioribus æstibus, fluctibus, procellis agitari. Vt recte Psal. 104. dixerit: Animalia pusilla & magna & reptilia, quorum non est numerus, in hoc mundi mari esse, id est, tentationum infinita nomina. Sed & Iob 7. uitam hominis ob hoc tentationem uocat.

Hæc uita est tentatio. Iob. 7.

Homo uix millesimam partem malorum suorum sentit.

Hæc uero non ideo mala non sunt, quia minus sentiuntur, sed quia usu & assiduitate uiluerunt, & affectus atq; opinio in his detriti sunt operante Deo, ideo rara potius mouent, quæ adhuc nullo usu didicimus contemnere Adeo uerũ est, uix millesimam partẽ nostrorum malorum nos sentire, Adeo deniq; uerum est mala nostra non rei ueritate, sed opinione & affectu nostro metiri, sentiri, aut non sentiri.

CAPVT II. DE SECVNDO SPECTRO, quod est malum futurum, siue ante se.



NON parum leuabit præsens quodcunq; malum, si ad futura uertas animum, quę tot & talia & tanta sunt, ut huic uni datus sit magnus ille & unus principalium affectuum, qui timor dicitur, definientibus quibusdam, quot timor sit affectus de futuro malo. Vt & Apostolus dicat Roma. 11. Noli altum sapere sed time. Hoc malum eo maius est, quo incertius est, quale & quantum sit futurum. Ita ut uulgo quoq; prouerbium teratur: Non est ulla ætas scabiei etiam superior, quod tamen puerile atq; adeo infantile malum est. Adeo a nullis nullius hominis malis ullus hominum libere securus est, sed quidquid patitur homo, pati potest & alter.

Malum futurum.

Timor.

Nulla ætas scabiei superior.

Huc pertinent omnes historiæ & tragediæ omnium seculorum, omnes querelę totius mundi, huc quod quidam obseruarunt plusquam trecenta nomina morborum, quibus corpus humanum uexari potest. Si autem tot morbi, quot, alij, putas, erunt, casus rerum, amicorum, tandem ipsius animi, qui omnium malorum principale subiectum est, tristitiæq; ac malorum unicum receptaculum.

300. morborum nomina.

Animus malorum receptaculum.

Augescit uero malorum uis & sensus, quo maior fuerit & dignior status, ubi

tus, ubi inopia, ignominia, & omnia indigna, cum etiam subito possint accidere, necesse est, ut sicut tenui pendent omnia filo, formidanda sint omni hora, non secus ac gladius ille, quem Dionysius tyrannus super caput conuiuæ sui suspendit.

Dionysius tyrannus.

Horum autem quidquid non acciderit, pro lucro habendum est, ac non paruo solatio eius mali, quod accidit, ut etiam hic cum Ieremia dicere cogaris: Misericordiæ Domini, quod non sumus consumpti. Nam quidquid illorum non accidit, prohibente Excelsi dextra non accidit, quæ
Iob.1. uallat nos undiq; tanta fortitudine (ut in Iob monstratum est) ut Satan & mala indigne etiam ferant, sese esse prohibita. Proinde uidemus, quam dulciter sit amandus Dominus, quoties nobis quid acciderit, nempe, quod unico hoc malo nos moneat amantissimus Pater uidere, quot instent mala quæ nos petant, si non ipse obstaret. Ac si dicat: Satan & chaos malorũ expetit te ut cribret te, Sed ego posui terminum maris, & dixi ei: Huc peruenient &
Iob.38. confringentur tumentes fluctus tui, sicut dicit in Iob 38.

Dei misericordia erga homines.

Verum esto, nullum eorum sit uenturum forte, sic Deo uolente, saltem illud quod omnium terribilium maximum dicitur, scilicet mors certissime futura est, & nihil incertius hora eius. Quod sane malum tantum est, ut uideamus multos homines etiam cum omnibus prædictis malis malle uiuere, quam illis finitis semel mori. Atq; huic uni, cum cætera contemnat, Scrip-
Syrach 7. tura quoq; accommodat timorem dicens: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Huc uide, quot meditationes: quot libri: quot modi: quot remedia sint congesta: ut hac unius mali memoria peccatis absterreant, mundum contemptibilem faciant, passiones & mala alleuient & tribulatos consolentur, comparatione tam horribilis & magni, sed & aliquando necessarij mali. Nemo est, qui non omnia mala optet subire, si per ea liceret & mortis malum euadere. Hoc Sancti quoq; timuerunt, hoc Chri-
Luce. 22. stus cũ pauore & sanguineo sudore subiuit. Ita ut misericordia diuina nullo maiore negocio curarit pusillanimes confortare, quam in hoc malo, ut uidebimus infra.

Mors terribilium maximum.

Hæc omnia uero communia sunt omnibus hominibus, sicut & communia salutis beneficia in eisdem malis. Cæterum Christianis noua causa est timendi futuri mali & propria, quæ omnia mala prædicta facile superet. Hæc est, quam Apostolus pingit. 1. Corinth. 10. dicens: Qui stat, uideat ne cadat. Adeo lubrica uia est, adeo potens est hostis armatus nostris proprijs uiribus, (id est, carnis & omnium affectionum malarum præsidijs) stipatus infinitis mundi copijs, delitijs & uoluptatibus a dextra, asperitatibus & hominum malis uoluntatibus a sinistra, præter eam, qua ipse instructissimus est mille modis nocendi, seducendi, perdendi arte. Ita uiuimus, ut ne momento quidem securi simus de bono proposito nostro.

Hostis noster potens est.

Cyprianus multa huiusmodi commemorans in Epistola de mortalitate, docet optandam esse mortem tanquam subuentricem uelocem ad euadenda hæc mala. Ac uere ubi fuerint bonicordes hi homines, qui hæc pericula infinita inferni digne animo tractant, uidemus eos contempta uita & morte, id est, omnibus malis prædictis, optare solui, ut hoc malo peccatorum, in quo sunt, ut priore spectro diximus, & in quod cadere possunt, de quo nunc dicimus, simul soluantur. Et sunt sane hæ duæ Rationes iustissimæ, non tantum mortis optandæ, sed & omnium malorum contemnendorum, nedum unius mali leuiter ferendi, si cui dederit Dominus, ut eis permoueatur, donum itaq; Dei est eis moueri.

Cyprianus in Epistola de mortalitate.

Quis enim recte Christianus non optet etiam mori, nedum infirmari, qui uideat ac sentiat se, dum sanus uiuit, in peccatis esse, & continue in plura ruere posse, & quotidie ruere, ac sic contra amabilissimam amabilissimi Patris sui uoluntatem sine intermissione agere? Hoc enim indignationis aestu & Paulus (Rom. 7.) commotus, cum se non agere bonum, quod uellet, sed malum, quod nollet, quaestus fuisset exclamauit: Infoelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei, inquit, per Ihesum Christum &c. Parum diligit Deum Patrem suum, qui non praefert mortis malo hoc peccandi malum, cum ille mortem in hoc ordinarit, ut hoc malum aliquando finiat & sit mors uitae ac iusticiae ministra, De quibus infra. Rom. 7.

Deus cur nobis mortem statuerit.

CAput III. de spectro tertio, quod est malum praeteritum seu post nos.

Malum praeteritũ.

IN hoc eximie prae caeteris lucet dulcis misericordia Dei Patris, potens nos consolari in omni angustia nostra. Neque enim praesentiorem manum Dei super se quilibet sentit, quam dum recogitat annos uitae praeteritae. Dicit B. Augustinus: Si homini daretur optio, ut aut moreretur, aut praeteritam uitam iterum ageret, futurum esse, ut mori eligeret, tanta & pericula & mala uidens, quae uix & aegre euaserit. Quae sententia uerissima est, si digne pensetur.

Manus Dei quando praesentissima sentiatur.

Hic enim cernere licet, quoties sine suo studio, sine cura, imo citra & contra uotum multa fecerit & passus sit, quorum adeo non habuit consilium, antequam fierent, aut dum gererentur, ut finito opere secum mirans, tum primum cogatur dicere: Quorsum hęc mihi cesserunt, quae nec cogitaui, aut longe alia cogitaui? Ita ut uerum sit prouerbium: Homo proponit, Deus autem disponit, id est, in diuersum ponit, & aliud quam homo proponit, efficit, Vt uel in hoc uno negare non possimus, uitam & actus nostros non nostra prudentia, sed mirabili potentia & consilio, & bonitate Dei fuisse gubernata. Hic perspicitur, quoties Deus nobiscum fuerit, ubi nec uidimus nec sensimus. Ac quam uere dixerit Petrus: Ipsi enim est cura de nobis omnibus. 1. Pet. 5.

Homo proponit, Deus disponit.

Quare si non essent libri neq; sermones, tamen ipsa nostra uita per tot mala & pericula ducta, si consideretur, abunde nobis diuinam bonitatem commendat praesentissimam & suauissimam esse, ut quae nos longe ultra consilium & sensum nostrum uelut in sinu suo portauit, Et ut Moses Deu. 32. dicit: Dominus custodiuit eum, quasi puppillam oculi sui, circumduxit eum, & portauit in humeris suis.

Vita nostra diuinã bonitatem nobis commendat.

Atq; hinc natae sunt exhortationes illae in Psalterio: Memor fui dierũ antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, & in factis manuum tuarum meditabar. Memor ero ab initio mirabilium tuorum, Et memor fui iudiciorum tuorum, & consolatus sum. Haec & similia huc spectant omnia, ut sciamus, quod si tunc praesentem fuisse Deum nobis uideamus, quando non cogitabamus, nec uidebatur adesse, iam quoq; praesentem esse non dubitemus, dum absens nobis uidetur. Nam qui in multis necessitatibus nos sine nobis suscepit, etiam in modico, etiam si derelinquere

Deus semper praesens credendus.

Isa. 54. quere uideatur, non derelinquet. Sicut in Esaia dicit: Ad momentum & modicum dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te.

His si addas: Quis nostri curam habuit tot noctes dormientium? quis pro nobis solicitus fuit, quoties laborauimus, lusimus, & omnia illa infinita egimus, in quibus nihil ipsi pro nobis soliciti fuimus? Aut quantum est tempus, quo nostri curam habemus? Ipse auarus, dum solicitus est pecuniam quærere, in quærendo & agendo solicitudinem ponat, necesse est. Ita uidemus quam uniuersa nostra cura, uelimus, nolimus, ad Deum solum redeat, uix rarissime nobis nostro relicti consilio. Quod tamen & ipsum ideo facit Dominus, ut erudiat nos ad agnoscendam suam bonitatem, ut aliquando uideamus, quantum intersit inter curam suam & nostram. Ita fit, ut nos quandoque leui morbo alioue malo sinat impeti, dissimulans suam curā (non enim aliquando non curat) simul tamē prohibens, ne tot mala quot instant, undique simul irruant, ut nos sicut filiolos charissimos tentet, an suæ curæ per omnem aliam uitam cognitæ, uelimus nos credere, & quam inutilis & impotens sit nostra cura, uidere. Quid enim nobis prosumus, aut possemus prodesse tota uita, qui unicum dolorem cruris breuissimo tempore curare non possumus? *Dei pro nobis cura* *Cura nostra impotens.*

Quid ergo tam anxij sumus in puncto unius periculi, aut mali, nec ei curam relinquimus, cum uita ipsa teste, tot malis ab eo eruti simus, & seruati sine nostro studio? Ista, inquam, nosse, est opera Dei nosse, meditari in operibus eius, & ea memoria consolari in aduersitatibus. Qui autem ignorant, incurrent in illud, Psal. 28. Quoniam non intellexerunt opera Dei, & opera manuum eius destrues eos, & non ædificabis eos. Psal. 26 Sunt enim ingrati uniuersæ curæ Dei, super eos in tota uita habitę, qui in modico puncto curam sui non ei credunt. *Opera Dei nosse.*

CAput IIII. de spectro quarto, quod est malum infernum, seu infra nos.

ADhuc non aliud uidimus in omnibus malis, quæ patimur, quā quod diuina bonitas tanta tanquam præsens sit, ut inter innumera mala, quibus sumus in hac uita circundati, & penitus in eisdem incancerati, uix paucula, nec ea omni tempore sinantur nos impetere. Ita ut quoduis malum præsens, quo premimur, non nisi monitorium sit lucri cuiusdam magni, quo nos honorat Deus, dum non sinit nos opprimi multitudine malorum, in quibus sumus. Quod enim miraculum, si quis infinitis ictibus tentetur, vel uno saltem aliquando tangatur? Imo gratia est non omnibus feriri, miraculum est non multis feriri. *Malum infra nos* *Malum præsens donum Dei.*

Primum itaque eorum, quæ infra nos sunt, malorum est mors, alterum infernus. Mortem aliorum tam uariam tam indignam consideremus, qua plectuntur peccatores, facile uidebimus, quanto nos lucro minora meritis nostris patiamur. Quot enim laqueo, furca, aqua, strangulantur, aut gladio quoque feriuntur, qui longe minora peccata forte fecerunt, quam nos? Ita ut illorum mors & miseria nobis a Christo quoque pro spectro obijciatur, in quo uideamus, quid nos meruerimus. *Mala infra nos.* *Maleficiorum supplicia nobis a Deo obiiciuntur pro spectro.*

Sic enim Luc. 13. cum ei nunciarent quidam de Galilæis, quorum Pilatus sanguinem miscuerat cum sacrificijs eorum, respondit: Putatis, quod hi Galilæi prę omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt?

Non dico uobis. Imo nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis: Sicut illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloa, & occidit eos. Putatis, quod & ipsi debitores erant, præter omnes homines habitantes Ierusalem? Non dico uobis, Imo si pœnitentiam non egeritis, omnes peribitis. Neque enim cogitare possumus, mitiora nobis deberi mala, qui maiora, vel similia peccata commisimus. Neque iusticia & ueritas Dei propter nos iniqua & mendax erit, quæ unicuique iuxta opera sua reddere disposuit, Si non ipsi peruenerimus, & saltem paruulo malo patienter tolerato satisfecerimus.

Iuxta opera unicuique redditur.

In inferno uero & æterna damnatione quot milia sunt, qui nec millesimam peccatorum nostrorum partem habent? quot ibi uirgines, pueri, & quos nos innocentes uocamus? Quot religiosi, sacerdotes, coniuges, qui tota uita uisi sunt Deo seruire, & uno forte casu lapsi in æternum plectuntur. Neque enim hic dissimulandum est: Vna est iusticia Dei in quolibet peccato, æqualiter odit, & damnat peccatum in quocunque repertum fuerit. An non hic uidemus inæstimabilem Dei misericordiam, quæ toties meritos non damnauit? Quantum, quæso, est, quod pati possumus, uel tota uita ad pœnam æternam, quam illi uno delicto meriti patiuntur? Nos interim liberi, & multis adeo dissimulatis peccatis seruati. Quod enim hæc Dei beneficia non curamus, aut frigide æstimamus, ingratitudo est, & quædam incredulitatis insensatæ duritia.

Infernus.

Inæstimabilis Dei misericordia.

Ingratitudo nostra

Præterea huc conuehendi sunt tot infideles, Gentes, Iudei, infantes, quibus si data fuissent ea, quæ nobis data sunt, non in inferno, sed in cœlo essent, ac longe minus peccassent. Nam & hoc spectrum Christus nobis Matth. 11. ob oculos ponit, dicens: Væ tibi Chorazin, Væ tibi Bethsaida. Quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & in cinere pœnitentiam egissent. Veruntamen dico uobis, Tyro & Sidoni remissius erit in die iudicij, quam uobis. Væ tibi Capernaum, quæ usque in cœlum exaltata es, usque in infernum descendes. Quia si in Sodomis factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent usque in hanc diem. Veruntamen dico uobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die iudicij, quam tibi.

Laus & amor Deo in quocunque malo debentur.

Videmus ergo, quantum laudis & amoris debeamus optimo Deo nostro, in quocunque malo huius uitę, quod uix stilla una sit eorum, quę meriti sumus, quæ ipse Iob mari comparat & arenæ maris.

CAput V. de spectro quinto, quod est malum sinistrum seu ad sinistram.

Malum sinistrum.

HIC ante oculos ponendus cumulus ille aduersariorũ & malorum hominum, & in ijs primo uidendum, quot mala non intulerunt corpori, rebus, famæ, animabus nostris, quæ uoluissent inferre, nisi Deo disponente non potuissent. Et quanto quis in celsiore loco sedet, & latius regnat, tanto pluribus eiusmodi aduersariorum insidijs, machinis, oblocutionibus & tentationibus est expositus. In quibus omnibus præsentissimam Dei manum licet intelligere & experiri. Quid ergo mirum, si uno aliquando tangamur?

Deinde & eorum propria mala sunt uidenda, non ut eis exultemus, sed ut compatiamur. Sunt autem & ipsi eisdem malis omnibus communiter expositi, quibus nos, ut in prædictis spectris facile est intueri. Verum in hoc

in hoc nobis sunt miseriores, quod extra societatem nostram sunt, tam corporalem quam spiritualem. Nihil est enim hoc malum quod patimur ad illud, quod illi sunt in peccatis, in infidelitate, sub ira Dei, sub imperio diaboli, mancipia miserrima impietatis & peccati, ita, ut, si totus mundus eis malediceret, peiora imprecari non posset. *Impiorum aduersariorum miseria.*

Quę omnia si digne uideamus, simul uidebimus, quanto benigniore Dei dignatione in fide, in regno Christi, in seruitute Dei toleramus paruulum corpusculi aliquod incommodum, quod in tanta rerum optimarum opulentia ne sentiri quidem oporteat, quin & illorum miseria sic debet Christiano & pio cordi esse molesta, ut suas molestias delitias arbitretur. Sic enim iubet Paulus Philip. 2. Singuli quæ sunt aliorum considerantes, non quæ sua. Hoc enim sentite in uobis, quod & in Christo Ihesu. Qui cum in forma Dei esset, formā serui accepit &c. Hoc est, affectu pijssimo nostrā formā induit, non secus se gerens in malis nostris, quā si sua essent propria, ita sui suorumque bonorum oblitus & exinanitus, ut omnino inueniretur in similitudinem hominum factus, nihil humani alienum a se ducens, tantummodo nostris malis occupatus. *Molestiæ quæ iusto accidunt, delitiæ sunt.*

Hoc affectu animati & eo spectro commoti, solent Sancti pro malis etiam inimicis suis orare, & omnia facere exemplo Christi, & obliti suarum iniuriarum uel iusticiarum anxij esse, quomodo illos liberent a malis suis, quibus incomparabilter magis cruciantur, quam suis corporalibus malis. Sicut de Lot scribit S. Petrus. 2. Pet. 2. Habitans inter eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibus cruciabant. *Sancti pro inimicis suis orant.* *2. Pet. 2.* *Lot.*

Vides ergo, quanta hic appareat abyssus malorum, & occasio miserendi & compatiendi, simul paruuli nostri mali obliuiscendi, si charitas Dei in nobis fuerit, quam nihil nos Deus pati permittat ad ea, quæ illi patiuntur. Quod uero hęc nos leuiter mouent, in causa est, quod oculus cordis non satis purus est, quo uideremus, quanta sit ignominia & miseria hominis sub peccato iacentis, id est, a Deo separati & a diabolo possessi.

Quis enim tam ferreus est, qui non contabescat ad miserandam speciem eorum, qui in foribus Ecclesiarum & plateis iacent corrosis uultibus, exesis narib. & oculis, alijsque membris sanie & putredine fœde consumptis, ita ut animus exhorrescat cogitare, nedum sensus ferat intueri? At quid his lachrymandis nostræ carnis & fraternæ similitudinis monstris Deus intendit, nisi ut oculos mentis nostræ aperiat, quo uideamus, quanto horribiliore specie anima peccatoris saniem & putredinē suam ostentet, etiam si ipse in purpura & auro & rosis & lilijs agat, tanquam paradisi filius? At quanti sunt peccatores in mundo ad unum illorum saniosorum comparati? Hæc sane mala infinita, tum magnitudine, tum multitudine contempta in proximis, faciunt, ut nostrum, vel unum minutissimum nobis solum & maximum uideatur. *Anima peccatoris.*

Sed age, & in corporalibus malis necesse est peiore sint conditione, quam nos. Quid quęso potest eis dulce & pure iucundum esse, etiamsi omnia quę uelint habeant obtineantque, quando conscientia eorum quieta esse non potest? An est malum atrocius, quam mordax conscientiæ tumultus? Dicit enim Isa. 57. Impij sicut mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus. Itaque illud Deut. 28. in illis uideas: Dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit uita tua quasi pendens ante te, timebis die ac nocte, & non credes ui- *Conscientia inquieta.* *Isa. 57.* *Deut. 28.*

 tæ tuæ

tę tuę. Mane dices: Quis det mihi uesperum? Et uespere: Quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea quæ tuis uidebis oculis.

Breuiter, qui mala malorum omnia digno affectu uideret, siue inimicorum siue amicornm, non solum suorum obliuisceretur, & nihil se pati sibi uideretur, uerum & cum Mose & Paulo Apostolo æstuaret, ut pro eis mori liceret, & anathema a Christo fieri, ac de libro uitæ deleri (ut Rom. 9. scribitur) quo illi liberarentur. Hoc enim zelo & incendio Christus ardens, pro nobis, & mortuus est, & ad inferos descendit, nobis exemplum relinquens, ut & nos pro aliorum malis ita simus soliciti, nostrorum penitus obliti, imo nostrorum cupidi. Rom. 9.

CAput VI. de spectro sexto, quod est malum dextrum, seu ad dextram.

Malum dextrum.

Amicorum malis nostra mitigare docemur.

Sanctorum festa cur celebrentur.

A Dextris sunt Amici nostri, quorum malis nostrum malum mitigari etiã S. Petrus docet .1. Pet. 5. Resistite diabolo fortes in fide, scientes easdem passiones ei, quæ in mundo est, fraternitati uestræ fieri. Ita & Ecclesia orat in precibus, ut exemplis Sanctorum prouocati, uirtutem passionis eorum imitemur, Cantatq; omnes Sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi peruenirent ad palmam martyrij.

Ex quibus uerbis & canticis Ecclesiæ intelligimus, Sanctorum festa, memorias, templa, altaria, nomina, imagines, ideo celebrari & multiplicari, ut eorum exemplo animemur ad perferenda eadem mala, quę ipsi tulerunt. Qua ratione nisi colantur, omnis alius cultus eorum superstitione non uacet, oportet, ut sunt multi, qui celebrant hæc omnia, ne malum, quod Sancti exemplo & memoria sui ferendum docent, ferant, fiantq; dissimiles eis, quorum festa habent, ut similes fierent.

Verum longe omnium pulcherrime hunc locum consolationis tractat Apostolus Ebr. 12. dicens: Nondũ usq; ad sangninem restitistis, aduersus peccatum repugnantes, & obliti estis consolationis, quæ uobis tanq; filijs loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit, in disciplina perseuerate, tanq; filijs uobis se offert Deus. Quis enim filius, quem non corripit Pater? Quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis? Deinde Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos, nõ multo magis Patri spirituũ obtemperabimus, & uiuemus? Omnis autem disciplina in præsenti quidem non uidetur esse gaudij, sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iusticiæ. Hæc Paulus. Hebr. 12.

Filii Dei non sunt qui extra disciplinam sunt.

Quis non terreatur his paulinis uerbis, ubi plane definit, non esse filios Dei, qui extra disciplinam Dei sunt? Quis uero possit robustius confirmari, & efficacius consolari, quam qui audiat eos diligi a Domino, qui castigantur, esse filios, esse omnium Sanctorum communione preditos, non eos solos esse, qui patiuntur? Etiam amabilem disciplinam hæc exhortatio uehemens reddet.

Vnicuiq; datur tentatio ad mensuram

Nec patet hic excusandi locus, quod alij mitiora ferant, alij duriora, unicuiq; enim datur tentatio ad mensuram, non supra uires, ut Psal. 80. Cibabis Psal. 80.

babis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura. Quod & Paulus dicit: Fidelis Deus, qui non permittit uos tentari ultra quam potestis, sed faciet cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Vbi ergo maius malum, ibi plus prouentus, & auxilij diuini, ita ut inæqualitas passionum magis in speciem pateat quam re uera sit. Nam & S. Iohannes Baptista, quem hodie decollatum ab Herode recordamur, nonne stupore nos omnes confundit? quod tantus uir, quo maior inter mulieres non surrexit, amicus unicus sponsi, præcursor Christi, maior Prophetis omnibus, non saltem publico iudicio occiditur, non saltem uel ficta causa, sicut Christus accusatur, nec propter populum, sed in carcere propter saltatricem adulteræ filiam. Vnius huius Sancti ignominiosa mors, & tradita uita tam uiliter, tam indignis modis in manus infensissimæ adulteræ, uniuersum nostrum malum leniat. *S. Iohannis Baptistæ ignominiosa mors.*

Vbi hic Deus, qui talia uidere potuit? Vbi Christus, qui hæc audiens prorsus tacuit? Perit ille, ac si ignotus esset Deo, hominibus & omnibus creaturis. Quid nos patimur, in quo non dico gloriari, sed etiam non confundi oporteat, si huius morti comparatum fuerit? Aut ubi nos parebimus, si nihil pati uoluerimus, quando tanti uiri etiam mortem tam despectam ferunt immeriti, & corpus eorum ludibrio hostium traditur post mortem. Ecce inquit, in Ieremia, quibus non erat iudicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu innocens relinqueris, non relinqueris innocens, sed bibens bibes.

Recte ergo Eremita ille, qui cum singulis annis ægrotasset, uno aliquando anno integro sanus uehementer tristabatur & plorabat, causans quod Deus esset eius oblitus, & gratiam suam ei negasset, Adeo scilicet necessaria & salutaris est disciplina Domini omnibus Christianis. *Eremita.*

Videmus autem, quam nihil est, quod nos patimur, si Sanctorum ungulas, carceres, ferrum, ignem, bestias, & infinita tormentua consideremus, imo si & præsentium nobiscum in hac uita grauissimas diaboli persecutiones patientium ponderemus tentationes. Neque enim desunt, qui acrius & grauius patiantur, quam nos, tam in spiritu quam corpore. *Necessaria disciplina omnibus Christianis.*

Dicunt hic aliqui: Hoc queror, quod mea passio Sanctorũ passionibus nõ comparari possit, quia peccator sũ, nec dignus illis cõparari. Illi pro innocentia sua, ego pro peccatis meis patior, ideo nihil mirum illos iucunde omnia pertulisse. Hoc uerbum magnæ stulticiæ est, si enim pro peccatis, pateris gaudendum est tibi, quod purgantur peccata tua. An non & Sancti fuerunt peccatores?

Sed Herodis & Latronis sinistri similem te esse formidas? Non es, si patiens fueris. Latronem enim sinistrum & dextrum quis discernit, nisi patientia & impatientia? Si es peccator, bene, & Latro erat peccator, sed patientia iusticiæ & sanctitatis gloriam meruit. Ita & tu fac similiter. Non enim pati potes, nisi aut pro peccatis, aut pro iusticia, utraque passio sanctificat & beatum facit, si dilexeris eam. Quare nulla est reliqua excusatio. Denique quam cito confessus fueris, te iuste pati pro peccatis, iustus es & Sanctus, sicut Latro dexter. Confessio enim peccati, quia ueritas est, iustificat & sanctificat, ac sic mox in momento huius confessionis iam non pro peccatis, sed pro innocentia pateris. Iustus enim non patitur nisi innocenter. At iustus factus es confessione meritæ passionis & peccatorum tuorum. Quare & uere & digne tua passio comparatur passionibus Sanctorum, sicut uere digne tua confessio peccatorum *Herodes. Latro Sinister. Confessio peccati. Iustus non nisi innocenter patitur.*

torum comparatur confessioni Sanctorum. Vna enim omnium ueritas, omnium confessio peccatorum, omnium passio malorum, & uera communio Sanctorum, in omnibus & per omnia.

CAput VII. de septimo spectro, quod est malum supernum, seu supra nos.

Ltimo leuandum est cor sursum, & ascendendum in montem myrrhæ cum sponsa. Hic est Ihesus Christus crucifixus, caput omnium Sanctorum, princeps omnium patientium, de quo multi multa, & omnes omnia, sicut decet, scripserunt. Huius memoria Sponsæ commendatur, ubi dicitur: Pone me ut signum super Cor tuum, & sicut signaculum super brachium tuum. Huius agni sanguis in limine signatus arcet percussorem angelum. Ab hoc commendatur Sponsa, quod coma eius sit, sicut purpura regis, (id est, meditatio eius rubet passionis Christi memoria.) Hoc est lignum, quod Moses iussus est mittere in aquas Marath, id est amaras passiones, & dulces factæ sunt.

Christi passio — Cant. 8 — Cant. 7.

Nihil est quod hæc passio non dulcoret, etiam mortem, sicut dicit Sponsa: Labia eius lilia stillantia myrrham primam. Quæ proportio liliorum & labiorum, cum hæc rubeant, & illa albicent? Vtique mystica loquitur, quod uerba candidissima, sint & purissima, in quibus nihil cruentæ amaritudinis aut liuoris, sed suauia & mitia, quibus tamen stillet ac persuadeat primam & electam mirrham, id est, amarissimam mortem. Potentia sunt hæc, purissima labia ac dulcissima, amarissimam mortem (quæ sicut prima myrrha omnem peccati putorem semel tollit) dulcem, nitidam, candidam, acceptabilemque reddere.

Christi passio omnia dulcia reddit. — Cant. 5.

Quomodo fiet hoc. Nempe dum audis Ihesum Christum Filium Dei, suo sanctissimo contactu omnes passiones, ipsam adeo mortem consecrasse ac sanctificasse, maledictionem benedixisse, ignominiam glorificasse, paupertatem ditasse: Ita ut mors uitæ ianua, maledictio benedictionis origo, ignominia gloriæ parens esse cogantur. Iam quomodo potes esse tam durus & ingratus, qui non etiam optes & diligas uniuersas passiones, Christi purissima, sanctissima carne & sanguine tinctas, sanctificatas, innoxias, salutares, benedictas, beatas tibi redditas.

Christus omnia sanctificauit.

Si enim tactu suæ mundissimæ carnis omnes aquas sanctificauit ad baptismum, imo omnem creaturam: Quanto magis tactu eiusdem suæ mundissimæ carnis & sanguinius omnem mortem, omnes passiones, omnes iniurias, omnia maledicta, omnem ignominiam sanctificauit ad baptismum spiritus seu sanguinis? Sicut dicit de eodem passionis baptismo Luc. 12. Baptismo habeo baptisari, & quomodo coartor, donec perficiatur. Vides quantum coartatur, quam anhelat, quam sitit passiones & mortem sanctificare & amabiles reddere. Vidit enim passionibus nos terreri, Vidit mortem expauesci & horreri. Ideo sicut pijssimus Pastor & fidelissimus Medicus huic malo nostro modum positurus, festinat & artatur mori, & tactu suo easdem nobis commendare.

Luc. 12.

Christiani mors.

Ita, ut mors Christiani perinde sit habenda, sicut æneus Mosi serpens, qui speciem quidem serpentis per omnia seruat, sed totus est sine uita, sine motu,

sine motu, sine ueneno, sine morsu, Ita iusti uisi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. Similes sumus morientibus, nec alia est species nostræ mortis, quam aliorum, res tamen alia est. nobis enim mortua est mors. Ita & omnes aliæ passiones similes sunt passionibus aliorum sed specie tantum. Verum re ipsa passiones nostræ sunt impassibilitatis initia, sicut mors initium uitæ. Atq; hoc est, quod Iohan. 8 dicit. Qui sermonem meum seruabit, non uidebit mortem in æternum. Quomodo non uidebit? quia moriens uitam incipit. Ita præ uita, quam uidet mortem uidere non potest. Hic enim nox, sicut dies illuminatur, dum clarior est lux uitæ incipientis, quam mortis desinentis. Hæc omnibus, qui credunt in Christum, rata sunt, secus incredulis.

Iohan. 8.

Non uidet mortem Dei sermonem seruans.

Proinde, si tunicam Christi, uasa, hydrias, & quæcunq; tandem Christus tetigit, & quibus usus est pro dulcissimis reliquijs, tanquã suo tactu consecratis, exoscularis, diligis, amplecteris: Cur non multo magis pœnas, mala mundi, ignominiam & mortem, non solum eius tactu consecrata, sed etiam sanguine eius purissimo tincta & benedicta, deinde uoluntate cordis & summa coartante charitate amplexata, diligis, amplecteris, oscularis? Præsertim cum in his multo sint tibi maiora merita, præmia, bona, quam in illis reliquijs. Siquidem in his uictoria mortis & inferni, & omnium peccatorum tibi paratur, in illis nequaquam.

Simile.

O si cor liceat Christi intueri, quando in cruce pendens artabatur, ut mortem redderet mortuam & contemptibilem, quam pro timidis & mortem pœnasq; horrescentibus, ardenter & suauiter mortem & pœnas amplexatus fuit, quam libenter hunc calicem ęgrotis prębibit, ut bibere & ipsi non uereremur, dum, nihil illi mali, sed tantum resurgendo boni contigisse cernimus, Sine dubio fieret illa prima myrrha stillantibus eius labijs, & uerbis Christi eam commẽdantibus iucundissima & dulcissima, sicut odor & species liliorum. Sic & Petrus 1. Pet. 4 Christo in carne passo, & uos eadem cogitatione armamini. Paulus Ebr. 12. Recogitate eum, qui talem sustinuit a peccatoribus contra seipsum contradictionem, ut non fatigemini in animis uestris deficientes.

Christus ardenter calicem nobis præbibit.

1. Pet. 4. Hebre. 12.

Itaq; si in prioribus spectris adhuc infra & iuxta nos positis, malum didicimus tolerare patienter: Certe in hoc ultimo iam supra & extra nos positi, in Christum rapti, omnibus malis superiores facti, non modo toleranda nobis sunt, sed amanda, optanda, quærenda. Atq; ab hoc affectu, quo quisq; remotior est, eo minus in ipso Christi passio ualet, sicut fit in ijs, qui signis & armis Christi utuntur aduersus mala & mortem, ne patiantur, neue moriantur, omnino contrarijs studijs, cruci & morti Christi. Quare in hoc septimo spectro necesse est absorberi & consumi quidquid malorum passi fuerimus, ut iam non modo non doleat, sed & delectet, si tamen imago ista penetret corda nostra, & insideat animi interiori affectui.

Hæc de priore Tabella. Sequitur posterior.

Quæ expectanda in secunda Tabula.



Lteri tabellæ sua quoq; spectra septem danda sunt, contraria prioribus, quorum primum de bono interno, Secundum de futuro, Tertium de præterito, Quartum de inferno, Quintum de sinistro, Sextum de dextro, Septimum de superno.

Caput I.

CAput I. de spectro primo, quod est bonum internum.

Bonum internum.

T quis uel sola hæc bona numeret, quæ quisque in sua persona possidet? primo, corporis dotes quantæ sunt? forma, robur, ualetudo, uiuacitas sensus, quibus in masculo accedit nobilissimus sexus, quo multis rebus, tum priuatis, tum publicis gerendis, & egregijs facinoribus idoneus est, a quibus mulier aliena est. Quid uero magni est si his donis optimis decem, uiginti, triginta annis cum uoluptate, dono Dei sis usus, & in uno horum aliquando uel decem diebus labores? Nebulones prouerbio dicunt: Ey es ist umb ein böse stund zu thun/ Et iterum: Ein gute stund ist einer bösen werd. Quid nobis faciendum, qui multas horas bonas accipimus, & ne unam quidem ferre uolumus malam? Videmus ergo, quantis obruamur bonis Dei, & quam paucis uix tangamur malis saltem nostrum plurimi.

Corporis dotes.

Externa bona.

Deus iustus æquus omnibus.

His bonis non contentus optimus Deus, adijcit diuitias, copias omnium rerum, si non omnibus certe multis, & his potissimum, qui infirmi sunt ad ferenda mala. Nam, ut prius dixi, quibus minus dat rerum aut corporis, plus dat animi, ut sint omnia æqualia, & ipse iustus Iudex omnium. Neque enim adeo consolantur multæ diuitiæ, quam iucundus animus. Post hæc quibusdam prolem, summam, ut dicitur, uoluptatem, potestatem, principatum, honorem, famam, gloriam, fauorem &c. Quibus si detur longo tempore frui, imo etiam paruo, facile suadebunt, quid faciendum sit in paruulo malo.

Animi bona.

Animi uero bona his omnibus præstantiora, ingenium, scientia, iudicium, facundia, prudentia, atque in his, sicut in cæteris, quoque temperat suæ administrationis æqualitatem, ut quibus plus contulit, non ideo alijs eos prætulit, quibus horum uice, animi maiorem uel pacem, uel hilaritatem contulit.

Cum gratitudine attendenda larga Dei manus.

In his autem omnibus cum gratitudine attendenda est largissima Dei manus, atque nostra infirmitas consolanda, ut in multitudine & magnitudine bonorum non miremur, si misceatur aliquid acerbitatis. Quandoquidem & uoluptuarijs hominibus neque assatura sine salsamento, neque ullus ferme cibus gratus est, qui non acerbiore quopiam sapore sit, uel natus uel conditus. Adeo perpetua & sola dulcedo intoleranda res est, ut & ille recte dixerit: Omnis uoluptas assiduitate sui fastidium parit. Et alius: Labor est demum ipsa uoluptas, scilicet, quod hæc uita impotentior sit, quam ut sine malorum temperatura solis bonis frui possit præ nimia abundantia bonorum. Vnde & Prouerbium illud natum: Oportere ossa esse robusta, quæ ferant dies bonos. Quod ego Prouerbium sæpius considerans admiratus sum, quam miram & ueram sententiam habeat, ut uota hominum contra uota pugnent, qui non nisi bonos dies quærant, quos tamen adeptos minus ferre queant quam malos.

Perpetua dulcedo res intolerabilis.

Difficilius homo potest bonos dies ferre, quam malos.

Quid enim in his Deus nobis commendat, nisi quod in ipsis etiam inimicis crucis mirabilis sit crux, ut non secus illius reliquijs oporteat omnia temperare, & sanctificare, ne pereant, quam carnes sale condire, ne uermiment? Vt quid ergo hanc temperaturam a Deo missam non libentissime acceptamus, quam nisi ille mitteret, impotens nostra uoluptatum & bonorum uita sponte accerseret? Ita fit, ut uideamus, quam uere de Deo dixerit Sapiens: Qui attingit a fine usque ad finē fortiter, & disponit omnia suauiter.

Si enim hæc bona inspiciamus, apparebit uerum esse illud quoque Mosi Deut. 32. Portauit eum in humeris suis, circumduxit eum, & custodiuit quasi pupillā oculi. Quibus possumus obstruere os eorū, quibus huius uitæ plura mala, quam bona inesse ingrati garriunt, cum bona & suauitatis infinita commoda non desint, sed deint qui intelligant cum illo qui dixit: Misericordia Domini plena est terra. Et iterum: Et laudis eius plena est terra. Et Psal. 104. Impleta est terra possessione tua, Delectasti me Domine in factura tua.

Deut. 32. *Psal. 33.* *Psal. 104.* *Infinita huius uitæ commoda.*

Hinc quotidie canit Ecclesia: Pleni sunt cœli & terra gloria tua. Cur hoc? quia multa bona unde laudetur, uerum ab ijs duntaxat, qui uident hanc plenitudinem. Sicut enim de malis Spectro primo diximus tantum est malorum cuique, quanta eorum opinio & cognitio. Ita & bona licet undique nos petant & obruant, tamen tanta sunt, quanta æstimantur. Nam cuncta quæ fecit Deus, sunt ualde bona, non tamē talia ab omnibus agnoscuntur. Quales illi erant Psal. 78. Et pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.

Psal. 78.

Huius Spectri exemplum pulcherrimum & eruditissimum nobis præbet Iob, qui ablatis bonis omnibus dixit: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare nō sustineamus? Vere uerbū aureum & potens in tentatione consolatio. Siquidem & ipse non solum patiebatur, sed ab uxore sua tentabatur ad impatientiam, dicente illi, Adhuc permanes in innocentia tua? Benedic Domino, & morere. Quasi diceret: Manifestum est, quod non sit Deus, qui sic te derelinquit: Cur ergo in illum confidis, ac non potius negato, & sic maledicto eo mortalem te agnoscis, cui post hanc uitam nihil reliquum sit? Hęc & similia & unicuique sua suggerit uxor (id est, sensualitas) in tentatione, quia sensus non sapit quæ Dei sunt.

Iob. 1. *Potens in tentatione consolatio.*

Verum hæc omnia sunt corporalia bona, communia omnibus. Christianus uero alijs longe melioribus pollet internis bonis, id est, fide Christi, de qua dictū est Psal. 45. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbrijs aureis, circundata uarietate. Sicut enim de primi spectri malo diximus, nullum esse tantum in homine malum posse, quod pessimum sit eorū quæ in ipso sunt: Ita optimum bonorum, quod in Christiano est, ipse non potest uidere. Si enim sentiret, mox in cœlo esset, cum regnum cœlorum, ut Christus ait, intra nos sit. Habere enim fidem est ueritatem & uerbum Dei habere: habere uerbum Dei, est Deum omnium factorem habere. Quæ bona quanta sunt, si animæ reuelarentur, in momento e corpore solueretur præ nimia abundantia suauitatis. Vnde recte cætera bona, quæ diximus, sunt uelut monitoria eorū bonorum, quæ intus habemus, quæ nobis per illa uult commendata, quod hæc uita non sustineat ea reuelari, sed misericorditer a Deo abscondūtur, donec creuerint in perfectū suum modum. Non secus ac pij parentes filijs suis quandoque ludicra & minuta donaria donant, quibus animos filiorum alliciant ad spem maiorum.

Psal. 45. *Interna piorum bona.* *Regnum cœlorum intra nos.*

Ostendunt tamen se nonnunquam, & prodeunt foris, dum exhilarata conscientia gaudet in fiducia Dei, libenter de eo loquitur, cum suauitate uerbum eius audit, prompta, & iucunda fit ad seruiendum ei, ad bona opera, ad ferenda mala &c. Quę omnia sunt indicia fidelia latentis ibi infiniti, & incomparabilis boni, quod has guttulas & stillas paruas foras mittit tenui scaturigine. Quamuis nonnunquam fiat, ut contemplatricibus animabus latius reueletur, ita ut absorptæ nesciant, ubi fuerint. Qualia S. Augustinus & mater sua de se confitentur, & multi alij.

Indicia infiniti boni latentis.

Caput

CApuT II. de spectro secundo, quod est bonum futurum, seu ante se.

HIs, qui Christiani non sunt, de futuris bonis parum potest solatij dari in suis malis, quod incerta sint eis omnia. Quanquam in hoc sit magni tumultus autor ille affectus, qui spes uocatur celebris, quo inuicem humana consolatione iubemur sperare meliora, quo grandia molimur in incertum frequentissime, Imo semper falsi, sicut Christus de eo in Euangelio Luc. 12. docet, qui animæ suæ dixit: Destruam horrea mea, & faciam ampliora, & dicam animæ meæ, Requiesce, ede, bibe, epulare anima mea, habes multa bona in plurimos annos. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te, & quæ parasti cuius erunt? Sic est qui thesaurizat, & non est in Deum diues.

Spes magni tumultus autor. *Qui non est in Deo diues, qualis sit.* *Luce 12.* *Rom. 2.*

Quanquam nec sic Deus reliquerit filios hominum, quin hoc affectu mali amouendi & boni accessuri eos soletur, licet incerti sint de futuris, certi tamen sperant, quo interim sustinentur, ne desperationis malo adiecto, præsens malum non ferant, & peiora faciant. Quare & ipse affectus spei eiusmodi donum Dei est, non quod eo uelit eos niti, sed moneri ad spem solidam, quę est in ipsum solum. Ideo enim longanimis est, ut adducat eos ad pœnitentiam, ut Rom. 2. dicit. Nec sinit statim, & omnes falli hac fallaci spe, si quo modo redeant ad cor, & uere sperent.

Affectus spei

Christianis uero præter hæc bona dupla sunt, maxima bona certo futura, sed per mortem & passiones. Siquidem & ipsi gaudent communi illa spe incerta finiendi mali præsentis, & augendi boni contrarij. Quanquam id non adeo curent, quam quod bonum suum proprium augetur, quod est ueritas in Christo, in quo promouent de die in diem, propter quod & uiuunt & sperant.

Christianorum bonum proprium.

Sed ultra hæc dixi, duo maxima futura habent in morte. Primum, quod morte finitur uniuersa huius uitæ malorum tragædia, sicut scriptum est: Preciosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius. Et iterum: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Et iustus, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Vbi contra impijs mors initium est malorum, sicut dicit: Mors peccatorum pessima, Et uirum iniustum mala capient in interitu. Sic Lazarus consolabitur, qui recepit hic sua mala, ubi Epulo cruciabitur, quia recepit hic sua bona.

Piorum mors. *Impiorum mors.* *Psal. 116.* *Psal. 4.* *Psal. 34.* *Psal. 140.*

Sic fit, ut Christianus siue moriatur, siue uiuat, semper melius habeat. Adeo beata res est, esse Christianum, & in Christum credere. Vnde Paulus dicit: Mihi uiuere Christus est, & mori lucrum. Et Rom. 14. Qui uiuit, Domino uiuit, qui moritur, Domino moritur. Siue ergo uiuimus, siue morimur, Domini sumus. Hanc securitatem Christus nobis obtinuit, quod mortuus est, & resurrexit, ut Dominus, esset uiuorum & mortuorum, potens nos facere securos, tam in uita quam in morte, sicut Psal. 23. dicit: Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Beata res est, in Christum credere. *Fides in Christum.* *Philip. 1.* *Rom. 14.* *Psal. 23.*

QVod si hoc lucrum mortis parum mouet, signum est fidem Christi infirmam in nobis esse, quæ precium & lucrum bonæ mortis non satis æstimat, aut bonam esse mortem nondum credit, impediente scilicet nimium adhuc uiuace uetere homine & sapientia carnis. Conandum itaque est, ut ad mortis hoc beneficium cognoscendum & amandum promoueamur.

Magna

Magna res est mortem, quæ alijs maximum malorum est, maximum lucrum nobis fieri. Et nisi hoc Christus nobis præstitisset, quid dignum tanto impendio suipsius fecisset? diuinum opus est plane, quod fecit, ideo non ulli mirum, quod mortis malum fecerit optimum.

Mors fidelibus mortua est.

Proinde mors iam mortua est fidelibus, nihilq; habet terribile, præter speciem & laruam. Non secus ac serpens occisus, habet quidem speciem priorem terribilem, re uera tamen sola species ibi est, & mortuum malum ac iam innoxium. Imo sicut Nu. 21. Serpentem æneum iussit erigi, cuius aspectu uiui Serpentes peribant: Ita & mors nostra fideli & firmo intuitu mortis Christi perit, ac iam non apparet nisi figura quædam mortis. Adeo nobis infirmis præludit misericordia Dei, his pulchris figuris, ut mortem, quoniam non oportet auferri, tamen usq; ad speciem solam uirtutem eius euacuet, ob quam rem & somnus potius uocatur in Scripturis, quam mors.

Mors Christi. *Mors somnus.*

Secundum mortis bonum.

Alterum bonum mortis, quod non solum finit mala pœnarum huius uitæ, sed, quod præstantius, finem ponit uitijs & peccatis, quod animabus fidelibus longe plus mortem reddit optabilem, ut diximus supra, quam iam dictum bonum, Siquidem mala animæ, quæ sunt peccata, incomparabiliter peiora malis corporis sunt. Quæ sola si saperemus, nobis mortem amabilissimam facerent. Si autem non faciunt, signum est, quod mala animæ nostræ non satis sentimus nec odimus.

Mala animæ.

Cum ergo hæc uita sit periculosissima, undiq; lubrico peccato nobis insidiante, deinde nec sine peccato uiuere possumus: Optima mors ab his periculis nos soluit, & peccatum penitus abscindit a nobis. Vnde in laudem iusti, Sap. 4. perorat: Placens Deo, factus dilectus, & uiuens inter peccatores translatus est, raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malicia (o q; hæc uera sunt & assidua) Consummatus in breui expleuit tempora multa, Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatis.

Hæc uita periculosa. ...ap. 4.

Ita (misericordia Dei) mors, quæ homini peccati pœna fuit, Christiano peccati finis & uitæ ac iusticiæ initium facta est. Quocirca qui uitam & iusticiam amat, ministram & officinam earum mortem non exhorrescat, sed amet, necesse est, Alioqui nec ad uitam, nec ad iusticiã unquam perueniet. Qui uero non potest, oret Deum ut possit. Nam ideo docemur dicere: Fiat uoluntas tua, quia nos eam ex nobis facere nequimus, qui potius mortem timentes, mortem & peccatum amamus, quam uitam & iusticiam diligamus.

Mors Christiano finis peccati.

Nam quod mortem Deus in peccati occasum ordinarit, hinc quoq; colligi licet, quod Adæ statim post peccatum imposuit mortem uelut emendam peccati, atq; id antequam eijceret de paradiso. Vt nobis ostenderet mortem nihil mali, sed omne bonum nobis operari, quando in paradiso tanquam pœnitentia & satisfactio imposita est. Verum est enim, quod mors inuidia diaboli intrauit in orbẽ terrarũ, sed hoc eximiæ & diuinæ bonitatis fuit, mortem sic ingressam non sinere tantum nocere, sed apprehensam in peccati pœnam & mortem mox ab initio sui ordinare.

Mors in paradiso nobis tanquam satisfactio imposita. ...p. 1.

Hoc enim significauit, quod cum mortem Adæ in præcepto prædixisset, non tamen postea tacuit, sed denuo mortem imposuit, ac rigorem præcepti temperauit, imo ne meminit quidem mortis ulla syllaba, sed dixit solum: Puluis es, & in puluerem reuerteris. Et, donec reuertaris in terrã

de qua sumptus es. Quasi iam tunc odio habens mortem, quam nec nominare dignaretur. Iuxta illud: Quoniam ira in indignatione eius, & uita in uoluntate eius. Ita uisus loqui, quod nisi mors necessaria fuisset ad peccati abolitionem, ipsam nec scire, nec nominare, nedum imponere uoluisset. Adeo scilicet contra peccatum, quod mortem operatum est, rursus aemulatio diuina non aliud quam ipsam mortē armat, ut hic uideas illud poetae, Necis artificē arte perire sua, Et peccatum a suo fructu proprio perdi & morte, quam genuit, occidi, sicut uiperam a sua prole.

Peccatum suo gladio occiditur.

Hoc est pulcherrimum spectaculum, uidere, quomodo peccatum non alieno, sed suo proprio opere perditur, suo gladio iugulatur & uelut Goliath suo gladio caput amputatur. Nam & Goliath figura fuit peccati, terribilis gygas omnibus, excepto paruulo Dauid, id est Christo, qui solus eum prostrauit & abscisso capite proprio illius gladio, iam meliorem non esse gladium dicit quam Goliath. 1. Sam. 21.

Figura peccati. *1. Sam. 17.* *1. Sam. 21.*

Si ergo haec gaudia uirtutis Christi & dona eius gratiae meditemur, quid nos torquebit malum paruulum, quando in tam magno malo futuro tam magna bona uidemus?

Caput III. de spectro tertio, quod est bonum praeteritum seu ante se.

HVius boni facilis est consideratio ex spectro suo contrario de praeterito malo, tamen iuuemus considerantem. In hac re eximius est artifex B. Augustinus in suis Confessionibus, ubi pulcherrime recitat Dei beneficia in se ab utero matris suae. Idem facit insignis psal. 139. Domine probasti me. Vbi inter caetera prouidentiam Dei super se miratus, dicit: intellexisti cogitationes meas de longe, semitam meam & funiculum meum inuestigasti. Quasi diceret: Quidquid ego unquam cogitaui, quidquid operatus fui, & quantum essem consecuturus ac possessurus, iam uideo quam non mea industria gesta sint, sed tua cura longe ante haec ordinata. Denique omnes uias meas praeuidisti, & non est sermo in lingua mea. Vbi tunc? in potestate tua.

Bonum praeteritū. *Psal. 139.* *Prouidentia Dei super nos.*

Haec discimus experientia propria, Si enim uitam praeteritā recolimus, nonne stupor est nos talia cogitasse, uoluisse, fecisse, dixisse, qualia nos nec praeuidere potuimus, quam longe alia gessissemus, si nostro libero arbitrio relicti fuissemus. Id quod nunc primum intelligimus, tam praesentem scilicet curam Dei, tam constantem solicitudinem eius super nos fuisse cernimus, ut nec loqui, nec uelle, nec cogitare potuerimus, nisi ꝙ ille dedisset; Sicut Sapien. 7. dicit: In manu enim illius & nos & sermones nostri. Et paulus: Qui operatur omnia in nobis.

Cura Dei pro nobis.

Quin ergo pudescimus insensati & duricordes, qui propria experientia docti uidemus, quam solicitus pro nobis fuerit in hanc horam Dominus, & omnia nobis bona dederit, Nec dum possumus eandem nostri curam ei in paruulo praesenti malo tradere, ac ita facimus; quasi ille nos reliquerit, aut relinquere ullo modo possit? Non sic Psal. 40. Ego uero egenus & pauper, Dominus solicitus est mei. Vbi B. Augustinus: Habeat curam tui, qui fecit te, qui habuit curam tui antequam esses. Quomodo non habebit curam, cum iam hoc es, quod uoluit ut esses? At nos imperium cum Deo diuisum accipimus, illi tribuimus, quod fecerit nos, atque idipsum tamen uix aut trepide, Nobis arrogamus curam nostri; quasi ille fecerit nos & mox abierit relictis nobis in nostra manu regendis.

Augustini dictum. *Psal. 40.*

Quod

Quod si nobis nostra obstant sapientia & consilia, ut hanc curam Dei super nos nō uideamus, dū forte multa euenerint secundū nostra proposita, Redeamus cum Psal. 139. ad nostrum intuitum: Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, id est, ossa mea in uentre matris tu uidebas, & formabas; quando ergo nondum eram, quando mater mea nondum sciebat quid fieret in ea, & substantia mea in inferioribus terræ, id est, figura, seu forma corporis mei, in uisceribus infimis matris meæ, etiam non fuit tibi abscondita, quia formabas tu eam.

Quid enim his verbis uult, nisi ingenti hoc exemplo nobis ostendere, quam Deus nostri sine nobis semper curam habuerit? Quis enim potest gloriari se cooperatum ut formaretur in utero? Quis dedit matri curam, ut lactaret, foueret, amaret, & omnia illa materna officia exhiberet, cum nos necdū sentiremus uitam nostram? Deniq; quorum nisi in alijs similia facta uidentes, crederemus & nobiscum facta esse, nihil sciremus, nec memores essemus, cum hæc non aliter nobis impensa sint, quam si dormientibus, imo mortuis, ac potius nondum natis impenderentur, quantum ad nostram pertinet noticiam.

Ita uidemus, quam sine nobis nos excipiant diuinæ miserationes & consolationes. Adhuc dubitamus, aut etiam desperamus nostri curam illi usq; hodie esse. Si quem hæc experientia non erudit nec mouet, nescio quid erudire & mouere possit. Hanc enim uidemus passim in omnibus infantulis præsentissime nobis expositā, ita ut nostræ insipientię & duritiæ tot exempla proposita merito nobis debeant esse magno pudori, si dubitemus uel leuissimum bonum vel malum sine singulari cura Dei nobis contingere.

Sic S. Petrus. 1. Pet. 5. Omnem solicitudinem projcientes in eum, quoniam ipsi est cura de uobis. Et Psal. 55. Iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet. Et B. Augustinus ad animam suam in Confess. Quid super te stas, & non stas? projce te in eum, non enim subtrahet manum, ut ruas. Et iterum 1. Pet. 4. Itaq; & hi qui patiuntur secundum uoluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis.

1. Pet. 5. Psal. 55. 1. Pet. 4.

O si quis hac ratione Deum cognosceret, quam securus, quam quietus, quam iucundus ageret. Hic uere Deum haberet, sciens certo omnia sua quæcunq; illa essent, illius suauissima uolūtate disponente sibi obtigisse, & obtingere. Stat firma sententia Petri: Ipsi est cura de uobis. Quid hoc uerbo dulcius audire possumus? Ideo projcite omnem, inquit, solicitudinem in eum.

Quod si hoc non facimus, & nos ipsi pro nobis soliciti sumus, quid aliud facimus, quam quod & Dei curam impedire conamur, & simul nobis ætatem nostram tristem, laboriosam, anxiam multis timoribus, curis, tumultibus facimus? Atq; id frustra. Nec enim quidquam his promouemus salubriter, sed ut Ecclesiast. dicit: Hæc uanitas est uanitatum & afflictio spiritus. Nam & idem Libellus totus in hanc experientiam loquitur, ut qui multa pro se tentauerit, & in omnibus tamen non nisi laborem, uanitatem & afflictionem spiritus inuenerit. Ita ut concludat, donum Dei esse, si quis edat & bibat, & lætetur cum uxore sua, id est, sine solicitudine uixerit, Deo commendata cura sui.

Argumentum Libri Salom: qui Ecclesiastes inscribitur.

Quare & nos nulla alia super nos solicitudine soliciti esse debemus, q̄ ne super nos soliciti simus, & Deo curam nostri rapiamus. Cætera ex spectro contrario, ut dixi, & ex recordatione totius uitæ præteritæ quilibet facile comparabit.

CAput IIII. de spectro quarto, quod est bonum infernum, seu infra nos.

Bonum infra nos.



HVCusque bona uidimus, quæ nostra sunt, & in nobis ipsis, Deinceps ea, quæ in alijs & extra nos posita sunt, uideamus. Quorum primum est in his, qui infra nos sunt, id est, mortui & damnati. Sed mirum, quid boni in mortuis & damnatis possit inueniri? Verum tanta est ubiq; diuinę bonitatis uirtus, ut in summis malis etiam bona det uidere.

Magna diuinæ bonitatis uirtus.

Conferimus autem illos primum ad nos, tunc uidemus inæstimabilia nostra lucra, sicut facile ex contrario malorum spectro accipi potest. Nam quanta illic mortis & inferni mala in eis uidemus, tot sine dubio lucra nostra uidemus, tantoq; maiora, quanto illorum mala fuerint maiora. Quę omnia non sunt leui corde contemnenda, quia misericordiam Dei magnificentissimam nobis uehementer commendant. Et periculum est, si hæc parui duxerimus, ingrati inueniamur simul cum illis damnandi, aut peius cruciandi, Propterea quantum illos dolere & ululare uiderimus, tanto magis de Dei bonitate in nos gaudere debemus, iuxta illud Isa. 65. Ecce serui mei comedent, & uos esurietis. Ecce serui mei bibent, & uos sitietis. Ecce serui mei lętabuntur, & uos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus ululabitis, & dimittętis nomen uestrum in iuramentum electis meis &c. *Isai. 65.*

Exempla male morientium.

Deniq; ut dixi, exempla male morientium & damnatorum (sicut & B. Gregorius in Dialogo refert) nobis ad monitorium & bonum eruditionis prosunt, ut felix sit, quem faciant aliena pericula cautum. Hoc sane bonum quia uulgariter notum est, parum mouet, cum sit tamen inter maxima numerandum, & his qui sensato sunt corde, non modica existimatione probatum. Cum huc uergat magna pars sacræ totius Scripturæ, uidelicet, ubi de ira, iudicijs, comminationibus Dei docetur. Quas saluberrimas doctrinas miserrimorum exempla nobis saluberrime confirmant, quæ tunc primum efficacia sunt, si illorum qui ea ferunt, affectum induti fuerimus, ac uelut in loco & persona eorum simus. Tunc enim mouebunt & monebunt nos ad laudem bonitatis Dei, qui nos ab his seruarit.

Conferimus uero illos etiam ad Deum ipsum, quo diuinam iusticiam in eis uideamus. Hoc etsi arduum est, tamen conandum est. Nam cum sit Deus iustus iudex, iusticiam eius diligi & laudari oportet. Atq; ita in Deo gaudere etiam tunc, quando malos male perdit in corpore & anima, quia in his omnibus summa sua & ineffabilis iusticia lucet. Itaq; infernus quoq; plenus est Deo & summo bono, non minus quam coelum. Iusticia enim Dei ipse Deus est, Deus uero summum bonum est. Quare ut misericordia ita & iusticia eius seu iudicium summe amandum, laudandum, prædicandum est.

Dei iusticiā laudari oportet.
Infernus plenus summo bono.

Hoc sensu Dauid dicit: Lætabitur iustus cum uiderit uindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Hac ratione prohibuit Dominus Samuelem .1.Reg.16. ne amplius lugeret Saulem, dicens: Vsq; quo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet super Israel? Quasi diceret: Adeo ne uoluntas mea tibi displicet, ut hominis uoluntatem mihi præferas? Deniq; hæc est illa uox laudis & gaudij per totum Psalterium, quod *1.Reg.16.* *Psal. 58.*

Dominus

Dominus sit iudex uiduarum, & pater orphanorum, quod facturus sit uindictam pauperum & iudicium inopis, quod confundentur inimici, perdentur impij, & multa similia. Quod si quis generationi illi sanguinum, quae occidit iustos (etiam Filium Dei) & impiorum cumulo uelit stulta misericordia compati, iam inuenietur eorum congaudere iniquitati, & probare ea quae gesserunt, dignus qui cum eis similiter pereat, quorum peccata noluit uindicari: Audiet que illud 2. Sam. 19. Diligis odientes te & odio habes diligentes te. Sic Ioab ad Dauid dicebat, quando Absalom impium homicidam suum nimis lugebat. *Deus iudex uiduarum &c.* *Ioab.*

Quare in hoc spectro congaudendum est uniuersae Sanctorum pietati, & iusticiae Dei, quae persecutores pietatis iustissime punit, ut liberet suos electos ab eis. Atque ita uides non parua, sed summa bona in mortuis & damnatis lucere, Nempe uindicatam omnium Sanctorum iniuriam, & tuam quoque si iustus es cum eis. Quid ergo mirum, si & per tuum praesens malum uindicet hostem tuum, id est, peccatum corporis tui? Imo congaudendum tibi in hoc officio optime iusticię Dei, quae etiam te non rogante pessimū tuum hostem, id est, peccatum tuum in teipso sic occidit ac perdit. Cui si cōpatiaris amicus peccati & hostis iusticiae in te operātis inueneris, Quod tibi summe cauendum sit, ne tibi quoque dicatur: Diligis odientes te, & odis diligentes te. Sicut ergo iusticię in tuum peccatum saeuienti, cum gaudio congratulari debes: ita eidem congratuleris in peccatores, hominum ac Dei hostes saeuienti. Vides itaque in summis malis summa bona uideri, & laetari nos posse in summis malis, non propter ipsa mala, sed propter summam bonitatem iusticiae, nos uindicantis. *Iusticia Dei punit persecutores pietatis &c.*

CAput V. de spectro quinto, quod est bonum sinistrum seu ad sinistram.

ADuersarij hic sunt in uita adhuc positi (nam praecedentē de eis iam damnatis ac daemonibus assimilatis cōsiderauimus) hos alio affectu intueri decet, uidendaque duplicia eorum bona. Primo, quod temporalibus abundant, ita ut Prophetae quoque eorum bonis prope commoti sint ad inuidiam, ut Psal. 73. Mei pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum uidens. Et infra: Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. Iere. 12. Iustus quidem es tu Domine, si disputem tecum, uerumtamen iusta loquar ad te. Quare uia impiorum prosperatur? Bene est omnibus, qui praeuaricantur, & inique agunt. *Bonū ad sinistram.* *Psal. 73.* *Iere. 12*

Cur enim tanta super eos bona effundit gratis & perdit? nisi ut nos soletur, & ostendat, quam bonus sit ijs, qui recto sunt corde, ut idem Psal. 73. dicit: Qui malis tam bonus est, quanto magis bonis bonus erit? nisi quod malos nullo malo uexat, Bonos uero multis malis tentat, ut non tantum in bonis praesentibus, sed in absconditis quoque & in futuris eum agnoscant esse bonum sibi, dicantque cum eodem Psal. Mihi uero adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam, Quasi diceret: Etsi aliquid patiar, quo illos liberos uideo, tamen confido, quid mihi Deus multo magis bonus sit quam illis. *Quid impiorum bona significent.* *Psal. 73.*

Atque ita bona uisibilia malorum nobis incitabulum sunt sperandi bona inuisibilia, & cotemnendi mala, quae patimur. Non secus ac Christus Matth. 6. Nos uolatilia coeli, & lilia agri respicere iubet, dicens: Si ergo foenum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic uestit, quan- *Matth. 6.*

to magis uos modicæ fidei? Quare ex collatione bonorum, quibus mali abundant, & mali, quod nos patimur, fides nostra exercetur, & consolatio in Deum (quæ sola sancta est) paratur, adeo necesse est, omnia cooperari in bonum Sanctis.

Impiorum mala nobis bona.

Alterum bonum, quod multo mirabilius est, quod eorum mala nobis bona sunt, Deo sic nos curante. Nam etsi peccata eorum sint scandala infirmioribus, firmioribus tamẽ sũt uirtutis exercitũ & occasio pugnę maioris q; meriti. Beatus enim uir, qui suffert tentationem, quoniam cũ probatus fuerit, accipiet coronam uitæ. Quę uero maior tentatio, quam multitudo illa pessimorum exemplorum? Denique hinc mundus unus hostium appellatur sanctorum Dei, quod suis illecebris & impijs operibus nos irritat, prouocat, allicit de uia Dei, in uiam suam, sicut Gene. 6. Viderunt filij Dei filias hominum, quod essent pulchrę, & caro facti sunt. Et Num. 25. Filij Israel ceciderunt cum filiabus Moabitarum.

Iacob. 1.

Hic mundus hostis Sanctorum Dei.

Gene. 6.

Numе. 25.

Ita ut salutare sit, nos semper aliquo incommodo premi, ne mundi scandalis offensi ruamus, & peccemus nos infirmi. Sic Lot commendatur a Petro. 2. Pet. 2. quod a Zodomitarum pessimis exemplis multa passus sit, ut in iusticia sua per hęc promouerit. Necesse est ergo, ut hæc scandala ueniant, quæ operentur nobis pugnam & uictoriam, uę tamen mundo a scandalis. Si autem in peccatis aliorum tanta nobis bona procurat Deus: quanto magis in nostro incommodo nobis bonum operaturus toto corde credi debet, & si sensus, & caro aliud iudicet.

1. Pet. 2.

Scandala uenire necesse.

Non minus boni nobis mundus confert ex altero malorum suorum latere, quod est aduersitas. Nam quos illecebris non potest deuorare & scandalis sibi incorporare, passionibus conatur a se expellere, & malis pœnarũ exturbare, semper aut insidias peccatorum exemplum, aut furias per pœnarum tormentum intentans. Hęc est enim Chymera monstrum, cuius caput uirgineum & blandũ, uenter leoninus & truculentus, cauda serpentina & mortifera. Quia finis mundi tã uoluptatis quam tyrannidis uenenum & mors sempiterna.

Chymera mundus.

Sicut ergo in peccatis mundi fecit nos Deus bona nostra inuenire, ita ut & persecutiones eius non sint frustraneæ & otiosæ, ordinantur nobis ad incrementum bonorum nostrorum, ut hoc ipso, quo nobis nocent, cogantur prodesse, sicut B. Augustinus de paruulis ab Herode necatis dicit: Nunquam potuisset tantum profuisse obsequio, quantum profuit odio. Et B. Agatha gloriabunda ad carcerem tanquam ad epulas iuit, causans in hunc modum: Nisi corpus meum feceris a carnificibus tuis bene contrectari, non potest anima mea cum palma ad paradisum introire. Sicut granum, si non exuta fuerit theca sua, & in area fortiter percutiatur, nõ reponitur in horreũ.

Herodes profuit odio.

B. Agathæ pia fortitudo.

Sed quid hic modica loquimur? cum in hanc rem tota Scriptura, omniũ Patrum scripta & dicta, omnium Sanctorum facta & gesta uideamus consonare. Esse eos utilissimos credentibus, qui sunt eis nocentissimi, modo recte ferantur, ut Petrus 1. Pet. 3. Et quis est, qui uobis noceat, si boni æmulatores fueritis? psal. 89. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Quomodo non nocet, cum sæpius etiam occidat? quia scilicet nocendo maxime prodest. Ita uidemus undique nos in medijs bonis habitare, si prudentes sumus, simul tamen in medijs malis, adeo omnia sunt mire temperata diuinæ bonitatis magisterio.

Nocentissimi credentibus utilissimi.

1. Pet. 3.

Psal. 89.

CAput VI. de spectro sexto, quod est dextrum, seu ad dextram.

Hæc

HAEc est Ecclesia Sanctorum, noua creatura Dei, fratres & amici nostri, in quibus nihil nisi bonum uidemus, non nisi consolationem, non semper quidem oculis carneis, nam sic in contrario spectro sunt malorum, sed oculis spiritualibus. Quanquam & illa eorum bona, quæ uidentur, non reijcienda sunt, quin in his nos consolari a Deo intelligamus. Nam & Psal. 72. non fuit ausus damnare omnes, qui in seculo obtinerent diuitias, dicens: Si dicebam sic, ecce nationem filiorum tuorũ reprobaui, id est, si uolui dicere esse omnes malos, qui diuites, sani, honoratiq; essent, iam etiam Sanctos tuos damnassem, quorum multi in his sunt. Sed & Apostolus Timotheum docet, ut præcipiat diuitibus huius seculi non superbe sapere, diuites esse non prohibens. Et Abraham, Isaac & Iacob, diuites Scriptura refert fuisse. Atq; Daniel cum socijs suis honorati etiam in Babylone fuerunt. Præterea multi reges Iuda sancti fuerunt. Hos itaq; intuitus Psal. dicit: Si dicebam sic, nationem filiorum tuorum reprobaui.

Bonum. ad dextrã.

Psal. 72.

Multi etiam sancti diuites.

1. Tim. 6.

Dat, inquam, Deus etiam suis horum bonorum copiam ad solatium eorum & aliorum. Verum non hæc eorum propria, imo hæc umbra & signa sunt uerorum bonorum, quæ sunt fides, spes, charitas, aliæq; gratiæ & dona, quæ omnia communia fiunt per charitatem. Hæc est communio Sanctorum, in qua gloriamur. Et quis hic non superbiat, etiam in magnis malis, qui credat, id quod res est? Esse scilicet omnium Sanctorum bona sua bona, suum malum esse illorum quoq;. Hoc enim spectrum dulcissimum & iucundissimum est, quod Apostolus ad Galat. 6. hoc uerbo pingit: Alter alterius onera portate, & sic implebitis legem Christi.

Communio sanctorum.

Galat. 6.

Nonne bonum est hic nos esse, ubi si unum membrum (ut 1. Corinth. 12. dicit) patitur, compatiuntur & omnia membra, si unum glorificatur, cõgaudent omnia membra. Itaq; dũ ego patior, patior iam nõ solus, patitur mecum Christus, & omnes Christiani, sicut dicit: Qui tangit uos, tangit pupillam oculi mei. Ita onus meum portant alij, illorum uirtus mea est. Fides Ecclesiæ meæ trepidationi succurrit, castitas aliorum meæ libidinis tentationem suffert, aliorum ieiunia mea lucra sunt, alterius oratio pro me solicita est, Et breuiter, ita inuicem solicita sunt membra, ut honestiora etiam inhonesta tegant, seruent, honorent. Sicut 1. Corinth. 12. pulchre describit. Atq; ita uere gloriari possum in aliorum bonis tanquam meis proprijs. Atq; tunc uere & mea sunt, si gratulor & congaudeo eis. Sum ergo turpis & fœdus, at illi quos amo, quibus applaudo, formosi decoriq; sunt. Quo amore mihi non solum eorum bona, sed eos ipsos facio meos, quare sub horum gloria facile mea honorabitur ignominia, eorum abundantia mea implebitur inopia, eorum merita meis medebuntur peccatis.

1. Cor. 12.

Zach. 2.

1. Cor. 12.

Quis ergo queat desperare in peccatis? quis non gaudeat in pœnis, qui sua peccata & pœnas iam neq; portat, aut si portat, non solus portat, adiutus tot sanctis filijs Dei, ipso deniq; Christo? Tanta res est communio Sanctorum, & Ecclesia Christi. Quod si quis hæc non fieri aut geri credit, hic infidelis est, Christum & Ecclesiam negauit. Nam etsi non sentiatur, uere tamen agitur, Imo quis non sentiat? Nam quod non desperas, quod non impatiens efficeris, quis in causa est? Tua uirtus? Nequaquam, sed communio Sanctorum, Alioqui nec ueniale peccatum ferres, nec uerbum hominis contra te sustineres, adeo prope est Christus & Ecclesia.

Communio sanctorum.

Hoc est, quod dicimus: Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam. Quid est credere Ecclesiam sanctam, quam Sanctorum

Credere Ecclesiam sanctam &c.

communionem? Quo communicant autem Sancti? Nempe bonis & malis omnia sunt omnium, sicut figurat Sacramentum altaris in pane & uino, ubi unum corpus, unus panis, unus potus ab Apostolo dicimur. Quis enim offendit particulam corporis, in quo non totum corpus offendat? Quid patitur extremus pedis folliculus, quod non patiatur totum corpus? quod beneficium confertur in pedibus, in quo non gaudeat corpus totum? At nos unum corpus sumus. Quidquid alius patitur, ego patior & fero: Quidquid bene fit ei, mihi fit. Ita Christus dicit, sibi factum quod suis minimis factum fuerit. Quis panem altaris quantumlibet particula accipiens, non dicitur panem accepisse? Quis particulam eius contemnens, non panem contempsisse dicitur?

Credere Ecclesiã sanctam &c.

1. Cor. 10.

Quare si dolemus, si patimur, si morimur, huc feratur intuitus, & fortiter credamus, ac certi simus, quod non nos, aut non soli, sed Christus & Ecclesia nobiscũ dolet, patitur, moritur. Adeo scilicet nobis Christus noluit mortis uiam esse solitariam, quam omnis homo horret, sed comite tota Ecclesia, uiam passionis & mortis ingredimur, & fortius Ecclesia tolerat, quod nos ipsi, ut uere possimus illud Elisæi 2. Reg. 6. nobis optare, quod ad seruũm suum timidum dixit: Noli timere, plures nobiscum sunt quam cum illis. Cumq; orasset Elisæus ait: Domine, aperi oculos pueri huius, ut uideat: Et aperuit Dominus oculos pueri, & uidit. Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisęi. Hoc solum & nobis restat, ut oremus, quo nobis aperiantur oculi & uideamus Ecclesiam in circuitu nostro, fidei inquam oculi, tunc nihil est quod timebimus, Sicut & Psalmus. 124. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc & usq; in seculum.

Christus, Ecclesia, patitur, moritur nobiscum &c. Elisæus.

2. Reg. 6. Psal. 124. Matt. 25.

Amen.

CAput VII. de spectro septimo, quod est bonum supernum, seu supra nos.

Nihil de æternis & cœlestibus bonis loquor, quibus Beati fruuntur in uisione clara Dei, aut saltem de eis in fide loquor, & qua ratione nobis possunt esse comprehensibilia. Ita hoc septimum spectrum est Ihesus Christus rex gloriæ resurgens ex mortuis, sicut idem fuit septimum spectrum malorum passus, moriens & sepultus. Hic uidere licet summum cordis nostri gaudium, & stabilia bona: Nihil hic prorsus malorum, quia Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: Hic est caminus charitatis & ignis Dei in Zion, ut Isa. dicit. Christus enim natus est nobis, non solum autem, sed & datus est nobis. Quare resurrectio eius mea est, & omnia, quæ per resurrectionem suam operatus est. Et (ut Apostolus Rom. 8. exuberantissime gloriatur) quomodo non omnia donauit nobis cum illo?

Cordis nostri summum gaudium.

Rom. 6. Isai. 31. Isa. 9. Rom. 8.

Quid autem operatus est resurgendo? nempe peccatum destruxit, iusticiam suscitauit, mortem absumpsit & uitam reddidit, infernum uicit, & gloriam sempiternam contulit. Hæc sunt inæstimabilia, ita ut mens hominis uix audeat ea credere sibi donata esse, uelut Iacob Gene. 45. Cum audiret filium suum Ioseph regnare in Aegipto, quasi de graui somno euigilans non credebat eis, donec illis repetentibus omnia, plaustra quoq; ostenderent missa a Ioseph. Ita uere difficile est credere, tanta bona nobis indignis in Christo collata, nisi multis uerbis, ac ut multis apparationibus sese Discipulis manifestauit, Ita nos tandem, uelut plaustris, usu & experientia doceat ita credere.

Resurrectio Christi

Gen. 45.

Plaustrum

Plaustrum sane est suauissimum, quod factus est nobis iusticia, sanctifica tio, redemptio, sapientia a Deo, ut. 1. Cor. 1. Apostolus dicit: Ego enim peccator sum, sed uehor in eius iusticia, quæ mihi data est. Immundus sum, sed sanctificatio mea est sua sanctitas, in qua suauiter uehor. Stultus ego sum, sed sapientia eius uehit me. Damnabilis sum, sed libertas eius redemptio mea est plaustrum securissimum. Ita ut Christianus, modo id credat, de meritis Christi & omnibus eius bonis non aliter queat gloriari, quam si ipsemet ea fecisset. Adeo sunt eius propria, ita ut iam securus etiam Dei iudicium expectare audeat, quod tamen insustentabile est.

1. Cor. 1.

Tanta res est fides, tanta nobis bona parit, tam gloriosos Dei filios constituit. Neq; enim filij esse possumus, nisi paterna bona hæreditemus. Dicat ergo Christianus cum fiducia: Vbi est mors uictoria tua? Vbi est mors stimulus tuus, id est, peccatum? Stimulus enim mortis peccatum est, uirtus autem peccati Lex. Deo autem gratia, qui dedit nobis uictoriam per Ihesum Christum Dominum nostrum. Hoc est, Lex facit nos peccatores, peccatum facit nos reos mortis. Quis hæc duo uicit? Nostra iusticia? nostra uita? non, sed Ihesus Christus a morte resurgens, peccatum & mortem damnās, suam iusticiam nobis impartiens, sua merita nobis donans, suam manum super nos ponens, & bene habemus & Legem implemus, & peccatum mortemq; superamus. De quo sit honor, laus & gratiarum actio Deo in secula seculorum.
Amen.

Fidei.

1. Cor. 15.

Christianus omnium Dominus.

Hoc ergo spectaculum supremum, in quo iam non modo supra mala nostra, sed etiam supra bona nostra eleuati sumus, & sedemus iam in bonis alienis, alieno labore partis, qui prius iacuimus in malis, alieno peccato conquisitis, & nostro auctis. Sedemus, inquam in iusticia Christi, qua ipse iustus est, quia huic nos adhæremus, per quam ipse Deo placet, & pro nobis Mediator interpellat, & totum se nostrum facit optimus sacerdos & patronus. Quam ergo impossibile est, ut Christus in sua iusticia non placeat, tam impossibile est, ut nos fide nostra, qua illius iusticiæ inhæremus, non placeamus. Quibus fit ut Christianus sit omnipotens, omnium Dominus, omnia habens, omnia faciens, prorsus sine ullo peccato. Quod si etiam in peccatis sit, tamen necesse est ut non noceant, sed donentur propter insuperabilem & omnia peccata exhaurientem iusticiam Christi, in qua fides nostra nititur, fortiter credens talem nobis esse Christum, qualem diximus. Nam qui id non credit, surdus fabulam audit, nec Chirstum agnoscit nec ad quid prosit, nec quis eius usus sit, intelligit.

Quare uel hoc unum spectrum, si nulla sint alia, tanta nos potest consolatione imbuere, si bene & corde intento spectetur, ut non modo malis nostris non doleamus, sed etiam gloriemur in tribulationibus pre gaudio, quod in Christo habemus, uix ea sentientes. Qua gloria nos erudiat ipse Christus Dominus ac Deus noster, in secula benedictus.
AMEN.

His

TESSAR. CONSOLATORIA D. M. L.

HIs cogitationibus meis, illustrissime Princeps, officium quale-cunque paupertatis meæ testantibus, me illustrissimæ Dominationi tuæ commendo, maiora afferre paratissimus, si facultas spiritus mei uotis responderit unquam. Neque enim aliquando non ero debitor, cum cuiuis meo proximo, tum maxime illustrissimæ Dominationi tuæ, quam nobis & clementi bonitate diu seruet incolumem, & fœlici tandem fine ad se reducat Dominus noster Ihesus Christus. AMEN.

Illustriss. D. T.
deditus Mart. Luth.

MARTHINVS LVTHERVS.

HVNC Librum niter initia causæ meæ scripsi ad optimum Principem Fridericum Saxoniæ Ducem, cum ægrotaret grauiter, placuit autem multis, ut excuderetur. Sed cum toties recuderetur, ita deprauatus & mutilatus est, ut multum uerborum desiderem, quę nec ipse diuinare possum, qualia fuerint, Sententias uero utcunque restitui, sed tales, quales ab initio me puto habuisse. Nec eas nunc mutare aut ornare uolui, sicut possem. Volo enim hoc libro, testimonium ostendere mei profectus, & gratificari Antilogistis, ut habeant, quo suam malitiam exerceant. Mihi satis est, si Christo Domino meo & suis Sanctis placuero. Diabolo & suis squamis inuisum me esse ex animo lætor & gratias Deo meo ago.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO FRIDERICO, SAXONIAE DVCI, SAcri Romani Imperij Archimarschallo & Electori, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Misnæ, Domino suo clementissimo.

Dominus

Ominus noster Ihesus & Saluator noster reliquit mandatum, quod pariter ad omnes Christianos pertinet, ut officia humanitatis, uel potius (ut Scriptura uocat) misericordiæ opera afflictis & calamitosis præstemus, Vt morbo oppressos uisitemus, captiuos liberare studeamus, & alia eiusmodi Proximo nostro faciamus, quibus præsentia mala nonnihil releuentur.

Atq; huius mandati Dominus noster Ihesus Christus in seipso illustrissimum exemplum nobis proposuit, quod propter immensum erga genus humanum amorem, ex sinu Patris in nostras miserias & carcerem nostrum, hoc est, in carnem & calamitosissimam uitam nostram se demisit, ac nostrorum peccatorum pœnam recepit in se, ut nos saluaremur. Sicut dicit Esa. Cap. 43. In peccatis tuis fecisti me laborare, & in iniquitatibus tuis mihi fecisti negocium &c.

Hoc tam illustre exemplum si quem non commouet, & autoritas diuini mandati addita, si quem non impellit ad hæc charitatis opera præstanda, næ ille merito in nouissimo iudicio audiet uocem irati iudicis: I maledicte in ignem æternum, Fui enim infirmus & me non uisitasti, sed extreme ingratus, pro summis beneficijs in te & uniuersum mundum a me impensis, ne in leuissimis quidem officijs Fratres, imo me Christũ Deum & Saluatorem tuum in fratribus, subleuasti.

Cum igitur, illustrissime Princeps, uideam tuam dominationē graui morbo esse oppressam, & simul Christum in te ægrotare, existimaui officij mei esse, ut aliquo scripto tuam D. uisitarem. Neq; enim dissimilare possum, quod non audiam uocem Christi ex tuæ D. corpore & carne ad me clamantis ac dicentis: Ecce infirmor hic. Ista enim mala, ut sunt morbi & alia, non nos Christiani, sed ipse Christus Dominus & saluator noster, in quo uiuimus, patitur. Sicut manifeste Christus testatur in Euangelio: Quidquid minimo ex meis feceritis, mihi feceritis. Etsi autem hoc officium in genere omnibus aduersa ualetudine laborantibus debeamus, ut eos uisitemus & consolemur, magis tamen id debemus domesticis fidei. Nam & Paulus clare distinguit, inter alienos & domesticos, seu aliqua necessitudine nobiscum coniunctos, Gala. 5.

Sed habeo quoq; alias mei officij rationes. Intelligo enim me tanquam unum ex subditis T. D. una cum reliqua tuorum subditorum multitudine morbo tuæ D. affici debere, & una quasi

ægrotare

ægrotare, ceu membrum cum capite, in quo omnes nostræ fortunæ omnis incolumitas & fœlicitas nostra est posita. Agnoscimus enim tuam D. esse tanquam Naaman quendam, per quem Deus salutem hodie dat Germaniæ, sicut olim per illum Syriæ salutem dedit. Quare etiam totum imperium Romanum in tuam D. unam conijcit oculos, eam ueneratur & suspicit tanquam Patrem patriæ, tanquam insigne totius Imperij, præcipue autem Germanicæ Nationis ornamentum & præsidium.

Neq; autem solum tuæ D. debemus, ut & consolemur eam pro uiribus, & familiariter præsentem casum feramus, sed multo magis, ut ad Deum pro ualetudine & salute tua interpellemus. Id quod summa diligentia & studio a tuæ D. subditis fieri spero. Atq; ego quidem, quem multa tuæ D. insignia beneficia ac merita præ reliquis debitorem constituerunt, agnosco hoc a me requiri, ut singulari aliquo officio gratitudinem meam declarem.

Quia autem in hac ingenij & fortunarum tenuitate nihil insigne præstare possum, commodum admonuit me D. Georgius Spalatinus, qui tuæ D. a sacris est, ut consolationem aliquam spiritualem instituerem, eamq; ad D. tuam transmitterem, Fore enim id officium tuæ D. perquam gratum. Ego igitur nolui moleste amici consilio repugnare, & congessi hæc quatuordecim capita, tanquam in tabula digesta, eisq; Tessaradecados nomen dedi, ut essent loco quatuordecim Diuorum, quos superstitio nostra omnium malorum Depulsores fecit & appellauit.

Est autem hæc non argentea, sed spiritualis tabula, qua non templorum parietes ornandi, sed mens pia erigenda ac confirmanda est. Ac spero eam in præsenti tuæ D. fortuna maxime fore utilem. Habet autem duas partes, quarum prior septem imagines malorum continet, quorum consideratione præsentia incommoda mitigantur. Posterior similiter septem imagines bonorum proponit, ad eundem usum collectas. Tua igitur D. hanc meam qualemcunque operam boni consulat, & ea sic fruatur, ut diligenti lectione & consideratione harum imaginum nonnihil acquiescat. Ego me T.D. suppliciter commendo.

Subditus Martinus
Lutherus D.

Confi-

CONFITENDI RATIO D. MARTINI LVTHERI.

I

Vando nostro seculo omnium ferme conscientiæ sunt in falsam suæ iusticiæ & operum suorum fiduciam humanis doctrinis abductæ, fereq eruditio fidei & in Deum fiduciæ obmutuerit: Idcirco & confessuro necessarium est ante omnia, ut non fiducia confessionis uel faciendæ uel factæ nitatur, sed in solius Dei clementissimam Promissionem, tota fidei plenitudine confidat, certissimus uidelicet, quod qui confessuro peccata sua promisit ueniam, promissionem suam, fidelissime præstabit. *Confessuro in soli Dei promissionem fidendum.*

Non enim quia nos confitemur, sed quia ipse promisit ueniam confitentibus, gloriandum est, hoc est, non propter nostræ confessionis dignitatem aut sufficientiam (cum talis nulla sit) sed propter suæ promissionis ueritatem & certitudinem. Sicut dicit Psal. 25. Propter nomen tuum Domine propiciaberis Peccato meo, Non ait, propter me, aut meam dignitatem, aut nomen meum, sed propter nomen tuum &c. *Psal. 25.*

Ita sane, ut opus confessionis nihil aliud sit, quam occasio quædam, qua Deus prouocetur ad promissionem suam implendam, imo qua nos exerceamur ad fidem promissionis sine dubio adipiscendæ, ut sic non nobis Domine, sed nomini tuo des gloriam, & læteris, non cum benefecerimus tibi, sed cum benefeceris tu nobis, ut per Ezechielem dicis. Hac ratione fiet, ut qui gloriatur, in Domino glorietur, & non seipsum commendet, sed gratiam Dei glorificet. Et erit, ut sit confessio & magnificentia opus Dei psal. 111. *Opus confessionis occasio est, qua Deus prouocat ad promissionem implendam, & nos exercemur ad fidē* *Psal. 111.*

II

QVod autem Deus (ad gloriam scilicet gratiæ & misericordiæ suæ) ueniam promiserit, ex Scripturis firmandum est. *Veniæ promissio.*

Primum Psal. 32. Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. *Psal. 32.*

Et illud 2. Sam. 12. unde hic Psalmus desumptus est, quam primum Dauid dixit: Peccaui Domino, statim dixit Nathan: Dominus quoq transtulit peccatum tuum, non morieris. *2. Sam. 12.*

Et Iere 18. Si egerit gens illa pœnitentiam a malo, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui ut facerem. Item 1. Iohan. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. *Iere. 18.* *1. Iohan. 1.*

Et illa definitio uera iusti, Prouerb. 18. Iustus prior est accusator sui, Ideo Iustus, quia sese accusat, unde & sequitur: Venit amicus eius (Christus) & inuestigabit eum, id est, quæret eum, & non sinet perire, etiam ab extremis inferni inuentum reducet. *Iusti definitio.* *Prouerb. 18.*

Hinc Iosue. 7. Confessionem peccati uocat gloriam Dei, dicens ad Achan: Fili mi, da gloriam Deo, & confitere, atq indica mihi quid feceris. *Iosue. 7.* *Peccati confessio gloria Dei.*

Peccati confessio gloria Dei.

Et D. Hieronymus ad idem, Confessio peccati est laus Dei. Nec mirum, quia qui peccata sua confitetur, ueritatem utiq; dicit, Deus autem est ueritas, Ideo simul Deum confitetur.

Manasses. 2.Parali.ult.

Sic 2.Paral.ult. Manasse Rex Iuda, in oratione sua pulcherrima, omni confessuro aptissima, dicit: Tu autem Domine secundum bonitatem tuam promisisti pœnitentiam remissionis peccatorum &c.

Vere secundum bonitatem tuam promisisti, Quia nihil esset confessio nostra, nisi staret promissio Dei, adeo totum est bonitatis diuinæ, quod promisit remissionem, quam nisi promisisset, per nullam iusticiam posset obtineri. Ac sic fides promissionis illius, primum & summe necessaria est confessuro, ne forte pręsumat sua diligentia, sua recollectione, suis uiribus Deum prouocare ad remissionem peccatorum, cum iam Deus ipse & remittere paratissimus, præuenerit eum, ac potius ad acceptandam remissionem & confessionem præstandam, allexerit ac prouocauerit, bonitate dulcissimæ promissionis suæ.

III.

Primum Deo peccatorum facienda confessio.

ANtequam Sacerdoti confiteatur uicario, utiq; oportet primum confiteatur principi ipsi Deo. Hic uero rem serio tractare oportet, quia diuinum oculum, sicut nihil latet, ita nihil fallit. Quare hic propositum melioris uitę, & odium peccati oportet sine simulatione discutere. Nam nihil fere confessuros plurimos fallit, quam subtilis ista simulatio & profundissima, quę plerunq; uiolentum peccati odium & propositum melioris uitæ, per uim simulat, etiam coram seipsis. Quod satis probat infœlix euentus, ubi post confessionem cito redeunt ad ingenium, & uelut magno onere cōfessionis leuati, denuo secure uiuunt, tam curiosi, imo immemores propositi sui qua una re, satis possent argui suæ fictionis infœlicissimæ.

Odium peccati & propositum melioris uitæ citra simulationem habenda.

Quare hic oportet hominem esse liberrimum, & de se in seipso omnino pronunciare, sicut inuenit sese affectum, sicut uellet, si nulla esset pœna, nullus Deus, nullum pręceptū &c. Ac sicut diceret in aurem secreti cuiuspiam amici, ubi nihil puderet omnia sua reuelare, imo sicut secum uellet, liberrime de suis loqui uitijs, ita loquatur coram Deo, qui multo magis nos diligit, quam ipsi nos.

Potiùs non confitendum, si non habeas propositum uitæ melioris.

Nam si quispiam sese non inuenerit serio affectum bono proposito, nescio an tutum sit confiteri. Hoc scio, melius sibi esse, si abstineret a confessione. Nec in hoc præceptum Ecclesiæ curandum esset ullo modo, siue excomunicet siue minus, melius est Ecclesiam ibi non audire, quam in periculum suum, ad Deum cum ficto corde accedere, quia hic contra Deum, ibi contra Ecclesiam tantum peccatur, si tamen peccatur, isto casu, Ecclesiam non audiendo. Quandoquidem Ecclesia nihil habet mandare in quo sit periculum animę, & semper est exceptus articulus eiusmodi a præceptis Ecclesiæ. Quidquid enim præcipit ipsa, pro Deo & animæ salute præcipit, præsumens hominem esse capacem præcepti sui, & idoneum ad impletionem. Quæ præsumptio si fallitur, præceptum quoq; non tenet, cum contra Dei præcepta (quæ conscientiam ligant) statuere nihil possit.

Timendum certe, multos Ecclesiastici præcepti timore accedere, quibus tamen uita prior mala ex corde placet.

IIII.

Quod

Quod si inter angustias deprehensus, formidet abstinere, & tamen sentit (si uere uelit loqui) sese carere affectu bonæ propositæ uitæ: Hic, quod unum reliquum est, apprehendat, & Prophetæ consilium audiat dicentis: Effundite coram illo corda uestra: ac prostratus plane confiteatur Deo, totum malum cordis sui, & oret & optet bonum propositum. Imo quis tam superbus, ut hoc consilium sibi non putet necessarium? cum nullus tanto sit proposito bono, quanto debet esse. Ideo secure petat a Deo, quod sentit se non inuenire in seipso, donec serio & uere incipiat sibi placere uitæ melioris species, & sua displicere. Non enim doctrinæ illæ, de proposito bono formando traditæ ac passim inculcatæ sunt intelligendæ, quod homo ipse ex sese id formare & laborare debeat (hæc enim intelligentia mors est & perditio, & sicut ait ille: Mors in olla o homo Dei, licet heu plurimi in ea excarnificentur, scilicet ad impossibilia tendere docti) sed desperando plane atque effundendo coram Deo dicere: Domine Deus, Non habeo quod debeo, nec possum: Da quod iubes, & iube quiduis. Sic enim Augustinus orat in confessione.

Psal. 62. *4. Reg. 4.* *Augustini oratio.*

V

Verum ista de proposito uolo caute intelligi. Propositum enim bonum dupliciter fieri debet. Primum de manifestis mortalibus tantum, ut sunt, adulterium, homicidium, fornicatio, furtum, rapina, usura, detractio &c. Horum enim uitandorum propositum proprie pertinet ad confessionem sacramentalem, & coram Deo ad quodlibet statim momentum, Postquam perpetrata sunt, iuxta illud Ecclesiastici: Fili peccasti, quiesce, ne adijcias iterum. Et item: Ne tardes conuerti ad Dominum.

Propositum bonũ abstinendi à peccatis manifestis &c.

Syrach. 21.

Secundo, de omnibus peccatis (quę uenialia uocant, de quibus infra) prorsus uanum est laborare ad propositum formandum. Quia si recte sese consideret, inueniet impossibile, si saltem in carne uiuere uelit, cum (ut Augustinus ait) hæc uita sine talibus non possit agi, qualia sunt, risus, uerbum, cogitatio, aspectus, auditus, gustus, tactus superfluus, aut inconsideratus &c. Quæ etiam talia quandoque sunt, ut incertum sit, peccata ne sint, an tentationes promouentes merita. Et tamen in his mirum, quam laboretur & obtundatur confessor uerbosissimo modo confitendi. Debet enim propositum certum esse, & super ijs, quæ certa sunt, & communi uita uitari possibilia sunt, ut iam dicta mortalia peccata aperta.

Impossibile uiuere in carne sine peccatis uenialibus.

VI

An peccata cordis occulta, ac sic soli Deo & homini, qui fecit ea, cognita, pertineant ad confessionem sacramentalem extra meum captum est. Libentissime negarem. Nec enim ulla uia aut ratione aut scriptis probari potest, Sæpiusque mihi suspitio fuit, esse id totum inuentum uel auarorum uel curiosorum, aut certe tyrannorum Prælatorum, qui hac uia populum Christi in terrorem sui adduxerint. Nam id est (meo iudicio) penitus in iudicium Dei manum mittere, & forum Dei uiolare, præsertim, si cogantur ad id homines. Hic uenit illud mare iurium & quæstionum impossibilium, de casibus peccatorum &c. Cum sit impossibile ipsi homini scire, quando mortaliter superbierit, uel concupierit, uel inuiderit in corde. Et quo modo hoc sacerdos sciet, qui ad mortalia tantum positus est iudicanda? Alienum cor cognoscet, qui suum non satis nouit?

An occulta peccata confitenda.

Inde fit, ut multi multa confiteantur, nescientes an sint peccata, nec ne: Et ad id impelluntur per illud Gregorij: Bonarum mentium est, ubi culpa non est, culpam agnoscere. Hoc enim coram Deo prestandum etiam sibi prestari (tam immanis est Pontificum & Sacerdotum arrogantia, & fastuosissimum Pharisæorum supercilium) uolunt; nec interim uident, si id homini esset præstandum, tota uita nihil aliud oporteret fieri, quam confiteri: atque etiam ipsam confessionem alia confessione confiteri, timendo culpam, ubi culpa non est, cum & bona opera non uacent culpa, & Iob uereretur omnia opera sua.

Gregorii dictum.

Iob. 9.

VII

Peccata cordis non omnia confiteri necesse est.

IGitur alius id explicet, Hoc ego contentus sum, quod non omnia peccata cordis sunt confitenda: Si autem aliqua sunt confitenda, ea tantum assero, quæ ipse manifeste scit sese contra diuina mandata in corde statuisse, Hoc est, non simplices cogitationes, de uirgine aut muliere, aut econtra mulieris de adolescente: Nec ipsas affectiones, nec ardorem libidinis mutuum, seu inclinationes ad sexum alterum quantumlibet fœdum: Addo, nec passiones talium, sunt enim hæ cogitationes frequentius passiones a carne, mundo, diaboloue excitatæ, quas anima ferre cogitur inuita aliquando per multam moram, imo quandoque tota die uel hebdomada sicut paulus Apostolus confitetur de suo stimulo.

2. Cor. 12.

Ratio horum est, quia propositum super illis uitandis est impossibile & uanum & mendax, & inclinationes & affectiones mutuę sexuum non cessant, data occasione. Deinde diabolus non quiescit, & natura nostra tota est peccatum. Sed illi, qui sine peccato uolunt esse, & hominem sanum credunt, hi nobis has cruces statuunt, ut non cessemus (sacerdoti etiam) confiteri, quæcunque uel modico nos titillant tantum modo. Igitur, si oportet confiteri omnino hæc occulta cordis, tantum ea, quæ pleni sunt consensus in opus, confiteantur, qualia in ijs, qui cupiunt pie uiuere, uel raro uel nunquam contingunt, etiamsi assidue affectionibus & passionibus talibus uexentur.

VIII

HVC pertinet Theologorum quorundam audacissimorum genus nati ad id ipsum, ut uero Dei timore in cordibus hominum extincto, falsis terroribus totum orbem concutiant. Vt de illis Christus dixisse possit uideri, terrores de cœlo commemorans, Hi sunt, qui aggressi sunt nobis discernere peccatum mortale & ueniale, scilicet, ut ubi audierint homines esse aliquod peccatum ueniale, securi sint, & Dei timorem (ac si ueniale ipse nihili pendat) penitus remittant: Rursum, ubi mortale peccatum esse audierint consensum cordis, tum si quis præcepta Ecclesiæ non audierit, aut nescio quid aliud leusculum admiserit, iam nullus sit locus Christo in corde, præ confusione sonitus maris & fluctuum miserrimæ conscientiæ.

Luc. 12.

Omnia peccata mortalia confiteri nemo unquã potest

Contra hos sciendum, quod oporteat hominem desperare sese omnia sua mortalia peccata confiteri unquam posse. Et doctrinam illam, quę uulgatur in Ecclesia, ex Decretis, quod semel in anno omnium suorum peccatorum (sicut sonant uerba) debeat facere confessionem omnis Christianus, aut esse diabolicam & homicidissimam, aut egentem multo & laxo interpretamento.

Decretum de omnibus peccatis confitendis.

Oportet, inquam, non omnia confiteri, nec mortalia, nec uenialia, Quin

Quin oportet nosse, quod post omnem diligentiam suam factam, adhuc minorem partem peccatorum sit confessus. Vnde hoc? quia dicit Scriptura Psal.19. Ab occultis meis munda me Domine. Ista occulta solus Deus nouit. Et iterum: Cor mundum crea in me Deus. Vtiq; immundum confitetur cor etiam tam sanctus Propheta. Et Ecclesia tota sancta orat: Fiat uoluntas tua, scilicet confessa, quod non facit uoluntatem Dei, & sese peccatricem esse.

Psal.19. Psal.51.

Porro tantum abest, ut omnia mortalia possimus nosse, nedum confiteri, ut etiam bona opera nostra, si Deus per rigorem iudicet, & non misericordia ignoscente ignoscat, sint damnabilia & mortalia. Ideo si omnia mortalia sunt confitenda, breui uerbo id fiet, si semel dixerimus: En totum quod sum, uiuo, ago, loquor, tale est, ut mortale sit & damnabile, Iuxta illud Psal.143. Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in cospectu tuo omnis uiuens. Et ad Rom.7. Ego autem carnalis sum, uenundatus sub peccatum, non inuenio in carne mea bonum, quod nolo malum, hoc facio &c.

Psal.143. Rom. 7.

Quin hoc est mortalium mortalissimum, non credere se esse damnabili & mortali peccato obnoxium coram Deo. Ad quam insaniam isti Theologi, hac Regula sua nituntur, data opera, & perditissime trahere hominum conscientias, dum docent, Venialia esse distincta a mortalibus, suo scilicet more. Ita legimus in Augustino, Cypriano & alijs Patribus, non peccata mortalia, sed criminalia, id est, ea quę accusari & conuinci poterant, ligata & soluta fuisse.

Omnia ergo peccata intelligat Decretum oportet, omnia crimina, ut de quibus uel alij uel ipsius conscientia eum accusat, conscientia, inquam, recta, non ex traditionibus hominum cauterisata & pessime informata, sed ex diuinis mandatis erudita, quæ sciat, multo plura esse relinquenda diuinæ bonitati soli, quam suæ diligentiæ committenda.

Sed quid, si in morte diabolus obijciat peccata non confessa, sicut multa exempla legimus? Respondeo: Transeant illa, cum ijs de quibus dicitur: Delicta quis intelligit? Et illis: Non intres in iudicium cum seruo tuo &c. Si quid exemplorum contra hęc facta sunt, uel illudente diabolo facta sunt, uel non recte intelliguntur, Sufficit te uoluisse omnia confiteri, si nosses & posses, misericordiam suam glorificari uult Deus. Sed ubi? In iusticijs? Non, sed in peccatis & miserijs nostris, Scripturam oportet præferri omnibus exemplis.

Psal. 19. 143.

IX

Distinctio multiplex peccatorum prætereunda confessuro.

AD rem ipsam accedendo, tumultum illum distinctionum penitus abscindat confessurus, qui passim celebratur, scilicet, Quid per timorem male humiliantem, & amorem male accendentem, quid contra tres uirtutes theologicas, fidem, spem, charitatem, quid contra quatuor uirtutes cardinales, quid per quinq; sensus, quid per septem peccata mortalia, contra septem sacramenta, contra septem dona Spiritus sancti, quid contra octo beatitudines, quid contra nouem peccata aliena, quid contra duodecim articulos fidei, quid per muta, quid per clamantia in cœlum peccata, aut si qua alia sunt, per quæ aut contra peccatum est. Iste enim odiosissimus ac tædiosissimus catalogus distinctionum inutilissimus est, imo noxius omnino.

Addiderunt his malis quidam circunstantiarum molestissimum negocium, quibus omnibus duo fructus promouerunt. Primum, quod confes-

furo his nugis tantum negocij fit, ut id quod præcipuum est, penitus curare non possit, scilicet studium boni propositi tanta mole memoriam occupare, & curarum solicitudinumq; rectè proferendi negocio cor opplere coactus. Atq; dum querit peccata oblita, uel modum confitendi, interim præsentis conscientiæ morsum totamq; salutaris confessionis utilitatem penitus amittat, ut absolutus non adeo gaudeat sese absolutum, quam sese misera illa confitendi carnificina semel liberatum. Quia nec absolutionem tam quæsiuit, quam finem laboriosissimę confitendi carnificinæ, adeo dum dormimus secure, omnia passim sunt subuersa. Alterum, ut & confessori sint tediosissimi, tempus ei furantes, & alios impedientes.

Confessio. Quare ipsa præcepta Dei breuiter sunt inspicienda, in quibus sine dubio omnia peccata continentur, si recte intelligantur. Nec tamen hæc omnia, sed ultima duo prorsus a confessione sunt excludenda. Confessio enim breuis esse debet, & eorum potissimum peccatorum, quæ præsenter mordent, ut dicunt, quæ mouent ad confessionem. Confessionis enim sacramentum ad quietandam, non perturbandam conscientiam institutum est.

Exempli gratia.

Non mœchaberis. De illo præcepto: Non mœchaberis, cito dixerit, quomodo libidini cesserit uel opere uel uerbo, uel consensu, uelut se totum cum omnibus membris & sensibus in eo præcepto describens. Quid ergo quinq; sensus, peccata mortalia & illud pelagus distinctionum oportet adducere frustra?

Non occides. Ita in illo: Non occides, cito dixerit, qua specie iræ peccauerit, an odio, an detractione & maledictione, an opere ipso Sic in cæteris, sicut de dita opera conatus sum in præceptorio meo, & schedulis Decalogorũ monstrare.

Contra hæc nihil moueat, quod in Decretis de pœ. & quarto Sententiarum aliter tractetur ista materia. Plena sunt omnia humanis commentis. Nec mirum, quando sumpserunt sua omnia ex libello quodam apocrypho, & indocto, qui de uera & falsa pœnitentia B. Augustino inscriptus, ubiq; titulo mentito celebratur.

X

Discrimen habendum inter peccata contra diuina præcepta commissa & contra humana statuta. IN facienda confessione diligenter obseruari oportet, ut multo discrimine discernantur peccata, quæ contra diuina mandata, & quæ contra humana statuta commissa sunt. Hoc dico, quia hodie inualuit insania, ut quæ contra decreta Pontificum peccantur, mira cura obseruentur, Quæ Contra Deum uero, uel parua uel nulla. Exemplis tibi notum faciam. Inuenias sacerdotes & religiosos, qui si in Canone Missæ uel syllabam titubent aut repetant, nescio quod uelut monstrum exhorrescant, cum hic uel naturalis linguæ defectus, uel casus quispiam nullum peccatum fecerit.

Porro nullus est, quin confiteatur sese distractum fuisse, sua præparatoria non legisse, aut alias anilissimas nugas. Fuit unus, qui ter accito sacerdote, in altari iam, celebrans, confiteretur, ut ut quid incidisset, deniq; diaboli ista ludicra infinita, uidi multis tanta fuisse seria, ut prope insanierint.

At qui in corde odium uel inuidiam occultam alerent, ante & post Missam maledicerent, ociose fabularentur, detraherent, nihil mouebat. Vnde hæc peruersitas? Ex traditionibus hominum auersantium (ut Apostolus

Apostolus ait) ueritatem. Et quia Deo uerorum peccatorum confessionem neglexumus offerre, tradidit in sensum reprobum, ut fictis peccatis, nos ipsos illudamus, & sacramenti beneficio priuemus, eo maxime studio, quo maxime quærere uidemur.

Huius farinæ sunt, qui horarum Canonicarum neglectum, prope irremissibile peccatum fecerunt, cum interim fornicationes contra Dei præceptum, aut omissa studia erga proximum, facile remittant.

Inuenias, qui S. Seuerini uel somnium uel exemplum eo probent, ut se horas Canonicas, nec anteuertere, nec post complere sine peccato arbitrentur posse, etiam si iustissima causa fuissent legitimo eorum tempore impediti, scilicet seruiendo proximi necessitatibus, id est, meritis melioribus sexcenties, quam fuissent eorum frigidissimæ, & forte damnatissimæ orationes. Adeo non attendunt, in seruitio proximi mandatum Dei debere præferri mandato hominum, in lallandis uerbis horarum sine intellectu.

Huc pertinent, qui intra Canonem, etiam pro summa necessitate & periculo loqui aut puerum uocare, nefas putent. Deinde ieiunium aliud naturæ, aliud Ecclesiæ facientes, si quis uel imprudens guttas aliquot glutierit, aut medicinæ quid sumpserit, penitus a Sacramento arceant, & peccatum uel maximum hic statuant. Miror ego, unde nam hominibus istis autoritas sit harum legum condendarum, & peccatis a se repertis conscientiarum perturbandarum. Ex ijs æstimentur reliqua similia.

Laici uero alius confitetur se libenter gustasse dulcia, alius audisse iucunda, olfecisse odorata, tetigisse mollia. Ad maiora ueniamus, Comedisse butyrum uel oua diebus ieiunij, uulgo persuasum est hæreticum esse, tam atrociter sæuiunt leges hominum in Ecclesia Dei, Et nos populi hac superstitione, imo nostra tyrannide secure fruimur, nihil curantes Dei præcepta passim pro ludibrio haberi, modo ad nostras paueant & palleant leges.

Adulterum nemo hæreticum uocat, fornicatio leue peccatum, schismata & discordiæ etiam autoritate & nomine Ecclesiæ suscitata, & seruata, & aucta, merita sunt. Sed carnes sexta feria edisse, hæresium omnium summa est, sic nos erudimus & erudiri permittimus populum Christi.

Sed iam me piget, tedet, pudet, miseret, istius infiniti Chaos superstitionum, quas in sacramentum istud confessionis saluberrimæ inuexit, infelix illa Syncerioris Theologiæ ignorantia, quæ tyrannidem suam egit a tempore constitutionum humanarum.

XI

Consulo quod & Iohannes Gersõ aliquoties consuluit, Vt aliquando cum scrupulo conscientiæ quis accedat ad altare seu sacramentum, uidelicet, non confitens, si immodestius uel biberit, dixerit, dormierit, aut aliud quid fecerit, aut horam unam aliquam non orauerit. Vis scire quare id consulatur? Audi, ut homo discat in Dei misericordiam plus fidere, quam in suam confessionem aut diligentiam. Nihil enim satis fieri potest aduersus maledictam illam fiduciam operum nostrorum.

Etiam ideo, ut si quę uel tentationis uel mortis ingruat necessitas, & cœperint apparere occulta illa peccata, quæ nunquam uidere aut confiteri potuit, tum iam paratum habeat usum confitendi in Dei misericordiam indignis præstitam, iuxta illud, Paratum cor eius sperare in Domino. Alio-

no. Alioqui quomodo sperabit in tantis molibus peccatorum tunc irruentium subito, qui in hac uita, dum ocium erat, nec in minimo uel ficto peccato didicit sperare in Domino?

Si dicis: Quid si hoc sit contemnere sacramentum Dei, & tentare Deum? Respondeo: Non erit tentatio Dei, si ad gloriam Dei fiat, id est, si ideo facias, non quod contemnas sacramentum Dei, nec eum tentes, cum sis paratus etiam omnia confiteri, Sed ut miseram conscientiam assuefacias in Deum confidere, & non ad omnem sonitum folij uolantis pauere. Non dubites, omnia quæ fiunt hoc fine, ut fiducia in Deum habeatur, sunt Deo gratissima, Cum tota gloria eius sit hæc, si in eius misericordiam, quam magnanimissime confisi fuerimus. Nō tamen uolo, ut semper ita fiat, sed aliquando, inquam, tantum ad erigendam fiduciam in Deum, ac destruendam fiduciam nostræ confessionis.

Gloria Dei.

Vix enim sine uitio celebrat, qui magis secure accedit, quia confessus est, quam quia Deus misericors est, imo tota impietas hæc est omnino. Summa enim summarum est, Beati qui confidunt Domino. Quando in Domino audis, utiq; intelligis, infœlicem eum, qui confidit in aliquid, quodcunq; non est ipse Dominus, qualem faciunt Artistæ illi confitendi. Quid enim fecit ars confitendi, nisi quod aboleuit artem & usum confitendi, ut multum confiteri, nihil confidere disceremus?

XII

Casus reseruati

IN casibus reseruatis multi uexantur, ego, quia scio leges hominum oportere epijkiæ subiectas esse, & plus ad fauorem quam rigorem trahendas, eorum sequor usum & consilium, qui in peccatis occultis nullum reseruari casum censent. Ideo absoluendos esse omnes, quorum occulta sunt peccata, ut sunt peccata carnis seu libidinis cuiuscunq; speciei, oppressiones infantium & similia. Nec enim præsumi debet ullus Pontifex, uoluisse in occultis peccatis tot laqueos & pericula animabus ponere.

Verum ubi publicum fuerit crimen seu casus reseruatus manifestus, omnino potestati deferendum est, siue sit æqua siue iniqua. In quo tamen sic moderetur Confessor uim clauis, ne confitentem sinat sine absolutione abire, saltem eorum peccatorum, quæ reseruata non esse scierit. Quanquam ego iam dudum fluctuo, necdum stationem disputationis propriæ composui, An possit ullus Casus, quo ad remissionem culpæ reseruari, aut unquam reseruatus sit, pœnam reseruari non est dubium, de quo esto aliorum iudicium.

Excommunicatio.

Sed nec in pœnæ remissione nimium sit scrupulosus confessor uel confitens. Pœnam intelligo excommunicationem, uel quamlibet Ecclesiæ censuram, seu, ut uocant, fulmina & tonitrua sua. Cum enim excommunicatio sit mere pœna & non culpa, ferriq; possit super innocentem, aut lata manere super resipiscentem, ut propter itineris longitudinem uel pauperiem necesse sit differri satisfactionem, debet nihilominus confitens (si petat) absolui ab omnibus peccatis suis, & pro uinculo excommunicationis soluendo, & satisfaciēdo potestati dimitti, & sic in foro Dei & conscientiæ absolutus a culpa & peccatis, mitti ad forum Ecclesiæ, soluendus a pœna. Hoc est, quod dicitur, sufficere absoluendo peccatori uotum satisfactionis.

DE VOTIS

Vltimo

VLtimo. Votorum ratio foret consideranda, quæ pene maxima est in hac re quæstio, multoq; maioris confusionis materia, quam Casuum reseruatio, quamuis & hæc suam Babylonem magna tyrannide exercet. Quod si hic libere quis uelit loqui, non poterit terra sustinere uniuersos sermones eius, ut de Amos dicit Amasias impius. *Vota sine mandato Dei suscepta.*

Primum & optimum consilium foret, si pontifices & Concionatores populū dehortarentur & deterrerēt a pronitate uouendi, Ostendentes, quā nihil sit uisitatio terræ sanctæ, Romæ, Compostellæ, aliorumue locorum sanctorum, tum ieiuniorum, orationum, operumq; a se electorum studia, si comparata fuerint ad opera mandatorum Dei, & ad uota, quæ in Baptismo uouimus, quæ in domo sua erga proximos suos coniugem, liberos, seruos, Dominos, possit cum incomparabiliter maioribus meritis quisq; seruare, quam uoti operibus a se electis, nec a Deo mandatis inuenire.

Stulta opinio uulgi & pompa Bullarum fecerunt, ut uota ista, peregrinationum, ieiuniorum, orationum & quorumlibet operum longe præponderentur operibus mandatorum Dei, quæ tamen ut faciamus, nunquam satis habemus uirium. Atq; ego pro meo iudicio optarem, ut apud Christianos nihil esset prorsus uotorum, præter ea, quæ in baptismo emisimus, sicut olim fuisse apparet, & omnes intelligerent, quid requiratur, ut mandatis Dei obediatur. Videntur enim uota baptismi prorsus uiluisse præ nimio usu, pompa, dispensatione, redemptione uotorum istorum. Apponamus, inquam, omnes uires, & plus nos uouisse inueniemus, quam possimus implere unquam. *Votum Baptismi.*

Votorum alia fiunt hominibus, sicut & iuramenta, alia Deo. Ea quæ hominibus fiunt, constat tantum & tam diu ualere, quantum uolet, cui uouetur. Proinde sciendum, ut recte Gerson sentit, Iuramenta & uota in Vniuersitatibus solita fieri, aut magnatibus præstita, non debere tam rigida existimari, ut quamlibet eorum præuaricationem, iudicemus uoti solutionem aut periurium. Quin potius æquum est huiusmodi uota non intelligi soluta, nisi ex contemptu & obstinata malitia eis contraueniatur, secus in his, quæ Deo uouentur. *Vota quæ hominibus fiunt.*

In uotis, quæ Deo uouentur, uideo per Pontifices dispensari: Sed nunq; ego persuadebor, tutum fore eum, cum quo sic dispensatur, cum sit iuris diuini tale uotum, & non maiorem in hoc potestatem habeat Pontifex medius aut summus, quam quilibet frater Christianus, etsi scio decretales quasdam decretaliumq; glossas multa audere, quæ non credo. *Vota quæ Deo uouentur.*

Hoc tamen libenter crediderim, uotum castitatis ante pubertatem emissum, non tenere, nec ligare. Quia is qui uouit, ignorauit quid uoueret, cum necdū stimulum carnis senserit. Proinde pie arbitror, tale uotum apud Deum reputari stultum & nihil; prohibendiq; essent generali edicto Ecclesiæ, monasteriorum Patres, ne masculum ante uigesimum aut saltem decimumoctauum annum susciperent, nec puellas ante quintumdecimum uel decimumsextum, si nos cura animarum solicitaret. *Votum castitatis.*

Vehementer etiam temerarium est, in commutandis uotis & relaxandis melius (ut uocant) opus imponere. Cum enim apud Deum nulla prorsus sit operum differentia, qui non secundum magitudinem uel multitudinem operum, sed secundum affectum operantis iudicat, & ut scriptum est, Spirituum ponderator est Dominus, qui sæpius artificis sordidi manuale opus præfert ieiunio aut orationi sacerdotis, ut est exemplum in S. Antonio & Alexandrino Coriario: Quis audeat præsumere, se uelle

uelle uotum in melius aliquod opus commutare? Sed hæc alio loco dicenda fuerunt. Hic enim confessionis ritum ad præcepta Dei duntaxat referendum suscepimus, pro quietandis componendisq; conscientijs scrupulosis.

Vnum tantum adijciam, Struunt multi etiam coniugatis periculosos laqueos, præsertim in Casu incœstus, Vt si quis (nam fieri hæc possunt, imo heu fiunt) sororem uxoris suæ aut socrum suam, aut alio quopiam gradu consanguinitatis contingentem polluerit, mox arcent a iure exigendi debiti matrimonialis, & tamen sinunt eum, imo cogunt uxoris thorum non deserere. Obsecro, quod est hoc portentum? quæ medicina peccati noua? Qualis satisfactio peccati? Nonne apparet hos Tyrannos alienæ infirmitati secure imperare, & suæ nimis indulgere? Da legislatorem quantumuis pœnitentem ac castum, qui hanc legem ferat sibi statui. Ad ignem ponunt aridum lignum, & dicunt, noli ardere. In sinum mulieris nudæ uirum collocant, & prohibent, ne tangat nec cognoscat, & id autoritate propria citra mandatum Dei, Quid insanimus?

Me consule, caueat Confessor ab his tyrannicis siue decretis siue iuribus. Et cum fiducia talem peccatorem, aut alia pœnitentia mulctet, aut desinat punire in totum, liberum ei relinquens ius matrimonij, quod non homo, sed Deus ei dedit. Non habet potestatem ullus Angelus in cœlo, nedum homo in terra, hanc pœnitentiam (id est, peccati assidui ardentissimam occasionem) iniungere. Quare nec audiendi sunt ullo modo, qui talia fieri uolunt, & confitens ab hoc scrupulo & periculo cum fiducia liberandus.

Sed quis omnes tyrannides recenseat, quibus confitentium & pœnitentium miseræ conscientię Christianorum mortiferis constitutionibus & motibus quotidie exagitantur per ineptos homunculos, qui alligare tantum nouerunt onera grauia & importabilia & imponere humeris hominū, quæ ipsi nec digito uolunt mouere? Et factum est hoc saluberrimum pœnitentiæ sacramentum, aliud nihil quam mera tyrannis magnatum, Deinde morbus & augmentum peccatorum, ut alia significet, & alia operetur miseris peccatoribus, sic ministrantibus impijs & indoctis in lege Domini sacrificulis Ecclesiam Dei, quam suis legibus & somnijs repleuerūt.

AD SCHE

AD SCHEDVLAM INHIBITIONIS SVB NOMINE EPISCOPI MISNENSIS EDITAM, SVper Sermone de Sacramento Eucharistiæ, D. Martini Lutheri Responsio.

IHESVS.

CHRISTIANO ET PIO LECTORI Martinus Lutherus Salutem in Domino Christo.

EDita est diebus istis Schedula quædam sub titulo, Reuerendi in Christo Patris & Domini, Episcopi Misnensis Ecclesiæ, prehabito (ut fertur) Capituli sui consilio & assensu, Appresso etiam sigillo Officialatus Stolpensis. In qua cauetur & iubetur, & Sermonem meum de Sacramento Eucharistiæ colligant & detineant, propter schismata & scandala, multaque alia pericula, quæ ex illo manare contendunt, ob unicum hoc uerbum quod dixi, Mihi bonum & pulchrum uideri, si ordinante generali quopiam Concilio statueretur, utraque species etiam Laicis porrigenda.

Ego uero, si aliud nihil præter hæc agerent, quam ut libelli mei opprimerentur, gaudens tacerem, qui sum eo animo, ut siue quis mea sibi paret, siue reijciat, susque deque faciam. Gratis & in commune seruiui, dedique quod accepi, neminem coegi ut legeret. Quid enim mea referat, si multi uel ipsum Euangelium respuunt? nunquid ideo insaniendum esset?

Verum, quando huius Schedulæ quisquis est autor, eo processit in saniæ, ut non contentus mea aboleuisse, schismata, scandalosa, periculosa, temeraria, præsumptuosa, turbatiua, & æternæ mortis inductiua audeat criminari; quæ ego nec præcepi, nec consului, sed in autoritatem Concilij generalis reposui, deinde ea ipsa quoque sint de expresso textu sacri Euangelij, & longo Ecclesiarum totius orbis usu receptissima, Coactus sum, Cananæo huic furenti occurrere, & rabiem in sacram Christi doctrinam & uitam, totiusque Ecclesiæ autoritatem debacchantem excipere.

Atque hic te, Lector, teste, his scriptis excipio, expectumque uolo Reueren-

Reuerendum in Christo Patrem Dominum Episcopum Misnensem, cuius & eruditio & uita, magno omnium consensu celebratior est, quam ut uel insanus credere possit, huius monstri esse autorem. Eandem opinionē & de cæteris eiusdem Capituli Dominis Canonicis habeo. Duo aut tres duntaxat sunt sycophantæ, quibus, quod tanti Pontificis & Ecclesiæ titulo in suæ inscitiæ & inuidiæ patrocinium abutuntur, respondendum, quos donec seipsos prodant, non nomino, licet optime nouerim diuerso loco positos, sed non diuerso ingenio & studio coniunctos.

SCHEDVLAE TENOR.

IOhannes Dei & Apostolicæ sedis gratia, Misnensis ingenuæ Ecclesiæ Episcopus.

Ex iniuncto pastorali nobis officio obligamur ueri pastoris & circumspecti Speculatoris, non fugitiui Mercenarij officium facere, & dominicum gregem nobis creditum, nedum a præsentibus, uerum etiam futuris, undecunque instantibus & imminentibus animarum periculis custodire & tueri, ac tranquillitatis tempore salubria præparare remedia, per quæ irrumpentibus morbis dictum gregem a contagione præseruemus.

Cum itaque Tractatulus quidam siue Sermo in uulgari idiomate de sacratissimo corporis Christi sacramento, sub nomine & inscriptione Doctoris Martini Lutheri contra nouissimi sacri Lateranensis generalis Concilij statuta, passim per ciuitatem & diocœsim nostras publice uenalis exponatur, in quo inter cetera comperiuntur, Autori illius pulchrum expediensque uideri, Quod Ecclesia per generale Concilium statueret, Omnes utriusque status Christi fideles sub utraque specie panis & uini communicari, ut sacramentum hoc non partialiter seu per partes, sed integre Christi fidelibus ministraretur. Et quæ quam plurimis simplicioribus se unitati sanctæ catholicæ Ecclesiæ in communicando sub una tantummodo specie panis, conformantibus, dubitandi materiam circa Eucharistiæ sacramentum, illiusque sumptionem præbere, uaria denique scandala & schismata in Dei Ecclesia, potissimum Diocœsi nostra, quæ terris illius schismatis & damnati erroris uicina existit, excitare possent.

Nos eisdem scandalis & periculis præuenire uolentes, ut tenemus, uenerabilis Capituli nostri præhabito consilio & assensu, Omnibus

bus & singulis Dominis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Prioribus, Guardianis, Canonicis, Plebanis, uerbi Dei Prædicatoribus, Altaristis, Lecturistis, ac quibuscunque Presbyteris, Clericis, & Religiosis non exemptis, ac utriusque sexus & status Christi fidelibus, in uirtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis a iure statutis districte præcipiendo mandamus. Vos uero exemptos in fidei catholicæ unitate & syncertitate uiuentes, per uiscera Domini nostri Ihesu Christi adhortamur, Et pro uestra in sanctam sedem Apostolicam & catholicam religionem deuotione charitateue monemus, ut tractatus illos siue Sermonem istum undecunque diligenter colligatis & apud uos detineatis, quousque aliud uobis dederimus in mandatis.

Et ut scandala ex publicatione dicti Tractatuli apud simpliciores in Diocœsi nostra exorta tollantur & eradicentur, pariformiter mandamus, exhortamur, & monemus, Quatenus in publicis Concionibus & Sermonibus uestris populum uobis creditū diligenter & accurate instruatis, ut omni dubitatione semota, firmissime & inuiolabiliter credat, sub qualibet specie integrum Christum Dominum & Saluatorem nostrum contineri, Communicantibus quoque sub specie panis tantummodo Sacramentū non partialiter, sed integre ac perfecte illis ministrari. Ac sanctam catholicam Ecclesiam in sacra generali Synodo, in Spiritu sancto legitime tunc congregata, ex diuina eiusdem Spiritus sancti inspiratione, non conficientes, sub sola specie panis communicari debere, instituisse & ordinasse. Propter quam institutionem & ordinationem huiusmodi sumptionem sub utraque specie esse temerariam, præsumptuosam, scandalosam, seditiosam, & ecclesiastici ritus turbatiuam, & ex consequenti æternæ damnationis inductiuam.

Et cum melior sit obedientia, quam uictima, quod non conficientes, plus mereantur sumendo sub una specie panis tantummodo, quam sub utraque, Quodque propterea omnes & singuli, ut fideles catholicæ ecclesiæ filij & Christiani, eadem suæ matris instituta & ordinationes, ac sanctorum Patrum & electorum Dei fidem in syncera unitate firmiter & fideliter custodiant, sequantur & obseruent. Taliter circa præmissa acturi, ut a Deo omnium bonorum Retributore præmium consequi, & de debita in religionē Christianam deuotione commentari possitis.

Datum Stolpen Anno a natiuitate Domini M.D.XX.
Die uero 24. mensis Ianuarij, Officiolatus Curiæ nostræ præsentibus appresso sub Sigillo.

PRimum, ut a ueritate exordiar, Placet obediendum esse nouissimi Concilij decretis, ut Laicis una tantum species porrigatur. Placet & illud, Esse eundem Christum non partialiter, sed integrum sub qualibet seorsim specie, tam panis quam uini. Et rogo obsecroque omnes eius, Schedulæ lectores, ut Schedulam in hoc audiant & sequantur, pro seruando unitatis uinculo, quæ longo præponderat Sacramento, quo ceu signo significatur. Et quis unquam aliud in meis libris legit? Quis unquam aliud a me audiuit? Nunquid Sermo ille meus contrarium docet?

Prodite uiri eximij, uideamus sapientiam uestram, conuincite Lutherum, Vbi legistis quod imponitis mihi? in quem ergo portenta criminum & blasphemiarum congeritis? An in Lutherum a uobis per febres & somnia effictum? Videlicet uiri pugnacissimi, & sibi nimium suæ uirtutis conscij, sicut equus in bellum hinniunt. Et ubi non erat in quem ruerent, fingunt aduersarium. Adeone licet uobis Schedularij in famam innoxij uiri sæuire, tam impudentibus mendacijs?

At, inquiunt, Tu probas utranque speciem dari, quod est scandalosum & schismaticum. Respondeo: Probaui sane, sed sic, ut non fieret, nisi mandante Concilij generalis autoritate. Quod tam clare expressi, ut ipsa & inuidia coacta sit, mea uerba de Concilio eodem inserere. Est ne ergo apud te inuidia hebes & indocta, schismaticum & scandalosum quod Concilium statuit aut statuet, aut statuere potest? Cur ergo tuum Concilium non appellas schismaticum & scandalosum? Sed, inquies, meum Concilium iam statutum, tuum nondum statutum. Quid audio? Sed cum crassis cerebris crasse agendum.

Quæro, an illud, quod futurum Concilium statuere potest, sit schismaticum & scandalosum? Non, inquies. Quid? loqui aut scribere de istiusmodi Concilij potentia, & optare quippiam tale fieri, est schismaticum & scandalosum, nec ne? Quid hic respondes? taces ne nunc inuidia? responde, inquam. Si loqui & scribere de potestate statuendi in futuro Concilio schismaticum est & scandalosum, damnati sunt ab his Schedularijs omnes Theologi & Iuristę, quin & ipsimet sunt schismatici & scandalosi, proprij oris testimonio, qui tam multa loquuntur, scribunt, iactant de potestate Papæ & Conciliorum, quæ tamen nondum facta sunt, nec fieri licet, donec ordinentur.

Iam sequens erit, horum uirorum superdoctissimorum autoritate, Lutherum hactenus pugnasse felici sanctaque pugna, non nisi aduersus schismaticos & scandalosos, eos scilicet, qui potestatem papæ, in purgatorium, in cœlum, in infernum, supra Concilium, super omnia mundi constituunt. Nec id faciunt scribentes solum, sed affirmantes & docentes (quod ego in præsenti negocio non feci, sed tantum uotum meum posui, & Concilium expectaui) quę tamen nondum sunt statuta, nec unquam forte statuentur. Et quid moror? his Theologicissimis uiris docentibus fiet, ut quia de futuris & possibilibus loqui, non licet, nec optare. Desinamus Christum & Deum prædicare, ne quando schismatici fiamus & scandalosi. Deinde neque liceat optare & petere, quæ Deus in futuro potest facere. Siquidem ego aliud non feci, nisi quod optaui fieri, quæ Ecclesia futuro Concilio potest facere. Et hac noua culpa sum scandalosus, schismaticus, temerarius, præsumptuosus, turbatiuus pacis. Vides inuidia, quam sis prudens & docta.

Quid

Quid si dicerem, mihi pulchrum uideri, ut sacerdotibus curatis uxores redderentur autoritate Concilij? An hic schismaticus & scandolosus sim, dicens hoc me optare, quod Ecclesia potest præstare sola hac causa, quia nondum est statutum & aliter nunc agitur? At tunc Pium II. cuius hæc uox fuit, schismaticum dices & scandalosum. Atq; hac ratione nihil liceat dicere, de his, quæ statui possunt futuro quocunq; Concilio, & tollent nobis, hi uiri, Conciliorum autoritate mirum in modum tumentes, semel uniuersa Concilia, aut certe silentium perpetuum (quod multo peius est) sermonibus de Concilij potestate habendis iudicent. Sic debent ruere, qui Christi sacratissimis statutis, sui capitis fumos anteponunt. At forte rudiores sunt, quam ut hæc intelligant, agam cum eis ex sua prærancida, nunq; tamen eis intellecta, dialectica.

Quæro itaq; Si asinus haberet pennas & uolaret, mihi liceat dicere sine peccato, Me uelle, ut asinus uolaret, si haberet pennas. Ita & hic, si Concilium definiret utranq; dandam speciem, utraq; species daretur. Quæro, an mihi liceat dicere, Me optare, utranq; speciem dari, si Concilium ita definiret? Et quid aliud meus Sermo loquitur, quam hanc conditionalem? Et quid aliud criminatur ista insulsissima rudissimaq; Schedula schismaticum, scandolosum, præsumptuosum, temerarium, quam hanc uerissimam pijssimamq; conditionalem propositionem? Sed iste est finis scholasticæ philosophicæq; Theologiæ. Sic ingenia optima adolescentium imbuunt, ut quamprimum extra usitatum exemplum uersati fuerint, adeo nihil de Dialectica sua intelligant, ut similis eiusdemq; formæ eundem syllogismum in uno exemplo probent Christianum, Catholicum, salutarem. In altero damnent schismaticum, scandalosum, seditiosum, æternæ mortis inductiuum. Forte, quod apud eos, sicut nullarum rerum neq; artium est, ullum discrimen ita & eadem res sit error & ueritas, Vita æterna & mors æterna. Itaq; hanc conditionalem: Si asinus haberet pennas, asinus uolaret, forte sciunt uel usu tandem callosissimo. Sed duc eos in res serias eadem Regula dialecticæ scilicet in sacram Scripturam, Mox facient tibi ex Christo diabolum, ex cœlo infernum, ex fide hæresim. Et tamen mirum est quam furant, si quando gemimus puerorum optimas animas perdi his eorum perditis studijs, quibus bonas indoles magis extinguunt quam alunt.

Sed ad alterum cornu syllogismi redeamus. Si scribere, loqui, optare ea, quæ futurum Concilium potest statuere, non est schismaticum nec scandalosum, Vbi parebis misera Schedula? ubi tui fautores? Vbi ius inhibendi: Vbi satisfactio iniuriæ Luthero factæ? Vbi uis, fraus, dolus, malitia in sanctam etiam tibi Conciliorum autoritatem & obedientiam Ecclesiæ commissa? Vbi ratio reddita pro tot animabus hac impia detractione infectis? Vbi restitutio impiæ obedientiæ, quæ extorta est a subditis Ecclesiæ Misnensis? Vides mercedem tuam, inscitia temeraria, quam te oportuit recipere, nempe sensum reprobum, ut faceres, quæ non conueniunt.

At dices: Bohemos gaudere de tuo sermone timuimus. Respõdeo Et impiorum est timere, ubi non est timor. Esto, Bohemos uolebas compescere, At non ideo damnanda fuit nostra licentia loquendi de potestate & desiderio Conciliorum. Hoc enim est, timere pruinam & obrui niue. Damna Bohemos in suo schismate, & placebis mihi quoq;. Sed fac, ut sine charitatis & ueritatis læsione id præstes, ne Bohemi te irrideant, iactantes te non posse minus malum aggredi, nisi maiore admisso malo, nec Romanos euadere, nisi occidas Christum, exemplo patris tui Caiphæ. Nonne hoc est plus quam foris sapere, & ut aliena pulses, tua pessundare, nec tamen uincere.

Ecce, Greci sacerdotes habent uxores, Nunquid ideo non licet dicere & optare, ut autoritate Concilij nostris quoq; sacerdotibus dentur uxores, quod, sic dicentes Græcorum opinioni placemus? Aut quis unquam schismaticus & schandalosus habitus est, si cum Græcis in hac re sentiret & similia nostris optaret, licet facere non posset, prohibitus interim statuto contrario Ecclesiæ & usu? Quis est enim uirorum optimorum, qui hanc Græcorum sacerdotum licentiam, misertus nostrorum periculis maximis & scandalis non optet hodie? & hos tu fœlix Schedula criminaberis ob hoc desiderium pijssimum schismaticos, non alia causa, nisi quod Græci audientes timentur tibi roborari & gaudere? Quid insanis insanissima larua?

Vide ergo, mi Lector, meã fœlicitatem. Hucusq; uexatus sũ quia de credendo, sperãdo, amando, opinãdo, sciendo locutus sũ, Nunc de optando & desiderando arguor. Agunt enim optimi hi uiri, ne mihi liceat quidquam optare aut desiderare, forte parati inhibere mihi orationem Dominicam & omnia uota, ne pro eis ipsis quoq; quidquam optem boni aut mali. Sed quid faciam? Homo sum, spiritum habeo, cuius desiderium cum sit immortalis, extingui non potest. Et illi pro insigni charitate, me mala optare non permittunt, bona quoq; optare prohibent. Quid hinc futurum sperem, nisi ut tandem prohibeant & cogitare, aut de cogitando scribere & loqui? Tandem uenient eò, ut uiuere meum faciant hæresim, & tamen mori, non sinant esse bonum, tantum sibi arrogat scientificissima ista Theologistria, ex sentina Philosophiæ suæ progenita. Et hi tamen sunt, qui regunt populos, occurrunt scandalis, ducuntq; oues Christi ad uitam æternam, sicut scriptum est: Cæcus cæcum ducit, & ambo in foueam cadunt. Matth. 15. O quantis diris & furijs in me agerent isti Stolpenses, seu potius Talpenses (ut sic dicam) si ego tam blasphemo & impio dogmate statuissem, non licere loqui de potestate Conciliorum, nec optare statutum eiusdem potestatis. Et merito, quid enim, uel ipsorum iudicio, potest esse par huic impietati & blasphemiæ? scilicet his armis fortissimi duces bellorum instructi, non solum docent Catholicos, sed etiam expugnant Bohemos & schismaticos, docti in principe dæmoniorum eijcere dœmonia.

POstquam autem uidimus, quanta pietate & doctrina mea confutarint, nunc operæpreciũ est uidere, quanto robore sua contra me muniant. Docebunt nos sine dubio, quid sit pro honore S. Ecclesiæ & animarum salute laudabiliter certare

Lateranense Concilium.

Primum aiunt, Esse nouissimi Lateranensis Concilij statutum, ut una species Laicis tantum detur. Si hæc Bohemi legant, putas quid sunt dicturi? Nam huius Schedulę idæa doctissima, Bohemos, credo, non arbitratur homines esse, sed meros stipites & truncos. Quid enim frigidius & stolidius potuit adduci aduersus schisma seu (ut uocant) errorem centum annorum, quam statutum uix decem annorum? Tum eius Concilij, quod Romanis ipsis ludibrio uertitur, ac toti pene orbi. Quod si etiam Niceno par esset, nonne adhuc ridiculum esset, errorem non posse antiquiorib. ipso confutare documentis? Quę hæresis? quis error in Ecclesia unquam uictus est doctrinis post se natis, & ex quibus ipse natus non est? Quę autem gloria uictoriæ, si ueterem errorem oppugnes non alia ui, nisi quod noue contrariam statuis humanam sententiam? Attamẽ iste mos hodie regnat uincendorum errorum, ideo tam feliciter pugnamus, hoc est, irridemus fœdissime.

Non hæc dico, quod damnem Concilij statutum, Sed quod indigner his capitibus grauedinosis, qui sua intempestiua errorum & nihili confutatione

tatione, nos omnes ludibrio exponunt Bohemis, quos cum sciamus expectare autoritatem Scripturæ & antiquorum Patrum, opponimus non nisi nouissimorum hominum nouissimas quisquilias. Verum Bohemi, nolo, præsumant nec rideant omnes propter hos duos aut tres rudissimos sycophantas, Sunt alij, qui unius speciei usum suadeant, melioribus documentis, quam isti fartores faciunt.

Iam uero Achillem suum producunt, nempe illud Sapientis: Melior est obedientia quam uictima. Ex quo pro admiranda dialectica sua concludunt, Nouissimo Concilio esse obediendum. Si hic quærat Bohemus, Vbi ergo fuit obedientia illa, ante decem annos? Confiteris ne nos fuisse obedientes a tanto tempore, adusque istud Concilium tuum? Quid hic dicent? scio non tacebunt. Verum ego arbitror oportuisse propter aduersarios in hac schedula, non tam ridicule nugari in uerbis Scripturæ. Si enim aliquando Bohemi hanc Scripturam fortius contra nos torqueant, profitentes se obedire, & arguentes nos non obedire Euangelio, in quo utraque species a Christo instituitur, & Ecclesiastico usu diutissime roboratur, dicantque, meliorem esse obedientiam quam uictimam, & obedientiam Dei præferendam obedientiæ hominum. Quid pro nobis respondebunt patroni nostri schismatum uictores gloriosissimi? forte pœnitebit eos, produxisse locum Scripturæ, & aduersarijs gladium porrexisse, nisi uelint iubere, ut inerme caput obijciamus gladio inimicorum, Scilicet, sic scribunt hi homines, ut tantum scripsisse satis esse ducant, quid aut quare & quibus scribant, nihil ad eos.

Vtraque species à Christo instituta.

Vror autem ego nimis, rem fidei & Ecclesiæ, & præsumi tam ineptis cerebris, & geri tam ignauis, ut in eis præter inuidiam & maliciam nihil uiuere uideas, adeo iacent, frigent sordentque omnia quæ scribunt. Quid pro Ecclesia contra Dæmonũ astus & cogitationes potentissimas illi ualerent, qui in rebus inferioribus sic languent uel ludunt potius? Ita Schedula ista tota, cum pugnet contra errores, non habet nisi unam hanc autoritatem infœlicissime adductam. Cætera sunt saliuæ hominum & maledicta, cum eam, quæ sub nomine Episcopi editur, oporteat Episcopum referre, hoc est, scripturis sanctis densissimam & refertam esse. Probo itaque obedientiam Concilij, sed mallem eam statui suis & legitimis firmamentis, ne aduersarijs uideremur, nec scire nostra nec tueri posse, quales nos traducunt hi infelicissimi Schedularij.

Post hæc itur ad extremum artis decus, quale certe ego nec Misnę, nec Lipsiæ, nec Dresdæ reperiri credidissem. Orphea hic credas canere, optime Lector. Itaque astes, quęso, magno hiatu paratus, res non est parua profecto, Christum esse sub utraque specierum integrum. Hui quam fideli cura populi, quantoque uerborum ductu sollicitissimi uiri docent. Miraris, qua causa? miror certe & ego. Certum est enim, nec Bohemos nec Lutherum nec ullos unquam hæreticos contrarium sapuisse. Etsi enim Pighardi Christum negent sub ulla specie contineri, non tamen asserunt eum non nisi sub utraque simul integrum, aut in utranque diuisum esse, ut hi somniant.

Cum autem hi prudentissimi doctissimique uiri, non utique in uentum uideantur loqui, neque cum laruis pugnare, oportet uel articuli fidei uice credere, eos scisse & scire, contra quos loquantur tanto præsertim (ut dixi) strepitu. Nec uerisimile est eos contra lemures & somnia sua pugnare, id quod miro modo eorum derogaret tum autoritati tum sapientiæ. Quis ergo enarret hæc mirabilia hominum?

Reliquum est, ut ingenij & artis suæ monumenta uoluerint hac ratione testatissima facere, sed quæ rideat uel subulcus. Primum fuit illis

unicus furor Lutherum hoc nomine reddendi uulgo odiosissimum, quod noua hæresi doceret, Christum non esse integrum sub utraq; specierum. Quem furorem ut cælarent, neue tam malitiose agere deprehenderentur, commenti sunt hanc pulchram figuram strophamq; sane, uel in quadragesima festiuam, ut me non incusarent quidem huius hæresis manifestæ, Sed inter criminandum docerent catholicam contrariam sententiam, quo uulgus simul inter criminationes huius quoq; suspitionis uenenum hauriret.

Et erat sane uafrum hoc commentum, & potens ad subuertendum simplex ingenium stropha, nisi (ut Hilarius ait) Deo regnante, non tantum suffragaretur prudentia, quantum audet impietas. Nam cum uellent illud implere quod Prouerb. 26. dicitur: Sicut noxius est, qui mittit sagittas & lanceas in mortem, Ita uir qui fraudulenter nocet amico suo, & cum fuerit deprehensus dicit, ludens feci. Contigit illis, quod eiusdem 11. dicitur, In insidijs suis capientur iniqui. Et illud Psal. 10. In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Si enim expostulem, cur hoc pessimo hæreseos inauditæ nomine me traduxerint, respondebunt: Non fecimus, sed docuimus populum salutaria, & alia agentes, hæc diximus, id est, ludentes fecimus, Ita effecisse sperant, ut me simul detestabilem reddiderint, & tamen huius sceleris a me accusari non possint. Prouer. 11. Psal. 10.

Verum defuit prudentia miseris & obtusis hominibus, quo minus hac malicia fruerentur feliciter, conuincit eos proprium os. Cur enim uocabulum meum, quod uernacula dixi stückliche / & illi latine reddunt, partialiter tam anxie iactant & huc torquent, ne Christum partialiter populi intelligant esse sub una specie, Nisi quod manifeste produnt, non tantum populis se loqui, sed simul Sermonem meum hac insigni hæresi contaminare uoluisse, Quasi ego hoc uel cogitarim unquam, aut ipsi ex uerbis meis possint ullo modo colligere. Quin potius certus sum eos, mea uerba cum sint apertissima, de sacramento seu speciebus non de corpore Christi loquentia, non aliter intellexisse quam de speciebus, & tamen insigni impudentiq; nequicia, in odium mei ea torquent, ad rem sacramenti seu ad copus Christi. Quis, rogo, honestissimos hos uiros non miretur? Quis artem non laudet tam eximiam? qui in proximi perniciem non uerentur, tanto studio populum mendacissimis mendacijs fallere? Nunc uide, mi Lector, cum quibus hominibus mihi res sit, hos subdolos, malignos, impios patior eruditores. Tales habet Ecclesia, habet fides, habet Romanus Pontifex milites, patronos & tutores.

Sed ut est inuidia lubrica, prudensq; sibi uidetur, dicent: Non ut tibi noceremus fraudulenter hæc diximus, sed præoccupauimus, ne uerbũ tuum ambiguum falso intelligerent populi. Respondeo: Cur non & in sua schedula curarunt, ut uerbum eorum ambiguum populi in mei odium falso non intelligerent? Cur sunt tam impatientes in meis uerbis, qui in suis adeo stertunt? Imo cur exigunt a me, quod ipsi dedita opera fugiunt? quanq; uerba mea tam clara sunt, tum sacramentũ & corpus Christi tanta differentia omnium sensu discernuntur, ut ne possit quidem hic suspicari ambiguitas. Schedulæ autem huius furor tam manifestus, tum uerba tam lubrica & ambigua, ut non permittat ullius sensus intelligi aliud quam extremam inuidiam nocendiq; libidinem deploratissimam.

Porro, si tam crassi cordis sunt, ut sacramentum partialiter datum a corpore Christi partialiter dato non discernant, ut quid non porcos potius pascunt, quam schedulas pro erudiendis populis scribunt? Cum enim schedula no-

dula nomine Episcopi edita debeat præ se ferre absolutam utriusq; Testamenti scientiam, iuxta figuram pilei bicornis Episcoporum, turpissimum fœdissimumq; sit opprobrium, uel unum inueniri Episcopum, qui Sacramentum nesciat a corpore Christi distinguere, quæ sic differunt, ut nec oriens nec occidens tanto distinguantur.

Habes, Lector, quid sit hoc seculo ueritatem profiteri, uel meo exemplo. Nunc quid restat, nisi ut uiri hi doctissimi more suo his responsuri, causam omittant, penitusq; non tangant, sed tantum maledictis me petant, Quod expecto, docturus, Deo uolente, qualis esse debeat schedula, quæ nomine Episcopi Catholici in publicum ire debeat. Interim uale pie Lector & caue ab hominibus.

ACTA ACADEMIAE LOVANIENSIS CONTRA Lutherum.

CANDIDO LECTORI S.

Oua quæ nunc sunt, ut omnium interest ea maxime nota esse, lubens exponam. Venit his diebus Hieronymus Aleander, uir sua opinione longe maximus, non solum propter linguas, quas eximie callet, siquidem Ebræa illi uernacula est, Greca a puero illi coaluit, Latine autem didicit diutina professione, sed etiam mirabilis sibi uidetur ob antiquitatem generis. Nam Iudæus natus est, quæ gens immodice gloriatur de Abraham uetustissimo se originem ducere. An uero baptisatus sit, nescitur. Certum est eum non esse Pharisæum, quia non credit resurrectionem mortuorum, Quoniam uiuit perinde atq; cum corpore sit totus periturus, adeo nullum a se prauum affectum abstinens. Vsq; ad insaniam iracundus est, quauis occasione furens. Impotentis arrogantiæ, auaritiæ inexplebilis, nefandæ libidinis & immodicæ, Summum gloriæ mancipium, quanquam mollior, quam qui possit elaborato stilo gloriam parare, & peior, quam qui uel conetur in argumento honesto. *Hieronymus Aleander.*

At ne nesciamus, cessit felicissime simulata defectio ad Christianos. Nactus enim sic est ansam illustrandi Mosi sui, & obscurandi Christi gloriam, quæ hoc seculo cœpit reflorescere, flaccescente superstitione & pestiferis hominum traditiunculis. Itaq; instructus literis pontificijs nuper uenit, perditurus (quantum potest) optima quæq;.

Vale.

Id uos candidos Lectores scire uolui.

ACTA ACADEMIAE LOVANIENSIS CONTRA Lutherum.

M. D. XX.

NVNc maxime feruet stolidorum ac furiosorum tyrannis, Aleander Louanij per carnificem publicum ac promotorem libros aliquos exussit in foro, eodem die quo Rex discessit Louanio, ut dicere possim Rege praesente factum. Tentarunt idem Antuerpiae, sed frustra. Hochstratus restitutus est in officium Inquisitoris, & dira minatur omnibus, qui illam Bestiam non adorarint. Dorpio palam minantur Theologi Louanienses, se eiecturos illum e Synagoga Theologorum, ni recantet Orationem, quam edidit nuper, in qua laudauit linguarum peritiam.

Res acta est ea ratione, qua Theologi solent omnia, Conuocata est Vniuersitas sub iuramento in aedes Rectoris, quae nec capere poterant Vniuersitatem, Languet enim Rector Rosemundanus, qui nunc declarat qualis ante fuerit. Cum esset congregata Vniuersitas, ut audirent, quae proponerent nuncij Apostolici non comparuerunt nisi duo ministri barbatuli, fututuli, & exhibent Bullam illam terrificam Louanij natam, una cum exemplari, & conferte, inquiunt. Bulla lecta est, ibi sedebatur duabus horis, nihil aliud definiuit Vniuersitas, quam Bullam haberi pro lecta.

Postridie Theologi per deputationem suam procedunt, perinde, quasi tota res esset acta per Vniuersitatem, cum nec Aleander docuerit de sua commissione, nec Bulla sit examinata ab ijs, a quibus oportuit, nec approbata per omnes, sicut oportuit, in re tanta. Libri aliquot sunt exusti in foro, sed ridentibus omnibus.

Edmundanus in die Dionysij orationem habuit apud populum ipso dignam, hoc est, stultam & furiosam. Et in Erasmum praesentem plura dixit, quam in ipsum Lutherum, impudentissime mentiens. Aiebat Lutherum in horrendos illos errores incidisse, quod esset cupidus nouorum, Cum Lutherus omnia sua hauserit ex Augustino, Bernardo, Gersone, Cardinale Cusano. Dicebat Erasmum uehementissime fauisse Luthero, cum nunquam miscuerit se causae illius, sed tantum improbaret modum, quo illum aggrediebantur, uociferantes apud indoctos in illum, quem nollent aut non possent refellere. Multaq; his similia, perstringens oblique linguas ac nouum Testamentum, Idq; ridentibus pene omnibus.

Die Dominico proximo repetijt eadem, & Bullam ostendit populo. Videte, inquit, sigillum, Quasi hoc sit approbare Bullam procul ostendere sigillum. Adiecit inter caetera odiose notans Erasmum. Venient & ipsi aliquando ad palum, nisi desistant, Quasi Bulla non sufficeret. Exierat & mandatum Rectoris multa adijciens, quae in Bulla non habebantur, ne uenderentur Libelli scripti in infamiam Vniuersitatum & bonorum uirorum. Hoc opposuerunt orationi Dorpianae & Mosellani.

Obmurmu-

Obmurmuratum est a Iureconsultis, quibus nunc ingens dissidium est cum Theologis. In actu cuiusdam Iureconsulti paucissimi Theologi comparuerunt, In proxima eiusdem Licentia nullus comparuit præter Dorpium & Erasmum. Nam eodem die inhibuerant Theologi licentiæ actum, Sed illico appellatum est, & ostensum est, illos non posse inhibere. Nec tamen uoluerunt retractare suam inhibitionem. Sed in hoc conspirarunt, ut nemo Theologorum compareret, solo Dorpio non monito, Erasmum constituerunt nunquam uocare ad acta, O grauem uindictam.

Quis digne miretur hominum dementiam? Rem tam atrocem, quę possit totum conturbare mundum, aggressi sunt tam stulte ac temere. Constat Romæ rem actam sine ordine, uehementer obsistente Card. S. Crucis & alijs multis. Bulla Coloniæ Louanijq; nata, fuit excusa anteq̃ euulgata, & q̃ excusũ est, dissidet a Bulla, quam adfert Aleander. Eruditi, quibus lecta est Bulla, confirmant multa esse in Bulla, quæ suspitionem faciant, eam esse surrepticiam, Stylus est Fratralis, multum abhorrens a stylo Romano, Insunt Solœcismi multi, Nulli credunt illam præterquam Theologi, nec unquam fuit examinata, nec distinguit errores, quos commemorat.

Iam uide ministros huius præclari negocij. Primus erat Cardinalis Caietanus, quo nihil superbius, nihil sceleratius, & is Prædicator est. Huic successit Carolus a Milticijs, huic Marinus, Postremo, quem nihil pudet, gloriosus Hieronymus Aleander, quem publicus rumor, uultus, lingua, fides plane testantur esse Iudæum, & Iudæi suum agnoscunt. Est hoc in fatis, ut Christiani patiantur a Iudæis. Sic Iudæus incitauit Iulium Pontificem in exitium orbis, Sic Pfefferkorn Colonię turbauit orbem Christianum. Sic nunc Aleander cognatus Iudæ uincit suos maiores, uel ob tres drachmas proditurus rem Euangelicam. Ea uita cognitus Patauij & Lutetiæ, ut ipse, qui libros alienos exurit, sit exurendus. Nam ille hæreticus dici non potest, qui nihil credit, imperatum per unum aut alterum mandatum a rege inscio; aut certe male instructo, de Bullæ executione hic minister fuit Rimaclus notæ improbitatis Ganeo. Pfefferkorn. Aleander.

Iam si placet, fontem consideremus. Res primum orta ex odio linguarum ac bonarum literarum aduersus Capnionem, Res acta est per furiosum Hochstratum, & furiosum simul & fatuum Edmundanum. Accessit Latomus non inscius, sed peruersus Gallulus. Accesserunt Ordines Mendicantium, qui timent ne uocentur uel ad famem, uel ad opus manuum, si labascat regnum Pontificis Romani, per quem regnant nunc in ocio. Nullus est Theologus, qui solus damnet omnes articulos, in Bulla commemoratos, Sed quemadmodum Octauius Lepidus & Antonius conspirantes ad opprimendam libertatem publicam iunctis copijs sic concordarunt, ut singuli eorum paterentur quosdam occidi, quibus bene uolebant. Ita isti alius in alterius gratiam passi sunt quædam damnari, modo ille uicissim pateretur damnari quod oderat, aut quod putaret incommodum suis rebus. Nam Louanienses non damnant id quod maxime grauat Lutherum, uidelicet Primatum pontificis non esse iuris diuini. Et Turnhaut parans refellere Conclusiones Lutheri, testatus est se hoc uelle intactũ relinquere. Satis igitur declarãt se in hoc sẽtire cũ Luthero, & tamẽ passi sũt damnari in Bulla. Et Louanij sũt, qui obstiterint, ne quædam damnarentur. Ecce duæ tantum Vniuersitates, etiam coniuratæ non consentiunt. Hochstratus.

Iam cum fateantur in Thoma, in Schoto, in Petro Lombardo, in Augustino,

Augustino, in cæteris omnibus esse errores, & eosdem, quos damnant in Luthero, nec his offendantur, Satis declarant se odio Lutheri facere, quod faciunt, nō zelo fidei, quem nō habent homines fucatissimi, sui tantū amantes, nec aliud quam regnum affectantes. Nemo fraterne monuit Lutherum, cupientem discere, nemo docuit, nemo refellit. Tandem cœperunt in Scholis disputare aduersus Lutherum, sed ita, ut non liceret Baccalaurijs loqui cuidam Theologo adducenti argumentum, quod non possent soluere, Vehementer indignati sunt, & collegerunt concilium de illo eijciendo, Turnhaut & Latomus cœperunt refellere in lectionibus suis & uix perfecerunt duo capita, tantum ut esset prętextus apud stultos, ut interim procurarent ea quæ nunc uidemus.

Quod si res eo deducatur, ut Theologis liberum sit absq; rationibus dicere: Hoc falsum est, hoc hæreticum, hoc offensiuum, nec ulli sunt libri, in quibus non possis aliquid tale calumniari, Cuicunq; succensebit Hochstratus, uocabitur ad ignem, & bonę literæ & boni uiri prodentur hominis indocti, furiosi, & scelerati libidini. Ille in suis pręfationibus gloriosis promittit, illos admirandos syllogismos, quibus uolentes, nolentes sit adacturus nos ad obediendum. Et subito profert carnificem suum cum fasciculis, ipse carnifex cucullatus.

Omnia quæ hactenus in Lutherum sunt scripta, habent manifestam insaniam, Omnes turpissime adulantur Pontifici, Quorum primus fuit Card. Caietanus, & Syluester Prierias, tertius Thomas Todiscus, quartus Augustinus Minorita quidam. Nam Louanienses (ni fallor) non edent suas nenias. Christus nō dedignatus est docere uel infimā plebem, Isti non dignantur docere uirum integrum & eruditum. Quod si Episcopi omnes, ut quidam nunc faciunt, conniuebunt ad ista, breui futurum est, ut Mendicantes adepto regno, insultent in capita ipsorum, & in eos quoq; per Pontificem tyrannidem suam exerceant.

Dicet aliquis: Quid fiet? Pontifici resistere difficile est. Primum, tutissimum est credere hæc agi Pontifice nescio, aut certe non edocto sufficienter. Examinetur Aleander, & inuenietur scelerosus Iudæus. Examinetur Bulla & inuenietur surreptitia. Quæ etiamsi uenit a Pontifice, tamen non statim est procedendum, donec pontifex audierit saniora consilia, alioqui periculum est, ne hæc res pariat magnos tumultus in orbe Christiano. Facile est Lutherum eximere e bibliothecis, At non facile est illum eximere è pectoribus hominum, nisi refellantur illius insolubilia argumenta, nisi contrarium doceat Pontifex sacræ Scripturæ testimonijs. Satis diu impositum est mundo fucis, post hac doceri cupit. Nec desunt ingenia, quæ flecti ueris possunt, terreri fumis non possunt, Veritas nescit opprimi, etiamsi opprimatur Lutherus.

CONDEM

CONDEMNATIO DOCTRINALIS LIBRORVM MARTINI LVTHERI, PER QVOSdam Magistros nostros Louanienses & Colonienses facta. Responsio Lutherana ad eandem condemnationem.

SPECTABILIBVS ET PRAECLARISSMIS VIRIS MAGISTRIS NOSTRIS, Decano & Facultati Theologiæ Louaniensis, Amicis tanquam Fratribus, E. P. V. Amicus & Confrater A. Car. Dertusen.

Pectabiles præclarissimi Magistri nostri, amici charissimi, literas uestras. 7. Nouemb. ad me datas .16. eiusdē accepi, quibus plane explicatis, quę sit uobis erga Christū affectio, & quis erga sanctissimā eius fidē zelus. Vidi errores, quos ex diuersis scriptis & tractatibus Lutheri, sacræ Theologiæ Magistri, annotatos, ad me misistis, qui sane tam rudes ac palpabiles hæreses mihi præ se ferre uidentur, ut ne Discipulus quidem Theologiæ, ac prima eius limina ingressus, ita labi merito potuisset.

Et ex hoc maxime hæreticum se probat, quod paratum se profitetur ignem ac mortem pro illis subire, & omnem contra sapientem hæreticum esse. Taceo causas, quibus de singulis articulis declarari posset, quemadmodum hæresim contineant, ut prolixitatem uitem in re non ambigua nec necessaria. Miror ualde, quod homo tam manifeste tanque pertinaciter in fide errans, & suas hæreses omniquaq; diffundens impune errare, & alios in perniciosissimos errores trahere impune sinitur.

Vos certe bene ac laudabiliter facitis, quod pestiferis hominis dogmatibus (quantum in uobis est) obuiam itis, doctrinalis condemnationis antidotum illis opponendo, ne illius errata etiam uos inuoluant, neue rei sitis apud Dominum animarum, quæ occasione peruersæ eius doctrinæ pereunt, quemadmodum fieret nisi eiusdem doctrinæ falsitatem ac perniciem censura uestra ac ueritatis manifestatione monstraretis. Iuxta illud Saluatoris: Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum, spargit.

Sed illud imprimis prouidere debetis, ut in condemnatione per uos publicanda, nullum uerbum aliter ponatur, quam ab ipso Autore sit scriptum, ueluti in articulo. Circa uero satisfactionem pro immutare seu mutare, scriptum est, imitare ius diuinum, errore (ut credo) scriptoris, qua, si homo ne diuina quidem autoritate fretus tollere posset obligationem de iure diuino & naturæ ortam, nec unquam ualeret dispensatio in uotis, iuramentis, & alijs ex quacunq; causa relaxatiua obligationis contractæ. Quod manifeste falsum est, & omni Ecclesiæ constitutioni contrarium.

Non scribo nunc plura propter occupationes maximas, det Dominus, ut breui cum dignationibus uestris de his & alijs præsens latius conferre possim. Interea tamen non omittam fidei laboranti succurrere, in his, quæ istis malignis temporibus per me fieri ac procurari poterunt. Valeant diu fœlices E. dignitates, & me Domino precibus suis commendare uelint.

Ex Papiol. 4. Decemb. Anno M. D. XIX.

Vniuersis & singulis has nostras Literas uisuris, & audituris, Decanus & Facultas sacræ Theologiæ uniuersalis studij Louaniensis, cum syncera commendatione salutem.

Quamuis omnes omnino Christiani ad fidei & sacræ doctrinæ defensionem Christo, cui nomen dederunt, & cuius sacramento ligantur, sint astricti, Ad id tamen obligatiores esse constat, quos sacræ Theologiæ professio specialius stringit, Istos enim oportet esse potentes in opere & sermone ut per sacram doctrinam contradicentes redarguant, & pro domo Israel se murum opponant.

Hinc est, quod nos huic debito pro uiribus satisfacere cupientes, anno superiore librum quendam F. Martini Lutheri, Doctoris (ut dicitur) Vniuersitatis Vuitembergẽsis, qui prima facie nobis uisus fuit scandalosus & Christi Ecclesiæ noxius, curauimus, quantum in nobis fuit ne in nostra Vniuersitate publice uenderetur. Verum, cum experientia comperissemus istud adhuc satis non esse, sed librum & autorẽ eius multos habere fautores & defensores, asserentes huius libri doctrinam uere esse Christianam, quorum suasu & autoritate multi ex simplicioribus ipsum librum cupidius amplectuntur, & a synceritate, quæ in Christo est, auertuntur, Visum est nobis necessarium, nostram adhibere censuram.

Itaq; supradictum librum complectentem Conclusiones nonaginta quinq;, cum suis declarationibus & responsis ad Siluestrum de Prierio, Magistrum sacri Palatij. Item sermonem de pœnitentia, Sermonem de excommunicatione, Sermonem de Indulgentijs, sermonem de præparatione ad Eucharistiam.

Post exactam & diligentem examinationem cõperimus, preter insignẽ detractionẽ Philosophiæ, & omniũ Doctorũ, qui fuerunt ab annis quadringentis, etiam continere assertiones multas falsas, scandalosas, hæreticas & hæresim sapientes, cuiusmodi sunt, quæ sequũtur.

Opus bonum optime factum, est peccatum ueniale.

Item: Ex eo, quod sancti in omni bono opere minus faciunt quam debent, Quodq; nullus Sanctorum uixit in hac uita sine peccato, concludit, merita Sanctorum nulla esse superflua sibi, quæ nobis ociosis succurrunt. Intendens per hoc manifestum facere, quod merita Sanctorum nulla sunt, quæ nobis possunt communicari, quin & sancti in illis opus habent misericordia ignoscente.

Hæc simpliciter dixisse non sat erat, sed hæc etiam addit uerba: Et ut aliquando audax sim, ea, quæ iam dixi, protestor me non dubitare, sed paratus ignem & mortem suscipere pro illis, & hæreticum asseram omnem, qui contra sapuerit.

Item indulgentiæ nihil aliud sunt, quam relaxatio pœnæ, arbitrio sacerdotis uel canonum pœnitentialium impositæ, quos tamen etiam ipse fatetur per non usum abolitos.

Item, circa

Item, circa sacramentum pœnitentiæ errores seminat, ut quod sine gratia Dei primo remittente culpam, nec uotum remissionis quærendæ, homo habere potest.

Item, hæretica est Sententia, qua sacramenta nouæ legis gratiam iustificantem dare dicuntur illis, qui non ponunt obicem. Alibi hoc etiam explicans de baptismo.

CIRca contritionem istud dat consilium: Confessurus ante omnia tecum cogita, quid faceres, si non esset præceptum confitendi? Et an sic etiam uelles confiteri, conteri, pœnitere. Quod si te non ita inuenis, iam scito te non ex amore iusticiæ, sed consuetudine & timore præcepti pœnitere.

Item, Quod fides, qua creditur uerbum Christi uerum: Quodcunque solueris &c. magis requiritur in absolutione sacramentali, quam contritio, & ipsa sola satis est, quidquid sit de contritione, Tantum, inquit, habes quantum credis.

Addens, Imo esto per impossibile, quod confessus non sit contritus, aut sacerdos non serio sed ioco absoluat, si tamen credat se absolutum, uerissime est absolutus.

Et infra dicit: Quare magis est a confitente requirendum, an credat se absolui, quam an sit uere contritus?

Item, Idem expresse dicit de accessuro ad uenerabile sacramentum Eucharistiæ, in sermone de præparatione ad Eucharistiam.

Improbat etiam modum examinandi conscientiam contra c. Quem pœni. & canonem Concilij generalis, in c. Omnis utriusque sexus, de pœ. & re.

CIRca Confessionem, Non sunt confitenda omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas, Ad impossibile autem nemo obligatur.

Addens, quod solum manifesta mortalia in primitiua Ecclesia confitebantur, iuxta illud Apostoli; Manifesta sunt opera carnis. (Gala. 5.)

Et de accidia dicit: Nescio an sit uitium confitendum, credo quod non, Quia est spiritualis defectus, Deo soli, qui & solus ibi mederi potest, aperiendus.

Item alibi dicit: Etsi non sit necessarium confiteri sacerdoti, si fratrem non excusaueris accusatum, fœdatum falso testimonio, oppressum adulatione uel detractione, forte contentus, quod tu non ea feceris. Certe coram Deo argueris reus tam impij silentij, & male ociantis linguæ, quæ in hanc fratris tui necessitatem tibi data est.

Circa uero Satisfactionem dicit, Quod nullam pœnam exigit Deus remissa culpa, quam sacerdos possit tollere uel minuere. Quia talis pœna secundum diuinam iusticiam debita, nulla est, aut si aliqua sit, non potest ab homine tolli, Quia, ut inquit, hoc esset mutare ius diuinum.

CIRca mandata Dei dicit: Deus ligat hominem ad impossibile, & quod diuino præcepto tenemur ad non habendum fomitem peccati, quem quia habemus, & in hac uita carere non possumus, semper peccamus.

Item, Quod omnes filij Adæ sunt idolatræ.

Et infra: Si hoc præceptum seruaremus, nulla esset superbia, id est, nulla radix peccati, nullum initium peccati, ac per hoc nulla peccata essent, sed pax amor &c.

Addens, quod non in hac uita sperandum est, ideo semper maneamus peccatores & huius præcepti transgressores, Solo hoc sacrificio salui, quod hanc transgressionem non ignoramus neque negamus.

Item dicit, Quod uirtutes morales & scientiæ speculatiuæ sunt pecca-

ta, & errores in peccatoribus, quia fiunt necessario ex corde malo, & nondum sanato per gratiam.

Et multa alia passim inserit, æque uel magis absurda & erronea.

Item, uarias Propositiones suspectas & periculosas inducit de purgatorio, Vt quod animæ in purgatorio sine intermissione peccant, in eo, quod horrent pœnas & quærunt requiem.

Et ad suas assertiones erroneas confirmandas, Autoritates sacræ scripturę ad sensum peruersum trahit.

Similiter & uerba Doctorum tam ueterum quam modernorum corrũpit ac peruertit.

PROpter quæ censemus, Librum ipsum, ac omnes & singulos tractatus eius, in quibus hæc, uel horum aliqua continentur, damnandos

Ac deinde Librum & tractatus doctrinaliter damnamus tanquam communitati fidelium nociuos, ueræ & sanæ doctrinæ aduersos, & de medio tollendos censemus, igniq; cremandos, & Autorem ipsum ad reuocationem & abiurationem supradictorum cogendum.

IN quorum præmissorum ueritatis testimonium præsentes literas exinde fieri, & per Notarium infra scriptum subsignari mandauimus, sigilliq; ante dictæ nostræ Facultatis theologiæ iussimus appensione communiri.

Acta fuerunt hæc Louanij, Leodiensis diocœsis, in Ecclesia collegiata S. Petri Louanien: in Loco capitulari inferiori ibidem, Sub anno a natiuitate Domini M.D.XIX. Inditione 7. mensis Nouemb. die 7. inter nonam & decimam horas ante meridiem. Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri, Domini Leonis diuina prouidentia Papæ X. Anno suo 7.

De mandato Dominorum Decani, & aliorum Magistrorum nostorum dictæ Facultatis, Iohannis von hofe Notarius.

CONDEMNATIO FACULTATIS THEOLOGIÆ Coloniensis Aduersus doctrinam F. Martini Lutheri.

Niuersis & singulis has nostras Literas uisuris & audituris, Decanus & Facultas sacræ Theologiæ uniuersalis studij Coloniensis, cũ Syncera cõmendatione Salutẽ.

Tametsi omnes ubilibet consistentes fideles ad communis fidei defensionem, nedum cum rerum, uerum etiam cum propriæ uitæ dispendio teneantur, Præcipue tamen eos ad id muneris arctius obstrictos constat, qui pro titulo professionis ab Ecclesia ad id præ cæteris deputati, ęstimantur sacræ Theologię Magistri, quorum (ut Scriptura ait) uniuscuiusq; ensis super femur eius esse debet, propter timores nocturnos, errores & hæreses, quos procurante uniuersorum zizaniorum satore diabolo, studio prauorum pseudoq; catholicorum in Ecclesia per tempora dormientibus hominibus, contingit pullulare,

Cum itaq; ante aliquot hos dies uenerandi eruditissimiq; domini, Decanus & Facultas sacratissimæ Theologiæ insignis studij Louaniensis, Confratres nostri, fidei zelo succensi, per proprium suum nuncium sacræ Theologiæ

logiæ Baccalaurium, librum quendam, ſub titulo cuiuſdam F. Martini Lutheri impreſſum, ad nos tranſmiſerint, expetierintq́;, quatenus charitatis debito, eundem librum, quem multorum Chriſtifidelium aures grauiter offendiſſe accepiſſent, quod noua, inſolita, inaudita, & noxia quædam dogmata, in fide erronea Lectoribus ingereret, perluſtrare & examinare dignaremur, Atq́; ſi ita mereretur, reprobationis noſtræ cenſuram doctrinaliter adhiberemus.

Nos tam ſanctis deſiderijs iuſtiſq́; precibus Confratrum noſtrorum merito inclinati, præmemoratum librum, quadringentas & octuaginta octo paginas in ſe iuxta numerum illis impreſſum continentem, uiſendum, reuiſendumq́; nonullis ex gremio noſtro Magiſtris commiſimus.

Et quoniam poſt illorum examen talem eum palam comperimus, qui quo ad tractatus, & materias per F. Martinum Lutherum editas, atq́; in lucem (ut fertur) datas, uarios in fide & moribus errores, alienaq́; a ſanctis Doctoribus dogmata contineret.

Et ſpeciatim ſancta uitæq́; æternæ meritoria, humana opera infamet, & reatum eis iniJciat, quaſi ſine culpa fieri non poſſint.

Sacras Scripturas, ſanctorumq́; Patrum ſententias peruertens, in ſenſum pernicioſum contorqueat.

Pœnitentiæ ſacramentum dogmatibus pernicioſis annullet, Circa contritionem ſcandaloſos errores inducendo.

Circa confeſſionem contra uniuerſalis Eccleſiæ ueterem doctrinam per uerſa conſilia ingerendo.

Omnem ſatisfactionem mortali culpæ remiſſæ debitam caſſando, cum Deus (ut ait ipſe) cui mortalem culpam ſemper etiam & meritam pœnam remittat.

Theſaurum Indulgentiarum, quas non ſolum ab olim Patrum Decreta, ſed etiam ſacra approbauerunt Concilia, ex friuolis irrationabilibus fundamentis, per Propoſitiones in Sanctos & in Sanctorum merita impias & blaſphemas pertinaciter annullet.

Circa pœnas purgatorij & ſtatum animarum poſt hanc uitam, ex uanis motiuis, abominabiles errores diſſeminet, utpote, quod in purgatorio nulla anima quidpiam pro mortalibus patiatur, ſed duntaxat pro uenialibus patiatur peccatis.

Quod animæ in purgatorio Deum uitioſe culpabiliterq́; diligant, ac ſine intermiſſione illic peccent, & quæ ſua ſūt querentes, pluſq́; diuinæ uoluntatis impletionem, quod (ut ipſe inquit) eſt contra charitatem, quod mortui fere non minus quam uiui in ſtatu ſint merendi uitam æternam.

Item contra priuilegium, & primatum Romanæ Eccleſiæ ſupra Eccleſias cæteras per orbem, erroneas aſſertiones, ab olim pro hæreticis condemnatas, auribus Chriſtifidelium refricet, & ingerat.

Sedem Apoſtolicam irreuerenter, palam & ſcandaloſe taxet.

Autoritatem ſummi Pontificis impudenter attenuet, utpote, qui ſolam pœnam canonicam ſeu arbitrariam, nullam autem pœnam ſecundum diuinam iuſticiam peccatis debitam, diuinitus ſibi data poteſtate, remittere poſſit, Cum (ut ait ipſe) tales pœnas remittere, eſſet diuinum ius mutare, mandatum Dei irritum facere, & in Deum impiJſſimum aduerſarium eſſe. Innumeraq́; alia ſcandaloſa his non abſimilia, imo grauiora & pernicioſiora in ſe habeat.

Quocirca nuper die martis penultima menſis Auguſti, ſuper hoc legitime omnes & ſinguli conuocati, in congregatione noſtra publica, more ſolito, in conuentu fratrum Prædicatorum, ſeruata & habita, matura penſiculatione præmiſſa, concorditer cenſuimus, & doctrinaliter ſudicauimus,

Digitized by Google

cauimus, præfatum librum tantis scandalis, erroribus hæresibusq; ab olim damnatis refertum, tanquam communitati fidelium noxium, iure de medio tollendum, usum eius inhibendum, supprimendum, & per eos, ad quos id spectare dinoscitur, igni publice cremandum, Autórem etiam eius merito ad Reuocationem publicam compellendum.

IN quorum omnium robur ac fidele testimonium, hanc nostram sententiam per Notarium nostrum iuratum prædicto libro asscribi, & sigillo Facultatis nostræ (quemadmodum & has nostras literas) iussimus appensione communiri.

Datum & actum Coloniæ, Anno salutis Christianæ supra millesimum quingentesimum, decimonono, penultima die mensis Augusti.

Per me Henricum de Vorda de Colonia, Notarium publicum, Et supradicti generalis studij Coloniensis Bedellum iuratum.

RESPONSIO MAR. LVTHE. AD ARTICVLOS, QVOS MAGISTRI NOSTRI LOVAnienses, & Colonienses ex Resolutionibus & Propositionibus de Indulgentijs & assertionibus earum excerpserunt, ac uelut hæreticos damnauerunt.

ORNATISSIMO VIRO D. CHRISTOPHERO Franco, I. V. Licentiato, suo in Christo Salutem.

Lutherus ad Spalatinum. Mitto Louanienses & Colonienses Asinos quibus iam respondeo per typos feria 2. post lætare. Anno. XX.

Itto ad te, uir ornatissime, damnatores doctrinales Lutheranę doctrinę, nempe Louanienses, Colonienses q; Theologos, quorum infelici studio si dixero me non moueri, magno meam conscientiam confecero mendacio. Nam ea, quæ in Reuchlinum cogitauerunt duæ eædem præ cæteris Vniuersitates, casui aut tẽporali hominum cuidam fato dedi, aut ad summum, humanæ conditioni, qua necesse est, ut prouerbio dicitur, semel insanire omnes, quibus magnam ignominiam sibi pepererũt, uniuersum nomen Theologicum summo ludibrio exposuerunt, omnibusq; Vniuersitatibus irrecuperabilem fidei & autoritatis, & opinionis iacturam thesaurisarunt.

At postquam uideo eos hoc malo suo non solum nihil eruditos, sed etiam in peiora lapsos, hoc (siue pro resarcienda gloria, siue pro excitanda maiore tragœdia) conari, ut etiam expressas diuinæ Scripturæ sententias, imo suas proprias damnent, aliud suspicari non possum, nisi iram Dei peruenisse super eos in finem, ut Apostolus de Iudæis ait, quo timore motus, tanquam desperatos & deploratos cogor miserari, ob totius Christiani populi periculum, quem necesse est, hos infelices Magistros ubiq; habere duces uitæ.

Dicitur Euangelium Christi apud Turcas non licere prædicari. At si istis doctrinalibus damnatoribus sua fiducia, & tanta arrogantiæ Bulla constiterit, quæ tyrannis Turcarum poterit ei conferri? Nam quid causæ, quæso, afferunt in hac condemnatione mei, qui tam densis Scripturis mea muniui? Aut quid spirat hæc damnatio, nisi bullam fiduciæ superbissimæ, istam

mæ, istam: Nos sumus Magistri nostri eximij, & almæ Vniuersitatis Theologi, quidquid dixerimus, Euangelium est, Quidquid damnauerimus hæresis est. Si iste est modus damnandi, statuendi, docendi, quin extinctis Euangelio & Scriptura tota, Louanium aut Coloniam imus audituri, quid Magistri nostri, uel per febrem diuinent, aut exemplo Turcæ pro utroq; Testamento, nouum quendam Alcoranum nobis condant? Quis enim potest uel fingere, quid prosit Scriptura diuina, si Magistris nostris sine ea loquentibus, necesse est credere?

Quare magis moueor, Antichristum aut regnare aut propediem regnaturum, dum homines isti incipiunt se extollere super uerbum Dei, quando eam insaniam nullus unquam hæreticus præsumpsit, nec eo tempore ausus fuit diabolus, ut sine uerbo Dei in Ecclesia quid molitetur, quod hodie tum Pontifices, tum Magistri nostri tanta sibi tyrannide usurpant (sed sub nomine Ecclesiæ sanctæ, nunc Romanæ, nunc Catholicæ, nunc repræsentatiuæ, nunc doctrinalis) ut si quis neget, recte ab eis, imo diuinitus factum, mox sextentis hæreseon nominibus damnatum, utriq; igni, isti & futuro deuoueant. Nec sic tamen usquam apparent, qui surgant & teneant Dominum (ut Esaias ait) & uel sanguineis lachrimis, hæc horrenda portenta iræ diuinæ mitigent.

Ego, qui in Eccium Eccianosq; paraueram impetum spiritus mei, hac misera damnataq; damnatione mei, sic fractus mutatusq; sum, ut flere magis libeat quam quidquam scribere. Iam non glorior de lucro persecutionis, Humanas temeritates arbitrabar esse, quæ diuina ira est, & tanta ira ut nō modo eius magnitudo & multitudo nō cognoscatur, sed & pro gratia & misericordia (heu miseros huius seculi filios Adam) pertinacissime uiolentissimeq; per multorū mortem & perditionem iactetur celebreturq;. O merces digna ingratitudine nostra.

Hæc tamen sic dixerim, tanquam reuera Louaniensium & Coloniensium Theologorum ista sit condemnatio, tum & Epistola Cardinalis Derthusensis, quidquid id hominis est. Nam subolet meo naso nonnulla sycophantia, & ut loquuntur, uehemens suspitio Cardinalem hunc esse personarum, non quod uelim Cardineo pileo tribuere aliquid alienum homini, id est, ueritatem Dei, Sed quod phrasis ista quoduis aliud resipiat quam Cardinalem. Necdum satis scio, an credendum sit, usquam Theologos esse, qui adeo desipiant, ut nec decori, nec rerum, nec uerborum ullam rationem habeant. Deinde nudis uerbis damnent, quæcunq; libitum fuerit, præsertim cum certior factus sim literis, inde ad me datis, non omnium de facultate Louanien. consensu, istam damnationem esse natam.

Vt ut se habet res, respondendum est, ac primo fiducia pronunciandi Magistris nostris siue ueris siue personatis adimenda, ostendendumq; quantis opus sit firmamentis, ut credatur ijs, qui raro pronunciauerunt bene, frequenter autem ac fere semper pronunciauerunt male. Vt desinant putare, suas damnationes fuisse in materia naturali, quæ potius in contingenti, ac frequentius in remota fuerunt, ut & ego aliquid eorum usurpem. Quin cum semel malus semper præsumatur malus, iuxta iuris Regulam, nusq;, nunquam, in nulla re credendum erit Magistris nostris quibuslibet, quorū iudicium constat iam a multis annis fuisse non modo inconstans & præceps sed & erroneum, hæreticum, temerarium & cæcum, cui nemo debeat fidere tuto, nisi quem Deus iratus operationibus erroris mandet illudi. In cuius rei fidem exempla sunt inuocanda.

Nonne Vuilhelmus Occam, Scholasticorum doctorum sine dubio princeps & ingeniosissimus, reprobatus, damnatus, excommunicatus extra omnes Synagogas, præsertim Parisien. factus indignissimus erat, tum Pontificum tum Theologorum plurimorum iudicio, qui legeretur? At quæ inconstantia, ut damnatum hodie sinant Parrhisijs, & in melioribus Scholis regnare? Aut quare hunc non adiudicant igni damnatores doctrinales? cur placet falsitas, quæ olim displicuit? An Magistri nostri sese non fieri a ueritate æterna, sed facere ueritatem pro tempore forte præsumunt? sicut olim Romani Deorum colendorum arbitrium sibi arrogauerunt.

Occam.

Articuli damnati à Schola Parrhisiensi.

Deinde, quot articulos Schola Parrhisiensis damnauit, quos denuo reuocauit, & pro uerissimis defendit? Aut quis nescit, in quam fabulam abierint articuli Parrhisienses? dicentibus Anglis, non transeunt mare, Italis, nec montes, Germanis, nec Rhenum, sicut B. Thomæ autoritatem, non exire septa monastica Prædicatorum, nec in illis ipsis satis tutam. Quis ergo Articulos hos damnationis Louanien. & Colonien. toties ante hac errantium non rideat, nudos inermesque audere etiam Albim transire.

B. Thomas.

Picus Mirandula.

Iohannis Pici Mirandulani Comitis Conclusiones, quanto (Dei fidem) tumultu damnatæ sunt, tantum ut Magistri nostri eximij rectos esse suos errores statuerent. Quas tamen quis est hodie fere, qui non miretur, nisi forte senes aliquot sophistæ, in angulo rabiosa silentia rodentes, quos tamen cognita ueritate, quantumlibet pertinaces, nullus doctrinalis damnator censet hæreticos, temerarios, falsos, Nec ipsi simili exemplo metuunt, ne denuo impingant in eandem ueritatem.

Laurentius Valla.

Laurentius Vallensis, primitiuæ Ecclesiæ (meo iudicio) uel reliqua scintilla, uel nonullus fomes, cui Theologorum & Pontificum non est extinguendus uisus? qui uir, ab ijs etiam criminatur indoctissimus, qui non uno modo indigni fuissent, ei matulam porrigere, cum interim Chrysoprassi seu uitra aut potius glacialia nugamenta illorum, libris huius comparata, mera nausea sint. At nunc Laurentius is est, & quotidie magis fit, cui nec Italia, nec uniuersa Ecclesia multis seculis similem habuit, non modo in omni disciplinarum genere (quod nullus adhuc præstitit Magister noster eximius) sed & constantia & zelo fidei Christianæ non ficto. Quid hic promouit, non modo doctrinalium damnatorum, sed & autenticorum autentica damnatio, nisi quod sese irrisit, & hunc magis glorificauit?

Iohannes Capnion.

Post hos Iohannes Reuchlin, in quo deprehensi sunt Theologi quinque uniuersitatum (Deo disponente) quid sapiant, quid cernant, quid quærant doctrinales damnatores? Nec obscurum est Louanienses & Colonienses conscientia huius ignominiæ agitatos, quam ex Reuchlino acceperunt, noua hac fabula in Luthero quærere redemptionem gloriæ, ut qui in illo fuerunt damnatores autentici, non doctrinales tantum, exurentes eius Libellos, Nunc re pessime gesta nonnihil fracti, cum nec doctrinales nec autentici manserint, ficta humilitate tantummodo doctrinales se simulant, sperantes se euasuros quoque autenticos. Faciunt autem hac crassa uafritia, & infeliciter instaurata gloria, ut deinceps facilius sim accessurus, pio simplicique Laico damnante aut probante, quam uniuersis talibus Magistris nostris Louanien. & Colonien. etiam signo uniuersali in unum, collectis personaliter, simpliciter & materialiter supponentibus, ampliatis, restrictis, appellatis, expositis & resolutis.

Lutherus.

Absit

Absit a me, ut eorum damnationem uel floccifaciam, ut qui nō semel tam pertinaces inuenti sunt, publiciq; hostes ueritatis, & innoxij Libelli exustores. Deniq; præualuit, ut per misericordiam Dei orta luce ueritatis, Iudæisq; dimissis, acceptisq; Gentibus, uulgus ciuium, artificum & quo qui sunt a Magistrorum istorum studijs remotiores, rectius & certius de Christiana re iudicent, quam Theologi doctrinales damnatores, Diuiseritq; Dominus iterum, ut non populus, populus sit, Israel, Israel nō sit, non Theologi Theologi sint, Pontifices, Pontifices nō sint, sinatq; illos nomine inflari uanissimo, hos re gaudere plenissima. Atq; ita uidemus fieri ad oculum, imo & ad tactum, nec tamen adhuc Deum timent ferreæ ceruicis, & æreæ frontis Magistri nostri eximij, populus miserabilis & lachrymis dignus.

Omitto hic Vuessalum, Fabrum Stapulensem, & arietem illum hærentem cornibus in uepribus Erasmū, & multos præter hos alios. Quid enim usquam natum est præstantis ingenij & eruditionis, quod non statim sit petitum ignauis istis fucis, sicut scriptum est: Esca eius electa. Item de eodem Behemoth. Iob. 41. Oculi eius sicut palpebræ diluculi, omne sublime uidet. Et illud Prouerbij: Summa petit liuor.

Vuessalus. Faber Stapulensis. Erasmus.

Iob 41.

IAm lustret Historias, qui uolet, & referat, si potest, esse unum aliquando istis Magistris superatum per arma Dei, & doctrinam sanam, quibus Paulus præcepit destrui munitiones & altitudines, extollentes se aduersus scientiam Dei. Si inquam unum possunt ostendere, permittam eis, ut inuersa Dialectica ex una singulari inducant uniuersalem, ex uno die calido faciant æstatem, concludantq;: semel uicimus per Scripturam, ergo nunquam erramus. Etiamsi incipiant a Concilio Constatiensi, quo seculo maxime tyrannisauit autoritas Inquisitorum & Magistrorum, Nunq; ratione uel autoritate, sed sensu capitis & opinionū suarum egerunt aut ad summū, Decretis humanitus statutis, ut omnibus palam sit, infelices hos homines non iudicio, sed mera temeritate præcipites ferri, nec offendi falsitate, sed uri nouitate, quam tamen postea residente paulatim furore agnoscunt & ipsi ueram fuisse.

2. Cor. 10.

Concilium Constantiense.

Iohannem Huss & Hieronymum de Praga, qua ratione superauerint in Constantiensi Concilio, ut taceam Epistolam Poggij florentini, deinde robustissimam famam, quam nec omnes Pontifices, nec omnes Vniuersitates sedare queant, etiam inter ipsos Magistros nostros priuatim confabulantes, satis constat & conuenit.

Iohannes Huss Hieronymus de Praga.

His exemplis abunde monstrari puto, quanto sit opus timore Magistris damnatoribus, & quam anxie conandum sit eis, ut iudicia Dei terribilia & mirabilia non sint longe a facie eorum, quod de impijs scribitur, præsertim cum toties uideant sese fœdissime impegisse, & ueritatem oppressisse, ne tandem pro sua temeritate & impietate Antichristi Apostoli censeantur.

Psal. 10.

Vehementer autem admiror Louanienses & Colonienses Theologos, qui præ omnium Vniuersitatum Theologis primi semper in aciem temeritatis descendunt, his exemplis non pudefieri, & omnes alios homines adeo insensatos stipites iudicare, ut non cogitent suam inscitiam & temeritatem toties deprehensam palamq; traductam, adeo grauiter ubiq; fœtere, ut nullis Vniuersitatibus quantumlibet paruis, minus autoritatis & opinionis reliquum sit. Sed (ut dixi) ira Dei hæc est, qui cæcitate & amentia eos percussit, sicut cor Pharaonis indurauit & aggrauauit.

Exod. 9.

SED fingamus, optime Christophore, Magistrorum eximiorum iudicia omnia hucusq fuisse sana, integra, & diuinis literis firmata, seponamusq interim a conspectu nostro insignem fiduciam & audaciam, seu temeritatem, qua hucusq magis latrocinati sunt, quam eruditione & grauitate probati inuenti.

Ad meam causam ueniamus, Vbi, si me errasse deprehendissent, poterant duplici uia, aut charithatis aut iuris Christiani, mecum agere. Charitatis erat, si edita schedula populis in hunc modum persuasissent: Nolite offendi Fratres scriptis Lutheranis, Multa disputauit, quædam forte acutius dixit, quam omnium sensus capiant, Habet etiam diuina Scriptura suos periculosos locos, quanto magis hominis scriptura. Hanc inquam, charitatis, imo naturalis iuris regulam sine dubio uellent a me sibi seruari in simili euentu, quod & facerem ego, si istorum ritu pararem non tam doctrinam, quam nomen alicuius publice insectari, Neq enim ego ullum unquam nominaui, quoties dogmata sum insectatus. Quare & mihi non nocuissent nec ueritati, omnibus autem optime profuissent, sibiq ipsis gloriam & amorem tam Dei quam hominum obtinuissent.

At nunc, quis non odiat hos Magistros populorum, qui alios docent, seipsos non docent, & prouerbium Euangelicum in se ostendunt: Medice cura teipsum: dum magis animi morbo quam iudicio per præceps ruunt in præuaricationem charitatis & iuris naturalis. Et iuxta Euangelium, festucam in oculo meo obseruant, trabe sua neglecta, & glutientes camelum, colant culicem.

Quis autem scripsit dixit ue unquam tam syncere, quod insidijs inuidorum non patuerit ad deprauationem: Si talem Scripturis sanctis legendis afferant furorē, quæ syllaba in eis non erit hæretica: An hoc discunt Magistri nostri, tot annis, tot sumptibus, tot curis Louanij & Coloniæ, ut in alienis Libellis ingeniosi fiant calumniatores: & ubi locus non est calumniæ uiolenti deprauatores: Putas quid & ego possem in eorum Dialectica, Philosophia, Theologia, id est, laruis humanorum phantasmatum, si eodem ingenio utar uel decima parte: Aut quæ irata meretrix non etiam superet hac arte Magistros eximios nostros:

Vide ergo, cum eorum Dialectica, Philosophia & Theologia scateant erroribus, imo quædam errorum lernæ sint, quam æqui, quam amantes sunt inuicem Interpretes, adeo ut impijssimi Aristotelis, publicæ ueritatis uel exprofesso hostis, sententias quantumlibet Christo aduersarias, nunquam non officiosissimo interpretamento honestent, etiam Christū ante nudaturi ad ignominiam, & omnia eius altaria quam hunc gentilem, animarum Carnificem, turpitudinemq eius non penitus impurpurent & inaurent. Et me Christianum Fratrem, per imprudentiam meam & alienam uim, in publicum tractum sic tractant, ut non modo non uestiant sicubi nudus sum, sed id potius agant, ubi optime sum etiam armatus & munitus, denudent, & turpitudinem meam reuelent doctrinalitatibus suis subtilissimis.

Hæc de charitate, Iam iuris uia fuisset, ut iuxta Christi præceptum prius fratrem peccantem, etiamsi pertinaciam indicassem, cum sint duodecim horæ diei, monuissent priuatis literis, sicut Reuchlino fecerunt, ut meipsum uel explicarem uel emendarem, uel pertinaciam ponerem, Hoc sine

Hoc sine dubio & a me sibi fieri uoluissent. Vbi si non audissem, tum Euangelicis mandatis obtemperantes, fecissent quae sequuntur. At nunc, neque Deum neque hominem ueriti, audent sese iactare zelo fidei, in me ferri quasi possibile sit credi, spiritum sanctum suis contemptoribus adesse, quem potius formidare debuerunt, ne zelum istum inobedientiæ & peccati sibi a blasphemantibus tribui tandem non pateretur.

Mirum uero ac nouum Theologorum genus nos sumus, qui ea quæ Dei sunt, curare non ante præsumimus, quam irritato Deo in omnibus suis præceptis, pro quibus tamen meritis, nescio quot nobis aureolas in cœlo ipsi promittimus, & magna bucca zelum fidei apud homines iactamus. Missam sacrificaturi, aut aliquid lecturi acturiue, peccata confitemur & Deum placamus, ueritatem Dei defensuri, ubi maxime opus est Deo placato & propicio, Deum irritamus, imo irridemus.

Quare nihil mirum, si Magistri isti miserrimi sic me uideantur uelle curare, ut ille, qui cum Fratrem e limo traheret, altius immersit & suffocauit. Hoc more nostra secula digna sunt, ut iuxta Micheam, Frater fratrem ad mortem uenetur, & obsequium se præstare Deo arbitretur, qui contemptis primum Dei præceptis, pauperem reti suo immolarit. In hæc tam portentosa crimina nullus est zelus Louanien. Colonienque. Hic nullus Card. Derthusensis, nulla Roma, nullus usquam doctrinalis damnatur, sed laudatur hic peccator in desiderijs suis, & impius benedicitur. Sed sine, iudicium iræ Dei sic urget.

Sed donemus & hanc iniuriam & iniquitatem Magistris nostris, Sanctissimus Dominus Leo Papa quid peccauit in Louanien. & Colonien. damnatores, ut Libellum suo nomini dicatum, suis pedibus oblatum suum iudicium expectante, anhelantes isti Magistri e manibus eius raperet, & suo stulto zelo subijcerent? An uolunt occulto morsu Sanctitatem suam arguere, ignauiæ, inscitiæ, negligentiæ, imo impietatis in Deum & Ecclesiam? An soli & primi mortalium in toto mundo sunt Louanienses & Colonienses?

Verum ego longe stultissimus, qui id uenialis peccati licere Magistris nostris eximijs doctrinalibus miror. Quid hominem Pontificem uereantur, qui uniuersis Dei mandatis conculcatis, in Proximum insaniunt? Sat est, si uerbotenus & specietenus, Deum & Pontificem hominem honorent, & sub titulo zeli diuina & humana omnia prophanent ad laudem Dei & honorem sanctæ Sedis Apostolicæ, & defensionem sacræ Theologiæ & Philosophiæ.

Verum satis hæc de culpa temeritatis, nunc inscitiam (sapientiam uolui dicere) uideamus.

CApitulum primum est, insignem Philosophiæ detractionem contineri in Libris meis. Vides hic zeli fontem? nempe ne lucrum Facultatis aresceret, sine dubio, uel toti libro, uel multis parsum esset, si hoc ulcus non tetigissem. Respondeo tamen Magistris nostris eximijs, Non Lutherum, sed Louanienses & Colonienses esse detractores Philosophiæ. Expectas ut probem dicta? Non oportet. Nam sicut hi Theologi omnia solum dicunt, & omnia damnant, & nihil probant, Ita uerisimile est, non passuros esse probationem contradictoris, qui omnia eadem mensura metiri uolent. Sufficit enim, hic muliercularum more contradictionis tantum uerbis contendere, Est, non est, Ita; Non ita; Sic; Non sic, Vos erratis, non erro, ne statuta & morem Magistrorum præuaricemur.

Tamen

Tamen de fauore & licentia Dominorum spectabilium Decanorum & Magistrorum nostrorum speciali prius petita & obtenta, breuiter probo quod dixi.

Eos ego arbitror Philosophiæ detractores esse, nocentes tum pueris, tum senibus, & uniuersæ Ecclesiæ, qui hoc philosophiam appellant, quod Philosophia non est, Et sub nomine Philosophiæ optimas adolescentium animas suis somnijs & erroribus occupant & perdunt. Cum autem præter Aristotelem nihil tradant (in quo fere nihil est philosophiæ) tum ipsum nunquam intelligant, assutis ei suis diuinationibus, pro ueris interpretationibus, & tamen Philosophos sese iactent, quid possunt in philosophiam atrocius committere? Quod si negent, obijcerem eis, ut in testimonium suæ Philosophiæ procemium Physicorum (quod adhuc nullus eorum intellexit) aut Posteriorum, aut Metaphysicæ nobis interpretarentur, ad germanum Aristotelis sensum.

Sed metuo, ne denuo coacta facultate, damnent Lutherum, iterum nudis doctrinalibus, autenticis uerbis, dicentes: Lutherus detraxit Magistris nostris, negans eos esse Philosophos, & procemia librorum Aristotelis scire. Nam postquam hanc artem apprehenderunt, ut non nisi Damnamus dicant, nec sint obstricti ad reddendam rationem, quo pluribus ego probauero, eo plura illis damnanda obtulero.

Credatis autem fortiter Magisti nostri eximij, Luthero esse notam Philosophiam & Theologiam uestram, in qua non [illegible]issimo ingenio, nec ultima socordia uersatus sit plus duodecim annis, interque synpalestritas uestros detritus, non mihi persuadebitis, Philosophiam esse garrulitatem illam de materia, motu infinito, loco, uacuo, tempore, quæ fere in Aristotele sola discimus, talia quę nec intellectum nec affectum, nec communes hominum mores quidquam iuuent, tantum contentionibus serendis seruandisque idonea. Quod si maxime quid ualerent, tot tamen opinionibus confusa sunt, ut quo quis certius aliquod sequi proposuerit, hoc incertior feratur, & faces Euboicas sectetur, & sero tandem cum Protheo sibi fuisse negocium pœniteat. Has procellas uos Philosophiam dicitis Magistri nostri. Sat erat iuuentute Christianam, tanquam in barbara Aegypto seruientem, hæc ideo discere, ut cum Tyrannis suis loqui possit, non probare, donec liberetur, Sic ego adolescentes instituere soleo.

SCio iamdudum mi Christophore, te ridere hos egregios damnatores doctrinales, & illud festiuum tuum tecum murmurare, Cum talibus Doctoribus ausim & ego congredi. Sic enim soles titulares istas Bullas nihil non sibi arrogantes salire. Verum positis salibus, quibus digni sūt pro eis potius mecum dole, qui sub his Tyrannis ingenia optima prostituere coguntur. Nam quod sine caussis adiectis mea damnarunt, nemo est omnium, qui non damnet & rideat, qua friuola & temeraria damnatione non parum probationis meis libellis adiecerunt, præsertim apud eos, qui non penitus sunt cautes & stipites.

Suspicor tamen eos prudentissimo consilio noluisse aliquid probare, aut rationem ullius reddere, quod memores quid promouissent Colonienses in Reuchlin lutistam, & quo impetu eorum insulsissimam farraginem disiecerit, timuerunt, ne & ipsi in cornutum & ungulatum bouem impingerent, multo atrocius sæuiturum, cum scirent me Theologum & suarum Lamiarum non imperitum, mea sic munijsse, ut conuelli feliciter posse desperarent, & tamen salua permanere non ferrent.

Atque

Digitized by Google

Atq; id nimirum est ubi magno hiatu ordientes Epistolam suam, fastu plus quam Peripatetico iactant, sese esse uiros sexaginta ex fortissimis Israel, qui ambiunt lectulum Salomonis, quorum cuiusq; gladius super femur suum propter timores nocturnos, ad quos praecipue pertineat per sacram Scripturam fidem tueri, & errores extirpare. Postea, ubi operi accinguntur, & iam spectatores auidi circumspiciunt, ubinam rutilet gladius foemoris uersatilis, aut Scriptura sancta fulminet, audiunt aliud nihil quam uerbum hoc primae coniugationis, Damnamus doctrinaliter, Crepitum scilicet ficulni idoli. Et impletum est illud Salomonis prouerbium, Ventus & nubes, & pluuia non sequens, uir promissa non complens. Quis est tam morio, qui pueriles has Magistrorum ineptias non rideat? Velim doceri ab his Magistris nostris eximijs, an gladius foemoris & Scriptura sancta Louanij & Coloniae, uerso rerum ordine, idem sint, quod uerbum, damnamus, & aduerbium, doctrinaliter?

Vos itaq; compello, Magistri nostri eximij Louanienses & Colonienses, agite quod promittitis, per sacram Scripturam tuemini fidem, per foemoris gladium pellite nocturnos timores. Cur promittitis quod non impletis? Cur iactatis quod non praestatis? An distinguitis, ut promittere, ad publicam schedulam condemnationis, implere, ad angulum secretum coactae Facultatis pertineat? utq; nocturnos timores triumphabundi publice prouocetis, Prouocatis autem & aduentantibus tenebrosum angulum effoeminati petatis. An illud Horatij uobis occini placet

Nec sic incipias, ut scriptor Cyclicus olim,
Fortunam Priami cantabo & nobile bellum,

Quid feret hic tanto dignum promissor hiatu? scilicet, fumum ex fulgore, non ex fumo dare lucem cogitastis, & imagine Moab maior est praesumptio uestra quam fortitudo, concipientes ardorem, & parientes stipulam, ut Esaias dicit.

Iam si quaeras, quid sit lectus Salomonis, qui fortes Israel, quid timor nocturnus, quid foemur, quid ambire lectum? ea felicitate different uerbumq; Dei tractabunt, ut malles eos non minus esse mutos ad differendum, quam sunt ad sua probandum. Qua enim eruditione, fide, dexteritate hunc locum Scripturae huic aptauerunt proposito, eadem sine dubio mea confutassent, & sua probassent, id quod non ignorabant, ideoq; non audebant, quantacunq; temeritate agerentur. Tanti momenti est, quod Ecclesiasticus ait: Semper praesumit saeua & perturbata conscientia.

HI sunt Magistri nostri, hos Eccius Lipsiae iudices rerum sacrarum urgebat eligi, alioqui non disputaturus, quorum inscitiam & temeritatem haud ignorans, non frustra cunctabar. Et quid non uincat, quid non impetret, ab huius farinae tam doctis, tam prudentibus hominibus, qui damnamus, pro probamus in ore habent, & aliud nihil? Sed iam ad reliqua per ordinem ueniamus, eaq; breuiter notemus duntaxat, ne denuo Resolutiones scribere sit necesse, donec mea refutauerint.

Interim eorum condemnationem non aliud habituri, quam si nobis ebria mulier maledixisset. Quod si etiam ui & multitudine praeualuerint, me uiuente, quam uiam solam in me affectant, post mortem tamen utrorumq;, prohiberi non poterit, quin uim mihi factum fama ferat, nec fuisse unquam conuictum. Interim doctrinae meae fundamentum stat firmissimum

missimum, habens signaculum hoc: Nouit Dominus, qui & quæ sunt eius. Si ex Deo est, dissolui non potest, si ex homine seruari non potest. Quin id unice gaudeo, damnari uiuente me tam opera quam uerba mea ab his, qui ui, non ratione agitantur. Donec enim rationib. non uincunt, & ui pugnant, conscientiæ fiduciam augent potius, quam terrent, & mihi mea probant robustius hac ui sua, quam ego ratione probaui unquam. Odiat ergo uel amet, qui uolet, Christus meus uiuit, & ego uiuam, donec uis indocta & inscia mecum pugnat. Scitum est illud Chrysostomi, Armare se Pharisæos multitudine, quando se nudos esse ueritate profitentur. Et rursum: Malitia confunditur aliquando ratione ueritatis, corrigitur uero nunquam.

Chrysostomi dictũ.

AD idem capitulum pertinet, detractionem omnium Doctorum ab annis quadringentis contineri in meis Libellis. Hic magistri nostri, postquam philosophi fuerunt paulatim profitentes, facti sunt Iuristæ, & per præscriptionem dogmatum suorum robur ex temporis longitudine captant, non ex autoritate & ratione. Dico & ego: Si contradicere alicuius dogmati, est illi detrahere, Lauanienses & Colonienses Magistri nostri sunt detractores, non Doctorum, qui ab annis quadringentis fuerunt, sed Christi & Spiritus sancti, qui ab æterno fuit, cuius doctrinam damnant & criminantur, non secus ac Faustus Manichæus Deum ueteris Testamenti.

Primo, pro hæresi damnant has quatuor Propositiones.

1 Opus bonum optime factum est peccatum ueniale.
2 Sancti in omni bono opere minus faciunt, quam debent.
3 Nullus Sanctorum uixit in hac uita sine peccato.
4 Sancti indigent misericordia Dei, ignoscente in operibus bonis.

Et sic damnatus est hæreticus Esaias 64. dicens: Ecce tu iratus es & peccauimus, in ipsis fuimus semper, & saluabimur, Et facti sumus immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatæ uniuersæ iusticiæ nostræ. *Esa. 64.*

Sententia autem Magistrorum nostrorum probatur sic: Nos sumus Magistri nostri, sic uolumus, sic iubemus, sit pro ratione uoluntas.

Sed hic Colonienses, ut subtiliores, Lauaniensibus suis succenturiati, preoccupant, soluendo omnes Rationes meas, præteritas, præsentes, & futuras, simul & breuiter sic, Sacras scripturas, sanctorumque Patrum sententias a me peruerti, & in sensum perniciosum contorqueri. Sic oportet Magistros nostros magistraliter refutare hæreses, & ad Scripturas Patresque inductos, porrecto rostro rugatoque naso autentice & doctrinaliter dicere: Tu peruertis Scripturas, nos soli recte intelligimus. Et si quæras, quomodo probent, mota manu silentium autoritatiue indicere, dicendo: Satis est, Diximus sentimentum nostrum.

Vnde, siue exurant, siue submergant meos Libellos, id quod dixi, iterum repetens dico. In hac sententia me sic esse audacem, ut ignem, mortem, & omnia, etiam iras bestiarum istarum, Deo propicio, sim passurus, & omnem contraria docentem pertinaciter, pro hæretico habiturus, etiamsi Louanien: & Colonien: Synagogarum Magistri nostri ad unum omnes aliter saperent, Quos & his scriptis confiteor, me pro hæreticis & misericordiæ Dei inimicis habere.

Non autem negaui unquam, nos meritis & precibus Sanctorum quantumlibet imperfectis, iuuari, quod subdole mihi inurere conantur miseri homines. Sed quod humano arbitrio nobis possint applicari & communi-

communicari aliter, quam per uirtutem fidei, spei & charitatis, quæ est communio Sanctorum, a quouis sacerdote & fratre dabilis ministerio uerbi, non probabunt Magistri nostri, nisi ijs, qui dicturi sunt: Magistri nostri sic dixerunt, & tempore quadringentorum annorum præscripserunt.

Secundo capitulo miseras & iam cadauerosas Indulgentias ad iuuentutem & robur pristinæ deceptionis reuocaturi, Hereticum me statuunt, quod indulgentijs relaxari dixerim pœnas arbitrio duntaxat hominis & Canonum statutas.

Hic salua reuerentia uenerabilium Dominorum Magistrorum nostrorum, non est seruata cautela Cardinalis Derthusensis, qui præmonuit diligenter, ut mea ad uerbum religiose signarent, forte metuens, quod futurum erat, ut seipsos irriderent, si alia damnasse conuincerentur, quam ego scripsissem.

Extat liber, nec possunt negare, me hanc rem disputasse & inquisisse, nec in Sermone uulgari ausum fuisse quidquam definire & asserere, sicut nec hodie assero. Licet nec ulli Magistri nostri in unum, siue distributiue, siue collectiue sumpti, poterunt utram partem uel probare uel refutare, nisi ex præscriptione & usu, imo abusu quæstorum uel mittentium eos. Proinde necesse est hæresim hoc loco Magistris nostris significare, id quod est disputare, de re primum incertissima, deinde inutili & non necessaria. Econtra Catholicum, etiamsi dubites, an fides in rem sacramenti sit necessaria, & pœnitentia incipiat ab amore Dei. Nec mirum, quia si Philosophiæ detraxissent, sicut ego, ac non potius Christo æquassent, & quantum est in usu prætulissent, quomodo tam subtilem & nouam hæresis significationem potuissent inuenire? Quis non merito hanc Philosophiam suspiciat, quam ubi per Grammaticam didiceris, & Grammatice loqui uolueris, noua tibi & omnibus ignota fingenda est Grammatica.

Aiunt autem, Concilijs Indulgentias esse firmatas, egregij domini Colonienses, ideo me contra Concilia locutum, hæreticum esse, scilicet, ex 1. Posteriorum sic loquuntur, ubi, ut pro Rhetoricis discunt sua dialectica, ita quæstionem, si est, & quæstionem, quid est, pro eadem habent. Ego enim, an Indulgentiæ essent, quomodo potui dubitare aut negare, ut in hoc contra Concilia saperem, qui tot scripsi de Indulgentijs? Aut quis est orbis angulus, qui non queratur se deceptum Indulgentijs? tantum abest, ut esse Indulgentias ullus hominum aut nesciat, aut neget, multo minus, ut hinc hæreticus fieri possit.

Hoc autem quæsitum est, necdum inuentum, quid essent aut ualeant Indulgentiæ? Hic debebant Magistri nostri eximij Philosophiæ oculos aperire, & non tam ridicule & pueriliter ineptire in quæstione: Si est, pro quæstione quid est. Nihil autem usquam reperitur, quid sint Indulgentiæ, nec in Concilijs, nec Synagogis, nec Conciliabulis, nisi quod in isto centenario annorum cœptæ sunt in purgatorium, & in cœlum, & infernum extendi, per impudentes nebulones, & animarum seductores. Inter quos tamen zelus Magistrorum nostrorum, nullum inuenit hæreticum, scandalosum, erronem, etiam si totum mundum falleret & exhauriret, errore perniciosissimo. Me uero esse oportet hæreticum, etiamsi error in Indulgentijs sit innoxius imo nullum periculum sit salutis, si nullæ usquam essent Indulgentiæ. Adeo discretus & integer est zelus Magistrorum nostrorum, ut deciment cyminum & anetum, iudicium autem, fidem & misericordiam negligant. Veruntamen, ueniam dandam arbitror Coloniensibus, quod

eis defuit Card. Derthusensis, qui præmoneret, ne id damnarent, quod nemo dixisset, alioqui mihi & omnibus ludibrium futuri.

Et quid faciam miser? Christus ipsa mititas & suauitas, Marc. 3. Circumspexit Pharisæos in ira, contristatus super cæcitate cordis eorum. Et Paulus Act. 16. eodem exemplo doluit super spiritum phytonicum puellæ. Et 17. Athenis incitabatur spiritus eius, uidens idolatriæ deditam ciuitatem. Quid ego fex peccati faciam? uidens in Magistris populorum Christi tam crassam cæcitatem, ut nec Christum nec Aristotelem, nec suas saltem opiniones intelligant, & tractare possint, nisi in captionem, & laqueum, & confusionem sui ipsorum. Marc. 3. Act. 16. 17.

Rogo uos crassos (pene effluxisset) desistite Lutherana aut iudicare aut tractare, impares estis huic rei, tam in Aristotele quam sacris literis, Sumite copulata uestra, & uestris uiribus materiam æquam. Satis in Reuchlino & Petro Rauen: & alijs ostendistis, quam nihil sciatis, & temere omnia audeatis. Qui infirmus est, olus manducet. Nolite uos ipsos fallere. Iudicium & condemnatio uestra, nullius iam olim fuit autoritatis & fidei.

EIusdem cæcitatis & amentiæ testimonia sunt, quæ sequuntur: Item, circa sacramentū pœnitentiæ erores seminat, ut quod sine gratia Dei, primo remittente culpam, nec uotum remissionis quærendæ homo habere potest.

Item, hæretica est sententia, qua sacramenta nouæ legis gratiam iustificantem dare dicuntur illis, qui non ponunt obicem.

Hos errores duos adhuc asserit, non esse errores, Lutherus nihil moratus Louanienses Scotistas, & Colonienses Thomistas, id est, Pelagianos, de capite proprio diuinantes, aduersus gratiam Christi insanientes, & expectat cum fiducia, tam confutationem quam probationem utriusq;. Sed & ipsos cum seipsis committit. Neq; enim inter eos ipsos in hac re conuenit, nisi quantum Pilato & Herodi & Pharisæis, aduersus Dominum & Christum eius.

SEQVITVR.

CIrca Contritionem istud dat Consilium, Confessurus ante omnia tecum cogita, quid faceres, si non esset præceptum confitendi & an sic etiam uelles confiteri, & ea quæ sequuntur.

Hic Lutherus confitetur se uera dixisse, etiam Magistrorum nostrorum eximiorum autoritate, qui constanter asserunt, Quidquid extra charitatem fit, peccatum esse. Nisi quod Magistris nostris solo hoc nomine (quia Magistri nostri sunt) licet idem alio & alio tempore & loco damnare & probare, quod mihi heretico nondum licuit. Nam de gratia mouente & charitate distinctionem magistralem, quam de cerebro suo finxerunt, ludicro similem arbitror, Cum certum sit, iusticiam (id est, legem Dei) non diligi, nec peti, nisi præueniente charitate.

SEQVITVR.

IMprobat etiam modum examinando conscientiam contra C: Quē pœnitet, & Canonem Concilij generalis, Omnis utriusq; sexus de pœ. & re. Recte hic magistri nostri suo promisso satisfaciunt. Gladius fœmoris & Scriptura sancta, quibus sexaginta fortes Israel accincti sunt, his uerbis

uerbis intelliguntur esse c. Quem pœnitet, & c. Omnis utriusq; sexus, iterũ scilicet noua Grammatica doctrinaliter loquendi, Nonne lapilli æreí fragorem audit hæc talpa?

Canon, Omnis utriusq; sexus habet, ut omniũ peccatorũ suorum faciat quisque confessionem. Hic per omnium peccatorum Magistri nostri eximij intelligunt examinationem conscientiæ, id est, carnificinam conscientiarum, qua hucusq; multas animas onerauerunt peccatis ut Apostolus prædixit, 2. Timoth. 4. Quæ intelligentia similis est ei, qua idem capitulum nonnulli sic irrident, Omnis utriusq; sexus, id est, ij solum qui utrumq; sexum habent, scilicet Harmaphroditæ, debent omnium peccatorum suorum facere confessionem. Dignissima plane irrisio Canonis istius, si sic eum intelligi uoluissent, sicut Louanienses intelligunt. Quis enim omnia peccata sua nosse potest, nedum confiteri, cum scriptum sit: Delicta quis intelligit? Et Ieremi. 17. Prauum est & inscrutabile cor hominis. Et iterum idem: Non est uia hominis eius.

2. Tim. 4. Psal. 19. Iere. 17.

Vix me hic contineo, ne in frontes istas indoctissimas Sophistarũ inuehar, parcam tamen ob timorem Dei, id libere professus, si iste Canon omnium peccatorum simpliciter exigeret confessionem, damnandus esset ut impius & perniciosissimus. Nam inde nati sunt Libelli isti de modo confitendi ubi peccata in matres, filias, sorores, neptes & nepotes infinitasq; alias species distincta sunt, nulla alia cura, nisi ut nullum peccatum omitteretur in confessione, quod plane est impossibile. Nam si rigor Canonis stet nec oblita, nec ignorata peccata excepta sunt, quia dicit, omnium peccatorum suorum faciat confessionẽ. Sed de his latius in ratione confitendi.

Ego tamen, ut Magistros nostros eximios mendacij arguam, non improbaui examinationem conscientiæ, nec hoc poterunt probare unquam a me factum. Sed anxiam carnificinam, qua iuxta huius Canonis mortiferam siue constitutionem siue interpretationem, ad impossibile ducuntur miseri Christiani, nihil daturi promitenti Dei misericordiæ, nisi omnium peccatorum fecerint confessionem, id est, ut nunquam pacem habeant, plusq; confidant in suam infelicem confessionem, quam Dei misericordiam. Atq; hic optassem Louaniensibus meis, ut & alterum Cardinalem Derthusensem habuissent monitorem. Nam hunc unum solita temeritate prætererunt, frustra monentem, ut mea omnia ad uerbum signarent.

IAm si & cætera prosequar, hominum infelicissimorũ, tum somnia mihi imposita, tum mea falso intellecta, prolixior fiam, quam illi merentur, & quam pius Lector ferre possit. Vnum dico, mihi non potuisse persuaderi, uel multis Nestoribus, esse Louanij & Coloniæ tam crassos Theologos, qui &si in Reuchliana causa insigniter delirauerunt, mitius quam in hac mea delirauerunt.

Quare cæteris contemptis, & ad horum exemplum æstimatis, ne libidine insectandi uidear commoueri, si singula persequar, uolo receptui canere, & tam Louanienses quam Colonienses Theologos, tibi optime Christophore, nullo alio nomine commendare, quam isto, quod multa audent & dicunt, quæ nec probare nec confutare unquam poterunt. Quod genus hominum quale sit, tu facile nosti, cum nullus fornix aut taberna quantumuis ebria sit, in qua non queas tales inuenire censores & iudices. Nisi q; hoc opere, Deus notam nobis facit irã suã, qua pueros istos & effœminatos

nobis constituit Principes, sicut Esa. 3. dicit, sic merentibus peccatis nostris, & ingratitudine tandem etiam Deo intolerabili.

Non erat necesse, ut dicerent nudis uerbis, mea sibi displicere & erronea uideri, Sciebam id fore, & in hoc ipsum passus sum edi. Nec hoc quaesiui, ut me ad suos autores remitterent, quasi mihi incognitos, sed ut Scripturae autoritate aut ratione probabili, sua uera, & mea falsa esse conuincerent. Quae est enim ista (etiam suo Aristotele prohibita) petitio principij, mihi responderi per haec ipsa, quae impugno? Non est quaestio, quid didicerint, audierint, legerint, senserint unquam, Sed quibus firmamentis ea muniant? Alioqui cur & meae sectae resisterem, scilicet Occanicae seu modernorum, quam penitus imbibitam teneo, si uerbis uoluissē, aut ui compesci? Sed satis haec. Tu interim uale uir optime in Christo.

Vuittembergae, Anno Domini M. D. XX.

EPISTOLA IOHANNIS ECCII: SEDIS PAPISTICAE NVNCII: VT IPSE SCRIBIT, INUITI, Descripta ab ipsius autographo, quae docebit, quam uera sit Epistola, quam e Lipsia Vuitembergā scripsit, qua se inuitū ait suscepisse munus legationis aduersus Lutherum.

SAlutem. Venit ad me in itinere, dignissime a Vicari tuus Iohannes Vlrichus, peruenimus auspicato ad Vrbē. Obtuli S. D. N. Librum b de primatu Petri. Qua autem humanitate fuerit in me & sit summus Pontifex, c qua Cardinales Reuerēdissimi, iucundius fuerit coram recitare, quam charta mortua depingere.

Minuta d contra Lutherum est concepta, proximo Consistorio Cardinalium expedietur. Et si Eccij consilium e sequetur Sanctissimus, tunc omnes Cardinales & omnes f Episcopi se subscribent. Bonum g fuit me uenisse hoc tempore Romam, quod alij parum pernouerunt errores h Lutheranos. Aliquando omnia audies, quae i egerim in hac causa. Stetimus nuper, Papa, duo Cardinales, Doctor Hispanus, & ego, per quinque horas in deliberatione huius negocij, singuli rogabamur nostras dare sententias.

a Nota Vicari antiquum uocatiuum iuxta analogiam.

b Proditurum in lucem ad calendas graecas.

c ait latro ad latronem.

d Recte minuta, Quid enim Bulla contemptius?

e O dignum Agamemnone Nestorē.

f scilicet, ut numero suffragiorū uincatur Luth.

g Alias actum fuisset de Papistis.

tentias. *k* Bullæ forma *l* placebit bonis, *m* mixta enim est ex ueterum Conciliorum ac Pontificum & nouorum *n* consuetudine, errores sunt 41. expresse condemnati.

o De Parochia *p* mea, nisi summi Pontificis interueniat autoritas, iure nihil obtinerem, ut a fautoribus meis intimis audio. Tamen summus Pontifex pro se & ad preces plurium reuerendissimorum Cardinalium pollicitus est *q* per suum pectus, *r* me non abiturum, quin sim liber & securus in Parochia. Quin adiecit, hoc parum esse, nisi & in pluribus *s* me remuneraret.

Heri fui cum sanctiss. Domino nostro in negocio Lutherano, faciens relationem de expeditis per cardinales deputatos, Cras *t* iterum aditurus Pontificem, inquirendum de die Consistorij &c.

u De Roma multo peiora audiui quam sentiam. Hoc fit hic eo insignitius, si quid mali acciderit, quod hic est colluuies *x* orbis Christiani, & quod in aulis *y* Principum euenit, apud nostrates, hunc communem morbum habet & Curia ista. Cæterum, ne præpropere laudem Romam, differo alia in abitionem, turpe enim est ea uituperare, quæ prius laudaueris.

z Vrbanum nostrum hæc legere desidero. Si quid possem in rem tuam, essem paratus. Tantum intelligo, si uellem habere seruatum ad bonam summam, ego reciperem, sed nolo me huic malo ☞ immiscere.

Vale & salue. Ex Vrbe 3. Maij,

Anno salutis M. D. XX.

Tuus ad uota Eccius

* Cardinales mihi fauorabiles sunt, S. Crucis, Anconitanus, Aginen. S. quatuor. Iacobatius. S. Sixti de Saluiatis, & Campegius &c.

t *Hic autor commendat seipsum.* *u* *Nota gratitudinem eccianam pro tam pingui parochia* *x* *Nota Romæ colluuies est orbis Christi.* *y* *Argumentum a simili.* *z* *Id quod non solet Eccius, nisi cum libet.* ☞ *Quam pie igitur Roma, quæ mala pollicetur? Et hanc quam uere laudat Eccius.* * *Nunquid enim aliquis ex principibus aut Pharisæis credidit in eum? Sed turba, quæ non nouit Legem, maledicti sunt, Iohan. 7.*

h *errores Eccio indice.*

i *licet inuitus.*

k *Schema abusio dare sententias.*

l *Bullæ forma. Nihil enim nisi forma est, id est, fucus & species.*

m *Bonis, id est, Bullæ forma formatis.*

n *Recte nouorũ.*

o *Sed a quibus?*

p *Ecce Christianam mentem, cur Romam uenerit Eccius.*

q *Precium Iudæ.*

r *sanctiß. illud.*

s *Hic uero quanto liberalior Leo Caipha?*

BVLLA LEONIS X.
CONTRA ERRORES MART. LVTH. ET SEQVATIVM.

Astitit Bulla a dextris eius, in uestitu deaurato, circumamicta uarietatibus.

Vide Lector, operæprecium est, Adficieris, Cognosces qualis Pastor sit Leo.

VLRICHVS DE HVTTEN EQVES, Germanis omnibus Salutem.

Ecce uobis Leonis X. Bullam, uiri Germani, qua remergentem ille ueritatem Christianam remorari conatur, quam respiranti longa tandem compressione libertati nostræ, ne uires recipiat, ac plane reuiuiscat, obijcit, & opponit. Cui nos talia molienti non obsistimus? aut publico consilio, ne longius peruadat, neue aliquid pro hominis irrequieti cupiditate & audacia efficiat, multo ante cauemus? Quæso uos per immortalem Christum, quando oportunum magis tempus fuit, quando melior occasio dedit se aliquid Germano dignum nomine gerendi? Omnia uidetis eo tendere, ut spes sit quanta nunquam prius, extinctum iri hanc tyrannidem, isti morbo medicinam adfuturam. Quod audete tandem, ac perficite.

Non Lutherus agitur hoc in negocio, sed ad omnes pertinet quidquid est. Nec in unum quempiam hic stringitur gladius, sed publice oppugnamur. Nolunt reclamari suæ tyrannidi, suas fraudes detegi nolunt, suosque aperiri fucos, suo furori obsisti, suæ grassaturæ impedimentum fieri. Hoc ipsum est quod indignantur, quodque fremunt usque adeo, ut se minime decore agant ibi. Quod manifeste uidentes uos, quid tandem agetis? quod consilium inibitis? Me quidem, si audietis, Germanos esse uos memineritis. Quæ una commonitio satis esse debet, ut hæc uindicetis. Ego nunc uestro & communi nomine periclitor, sed libenter. Primum enim facti conscius mihi sum pulcherrimi, Deinde non spero iam, sed pro certo habeo etiam omnes uos eadē aliquādo ausuros mecum. Hæc uero Bulla ut publicaretur nunc, autor fui, ob id, ut cum legeretis, facile ab una disceretis omnes. Valete.

Priusque

PRiusquam te audiamus, Sanctissime, huius memineris Apostoli ci, quod ad Thessal. scribitur: *Ne quis uos seducat ullo modo. Quoniam non adueniet Dominus, nisi uenerit defectio prius & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui est Aduersarius, & effertur aduersus omnem, qui dicitur Deus, aut numen, adeo ut in templo Dei sedeat, ostendens se quasi Deum. Habes? Incipe Bullam.*

LEO Episcopus, a Seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. b Exurge Domine, & c iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab d insipientibus fiunt tota die. e Inclina aurem tuam ad preces nostras. Quoniam surrexerunt f uulpes quaerentes g demoliri uineam, cuius tu torcular calcasti solus, & ascensurus ad Patrem, eius curam, regimẽ & administrationem h Petro tanquam Capiti, & tuo Vicario, i eiusque Successoribus, instar k triumphantis Ecclesiae, commisisti, l exterminare nititur eam aper de silua, & singularis ferus depascitur eam.

a Quid imperas igitur, & tanto cum fastu dominaris? b Exurget, sed uide, ne magno tuo malo. c Iudicabit in magna expectatione nostra. d Ah non insipientibus, Statim ad maledicta uertit se, atque hic ille est Leonis rugitus, quo de Sophonias Propheta manifeste dicit, & multa ibi D. Hieronymus liberrime loquitur. e Faceret, si aequa peteres. f Viri fortes. g Expurgare. Tu autem, ubi pecuniam a Germanis quotidie emungis, sic te habes, ut qualibet uulpecula fraudulentior uidearis. Tantum a leonina magnitudine, ad humilem & te indignam deflectis astutiam. Quod si talionem tibi nos reddere coges, poterimus & nos dicere, non uulpem iam te, sed asperius adhuc lupum Arabiae uespertinum quod munera capis, & iusticiam uendis, ut in te propheticum illud exclamare conueniat: Vae Pastoribus, qui dispergunt & lacerant. h Vide ubi fundet tyrannidem. i Multa hic monendus eras, si uacaret. Iam statim non audit te Christus, Mentiris enim quod odit ille.
k Triumphans Ecclesia, O bellum commentum. l Imo tu faciebas hoc Decime, & tu ille eras ferus leo, ob idque decreuimus oppugnare te.

Exurge a Petre, & pro pastorali cura praefata (ut praefertur) tibi diuinitus demandata, intende in causam sanctae Ro: Ecclesiae b matris omnium Ecclesiarum, ac fidei Magistrae, c quam tu iubente Deo tuo sanguine consecrasti. Contra quam, sicut tu praemonere dignatus es, insurgunt d Magistri mendaces, introducentes sectas e perdiditionis sibi celerem interitum superducentes, quorum g lingua ignis est, h inquietum malum, plena i ueneno mortifero, qui zelum amarum habentes, & contentiones in cordibus suis, gloriantur, & k mendaces sunt aduersus ueritatem.

a Petrum Simon inuocat. Sed prius ipsum audi dicentem tibi: Pascite, quantum in uobis est, gregem Christi, curam illius agentes non coacte, sed uolentes, non turpiter affectantes lucrum, sed propenso animo, neque ceu dominium exercentes aduersus cleros, sed ut sitis exemplaria gregis.

b Tu dicis, nos haud agnoscimus. c Romanam dic, an uniuersalem Christi? d Imo contra tua mendacia ueritatis adsertores. e Te enim perdent ob pessima tua merita. f In te hoc omen Christus uertat. g Teque aduret. h Futuræ securitatis incitamentum, publicum, & eximie oportunum bonum. i Salutari medicina refertum. k Ne calumniare, imo ueritatem nos aduersus tuam oppressionem tuemur.

☞ Exurge tu quoque, quæsumus Paule, qui eam tua doctrina, ac pari martyrio a illuminasti atque illustrasti. Iam enim surgit nouus b Porphyrius, qui sicut ille olim sanctos Apostolos iniuste momordit, ita hic c sanctos Pontifices prædecessores nostros, contra tuam doctrinam eos non obsecrando, sed increpando d mordere, lacerare, ac ubi causæ suæ e diffidit, ad f conuicia accedere non ueretur, g more hæreticorum, quorum (h ut inquit Hieronymus) ultimum præsidium est, ut, cum conspiciant causas suas damnatum iri, incipiant uirus serpentis lingua diffundere, & cum se i uictos conspiciant, ad contumelias prosilire. Nam licet hæreses esse ad exercitacionem fidelium, tu dixeris oportere, k eas tamen l ne incrementnm accipiant, neue uulpeculæ coalescant, in ipso ortu, te intercedente & adiuuante m extingui necesse est.

☞ Exurget, etiam pro te contra inimicos tuos, si cum esse uelis Episcopus, talis sis, qualem ipse esse uoluit, inculpatus, irreprehensibilis, tanquam Dei dispensator, non præfractus, non iracundus, non turpiter lucro deditus, bonarum rerum studiosus, ut quæras non quæ tua sunt, sed aliorum & huiusmodi, ut potens sit exhortari, secundum doctrinam sanam, & contradicentes conuincere.

a Posteriores uero sua perfidia, suisque sceleribus denigratam & commaculatam reddiderunt.
b Nihil minus quam Porphyrius. Nam hic Euangelium Christi prædicat ille impie oppugnabat.
c Neque præstigiatores, rapaces lupos, & deuoratores dominici gregis.
d Etiam perimere oportuit.
e Diffidit uero, qui tam bonam causam habet ut te ad metum iam adegerit? Aut potest diffidere, qui ueritatis causam agit?
f Aequam obiurgationem.
g Imo Christi, cuius est hoc: Ve uobis duces cæci. & hoc: Ve uobis hypocritæ, & serpentes, progenies uiperarum &c. Licet ne igitur corripere te quoque toties, tamque fœde labentem?
h Plenus est Hieronymi. O eruditionem.
i Hui uictos.
k Paulum erudit.
l Id est, ne tuo lucro detrimentum adferant.
m Ne interfice simplices columbas, accipitur Pontifex.

a Exurgat denique omnis Sanctorum, ac reliqua uniuersalis b Ecclesia, cuius uera sacrarum literarum interpretatione c posthabita, quidā, quorū mentē d Pater mendacij excæcauit, ex ueteri hæreticorū instituto, apud semetipsos sapientes, scripturas easdem e aliter, quam

Spiritus

Spiritus sanctus flagitet, proprio duntaxat sensu, ambitionis, fauræq; popularis causa (teste Apostolo) interpretantur, imo uero torquent, & g adulterant, Ita ut iuxta Hieronymum, iam non sit Euangelium Christi, h sed hominis, aut quod peius est, diaboli. i Exurgat, inquam, præfata sancta Ecclesia Dei, & una cum beatissimis Apostolis præfatis apud Deum omnipotentem intercedat, ut purgatis k ouium suarũ erroribus, eliminatisq; a Fidelium finibus hæresibus uniuersis, Ecclesiæ suę sanctæ l pacem & unitatem conseruare dignetur.

a Vt cum scelerato malignantium consilio occidas tu.
b Quam tu & sancti illi prædecessores tui aboleuistis iam pene, & perdidistis.
c Resumpta dic. d Rectius Leo diceres: Spiritus sanctus illustrauit, Nam uos Pater ille auaritiæ studio obcæcatos ad pessima omnia decernenda & facienda impulit toties iam.
d Aliter quam Pontificum auaritiæ & ambitioni conueniat. Desine tu uero, cuius tibi conscius ipse es, in aliјs calumniari crimen.
e Imo publicæ necessitatis, cum tua uenia dico.
f Contra fieri omnes sani uident abs te hoc.
g Vt nititur in alios transferre suum crimen, Nam adhuc aliud nihil audiuimus agentem eum. h Exurgeret, nisi tu opprimeres, hoc unum obstat.
i Potius, ut abolita Pastorum furacitate, & liberato ab ore eorum, ne sit ultra in escam ipsis, grege, pascat oues suas ipse in iudicio, & accubare faciat, quodq; perierat requirat, quod confractum erat alliget, quod infirmum fuerat, consolidet, quod pingue & forte, custodiat. Vt tandem auferatur factio lasciuientium, nec sint Pastores, qui pascant semetipsos, gregem uero Domini non pascant, sed dispergant & lacerent. Vos enim, Leo, uos (o miseria) conuertistis in amaritudinem iudicium, & fructum iusticiæ in absynthium. Vis, quod petis, impetrare?
k Adhuc nihil orauit quod impetratum uellet, Conscientiam hominis appello. Ve desiderantibus diem Domini, Amos 5. Nam tu Leo, ubi regnabis, si quando remergat illa a uobis demersa Sanctorum Ecclesia? Amos 5.

a Dudum siquidem, quod b præ animi angustia & mœrore exprimere uix possumus, fide dignorum relatu ac fama publica referente, ad nostrum peruenit c auditum, imo uero d proh dolor, oculis nostris uidimus, ac legimus, multos ac uarios errores, quosdam uidelicet iam per e Concilia, ac Prædecessorum nostrorum f cõstitutiones damnatos, g hæresim etiam Græcorum & Bohemicam expresse continentes, Alios uero h respectiue uel hæreticos, uel falsos, uel scandalosos uel piarum aurium offensiuos, uel simplicium mentium i seductiuos, k a falsis fidei cultoribus, qui per l superbam, m curiositatem, n mundi o gloriam cupientes, contra Apostoli doctrinam, plus sapere uolunt p quã oporteat, Quorũ garrulitas (ut q inquit Hieronymus) sine Scripturarũ autoritate r nõ haberet fidẽ, nisi uiderẽtur s peruersã doctrinã, etiã diuinis testimonijs, t male tamẽ interpretatis, roborare. A quorũ oculis

oculis [u] Dei timor recessit, humani generis [x] hoste suggerente, nouiter suscitatos, & nuper apud [y] quosdam leuiores [z] in inclyta natione Germanica seminatos.

a Attende Romanam facundiam. b Dolore intercepti lucri.
c Plane uidisti, si quid unquam uides. d Scimus non sine magno tuo dolore uidisse te, sed ob id ueritatem deserere non possumus.
e Conciliabula. f Pulchras illas, ac suis dignas autoribus.
g Quales o Christe hæreses? h Expresse, respectiue, pulchre, Romane
i In summa, sanam & orthodoxam opinionem, sed idcirco damnandam, quia per huiusmodi doctrinam non licebit iam ultra uarie Germanos diripere nobis. Erudiuntur enim ij, quorum superstitione quadam mirifica, infatuatæ mentes facile rapientibus nobis patebant. Quo fit, ut immensum præpediatur nobis lucrum, ita ut metus sit, multos fame perituros adhuc Romæ, etiam ex creaturis illis nostris. Nos quidem in magna egestate regnabimus.
k A tua perfidia alienis, ob idq; Christo & ab illo institutę fidei per omnia deditis
l Id est animosam. m ueritatis curam, & studio patriæ pertinaci.
n Christi aio, cum ipse contra totus mundi sis.
o Fatetur gloriã manere, nos si peruincamus, quę nos nihil mouet tamẽ.
p Quam tibi utile est, tuæq; expedit Curiæ.
q Hoc ne inquit Hieronymus? Tu uero, quid toties Hieronymum allegas? Nonne ut hac adsuta purpura, male concinnatos tuos centones adornatos reddas? Sed non cohæret. Itaq; desiste in friuolo mendacio sancti uiri autoritatem prætexere tibi. r Neq; habere debet, iam hoc contestamur.
s Tibi quidem peruersa semper fuit Euangelica illa, quam nos sequimur. Neq; enim docet te facere quæ facis flagitiose multa.
t Neq; enim e tuo commodo, sed ex Christi & Sanctorum sententia.
u Põtificiæ tyrannidis metus & superstitiosus Romanæ tyrannidis cultus.
x Erras, neq; enim potest diabolus, cum sit Pater mendacij, ueritatem suggerere.
y Quomodo leues, qui tibi quoque tam potenti tyranno tam cito graues esse cœperunt?
z Id est, quæ affatim pecuniam mittebat nobis, alioqui barbara & stupida.

Quod eo magis dolemus ibi euenisse, quod [a] eandem Nationẽ & nos & Predecessores nostri [b] in uisceribus semper gesserimus [c] charitatis, [d] Nam post translatum ex Græcis [e] a Rom: Ecclesia [f] in eosdem Germanos Imperium, ijdem Prædecessores nostri & nos, eiusdem Ecclesiæ [g] aduocatos defensoresq; ex eis semper accepimus. Quos quidem Germanos, catholicæ ueritatis uere [h] Germanos, constat hæresum acerrimos oppugatores semper fuisse. Cuius rei testes sunt [i] laudabiles illæ constitutiones [k] Germanorum Imperatorum pro libertate Ecclesiæ, proq; expellendis exterminandisq; ex omni Germania [l] hæreticis, [m] sub grauissimis pœnis, etiam amissionis terrarum, & dominiorum, contra receptatores, uel non expellentes, olim editæ, & [n] a nostris Prædecessoribus confirmatæ, Quæ si hodie seruarentur, & nos & ipsi utiq; [o] hac molestia careremus.

a Laudat

a Laudat Germaniam. Hoc unum reddit, toties incommodo ab se affecta. Itaq; adhuc in spe est reconciliationis, aliter non sic blande palparet.
b Deuorauerat is enim, sed nunc reuometis, & de uentre uestro extrahet illam Deus.
c At quæ esse potest charitas in tali tyranno, tam fraudulenter & subdole, tam uiolenter & improbe pecuniam ab amicis exigente, suffurante, emulgente, extorquente, & eripiente.
d A collato olim beneficio commendat se Germanis, putans idcirco habere obnoxios. O fraudem.
e Illa enim transfert seculi Imperia, quo iure dic sodes?
f Oportuni uidebantur enim, quos infatuarent illi.
g Tu uero quid agis interim ociose Pastor, quando alios defendendo gregi substituis? Aut armis Ecclesia, non optimis uitę exemplis, & sana doctrina defenditur?
h Vtinam fuissent, Te enim diu iam expugnassent. Sed maleficis tuorum Maiorum præstigijs contigit, ut ad inanes fabulas diuersæ hominum mentes, uerum dignoscere nequiuerint. Quo respicere tandem Christus uidetur, Iamq; statim forte secundum uiam uestram faciet uobis, & secundum iudicia uestra iudicabit uos.
i Quam multa hic dicenda essent, sed parcendum ijs, qui posteris ipsi suis non pepercerunt. Dic mihi autem, quam uocas Ecclesiæ libertatem? Et qua illi opus est? Licentia ne diripendi, fraudandi omnes iniuria, beneficio neminem afficiendi.
k Non degenerabit a uirtute Maiorum suorum Germania, Ne time, quędam etiam emendabit perperam ab illis instituta.
l Atqui non esse reor in Germania hæreticos hodie, nisi quos tu alis in communem perniciem.
m Satis gratificati tibi sunt.
n A uobis confirmari oportet si quid statuant nostri Imperatores? O indignos hoc munere, qui ad aliorum præscripta imperant.
o Nos quidem carere decreuimus, magno, quæcunq; fortuna sit, animo libertatem inuasuri. Et iam non potestati quidem tuæ, sed improbitati resistimus. Tu, si nimium confidis, esse hic etiam Leones memineris, si non satis sunt Aquilæ.

Testis est [a] in Concilio Constantiensi Hussitarum ac Vuicleuistarum, necnon Hieronymi Pragensis damnata ac punita perfidia: Testis est toties contra Bohemos [b] Germanorum sanguis effusus. Testis denicq; est prædictorum errorum, seu multorum ex eis, [c] per Coloniensem & Louaniensem Vniuersitates, utpote [d] agri dominici pijssimas, religiosissimasq; cultrices, [e] non minus docta quam uera ac [f] sancta confutatio, reprobatio, & damnatio. [g] Multa quoq; alia allegare possemus, quæ, ne historiam texere uideamur, prætermittenda censuimus.

a O præclarum Concilium, quod nulla publica (ut debuit) libertas, sed uestra (quod pudendum est) tyrannis moderabatur, ut nunc Romæ nescio quid Conciliabuli habes, in quo nuper statuerunt tandem Copistæ tui, animam esse immortalem.
b Cuius rei autores fuerunt sanguinarij Romanæ Ecclesiæ Episcopi, non digni, quibus de loquerentur amice populi Septentrionis, nedum pro quibus ultro interirent. Laudas factum Decime, & pietatem colere uis uideri? & Christi esse uicarius? Certe enim singularis est hæc feritas,

probare

probare quod effusus sit sanguis Christianus, cum, ut Cyprianus monet, conscientiæ Episcopi conueniat, dare operam, ne quis ipsorũ culpa pereat.

c Laudat adulatrices meretriculas.

d Romanæ piraticæ, & Pontificiæ dico grassaturæ.

e Vbi doctrina Leo, ubi ueritas in ijs enititur? Non te pudet de talibus ineptijs tam grauem ferre sententiam?

f Quã pulchrum est palpare Romanum Pontificem. Sed nos nihil mouet sententia sic leuiter, sic præter iudicium lata. Nec nobis eripient Germaniam garrulæ Docticulorum scholæ, postquam semel liberandam suscepimus.

g Vult literas scire uideri hic Copijsta, & plenus est rerum antiquitus gestarum.

a PRO pastoralis igitur officij diuina gratia nobis b iniuncti cura, q̃ gerimus, prædictorum errorũ c uirus pestiferũ ulterius d tolerare, seu dissimulare, sine e Christianæ religionis nota, atq; orthodoxe fidei iniuria nullo modo possumus. f Eorum autem errorum aliquos præsentibus duximus inserendos quorum tenor sequitur & est talis:

a Tandem officium facit, Sed uide, ne abutaris potestate tua non in ædificationem, sed in destructionem. Certe sacerdotis est, ut Ambrosio uidetur, nulli nocere, prodesse uelle omnibus.

b Attende, commissam Leoni ouium curam,

c Potius salutares admonitiones, quod tu quoq; sentis, & ediceres, nisi totum possideret te pecuniæ studium, & ambitionis tumor. Proinde, Ve uobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras, lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarũ.

d Paulo post esuries enim, si feres.

e Quæ nota est, dic quæso, ueritatem sibi restitui, & perniciosis intercedi legibus?

f Ista quidem uis est Decime, non habita prius cognitione damnare, quæ disputanda ille proposuit, neq; hoc facere de Ecclesiæ totius, cui se ille subijcit, consilio. Sed nihil potes contra ueritatem, pro ueritate potes, si quis oppugnat, & tu paratus es tueri, si, ut Apostoli, Christum predicare instituisti, non teipsum, Si commissum tibi gregem pascere cura est, non cupiditatibus inseruire tuis, ut fraudulenter ambules, ac ad munera declines, & post sordes abeas, perq; auariciam ficticijs sermonibus de nobis negocieris. Quin tu, si me audis, noli esse sicut Leo in domo tua, euertens domesticos tuos, & opprimens subiectos tibi. Certe Dominus custodit ueritatem in seculum facitq; iudicium iniuriam patientibus. Hæc meminisse te oportuit, priusquam condemnares Fratrem tuum. Quod uero ad Lutheri scripta pertinet, legant omnes, simul tuum iudicium, deinde libere ipsi quoq; iudicent.

1 HAEretica sententia est, sed usitata. Sacramenta nouæ legis iustificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.

2 In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum & Christum simul conculcare.

Fomes

Fomes peccati etiam si nullum adsit actuale peccatum, moratur exeuntem a corpore animam ab ingressu cœli. 3

Imperfecta charitas morituri, fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorij, & impedit introitum regni. 4

Tres esse partes pœnitentiæ, contritionem, confessionem, & satisfactionem, nõ est fundatum in Scriptura, nec in antiquis sanctis, Christianis Doctoribus. 5

Contritio quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem. 6

Verissimum est Prouerbium, & omnium doctrina de contritionibus hucusq; data præstantius, de cætero non facere, summa pœnitentia, optima pœnitentia, noua uita. 7

a Nullomodo præsumas confiteri peccata uenialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Vnde in primitiua Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur. 8

a Callide decerptum hoc, ut multa alia.

Dum uolumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil uolumus relinquere ignoscendum. 9

Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente Sacerdote credat sibi remitti, Imo peccatum maneret, nisi remissum crederet, Non enim sufficit remissio peccati, & gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum. 10

Nullo modo confidas absolui propter tuam contritionem, sed propter uerbum Christi: Quodcunq; solueris &c. Hic, inquam, confide, si Sacerdotis obtinueris absolutionem, & crede fortiter te absolutum, & absolutus es, quidquid sit de contritione. 11

Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed ioco absolueret, si tamen credat se absolutum, uerissime est absolutus. 12

b In sacramento pœnitentiæ, ac remissione culpæ, non plus facit Papa, Episcopus, quam infimus Sacerdos, imo ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet Christianus, etiam si mulier aut puer esset. 13

b Hic tandem irreparabiliter est lapsus. Quantum enim decedit lucro Episcopi Romani, si hoc uerum est. Porro principem sacerdotum, secularis etiam Imperij moderatorem, in ordinem redigere quis audet? Crucifigatur. 14

Nullus debet Sacerdoti respondere, se esse contritum, nec Sacerdos requirere.

15 Magnus est error eorum, qui ad sacramentum Eucharistiæ accedunt huic innixi, quod sint confessi, quod non sint sibi conscij alicuius peccati mortalis, quod præmiserint orationes suas & præparatoria, omnes illi ad iudicium sibi manducant & bibunt. Sed si credant & confidant se gratiam ibi consecuturos, hæc sola fides facit eos puros & dignos.

16 Consultum uidetur, quod Ecclesia in communi Concilio statueret, Laicos sub utraque specie communicandos, Nec Bohemi communicantes sub utraque specie sunt hæretici, sed schismatici.

17 Thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat Indulgentias, non sunt merita Christi & Sanctorum.

18 c Indulgentiæ sunt piæ fraudes fidelium, & remissiones bonorū operum, & sunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.

c Vah, qui destruis Serui seruorum mercatum, illud singulare uberrimi lucri fomentum, Ferte citi flammas.

19 Indulgentiæ ijs, qui ueraciter eas consequuntur, non ualent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iusticiam.

20 Seducuntur credentes, Indulgentias esse salutares, & ad fructū spiritus utiles.

21 Indulgentiæ necessariæ sunt solum publicis criminibus, & proprie conceduntur duris solummodo & impatientibus.

22 Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles, uidelicet, mortuis seu morituris, infirmis, legitime impeditis, his qui non commiserunt crimina, his qui crimina commiserunt, sed non publica, his qui meliora operantur.

23 Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

24 Docendi sunt Christiani d plus diligere excommunicationem, quam timere.

d Totus in errore uersaris Luthere, Nam si non appetent Indulgentias posthac homines, nec perhorrescent excommunicationem, unde erit Pontifici maximo Romæ, quo tot alat perpetuo equites ac pedites, expeditū semper exercitum, tot musicos, tantum spiculatorum, illos præsertim corporis sui custodes ducentos Heluetios stipatores? Nonne ad despicabiles sordes redibit splendor ille Ecclesiæ? Resipisce.

25 e Romanus Pontifex Petri successor, non est Christi uicarius super omnes totius mundi Ecclesias, ab ipso Christo in B. Petro institutus.

e Hoc inexpiabile est Luthere, Regnum adimis Rom. Pontifici. Vbi ueniæ locus? non absoluo.

26 f Verbum Christi ad Petrum: Quodcunque solueris super terram &c. extenditur duntaxat ad ligata ab ipso Petro.

Hæc

f Hæc uerba, & quæ de datis clauibus sunt, neq; ipse satis intellexit Hieronymus, quem toties in hac Bulla Vicarius Christi allegat. Sic enim adscripsit is, cum Matthæi Euangelium exponeret: Istum, inquit, locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi adsumunt de Pharisæorum supercilio, ut uel damnent innocentes, uel soluere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum uita quęratur. Neq; Augustinus mentem uidetur habuisse, quando scripsit, Non super Petrum, sed ipsum Christum ædificatam Ecclesiam. Porro Origenes, Beda, & complures alij, ut hallucinati sunt hic? Proinde summi Pontificis (super quo fundatur Ecclesia) est, sacram Scripturam ad suum libitum suamq; libidinem interpretari. Qui contradixerit, hæreticus esto, & filius Satanæ, statimq; comburitur. Nam hic noster Leo factus est, & didicit capere prædam, hominemq; comedere. *Hieronymus. Augustinus. Origenes. Beda.*

Certum est, in manu Ecclesię aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei, imo nec leges morum, seu bonorum operum. 27

Si Papa cum magna parte Ecclesiæ sic uel sic sentiret, nec etiam erraret, adhuc non est peccatum aut hæresis contrarium sentire, præsertim in re non necessaria ad salutem, donec fuerit per Concilium uniuersale alterum reprobatum, alterum approbatum. 28

g Via nobis facta est enarrandi autoritatem Conciliorum, & libere contradicendi eorum gestis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi quidquid uerum uidetur, siue probatum fuerit, siue reprobatum a quocunq; Concilio. 29

g Lector ipsum hic Lutherum audiat, rem hanc differentem, non curet decerptores.

h Aliqui articuli Iohannis Huss cōdemnati in Concilio Constan. sunt Christianißimi, uerissimi, & Euangelici, quos nec uniuersalis Ecclesia posset damnare. 30

h Neq; nō est hoc uerū, aut solus hoc Luthe. sentit, sed optimus quisq; hic probat. Etiā tu, q; scio, probares multa eius uiri, ac illos ualde detestareris male coactos articulos, si qui te nūc demētat morbus uel ad tēpus desereret.

In omni opere bono iustus peccat. 31

Opus bonum optime factum, est ueniale peccatum. 32

i Hæreticos comburi, est contra uoluntatem spiritus. 33

i Hæreticos comburi. Ita existimamus, non licere tibi quenquā interficere, nedum hæreticum, quem ab ipso primum Christo, deinde a Paulo quoq; iussus es, si monitus non resipiscat, habere tanquam ethnicum & publicanum, ac deuitare, Neq; item conducere, tibi existimamus, ut sic atrociter in hos consulas, ne combusta uniuersa tua illa Curia (est enim ex hæreticis & nequioribus adhuc multo) tu quoq; in uicino tibi incendio conflagres.

k Præliari aduersus Turcas, est repugnare Deo uisitanti iniquitates nostras. 34

k Vobis quidem Pontificibus hoc pręliari contra Turcas sæpe iam magno fuit lucro, dum pecuniam exegistis in Germania quantam libuit, qua expeditionem hanc (id quod nunquam cogitastis serio) prosequeremini. Nam si semel debellarentur Turcæ, quem postea hostem fingere uelletis, tantopere oppugnandum? Quare mitius Leo irasci debes Germaniæ,

quod biennio abhinc non audiuit tuam in Turcas exhortationem. Non enim uidebatur esse nisi impostura, & cum dolo per occasionem auariciæ.

35 Nemo est certus, se non semper peccare mortaliter, propter occultissimum superbiæ uitium.

36 Liberum arbitrium post peccatum est res de solo titulo, & dum facit quod in se est, peccat mortaliter.

37 Purgatorium non potest probari ex sacra Scriptura, quæ sit in Canone.

38 Animæ in Purgatorio non sunt securæ de eorum salute, saltem omnes, Nec probatum est, ullis aut rationibus aut Scripturis, ipsas esse extra statum merendi, aut augendæ charitatis.

39 Animæ in Purgatorio peccant sine intermissione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.

40 Animæ ex Purgatorio liberatæ suffragijs uiuentium, minus beantur, quam si per se satisfecissent.

41 Prælati ecclesiastici & Principes seculares non malefacerent, si omnes saccos [1] mendicitatis delerent.

1 Ipse tuo metuis, alioqui cum Luthero ac nobiscum sentires & ipse, Neque unquam dissensurus es, si quis ad confessionem adigat conscientiam tuam. Ita qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt, qui uero secundum Spiritum, quæ sunt Spiritus sentiunt. Te autem quid iuuat multa conquirere, ut Lutherum damnes, cum hoc paucis potueris? Nempe, si breuiter & uno uerbo dixeris (quod ab illo grauiter accidit tibi) quia tyrannidem tuam oppugnauit, ob idque esse hæreticum, & si quid hæretico peius adhuc est. Nam aliorum quidquid est, facile in illo ferres.

At uero oportet te considerare interim, frater Leo, ex officio ne sit tuo, opprimere ac fraudare in negocio fratrem tuum, propterea, quod ultor est Dominus de ijs omnibus. Ipsum quidem Lutherum scimus no cessurum tibi, quia deserere ueritatem, quam semel propugnandam suscepit, tantus animus non potest. Tu quidem, metuo, ut resistas. Quid posses enim contra ueritatem? Præsertim, cum causa tua tota sit ex cupiditate & ambitione. At radix omnium malorum (Paulus inquit) est auaritia, quam quidam appetentes, naufragauerunt a fide, & inseruerunt se doloribus multis.

Gloriam uero mundi fugere, & omnem postergare ambitionem, primum Christus docuit, te sui exemplo, qui regnum auersatus est, & seipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Deinde Apostoli passim. Nolite diligere mundum, Iohannes inquit, neque ea, quæ in mundo sunt. Et Paulus Philippenses erudiens ait: Ne quid fiat per contentionem, aut per inanem gloriam, sed per humilitatem animi alium quisque se præstantiorem existimet.

Age autem, quid ambire tibi in seculo licet, quem Paulus dispensatorem Dei esse iubet, & sequestrare ab se omnia secularia desideria? Debes tu uero inprimis exemplum esse fidelium in uerbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, ante omnia uiam ueritatis eligere. At uiam ueritatis elegi cum Psalmista (Ambrosius ait) dicere nemo potest, qui secularia concupiscit, qui negociatur. Non est enim uia ueritatis habendi studium, cupiditas possidendi, aut honor huius seculi, sollicitudo mundi. Et in Petro, ut dignus fieret, qui Christi oues pasceret, nihil aliud quæsiuit

quæsiuit Christus, quam sui amorem. Qui qualis sit, Iohannes docet: Filioli mei, inquiens, non diligamus uerbo, neq; lingua, sed opere & ueritate. In hoc agnoscimus, quia ex ueritate sumus. Et, Beda non malus uel dominationis, uel quęstus gratia pascant. De quibus ad Pilippenses conqueritur Paulus. *

Hoc idcirco pluribus admonui, ne unquam ea tibi fiducia incidat, ut arbitreris huiuscemodi Bullis posset te a ueritatis studio absterrere nos, & a dilectione Dei separare, Quippe in Domino confidimus, apud quem, teste Iob, fortitudo est & sapientia, qui nouit & decipientem, & qui decipitur, qui effundit despectionem super Principes, & eos qui oppressi fuerant releuat. Responde mihi uero, quis permansit in mandatis Domini, & derelictus est? Proinde non te timemus, Leo, quantumcunq; ferocientem etiam. Non enim poteris euertere tribunal Christi, quo nobiscum tibi eundum est, & ad quod prouocantes nos cum Propheta dicimus: Iusticia iusti super eum. Hæc fiducia est. Tu si me audis, non ante cognitionem damnabis Fratrem tuum, quin potius reuelatione facta ueritatis, cedat error ueritati, ut recte in Concilio Carthag: monuit Zosimus. Sed iam pluris quam oportuit, interpellaui te. Igitur Bullam prosequere.

QVi quidem errores a respectiue b quam sint pestiferi, quam perniciosi, quam scandalosi, quam piarum & simplicium mentium seductiui, quam deniq; sint c contra omnem charitatem ac d S. Rom: Ecclesiæ matris omnium fidelium e & magistræ fidei reuerentiam, atq; f neruum ecclesiasticæ disciplinæ, g obedientiam scilicet, quæ fons est & origo omnium uirtutum, sine qua facile unusquisq; h infidelis esse conuincitur, nemo i sanæ mentis ignorat.

a Hoc respectiue quid est? Dic aperte, ut te capiamus. b Si ad tuam insatiabilem auariciam respiciat quis. c Hic tuam conscientiam appello Decime, Nisi uocas charitatem tu seruilem, quæ tibi fit, subiectionem. d Violentæ tyrannidis, & quæ fieri nec possit, nec debeat, cuiq; hoc præsertim tempore resisti oporteat animosissime.
e Qualis, bone Christe, fidei magistra est, quæ publicam fidem abolet, & interfecto iureiurando peierare nos docet, a religione autem aliena adeo est, ut scomma Romæ sit, bene Christianum dici, te uero ridet, tuumque sanctum Euangelium habet pro fabula. Perde nos Christe, nisi hæc ita habent. *
f Quam est imbecille corpus, quodq; illud est q; talibus neruis regitur.
g Magis oportet obedire Deo quam hominibus, Decime. Tu autem (cũ Apostolis dicimus tibi) si iustũ est in conspectu Dei, te potius audire quam Deum, iudica, nos, quæ Christus docuit, non possumus non & loquendo sequi & faciendo. h Potius infideles arbitrarer esse nos, si tibi pareremus, præsertim mala quando imperas, ut totis iam tribus annis, ne ueritas colatur, aut uero si te sequeremur, pessimorum scelerum licentiam, pecuniam pactus, quando irrogas, quemadmodum in tuis Bullis, quarum plena est Germania, uidere licet. i Vocares sanæ mentis qui sic faceret?

Nos igitur in præmissis, a utpote grauissimis, propensius b (ut decet) procedere, necnon huiusmodi pesti, morboq; canceroso, ne c in agro dominico tanquam d uepris e nociua, ulterius serpat, f uiam præcludere cupientes, g habita super prædictis errorib. & eorum singulis diligenti trutinatione, discussione, ac districto examine, a ma-

turaqꝫ deliberatione, omnibusqꝫ rite pensatis, ac sæpius uentilatis h cum uenerabilibus Fratribus nostris, sanctæ Rom: Ecclesiæ Cardinalibus, ac Regularium ordinum Prioribus, seu Ministris generalibus, i pluribusqꝫ alijs sacræ Theologiæ, necnon utriusqꝫ Iuris Professoribus, siue Magistris, & quidem, peritissimis, k reperimus eos dē errores l respectiue (ut præfertur) aut articulos nō esse m chatolicos, n nec tanqꝫ tales esse dogmatizandos, sed o contra catholicæ Ecclesiæ doctrinam, siue traditionem, atqꝫ adeo ueram diuinarum Scripturarum receptam interpretationem, cuius autoritati ita acquiescendum p censuit Augustinus, ut dixerit, se Euangelio non fuisse crediturum nisi Ecclesiæ catholicæ interuenisset autoritas. Nam ex eisdem erroribus, uel eorum aliquo, uel aliquib. q palam sequitur, eandem Ecclesiam r quæ Spiritu sancto regitur, errare & semper errasse. Quod est utiqꝫ s contra illud quod Christus discipulis suis in ascensione sua (ut in sancto Euangelio Matth. legitur) promisit dicens: t Ego uobiscum sum usqꝫ ad consummationem seculi. Necnon u contra sanctorum Patrum determinationes Conciliorum quoqꝫ & summorum Pontificū expressas ordinationes seu Canones, quibus non obtemperasse, omnium hæresum & schismatum, x teste Cypriano, fomes & causa semper fuit.

a Tibi quidem sunt, quanquam a leuibus fieri paulo ante dixeris.
b Vt tua fert auaritia. Aut uero ut decet etiam, sed non Pontificem quidem, aut Episcopum, sed Regem, & Leonem, qui superbo oculo, & insatiabili corde facias hęc.
c In quo ut priores, grassari tu quoqꝫ institueras, sed a nobis prohiberis, quod nunc fremis etiam. At uero, ut rem ipsam, ut est, tangam, non uereris Sanctissime, tuum sordidum mercatum uocare agrum dominicum? Neqꝫ hoc uides, oculos recipere Germaniam, & magis ac magis cognoscere qꝫ tu, qua fraude, faciem induas auariciæ tuæ? d Nunquam rectius comparasti hęc, Nam in hac uepre nimis impedite iam & anxie hæres tu.
e Serpet nisi tu coustiteris, Prædico tibi. f Ve uobis Pontifices, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. g Vide Leonis diligētiā.
h Qui & ipsi uident, esuriendum sibi esse. i Ad quos & ipsos nonnihil pertinet ex earapina, quam nos tam cōfidenter impedimus.
k Vide quid inuenerit tanto adhibito studio, diligens pastor. l Iterū scire abs te laboro, hoc quid sit, respectiue. Atqꝫ age dic nobis tandem, quo respicis, quando Lutherum damnas? Romanisticos dicere uolebas.
n Caute. o Pulchre. Docuerunt linguam suam loqui mendacium, & ut inique agerent laborauerunt. Tu autem Domine, quare non respicis contemptores, & taces conculcante impie iustiorem se?
p Validam ansam. Sed arbitraris ne Augustinum, si in tua tempora incidisset, tibi ac tuæ Ecclesiæ hoc tributurum fuisse? Proinde hanc sanctis hominibus iniuriam facere desine, ut ab ijs scripta peruerse ad tuum commodum torqueas. q Hoc quidem non sequitur, sed egestas tibi tuisqꝫ Prothonotarijs & Creaturis incumbit. r Quasi nesciat orbis, nec sit in publica querela, hæc omnia fieri nunc Romæ Florentinorum instinctu, atqꝫ unum & alterum ciuitatis tuæ Ecclesiam gubernare, ipsum te etiam prętet illorum

illorum præscripta nihil agere. Quoties igitur monendus es, ne tuum conuentum malignantium, sanctam uoces Ecclesiam? s Strenuus propugnator euangelicæ doctrinæ est Decimus. t Neque non erit. Teque ut iniuria potentem deponet, ne grauis sis humilibus, quos exaltabit, tuumque fastum confringet, & pharisaicũ illud supercilium complanabit. Videt enim laqueum fieri uos speculationi, & sicut rete expansum super Thabor. Ob idque dicet: Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escã panis. Videtque summa cũ iniuria Christianæ plebis tyrannidem exercere uos, & dicet: Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, mittam in uos egestatem, & maledicam benedictionibus uestris. Ego enim Dominus, hoc est, nomen meum, gloriã meam alteri non dabo. Sic nobiscum erit Deus, quod nisi indubitatum nobis fuisset, non sic confidenter obsistere tibi aggressi essemus. x Eorum, dic Episcoporum, qui Ecclesiam regnum esse uoluerint, atque huic se Reges præfecerunt. y Quo trahis sanctum Martyrem? Non dicet testimonium.

a De eorundẽ itaque uenerabilium Fratrum nostrorum consilio & assensu, ac omnium & singulorum prædictorum matura deliberatione prædicta b autoritate omnipotentis Dei, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & nostra, præfatos & singulos articulos seu errores tanquam (ut præmittitur) respectiue hæreticos aut scandalosos, aut falsos, aut piarum aurium offensiuos, uel simplicium mentium seductiuos & ueritati catholicæ obuiantes, damnamus, reprobamus, atque omnino reijcimus, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus c haberi debere, harum serie decernimus & declaramus. Inhibentes in d uirtute sanctæ obedientiæ, ac sub maioris excommunicationis latæ sententiæ, Nec non quo ad ecclesiasticas & regulares personas, e Episcopaliũ omnium, etiam Patriarchalium, Metropolitan: & aliarum cathedralium Ecclesiarum, Monasteriorum quoque & prioratuum, etiam Conuentualium, & f quorumcunque dignitatum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum, secularium, aut quorumuis ordinum regularium, priuationis & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda.

a Ne abutere potestate tua in Euangelio. Memineris autem iuxta eundem Paulum, nihil damnationis esse ijs, qui sunt in Christo Ihesu, qui non ambulant secundum carnem. b Vide Leo, Dei autoritatem quo in facto arroges tibi, & ne abutaris potestate, quam tribuit tibi Dominus in ædificationem, non in destructionem. Certe qui potestatem adsumit sibi iniuste, odium meretur. Etiam memento non esse in hominis potestate consilium Dei, qui ueritatem requirit, & retribuet abundanter facientibus superbiam c Nihil efficies. d Non mouemur, quia non sapis, quæ sunt Dei, sed quæ sunt hominum. e Regni sui satrapras enumerat. f Omnia delecta mauult, quam rapinæ suæ intercessum.

Quo uero ad Conuentus, Capitula seu domos aut pia loca, secularium, uel regularium, etiam mendicantium, nec non Vniuersitatis etiam studiorum generalium, quorumcunque priuilegiorum, in-

dultorum a Sede Apostolica uel eius Legatis, aut alias quomodolibet habitorum uel obtentorum, cuiuscunque tenoris existant. Necnon nominis, & potestatis studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasuis scientias & facultates & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda. Prædicationis quoque officij, ac amissionis studij generalis, & omnium priuilegiorum eiusdem.

a Sic facitis Pontifices, alij aliorum acta rescinditis, & tamen Bullis uestris singuli præscribitis: Ad perpetuam rei memoriam, & omnes æternum ualitura quæ statuitis, persuasum nobis uultis. Quis igitur adhærebit nũc tibi, cum sit certum, ex posteris quempiam hoc iudicium tuum soluturum?

a Quo uero ad seculares eiusdem excommunicationis, necnon amissionis cuiuscunque emphiteosis, seu quorumcunque Feudorum, tam a Romana Ecclesia, quam alias b quomodolibet obtentorum, ac etiã inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda.

a Parce brachio seculari, Leo, ut sit quod ultimo contra nos implores.
b Audite Imperatorem. Ecquis a Leonis igitur regno liber est? aut quem non continere se unguibus suis ille putat? At te conuenio Pastor Leo, Quid secularibus implicas te negocijs, qui Christo militare? Est hoc, uicẽ Christi uis gerere, trahere ad se quæ Christus non agnoscit?

Nec non quo ad omnes & singulos superius nominatos, a inhibitionis ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes & singulos actus legitimos, infamiæ, ac diffidationis, & criminis læsæ maiestatis, & hæreticorum, & fautorum eorundem in iure expressis pœnis eo ipso, & absque ulteriori declaratione, per omnes & singulos supradictos, si (b quod absit) contra fecerint, incurrendis. A quibus c uigore quibuscunque facultatis & clausularum etiam in d confessionalibus quibusuis personis, sub quibusuis uerborum formis contentarum, nisi a Rom: Pontifice uel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti e absolui nequeant.

a O immanitatem, Etiam ne in mortuos licet sæuire tibi? Quem facis tyrannidi tuæ modum?
b Imo fit, ut strenue audeant multi obsæuire tibi.
c Etiam suas nugas proterit. Atque utinam solas has conculcaret.
d Quas tamen emeramus.
e Petemus absolui, siquidem ligatos non sentiemus?

a Omnibus & singulis utriusque sexus Christi fidelibus tam Laicis quam clericis, secularibus, & quorum uis ordinum regularibus, & alijs quibuscunque personis, cuiuscunque status, gradus uel conditionis existant, & quacunque ecclesiastica uel mundana præfulgeant dignitate, Etiam b sanctæ Rom: Ecclesiæ, Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis Patriarchalium, metropolitan: &

tan: & aliarum cathedralium, collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, alijsq; personis Ecclesiasticis, secularibus, & a quorumuis ordinum, etiam mendicantium, Regularibus, Abbatibus, Prioribus, uel Ministris generalibus, uel particularibus Fratribus, seu religiosis, exemptis & non exemptis. Studiorum quoq; Vniuersitatibus, secularibus & quorumuis ordinum, etiam mendicantium Regularibus.

a Excursus leoninæ potestatis est. At uero Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Isq; paulo post dicet: Rugitus leonis, uox leenæ, & dentes catulorum leonum contriti sunt. Et quia Hieronymum solebas testem obijcere nobis, audi quid de hoc rugitu tuo sentiat? Videmus, inquit, Principes Ecclesiæ ita in subiectos populos detonare, & uoce tyrannica, rapidisq; couitijs plebem conterere, ut non pastorem in grege, sed leonem inter ouiculas putemus. Nonne igitur obturandæ nobis contra tuum rugitum aures sunt? & uox Pastoris, ubi ubi ille sit, qui amore Christi, non pecuniæ studio pascat, attende audienda, & pertinaciter sequenda?
b Parce tot uoluptuarijs, tot strenuis comedonibus, tot inuictis potatoribus, tot eruditis aleatoribus, tot elegantibus scortatoribus, totq; dominis parce Decime, ne si quid uel ebrij censuerint, piaculum hoc eis sit.
c Ne hos opprimas, irate Leo, opus manuum tuarum.

a Nec non Regibus, Imperatoris Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibusq; Officialibus, Iudicibus, Notarijs ecclesiasticis & secularibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, castris, terris & locis, seu eorum uel earum ciuibus, habitatoribus & incolis, ac quibusuis alijs personis, ecclesiasticis, uel regularibus (ut præfertur) per uniuersum orbem ubicunque, b præsertim in Alemania existentibus, uel pro tempore futuris, ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersamq; doctrinam huiusmodi c asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publice uel occulte, quouis quæsito ingenio uel colore tacite uel expresse d fauere præsumant.

a Infinitum est Leonis regnum, atq; eo grauius etiam. Quam periculosa igitur res est, Leonem accipere in Rempub. Iam postquam semel enim acceptus es tu Decime, ali quoq; uis, Sed ali non potes, nisi nostris spolijs. Vtinam græcum Poetam audijssemus. Sed alant te, qui acceperunt. Nos oportet imitari Apostolos, iuxta institutionem, quam accepimus ab ipsis, & subducere nos a te, qui inordinate te geris, atq; oneri es nobis. Vbi, quem magni facis, diuus Hieronymus putat, prodesse tibi, si detraharis ab arrogantia tua, ut postea recto itinere gradiaris.
b Vbi fœlicissime cedebat rapienti tibi, & super quam facilime soles rugire tu, ut terram eius ponat in solitudinem.
c Omnium occulta etiam iudicia unus moderatur Leo, atqui de occultis non iudicat Ecclesia.
d Etiam in fauores nostros ius habet ille seruorum Seruus.

Insuper

Insuper, quia errores præfati, & plures alij continentur in Libellis seu scriptis a cuiusdam Martini Lutheri, dictos libellos, & omnia dicti Luheri scripta, seu Prædicationes, in latino, uel quocunque alio idiomate reperiuntur, in quibus dicti errores, seu eorum aliquis continentur, similiter damnamus, reprobamus, atque omnino reijcimus, & pro omnino damnatis, reprobatis ac reiectis (ut præfertur) haberi uolumus. b Mandantes in uirtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis utriusque sexus Christifidelibus superius nominatis, ne huiusmodi scripta, Libellos, Prædicationes seu schedulas, uel in eis contenta capitula, errores aut articulos supradictos continentia c legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare siue defendere, d per se, vel alium, seu alios, directe uel indirecte, tacite uel expresse, publice uel occulte, aut e in domibus suis, siue alijs, publicis uel priuatis locis tenere quoquo modo præsumant, Quinimo illa statim post harum publicationem ubicunque fuerint, per Ordinarios & alios supradictos diligenter quæsita publice, & solemniter in præsentia cleri & populi, sub omnibus & singulis supradictis pœnis f comburant.

a Attende Emphasim.
b Non obtines. Iam enim altius radices egerunt, quam ut auelli abs te sustineant.
c Attende copiam sermonis.
d Quam diserti sunt Romani Copijstæ Bullarum conflatores.
e Nihil præterit, Atque adeo ubi est una rimula, nondum expleta? Hoc tandem est Oratorem esse & literas latine loqui scire.
f Vixerunt, Actum est.

Quod uero ad ipsum Lutherum attinet, a bone Deus, quid prætermisimus, quid non fecimus, quid paternæ charitatis omisimus, ut eum ab huiusmodi erroribus reuocaremus? Postquam enim ipsum citauimus, b mitius cum eo procedere uolentes, illum inuitauimus, atque tam per diuersos tractatus, c cum Legato nostro habitos, quam per literas nostras hortati fuimus, ut a prædictis erroribus discederet, aut ad nos, d oblato etiam saluo conductu, e & pecunia ad iter necessaria, f sine metu, sine timore aliquo, quem g perfecta charitas foras mittere debuit, ueniret, ac h Saluatoris nostri, Apostolique Pauli exemplo, i non in occulto, sed palam, & in facie loqueretur. Quod si fecisset, k pro certo (ut arbitramur) ad cor reuersus, errores suos cognouisset, nec in Romana Curia, quam tantopere uanis maleuolorũ rumoribus plusquam oportuit tribuendo uituperat, tot reperisset errata, docuissemusque eum, luce clarius, sanctos Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, quos præter omnem modestiam iniuriose lacerat in suis Canonibus seu Constitutionibus

bus, quas mordere nititur, m nunquam errasse. Quia iuxta Prophetam, nec in Galaad resina, nec medicus deest.

a Vide mansuetudinem, Itaq; agninum illum balatum simulat, qui sic ferociter rugiebat modo, ut tonitru uocis suæ omnes conterrebat.
b Ah mitius, Quasi aliquis ignoret, quo processurus fueris.
c Etiam posthac, Luthere, ne credas eis, cum locuti fuerint tibi bona. Habitatio enim eorum in medio doli, & loquuntur quidem cum proximo suo pacem, mala autem in cordibus eorum.
d Fatetur periculum esse in accessu.
e Scimus, Emebas hominis sanguinem, ut pro libitu tuo effunderes.
f Tu quidem nihil metuebas, nisi hoc quod euenit, non accessurum eum.
g Nota, perfectam charitatē habet Leo. Quis paulo ante credebat hoc?
h Ab exemplo.
i An in occulto locutus est, qui totam pene Europam prædicationis suæ auditu impleuit?
k Hoc quidem credimus, semel abs te acceptum illum, nunquam fuisse postea quidquam locuturum.
l Tu ne coges nescire homines quæ uident, quæq; sciunt? Quid tandem non permittis tibi? Illam omnium malorum sentinam, illud omnium pessimorum scelerum domicilium, omnis labis, omnisq; fœdissimæ turpitudinis receptaculum, illud publicæ uitæ contagium, communem pestilentiam, urbem Romam persuadebis nobis non esse talem?
m Nihil ne te pudet Pontifex? Ad nullum mendacium frontem mutas? Sed nihil horum scriberes, nisi te ab omni honestate auersum traheret pecuniæ studium.

Sed obaudiuit semper, & prædicta Citatione, omnibusq; & singulis supradictis spretis, a uenire contempsit, ac usq; in præsentem diem cōtumax, atq; animo indurato censuras ultra annum sustinuit, Et quod deterius est, addens mala malis, de Citatione huiusmodi noticiam habens, b in uocem temerariæ Appellationis prorupit ad futurum Concilium, c contra constitutionem Pij II. ac d Iulij II. prædecessorum nostrorum, qua cauetur, taliter appellantes e hæreticorum pœna plectendos (Frustra etiam Concilij auxilium implorauit, f qui illi se non credere palam profitetur) Ita ut contra ipsum, tanquam de fide notorie suspectum, imo uere hæreticum, absq; ulla Citatione, uel mora, ad condemnationem & damnationem eius, tanquam hæretici, ac omnium & singularum suprascriptarum pœnarum & censurarum seueritatem procedere g possemus, Nihilominus h de eorundem Fratrum nostrorum consilio, omnipotentis i Dei imitantes clementiam, qui non uult mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat, omnium iniuriarum hactenus nobis & apostolicæ Sedi illatarum obliti, omni k qua possumus pietate uti decreuimus, l & quantum in nobis est, agere, ut proposita mansuetudinis uia, ad cor reuertatur, & a prædictis recedat erroribus, ut ipsum, m tanquā Filium illum prodigum n ad gremium Ecclesiæ reuertentem benigne recipiamus.

a Quis

a Quis ignorat, cur tantopere cupias Romæ uidere Lutherum?
b Hoc illud tandem est nefas, omni scelere sceleratius, appellare ad futurum Concilium.
c Impiam scelesti impostoris cōstitutionem nobis obijcis. Quis accipiet, eorum præsertim, qui iam oculos receperunt? O fraudem atque uiolentiam.
d Sanctum hominem commemoras.
e Hoc tandem est ius & fas omne auferre, & implere donū Domini Dei iniquitate & dolo. Quod abs te quæro. Creditis ne esse Pontifices, illum superne Iudicem, qui aliquando hanc a uobis rationem exacturus sit? Profecto non creditis. Neque enim si Deum esse putaretis, sic confidenter omnia peruerteretis. Iam igitur optima conscientia recedimus a uobis. Seducitis nos enim, & quantum in uobis est, perditis.
f Quid ais interfector Conciliorum? Hoc ne Lutherus facit?
g Quod potuit, non uoluit. Quis accusat Leonem?
h Vide modestiam Reuerendissimorum.
i O clementiam incredibilem, Et Leonem quidem nemo putauit posse tam clementem esse, præsertim quando occidere posset.
k Etiam pius esse Leo posset, modo rapientem eum & grassantem iugiter ferremus.
l Quid niteris bonam ostendere uiam tuam, ad quærendam dilectionem, qui in superbia & malicia tua docuisti uias tuas, & in alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum & innocentum?
m Heu prodigum Lutherum, qui sic largiter profudit euangelicam doctrinam.
n Quoties inculcandū est, in Ecclesia tua, nolle uersari nos, neque cum Copiistis tuis uelle tibi adsentari? Quin tu potius ad sanitatem redis, proijciens auariciam ex calumnia, & excutiens manus tuas ab omni munere.

Ipsum igitur Lutherum, & quoscunque ei adhærentes, eiusque receptatores & fautores [a] per uiscera misericordiæ Dei nostri, [b] & per aspersionem sanguinis Domini nostri Ihesu Christi, quo, & per quem humani generis redemptio, & sanctæ matris Ecclesiæ ædificatio facta est, ex toto corde hortamur & obsecramus, ut ipsius Ecclesiæ pacem, unitatem & ueritatem, pro qua ipse Saluator tam instanter orauit ad Patrem, [c] turbare desistant, & a prædictis tam perniciosis [d] erroribus prorsus abstineant, [e] inuenturi apud nos, si effectualiter paruerint, & paruisse per legitima documenta nos certificauerint, [f] paternæ charitatis affectum, & apertum mansuetudinis & clementiæ [g] fontem.

a Hæc te misericordiæ uiscera induere iubet Paulus, simul benignitatē, humilitatem, modestiam & patientiam, quem nos uidemus magno etiam cum dolore nostro, contra indutum, pro misericordia crudelitatem, pro patientia iracundiam, pro iusticia iniquitatem, & ut semel dicam, pro uirtutibus uitia, id est, pro Christo Deo Antichristum diabolum.
b Miror talis cum sis, hæc posse loqui te interim, sic fingere, sic simulare & dissimulare.
c Secure uult regnare Decimus, sed uereor ut possit, sic commota Germania.
d Quippe unde fames tot Reuerendissimorum, & penuria ipsi Domino imminet?

Facile

e Facile credimus empturum magni te, ut uerum taceamus, tibiq; permittentes regnum, ipsi omnes tam iniquo Domino seruiamus tibi.
f Apagesis, charitatem tuam, Pater Leo, quam scimus qualis sit.
g Clementiæ & mansuetudinis fontem audes dicere te? O iniquitatem. At certe isti sunt fontes aqua carentes, næ bullæ quæ a procella feruntur, quibus caligo tenebrarum in æternum seruata est. Itaq; nihil agis, Leo, uel sic fingens te. Non enim derelinquemus fontem aquæ uiuæ Dominum, & fodiemus nobis cisternas, quæ non ualebunt aquam continere.

2. Pet. 2.

Inhibentes a nihilominus eidem Luthero ex nunc, ut interim ab omni prædicatione, seu prædicationis officio omnino desistat. b Alioqui ut ipsum Lutherum, si forte iusticiæ & uirtutis amor a peccato non retrahat, indulgentiæq; spes ad pœnitentiam non reducat, c pœnarum terror coerceat disciplinæ, eundem Lutherum, d eiusq; adhærentes complices, e fautores & receptatores tenore præsentium requirimus, & monemus in uirtute sanctæ obedientiæ, & sub prædictis omnibus & singulis pœnis, eo ipso incurrendis, districte precipiendo f mandamus, quatenus g infra sexaginta dies, quorum uiginti pro primo, uiginti pro secundo, & reliquos uiginti dies pro tertio & peremptorio termino assignamus, ab affixione præsentium in locis infra scriptis, immediate sequentes numerandos, Ipse Lutherus, complices, fautores, adhærentes, & receptatores prædicti a præfatis erroribus eorumq; prædicatione ac publicatione & assertione, defensione quoq;, & librorum seu scripturarum editione, super eisdem, siue eorum aliquo, omnino desistant: librosq; ac scripturas omnes & singulas, præfatos errores, seu eorum aliquos quomodolibet continentes, h comburant, uel comburi faciant. Ipse etiam Lutherus errores & assertiones huiusmodi omnino i reuocet, k ac de Reuocatione huiusmodi per publica documenta l in forma iuris ualida, in manibus duorum Prælatorum consignata, ad nos infra alios similes sexaginta dies m transmittenda, uel per ipsummet (si ad nos uenire uoluerit, n quod magis placeret) cum præfato plenissimo saluo conductu, quem exnunc concedimus, deferenda, nos certiores efficiat, ut de eius uera obedientia o nullus dubitationis scrupulus ualeat remanere.

a Veritatem prædicare uetat Lutherum. Neq; enim patientes eius sunt Vrbis aures. Sed ille non parebit, postquam semel uiam ueritatis elegit.
b Omnia pertentat, &, quod aiunt, omnem mouet lapidem, ut ne regno excidat. Tam inuiti exiguntur tyranni.
c Adhuc mouere istos nos terrores existimat, non nouit, Germania quantum immutata sit, discere.
d Vereor quo euadat. e Dij immortales, quantum bonorum hominum Romam uocat, Non capiet Vrbs. Sed tu uide, Leo, ne te oneres hospitibus nimis multis, Me quidem, si audient alij, ueniemus tibi.
f Domine Deus, possederunt nos Domini absq; te, tantum in te recordemur nominis tui.

g Non satis dierum est, Decime, podagricis quibusdam & aliter morbosis, qui in lecticis adportandi sunt, ac illis etiam decrepitis, qui tripodes ambulabunt.
h Obtinuisti. Ardent, sed in cordibus bonorum, o perniciosum tibi incendium, iam extingue, si potes.
i Reuocabit & reclamabit, neq; unquam repetere cessabit ueritatis uerbum, ne qua illud obliuio perimat.
k Caute. l Id est, in forma cameræ apostolicæ.
m Transmittet, si me audiret, ut uideas magno cum dolore tuo.
n Tunc enim liceret interficere tibi prædicatorem ueritatis. Non absq; causa toties allicis Lutherum. o Nimium caues.

Alias, si (a quod absit) Lutherus præfatus, complices, fautores, adhærentes & receptatores prædicti secus egerint, seu præmissa omnia & singula infra terminum prædictum cum effectu non impleuerint, Apostoli imitantes doctrinam, qui hæreticum hominem post primam & secundam correctionem uitandum docuit, b exnunc prout extunc & econuerso eundem Lutherum, complices, adhærententes, fautores & receptatores præfatos, & eorum quemlibet, tanquam aridos palmites, in Christo non manentes, sed doctrinam contrariam, catholicæ fidei inimicam, siue scandalosam, seu dam natam, in non modicam offensam diuinæ maiestatis ac uniuersalis Ecclesiæ, & fidei catholicæ detrimentum, & scandalum dogmatizantes & prædicantes, c claues quoq; Ecclesiæ uilipendentes, notorios & pertinaces hæreticos eadem authoritate fuisse & esse declarantes, eosdem, ut tales harum serie condemnamus, & eos pro talibus haberi ab omnibus utriusq; sexus Christifidelibus supradictis uolumus, & mandamus. Eosq; omnes & singulos omnibus supradictis & alijs contra tales a iure inflictis pœnis præsentium tenore subijcimus, d & eisdem irretitos fuisse & esse decernimus & declaramus.

d Neq; enim e re tua erit.
b Pulchra loquutio. En stylum Romanæ Curiæ.
c Non uidebamus claues, iam Imperator Leo, Tu enim gladios usurpaueras, quem uidimus, multis cum milibus in Vrbini Ducem ferri, ac sanguinem Christianorum fundere.
d Hoc illud est Apostoli, cum rete, quo capiuntur homines ut pereant. O nouitatem.

Inhibemus præterea sub omnibus & singulis præmissis pœnis eo ipso incurrendis, omnibus & singulis Christifidelibus superius nominatis, ne Scripta a etiam præfatos errores non continentia, ab eodem Luthero quomodolibet condita uel edita, aut condenda uel edenda, seu eorum aliqua, tanquam ab homine orthodoxæ fidei inimico, atque ideo uehementer suspecta, & b ut eius memoria omnino deleatur de Christifidelium consortio, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, siue defendere, per se, uel alium seu

ſeu alios c directe uel indirecte, tacite uel expreſſe, publice uel occulte, ſeu in domibus ſuis ſiue alijs d locis publicis uel priuatis tenere quoquo modo præſumant, quinimo illa comburant, ut præfertur.

a Etiam ſana Lutheri ſcripta damnas? & cum zizanijs una optimam etiã ſegetem euellis & comburis? Vel hoc uideris impie agere, ac tui obliuiſci.
b Memoriam deles eius, quem in gratiam modo, ſi reſipiſceret, accipiebas. His moribus intolerabilem te facis, & ut deſtruant te boni omnes.
c At per cancellos, dic mihi, nũquid inſpicere licebit? Et uos miror, quid in tanto ocio facitis Romę, quo minus latine loqui diſcatis, Talis eſt barbaries.
d Etiam non criptis.

a Monemus inſuper omnes & ſingulos Chriſtifideles ſupradictos ſub eadem excommunicationis latæ ſententiæ pœna, ut hæreticos prædictos declaratos & condemnatos, mandatis noſtris non obtemperantes, poſt lapſum termini ſupradicti b euitent, & quantum in eis eſt, euitari faciant, nec cum eiſdem uel eorum aliquo commercium aut aliquam conuerſationem, ſeu communionem habeant c nec eis neceſſaria miniſtrent.

a Audi alium Leonis rugitum, quo de a Sophonia uate perſcriptum eſt olim: Principes in medio eius, quaſi leones rugientes. Vbi mirificus eſt Hieronymus, quem hic noſter ſolum colit?
b Soli ſumus.
c Etiam matulam non porrigent.

a Ad maiorum præterea dicti Lutheri ſuorumq; complicum, fautorum & adhærentium, ac receptatorum prædictorum ſic poſt lapſum termini prædicti declaratorum hæreticorum, & condemnatorum b confuſionem, uniuerſis & ſingulis utriuſq; ſexus Chriſtifidelibus, Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, patriarchalium, metropolitan. & aliarum cathedralium, collegiatarum, ac inferiorum Eccleſiarum prælatis, capitulis, alijsq; perſonis eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorum uis ordinum, etiam Mendicantium (præſertim eius congregationis, cuius dictus Lutherus eſt profeſſus, & in qua degere, uel morari dicitur) regularibus, exemptis, & non exemptis, Necnon uniuerſis & ſingulis Principibus, quacunq; eccleſiaſtica uel mundana fulgentibus dignitate, Regibus, Imperatoribus, Electoribus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, conductoribus, domicellis, communitatibus, Vniuerſitatibus, potentatibus, ciuitatibus, terris, caſtris & locis, ſeu eorum habitatoribus, ciuibus & incolis, omnibusq; alijs & ſingulis ſupradictis per uniuerſum orbem, præſertim in eadem Alemania conſtitutis mandamus, quatenus c ſub prædictis omnibus & ſingulis pœnis, ipſi uel eorum quilibet præfatum Lutherum, complices, adhærentes, receptatores & fautores perſonaliter d capiant, & captos

ad nostram instantiam retineant, & ad nos mittant. e Reportaturi pro tam bono opere, a nobis & Sede apostolica remunerationem, premiumque condignum, uel saltem eos, & eorum quemlibet de metropolitan: cathedralibus, collegiatis & alijs Ecclesijs, domibus, monasterijs, conuentibus, ciuitatibus, dominijs, uniuersitatibus, communitatibus, castris, terris ac locis respectiue, tam clerici & regulares, quam laici omnes & singuli supradicti, omnino expellant.

a Brachium seculare excitabit hic rugitus.
b Confundantur omnes inique agentes superuacue.
c Vide, quomodo Ecclesiam non amore, ut Christus, societ, sed ui ac terrore, ut tyranni, cogat, Quis ferret talem Pastorem?
d Nunc tandem expediebat, plures esse Curtisanos, qui tantum hominum cogerent.
e Premium pollicitum ijs, qui nos prodiderint, & precio paciscitur proscriptorum capita. Vere Romanus est. Dic mihi uero, Decime, quid facies in die uisitationis & calamitatis de longe uenientis? Non fugis a futura Dei ira?

Ciuitates uero, dominia, terras, castra, uillas, comitatus, fortilitia, oppida & loca quæcunque ubilibet consistentia, earum & eorum respectiue, Metropolitan: Cathedrales, Collegiatas & alias Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus, Conuentus, & alia loca religiosa, uel pia, cuiuscunque ordinis (ut præfertur) ad quæ præfatum Lutherum, uel aliquem ex prædictis declinare contigerit, quamdiu ibi permanserit, & triduo post recessum, ecclesiastico a subijcimus interdicto.

a Interdicit sacris, En pietatem eius Pontificis, qui se pacificum appellari nuper, quasi nouus orbi Salomon illuxisset, uoluit.

Et ut præmissa omnibus innotescant a mandamus insuper uniuersis, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, patriarchaliū, metropolitan: & aliarū cathedralium ac collegiatarum Ecclesiarū Prælatis, Capitulis, alijsque personis ecclesiasticis, secularibus & quorumuis ordinum supradictorum regularibus Fratribus, Religiosis, Monachis, exemptis & non exemptis supradictis ubilibet, præsertim in Alemania constitutis, quatenus ipsi, uel eorum quilibet sub similibus censuris, & poenis eoipso incurendis, Lutherum, omnesque & singulos supradictos, qui elapso termino, huiusmodi mandatis seu monitis nostris non paruerint, in eorum Ecclesijs, dominicis & alijs festiuis diebus, dum inibi maior populi multitudo ad diuina conuenerit, declaratos hæreticos & condemnatos publice nuncient, faciantque, & mandent ab alijs nunciari, & ab omnibus arctius euitari. Necnon omnibus Christifidelibus, ut eos euitent pari modo, sub prædictis censuris & poenis. Et præsentes Literas, uel earum transsumptum sub forma infra scripta factum in eorum

Ecclesijs

Ecclesijs, monasterijs, domibus, conuentibus, & alijs locis, legi, publicari, atq; affigi faciant.

a Nihil facit aliud, quam mandat, iubet, imperat, decernit, uetat, inhibet, terret, minatur, Nimirum Imperatorem ostendit se. Verum heus tu, Leo, ne superbi, Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

a Excommunicamus quoq; & anathematizamus omnes & singulos cuiuscunq; status, gradus, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, aut excellentiæ fuerint, qui, quo minus præsentes Literæ uel earum transsumpta, copiæ, seu exemplaria, in suis terris & dominijs legi, affigi & publicari possint, fecerint, uel quoquo modo procurauerint, per se uel alium seu alios, publice uel occulte, directe uel indirecte, tacite uel expresse.

a Tandem ad ultimũ euadit leonina feritas, Vbi si in isto musicorũ tuorum strepitu licet audire tibi, Leo, scire cupio, quã cõfidentia hoc agas. Putas ne in tua esse potestate interficere animas, quę non moriuntur, & uiuificare, quæ non uiuunt? Quare autem mentiris populo Dei credenti mendacijs? An nefas esset hoc, si non solum sceleratam hanc a nobis Bullam, & omnes huic similes fortiter arceremus? Sed & ipsos occideremus publice Bullarum caupones?

a Postremo, quia difficile foret præsentes Literas ad singula quæq; loca deferri, in quibus necessarium foret, Volumus, & Apostolica autoritate decernimus, quod earum transsumptis manu publici Notarij confectis & subscriptis, uel in alma Vrbe impressis, & sigillo alicuius Ecclesiastici Prælati munitis, ubiq; stetur, & plena fides adhibeatur, prout originalibus Literis staretur & adhiberetur, si forent exhibitæ uel ostensæ.

a Huic difficultati subuenientes, denuo edendam curauimus, Multum enim nostra interest, talem tuam tam splendidam Bullam latissime circumferri.

Et ne præfatus Lutherus omnesq; alij supradicti, quos præsentes Literæ quomodolibet concernunt, ignorantiam earundem literarum, & in eis contentorum omnium & singulorum prætendere ualeant, literas ipsas in basilicæ principis Apostolorum, & cancellariæ Apostolicæ, necnon cathedralium Ecclesiarum Brandenburgen. & Misnen. et Mersburgen. ualuis affigi & publicare deberi uoluimus, Decernentes, quod earundem literarum publicatio sic facta, supradictum Lutherum, omnesq; alios & singulos prænominatos, quos Literæ huiusmodi quomodolibet concernunt, perinde arctent, ac si Literæ ipsæ die affixionis & publicationis huiusmodi, eis personaliter lectæ & intimatæ forent. Quum non sit uerisimile, quod ea, quæ tam patenter fiunt, debeant apud eos a incognita remanere.

a At cognoscimus, sed non agnoscimus, Hæc tandem est hebetudo nostra.

a Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apo-

ſtolicis, ſeu ſupradictis omnibus & ſingulis, uel eorum alicubi, aut quibuſuis alijs a Sede apoſtolica prædicta, uel ab ea poteſtatem habentibus, ſub quauis forma, etiam confeſſionalis, & cum quibuſuis b etiam fortiſſimis clauſulis, aut ex quauis cauſa, ſeu grandi conſideratione indultum, uel conceſſum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, uel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de uerbo ad uerbum, non autem per clauſulas generales, id importantes de indulto huiuſmodi mentionē, eiuſdem indulti tenores, cauſas, & formas, perinde ac ſi de uerbo ad uerbum insererentur, ita ut omnino tollatur, præſentibus pro expreſſis habentes.

a Omnia perrumpit hoc fulmen, etiamſi apoſtolicum opponatur quid. Atq; ita Satanam expellit ſatanas, ut ſpes ſit, diuiſum eius intra ſe regnum, mox ruiturum. b Adamantinis illis, & maximi emptis.

a Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ b damnationis, reprobationis, reiectionis, decreti, declarationis, inhibitionis, uoluntatis, mandati, hortationis, obſecrationis, requiſitionis, monitionis, aſſignationis, confeſſionis, cōdemnationis, ſubiectionis excommunicationis, & anathematizations infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, c indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum.

a Vtinam omnes legant, ac intelligant, ut qualis ſit arbor, ex fructu arboris pernoſcant. Hoc in primis optamus Decime, Tantum abeſt, ut refugere hoc tuum edictulum uolumus. Sit hoc igitur anteactæ uitæ teſtimonium tibi, Hic te fœtus probet.

b Sexcentis nominibus inſcribit tale ſuum tantum decretum Decimus.

c Quam in tua manu habes. Nam quid omnium eſt, quod non arrogetis uobis Pontifices? Quibus nos uiciſſim cum Tertulliano reſpondemus, Cum damnamur a uobis, a Deo abſoluemur. Hoc nos dirimat.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, Anno incarnationis dominicæ M. D. X X. 17. Kalen. Iulij, Pontificatus noſtri anno octauo.

Viſa R. Milaneſius

Albergatus.

AD LEONEM X.

HAEc ſuper Bulla tua habuimus, Pontifex Leo, quam præſtabat Romæ cōtineri apud ſanctum Petrum, ut perpetuo lateret, quam tanto cum pudore, (ſi te modo pudet dedecoris) foras & in lucem emitti. Quare ne non ſemper aliquid recte moneamus te, preciumoperæ eſt, iſti tuæ licentiæ modum ſtatuere, & petulantes huius generis Bullas frenare, ne plus æquo ſe effundant, Paulus iubet etiam a ſpecie mali abſtinere te,

tanto

tanto minus debes apertum te offendiculum præbere populo Christiano, cui iam persuasum ipsi quoque est, in Germania præsertim, ex Pontificialibus constitutionibus, ut numi uulgo sunt, tanto quamque deteriorem esse, quanto sit recentior. Noli uero commutare ueritatem Dei in mendacium, & humanas uestras constitutiones ab auaricia & ambitione depromptas diuinis præferre mandatis, & Dei uerbo.

Illud in primis desiste, amore lucri diuinæ Scripturę sensum iniquis detorquere modis, & ab se alienum reddere, ac fascinare fidelium mentes, ne ueritati obediant. Nam quid coneris, tam manifestis tuis flagicijs boni speciem inducere, cum possim, si in concertationem me perduxeris, unum in Germania Episcopum ostendere omnibus, a quo ui ac fraude extorsisti quater sexagies mille aureos. Est hoc tondere oues? Aut spelunca latronum facta est domus Domini?

Tandem cupiditatibus tuis obsiste, atque istā tempera rapacitatē tuam, confidens in uerbis mendacij, ac dicens quotidie: Templum Domini, templum Domini, & Pax, pax, cum non sit pax. Nam ut hominum genus fallas his fraudibus, non potes illum latere cordium scrutatorem, qualis sis, Memineris uero flagelli inundantis ubi transibit, ne ueniat super te & Pseudecclesiam istam tuam, totamque semel conculcet pessimorum Romæ hominum colluuiem. Quid enim Romæ habes, præter infinitum illum musicorum tuorum & adsentatorum gregem, nisi meros fures, meros impostores. fraudatores, prædones, aut aliter malos homines, qui quasi aucupes ponunt laqueos & pedicas, ad capiendum quotidie hinc aliquid?

Parcius præterea lacesse ueritatis adsertores, ne malum ultro tibi concilies. Iam hoc enim clamant cum Propheta passim multi: Quia corruit in plateis ueritas, & æquitas non potuit ingredi. Et facta est ueritas in obliuionem, & qui recessit a malo, predæ patuit. Quare meum est consilium, ne unquam in mentem ueniat tibi, ulterius persequi Lutherum, cum ijs una, quos ille commouit. Plures sunt enim, quam ut uel tibi uel ulli Episcopo liceat tantum animarum, si possitis etiam perdere. Vides iam ante mussitatum esse passim contra te, quod tam leuiter, & nulla de causa, istud tuum fulmen iaculeris, quod non consideras, si in contemptum aliquando uenerit, quantum offendiculi uulgo pariturum sit.

Igitur mansuesce, & charitatis non fictæ illius, sed Christianæ & sinceræ officium fac. Exhibe te formam nobis ad imitandum, ac illud cura, non ut explearis tu, sed ut nos pascamur. Quod ut decreueris, tum scientia posthac pasce nos & doctrina, non Bullis. Iam pertesum est harum enim. Indulgentias uero tuas nauseamus, ut æque nihil. Pontificiæ dotes sunt, sapientia, puritas, castitas, & rerum omnium contemptus. Has amplectere. Sic enim fiet, ut colat te Germania, cum amare uiderit, non oppugnet, ubi terrere persenserit. Decet autem beneuolentia uincere te omnes, ui cogere neminem. Hæc libere, sed uere, ut & res sunt, & tempora ferunt.

Vale. Ex Germania

Disrumpamus uincula eorum, & proijciamus a nobis iugum eorum.

DIsputationum plurimarum materiæ, quæ a reuerendo D. Martino Luthero ab anno Christi M. D. XIX. usq; ad annum M. D. X L V. propositæ sunt in schola, & fideliter explicatæ, in quibus animaduertet pius Lector, postquam Aduersarij puræ doctrinæ Euangelij oppugnare res ueras a D. Luthero traditas, ceperunt, paulatim doctrinam salutarem magis magisq; illustratam esse, Multum enim lucis addunt Propositionibus prioribus sequentes. Cum autem præcipui articuli doctrinæ Christianæ in his Propositionibus erudite & perspicue explicentur, Sæpe legendæ sunt, & lectæ pios utiliter erudient & confirmabunt.

PHILIPPVS MELANTHON LECTORI S. D.

CONGessi in aceruum aliquot Propositiones D. Lutheri, cum ob alias causas, *tum quia* graues quosdam locos doctrinæ Christianę *continent*, qui ex his breuibus Sententijs melius cognosci possunt, quam ex magnis aliorum uoluminibus. Hæ sententiæ primum restituerunt in lucem Puram Euangelij doctrinam de pœnitentia, de usu Sacramentorum, de iustificatione, quod fide propter Christum Filium Dei accipiamus remissionem peccatorum & reconciliationem, & iusti reputemur, non propter nostra opera. Hæ res antea iacebant obrutæ nugacissimis disputationibus Theologorum & Canonistarum, Id quod tunc fatebantur illi ipsi, cum hæc primum nascerentur, apud quos nunc capitale est, Lutherum nominare.

Si quis expenderit, quantam utilitatem adferat pijs mentibus horum locorum cognitio, qui in his Disputationibus patefacti atq; illustrati sunt, intelliget se plurimum Deo pro his spiritualibus donis debere, quæ magnopere ad Christi beneficia cognoscenda, & ad Scripturas intelligendas conducunt.

Cum autem hæc scripta nonnulli summa ui conentur opprimere, decet uiros bonos ea pro uirili defendere, & ab interitu uindicare. Quod si non licebit ea proferre in consessus Monachorum et Pontificum, in tam iniquis iudicijs, legent tamen Christiani, & tanquam intus canent, uel ad docendas, uel etiam ad confirmandas conscientias hac doctrina, quæ Christi gratiam non obscure prædicat.

Vale.

D. MAR.

D. MARTINVS LVTHERVS PIO LECTORI.

Isputationes seu Propositiones meas à principio causæ meæ contra Papatum & Sophistarum regnum tractatas, patior extrudi, Maxime, ne me extollat magnitudo causæ, & successus in ea diuinitus mihi datus. Nā in his palam ostenditur mea ignominia, id est, infirmitas & ignorantia, quæ me in principio coegerunt rem tentare cum summo tremore & pauore.

Vnus eram, & per imprudentiam in istam causam lapsus, cum non liceret referre pedem: in multis & magnis articulis Papæ, non solum cedebam, sed etiam ultro adorabam. Quis enim ego eram, miserrimus tunc fraterculus, cadaueri similior quam homini, qui Maiestati Pontificis contrairem? A cuius facie, non solum Reges terrarum & totus orbis, sed ipsum cœlum & trina (ut dicitur) rerum machina pauebant, & ab eius nutu pendebant?

Quæ & qualia cor meum isto primo & secundo anno passum fuerit, quantaq; fuerit mea tum non ficta humilitas, ac pene desperatio, ah q̄ parum norunt illi, qui postea uulneratam Pontificis Maiestatem cœperunt superbissime inuadere, Et cum non fecissent hos uersiculos (ut Vergilij uerbis utar) tulerunt tamen honores, quos tamen illis libenter fauebam.

Ego uero, dum illi spectatores essent, & unum me sinebant periclitari, tam lætus, confidens & certus non fui. Multa enim ignorabam quæ nunc scio. Deniq; de Indulgentijs, quid essent, prorsus nihil sciebam: Sicut nec ipse totus Papatus quicq̄ de eis sciebat: Tantum usu colebantur & consuetudine. Ideo non disputabam, ut eas tollerem, sed cum pulchre scirem, quid non essent, cupiebam discere, quid nam essent. Et cum Magistri mortui seu muti, id est, libri Theologorum & Iuristarum, mihi non satisfacerent, statui uiuos consulere, & ipsam Ecclesiam Dei audire: Vt si qua reliqua essent usquam organa Spiritus sancti, mei misererentur, & simul in communem utilitatem, me de Indulgentijs certiorem redderent.

Hic multi boni uiri meas Propositiones extollebant, sed hos, ut Ecclesiam aut organa Spiritus sancti agnoscerem, fuit impossibile.

Papam,

Papam, Cardinales, Episcopos, Theologos, Iuristas, Monachos, suspiciebam, & ex his spiritum expectabam. Ita enim crapula & ebrietate doctrinæ ipsorum eram distentus, ut ipse me nec dormientem, nec uigilantem sentirem. Et cum omnia argumenta superassem per Scripturas, hoc unum cum summa difficultate & angustia, tandem Christo fauente, uix superaui, Ecclesiam scilicet esse audiendam. Pertinacius & reuerentius multo (quia uero corde faciebam) Ecclesiam Papæ pro uera Ecclesia colui, quam isti turpes Sycophantæ, qui hodie ecclesiam Papæ contra me iactant. Ego si sic Papam contempsissem, sicut eum nunc contemnunt sui laudatores, putassem me eadem hora absorbendum, cum Chore & suis.

Sed ut redeam, Cum ita Ecclesiæ & Spiritus sancti expectarem sententiam, mox indicitur mihi silentium, & allegatur consuetudo. Ego territus autoritate nominis Ecclesiæ, cessi, & Cardinali Caietano Augustæ obtuli silentium, humiliter petens, ut & clamoribus aduersæ partis pariter silentium indiceret. Ille uero non solum hoc denegauit, sed addidit: Nisi reuocarem, sese damnaturum omnia, quæcunque docuissem, Docueram autem iam Catechismum non paruo fructu, quem damnari non oportere sciebam, neque mihi hoc ferendum esse, nisi uellem Christum abnegare. Ita uentum est ad hanc necessitatem, ut cogerer extrema tentare & expectare.

Cardinalis Caietanus.

VErum non nunc historiam meam texere, sed meas stulticias, ignorantias, infirmitates confiteri uolui, ne quis me (ut Paulum sequar) existimet supra id, quod uidet in me, & me hominem fuisse, & esse nihil dubitet, si quis tamen dubitare possit, *in tantis* offensionibus, Simul ut exemplo meo terrerem audaculos, & crucis ac Satanæ imperitos (superbos uolo dicere) Scriptorculos, quibus iam nihil est Papam, imo Satanam ipsum uincere, Lutherus est petendus, hoc uicto, Satan est illis ridiculum.

Quid faciam? Quomodo potui, etiam si essem Angelus, diuinare, tales mihi in tergum insurrecturos esse hostes sub nomine meo? Sed quid ego stultus conqueror? cum nulli fuerint hostes Christi & Dei peiores, quam qui sub nomine Christi & Dei, Christum & Deum persecuti sunt. Lege scripturas, & uidebis, quid Prophetis, Apostolis, omnibus Sanctis acciderit. Verum est illud Michæ, imo Christi: Inimici hominis, domestici eius. Christus nunquam fuisset crucifixus, nisi pessimum Diabolum inter Apostolos Iudam aluisset & extulisset.

Sed tamen has meas infirmitates & stulticias, optime frater, tibi confi-

confiteor ut tu quoque discas humiliter sapere, sciens certo & uerissime Satanam non esse mortuum, sed adhuc Principem esse, non unius hominis, nec unius regionis, sed totius mundi, cuius potentiæ, astutiæ & malitiæ nemo non est subiectus, nisi unus Christus, & qui sunt uere Christi.

Quare non est quod securi simus, & superbe agamus, & nosipsos miremur, in gloria donorum excellentium supra reliquos homines. Vides hic, si licet saltem hoc gloriari, ex quanta infirmitate me Dominus prouexerit in uirtutem, ex quanta ignorantia, in scientiam, ex quanto tremore in fortitudinem, Non certe sine agonibus & tentationibus, ut isti audaculi & læti Scriptorculi præsumunt. Nec tamen eo perueni, quo illi iam dudum sibi peruenisse uidentur. Nam ut Papam & Maiestatem eius nunc non formidem, tamen Deum Papæ adhuc formidare cogor, pene magis quam a principio.

Summa, Nos nihil sumus, Christus solus est omnia, qui si auertat faciem suam, nos perimus, & Satan triumphat, etiam si S. Petri & Pauli essemus. Humiliemus igitur animas nostras sub potenti manu Dei, ut exaltet nos in tempore suo. Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sicut Deo sacrificium est Spiritus contribulatus, Ita haud dubie, sacrificium Diaboli est Spiritus præfractus & securus. Vale in Domino, & si opus tibi sit, meo labore & exemplo melior efficiare.

DISPV-

DISPVTATIONES
MARTINVS LVTHERVS SVBIECTAS SENTENtias diſputauit.
Anno M. D. XIX.

1 BEAtus eſt, qui uiuit ut uult.
2 Igitur nemo beatus eſt, niſi qui deliciatur in lege Domini.
3 In lege factorum, non deliciatur homo, niſi per legem fidei.
4 Errat, qui legem fidei, a lege factorum, aut membrorum non ſeiungit.
5 Errat item, qui inter legem diuinam & humanã non diſcernit.
6 Vim ui repellere, lege humana conſtat.
7 Diuina lex imperat, & pallium cedendũ eſſe tollenti tunicam.
8 Lex humana, non conſentiens diuinæ, iniuſta eſt.
9 Lex diuina concludit omnes homines ſub peccatum.
10 Non ideo ſequitur, Deum impoſſibilia mandaſſe.
11 Nam quod erat impoſſibile per legem factorum, poſſibile factum eſt lege fidei.
12 Igitur iugum Domini ſuaue eſt, & onus leue.
13 Siquidem fide iuſtificamur, conſectaneum eſt & Sacramenta non niſi per fidem in Chriſtum efficacia eſſe.
14 Quæ fides, ut huius ſit operis, ꝙ ſit in Sacramẽto, neceſſe eſt.
15 Nec niſi per mortem noſtri & crucem iuſtificamur.
16 Chriſto igitur ſit gloria, nobis confuſio.

QVAESTIO (VTRVM OPERA FACIANT AD IVSTIFICATIOnem?) a D. Martino Luthero diſputata.
Anno M. D. XX.

1 VT nihil iuſtificat niſi fides, Ita nihil peccat niſi incredulitas.
2 Iuſtificatio propria eſt fidei quarto modo, ſicut & peccatum incredulitatis.
3 Fides niſi ſit ſine ullis, etiam minimis operibus, non iuſtificat, imo non eſt fides.
4 Impoſſibile eſt, fidem eſſe ſine aſſiduis, multis & magnis operibus.

Nec ope-

5 Nec opera post iustificationem facta, iustificant, licet uocentur iusticiæ in Scriptura.

6 Nec opera ante iustificationem facta, a reum faciunt, licet uocentur peccata in Scripturis.

a Sed incredulitas, sine qua nullum est peccatum.

7 Natus ex Deo non peccat, nec potest peccare.

8 Qui dixerit se non peccare, mendax est, & ueritas in eo non est.

9 Quantum faciunt ad substantiam arboris fructus, tantum faciunt ad iustificationem & reatum opera.

10 Si in fide fieri posset adulterium, peccatum non esset.

11 Si in incredulitate adores Deum, actum idolatriæ perpetrabis.

12 Funditus perdit fides, tam operum bonorum fiduciam, quam malorum desperationem.

13 Fides minuit conscientiam in peccatis, & auget conscientiam in meritis.

14 Nisi nos omnes mendaces simus, Deus nobis uerax esse non potest.

15 Nullorum incredulitas ueritatem Dei euacuat.

16 Iniquitas nostra iusticiam Dei commendat, & tamen iustus est uindex iniquitatis.

17 Veritas Dei abundat in nostro mendacio, in gloriam eius, & tamen merito, ut peccatores iudicamur.

18 Licet facienda non sint mala, ut ueniant bona.

19 Facta tamen sunt & fiunt mala, ut ueniant bona.

20 Non fides aut iusticia ex operibus, sed opera ex fide & iusticia ueniunt.

QVAESTIO CIRCVLARIS DE SIGNIS GRATIAE &c. D. Marti. Luth. Anno M. D. XX.

1 Acramenta gratiæ, Christi passione & morte uirtutem esse sortita, concedimus.

2 Sed non esse talia, nisi in nouo Testamento, nec statim post lapsum Adæ fuisse, negamus.

3 Idem Christus, eademque fides ab Habel in finem mundi, per uaria secula regnauit in Electis.

Hebre. 13

4 Sed alia & alia eiusdem Christi & fidei signa fuerunt, quæ ue-
re sacramenta gratiæ dicuntur.

5 Non ergo mutatæ Circumcisionis aut oblationis in Baptis-
mum, causa fuit, gratiæ donatio.

6 Sed uoluntas sola Dei, quæ pro diuersitate temporum & ho-
minum, diuersis signis gratiam suam contulit.

7 Neq; enim Sacramenta unquam gratiam aut renissionem pec-
catorum dederunt, sed sola fides Sacramenti.

8 Sacramenta ueteris legis, per quæ gratiam Deus non dedit,
sola ceremonialia Aaronici sacerdotij fuerunt.

9 Hæ enim iusticiæ carnis fuerunt, quibus fuit impossibile auf-
ferri peccata, sicut nec per nostras ceremonias.

PROPOSITIONES DE FIDE INFVSA ET ACQVISITA &c. a D. Martino Luthero disputatæ. Anno M. D. XX.

1 ACcessuro ad Sacramentum, omnino est ne-
cessaria fides infusa.

2 a Fides acquisita, sine infusa, nihil est: in-
fusa, sine acquisita, est omnia.

a *Fides acquisita, infusa &c.*

3 Dicere fidem infusam non operari, sine ac
quisita, blasphemia est.

4 Fides acquisita, sine infusa, non operatur nisi malum.

5 Fidem acquisitam intelligere ex uerbo Pauli, Fides ex auditu,
error est.

6 Auditu horrendum est, quod Doctores Scholastici [b], non ne
cessarium esse bonum motum cordis, astruunt.

b *Bonus motus cordis necessarius.*

7 Si uelle occidere & similia, est obicem ponere, multo magis
non credere.

8 Homo extra fidem positus, necessario & semper habet obi-
cem gratiæ.

9 Qui uel [c] tollendi, uel non ponendi obicis homini dant po-
testatem, obicem suum non intelligunt.

c *Tollere, ponere obicem.*

10 Fides acquisita non modo non custodit, sed etiam euomit
uerbum Dei semper.

11 Fides acquisita, est penna Strutionis, sed infusa, est spiritus
uitæ.

12 Etiam sola fides infusa, satis est ad iustificationem impij.

13 Imo, nisi sola sit, sine ullis operibus, nihil est, neq; iustificat.

14 Ope-

14 Opera sequuntur iustificationem fidei infallibiliter, cum non sit ociosa.

15. Recte ergo dictum, Fides sine operibus est mortua, imo non est fides.

16 Fides infusa, tam actu & obiecto, quam habitu & fine, differt a fide acquisita.

17 Nullum Sacramentorum septem, in sacris literis nomine Sacramenti censetur.

18 Vnum solum habent sacrae literę Sacramentum, quod est ipse Christus Dominus.

19 Sacramenta noui Testamenti promittunt omnibus, dant uero solum credentibus gratiam.

20 Recte dictum est, Sacramenta ueteris Testamenti, non iustificasse, etiamsi in fide & charitate fierent.

ALIA DISPVTATIO DE NON VINDICANDO &c. a D. Martino Luthero habita.

Anno M. D. XX.

1 Hristianae religionis cultor illatam sibi iniuriam, nedum non ulcisci, uerum etiam malefacientibus benefacere debet.

2 Christi seruus, dum aliorum in se cōmissis ignoscit, suorum a Deo ueniam certissime accipit.

3 Sui offensam ulciscentes, & ad Dei conniuentes, Christiani censendi non sunt.

4 Christianus ob sui offensionem parum, magis ob proximi, ast ob Christi, maxime turbari debet.

5 Inimico condonatam iniuriam, habita oportunitate, opere non ostendentes, uerbi Dei transgressores arguuntur indubie.

6 Pontifices (neglecta Euangelij praedicatione) ad ceremoniarum cultum, siue quarumcunque rerum administrationem conuersi, a Samuele cum Saulo Iudaeorum rege audire merentur: Quoniam abiecisti sermones Domini, abiecit te Deus, ne sis Rex. 1. Sam. 15.

7 Praedicationis praecipua & sola a Christo Apostolis est facta commissio, Huic si Pontifices non paruerint, non modo Apostolorum non sunt successores, sed & Christi desertores.

8 Suas traditiones æque cum diuina Lege nitentes obseruare, non Christi & Apostolorum, sed Satanæ & Antichristorum uices gerere, apertis Scripturarum testimonijs conuincuntur.

9 Minimum Christi uerbum soluens, uniuersis hominum Decretis nequicquam est obediens.

10 Plus obedientiæ cuiuis uerbo Christi, etiam minimo, debetur, quam totius Ecclesiæ ordinationi.

11 Inobedientiæ crimen non incurrunt, qui hominum traditiones contra legem Dei non ducunt audiendas.

12 Inferior Superiorem peccantem fraterne corripiens, obedientiam illi debitam exhibuisse non negatur.

DISPVTATIO D. MART. LVTH. DE BAPTISMATE LEGIS, IOhannis, & Christi, habita Anno M. D. XX.

1 LEx baptisma carnis: Iohannes baptisma pœnitentiæ: Christus baptisma gratiæ habet.

2 Solius Christi baptisma sacramentum est, propter uerbum, quod in illo, & non in alijs, operatur.

3 Baptisma legis, membra, uestes, uasa lauabat, figurante Spiritu, exteriorē operum sanctitatē & Legis uelamen.

4 Baptisma Iohannis, reuelata facie legis, omnes peccato immergit, & gratiæ auidos facit.

5 Baptisma Christi peccato mersos, & auidos gratiæ, educit iustificatos, & nouas creaturas facit.

6 Vt baptisma legis pœnitentiam non præstabat, sed magis præsumptionem, donec in baptisma Iohannis desinebat.

7 Ita Iohannis baptisma gratiam non præstabat, sed magis desperationem, donec ad Baptisma Christi pertingebat.

8 Nihil repugnat Christi baptismati pertinacius, quam baptisma legis: & nihil pronius cedit, quam baptisma Iohannis.

9 Non tantum propter usum baptisandi in Christo futurum Iohannes baptisabat.

10 Sed ut tam officio proprio, quam ministerio occidentis literæ humiliatos ad Christum præpararet.

11 Videtur Christus baptisma Iohannis non euacuasse, sed addito uerbo uitæ seu promissionis perfecisse.

12 Ob quam causam baptisati a Iohanne, denuo baptisandi fuerunt baptismate Christi.

DISPV.

DISPVTATIO D. MART. LVTH. DE EXCOMMVNICATIONE &c.

Anno M. D. XXI.

1 ERrant Ecclesiarum prępositi, dum per Excommunicationem, uindictam sui, & sua quærunt.

2 Excommunicationis uirga, lugentium humilitate infligi debet, non sæuientium Pastorum fastu & superbia.

3 Nec satis est, si in re contra Dominum, formoso scribatur titulo: In Domino mandamus atq; requirimus.

1. Cor. 5. 4 Criminosum in carnis interitum tradi iussit Apostolus, ut Spiritus seruaretur. Igitur male sentiunt, qui per excommunicationem, Diabolo animam tradi putant.

5 Carnis interitus, in pœnitudine & per resipiscentiam fit, ad profectum Spiritus, & interioris hominis innouationem.

6 Deinde nec fraternam ab eo separauit charitatem Apostolus, quem de congregatione præcepit separari.

7 Excommunicandus propter animi maliciam & crimina publica, antequam uisibiliter excommunicatur, iam præcisus est.

8 Quocirca excommunicatio externa, signum duntaxat est excommunicationis interioris.

9 Excommunicatio externa non est efficax & infallibile signum interioris Excommunicationis, sed sæpe fallacissimum signum.

10 Iniusta excommunicatio externe excommunicato nõ nocet, sed soli excommunicanti & eidem consentientibus.

EPISCOPIS ET DIACONIS ECCLESIAE VVITTEMBERGENSIS,

de uoto Religionum disputantibus, Martinus Lutherus Seruus, hæc mittit.

Anno M. D. XXI.

Rom. 14. 1 OMne quod non est ex fide, peccatum est.

2 Hoc uerbum de fide illa unica iustificante dicitur.

3 Fides informis, acquisita, generalis, & quã docent prostibula Papæ, somnium est.

4 De qua nihil in Scripturis, nec nos nunc eius meminisse uolumus.

Fides. 4 Est autem Fides substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.

5 Hoc est, firma opinio, cōstansq; conscientia iusticię & salutis.

6 Quæ nullis prorsus operibus, sed sola miserentis Dei gratia paratur.

7 Fides nunquam est præteritarum rerum, sed semper futurarum.

Fides est rerum futurarum.

8 Idem enim Deus eademq; misericordia antiquis & nobis futura fuit.

9 Errant itaq; Sophistæ, Paulinam fidei definitionem præteritis tribuentes.

10 Non enim factis rebus, sed promissionibus Dei res facturi creditur.

11 Res enim uidentur, non creduntur. Factor autem omnium solum creditur.

12 Opus bonum fit aliquando opinione iusticiæ & salutis quærendæ per ipsum.

13 Hæc opinio, uniuersa impietas, infidelitas & idololatria est.

14 Et peccat in fidem, in promissionem ueritatis Dei, & in totam tabulam primam.

15 Sequitur, opus huiusmodi impium, sacrilegum & prorsus infidele & gentile esse.

16 Quo non Deo uiuo & uero, sed idolo & mendacio cordis, id est, Dæmonibus seruitur.

17 Talia opera parat Lex etiam diuina, si nondum fuerit spiritualis.

18 Hinc opera legis uocat Paulus, quibus ira & mors debetur.

19 Lex autem facta spiritualis occidit, & opera cuncta euacuat, & parasceue est gratiæ.

20 Gratia uero in occisis & in Sabbato facit bona opera.

21 Peccans in tabulam secundam, peccat simul in tabulam primam.

22 Ideo plus peccat adulter, quam hypocrita, cæteris paribus.

23 Facilius autem cognoscitur adulterium, quam hypocrisis, ideo & facilius curatur.

24 Vt meretrix abusum auri potest ponere solum, aut simul & aurum.

25 Ita impius potest impietatem operis ponere solam, aut simul & opus.

26 Vt meretrix abusum auri ponere debet, aurum ponere non cogitur.

27 Ita

27 Ita impius impietatem operis ponere debet, opus ponere non cogitur.

Scortator tenetur scortationem deinceps omittere, conversus coniugalem iusta uxori praestandam aversari non tenetur, si quam post excessus scortationes domum duxerit.

28 Votum religionum aut quodcunque, omnino quaedam Lex est, conſcientiam natura captiuans.

29 Et uita religioſa aut deuotaria, non niſi opera legis, natura ſunt.

30 Quaecunque ergo de lege & operibus Paulus ſentit, de Votis & Religioſis ſentienda ſunt.

31 Eſt itaque uouere uirginitatem, coelibatum, religionem, & quodlibet, ſine fide.

32 Tale uotum, ſacrilegum, impium, idololatricum, Daemonibus uouetur.

33 Vox ita uouentium eſt haec: Voueo tibi Deus, totius uitae ſacrilegam impietatem.

34 Tales Religioſi ſunt ſimiles uel peiores Gallis & Veſtalibus gentium.

35 Imo cum Manaſſe impio cultores ſunt Moloch in ualle Ennon.

36 Quia Vota ſua opinione iuſticiae & ſalutis uouent, per ipſa parandae.

37 Quam opinionem ſoli miſerenti Deo debent, & dant eam operibus ſuis.

38 Sic per Vota ſua opus manuum ſuarum adorant, & colunt pro Deo.

39 Fides enim eſt ea opinio cordis, qua ſolus unus uerus Deus colendus eſt.

40 Imo infidelitas & peruerſitas cordis & ſumma impietas.

41 Metuendum, his infidelitatis temporibus, inter mille uix unum pie uouere.

42 Probabile enim eſt, non fuiſſe uoturos, ſi ſciſſent nec iuſticiam, nec ſalutem per Vota contingere.

43 Quorum uox id confitetur, dicens: Quid alioqui facerem in Monaſterio?

44 Omnes tales aduerſus Dominum & Chriſtum eius ſacrilegam uiuunt Religionem.

45 Vnde & rigide punienda ſunt eiuſmodi Vota, nedum rumpenda.

46 Et ea Monaſteria, ceu Satanae & luſtra & proſtibula, ſolo aequanda.

47 Nec eos quidquam iuuat, quod ſua informi, id eſt, ficta fide ſe uouere & uiuere iactent.

48 Nec uoluntarium illud prodest, quod e natura & libero arbitrio fingunt.

49 Est itaqꝫ sibi conscius aliquis, sese hac sacrilegæ opinionis impietate uouisse.

50 Hic nihil morari debet Papisticam autoritatem aut uulgi op probrium.

51 Sed salutis suæ rationem preferat omnibus, & uotũ cum Professione relinquat.

52 Melius est Apostatam esse inferni & impietatis, quam cœli & pietatis, ut Prouer. 6. consulitur.

53 Aut si uolet & potest, Votum & Religionem teneat, impietatem ponat.

54 Potest enim Religiosus, abusum uoti solum, aut simul utrunqꝫ ponere.

55 Abusum uoti dicimus, hanc ipsam impiam opinionem fidei aduersariam.

56 Imo abusum seu impietatem debet ponere, sub maledicti æterni pœna.

57 Votum seu Religionem, noua pietatis opinione, innouare denuo potest.

58 Quod si denuo innouare, & ab integro uouere non uolet, liberum esto.

59 Prius enim impietatis Votum, ut nihil unquam fuit, ita nihil est nec erit.

60 Ideo nisi de nouo in fide pia uoueris, liber es & fuisti ab omni Voto.

61 Nihil enim contra Deum, sed omnia pro Deo possumus & debemus.

62 Certum est Episcopis nostris apostaticis regnantibus, fidem Dei occubuisse.

63 Horum igitur culpa est perditio tot Adolescentulorum & Adolescentularum uouentium.

64 Quo fit ut maiorem tales habeant & necessitatem, & ius Vota sua rumpendi.

65 Quia fidem & regnum Dei non audierunt, a mutis illis Tyrannis.

66 Imo sicut oues a lupis, per impiam operum doctrinam ab eis deuorati sunt.

67 Multo maxime ij etiam extrudendi sunt, qui uentris aut gloriæ affectu uouerunt.

68 Deus opera sui Præcepti damnat, & omitti mandat, si sine Fide fiant.

59 Multo

69 Multo magis opera Votorum damnata & omissa uolet, si sine fide fiant.

70 Non per hæc omnium Religiosorum uota aut uitam damnasse uolumus.

71 Sed sicut Paulus legis usum legitimum, ita nos Votorum docemus.

72 Nouum enim Testamentum, regnum est libertatis & fidei.

73 Ideo ut legem & opera eius non patitur, ita nec Vota nec Religiones eorum.

74 Hæc tamē libertas, nō carnis, sed Spiritus, seu cōscientiæ est.

75 Vt ergo cum Apostolo, sub lege fieri potest, qui non est sub lege, iure huius libertatis.

76 Ita ad eandem libertatem pertinet, sese posse perpetuo Voto aut cuicunq; legi subdere.

77 Talis fuit Bernardi religio, & omnium qui fœliciter Religiosi fuerunt.

78 Non enim ut iusti & salui per hoc uitæ genus fierent, uouebant.

79 Sed ut iam fide iusti & salui, libere in istis Votis degerent.

80 Sic tuto & uouet & uiuit in Religionibus, qui fide in illis uiuit.

81 Et non per eam uitam, iustus, sanctus & saluus fieri confidit.

82 Imo cum Apostolo, stercora ducit has iusticias & sanctitates, propter iusticiam fidei. Philip. 3.

83 Sacrilegium itaq; est, Ordines religiosorū sanctos appellare.

84 Vna Religio sancta, & sanctificans est, Christianismus, seu Fides.

85 Cuius sanctitatis nomen, non sine animarum deceptione alijs communicatur.

86 Fit enim hoc abusu nominis, ut uota plus noceant, quam Lex & opera eius.

87 Siquidem lex saltem est Pædagogus ad Christum & fidem eius. Galat. 3

88 At Votum hoc modo pædagogus est a Christo & fide ad legem.

89 Ferenda, imo utilia erant & hac ratione Monasteria, si pædagogia essent.

90 Vt pueri ad tempus erudirentur in eis, ad Christum & fidei libertatem.

91 Nunc uero & Viri uouent & in perpetuum uouent, ut pueri sint semper.

92 Etsi

92 Et si igitur uouendi studium, pio fidei usu, innoxium esse potest.

93 Vitæ tamen ipsum genus, sicut legis uita, pugnat cum Euangelio & Christianismo.

94 Et mors & mala mundi, bona fidei usu innoxia esse possunt.

95 Natura tamen sua pugnant aduersus pietatem & Ecclesiam.

96 Quod ergo Ecclesia sentit de morte & malis mundi, hoc de uotis & Religionibus sentiendum est.

97 Vtrobiq; enim non iusticia, sed libertatis & iusticiæ usus & exercitium esse potest.

98 Is solum error Animarum perdendus est, qui uota pro re bona & iusta sequitur.

99 Et mors lucrum, & Votum lucrum est, si utrolibet legitime utaris.

100 Et mors perditio, & Votum perditio est, si utrolibet peruerse abutaris.

101 Omnia enim Sanctis in bonum, impijs uero omnia in malum cooperantur. Rom. 8.

102 At hodie fidem & usum hunc nulli ferme docent Religiosi.

103 Proinde damnandæ & prohibendæ erant uniuersæ Religiones.

104 Imo, cum contraria doceant, sunt fugiendæ sicut Prostibula publica.

105 Contrarium enim est, docere, Religiones, esse uitam Consiliorum ultra Præcepta.

106 Contrarium est, docere, Religiones esse status perfectionis.

107 Contrarium, imo horrendum est docere, Religiones esse supra communem uitam Christianorum.

108 Hæc cum sint Capita doctrinæ eorum, nihil sceleratius docetur in orbe.

109 His enim auertunt corda hominum a fide, communi salutis uia, ad sua præcipitia.

110 Ideo eius opinionis uota ceu Satanæ ultima opera, soluenda & perdenda sunt.

111 Nec quenquam mouere debet, si Ordinibus sacris, quos uocant, fuerit illaruatus.

112 Nihil enim Ordines illi sacri, q̃ laruæ sunt hominum, Deo ignotæ.

113 Character presbyteralis nõ nocebit, nisi rem fictam metuas.

114 Ministerium uerbi & Ecclesiæ, id est, populi Dei, presbyterum te uere & solum facit.

115 Vt fides, ita & charitas excepta est in omni uoto & Religione.

116 Nihil

116 Nihil enim possumus aduersus fidem, ita nec aduersus charitatem.

117 Obstabit ergo uotum, statutum, regula, ne Proximo seruire alicui possis.

118 Hic rumpes uincula illa, sicut Samson stuppas Philistinorum. Iudic. 15.

119 Franciscanus itaq; pecuniam Proximo portare aut porrigere recusabit.

120 Hic nō modo impius in Deū, sed ridicule quoq; stultus est.

121 Pecuniam proximorum non tangit aut fert, cui tamen debet & uitam & omnia.

122 Aut enim Franciscus hoc non uoluit, aut humanum quid in ea re passus est. 1. Tim. 5.

123 Eiusdem impietatis est, si Parentes, domesticos aut amicos reliqueris.

124 Modo tua opera opus habeant, & tu illis prodesse possis.

125 Impie prętexunt hic obedientiam, ob quam bonum opus intermittendum sit.

126 Non est hæc obedientia, nisi Satanæ, quæ obedientiam Dei, id est, charitatem omittit.

127 Aut ergo da monasterijs Doctores fidei, aut dele ea fūditus.

128 Non potest doctrina & uita uotorum, sine doctrina fidei non esse uia ad mortem.

129 Nec eiusmodi sunt monasteria, ut medium & neutrum esse quid possint.

130 Sed simpliciter sunt os Inferni patentissimum, si fidei scientia desit.

131 Cætera opera & uitæ genera non illaqueant, etiam absente fide, conscientiæ fiduciam.

132 Monasticum uero genus, si fides desit, non potest non lactare conscientiam, impia fiducia.

2. Tim. 3. 133 Ecce hæc sunt illa tempora nouissima & periculosa apud Paulum.

134 Hi sunt homines, speciem pietatis habentes, & uirtutem eius abnegantes. Matth. 7.

135 Hi sunt Lupi intus rapaces, sub uestimentis ouium incedētes.

136 Hi sunt, qui amissa fide docent: Ecce hic, & ecce illic est Christus.

Matt. 24. 137 Hi sunt Pseudochristi, qui etiam Electos in errorem ducunt.

138 Hi sunt, quorum operationibus Antichristi regnum firmatum est.

Hæc

DISPVTATIO D. M. L.

HAEC SIC DISPVTARI VOLO: VT CERTA ET VERA TENEANtur. Quæ sequuntur, simpliciter propono disputanda & inquirenda.

Anno M. D. XXII.

An liceat perpetuum Votum uouere?

1 EVangelica libertas diuini est & iuris & doni.

2 Ea est, nulli operi, loco, rei, personæ adhærere necessario.

3 Sed usum horum omnium, ut sese obtulerint, liberum habere.

4 Nec potest harum cuiquam proprie sese dedere, alia abdicare.

5 Sed prorsus absque electione communem & indifferentem omnibus sese præstare.

6 Vni duntaxat uerbo gratiæ necessario adhærendum esse nouit.

7 Quod solum Propheta in Psalmo petit a Domino, & Christus laudat in Magdalena.

8 Nihil iuris ergo est ulli creaturæ, in hanc libertatem.

9 Nec in manu eius quidquam in illa mutare aut superordinare.

10 Nec dubium est, autore Paulo, quin Deus illam exigat in omnibus, præ omnibus, ab omnibus.

11 Vt tam impossibile sit ipsum agnoscere, quicquid aliter factum fuerit.

12 Quam impossibile est, ut seipsum neget, aut uerbum suum reuocet.

13 Sequitur, Vota talia esse oportere, quæ huic libertati non repugnent.

14 Talia autem non sunt, nisi libera sint, nunc seruari, nunc omitti potentia.

15 Constat enim Vota, locis, personis, rebus, operibus, natura sua esse affixa.

16 Virginitatem enim uouere, nihil est, nisi operi & personæ sese affigere.

17 Quare non potest sic uoueri, quin libertas maneat eam relinquendi.

18 Alioqui contra Libertatem necessario adhæretur illi, quod necessarium non est.

19 Hic

Hic nihil eos iuuat, quod Apostolo magistro Virginitas melior est Coniugio. 19

Non quid bonum aut melius, sed quid oporteat & non oporteat fieri, quæritur. 20

Bonum Coniugiũ, melior Virginitas, sed optima Fidei libertas. 21

Coniugium non necessarium, Virginitas non necessaria, sed necessaria Libertas. 22

Vt ergo nec bonum propter melius, nec melius propter optimum est perdendum. 23

Ita multo maxime necessarium, propter non necessarium, nõ est uiolandum. 24

Item, nec optimum propter melius, nec melius propter bonum, tollendum. 25

Sic Paulus legem libere, ut sors ferebat, seruauit & omisit. 26

Ad hæc in baptismo uniuersi primario Voto huic libertati nos astrinximus. 27

Quare non est ut alio Voto illud irritare, fraudare, superordinare possimus. 28

Alioqui Votum erit aduersus votum, & structura contra fundamentum. 29

Pugnat ergo votum Religionum ex diametro cum Baptismo & Euangelio Dei. 30

Sanctus Bernardus & quicunque Sancti, religiosi, Vota sua libere seruauerunt. 31

Si autem negassent, etiam omitti posse certe ut homines errassent. 32

Iidẽ si uouendo hanc omissionis facultatẽ exclusissent, peccassent. 33

Nihil enim contra Libertatẽ, sed solum pro libertate potuerunt. 34

Imo sequitur, nullum eorum seruasse suum uotum. 35

Non enim Votum quia votum, sed quia placitum, sponte seruauerunt. 36

Acti enim spiritu Dei, sub voto, sine voto uiuebant. 37

Cum hoc sit demum seruare Votum, si serues, quia votum. 38

Nec seruaturus alioqui, si votum non esset. 39

Sic Lex non est lex, autore Paulo, si libere eam serues. 40

Ita Votum non esse votum sequitur, si libere illud serues. 41

Non enim legem seruas, quia Lex est, sed quia sine lege placent ea quæ Legis sunt. 42

Ita opus non est opus, si libertate regnante opereris. 43

Non enim operaris, quia opus necessarium sit, sed quia sic placet operari. 44

45 Hæc igitur libertas Voti in voto seruauit Sanctos illos.

46 Pro errore lapsi, uouerunt, cum idem sit, ac si nihil uouerent.

47 Nisi quod occasione voti, in Spiritus sui usum certũ peruenerũt.

48 Tolerauit eam stulticiam, ut multa alia, Deus in Electis suis.

49 Simul imperfectum eorum operuit, quæ operit omnia, charitas.

50 Qua liberaliter Fratribus suis sese seruos cum Apostolo fecerunt.

51 Vt nos erudiamur, ne facta, sed fidem Patrum, docente Paulo Ebr. 11. imitemur. Ebre. 11.

52 Exempla enim Sanctorum uult infirma esse, ut solum eius uerbum sit uirtus credenti.

53 Quo & operationem erroris mittat incredulis, & uerbi eius contemptoribus. 2.Thes.2.

54 Vt ergo Miracula nõ sunt trahenda, ut dicunt, in consequentiã.

55 Nec omnibus in ignem insilire licet, quod tres Pueri seruati sunt in fornace Babylonis.

56 Ita, ut demus, miraculose Sanctos uouendi ritu fuisse fœliciter vsos.

57 Perniciosi exempli tamen est, eum ritum pro communi uitæ ratione instituere.

58 Manet ergo coram Deo & baptismo tuo libertas, uoueris, non uoueris.

59 Neq; Deus mutatur ut homo, ut libertatẽ semel datam reuocet.

60 Neq; mouetur, quod stulto Voto ad reuocandum eum tu solicites.

61 Tam certum est itaq;, ut votum tuum pro voto serio non agnoscat.

62 Quam certum est, quod baptismale libertatis Votum pro serio voto, & immutum haberi uolet.

63 Sed ut Lex superior immutabile metrum est, omnium inferiorum legum.

64 Ita baptismi votum inflexibilis Regula est omnium Votorum sequentium.

65 Non libertas eius illorum captiuitati, sed captiuitas illorum huius libertati cedit.

66 Sic uelle se Deus insigniter declarauit in Votis paupertatis & obedientiæ.

67 Sanctum Bernhardum enim & alios multos, non solum in præfecturam aliorum exaltauit.

68 Sed & illustribus Miraculis in eadem illustrauit & glorificauit.

Non

Non minus autem ualet paupertatis & obedientiæ, quam castitatis Votum. 69

Et quod de uno eorum fieri & dici potest, de singulis fieri & dici debet. 70

Impossibile autem est, præfecturam cum paupertate & obedientia stare. 71

Cum talis & mandetur rebus, & aliorum obedientia potius subdatur ei. 72

Quare Bernardus & quicunque fuere, alijs præfecti, a uotis illis diuinitus sunt absoluti. 73

Et monstratum euidenter, non fuisse illa coram Deo perpetua. 74

Nec est quod hic uersute cauillentur uarias paupertates & obedientias. 75

Euidens est, Votum paupertatis deuouere externum usum rerũ. 76

Spiritualem enim paupertatem uniuersi in Baptismo uouimus. 77

Aeque euidens est, Præfectum monasticum, externum usum rerum habere. 78

Multo minus hoc illudet, quod Præfectum, non sua, sed communia curare iactant. 79

Hoc nihil enim differt a Senatu et quibuslibet Laicis œconomis. 80

Euidens etiam est id Voti, tale solum uitæ genus statuere, quale est subditorum. 81

Alioqui saluo uoto, licebit omnes esse Præfectos eiusmodi, nullos subiectos. 82

Aut ergo Sancti præesse non potuerunt, aut uotum eorum liberum & temporale fuit. 83

Ne illud quidem iuuat, quod Præfectus in perfectiorem statum migrat. 84

Ius enim diuinum, quale Votum est, nullius boni gratia uiolandum est. 85

Stat Paulus: Non sunt facienda mala, ut ueniant bona. 86

Sic nihil dicitur, Quod Præfectus obedientiæ Episcoporum & Maiorum subditur. 87

Ea obedientia nihil differt ab omnium Laicorum obedientia. 88

Et uotum eorum solum obedientiam uouet, quam dictat Regula professioni subditis. 89

A qua tamen liberantur, facti uel Episcopi uel Cardinales. 90

Nec licet soluto uoto, eam Maiorum obedientiam, etiamsi melior esset, subire. 91

Obstat enim diuinum ius Voti, quod ne regni quidem cœlorum gratia lædi debet. 92

93 Nisi hic dixerint, uotum Religionis in totum sic subdere Hominem homini.

94 Vt Præfectus ius habeat, etiam rursus eum dimittendi liberum, si casus postulet.

95 Id quod ego prope toto sensu uerissimum esse affirmauerim.

96 Tum si casus sit, & Præfectus nolit, ut debet, nihilominus liberum esse.

97 Aut si hoc non est, paupertatis & obedientiæ uota iam probauimus non esse perpetua.

98 Quare sequitur, & congenium eorum castitatis Votum liberum & temporale esse.

99 Vt Monasteria aliud non sint, quam Christianæ pueritiæ formandæ Pædagogia.

100 Quam sub disciplina temporali formari corporaliter saluberrimum est.

101 Cum ergo testibus, uerbo, fide, baptismo, operibus Dei, uotum hoc nihil sit.

102 Oportet te iam cum fiducia & conscientiam tuam a teipso liberare.

103 Si enim nos stulti uel infideles contra libertatem nostram uouemus.

104 Ipse fidelis & bonus, tenaxq; libertatis, stulticiam nostram non acceptat.

105 Non aliter, quam si tibi sub nomine eius quidquam diri imprecatus fueris.

106 Quod ipse pro sua bonitate nõ exaudit, stulticiã tuã miseratus.

107 Ratio pietatis etiam perpetuis uotis aduersari uidetur.

108 Certum est enim fidem Christi posse in Deuotario cadere.

109 Labente autem fide, omnia opera & Vota bona, sunt impia idololatria.

110 Si tenet igitur Votum absente fide, iam, quod est impossibile, cogetur homo idololatrare.

111 Quare, ut opus bonum, ita & Votum, donec abest fides, necessario dimittetur.

112 Atq; ita Votum, sicut & opus bonum, non potest unquam simpliciter uoueri.

113 Sed necessario conditionem fidei præsentis & manentis, pro fundamento præsupponit.

114 Quod nisi fiat, inane & impium & damnabile Votum uouetur.

115 Porro, aliud est, quod Paulus de coniuge & seruo perseuerando præcipit.

Libertas

Libertas Euangelij non tollit res & corpora, & debita hominũ. 116

Alioqui & debita pecuniæ & possessionum tollere debuit. 117

Sed Conscientias liberat a uinculis spiritualibus opinionum impiarum. 118

Coniunx non est Deo coniunx, sed homini, similiter & seruus homini seruus est. 119

Vouentes uero non homini, sed Deo sese captiuant & tradunt. 120

Quos ipse tamen in eadem re liberat, & liberos esse iubet. 121

Aedificant in se, quod Deus destruxit, & destruunt, quod Deus ædificat. 122

Sicut si Herus libertate donet suum seruum gratuita bonitate. 123

Et Seruus, hanc accepturus sese et in seruitutẽ det noua stulticia. 124

Magnum & potens argumentum est, etiam aduersus Vota perpetua, quod sint ex hominibus. 125

Quidquid enim scriptura Dei nec præcipit, nec consulit, prorsus fugiendum est. 126

Vouendi autem hunc ritum, ne exemplo quidem ullo testatur, nedum consulit. 127

Quare ut periculosum est, ingredi Religionem, Ita tutissimum est regredi ingressos. 128

Qui nõ sequitur lucẽ Scripturæ, necessario in tenebris ambulat. 129

Et qui periculum amat, ut ait Sapiens, peribit in illo. 130

Nec dubitandum, uelle Deum hoc irritum fieri, quod sua Scriptura non probatur. 131

Non enim frustra Abraham fratres Epulonis ad Mosen & Prophetas relegauit. 132

Nec dignatus est eum prẹter hos ullo alio cõsilio uiuos docendi. 133

Et ubiq; Scriptura plane præcipit, neq; ad dextram, neq; ad sinistram declinandum. 134

Vt facile credas, etiam præcepto Dei, irrita esse, perpetua illa hominum Vota. 135

Hoc est, ne quis ea necessario perpetua, & non libera doceat. 136

Lex Mosi sane Vota multa figuralia baptismalis uoti, permittit. 137

Sed ea omnia temporalia facit, nec ad castitatis uotum ulla syllaba pertinet. 138

Quod castitas ei populo illicita, nec Lege sanciri nec uoueri poterat. 139

Vt non queant uerba Legis generaliter ad nostra uota quoque pertinere. 140

Summa, Vota libera sunt, non damnata, tum temporaliter tum perpetuo seruabilia. 141

MARTINVS LVTHERVS PIO LECTORI.

Sparsit quispiam nuper sine nomine Conclusiones aliquot contra digamiam Episcoporum, satis uirulentas, penecp seditiosas, dum popularem actionem uulgo aduersus Digamos tribuit.

Cum igitur ista inuidia me quocp peti intelligerem, ut qui cum primis coniugium Episcoporum aduersus cœlibatum probauerim, Visum est, contrariis Conclusionibus ueneno eius occurrere, ne uidelicet infirmas forte conscientias perturbaret, & e fauilla ista nouum incendium flagraret, si contemneretur.

Satanæ commentum est, ibi peccatum fingere, ubi nullum est, & iusticiam negare, ubi uera est, cui se præbuit instrumentum clancularius iste Disputator, ita ut & Magistratus in discrimen & conscientiæ & administrationis conijcere nitatur. Eruditus satis est, sed mirum, quid delectet hominem serpertinis, id est, occultis morsibus, ac non aperto potius Marte pugnare. Sed inuidia est, quæ quiescere non potest, & tamen præ conscientia prodire non audet. Lege, mi Lector, utrascp, et iudica libere,
Dominus tecum,
Amen.

CONCLVSIONES HAE CONTRA DIGAMIAM SACERdotum, Dei auxilio publice defendentur.

Anno M. D. XXVIII.

1 Quicuncp contra apertum & clarum Dei uerbum agit, is plane ad gehennam ædificat.

2 At Bigamia, manifeste per uerbum est prohibita in Sacerdote.

3 Contra apertum igitur Dei uerbũ agit, & ad gehennã ędificat Episcopus uel Presbyter, qui secundã uxorẽ ducit.

4 Quicuncp plana ac dilucida diuinæ Scripturæ uerba deprauare nititur aut obtorquere, is audiendus non est, sed reprobandus.

5 Apostoli uerba ad Timotheum, Quod Episcopum unius uxoris maritum esse oportet, plana sunt & dilucida. 1. Cor. 7.

6 Et magis per sequentia explananatur, Quod uidua allegari debet, quæ unius uiri uxor fuerit. 1. Tim. 5.

Quicuncp

Quicunque igitur in Sacerdote bigamiam admittit seu defendit, is tanquam diuinæ Scripturæ deprauator, reprobandus est & pellendus. 7

Eadem uerba in pari casu prolata, pariter sunt & intelligenda. 8

Quicunque igitur Apostoli uerba ita intelligit, ut Episcopus uel Sacerdos simul & eodem tempore plures uxores habere non debeat. 9

Is & per eadem uerba Apostoli fateri cogitur, quod & mulier plures uiros simul, & eodem tempore, habere possit, si allegari non deberet, Quod plane absurdum esset. 10

Nulla Scriptura autentica doceri potest, quod Iudæi, Apostoli ætate (exceptis Regibus) duas uxores eodem tempore habuerint. 11

Multis testimonijs probari potest, quod Græci ac Gentiles tempore Apostoli, una tantum uxore contenti fuerint. 12

Intellectus ergo ille de duabus uxoribus, uno & eodem tempore ducendis, confictus est, falsus & prorsus ueritati contrarius. 13

Concilijs & statutis generalibus Patrum, præcipue antiquis, adhærendum est, ubi non manifeste Dei uerbo repugnant, sed conueniunt, & ad bonos mores faciunt. 14

Autoritate Patrum ex Apostoli uerbis statutum est, quod nullus Episcopus aut Sacerdos, post primæ uxoris mortem, secundam ducere possit. 15

Si uere continere nequit, secundæ nuptiæ ei non sunt prohibitæ, ita tamen, ut officio cedat ecclesiastico. 16

Censuerunt Patres maximum in ecclesia Dei scandalum esse, ut Episcopus uel Sacerdos, qui carnem suam in plures diuisit (cum Christus unius Ecclesiæ sit sponsus) Ecclesiasticis fungatur officijs. 17

Conuenit igitur & decet, ut qui adeo salax est, ut ab obscœnis libidinibus cōtinere nequeat, et nuptias secundas eligat, officiū sacerdotij relinquat. 18

Papistæ, licet fuerint auarissimi, & omnia habuerint uenalia, nunquam tamen cum Bigamis secularibus (ut uocant) pro ulla pecunia contra Apostoli doctrinam dispensare uoluerunt. 19

Mortaliter peccant, qui Bigamos Ecclesiæ stipendio sustentant. 20

Si Episcopo uel Presbytero, & ad uitæ eius tempus ecclesiasticum promissum est salarium, cessat tum promissio illa, quum ipse culpa sua, sciens ac uolens in Bigamiæ incidit crimen. 21

Mortaliter peccant Principes ac Præsides, qui Bigamo ecclesiasticam functionem contra Apostoli doctrinam, & ueterum Patrum Decreta permittunt, & cum prohibere possunt, non prohibent. 22

Peccant, qui scientes ex Bigami ore uerbum Dei pollui audiunt. 23

Bigami sacerdotes ex Apostoli uerbis & Patrum autoritate, omni ecclesiastico priuilegio sunt priuati, nec a quoquam defendi, sed aliorum Laicorum instar haberi debent & censeri. 24

Bigami in sacerdotio perseuerantes, incœstum committunt, & filij eorum spurij sunt censendi. 25

Actio contra Bigamum popularis est, ita ut Bigamus a quouis de populo accusari, & ut ab Ecclesiastico officio deponatur, peti possit. 26

Bigamus censendus est, non solum is, qui duas ducit uirgines, sed & uiduam aut aliter corruptam. 27

In summa, Quicunque proprias uoluptates & luxuriæ exactionem Apostoli uerbis & Patrum honestis præponit Decretis, non tamen sacerdotio aut ecclesiastico stipendio cedere dignum putat, is non solum tolerandus non est, sed ad coruos abigendus, quo non ouis morbosa totum corrumpat ouile, & tam laudabilem, bonam & longæuam consuetudinem pestilenti suo defœdet exemplo. 28

DISPVTATIO D. M. L.

PROPOSITIONES D. MART. LVTH. DE DIGAMIA Episcoporum.

Anno M. D. XXVIII.

1 Anctus Paulus Episcopum in ecclesia Dei sancit eum esse constituendum, qui sit & uiuat irreprehensibilis.

2 Non quod absq; peccato possit ullus hominum uiuere, Sed quod sine crimine, seu honeste conuersari debeat.

3 ἀνέγκλητος enim græce id sonat, quod sine crimine, quem non possit homo accusare.

4 Quod ipsemet non uno loco exponit, ubi omnes fidelium Ordines docet caute ambulare.

5 Hoc est, ut honeste uiuant, ne Aduersarijs criminandi, maledicendi, opprobrandi præbeant occasionem.

6 Sic Samuel & Moses sese irreprehensibiles corā populo testantur, dum nemini bouem aut asinum abstulisse, aut calumniam fecisse gloriantur.

7 Manifestum est igitur, Paulum de eiusmodi criminibus loqui, quæ sint etiam mundo reprehensibilia.

8 Qualia & ipse exempli uice numerat, scilicet, Si non præsit familiæ, non castiget liberos, si uinolentus, superbus, auarus, sæuus &c. fuerit.

9 Vt quale crimen est, filios non castigare, familiæ non præesse, tale aut par, aut maius necesse est prohiberi unitate uxoris.

10 Quod esse aliud non potest, quam ne limites honesti coniugij & thori immaculati transgrediatur.

11 Sed sit una & sua contentus uxore, ne aut uirgines uitiet, aut alienas permolat uxores, aut cum quauis scortetur.

12 Nam ut libidinem possit in alijs arguere, oportet ipsum primo ab ea purum esse.

13 Et ut laudatam castitatem prædicet fœliciter, ipsum in primis castum esse decet.

14 Nec enim credi potest, cum tot in Episcopo dotes requirat, unam castitatem uoluisse omittere.

15 Ideo non est dubium, Apostolum unitate uxoris, castitatem docere, non nouum ceremoniæ periculosæ laqueum & scandalum ponere uoluisse.

16 Eam castitatem sane, quæ tutissima sit, & absq; illo singulari dono præstari queat, nempè coniugalem.

Cum

Cum enim reliquæ dotes sint omnes spirituales, & nulla cere• monialis, consonum est, & castitatem non ceremonialem, id est, mo nogamicam esse. 17

1. Cor. 7. Vt (unius uxoris Vir) idem sit, quod illud 1. Cor. 7. Vnus• quisqȝ Vxorem suam habeat. 18

Quod illic suam, hic unam Vxorem uocat, uolens scilicet, ne diuersas aut alienas vxores polluat. 19

Sic & Diaconos præcipit unius vxoris Viros esse, hoc est, quem libet cum sua una vxore castum uiuere. 20

Alioqui quanta sit absurditas, quod multos Diaconos unius vxoris, uelut communis scorti, Viros esse, uideretur statuere. 21

Necqȝ Paulus aliud istis duobus uocabulis (unius vxoris) intel ligit, quam quod latine simpliciter, Vxorem dicimus. 22

Græce enim γυνὴ non dicitur proprie Vxor, sed etiam mulier in genere, quemadmodum Weib germanice. 23

Vbi si dixisset, Oportet mulieris esse Virum, non potuisset de Vxore intelligi, & Aduersario dedisset cauillandi occasionem. 24

Ideo, ut vxorem proprie significaret, unius mulieris Virum, pe ne periphrasi quadam, placuit dicere. 25

Nam & vsus Scripturæ habet, adulteros & scortatores dici Iohan. 4. Mulierum Viros, Iohan. 4. Quem, inquit, iam habes, non est tuus Vir. 26

Sic unitate vxoris simul Christianam nubendi libertatem Epi• scopis confirmat, Magis tamen uagam libidinis licentiam eo uerbo prohibet. 27

Studio enim præuenire uoluit dæmoniacas Doctrinas eorum, qui erant nuptias Episcopis prohibituri. 28

Ideo uisum est Spiritui, sic dicere, Vir unius vxoris sit, potius quam sic, Ne sit adulter, scortator aut immundus. 29

Nec defuisset Paulo, alioqui componendæ uocis studioso, etiā hoc loco, uox monogami, si Digamos uoluisset damnare. 30

Scilicet Philagathon, Philoxenon, & id genus multa usurpat, Monogamom tamen uitat, & unius Vxoris virum mauult dicere. 31

Vt non de singularitate Coniugij aut nuptiarum, sed de singu• laritate mulieris seu vxoris cogeret sese intelligi. 32

Vocabulum enim (unius) non tam affirmatiue quam negati• ue necessario accipitur. 33

Si enim affirmatiuū esset Præceptum, non liceret unqȝ Episco• pum cœlibem esse, sed necessario unius semper vxoris Virum. 34

Mortua scilicet vna, sine fine Polygamus duceret aliam, ne quando Episcopus non esset vnius vxoris vir, contra Paulum. 35

Sicut

36 Sicut enim nunquam non debet esse sobrius, uigil, suauis, &c. Ita nunquam non cogeretur eodem uirtutum Catalogo, esse uir unius Vxoris.

37 Mortua una uxore, Episcopus quidem esset, sed non uir unius uxoris, Quod tamen Paulus præcipere dicitur.

38 Ridiculum uero est, Episcopum a defuncta uxore, id est, a non Vxore, uirum unius uxoris dici, & ut talis sit, præcipi.

39 Eadem facilitate diceres, Episcopum esse adulterum, auarum, & impium, a defuncta adultera, rapina & impietate.

40 Nec minus Iudæum aut Gentilem esse diceres, a mortua circumcisione & idololatria.

41 De uiuente igitur & cohabitante Vxore loquitur, quando mortua non magis est uxor, quam lapis & lignum.

42 Et Paulo moris sit, defunctæ uxoris Virum potius liberum & solutum ab uxore dicere Rom. 7. 1. Corint. 7. Quod & res ipsa loquitur. Rom 7. 1. Cor. 7.

43 Nec Paulus dicit: Oportet Episcopum fuisse unius uxoris Virum, Sed esse oportet unius, inquit, uxoris uirum.

44 Stat igitur, Pauli uerbum esse magis negatiuum, non de Digamia, sed de uaga libidine prohibenda.

45 Si aliud his uerbis extorquetur, necesse est, uiolentum, dubium, infidumque pro fulcienda conscientia extorqueri.

46 Imo falsum esse conuincet uel unica hæc uox, ἀνέγκλητος, hoc est, inaccusabilis.

47 Quo uerbo necesse est crimen prohiberi, quod gentes offendat, & malæ sit apud eas speciei.

48 Nunquam uero factum aut auditum est, Digamos apud gentes criminosos, ac non potius honoratos haberi.

49 Simul constat, digamiam opus Dei esse, a Paulo probatum, & in benedictione Dei, Gen. 1. comprehensum. Gene. 1.

50 Si uero scandalum est, apud impios Papistas scandalū est, quibus omnia uerba & opera Dei, nihil nisi scandalum sunt.

51 Huc ualet ipsiusmet Pauli exemplum, qui sese inter uiduos numerat. 1. Cor. 7. dicens, Eos uelle omnes esse sicut seipsum. 1. Cor. 7.

52 Et tamen. 1. Corin. 9. Sibi & Barnabæ copiam facit sororculæ Vxoris circumducendæ, exemplo aliorum Apostolorum. 1. Cor. 9.

53 Quæ copia nihil esset, frustraque iactata, si Digamia prohiberet Apostolum aut Episcopum esse.

54 Et ipse Hieronymus, alioqui nuptiarum secundarum pene hostis, tamen defendit Episcopum illum Hispanum, qui Digamus fuerat.

Et recte colligit, Si scortator multorum scortorum uir, potest fieri Episcopus, non prohiberi meliorem unius secundæ vxorculæ maritum. 55

Nec S. Augustini contraria sententia, licet recepta, quidquam habet momenti, qua dicit, Episcopum debere Christum unius Ecclesiæ sponsum repræsentare. 56

Eadem ratione quilibet Coniunx cogetur monogamus esse, cum totum coniugium (Ephe. 6.) Christum & Ecclesiam repræsentet. 57

Quin uirginem cogeretur Episcopus seruare suam vxorem, ut Christo uirginis Ecclesiæ sponso responderet. 58

Simul & repudiare aliquam priorem teneretur, sicut Christus repudiauit Synagogam. 59

Deinde mortua uxore, qua forma erit agamus Episcopus, Christo Ecclesiæ uiro similis. 60

Si igitur necesse esset symbolũ Christi & Ecclesiæ præstari, satis in singularitate vxoris, etiam a Digamo & trigamo præstaretur. 61

Dato & nondum concesso, inter Gentes pro crimine & scandalo censeri, pluralitatem Vxorum mosaica lege statutam. 62

Vt inter Gentes liberas a lege Mosi, propter scandalum apud eas, Episcopus unius Vxoris Vir esse cogatur. 63

Tamen inter Iudæos, hoc instituto Episcopum ligari, non potest certo demonstrari. 64

Siquidem nota sunt iura Mosaica de Fratris defuncti vxore, & de filia corrupta inuito Patre, quæ cogunt plurium esse vxorum virum. 65

Quæ non magis sunt abrogata, quam reliqua omnia, id est, libera, nec prohibita, nec præcepta. 66

Nisi permissam illam pluralitatem prohiberi dixeris, quæ ex repudio uenit etiam a Christo reuocatam & damnatam. 67

Alioqui nullam pluralitatem vxorum prohiberi diceret talis Episcopus, nisi quæ non coacta per legem, aut vulgata per vsum, sed quæ libidine peteretur. 68

Quod autem in una vxore Patres monogamiam intellexerunt, simile est illi, vbi quinque talenta, quinque sensus, & fructum centesimum, virginitatem intelligunt. 69

Cum fides non ferat, ut gentes talentum Christi & fructum Euangelij habeant, quæ tamen quinque sensus & uirginitatem habent. 70

Digni scilicet uenia, quod studio castitatis in hanc partem excesserunt, dum in partem libidinis deficere timuerunt. 71

Quia indignum uidebatur, id inter fideles non excellentius inueniri, quod in aliquibus gentibus cernebant utcunque præstari. 72

Quod

73 Quod autem de unius vxoris uiro dictum est, Idem de vidua unius viri vxore intelligendum est.

74 Vt vidua hęc sit honesta fœmina, quæ suo & uno viro contenta, adulteris & scortatoribus se non prostituerit.

75 Aut si de Iudeis inter gentes loqui libet, de repudiata & alijs, iure Mosaico, vxorib. recipiendis, ne gentes offenderentur, intelligitur.

76 Turpe enim est, ut mulierem omnium (ut dicitur) uirorum alat Ecclesia, aut Episcopũ omnium mulierũ virum preficeret ministerio.

77 Errant igitur, qui Digamiam a Paulo damnari in Episcopis hoc loco sentiunt.

78 Rei quoq; sunt blasphemiæ, & in opus Dei, & in uerbum Pauli, quod Digamiam inter crimina censent.

79 Multo fœdius errant, qui honestam viduam Episcopo vxorem prohiberi a Paulo docent.

80 Quin, si scortatorem Episcopum faciunt, Non uideo, cur scortum post pœnitentiam membrum Christi factum, vxorem Episcopi fieri nolint.

81 Ego nec corruptam prohibere ausim Episcopo, si ui aut dolo corrupta, post honesta uixerit.

82 Quanto iniquiores sunt Papistæ, omnium libidinum lernæ & sentinæ, reijcientes eum, qui ignarus uitiatam uirginem duxerit.

83 Cum interim mille scortorum uirum suscipiant, & publicum scortatorem in officio etiam defendant.

84 Euidens operatio Satanæ est, quod cum omnes alias dotes in Episcopis negligant, solum castitatis laqueum tyrannice urgent.

85 Atq; hæc est illa gloria, quam aduersarius iactat, quod Papistæ nunquam cum Digamis dispensare uoluerunt, pro pecunia, licet sint auarissimi.

86 Eiusdem gloriæ & pudoris esset, si diceres: Papistæ, cum superent libidine Zodomam & Romam, nunquam tamẽ in castam saltem monogamiam Episcopi consentiunt.

87 Et Phalaris cum detestetur omnem uirtutem & honestatem, nunquam tamen flectitur, ut miseris cruciatum remittat.

88 Quasi non sit impudentia turpissima, a turpissimis impiorum hominum moribus, dogmata pro Ecclesia Dei trahere.

89 Eadem prudentia pro instituenda uirgine, a Lupa & Lena mores & exempla petere doceas.

90 Aut adolescentem ad uirtutem & honestatem horteris, Absalom & Neronis exemplo.

91 Hinc certum fit, istarum Propositionum artificem, non ueritatis studio moueri, sed magno Euangelij odio ardere.

Sed &

Sed & ipsimet Christo & Paulo impie pugnant, qui Digamiam Episcopo prohiberi, pertinaciter asserunt. 93

Matt. 19. Christus enim absque personarum differentia, etiam ad ipsos Apostolos loquitur: Qui potest capere, capiat. Et: Non omnes capiunt hoc uerbum. 94

Anathema uero sit, uerba Christi personatu adiecto deprauare, quæ ipsemet sine personatu dicta & intellecta uoluit. 95

1. Cor. 7. Et Paulus. 1. Cor. 7. Vnumquenque præcipit sua uxore contentum esse, nec Episcopi, nec ullius personam excludens. 96

Et melius esse nubere, quam uri, plane omnibus, qui Corinthi erant (ut epigrapha monstrat) consuluit. 97

Nec laqueum ulli uult iniicere in periculum conscientiæ, sed quod honestum & utile sit, indicare. 98

Imo cum nuptiarum interdictores, ad Timotheum, palam asserat dæmoniacos Doctores esse, certum est, liberam Digamiam Episcopo concedi. 99

Gene. 2. Denique uerbum illud: Crescite & multiplicamini, generaliter omnibus, qui homines sunt, accreatum & necessario impositum est. 100

Contra quod nulli statuere aut uiuere licet, nisi alio certiore uerbo, facto, aut dono Dei excipiatur. 101

Sicut enim nulli licet seipsum occidere, aut manu propria castrare. Ita nulli licet sexum suum (nisi uolente Deo) extinguere, aut ab officio cohibere. 102

Cum uero nulla stet promissio Dei, Episcopos fore ab illo generali uerbo exceptos. 103

Patet, non posse ullo statuto Episcopos ad cœlibatum ullum cogi, nisi per Doctores dæmoniacos & aduersarios Dei. 164

Si Papistæ reprobant eos, qui seipsos castrant corporaliter, tanquam ministerio & episcopatu indignos. 105

Multo magis reprobare deberent eos, qui sexu repugnante (id est, Deo nolente) sine vxore uiuere præsumunt. 106

1. Tim. 3. Tit. 1. Hoc potius in Pauli Catalogo spectandum erat, ut inter dotes ipsas Episcoporum, iustus & pius delectus haberetur. 107

Vt quæ dotes plurimum commodarent Ecclesiæ, priuatis & personalibus præferrentur. 108

Summa enim iniquitas est & peruersitas, si priuatum bonũ publico præferatur, & propter rem personalem pereat communis salus. 109

Vt fit, si Episcopus doctrina præ cæteris salutaris & uerbo potens, propter priuatum coniugium a ministerio reiiciatur. 110

Et alius uerbo minus utilis, propter priuatum cœlibatum in illius loco, ceu lapis statuatur. 111

111 Vt ille propter rem priuatam & innoxiam cogatur, relicto uerbo, & animarum salute, mensæ seruire.

112 Imo contra Dominum, in perniciem animarum, acceptum talentum in terram defodere.

113 Iste uero truncus, propter solam castitatem, in ludibrium Satanæ & ignominiam Ecclesiæ, uelut idolum in Episcopi loco sedere.

114 Quanto rectius ille doctus & salutaris, licet Digamus aut Trigamus, etiam de media plebe ad Episcopatum raperetur.

115 Cœlebs uero iste cum sua inutili castimonia in mediam plebem detruderetur.

116 Et cauendum, ne, qui sit aptus regno cœlorum, per doctrinam promouendo, cogatur aduersus Christum retro respicere, & mortuos sepilire.

117 Igitur longe maior habenda est ratio talenti accepti & uerbi tractandi, ut publici & necessarij boni.

118 Quam Monogamiæ aut cœlibatus, ut priuati & non necessarij boni.

119 Vnde si scandalum Episcopos deponere debet apud Papistas, ignorantię & indocibilitatis potius, q̃ coniugij, deponere debebat.

120 Etsi ferendum erat alterutrum scandalum, potius Digamiæ, q̃ indocibilitatis, ferendum erat.

121 Crudele quoq; & impium est, ut Episcopus sine culpa consilio & remedio Pauli frustretur, & uel cœlebs uiuere, vxore mortua, uel ministerio cedere cogatur.

122 Frustrari autem necesse est, tum remedio tum consilio Pauli cum Episcopum, Qui metu libidinis vxorem duxit, quæ biduo uel triduo post moritur.

123 Tum uere Paulus non consilium (cum sit mors vxoris incerta) sed ludibrium, Nec remedium coniugij, sed certum periculum & laqueum posuisse uideretur.

124 Tutius enim esset, prorsus non fieri Episcopum, aut non uti consilio Pauli, quam tanto periculo uel libidinis, uel ministerij relinquendi fluctuari.

125 Sicut in primitiua Ecclesia laudabile fuit, uirginitatem & cœlibatum extollere, contra licentiam Iudaici coniugij & gentilis scortationis.

126 Ita nunc laudabile est, coniugium extollere contra cœlibatum Ecclesiæ deriuatiuæ, id est, contra prostibulum papisticæ abominationis.

127 Cum enim cœlibatus hodie sit fere uocabulum sine re, perniciosissimi scilicet exempli.

Recte

Recte facient etiam ij, qui non ualde uruntur, si exemplo suo 128
coniugij causam iuuent, ad illius condemnationem.

Nam cum Daniel & Paulus Antichristum prædicent, fore ho- 129
stem coniugij, autoremq; libidinis & omnis peccati.

Consultum & salutare est, sub hoc impurissimo libidinis regno, 130
quocunq; coniugio liberari.

Sanctius scilicet est, uel trigamia uel hexagamia uiuere, quam 131
in publico isto & Impunito omnium libidinum chao perire.

Atq; si Digamus etiam uere esset criminosus, tamen deponi nul 132
lo iure posset, nisi primo criminosiores Papistæ cum suo impurissi-
mo cœlibatu funditus eradicati essent.

Alioqui seditionis periculo punirentur Digami tolerabiles, Et 133
liberi permitterentur intolerabiles Papatus scortatores.

Proinde aduersarius noster trabem apud suos considerare de- 134
buit, antequam festucam apud nos fingeret inueniri.

Ne, dum ficto crimine insontes maculat, patronum et participem 135
sese totius abominationis Papistarum faciat.

Quid multis? Nullius gentis aut linguæ usu Digamus dicitur, 136
qui plures successiue vxores seu viduam duxerit.

Sed natura uocabuli, Digamus is tantum dicitur, qui simul plu 137
res vxores habuerit. 138

Qualis fuit Lamech ille Gene. 4. Abraham quoq; & Iacob, non
tantum Sacerdotes, sed & Christi & Prophetæ Dei appellati. 139

Logomachia igitur & profana Papistarum cenophonia est, Di-
gamum deprauato uocabulo dici, qui unius secundæ, aut uiduæ, 140
aut corruptæ maritus est.

Anno M. D. XXVIII. 141

SEQVENTES PROPOSITIONES DE ECCLESIA SVSTINET, FAVENTE Christo, D. Martinus aduersus totam Synagogam Satanæ, & uniuersas portas Inferorum.

Anno M. D. XXX.

ECclesia Dei non habet potestatem condendi ullum 1
Articulum fidei, Sicut nec ullum unquam condidit,
nec condet in perpetuum.

Ecclesia Dei non habet potestatem statuendi ul- 2
lum præceptum bonorum operum, Sicut nec ullum
unquam statuit, nec statuet in perpetuum.

3 Omnes articuli sufficienter sunt in Scripturis sanctis conditi, ut non sit opus ullum præterea condi.

4 Omnia præcepta bonorum operum sunt in Scripturis sanctis sufficienter statuta, ut non sit opus ullum præterea statui.

5 Ecclesia Dei nõ habet potestatem approbandi articulos aut præcepta, seu Scripturas sanctas more Maioris, uel autoritate iudiciali, nec id unquam fecit, aut faciet.

6 Ecclesia Dei potius contra, per Scripturas sanctas seu articulos fidei est approbata & confirmata, tanquam a Maiore & autoritate iudiciali.

7 Ecclesia Dei approbat articulos fidei seu Scripturas, more Minoris, id est, agnoscit & confitetur, sicut seruus sigillum domini sui.

8 Stat sententia, Qui non habet potestatem promittendi & dandi futuram & præsentem uitam, Is non potest condere articulos fidei.

9 Ecclesia Dei habet potestatem, ordinandi ceremonias, in ferijs, cibis, ieiunijs, precibus, uigilijs &c. non super alios, sed solum super seipsam, Nec unquam aliter fecit aut faciet.

10 Sic tamen, ut hæ ceremoniæ non pugnent articulis fidei, aut præceptis operum.

11 Etiam sic, ut sint de possibili, & quod in eius manu est.

12 Etiam sic, ut conscientiam neq; ligent neq; turbent.

13 Etiam sic, ut temporales, non perpetuæ habeantur, quolibet die & casu mutabiles, & omitti potentes.

14 Cœlibatum aut Vota non potest mandare, nec sibijpsi quidem Ecclesia, multo minus alijs, cum non sint in eius manu.

15 Ecclesia uero est numerus seu collectio baptizatorum & credentium sub uno Pastore, siue sit unius Ciuitatis, siue totius Prouinciæ, siue totius orbis.

16 Is Pastor seu Prælatus nihil habet statuere (quia non est Ecclesia) nisi consentiente sua Ecclesia.

17 Pastor hortari & persuadere potest Ecclesiæ, ut cõsentiat, certis urgentibus causis, sibijpsi ieiuniũ, ferias, preces, aut alias ceremonias in tempus imponere, & rursum ubi uolet, mutare & omittere.

18 Articuli fidei & præcepta operum non possunt mutari, Ceremoniæ uero debent pro tempore mutari.

19 Nulla fuit ruditas & asinitas maior unquam, q; Papistarum, qui ceremonias pro articulis fidei, deinde immutabiles, & unum membrum Pontificem, solum potestatem hanc habere, derudunt.

20 Nulla fuit hæresis & malicia maior, quam Papistarum, qui omnia in omnia miscentes & confundentes, articulis pares ceremonias faciendo, regnum liberrimum Christi plus quam seruitute Aegypti & Babylonis oppresserunt.

Hæreti-

Hæreticus dici non poteſt, qui contra Eccleſiæ ordinationem Cæremonias omittit, licet peccet, ut promiſſi non ſeruans. 21

Hæreticus dici non poteſt, qui præcepta operum diuina transgreditur. 22

Hæreticus dici nō poteſt, qui articulum aliquem fidei ignorat. 23

Hæreticus dici debet, qui obſtinate errat in articulo fidei, & idem aſſerit. 24 Hæreticus.

Sicut transgreſſor præcepti Magiſtratuum, non eſt ſeditioſus, licet peccet, ſitq; puniendus. 25 Seditioſus.

Sed qui negat aut impugnat Magiſtratum, is eſt ſeditioſus.

Cum Papiſtæ nec furem, nec latronem, nec adulterum, qui tamen in diuina præcepta peccant, non dicant hæreticum, ſicuti uere neq; hæretici illi ſunt, 26 27

Merito aſini aſinorum dicendi ſunt, quod hæreticos clamant eos, qui contra cæremonais Eccleſiæ peccant. 28

Siquidem aſinis digna eſt ſapientia, matricidam, parricidam, Sodomitam, hæreticum non dici, at ueſcentem carnibus ſexta feria hæreticum iudicari. 29

Etiam ipſa Papæ Eccleſia, quamuis ſit malignantium Eccleſia, tamen coniugium Sacerdotum ſola officij ſuſpenſione damnat. 30

Concedit igitur Chriſtianum & non hæreticum dicendum eſſe, quiſquis Sacerdotum duxerit uxorem. 31

Quare nec ad Infernum damnat animam eius, uti ſolent hęretici damnari. 32

Concedit ſimul (neceſſario) nec morte puniendum eſſe, ſed ad empto duntaxat officio, uiuere ut Chriſtianum ſinit & fatetur. 33

Quare certum eſt, nec mortale peccatum reputari, in ipſa Papæ eccleſia, ſi ſacerdos duxerit uxorem, 34

Concedit inſuper (neceſſario) nec corpore puniendum, nec incarcerandum eſſe, ſed adempto ſolum officio, ſuis rebus libere poſſe uti. 35

Quare nec ſcandalum aut turpitudinem eſſe cenſet, ſi Sacerdos duxerit uxorem. 36

Qui igitur ultra ſuſpenſionem ab officio, addunt pœnam hæreſis, mortis, animæ & corporis, dehinc ſpolium rerum & famæ, hi ſunt publici latrones, fures, homicidæ, proditores, falſarij, tyranni, etiam ſecundum iura Papæ, & in ſua Eccleſia. 37

Ex his poteſt intelligi, quid ex Eccleſia Papæ tandem factum ſit, in qua tales uiri habentur pro ſanctiſſimis & ſapientiſſimis. 38 Eccleſia Papæ.

Anno M. D. XXX.

DISPVTATIO DOCT. MARTINI LVTHERI.

DE HOMINE.

Anno M. D. XXXVI.

1 PHilosophia, sapientia humana, definit, Hominem esse Animal rationale, sensitiuum, corporeum.

2 Neque disputare nunc necesse est, An proprie uel improprie, Homo uocetur animal.

3 Sed hoc sciendum est, quod hæc definitio tantum mortalem, & huius uitæ Hominem definit.

4 Et sane uerum est, quod ratio omnium rerum res & caput, & præ cæteris rebus huius uitæ optimum & diuinum quiddam sit.

5 Quæ est inuentrix & gubernatrix omnium Artium, Medicinarum, Iurium, & quidquid in hac uita sapientiæ, potentiæ, uirtutis & gloriæ ab Hominibus possidetur.

6 Vt hinc merito ipsa uocari debeat differentia essentialis, qua constituatur Homo differre ab animalibus & rebus alijs.

7 Quam & Scriptura sancta constituit talem Dominam super terram, uolucres, pisces, pecora, dicens: Dominamini &c.

8 Hoc est, ut sit Sol & Numen quoddam ad has res administrandas in hac uita positum.

9 Nec eam Maiestatem Deus post lapsum Adæ ademit Rationi, sed potius confirmauit.

10 Tamen talem sese Maiestatem esse, nec ea ipsa Ratio nouit a priore, sed tantum a posteriore.

Ideo si comparetur Philosophia seu Ratio ipsa ad Theologiam, apparebit nos de Homine pene nihil scire.

12 Vt qui uix materialem eius causam uideamur satis uidere.

13 Nam Philosophia efficientem certe non nouit, similiter nec finalem.

14 Quia finalem nullam ponit aliam, quam pacem huius uitæ, & efficientem nescit esse creatorem Deum.

15 De formali uero causa, quam uocant Animam, nunquam conuenit, nunquam conueniet intar Philosophos.

16 Nam quod Aristoteles eam definit, actum primum corporis uiuere potentis, etiam illudere uoluit Lectores & Auditores.

Nec spes est, hominem in hac præcipue parte sese posse cogno- 17
scere quid sit, donec in fonte ipso, qui Deus est, sese uiderit.

Et quod miserabile est, nec sui consilij, aut cognitionem plenam 18
& certam habet potestatem, sed in his subiecta est casui & uanitati.

Sed qualis est hęc uita, talis est & definitio & cognitio hominis, 19
hoc est, exigua, lubrica & nimio materialis.

THeologia uero de plenitudine sapientiæ suæ hominem totum 20
& perfectum definit.

Theologica hominis definitio.

Scilicet, quod homo est creatura Dei, carne & anima spirante 21
constans, ab initio ad imaginem Dei facta sine peccato, ut generaret
& rebus dominaretur, nec unquam moreretur.

Post lapsum uero Adæ subiecta potestati Diaboli, peccato & 22
morti, utroq; malo suis uiribus insuperabili, & æterno.

Nec nisi per filium Dei Christum Ihesum liberanda (si credat in 23
eum) & uitæ æternitate donanda.

Quibus stantibus pulcherrima illa & excellentissima res rerum, 24
quanta est Ratio post peccatum, relicta sub potestate Diaboli ta-
men esse concluditur.

Vt homo totus & omnis, sue sit Rex, Dominus, seruus, sapiens, 25
iustus, & quibus potest huius uitę bonis excellere, tamen sit et maneat
peccati & mortis reus, sub Diabolo oppressus.

QVare ij, qui dicunt Naturalia post lapsum remansisse integra, 26
impie philosophantur contra Theologiam.

Similiter qui dicunt, Hominem faciendo quod in se est, posse me- 27
reri gratiam Dei & uitam.

Item, qui Aristotelem (nihil de Homine theologico scientem) 28
inducunt, quod ratio deprecetur ad optima.

Item, Quod in homine sit lumen uultus Dei super nos signatũ, 29
id est, liberum arbitrium ad formandum rectum dictamen & bonam
uoluntatem.

Item, Quod hominis sit eligere bonum & malum, seu uitam & 30
mortem &c.

Omnes istiusmodi neq; quid sit homo intelligunt, neq; de qua- 31
re loquantur, ipsi sciunt.

Rom. 3. PAulus Rom. 3. Arbitramur hominem iustificari fide absq; o- 32
peribus, breuiter hominis definitionem colligit, dicens, Hominem
iustificari fide.

Certe, qui iustificandum dicit, peccatorem & iniustum, ac ita 33
reum coram Deo asserit, sed per gratiam saluandum.

Probat suam sententiam.

Et hominem indefinite, id est, uniuersaliter accipit, ut concludat 34
totum mundum, seu quidquid uocatur homo, sub peccato.

35 Quare homo huius uitæ est pura materia Dei ad futuræ formæ suæ uitam.

36 Sicut & tota Creatura, nunc subiecta uanitati, materia Deo est ad gloriosam futuram suam formam.

37 Et qualis fuit terra & cœlum in principio ad formam post sex dies completam, id est, materia sui.

38 Talis est homo in hac uita ad futuram formam suam, cum reformata & perfecta fuerit imago Dei.

39 Interim in peccatis est homo, & indies uel iustificatur uel polluitur magis.

40 Hinc Paulus ista rationis Regna nec mundum dignatur appellare, sed schema mundi potius uocat.

Anno M. D. XXXVI.

IN sequentibus quinque Disputationibus diligentissime expendit uir Dei Lutherus singulas uoces huius Paulini dicti, Roma. 3. (Arbitramur Hominem iustificari Fide, absq; operibus Legis) & sententiam eius germanam, iuxta Pauli mentem, summa fide reddit.

I. DISPVTATIO.
DE FIDE.

Arbitramur hominem iustificari fide &c.

1 *Vera fides.* Ides hic uera, & donum illud Spiritus sancti intelligi debet.

2 *Fides acquisita, historica.* Si Paulus de Fide acquisita seu historica loqui intelligitur, in uanum totus laborat.

3 Nam & Sophistæ, etsi rerum istarum nihil intelligunt, tamen fatentur fidem istam non iustificare.

4 *Fides infusa.* Imo docent, neq; infusam Spiritu sancto fidem iustificare, nisi formata sit charitate.

5 Hoc enim palam asserunt, Fidem infusam posse stare cum peccato mortali & damnari.

Sequitur

Sequitur hinc, Si Paulum de hac Fide intelligas, ipsum de ocioso aut fabuloso Christo prædicare. 6

Nam Christus nihilo plus adest uel prodest talibus credentibus, quam ipsis Dæmonibus & damnatis. 7

Cum uero Paulus prolixe tribuit Iustificationem fidei, necesse est ipsum de istis fidebus (ut sic dicam) acquisita, infusa, informi, formata, explicita, implicita, generali, speciali, nihil dicere. 8 *Fides acquisita, infusa, informis &c.*

Quin & Dæmonibus & pessimis hominibus concedunt hanc fidem acquisitam. 9

OPortet igitur de alia fide quadam eum loqui, quæ faciat Christum in nobis efficacem, contra mortem, peccatum & legem. 10

Et quæ nos non sinat similes esse Dæmonibus & hominibus descendentibus in infernum, Sed similes faciat sanctis Angelis & filijs Dei ascendentibus in cœlum. 11

Hæc est autem fides apprehensiua (ut dicimus) Christi, pro peccatis nostris morientis, Et pro iusticia nostra resurgentis. 12 *Fides apprehensiua Christi.*

Hoc est, quæ non tantum audiat res a Iudæis & Pilato, in Christo crucifigendo, gestas, uel de resurgente narratas 13

Sed quæ intelligat charitatem Dei Patris, per Christum, pro tuis peccatis traditum, te redimere & saluare uolentem. 14

Hanc fidem Paulus prædicat, quam Spiritus sanctus ad uocem Euangelij in cordibus audientium donat & seruat. 15 *Quā fidem Paulus prædicet.*

Hæc est illa fides, quæ uere infusa dici debet, nec uiribus nostris acquiri (sicut illa acquisita) potest. 16 *Fides uere infusa.*

Fides acquisita, seu Sophistarum infusa, de Christo dicit: Credo filium Dei passum & resuscitatum, atq; hic desinit. 17 *Acquisita fides & Sophistarum infusa*

Sed uera fides dicit, Credo quidē filium Dei passum & resuscitatum, Sed hoc totum pro me, pro peccatis meis, de quo certus sum. 18 *Vera fides.*

Est enim pro totius mundi peccatis mortuus, At certissimū est, me esse partem aliquam mundi, Ergo certissimum est, pro meis quoque peccatis mortuum esse. 19 *Christus mortuus pro peccatis totius mundi.*

Fides acquisita habet finem seu usum passionis Christi nudam speculationem, Fides uera habet finem & usum passionis Christi uitam & salutem. 20 *Fides acquisita, uera.*

Fides acquisita stat, uelut piger manum sub ascella abscondens, & dicit, Ista nihil ad me. 21

Fides uera extensis brachijs amplectitur læta filium Dei pro sese traditum, & dicit, Dilectus meus mihi, & ego illi. 22

Exemplum huius Paulus ad Galatas de seipso præstat, dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. 23

24 Igitur illud, Pro me, seu pro nobis, si creditur, facit istam ueram fidem, & secernit ab omni alia fide, quæ res tantum gestas audit.

Pro Me. Pro Nobis.

25 Hæc est fides, quæ sola nos iustificat sine lege & operibus, per misericordiam Dei, in Christo exhibitam.

26 Pugnant enim ista duo, Christum pro nostris peccatis traditũ satisfacere, Et nos ipsos per Legem a peccatis iustificari.

27 Aut enim ille non est traditus pro peccatis nostris, Aut nos non iustificamur per Legem a peccatis nostris.

28 Scriptura autem clamat, Omnium nostrũ peccata in ipsum esse posita, Et pro peccatis populi Dei est percussus, Et liuore eius sanati sumus. *Esai. 53. 1. Pet. 2.*

29 IVstificati autem sic gratis, tum facimus opera, imo Christus ipse in nobis facit omnia.

Iustificati facimus opera.

30 Quod si opera non sequuntur, certum est, fidem hanc Christi in corde nostro non habitare, Sed mortuam illam, scilicet acquisitam fidem.

Mortua fides.

31 Omnium quidem est auditus uerbi, sicut scriptum est, In omnẽ terram exiuit sonus eorum. *Psal. 19.*

Auditus fidei est omniũ, sed fides nõ est omnium.

Sed non omnium est fides ista, sicut scriptum est, Quis credidit auditui nostro? *Esai. 53.*

32

33 ET omnes, qui iactant opera coram Deo iustificare, ostendunt sese nihil de Christo, aut fide intelligere.

34 Fatemur opera bona fidem sequi debere, imo non debere, sed sponte sequi. Sicut arbor bona non debet bonos fructus facere, sed sponte facit.

Opera bona sequũtur fidem.

35 Et sicut boni fructus non faciunt arborem bonam, Ita bona opera non iustificant Personam.

36 Sed bona opera fiunt a Persona iam ante iustificata per fidem, Sicut fructus boni fiunt ab arbore iam ante bona per naturam.

37 TAmen & in Philosophia ita habet, Quod sine & ante omne opus bonum, necesse est, rationem & uoluntatem bonam esse.

38 Nec fit ratio recta, aut uoluntas bona ab opere, Sed opus fit a recta ratione & uoluntate.

Ratio recta. Bona uoluntas.

39 Et artificis idæa non fit a domo uel fabrica, sed fabrica fit ab idæa, quæ sine & ante fabricam est in corde artificis.

SVMMA.

40 CHristus est Dominus, non seruus, Dominus sabbati, legis & omnium.

Christus est Dominus sabbati, legis et omnium.

Et Scriptura est, non contra, sed pro Christo intelligenda, Ideo

41 uel ad eum referenda, uel pro uera Scriptura non habenda.

Vt, Serua

Matt. 19. Vt, Serua mandata, sic dominante Christo intelligendum est, serua in Christo scilicet, uel in fide Christi. 42 *Serua mandata.*

Matt. 22. Diliges Dominum Deum tuum &c. scilicet in Christo, seu fide eius, Quia sine me nihil potestis facere. 43 *Diliges Dominum Deum tuum.*

Lucæ. 10. Fac hoc & uiues, fac scilicet in me, alioqui non facies, sed contrarium facies. 44 *Fac hoc & uiues.*

Redime peccata tua eleemosynis, scilicet in Christo, & fide eius, alioqui peccatum erit eleemosyna tua. 45 *Redime peccata tua &c. Dan. 4.*

QVamobrem eruditissime Epistola ad Ebræos, omnibus omnium Sanctorum operibus præfigit, Fide. 46

Quia necesse est, omnes Sanctos in promisso Christo omnia uiuere & facere, sicut nos in exhibito. 47 *Fide translatus Enoch. Ebre. 11.*

Ipse enim est caput & Dux iustitiæ & uitæ, a Deo constitutus, per & in quo nos uiuimus & saluamur. 48

Quod si aduersarij Scripturam urserint contra Christum, urgemus Christum contra Scripturam. 49

Nos Dominum habemus, illi seruos, Nos caput, illi pedes seu membra, quibus caput oportet dominari & præferri. 50

Si alterutrum sit amittendum, Christus uel Lex, lex est amittenda, non Christus. 51

Habito enim Christo, facile condemus Leges, & omnia recte iudicabimus. 52

Imo nouos Decalogos faciemus, sicut Paulus facit per omnes Epistolas, & Petrus, maxime Christus in Euangelio. 53

Et hi Decalogi clariores sunt, quam Mosi decalogus, sicut facies Christi clarior est quam facies Mosi. 54

Si enim Gentes in natura corrupta, potuerunt de Deo statuere, 55
Rom. 2. & lex esse sibijpsis, Rom. 2.

Quanto magis Paulus aut perfectus Christianus plenus spiritu, potest Decalogum quendam ordinare, & de omnibus rectissime iudicare. 56

Sicut omnes Prophetæ & Patres eodem spiritu Christi omnia sunt locuti, quæ habentur in Scripturis. 57 *Prophetæ codē spiritu Christi omnia sunt loquuti.*

Tamen quia interim sumus inæquali spiritu, & caro aduersatur spiritui, Necesse est etiam propter uagos spiritus, certis mandatis & scriptis Apostolorum adhærere, ne laceretur Ecclesia. 58

Non enim sumus omnes Apostoli, qui certo Dei decreto nobis sunt infallibiles Doctores missi. 59

Ideo non illi, sed nos, cum sine Decreto tali simus, errare possumus & labi in fide. 56 *Apostoli infallibiles Doctores.*

Quare

61 Quare non est arrogandum ulli post Apostolos hoc nomen, Quod non possit errare in fide, nisi soli Ecclesiæ uniuersali. Ecclesia uniuersalis non errat.

62 SVmma, Conclusit Deus omnia sub incredulitate, ut omnium misereatur. Igitur, miserentis Dei est, quod iusti sumus, non currentis hominis.

63 Operator sit sanctus, sit sapiens, sit iustus, sit quidquid uolet. Si fides desit, sub ira manet & damnatur.

64 Quia stat sententia, Non aliquorum, sed omniũ miseretur. Et sola misericordia Dei est iusticia nostra, non opera propria.

65 Iustificatio. IVstificatio est reuera regeneratio quædam in nouitatem, sicut Iohannes dicit, Qui credunt in nomine eius &c. ex Deo nati sunt. Iohan. 1.

66 Baptismus. Inde & Paulus baptismum uocat lauacrum regenerationis & renouationis, Et Christus ipse, Nisi denuo quis renatus fuerit, non potest uidere regnum Dei. Tit. 3. Iohan. 3.

67 Ideo impossibile est, per opera iustificari, quia impossibile est nos nasci ex operibus nostris, sed potius opera nascuntur (sic loquendo) ex nobis.

68 Eodem spiritu appellamur iusti, noua creatura Dei, & inicium creaturæ Dei, qui nos uerbo suo uolens genuit. Iacob. 1.

69 Quis autem ferat hanc blasphemiam, ut opera nostra nos creent, uel ut simus operum nostrorum creaturæ.

70 Tunc liceret dicere contra Prophetam, Nos ipsi fecimus nos, & non Deus fecit nos. Psal. 95.

71 Quam blasphemum igitur est dicere, seipsum esse sui ipsius Deum, creatorem seu generantem, Tam blasphemum est suis operibus iustificari.

II. DISPVTATIO DE LEGE.

Homo iustificatur Fide, absq; operibus Legis.

1 ARbitramur hominem iustificari fide, absq; operibus Legis.

2 Opera legis. Opera legis necessario sunt, quæ uocantur merita seu optima opera.

3 Alioqui quid esset sentire, hominem iustificari sine operibus malis?

4 Paulus loquitur de lege simpliciter & uniuersaliter, Maxime de morali seu Decalogo.

5 Qui uero putant eum de ceremoniali loqui, toto cœlo errant.

Clare

Rom. 7. Clare enim allegat legem moralem ca. 7. Concupiſcentiam ne- 6
ſciebam peccatum eſſe, niſi lex diceret, Non concupiſces.

Et aperte diſputat de peccato & morte totius mundi, per Chri- 7
Rom. 3. ſtum ſaluandi, Reus ſit (inquit) totus mundus Deo, Quia ex ope-
ribus legis non iuſtificatur ullus homo.

Paulus diſputat de peccato & morte totius mundi.

Ceremonialis lex autem ſolum paruam particulam mundi (pu- 8
ta Iudæos) tenuit.

Lex ceremonialis.

Nec ullam legem ceremonialem allegat in tanta Diſputatione. 9

Iohan. 7.8 Nam Circumciſio, quam allegat, non ex Moſe, ſed ex Patri- 10
bus eſt, Iohan. 7.

Circumciſio ex Patribus eſt.

Ideo maius aliquid eſt Circumciſio, quam lex ceremonialis, quæ 11
per Moſen cœpit.

Chriſtus etiam ab initio mundi occiſus eſt pro peccatis totius 12
mundi, antequam ulla ceremonia eſſet.

Chriſtus ab initio mundi occiſus eſt. Apoc. 14.

Quare de lege & peccatis totius mundi ab inicio neceſſe eſt Pau- 13
lum intelligi.

QVI uero pergunt eum tantum de ceremoniali lege intelligere, 14
habent neceſſario concedere, Quod & tantum de peccato ce-
remoniali intelligendus ſit, cum lex & peccatum ad inuicem refe-
rantur.

Ita concedent ſequenter, Eum loqui de morte ſeu pœna pecca- 15
ti ceromonialis.

Et Chriſti gratiam in Paulo eſſe iuſticiam ceremonialem. 16

Qualis lex, tale peccatum, Quale peccatum, talis pœna & re- 17
miſſio peccati.

Qualis lex, tale peccatum.

Ita ſequitur, Quod Chriſtus ſua morte nihil effecerit, quam quod 18
ſolos Iudæos a lege ceremoniali redemerit, uel ſolum Ceremonias ab
rogauerit.

Et quod fruſtra Iudæis quoque ſit mortuus, cum pro peccatis mo- 19
ralis legis non ſit mortuus.

Hoc eſt, Chriſtus Iudæos, non tam a peccato ceremoniali præ- 20
terito, quam a futuro liberarit, ne amplius poſſent peccare, lege ſci-
licet ſublata, contra quam poſſit peccari.

Ita iuſtificatio & redemptio Chriſti aliud nihil ſit, quam abro- 21
gatio legis ceremonialis, & abſolutio Iudæorum ab illa.

QVo ſtante, Chriſtus ad Gentes nihil pertinet, ut quibus nec lex nec 22
peccatum ceremoniale fuit.

Et ſit Chriſtus plane ocioſus, & mors eius inter Gentes inanis. 23

Fruſtra tum Paulus inter Gentes currit, clamans, Iudeo primum 24
& Græco, prædicans illis liberationem a lege & peccatis eius, quæ
apud Gentes non ſunt.

25 Quin mentiuntur & Paulus & Prophetæ, ꝙ Gentes lege, pecca tis, morte, terrent, & redemptionem per Chriſtum promittunt.

26 Cum ſciant talia apud ſuos Iudæos tantum ualere, ut ſub lege cæ remoniali concluſos.

27 CLaret ergo, Qui Paulum de lege cæremoniali tantum loqui do cent, Chriſtum ſimpliciter e mundo tollunt cum uniuerſo Euan gelio.

28 Et conſtituunt noſipſos noſtros iuſtificatores, per opera mora lia ſeu Decalogum ſine Chriſto.

29 Et quid fuit opus filium Dei dari precium pro peccatis, Cum le ges cæremoniales Homo ſine Chriſto potuiſſet præſtare.

30 Nam ſicut Homo poteſt ſine Chriſto, capram mulgere, equum paſcere, domum ædificare, ſicut Gentes fecerunt.

31 Ita poteſt etiam ſine Chriſto ueſtes lauare, cæſariẽ radere, certis diebus feriari, ſacrificia mactare, lampades accendere, ſicut fecerunt impij Sacerdotes Chriſti & Prophetarum homicidæ.

32 Non multum diſſimile eſſet, ſi diceres, Chriſtum eſſe mortuum, ne ſit neceſſe, capram mulgere, & alia domeſtica opera facere.

33 SI ergo Chriſtus eſt omnium hominum Saluator, in toto mundo, Neceſſe eſt Paulum loqui de lege & peccatis omnium hominum totius mundi.

Paulus loquitur de tota ui legis &c.

34 STat ergo, Paulum loqui non ſolum de morali lege, Sed etiam de tota eius potentia & ui.

35 Quam uim ne intelligit quidem Homo animal rationale, mul to minus de ea iudicare & docere poteſt.

36 Vis autem & potentia eius eſt, occidere, ſeu peccatum æterna morte damnandum oſtendere.

37 Vbi uero cœperit homo arguente ſpiritu, hanc uim ſentire & in telligere, mox deſperat de Dei miſericordia.

Deſperatio irremiſſibile peccatum.

38 Deſperatio autem de miſericordia Dei, eſt ſummum peccatum & irremiſſibile, Niſi gratia reuocet in tempore oportuno.

39 Iſta ſunt tum uere illa ſumma opera, quæ Homo ſecundum le gem Dei moralem facit.

40 Hoc eſt quod dicit, Per Legem fieri peccatum ſupra modum pec cans, Et per legem peccatum me occidit, & Lex iram operatur. Rom. 7.

41 Nunquam peccat Homo horribilius, quam in eo articulo, quo incipit legem ſentire ſeu intelligere.

42 SVmma, neceſſe eſt, uel intellecta lege deſperare, ignorata gratia Dei, Vel nõ intellecta lege, de ſeipſo prẽſumere, contempta ira Dei.

43 Illa facit deſperabundum Dauid, qui dicit, Peccaui, proiectus ſum a facie oculorum tuorum &c.

Iſta

Ista facit securum Hypocritam & superbum Pharisæum, qui dicit, non sum sicut cæteri hominum, iniusti &c. 44

HIc uenit medius Christus, dicens, Nec tibi damnatio, nec tibi salus, Sed mihi soli gloria. 45

Tu non morieris Dauid, quia transtuli peccatum tuum in me, Nec tu Pharisæe uiues, quia iusticia tua est sine me. 46

OBtento igitur, Quod Paulus non loquatur de lege cæremoniali, sed de uera lege, uerisque legis operibus. 47

Vicerit causa nostra, & stat sententia Pauli, Hominem non legis operibus, sed fide iustificari sola. 48

Rom. 3. Galat. 3 Non enim nos, sed Paulus electũ Christi organũ, sic audet in totum mundũ fulminare, Quod homo per legem non iustificetur. 49

EXpectamus exinde a iactatoribus legis & bonorum operum, quibus iusticiam tribui uolunt. 50

Nullum exemplum impletæ legis

Vt ostendant uel unum Exemplum impletæ legis ab inicio mundi, etiam in Ecclesia, usque in finem mundi. 51

Ridiculum est in tam seria causa iactare bona opera & legis iusticiam, & tamen nullum exemplum ostendere. 52

Hoc enim proprie est in uacuo theatro ludos & res mirabiles uidere, id est, insanire, & Satanæ ludibrio teneri. 53

Nihil facilius est, quam ociosum & loquacem Sophistam, de lege & operibus multa garrire, dum interim ipse nec faciat quidquam, nec qui faciat, possit ostendere. 54

NOs, cum non possint illi suam affirmatiuam probare, ex superabundanti etiam negatiuam probamus. 55

Scilicet nullum fuisse, esse, fore exemplum legis impletæ, in ullo Sanctorum, neque in tota Ecclesia sancta catholica. 56

1. Ioh. 1. Omnium enim Sanctorum & totius Ecclesiæ uox & confessio est, Si dixerimus, Nos non habere peccatum, ueritas Dei in nobis non est. 57

Galat. 5. Et ipse Paulus, carne seruit legi peccati. Et spiritus Ecclesiarum Galatiæ carnem aduersantem ferre cogitur. 58

Rom. 7. Gala. 5. Et tota Ecclesia, petens dominica oratione, Sanctificari nomen Dei, & remissionem peccatorum &c. hoc ipso fatetur sese peccatricem esse. 59

Remißio peccatorũ

EX quibus sequitur, nullum etiam Sanctorum, nedum Legistarum operibus legis iustificari, multo minus operibus proprijs. 60

Tit. 1. 2. Tim. 2. Hos uaniloquos & φρεναπάτας signat Apostolus, cum dicit, Semper discentes, & nunquam ad scientiam ueritatis peruenientes. 61

Semper enim de debito fieri clamant, At de facto esse nihil habent, nec possunt præstare. 62

63 At per debitum fieri nemo iustificabitur aut saluabitur, sed per factum esse, seu factores Legis saluandi sunt omnes.

64 Non enim qui dicit, Domine, Domine, intrabit regnum coelorum, Sed qui fecerit uoluntatem Patris, hic intrabit &c.

65 Deus enim serio uult legem suam impleri, usque ad minimum apicem & iota, aut nullum omnino saluari.

66 REferamus hæc in formam syllogisticam, ut apertior sit nostra contra eos expostulatio & insultatio.

67 Quicunque uult intrare ad uitam, debet seruare mandata Dei.

Sed

68 Nullus Sanctorum seruat mandata Dei.

Ergo

69 Nullus Sanctorum potest intrare ad uitam.

70 Maior est manifestæ autoritatis diuinæ, ubi Christus dicit: Si uis intrare ad uitam &c. qui non fallit neque mentitur.

Si uis intrare ad uitam.

71 Minor facile probatur, ex supra dictis, Quia omnes Sancti sunt peccatores, & mandata Dei non seruant.

72 Conclusio est in bona forma consequentiæ, in secundo secundæ deducta & irrefragabilis.

73 Quo nunc ibitur? Hic iusticiarij deprehenduntur inter angustias, & merito redirent ad cor, ut Esaias loquitur.

74 NOs uero ostendimus exemplum legis impletæ, certum & fidele, sed in unico illo Homine mediatore Dei & hominum.

75 De quo uno & solo Deus dicit: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, id est, legem impleuit. *Esa. 53.*

76 Et Psal. 40. In libro scriptum est de me, ut faciam uoluntatem tuam Deus meus, uolui, & lex tua in medio cordis mei. *Psal. 40.*

77 Haud dubium, quia omnes alij non fecerint uoluntatem Dei, nec lex eius in medio cordis eorum fuerit.

78 Voluntas autem illa Dei impleta seu Christi implentis, aliud nihil esse potest, quam ipsa obedientia Christi, ut Paulus ait, Factus pro nobis obediens. *Philip. 2.*

Voluntas Dei impleta &c.

79 Qua uoluntate sanctificati sumus omnes (ut ille ait) Et per obedientiam istius unuius, iusti constituuntur multi, Rom. 5. *Hebr. 10* *Rom. 5.*

80 PRoinde omnia alia dicta & exempla Scripturæ de lege uel operibus, necesse includunt Christum pro nobis Patri obedientem.

Dicta & exempla Scripturæ de lege &c.

81 Et quod nos per inobedientientiam Adæ, semel omnes cõstituti peccatores, nunquam per nosipsos obedientes fieri possumus.

82 Et ut multa externa faciamus & patiamur, frustra tamen laboramus & sudamus, quia lex Dei non est in medio cordis nostri. *Rom. 5.*

Sensus

Rom. 8. Sensus enim carnis, non solum non subijcitur iusticiæ Dei, sed etiam odit, & est ipsa inimicitia contra Deum. 83

Si nos ipsi potuissemus Deo obedientes esse, seu implere legem, Non fuisset opus, ut loco nostrorum omnium, seu pro nobis omnibus, Dei filius obediens fieret. 84

Diaboli malicia est, qui nos iusticia seu potius opinione iusticiæ legalis ita uexat, & occæcat, ne magnitudinem peccati & mali nostri intelligamus, & hinc iram Dei contemnamus. 85

Qua non intellecta, certo scit, neque amplitudinem gratiæ & misericordiæ in Christo exhibitæ, a nobis intelligi posse. 86

Et ita sicut ab inicio fuit Homicida & Pater mendacij (hoc est, Satan Christi) Ita non cessat istis rationibus aduersari saluti hominũ. 87

Satan homicida & mendacii pater. Iohan. 8.

Anno M. D XXXV.

III. DISPVTATIO

Alia ratio iustificandi hominis coram Deo, alia coram hominibus &c.

SAtis claret hoc loco, Aliam esse rationem iustificandi hominis coram Deo, a ratione iustificandi eius coram hominibus. 1

Nam Paulus aperte fidem operibus opponit, & iustificationem coram Deo detrahit operibus tribuitque fidei. 2

Iustificatur quidem Homo ex operibus, sed gloriam habet coram hominibus, non coram Deo. 3

Iustificatur quidem homo fide coram Deo, etiamsi apud homines & in seipso ignomiam tantum inueniat. 4

HOc est mysterium Dei, Sanctos suos mirificantis, quod non solum est impijs impossibile intellectu, sed etiam ipsis pijs mirabile & difficile creditu. 5

Mysterium Dei.

Natura enim uicio originalis peccati corrupta & excæcata, non potest ultra & supra opera ullam iustificationem imaginari aut concipere. 6

Hinc illa pugna Hypocritarum, contra fideles de iustificatione, nullius nisi Dei solius iudicio dirimenda. 7

Concedimus itaque Hypocritis seu Philosophis, opera & iustificationem Legis, modo retineamus eam iusticiam esse hominum, non Dei. 8

9 Iusticia uero hominis, ut eam Deus temporaliter honoret donis optimis huius uitæ, tamen coram Deo larua est & hypocrisis impia.

10 Et mirum est Problema, quod Deus remuneret iusticiam, quam ipse reputet iniquitatem & maliciam.

11 Aperte enim in Prophetis malum manuum nostrarum appellat opera secundum legem & nostram rationem pulcherrima.

Malum manuum nostrarum.

12 Simile uidetur, ac si quis Princeps malum seruum toleret, quem sine maiore periculo Regni non possit occidere.

13 IGitur non est respiciendum neq; ad personam impij, qui iusticiam operatur, neq; ad pulchritudinem talis operis.

14 Sed ad incomprehensibilem tolerantiam & sapientiam Dei, minus malum ferentis, ne maiore malo omnia subuertantur.

15 Sicut uomica, claudicatio, aut alius morbus in corpore insanabilis toleratur, necessitate uitæ corporalis fouendæ.

16 Est enim legis iusticia morbosa ualde & adeo imbecillis, ut sæpe suam legem optimam non solum non impleat, sed leuissimo etiam motu prorsus obliuiscatur.

Iusticia legis.

17 Sed quia alia non potest haberi, toleratur & fouetur summis huius mundi bonis.

18 Deus enim pro magnitudine suæ bonitatis, parum reputat, tam indignis & malis iustis seu sanctis, tot & tanta donare.

19 Sicut sapiens Magistratus ciui malo & improbo interdum conniuet, & frui sinit ciuitate pro bono pacis publicæ.

20 Deus enim alio spectat, scilicet ad futuri regni gloriam, in quo non pertransibit incircumcisus aut immundus, ut Scriptura loquitur &c.

21 Quin & cum Ecclesia & Sanctis suis in terra non dissimili tolerantia & bonitate agit.

22 Vt quos & tolerat & fouet propter inicium creaturæ suæ in nobis, Deinde & iustos esse, & filios Regni decernit.

23 Iustificari enim hominem sentimus, hominem nondum esse iustum, sed esse in ipso motu seu cursu ad iusticiam.

24 Ideo & peccator est adhuc, quisquis iustificatur, & tamen uelut plene & perfecte iustus reputatur, ignoscente & miserente Deo.

25 Ignoscit autem & miseretur nostri Deus, intercedente & sanctificante nostrum inicium iusticiæ, Christo aduocato & sacerdote nostro.

26 Cuius iusticia cum sit sine uicio, & nobis umbraculū contra æstum iræ Dei factum, non sinit nostram inceptam iusticiam damnari.

27 Iam certum est, Christum seu iusticiam Christi, cum sit extra nos & aliena nobis, non posse nostris operibus comprehendi.

Iusticia Christi operibus non comprehenditur.

Sed

Sed Fides, quæ ex auditu Christi nobis per Spiritum sanctum in 28
funditur, ipsa comprehendit Christum.

QVare & sola fides iustificat sine operibus nostris, Non enim pos- 29
sum dicere, Ego facio Christum, seu iusticiam Christi.

Sicut tamen possum dicere, Ego facio opera, siue iusticiæ coele- 30
stis per Spiritum, siue terrenæ per naturam.

Sed sic dicendum, Ego credo in Christum, Et post facio opera 31
bona in Christo uere.

Recte igitur dicitur, Iustificari nos ex fide, sine operibus legis. 32

Quod iustificari ista includit, fide scilicet propter Christum re- 33
putari nos iustos.

Nec peccatum ullum, siue præteritum, siue reliquum in carne 34
manens, imputari, sed uelut nullum sit, remissione interim tolli.

HAnc fidem comitatur inicium creaturę nouę, & pugna cõtra carnis 35
peccatum, quod eadem fide Christi & ignoscitur & uincitur.

IIII. DISPVTATIO.

HOmo iustificandus, intelligitur homo peccator, a 1
peccatis suis liberandus. *Homo.*

Non enim sanis necessarius est Medicus, sicut nec 2
iustis opus est Liberatore.

Certum igitur est, hominem suis meritis non pos- 3
se coram Deo iustificari.

Quid enim Peccator suis meritis, hoc est, peccatis seu operibus 4
peccatoris mereretur apud Deum? *Peccatum radicale,*

Psal. 90. Peccatum radicale, capitale & uere mortale, est incognitum ho- *hominib. incognitũ*
minibus in uniuerso mundo. 5

Quanto minus cognitum esse potuit remedium peccati, cuius 6
morbus non erat cognitus.

Iohan. 16. Nullus ex omnibus hominibus cogitare potuit peccatum mun- 7
di esse, non credere in Christum Ihesum crucifixum.

Hoc est peccatum originale post lapsum Adæ, nobis ingenitũ, 8
& non tantum personale, sed & naturale.

Non credere in Christum, est incredulũ & ignarum & auersum 9
esse a Deo, qui Christum promisit Saluatorem.

Rom. 11. Galat. 3 QVare Paulus recte dicit, Omnia esse conclusa sub incredulita- 10
tem, ut Deus omnium misereatur.

Hæc incredulitas trahit secum omnia alia peccata, cum sit primi 11
Præcepti principale peccatum.

12 TEnuiter peneꝗ obscurius definiunt Scholastici, Peccatum origina le esse concupiscentiam, Alij carentiam iusticiæ originalis inesse debitæ.

13 Magna enim pars crassum illud libidinis malum pro peccato originali habent, & post remissionem tantum pœnam, infirmitatem & fomitem uocant.

14 *Naturalia integra.* Sed illi etiam impie, qui asseruerunt, naturalia mansisse post peccatum integra, tam in hominibus quam Dæmonibus.

15 Rectius illi, qui constanter fatentur, Naturam per esse peccatum Adæ corruptam.

16 Non enim potest natura simul corrupta & integra intelligi, Nisi de integritate animalium uirium dicerent, id quod non faciunt.

17 *Opera media &c.* Quanquam satis certum est fidelibus, nec animales, nec rationales uires relictas esse integras.

18 Eadem ignorantia finxerunt, Opera quædam esse, nec bona nec mala, sed media seu neutralia.

19 *Ignorãtia crassa.* Et deinceps, Ignorantiam aliam crassam, aliam inuincibilem, quæ excusaret a toto &c.

20 Hæc & similia testantur, nec peccatum nec Christum ab illis potuisse cognosci, Nec Decalogum, præsertim in prima tabula, fuisse eis intellectum.

21 POsset tamen peccatum ab effectibus suis cognosci utcunꝗ, nisi ratio etiam hic esset nimium cæcutiens & obiectorum tam facile obliuisceretur.

22 Non enim uerisimile est naturam (quam nimium ratio bonam esse somniat) tanta malorum monstra, quæ mundus quotidie facit, perpetrare.

23 Consentaneum certe uideretur, Sicut ex uero nihil nisi uerum, ita bono ex nihil nisi bonum sequeretur, aut certe minus malorum sequeretur.

24 Nunc uidemus, quam parum boni & multũ mali ubiꝗ regnet in orbe terrarum, & malos plures quam bonos esse in mundo.

25 Ita facile concluderetur, in natura illa, iudicio rationis, bona, multo plus esse maliciæ, quam bonitatis etiam politicæ.

26 Poetæ quoꝗ rarum faciunt Virum bonum, comparantꝗ monstro bimembri, & alius penuriam queritur bonorum uirorum.

27 Sed Scriptura causam peccati nos docens, testatur nihil boni esse in natura hominis, & id, quod bonum est reliquum, esse tamen in malo usu.

28 VT ergo iustificatio, quantum potest fieri, magnificetur, Peccatum est ualde magnificandum & amplificandum.

Est enim

Est enim sanatio peccati, quod totum mundum æternaliter occi- 29
dit, & infinitis malis perdit.

Quare maius est opus illud diuinũ iustificatio, quã ut ulla ratio aut 30
consideratio nostri operis aut motus hic habere debeat locum.

Et simpliciter cum Paulo hic dicendum est, quod nihil sumus, si- 31
cut ex nihilo facti sumus.

Qui uero nostri operis speciem spectant, uel aliquid esse uolunt, 32
Illi nunquam intelligent magnitudinem huius operis diuini.

Multo certe minus, quam ille uidere possit gloriam Solis, qui pu 33
tridi ligni fulgorem iactet lucente sole.

V. DISPVTATIO
DE OPERIBVS LEGIS ET GRATIAE.

NEcessaria sunt, opera omnia, tam legis quã gratiæ. 1

Opera legis sunt, quæ extra fidem fiunt, uolunta- 2
te humana. *Opera legis.*

Quam uoluntatem lex uel cogit minis & pœnis, 3
uel allicit promissis & beneficijs.

Nunquam est tamen uera & recta ea uoluntas, 4
sed semper quærens quæ sua sunt.

Ideo & in ipsis hæroicis uirtutibus, naturali hoc uicio deprauа- 5
ta est.

Multo minus ualet ipsa quidquam in religione, seu iustificatione 6
coram Deo.

Et tamen necessaria est, ad custodiendam externam disciplinam 7
& pacem.

OPera gratiæ sunt, quæ ex fide fiunt, Spiritu sancto mouente & re- 8
generante uoluntatem hominis. *Opera gratiæ.*

Necesse tamen est, eam etiam per uerbum & signum externum, 9
hoc est, minis & promissis admoneri & excitari.

Placuit enim Deo per ministerium uerbi & sacramenti, Spiri- 10
tum distribui & augeri.

Nec illa ipsa opera iustificant coram Deo, sed fiunt a iustificatis, 11
Licet recte dicantur iusticia operum, Deo grata per Christum. *Iusticia operum.*

Currere & uelle oportet, nec tamen est currentis aut uolentis, 12
sed miserentis Dei.

Nihil sibi conscium esse oportet, & tamen scire, non in hoc se es- 13
se iustificatum.

Quærere oportet per patientiam boni operis uitam æternam, 14
Nec est tamen quærentis, sed miserentis Dei.

Deniq;

15 Denicp cursum consummare, & coronam iusticiæ repositam habere oportet, Nec tamen & consummantis, nec habentis, sed miserentis Dei.

Lex dupliciter impletur.

16 LEX igitur dupliciter impletur, scilicet, per Fidem & charitatem.

17 Fide impletur in hac uita, reputante interim Deo nobis per Christum, iusticiam, seu legis impletionem gratuito.

18 Charitate implebitur in futura uita, cum perfecti erimus noua creatura Dei.

19 Quamuis improprie dicitur, Legem tunc impleri, cum futura tunc sit nulla lex, sed res ipsa, quam Lex in hac uita requirit,

20 Verum, ut causa clarius intelligi possit, ita crasse pro huius uitæ captu loqui licet.

21 Recte enim dicit S. Augustinus, Tria & septem non debent esse decem, sed sunt decem.

22 Quidquid natura tale est, non debet, imo nec potest lege esse uel fieri tale.

23 Ita Angeli & Beati in cœlo, non debent esse, sed sunt sine lege iusti, ut pura creatura Dei.

24 Cessabit enim tunc & ipsa fides, reputatio Dei & remissio peccatorum, cum uniuerso Spiritus ministerio.

25 Necp tunc amplius oratione Dominica, necp Symbolo, necp Sacramentis utemur, aut opus habebimus.

26 Mulo magis lex ipsa cessabit & euacuabitur, cum omni scientia & Prophetia & tota Scriptura.

27 Erit enim Deus in omnibus omnia, & mirabilis in Sanctis suis, noscp perfecte pura & noua creatura eius.

Quatenus lex abrogata.

28 IGitur non sic abrogata est lex, ut nihil sit, aut nihil secundum eam facere oporteat.

29 Sed iustificatio legis impleri debet in nobis per filium Dei, ut Rom. 8. dicit Paulus. Rom. 8.

Opera legis.

30 Quin & hoc officium habet, ut testificetur iusticiã fidei, simulcp ostendat, qualis Creatura ante peccatum fuimus, & post peccatum futuri sumus.

31 Interim fouemur in sinu Dei, tanquam inicium creaturæ nouæ, donec perficiamur in resurrectione a mortuis.

32 Hoc inicium autem per bona opera, si uere inest, sese ostendit, & certam facit uocationem nostram. 2.Pet. 1.

33 Igitur, si humanis uerbis liceat dicere, Non actu perfecto, sed potentia propinqua iusti sumus.

34 Formatur enim Christus in nobis continue, & nos formamur ad imaginem ipsius, dum hic uiuimus. Quare

QVare etsi absq; lege & absq; operibus legis iustificemur per fidem, tamen in fide non sine operibus uiuimus. 35

Imo fatemur, iustis non esse positam Legem, quatenus iusti sunt & spiritu uiuunt. 36

Sed quatenus in carne sunt, & corpus peccati habent, esse sub lege, Et facere opera legis, id est, nō esse iustos, nec facere bona opera. 37

Sicut dicere possemus, iustos esse sub morte, seu sub pœna legis, & sub peccato, Quia moriuntur omnes, & confitentur sese esse peccatores. 38

1. Cor. 9. Gal. 5. Oportet enim corpus castigari, & in seruitutem redigi, & carnem cum uicijs suis mortificari & crucifigi. 39

Sed ea legis opera, reputatione Dei, non habentur pro operibus legis, etiamsi natura sint talia. 40

Sicut reliquum in carne peccatum & mors, reputatione Dei, nō habentur pro peccatis & morte, etiamsi sint natura talia. 41

Proprie uero lex & opera legis apud Paulum sunt, ubi uoluntas humana operatur, sine reputatione Dei, seu extra Christum propiciatorium nostrum. 42 *Opera legis proprie dicta.*

Libenter autem legem & opera legis, & non opera hominis seu rationis uocat, ut ostendat magnitudinem peccati & morbi nostri. 43

Siquidem homo non solum nihil potest suis uiribus, ad iusticiam coram Deo, sed etiam adiutus lege docente, & operibus per legem extortis, deterior efficitur. 44

SVmma, Omnium hominum opera sunt mala & uiciosa, Sed iustorum sunt reputante Deo bona, impiorum sunt natura mala. 45

ALIA DISPVTATIO D. M. DE ILLO LVC. &c. VII. DIMITtuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

Tria sunt in isto Loco, quæ prohibent sentire, Quod remissio peccatorum impetretur dilectione, seu operibus.

PRimum est illa sententia Christi ad mulierem, Fides tua te saluam fecit, non dicit, Dilectio tua te saluam facit. 1

Ridiculum uero est, uerbum Christi humana temeritate sic torquere, Fides per charitatem formata, saluam te fecit. 2

Quasi Christus non potuisset, si id uoluisset, dilectionem addere, dicendo, Fides & dilectio tua te saluam fecerunt. 3

Imo

4 Imo de industria tacet de dilectione ad mulierem loquens, & solam fidem praedicat.

5 Sicut econtra studio tacet de fide ad Pharisaeum loquens, & solam dilectionem praedicat.

6 Igitur firmiter tenendum & urgendum est, contra Diabolum & omnes cogitationes eius, scilicet, Sola fide ante dilectionem fuisse saluam factam mulierem.

7 SEcundum est, alterum uerbum Christi, Cui minus dimittitur, minus diligit.

8 Quo uerbo definit, remissionem peccatorum esse ante dilectionem, & hanc sequi ad remissionem peccatorum, tanquam gratitudinem pro accepto dono.

Remißio peccatorũ ante dilectioné.

9 Non enim hic dicit, minus dimittitur ei, qui minus diligit, sed contra, minus diligit, cui minus dimittitur.

10 Id manifeste conuincit, remissionem esse gratuitam & absq; meritis, dilectionem uero esse fructum seu confessionem remissionis donatae.

11 Quare & hoc alterum uerbum Christi tenendum & urgendum est, contra proteruos Falsarios huius loci.

12 TErtium est, ipsa Parabola & tota res, quae per Christum hoc loco geritur, cui parabolae & rei conuenire debent (non pugnare) dicta eiusdem loci.

13 Aperte dicit Parabola hoc loco, quod Foenerator duobus debitoribus, qui non erant soluendo, gratuito remittit debita.

14 Et remissis debitis quaerit Christus, Vter plus diligat, an ille cui plus, uel cui minus dimissum est?

15 Pharisaeus hic, probante Christo, recte iudicat, scilicet eum plus diligere, cui plus dimissum sit.

16 ISta omnia potenter demonstrant, quod remissio praecedat dilectionem, & dilectio sequatur remissionem.

17 Non enim diligunt debitores Foeneratorem, donec ei debent, nec remissionem impetrant dilectione.

18 Multo minus diligunt, cum iam exigitur solutio, & ipsi nihil habent, & se damnari metuunt.

19 Sed tunc incipiunt diligere, cũ remissis debitis securi dimittũtur.

20 ITa & nos, cum solutionem debitorum praestare non possumus, sola remittentis gratia iustificamur.

21 Si enim nos debitores meritis possemus obtinere peccatorum remissionem, haberemus utiq; unde redderemus.

22 Sed Textus clare dicit, cum non haberent unde redderent, donauit utrisq;.

Donum

Donum uero non est meritum recipientis debitoris, sed gratia misserentis & largientis fœneratoris. 23

Rom. 4. Psal. 32. Sic & Paulus Roma. 4. Donum seu imputationem discernit a mercede secundum debitum. 24

Hoc donum non apprehenditur dilectione, quæ nondum adest, sed fide, quæ post diligit, & gratias agit. 25

Igitur tria ista, ut dictum est, hoc loco prohibent sentire, quod dilectio seu merita impetrent remissionem peccatorum. 26

REliquum est, ut illud uerbum Christi, dimittuntur ei, quia dilexit, non debeat contra illa tria pugnare. 27

Sed quærenda est intelligentia, quæ cum tribus istis conueniat, ne Christum faciamus sibijpsi pugnantem. 28

Nec est, more contentiosorum, unum uerbũ contra totum Textum urgendum. 29

Hoc enim non est ueritatem humiliter quærere, sed conceptum errorem superbe defendere. 30

Non est autem intelligentia melior, quam quæ ex uerbis & gestis Christi trahitur. 31

Certum est enim, quod aliter ad mulierem, aliter ad Pharisæum loquitur, illic fidem, hic dilectionem laudans. 32

Quare non potest esse in uerbis contradictio, quæ debet fieri ad idem & secundum idem, ut natura quoq; docet. 33

Pharisæus igitur heret in publica sententia seu fama, qua ista mulier secundum legis iusticiam peccatrix in ciuitate habebatur. 34

Interim ignorat, quid Christus priuatim operatus esset per fidem, qua mulier ei intus adhærebat. 35

Quin cæcus, ne hoc quidem uidet, quantum ipsa foris præstat dilectionis secundum legem. 36

Ideo Christus mulierem a publica sententia per publicam absolutionem liberaturus, damnat iudicium Pharisæi, decernens eam publice quoq; esse iustam. 37

Non enim est peccatrix, sed credens in Christum, exercet opera dilectionis meliora, quam ipse Pharisæus. 38

Hoc est, quod uersus ad Phariseum ceu publicam personam, seu de publica fama mulieris inflatum, publice loquitur, dico tibi, dimittuntur ei &c. 39

DEinde numerat facta Mulieris optima, quibus et legem impleuerit, dum ille nihil illorum fecerit, tam sanctus Iudex peccatricis. 40

Ad mulierem uero uersus, priuatim loquitur, eius priuatam fidem laudans, Tua fides, inquit &c. 41

Quasi diceret, Tu Peccatricem damnas publicam, cum ipsa non 42

ſolum fidei iuſticia, quam non uides, te longe præuenerit, Sed & legis ſeu dilectionis iuſticia, quam tu ſectando non apprehendis, te ſuperauit.

43 Cum igitur dignis pœnitentiæ fructibus, publice ſuam teſtetur fidem, & oſtendat dilectionem, debet etiam publice coram uobis abſoluta & iuſta haberi.

SVMMA.

44 CHriſtus in hoc totus eſt contra Phariſæum, ut publicum eius iudiciū de peccatrice, publica eiuſdē peccatricis iuſticia cōdemnet.

45 Ideo non ei numerat fidem, ſed opera peccatricis, & arguit nihil tale a Phariſæo præſtari.

46 Ita recte uerbum Chriſti ad Phariſæum de publica remiſſione intelligitur, Tibi dico, inquit, Id eſt, publice uobis ſignifico.

47 Hoc eſt, uolo, ut etiam coram uobis iuſta & ſancta habeatur, ut quæ plus præſtiterit in lege, quam uos & facitis & intelligitis.

48 AD mulierem uero uerſus, ceu priuatam perſonam, priuatam eius conſcientiam conſolatur, dicens, Fides tua.

49 Erat autem Iudæis intolerabile, ſi homo ſibi arrogaret poteſtatem remittendi peccata, ut Matth. 9. claret. Matt. 9.

50 Ideo, ut Chriſtus oſtenderet ſeſe eſſe Dominum omnium, abſoluit peccatricem publico hominum iudicio ream.

51 Et hoc facit ſciens & uolens, quia oſtendit eis mulierem publica fama damnatam, & tamen iuſtificat eam publice, propter publicam eius dilectionem ſeu confeſſionem.

52 SIc & in Eccleſia publice abſoluuntur peccatores, ubi oſtenderint dignos pœnitentiæ fructus.

53 Non enim poſſunt abſolui publice, qui palam perſeuerant in peccatis, nec oſtendunt ſeſe reſipuiſſe.

54 Eſt autem publica Abſolutio res magni momenti, Et mirabiliter fidem roborat & conſolatur.

55 Nam ipſa aliud nihil eſt, quam multorum ſeu eccleſiæ Deo gratæ teſtimonium, a Deo nobis donatum & approbatum.

56 Sicut conſolationes, quanto a pluribus fiunt, hoc plus efficiunt apud pauidas & turbatas conſcientias.

57 Vt & opera bona certam faciunt uocationem & electionem noſtram, quia teſtimonium ſunt fidei ueræ. 2. Pet. 1.

58 INterna uero remiſſio, fit gratuito per miſericordiam Dei, intus fide corda purificantis. Actor. 15.

59 QVi uero pertinaciter illud uerbum urgent (Dimittuntur ei, quia dilexit) Et iſta tria non uolunt audire, uitandi ſunt tanquam reprobi ſenſus homines. Tit. 1.

Non

Non enim uno hoc uerbo Christi, suis cogitationibus arrepto, tria loca & totum textum falsum facient. 60

Deinde, si ad hæc tria respondere debebunt, multum sudabunt, tamen frustra laborabunt. 61

Anno M. D XXXV.

DISPVTATIO CIRCVLARIS FERIA SEXTA, CONTRA CONcilium Constantiense, & suos Confessores, Præsidente D. Mart. Luth.

De utraq; specie Sacramenti.

ISta quæstio non est amplius in eo loco, an peccatum sit omittere uel negligere institutionem Christi de utraq; specie. 1

Sed est in eo loco, An cogere seu cogi ad omissionem eiusdem institutionis, impium uel pium sit? 2

Imo in eo loco, An ipsa institutio Christi, hæresis, & Christus hæreticus, & ei obedientes, hæretici sint. 3

PEccatum omissionis cadit in Ecclesiam & quemlibet Sanctum, modo sit omissio simplex. 4

Qualis aliquando fuit, cum Ecclesia per fraudem Diaboli spoliata fuit utraq; specie, adhuc Autore incognito. 5

Nam & omissio Decalogi, orationis Dominicæ & Symboli cadit in Ecclesiam, saltem ex parte. 6

Ideo credi potest, tale tunc peccatum esse toleratum, & nunc agnoscentibus remissum. 7

ALterum uero peccatum, scilicet, coactio ad omissionem institutionis, est per sacrilegos Pontifices & Canonistas additum. 8

Hoc peccatum non cadit in ecclesiam Dei, quæ non cogit omittere, sed seruare ea, quæ Deus instituit. 9

Sicut non cadit in Ecclesiam hoc peccatũ, ut cogat omittere Decalogum, orationem Dominicam, Symbolum. 10

TErtium peccatum, condemnatio institutionis Christi, tanquam hæresis & Christi hæretici, est peccatum nouissimum Diaboli & mundi. 11

Hoc peccatum adeo non cadit in Ecclesiam, ut nihil horribilius in auribus eius dici possit. 12

13 Sed nec in Turcam & ullum manifestum Dei hostem, Quanto minus in simplicem peccatorem, cadere potest.

14 Sed reseruatum est uni nouissimæ sentinæ sceleratissimorum & perditissimorum hominum, id est, ecclesiæ Antichristi.

15 Cum enim ecclesia Papæ non solum omittat institutionem Christi, sed etiam cogat ad omissionem eiusdem.

16 Certum est, eam non esse ecclesiam Dei, sed synagogam Satanæ, quæ peccatum præcipit, & iusticiam prohibet.

Synagoga Satanæ.

17 Et cum præterea damnet, ut hæreticos, qui institutionem Christi sequuntur.

18 Sequitur euidenter & infallibiliter, ipsam esse abominationem Antichristi, & furiosam meretricem Diaboli.

19 Nam dicere eum hæreticum esse, qui sequitur institutionem & uerbum Christi, est dicere ipsum Christum hæreticum, & institutionem eius hæreticam esse.

20 Neque enim hæreticus dici potest, nisi prior ille, quem is sequitur, hæresiarcha, & doctrina eius archihæresis fuerit.

Hæreticus.

21 Qui autem audent Christo dicere, tu es hæreticus, & Dæmonum doctrinam doces, scientes ipsum Christum Deum & Dominum esse, quem sic in os blasphemant, hi non septem sed septuaginta septem Dæmonibus uel legionibus potius dæmonum possideri credit sunt.

22 Hoc autem impudentissime facit ecclesia Papæ, sciens & uolens cum fateatur & fateri cogatur, esse Christi institutionem, quam damnat.

23 Sic enim sacerrimum illud conciliabulum Constantiense seu colluuies uerius execratissima perditorū sophistarum & canonistarum, audet ore rabido in Christum Dominum gloriæ uomere.

Conciliabulum Constantiense.

24 Licet Christus post cœnam instituerit utranque speciem, & in ecclesia primitiua a Laicis ita reciperetur, tamen hoc non obstante, consuetudo est pro lege habenda &c.

25 Hic uides in ecclesia Papæ consuetudinem incertæ originis & autoris, pro lege simpliciter statui, mera certe malicia.

26 Et pro tali lege, quæ præiudicet diuino iuri & uerbo, & ipsum Christum hæreticum faciat cum sua Ecclesia.

27 Et decuit sane tales, talis ecclesiæ, Magistros, ea percuti cæcitate & amentia, ut Christo, qui uia & ueritas, contempto, & in faciem hæresis condemnato, uagam hominum ignotorum consuetudinem seu opinionem adorarent.

28 HInc ille Moabiticus inauditæ arrogantiæ fastus, licet Christus, hoc tamen non obstante, Licet Ecclesia primitiua, hoc tamen non obstante

obſtante. Quid Chriſtus? Quid Eccleſia primitiua ad tantos Dominos rerum, porcos, Sophiſtas, & aſinos Canoniſtas?

Quid uetat, quin eodem phariſaicæ arrogantiæ faſtu ſtatuant, Licet Chriſtus inſtituerit Baptiſmum, & Eccleſia ſeruet, hoc tamen non obſtante, nos Domini ſuper Chriſtum & Deum ordinamus contrarium. 29

Item, Licet Chriſtus inſtituerit Euangelium, & Eccleſia id prædicet, tamen hoc non obſtante, nos Domini Dominorum Canones noſtros & conſuetudines illi præferendos decernimus. 30

Item, Licet Chriſtus iuſſerit abſolui pœnitentes, & id Eccleſia ſequatur, hoc tamen non obſtante, nos aliter uolumus. 31

QVid obſecro, illis obſtare poteſt, quibus nec Eccleſia nec Chriſtus ipſe obſtare poteſt? 32

Quin eodem exemplo, omnes Articulos fidei tollamus, & conſuetudinem contrariam, quæ potens & magna eſt, approbemus, ne Deo quidem obſtare potente. 33

Deus perdat & Canones & Canoniſtas, qui putant eccleſiam Dei gubernandam hoc dicto, Conſuetudo eſt habenda pro lege. 34

Compoſi, tola, teſe, tenti, quæ ſoci, bate. 35
Quiuis, exclu, ſum cri, men per, temporis, uſum.

Igitur ſibiipſis teſtimonio ſunt, ſeſe Chriſto obſtare, & Antichriſtos eſſe, quia obſtantem Chriſtum nihil curant, inſuper & condemnant. 36

His laruis dementauerunt Principes, & optimum uirum Sigiſmundum Cæſarem, ut deinde in omni re fuerit infœliciſſimus. 37 *Sigiſmundus imperator.*

Finge Chriſtum reliquiſſe liberam uel alteram, uel utranque ſpeciem, non inſtituiſſe utranque. 38

Tamen furor eſſet prohibere et condemnare, quod Chriſtus ipſe nec prohibuiſſet nec condemnaſſet. 39

Quanto magis furor furorum eſt, prohibere & condemnare id, quod ſcias certo Deum ipſum, in perſona propria & immediata ſtatuiſſe & ordinaſſe. 40

Non enim hic ſimile dari poteſt, quod Eccleſia aliquando pleraque ſtatuit, quæ poſtea mutauit, ut quæ fuerint libera & in eius poteſtate. 41

Hic autem ipſe Dominus gloriæ eſt, cuius inſtitutio non eſt in poteſtate Eccleſiæ, Hunc audite, dixit ille, qui quærit & iudicat. 42

NEc eſt ſimile (ut Aſini iſti iactant) quod Chriſtus ueſperi cœnatus inſtituerit Sacramentum, & tamen poſt Eccleſia diluculo ieiunis miniſtrauit. 43

44 Nam Christus non alligauit Sacramentum tempori aut locis, sed libera ista statuit, dicens, Quotiescunque feceritis.

45 Substantiam uero ipsam Sacramenti seu utramque speciem non statuit liberam, Ecclesiæ seu asinis & porcis istis mutabilem, sed hoc facite, inquit, rem præcepti immutabilis esse uolens.

46 IDem dicendum est de suffocato & sanguine, Act. 15. quæ postea mutata sunt, quia Gentibus libera fuerunt ante. Actor. 15.

47 Substantia uero decreti Apostolici, hactenus durauit inuiolata, scilicet, quod Gentes fide iustificatæ, legis oneribus non essent turbandæ.

48 Summa, nullum Exemplum ostendere possunt, in quo Ecclesia mutauerit ullam diuinam ordinationem.

49 Ipsi, ut sunt furore Diaboli perciti, temeritate mera, talia exempla fingere audent, ostendentes hac re, suas eximias inscitias & Scripturæ contemptum.

50 EIusdem sapientiæ sunt pulcherrimæ rationes, quas pro stabilienda altera specie, uelut ebrij somniant.

51 Scilicet quod Laici possent credere, in altera specie, non tantũ accipi, quantum in utraque, quod esset magnum periculum.

52 Quasi uero non & Clerici eodem periculo sic credere possint, ut & illis merito altera species adimenda fuerit.

53 Quid si ego contra sentiam, me non tantũ accipere altera, quantum utraque? Quia non totam Christi institutionem, sed dimidiam solum accipio.

54 ALtera ratio est, quod effussionis periculum sit in Laicis, quasi Clerici hoc periculo liberi fuerint, cum infinitis & quotidianis periculis, teste eorum libro de cautelis, uexati, sæpius totos calices effuderint.

55 Et quid est, quod Christus has rationes non perpenderit, nec Ecclesia postea illis mota fuerit, donec ad istos sanctissimos Asinos peruentum est?

56 TErtia ratio longe suauissima, quia in Lege nihil habebant de libamine, offerentes, cum de Sacrificio haberent.

57 Hac ratione nec Sacerdotes participare debent calice Domini, quia libamen nec ipsis Sacerdotibus communicabatur.

58 Quanquam quæ proportio aut figura libaminis ad calicem, aut quæ consequentia Legis ad Euangelium?

59 Tum enim maxime Christum oportuit hoc obseruare, ne contra libamen in lege utramque speciem statueret.

60 QVarta est absolutæ sapientiæ, & plane Sophistis & Canonistis dignæ, quam in Comitijs Augustæ protulerunt.

Scilicet, quod filijs Eli, 1. Reg. 2. Deus pœnam statuerit, ut partem sacerdotalem mendicare debeant. 61

Locus de sacerdotibus, parte sacerdotali puniendis, loquitur, illi torquent ad Ecclesiam seu laicos, Sacramento spoliandos. 62

Ergo locus ille, si quid efficeret, sacerdotes, non laicos, cogeret esse alterius speciei mendicos. 63

Sed seria est illa ratio, quod sacerdotes & ecclesiam Dei seu laicos hoc Sacramento oportuerit discerni, & sacerdotes superiores & digniores haberi, quam ecclesiam Dei seu laicos. 64

Hæc ratio & mihi placet, qua confitetur os eorum imprudens & impudens, quod seipsos ab ecclesia Dei separauerint, & supra eam tyrannice extulerint. 65

Hoc est, quod & nos dicimus, ecclesiam Papæ, esse regnū Antichristi, quod se opposuerit & extulerit supra Deum, & omnia diuina, & in templo Dei, sicut Deus sedeat. 66

Ecclesia Papæ regnum Antichristi.

COnsolandi sunt igitur fratres, qui ob hunc Articulum patiuntur, certi, quod sacrificium suauissimum Deo facti sunt. 67

Certum est enim, quod propter Deum patiuntur, cum dubium non sit, aduersarios, qui cogunt ad omissionem institutionis Christi, & ipsam institutionem damnant, peccare in Spiritum sanctum, & esse plane Diabolos incarnatos. 68

Et hortandi sunt illo Apoca. 18. Exite de illa, populе meus, ne participes sitis delictorum eius, & ne de plagis eius accipiatis. 69

Apo. 18.

Gaudendum est, si isti Diaboli maledixerint nobis, & dixerint omne malum contra nos, mentientes & blasphemantes. 70

Nam esse schismaticum, apostatam, hæreticum apud istam lernam Diaboli, est uere catholicum esse in Ecclesia & regno Christi. 71

Sicut summa laus & gloria est, a Diabolo apostatare, & a regno peccati & mortis schismaticum fieri. 72

Frustra igitur inflant & iactant hanc uocem, Ecclesia, cum res & fructus conuincant eos, post ipsum Diabolum, omnium pessimos Ecclesiæ hostes esse. 73

Colluuiem uero furum, speluncam latronum, & Ecclesiam homicidarum rectissime dici. 74

Primo enim ceu fures, alteram speciem clam surripuerunt, Ecclesia silente uel ignorante. 75

Post cum per Iohannem Hufs, fidelissimam caniculam Ecclesię, in furto deprehensi, allatrarentur & proderentur. 76

Ipsi furtum, multitudine & potentia freti, manifesto latrocinio cœperunt in suo Concilio defendere & rapinam suam iustificare. 77

78 Et Caniculam illam insontem & neq; auditam neq; conuictam, mera tyrannide damnauerunt, & exusserunt superbissimi homicidæ.

79 Metuebant enim, si audiretur, & conuincendus esset Huss, Ipsi palam asini ceu hostes Ecclesiæ inuenirentur.

80 Rapiat ergo Papa ecclesiæ, quæ ipse dedit, aut sui iuris sunt, quę uero non dedit, nec sui iuris sunt, a Deo autem solo donata sunt, intacta sinat, uel sacerrimus Antichristus esto.

81 Satis apparet ante concilium Constantiense fuisse in Ecclesijs controuersiam de altera & utraq; specie.

82 Et cum Ecclesia uera urgeret utramq; speciē, habens pro se Christi institutionem, aduersaria tamen de die in diem profecit & creuit, habens prò se multitudinem hominum.

83 Tum uenit Papa & Concilium, sibi multitudinem conciliantes & maiorem, sed deteriorem partem approbantes, damnauerunt minorem & meliorem.

84 Vicit impietas, prostrataq; ueritas in plateis est, corruente iusto coram impio, ut Salomon dicit.

85 Ea est enim poena & ira Dei super filios diffidentiæ.

86 Ita primum dolo reptantis leniter Serpentis, post impetu & ui irruentis Leonis, utraq; species Ecclesiæ adempta est.

87 Licet ergo illi, utcunq; uenia digni sint, qui per ignorantiam uel simplicem omissionem peccauerunt.

88 Tamen illi sunt nunc inexcusabiles, & tam qui cogunt, q̃ & qui se cogi sinunt ad omnissionem, scientes ad impia se cogere & cogi.

89 Nam illi qui cogunt, non hoc tantum agunt, ut fideles in Ecclesia omittant institutionem Christi.

90 Sed hoc agunt, ut omissionem institutionis iustificent, & coactores bene facere confiteantur, quis hoc Christianus ferat?

91 Imo quod horribilius est, cogunt eos, ut Christum hæreticum, & institutionem eius hæreticam esse affirment.

92 Deinde ut tales hæreticos, etiam persequantur & occidant, ut & Constantiense concilium præcepit.

93 Quod exemplum, si eis concedatur, mox quam primum poterunt & alium Articulum furari tentabunt, primum quadam leui omissione.

94 Post præualente consuetudine, eum ui rapient, & potestate confirmabunt, sicut in hoc Articulo fecerunt.

95 Tunc iterum erit credendum & obediendum potestati mundanæ, contra Deum.

96 Hac ratione fiet, ut Christus nullum articulum, nullum uerbū, nullum usum in Ecclesia retineat.

Tum

Tum superbissimi Satanæ Pontifices tandem Ecclesiam cogent, non Indulgentias suas tantum, & alia horrenda sua mendacia adorare. 97

Sed forte & crepitum uentris, & nidorem calceorum & pedum suorum uiuentium adorare cogent, sicut docuerunt hactenus mortuorum sudores & fœtores adorare. 98

PRincipijs igitur obstandum est, & ne iota quidem illis de uerbo & instituto Dei ullo concedendum. 99

Christus enim nobis aderit, donec fideliter eum confessi fuerimus, qui & incepit & perficiet opus suum in nobis in finem, Amen. 100

VTRVM DANIEL OPERIbus tribuat iustificationem, dicens, Redime peccata tua eleemosynis &c.

OMnium Fidelium antiquorum fides, fuit fides in Christum futurum, sicut scriptum est, Christus heri & hodie. 1

Credebant in Deum, sed eum, qui Christum promiserat, & hunc expectabant. 2

Omnia dicta de peccatis uel bonis operibus præsupponunt fidem, Ebræ. 11. 3

Quia peccatum non potest intelligi sine noticia Dei. Neque enim peccatum nouit, qui Deum uindicem non credit. 4

Nec opus bonum intelligi potest sine noticia Dei. Neque enim bonum faciet, qui Deum probantem & remunerantem non credit. 5

Heb. 11. Hoc est quod dicitur, Oportet omnem accedentem credere, quod Deus sit, & se quærentibus remunerator sit. 6

Hæc ex definitione peccati & boni operis facile intelliguntur, ut peccatum est opus contra legem Dei, bonum opus secundum legem Dei. 7 *Definitio peccati & boni operis.*

Ergo Deus subintelligitur siue præintelligitur necessario, qui intelligi non potest nisi fide. 8

Quare ante omne opus, uel creditur, uel non creditur. 9

Vnde isti loci de tota uita Christiana, seu fide incarnata intelliguntur, Redime peccata tua &c. 10

Estque sensus, Crede Deum irasci peccatis, & placari iustis, Et fidem hanc ueram esse, operibus ostende. 11

Vox peccati hic ponderanda & definienda est, & mox Deus & irascens & remittens præintelligi probatur. 12

Igitur

13 Igitur Daniel regem Babylonis ad totius uitæ conuersionem hortatus, docet fide uera (quæ facit opera) remissionem peccatorũ obtineri.

14 Dicens enim peccata tua, ostendit ei iram Dei, id est, legem, esseq; eum peccatorem coram Deo, quod ignorarat Rex.

15 Dicens, Redime eleemosynis, ostendit ei gratiam Dei, qua remittuntur peccata, si credat, & eleemosynis fidem suam probet.

16 Nam nisi crederet Danieli, se peccasse, et iram Dei meruisse, non resipisceret a peccatis.

17 Rursus, Nisi crederet Deum uelle ignoscere, non studeret eleemosynis dandis.

18 Totam ergo doctrinam, scilicet legem & Euangelium, Daniel hoc uerbo complexus est, id est, totam fidelium uitam.

19 Sicut in morali doctrina, semper præsupponitur recta ratio & bona uoluntas, dum iusta & honesta præcipiuntur.

20 Dicta uero, quæ de tota uita Christiana loquuntur seu fide incarnata, non debent trahi contra partem, id est, contra fidem solam, seu iustificantem.

21 Alioqui erit manifesta fallacia compositionis & diuisionis.

QVAESTIO DE ILLO PAVLI DICTO 1. Corinth. 13.

Si fidem habuero &c. Item, Maior horum charitas.

1 RespondEtur aduersarijs, Paulum hoc loco fidem pro dono Spiritus accipere.

2 Cum autem charitas omnium donorum Spiritualium sit maximum, merito præfertur tali fidei.

3 Sciolis & Disputantibus respondetur, Paulum hic loqui propositione hypothetica, Si fidem habuero &c.

4 Pijs etiam responderi potest, Fidem hic, etiamsi pro illa iustificante fide acciperetur, tamen charitatem ea maiorem, & sine hac illam nihil esse.

Anno M. D. XXXV.

CONTRA MISSAM PRIVATAM DISPVTATIO D. MARTINI LUTHERI.

Anno M. D. XXXV.

BAR-

BARBARA I.

Mnis cogitatio humana de rebus diuinis, est error,
Omnis Missa priuata est eiusmodi, Ergo
Omnis missa priuata est error.

BARBARA II.

Omnis uoluntas humana in rebus diuinis est impietas,
Omnis Missa priuata est eiusmodi, Ergo
Omnis Missa priuata est impietas.

BARBARA III.

Omnis cultus humanus in rebus diuinis est idololatria,
Omnis Missa priuata est eiusmodi, Ergo
Omnis Missa priuata est idololatria.

PROBLEMA DISPVTABILE.

In missa priuata uidetur non esse Sacramentum.
Et adoratores eius esse ueros idololatras.

DISPVTATIO DE POTESTATE CONCILII D. MARTINI LUTHERI.

Anno M. D. XXXVI.

Vlla autoritas post Christum, est Apostolis & Prophetis æquanda. 1

Cæteri omnes successores, tantum Discipuli illorum debent haberi. 2

Apostoli certam (non in specie solum, sed in indiuiduo quoque) promissionem Spiritus sancti habuerunt. 3

Ideo soli fundamentum Ecclesiæ uocantur, qui Articulos fidei tradere debebant. 4

Nulli successores in indiuiduo promissionem Spiritus sancti habuerunt. 5

QVare nõ sequitur, Apostoli hoc & hoc potuerunt, Ergo idem possunt eorum successores. 6

Sed quidquid uolunt docere aut statuere, debent autoritatem Apostolorum sequi & afferre. 7

1. Pet. 4. 2. Pet. 1. Sicut Petrus ait, Loquantur quasi sermones Dei, ministrent sicut uirtutem Dei. 8

Non enim uoluntate humana affertur Prophetia, sit homo in quocunque gradu. 9

Sed

10 Sed Spiritu sancto inspirantur homines Dei, ut interpretentur Scripturas, non propria interpretatione.

11 QVod si fundamentum Apostolorum non sequuntur successores, nec obseruant, hæretici sunt uel Antichristi, ut extra fundamentum perditi.

12 Possunt ergo Episcopi cōgregati seu Concilium errare, sicut alij homines, tum publici tum priuati.

13 Si uero non errant, hoc fit casu, seu Sancti alicuius inter eos, seu Ecclesiæ merito, non autoritate congregationis eorum.

14 Sicut Nicenum concilium, unius Paphnutij uirtute, errorem uitauit, ita fauente ecclesiæ suæ Christo.

Nicenum concilii. Paphnutius.

15 Non enim est ulla promissione Spiritus sanctus alligatus ad Episcoporum uel Concilij congregationem, nec hoc possunt probare.

16 PRoinde superbe & falso, ne dicam blaspheme iactant, sese in Spiritu sancto legitime congregatos esse.

17 Quis eos aut nos certos facit, quod Spiritus sanctus ad eorum congregationem necessario sit alligatus?

18 Congregari facile est, sed in Spiritu sancto congregari non possunt, nisi Apostolorum fundamentum secuti, non suas cogitationes sed fidei analogiam tractauerint.

19 HOc recte dicunt, quod repræsentent Ecclesiam uniuersalem, non enim necessario sunt ecclesia, sed sæpius repræsentant ecclesiam tantum.

20 Et si tantum repræsentant ecclesiam, tunc sunt ecclesia, sicut homo pictus est homo, id est, tantum repræsentans.

21 Quod si aliquid amplius sunt (id est, uera ecclesia) hoc fit casu (ut dictum est) non uirtute repræsentantis Ecclesiæ.

22 Testantur historiæ, sæpius Concilia fuisse ecclesiam tantum repræsentantem, raro ueram Ecclesiam.

23 Imo Concilium est semper repræsentans ecclesia, per se loquendo, sed per accidens, est ecclesia uera.

24 NEmo igitur tenetur credere decretis Ecclesiæ repræsentatiuæ, id est, Concilijs, nisi Apostolorum scripturis iudicent & loquantur, quod fit casu.

25 Cætera omnia sunt meræ repræsentatiuæ ecclesiæ, seu pictæ ecclesiæ, quibus, si non sunt impia, potest faueri.

26 Et ipsimet dicunt, quod unus homo potest toti Concilio contradicere, si meliorem rationem aut scripturam habuerit.

27 Dicunt hoc, sed mentientes, cum factis hoc ipsum fortiter negent & damnent.

Neque si

Neq; si Angelus de cœlo ueniret, sibi contradici patiuntur, neq; Paphnutios infinitos audirent. 28

In Niceno concilio unus Paphnutius Concilio restitit, nec tamen fuit combustus, sed laudatus. 29

Iohannes Huss. Hierony. de Praga. In Constantiensi, duo Paphnutij, Scripturis armati, restiterunt, nec tamen sunt laudati, sed combusti. 30

DISPVTATIO D. MARTINI Lutheri, de Cœna magna.

Anno M. D. XXXVII.

VTRVM.

HOmo qui fecit Cœnam magnam, inuitatis omnia parauit ad comedendum gratis? 1

Christus, qui per seipsum fecit cœnam æternæ salutis, uocatis per Euangelium, omnia tribuit gratis. 2

Qui uestem nuptialem intelligunt, charitatem, tolerari possunt, modo non sentiant per eam iustificari inuitatos. 3 *Vestis nuptialis.*

Etsi iuste damnatur uocatus, quod non habet uestem charitatis, tamen is qui habet, non per uel propter eam iustificatur.

Fructus est iusticiæ charitas, non iusticia, nisi inceptam dixeris, quæ quia impura & imperfecta est, sub ignoscente misericordia grata est. 4

Fides, quæ nos induit iusticia Christi, uere nuptialis uestis est, & operosa est per charitatem, seu facit opera charitatis. 5

D. MARTINVS LVTHERVS PIO LECTORI.

VEnerunt in manus meas quædam Positiones (is titulus erat) incerto Autore, inter Fratres sparsæ, quas ne silentio uiderer approbare, uolui improbandas inuulgare, ut testatum facerem, quibus possem, nos ab eiusmodi portentis prorsus abhorrere, id quod paulo post contrarijs Disputationibus (Deo uolente) manifestum faciemus.

Anno M. D. XXXVIII.

Antinomi cuiusdam Positiones.

1 POEnitentia docenda est non ex Decalogo, aut ulla lege Mosi, sed ex uiolatione Filij per Euangelium.

2 Nam Christus Lucæ ultimo ait, Sic oportuit Christum mori, & hoc modo intrare in suam gloriam, ut prædicetur in nomine suo pœnitentia & remissio peccatorum. Lucæ 24.

3 Et Christus apud Iohannem ait, Spiritum arguere mundum de peccato, non Legem. Iohan. 16.

4 Idem docet ultima concio Christi, Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ. Matt. 16.

5 Paulus, cum ad Philip. ait (Hoc sentite in uobis, quod & in Christo Ihesu, ut in timore & tremore salutem uestram operemini) præclare statuit, docendam esse Pœnitentiam (quam uocat timorem & tremorem) ex memoria Christi, non ex Lege. Philip. 2.

6 Ex concionibus Pauli & Barnabæ satis manifestum est, non esse opus Lege ad ullam partem iustificationis.

7 Sine quacunque re datur Spiritus sanctus, & homines iustificantur, ea res non est necessaria, ut doceatur, neque pro principio, neque medio, neque fine iustificationis.

8 At datus olim, & datur perpetuo Spiritus sanctus, & iustificantur homines sine lege, per solum Euangelium de Christo.

9 Ergo lex Mosi non est necessaria ut doceatur, neque pro principio, neque medio, neque fine iustificationis.

10 Maior est certa ex experientia, quam afferunt Paulus & Barnabas.

11 Idem iudicabimus de minore, nam Spiritus sanctus cecidit uisibili specie super Gentes.

12 ET quid igitur, quidam sine uerbo, imo contra uerbum Christi, contra exemplum Apostolorum, faciunt legem primam partem, & quidem necessariam ad doctrinam iustificationis?

13 Quare pro conseruanda puritate doctrinæ, resistendum est ijs, qui docent, Euangelium non prædicandum, nisi animis prius quassatis & contritis per legem.

14 Qui enim affingunt uerbis Christi improprium hunc sermonem, & dicunt primum Legem, deinde Euangelium docendum esse, hi sunt uerborum Christi contortores, non enim consistunt in simplicitate uerborum Christi.

15 Nam ut consistendum erat in simplici sensu uerborum illorum, Hoc est corpus meum, Ita consistendum erit nobis in simplicitate illorum uerbořu, Ite, prædicate Euangelium, baptizantes &c.

16 Lex tantum arguit peccata, & quidem sine Spiritu sancto, ergo arguit ad damnationem.

17 Opus est autem doctrina, quæ magna efficatia non tantum damnat, sed & saluat simul, ea autem est Euangelium, quæ coniunctim docet pœnitentiam & remissionem peccatorum.

18 Nam Euangelium Christi docet iram Dei de cœlo, & simul iusticiam Dei, Rom. 1. Est enim prædicatio pœnitentiæ, coniuncta promissioni, quam ratio non tenet naturaliter, sed per reuelationem diuinam. Rom. 1.

Ecentiorum Commentaria parum sibi constant, alicubi enim pure, alicubi impure modum iustificationis tradunt.

Puri sunt ex multis pauci isti.

LVtherus in præfatione ad Romanos dicit: Es wird offenbart durchs Euangelium Gottes zorn von Himel vber alle Menschen / vmb jres gottlosen Wesens vnd vntugent willen. 1

Item in Præfatione in Epistolam Iacobi. Wil es mit Gesetz treiben ausrichten / das die Apostel mit reitzen zur Liebe ausrichten. Hoc nomine damnatur, tanquam non sit apostolica Iacobi Epistola. 2

In Epistola ad Romanos perpetuo urget Philippus, in nouo Testamento esse urgendam uiolationem Filij, non uiolationen Legis. 3

Lutherus in summarijs Psalmorum, Psalmo, Cæli enarrant gloriam Dei. Vnd damit hebt er zu gleich auff das alte Gesetz/ welches etc 4

Et in Annotationibus confert gloriam Legis cum Euangelio, expendens diligenter, cur cœli reuelent gloriam Dei. Et inter alia inquit, cum doctrina Legis potius gloriam hominum & ignominiam Dei operetur, dumq; per opera Legis aut superbi præsumunt, aut desperati Deum oderunt, Cœlorum hæc est enarratio. 5

Cap. 40. Esa. Debet enim lex esse pædagogus corporis. At qui per eam iusticiam quærunt, constituunt eam Pædagogum conscientiæ. Sed quam longe cœlum a terra semotum est, tam longe Legem a conscientia separare debemus. 6

Item, Lex alliganda est ad corpus & exteriora membra, ut moderetur exteriora officia. Hic legis uerus & proprius usus est. Qui autem ea ad iustificationem utuntur, abutuntur lege ad suam damnationem. 7

Impuri sunt.

IN Visitatione Saxonica, Quia Christus mandat prædicandam esse Pœnitentiam & remissionem peccatorum in suo nomine, Ergo docendus est Decalogus. 1

Item de cruce tollenda, Sicut igitur Euangelium docet, legem datam esse, ut humiliet nos, ut quæramus Christum &c. 2

In Galat. dicit Lutherus, Legis proprium officium esse, ut uexet conscientiam, & perterrefaciat eam, ut eo facilius agnoscat Christum. Tales loci multi sunt in eodem Commentario, quos ut erroneos improbamus, ut puritas doctrinæ conseruari possit. 3

ALII ARTICVLI ANTINOMI.

EX non est digna, ut uocetur uerbum Dei. 1

Bistu ein Hure/Bube/Ehebrecher/ oder sonst ein Sünder/Gleubstu/so bistu im wege der seligkeit. 2

Wenn du mitten in der sünden stickest auffs höchste vnd bist/Gleubstu/ so bistu mitten in der seligkeit. 3

Decalogus gehört auff das Rathaus / nicht auff den Predigstuel. 4

Alle die mit Mose vmbgehen/ müssen zum Teufel faren/an galgen mit Mose. 5

6 Wir sollen nicht die Menschen bereiten zum Euangelio/durch die Predigt des Gesetzs/Gott mus es thun/des werck sey es.

7 In Euangelio nō debere agi de uiolatione Legis,sed de uiolatione Filij.

8 Audire uerbum & ita uiuere, est consequentia Legis.

9 Audire uerbum & sentire in corde, est propria Euangelij consequentia, In Methodo.

10 Petrus hat Christliche freiheit nicht gewust / Sein spruch/

11 Certam facientes uocationem uestram per bona opera,taug nicht.

12 Als balde du gedenckest/ So vnd so solt es in der Christenheit zugehen/ es solten feine / erbare / zuchtige / heilige/ keusche Leute sein / So hastu des Euangelij schon gefeilet / ca. 6. Luc.

I. DISPVTATIO D. MART. Lutheri, Contra Antinomos.

DE POENITENTIA.

Definitio poenitentiæ.

1 POEnitentia, omnium testimonio & uero, est dolor de peccato,cum adiuncto proposito melioris uitæ.

2 Hic dolor proprie aliud nihil est,nec esse potest,q̃ ipse tactus seu sensus legis in corde seu conscientia.

3 Multi enim audiunt quidē legem, sed quia sensum seu uim legis nō sentiunt,nihil dolent neq; pœnitent.

4 POEnitentiæ prior pars, scilicet dolor, est ex lege tantum. Altera pars, scilicet, Propositum bonum, non potest ex lege esse.

5 Non enim potest homo territus a facie peccati, bonum proponere suis uiribus, cum nec quietus, & securus id possit.

6 Sed ui peccati confusus & obrutus cadit in desperationem & odium Dei, seu descendit ad inferos, ut Scriptura loquitur.

7 Ideo addenda est legi promissio seu Euangelium, quæ conscientiam territam pacet & erigat, ut bonum proponat.

8 Pœnitentia solum ex lege, est dimidium uel inicium pœnitentiæ seu per synechdochen pœnitentia,quia caret bono proposito.

9 Et si perseuerat, fit pœnitentia Cain, Saul, Iudæ, & omnium de Dei misericordia diffidentium & desperantium, id est, pereuntium.

10 SOphistæ definitionem Pœnitentiæ, quod sit dolor & propositum &c. ex Patribus habuerunt & docuerunt.

11 Sed partes definitionis, dolorem, peccatum, propositum, non intellexerunt, nec docere potuerunt.

12 Dolorem finxerunt esse actum elicitum ui arbitrij liberi, qui detestaretur peccatum, quoties uellet aut nollet.

13 Cum dolor is sit passio seu afflictio, quam conscientia uelit, nolit, pati cogitur, lege tangente seu torquente.

Peccatum

PEccatum finxerunt esse, quod contra traditiones hominum esset, rarius, quod contra moralem legem. 14 *Peccatum.*

Originale uero post baptismum, ne peccatum quidem esse cogitauerunt, præsertim in prima tabula. 15

Ierem. 23. COntra has paleas, lex malleus Dei (ut Ieremias ait) conterens petras, omnes homines sub peccato concludit. 16

Propositum bonum putabant esse cogitationem electiciam uiribus humanis, de peccato in futurum uitando. 17 *Propositū bonum.*

Cum secundum Euangelium sit impetus Spiritus sancti, peccatum deinceps ex amore detestans, rebellante licet interim fortiter peccato in carne. 18

Nec miranda hæc eorum ignorantia, cum scriptura posthabita, nec quid lex, nec quid Euangelium esset, nosse potuerint. 19

Scilicet hominum præceptis & mandatis, prorsus immersi, ut de rebus sacris & diuinis tantum per somnia iudicarent. 20

COntra hos inutiles & desperationis Magistros, Euangelium cœpit docere, Pœnitentiam nō oportere tantū desperationem esse. 21

Sed pœnitentes debere spem concipere, & sic ex amore Dei peccatum odisse, id quod est, uere propositum bonum. 22

Hoc aliqui, causas dicendi seu materiam subiectam non considerantes, contra legem Dei dici putabant. 23

Et perniciose docent, legem Dei simpliciter tollendam esse ab Ecclesia, id quod blasphemum & sacrilegum est. 24

Vniuersa enim Scriptura tradit, pœnitentiam a lege esse inchoandam, id quod rei ipsius ordo & experientia quoq; monstrat. 25

Psal. 9. Conuertantur (inquit) in infernum omnes, qui obliuiscuntur Deum. Et, Pone Domine legislatorem super eos, ut sciant homines &c. 26

Reple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Et, In operibus manuum suarum comprehensus est peccator. 27

ORdo rei est, quod mors & peccatum est in natura ante uitam & iusticiam. 28

Non enim iusti aut uiui sumus, peccato aut morti tradendi, sed peccatores iam, & mortui per Adam, iustificandi & uiuificandi per Christum. 29

Quare prior docendus est Adam (id est, peccatum & mors) qui forma est futuri Christi, postea docendi, 30

Peccatum uero & mors, non per uerbum gratiæ & solacij, sed per legem necesse est ostendi. 31

EXperientia est, quod Adam prius arguitur legis transgressor, post per Semen mulieris promissum erigitur &c. 32

33 Et Dauid prius lege per Natan occiditur, dicentem, Tu es ille &c. Post euangelio seruatur dicente, Non morieris &c. 3. Reg. 7.

34 Paulus prius lege prostatus audit, Quid me presequeris? Post Euangelio uiuificatur, Surge &c. Act. 9.

35 Et ipse Christus Marc. 1. Pœnitemini & credite Euangelio, appropinquauit enim regnum Dei. Mar. 1.

36 Iterum, Oportuit in nomine eius prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum. Luce 24.

37 Sic & Spiritus primo arguit mundum de peccato, ut fidem doceat in Christum, id est, remissionem peccatorum. Iohan. 16.

38 Paulus epistola ad Romanos, hanc methodum seruat, ut prius doceat omnes esse peccatores, iustificandos per Christum.

39 Idem testatur Lucas in actis, Paulum docuisse & Iudæos & Gentes, neminem iustificari posse, nisi per Christum.

II. DISPVTATIO D. MART. Lutheri contra Antinomos.

DE LEGE.

1 LEX non solum est non necessaria ad iustificationē, Sed plane inutilis & prorsus impossibilis.

Lex inutilis ad iustificationem.

2 Qui autem opinione iustificationis legem seruant, ijs ipsa etiam ueuenum & pestis fit ad iustificationem.

3 Cum de iustificatione agitur, nihil potest satis dici, contra legis impotentiam & pestilentissimam fiduciam in lege.

4 Neq; enim data est lex ut iustificet, aut uiuificet, aut quidquam iuuet ad iusticiam.

5 Sed ut peccatum ostendat, & iram operetur, hoc est, conscientiam ream faciat.

De usu legis.

6 Mors non est inflicta, ut per eam uiuamus, nec peccatum ingenitum, ut per ipsum innocentes essemus.

7 Ita lex non est lata, ut per eam iusti fieremus, cum neq; iusticiam neq; uitam præstare possit.

8 Summa, quantum cœlum a terra distat, tantum debet lex a iustificatione separari.

9 Et nihil docendum, dicendum, cogitandum in re iustificationis, nisi solum uerbum gratiæ in Christo exhibitæ.

10 EX his autem non sequitur, legem esse abolendam, & e concionibus Ecclesiæ tollendam.

Lex nō abolenda.

Quin

Quin eo magis est necesse eam doceri & urgeri, quod non est 11
necessaria, sed impossibilis ad iustificationem.

Vt homo superbus & de uiribus suis præsumens erudiatur, se- 12
se per legem non posse iustificari.

Nam peccatum & mors eo maxime monstranda sunt, nõ quod 13
necessaria sint ad uitam & innocentiam.

Sed ut homo agnoscat suam iniustitiam & perditionem, & ita 14
humilietur.

Si peccatum ignoretur, præsumitur falsa innocentia, sicut in 15
Gentibus, & post in Pelagianis, cernitur.

Si mors ignoretur, præsumitur, hanc uitam esse uitam & nullam 16
in futuro aliam.

CVm uero non nisi lex utrunq; doceat, satis claret, legem esse 17
maxime necessariam & utilem.

Quidquid ostendit peccatum, iram seu mortem, id exercet offi- 18
cium legis, siue fiat in ueteri siue in nouo Testamento.

Reuelare enim peccatum est aliud nihil, nec aliud esse potest, q̃ 19
esse legem, seu effectum & uim legis proprijssimam.

Lex & ostensio peccati, seu reuelatio iræ, sunt termini conuerti- 20
biles, uelut homo, & risibile uel rationale.

Tollere legem & retinere reuelationem iræ, est idem, ac si neges 21
Petrum esse hominem, affirmes autem esse risibilem uel rationa-
lem.

SImilis sapientia est, tollere legem, & tamen docere peccatum re- 22
mittendum.

Cum dicat scriptura Spiritus sancti, sine lege peccatum esse mor 23
tuum, Et, ubi non est lex, non esse præuaricationem.

Vt impossibile sit esse aut intelligi peccatum sine lege, siue scri- 24
pta siue insculpta.

POst sequitur, Cum nullum sit (sublata lege) peccatum, nullum 25
quoq; esse Christum redemptorem a peccato. Sic enim ipse Chri-
stus dicit, Non est opus medico ualentibus.

Sine lege nullũ peccatũ, sine peccato nullus redemptor.

Cum autem Christus uenerit, non soluere sed implere legem, 26
frustra uenit, si nulla sit lex in nobis implenda.

Et cum lex Dei requirat obedientiam nostram erga Deum, tol- 27
lunt isti Nomomachi etiam obedientiam erga Deum.

EX ijs fit manifestum, quod Satan in istis suis organis, uerbaliter 28
tantum docet peccatum, pœnitentiam & Christum.

Reuera autem tollit Christum, pœnitentiam, peccatum, & uni- 29
uersam scripturam, una cum ipso Deo eius autore.

Satan tollit Christum per Antinomos &c.

Et cogitat statuere pestilentissimam securitatem, contemptum

 30

Dei, impunitatem, & perpetuam impœnitentiam, plus quam Epicurus ipse.

31 Hoc testatur illa uox eorum, quod Lex arguat peccatum, & quidem sine Spiritu sancto tantum ad condemnationem.

32 Hic apparet, eos uelle tale peccatum doceri, quod non condemnet, forte quod etiam sine Christo saluet.

33 Nam si peccatum non damnat, restat, ut Christus non redemerit nos a peccato damnante, ita nec ab ira Dei.

34 Peccatum enim non damnans, est peccatum melius, quam sit ipsa iusticia & uita. *Peccatũ non damnans.*

35 Quid enim est beatius, quam peccatum habere non damnans, id est, non existens peccatum.

36 Igitur amota lege, ita sumus salui a peccato, ut ne Christo quidem egeamus Mediatore &c.

37 SEd & hoc falsum est, quod sine Spiritu sancto arguat lex peccatum, cum lex sit scripta digito Dei. *Lex sine Spiritu S. nõ arguit peccatũ.*

38 Et omnis ueritas ubicunq; est, a Spiritu sancto est, & prohiberi legem, est ueritatem Dei prohiberi.

39 TOllere legem, ob hoc officium, quod arguat peccatum ad condemnationem, euidens est furor.

40 Nam hæc est peccati uis, ut Paulus dicit, quod peccatum est aculeus mortis, & lex uirtus peccati. *1. Cor. 15.*

41 Edamus igitur bibamusq;, & sub istis Magistris cantemus, Pereat, qui crastina curat.

42 Sublata est enim lex uirtus peccati, & consequenter sublata ui peccati, mors quoq; & infernus perierunt.

43 Non per sanguinem filij Dei legem seruantis & implentis, sed quia nos negamus esse legem Dei, quæ impleatur.

44 OMnia eorum de peccato, pœnitentia, Christo & remissione, sunt impurissima, & Satanæ ipso dignissima mendacia.

45 Lex enim, ut fuit ante Christum, nos quidem accusans, sub Christo autem per remissionem peccatorum placata, & deinceps Spiritu implenda.

46 Ita post Christum in futura uita, manebit impleta facta tunc ipsa, quod interim exegit, creatura noua.

47 QVare lex nunquam in æternum tollitur, sed manebit uel implenda in damnatis, uel impleta in beatis. *Lex nunquam tollitur.*

48 Isti uero Satanæ discipuli uidentur cogitare, legem esse temporalem, quæ sub Christo cessauerit, ueluti est circumcisio.

III. DISPVTATIO. D. Mart. Luthe. Contra Antinomos.

DE POENITENTIA.

POEnitentia Papistarum, Turcarum, Iudæorum, & omnium infidelium & hypocritarum, est per omnia similis. 1 Pœnitentia hypocritarum.

Ea est de aliquo uel aliquibus peccatis actualibus dolere & satisfacere, postea esse securum de alijs peccatis, seu originali peccato. 2

Hæc autem pœnitentia eorum, est particularis & temporalis, tantum de aliquibus peccatis, & in aliqua parte uitæ. 3

Coguntur ita sentire, qui peccatum originale prorsus non intelligunt corruptionem & perditionem esse totius naturæ. 4

POEnitentia fidelium in Christo, est ultra peccata actualia, perpetua & usque ad mortem per totam uitam. 5 Pœnitentia fideliū.

Quia ipsorum est, morbum seu peccatum naturæ detestari & odisse usque ad finem. 6

Recte enim Christus dicit omnibus suis, Pœnitentiam agite, totam scilicet uitam suorum uolens esse pœnitentiam. 7

Toto enim tempore uitæ durat peccatum in carne nostra, & aduersatur Spiritui sibi aduersario. 8

QVare omnia opera post iustificationem sunt aliud nihil quam pœnitentia, seu bonum propositum contra peccatum. 9 Opera post iustificationem.

Nihil aliud enim agitur, quam ut peccatum per legem ostensum, & in Christo remissum, expurgetur. 10

Sicut filiorum Israel erat post obtentam terram Canaan, Iebusæos in finibus suis morantes expellere. 11

Et sicut non minor erat labor, reliquos Iebusæos e finibus expellere, quam principio inuadere. 12

Ita non multo minus est, per pœnitentiam perpetuam reliquum peccati persequi, quam a principio incepisse detestari. 13

Vnde fit, ut sancti & iusti (sic exercente eos per legem Deo) sæpius tristentur & lugeant pro peccatis. 14

Cum tamen remissis peccatis in gratia sint, & in Domino debeant gaudere. 15

Imo nullum actuale peccatum allegant, & tamen miserabiliter clamant & petunt gratiam Dei, ut est in Psalmis uidere. 16

ORatio Dominica ab ipso Domino sanctis & fidelibus suis tradita, pœnitentiæ pars est & doctrina legis plena. 17 Oratio dominica pars pœnitentiæ.

Quisquis

18 Quisquis enim hanc uere orauerit, is propria uoce confitetur, se se contra legem peccare & pœnitere.

19 Qui enim petit, sanctificare nomen Dei, is fatetur nomen Dei nondum esse sanctificatum perfecte.

Sanctificetur nomē tuum.

20 Et qui petit regnum Dei uenire, fatetur se adhuc hærere ex parte in regno Satanæ, contrario Dei regno.

Veniat regnū tuū.

21 Qui uoluntatem Dei fieri petit, fatetur se magna ex parte inobedientem esse uoluntati Dei, & de hoc pœnitere.

22 At lex Dei est, quæ docet, nomen Dei sanctificandū esse, quam legem orans testatur se non implesse.

23 Et qui regnum Satanæ detestatur in sese reliquum, testatur simul se, præcipue legem primæ tabulæ, non implesse.

24 Et qui uoluntatem Dei orat in se fieri, testatur se uoluntati Dei non esse obedientem.

Fiat uoluntas tua.

25 Hanc autem orationem oportet ab Ecclesia tota orari usq; in finem mundi, & a quolibet Sancto usq; ad mortem.

26 Quia tota Ecclesia sancta est, & agnoscit sese peccatū habere, & perpetuo pœnitentiam agendam esse.

27 Quare & ipsa oratio Dominica docet, legem esse ante, sub & post Euangelium, & ab ipsa inchoandam esse pœnitentiam.

Lex est perpetua.

28 Qui enim petit aliquid, prius fatetur sese non habere quod petit, & expectat donandum.

29 Lex autem est, quæ nobis prius ostendit quid non habeamus, & quod tamen sit necessario habendum.

30 SEquitur ex his, quod hostes istos legis, oportet ipsam orationem dominicam quoq; tollere, dum tollunt legem.

Qui legē tollūt, tollunt orationem dominicam.

31 Quin & maximam partem concionum ipsius Christi tollere coguntur, ex historia euangelica.

32 Ipse enim Matth. 5. legem Mosi non solum recitat, sed etiam perfecte explicat, & non soluendam esse docet.

33 Et Pharisæum de magno & primo mandato legis erudiens, confirmat legem, dicitq;, Hoc fac & uiues. Lucæ 10.

Christus ipse docet legem.

34 Passim quoq; per Euangelium arguit, increpat, minatur, terret, & similia legis officia exercet.

35 Vt nulla unquam sit audita uel futura frons impudentior, quam istorum, qui legem tollendam esse docent.

36 Scilicet miseros homines, pudet docere & facere, quod ipse Dominus & fecit & docuit.

37 POnatur casus, quod peccatum aliunde quam per legem possit cognosci, quod tamen est impossibile.

38 Cur legem abijci oportet, si idem operetur, quod aliunde habetur, scilicet cognitionem peccati.

Et ut

Et ut grammatice seu materialiter sumpto uocabulo, lex tolle- 39
retur (Hoc enim necesse est eos sentire.)

Quis tollet illam uiuentem, insculptam in cordibus, & Chi- 40
rographum decreti contrarium nobis, quod idem est cum lege Mosi.

Vis legis non potest ex animis hominum tolli.

IIII. DISPVTATIO.
D. MARTINI LVTHERI,
contra Antinomos.

Cauenda doctrina Papistarum de pœnitentia, multo magis Antinomorum, qui nullam pœnitentiam relinquunt in Ecclesia.

NVlla fuit in Ecclesia pestilentior doctrina contra pœ- 1
nitentiam (excepta zaducæa & epicuræa) quam
Papistarum.

Hæc sustulit pœnitentiam integrã & ueram, dum 2
non permisit certam esse remissionem peccatorum.

Docuerunt enim hominem (etiam pœnitentem) 3
oportere esse incertum de gratia Dei, & remissione peccatorum.

Sed remiserunt miserum ad meritum suæ contritionis, confessio- 4
nis, satisfactionis, & tandem in purgatorium.

Nec tamen modum aut finem contritionis, confessionis, satis- 5
factionis, ne purgatorij quidem constituerunt.

Quid autem pœniteas, si incertus sis, an retineantur uel remit- 6
tantur peccata tua?

HAc ratione non docentur impœnitentes & securi, ad incipien- 7
dam pœnitentiam.

Sed territi & incipientes pœnitere, coguntur cadere in finalem 8
impœnitentiam.

Talibus pœnitentibus Christus nihil prodest, ut qui diffidere co 9
guntur, an Christus pro eorum peccatis sit mortuus.

PEriculosior etiam est impœnitentia finalis & desperantium, 10
quam impœnitentia securorum.

Impœnitentia securorum est contemptus Dei, impœnitentia fi- 11
nalis est blasphemia in Spiritum sanctum.

Impœnitentia securorũ & finalis etc.

Cauenda igitur doctrina Papistarum de pœnitentia, sicut ipse 12
infernus & Diabolus.

Multo magis cauendi sunt, qui nullam prorsus pœnitentiam in 13
Ecclesia relinquunt.

Qui

Qui legē esse nolunt, noluñt esse pœnitentiam.

14 Qui enim legem docendam esse negant, simpliciter & reuera nullam pœnitentiam esse uolunt.

15 ARgumentatio ista, Quidquid non est necessarium ad iustificationem, neq; in principio, neq; in medio, neq; in fine, id non est docendum &c. nihil est.

16 Primum, si interroges, quid istæ uerborum ampullæ, principium, medium, finis, sibi uelint? inuenias nec ipsos intelligere.

17 Vt si arguas, hominem esse mortuum in peccato, non est necessarium ad iustificationem, neq; in principio, neq; in medio, neq; in fine, Ergo hoc non est docendum.

18 Parentes honorare, caste uiuere, homicidijs, adulterijs, furtis abstinere, non est necessarium ad iustificationem, Ergo talia non sunt docenda.

19 Hominem debere politiæ & œconomiæ inseruire, non est necessarium ad iustificationem, Ergo lex eiusmodi est tollenda.

20 Has consequentias Sophistæ olim irridentes uocauerunt, a baculo ad angulum.

21 SI Syllogismus uult, hæc non esse docenda ad iustificationem necessaria, quid noui adfertur?

22 Ex hoc non sequitur, legem esse tollendam, aut non docendam, etiamsi nihil prosit ad iustificationem.

23 FAlso allegatur in Minore, experientia a Paulo & Barnaba, per quorum ministerium, sine lege Gentes sunt iustificatæ.

24 Arguit enim Paulus, omnes peccatores esse (quod officium legis est) hoc ipso, quod iustificandos esse docet in Christo.

25 Iustificandus utiq; peccator est, nondum iustus, & non nisi ex lege peccator esse conuincitur.

Sine lege.

26 (Sine lege) ubiq; in Paulo intelligi debet, ut Augustinus recte exponit, lege adiuuante, id quod semper secuti sumus.

27 Nihil enim iuuat lex ad impletionem sui, sed requirit impletionem sui.

28 Requiritq; etiam adeo sæuere, ut Christo ipso teste, nec ociosum uerbum uelit impunitum. Matt. 12

29 Et eodem Domino teste, neq; unum iota aut apex preteriri possit a lege, donec omnia fiant. Matt. 5.

30 Deniq; soluendum est debitum, si non opponatur Christus legi exactrici, usq; ad nouissimum quadrantem.

31 NOn facit gratia & remissio peccatorum securos de peccato, morte ac lege, quasi amplius sint nihil.

32 Sed multo magis diligentes & solicitos, ut per Christum saluatorem ea quotidie uincamus.

Lex enim nulla nostra necessitate, sed de facto iam, inuitis nobis adest, ante & in principio, medio, fine, & post iustificationem. 33

Vult enim ab inicio peccati per Adam perpetrati, usque quo per Christum uictorem impleatur, doceri, nosci & regnare. 34

SOla uero fides in Christo iustificat, sola implet legem, sola facit opera bona, sine lege. 35 *Sola fides iustificat*

Sola enim accipit remissionem peccatorum, & sponte facit opera bona per charitatem. 36

Verum est, post iustificationem sponte sequi bona opera, sine lege, scilicet iuuante, nec iam extorquente. 37

SVmma, lex nō est utilis nec necessaria ad iustificationem, neque ad ulla bona opera, multo minus ad salutem. 38

Sed econtra iustificatio, bona opera & salus, sunt necessaria ad legis impletionem. 39 *Bona opera.*

Acto. 3. Venit enim Christus saluum facere quod perierat, & ad restitutionem omnium, ut Petrus dicit. 40

Qnare non tollitur per Christum lex, sed restituitur, ut fiat Adam talis, qualis fuit, & etiam melior. 41

V. DISPVTATIO D. MART. Lutheri, contra Antinomos.

Anno M. D. XXXVIII. Mense Septembri.

EX dominatur in homine, quanto tempore uiuit. 1

Liberatur autem a lege dum moritur. 2

Necesse est igitur hominem mori, si a lege uelit liberari. 3

Quod si lex dominatur uiuenti homini, dominatur & peccatum uiuenti. 4

Quare hominem mori oportet, si a peccato liberari uelit. 5

Cor. 15. Lex enim uirtus est peccati, stimulus autē mortis peccatum est. 6 *Lex uirtus peccati*

Hæc tria, lex, peccatum, mors, sunt inseparabilia. 7

Quatenus igitur mors adhuc est in homine, eatenus peccatum & lex est in homine. 8

LEgem accipimus extra Christum, hoc est, literam nondum impletam, tamen implendam necessario a nobis. 9

In Christo quidem lex impleta est, peccatum deletum, mors destructa est. 10

Hoc est, si in Christo per fidem crucifixi & mortui sumus, talia sunt uera in nobis quoque. 11

12 At si uiuimus, in Christo nondum sumus, sed extra Christum sub lege, peccato & morte agimus.

13 Res ipsa autem & experientia testatur, ipsos iustos quoq; morti adhuc tradi quotidie.

14 Quare necesse est, ipsos, quantum sub morte sunt, sub lege quoque & peccato adhuc esse.

15 PRorsus imperiti & mentium deceptores sunt, qui legem ab Ecclesia tollere uolunt.

16 Hoc enim non solum est stultum & impium, sed prorsus impossibile.

17 Si enim legem tollere uoles, oportet ut simul & peccatum & mortem tollas.

18 Mors enim & peccatum per legem sunt, ut Paulus dicit, lex occidit, & uirtus peccati lex.

19 Cum uero uideas iustos quotidie mori, quanta est stulticia, eos sine lege esse putare.

20 Nam si lex non esset, nec peccatum nec mors esset.

21 PRobare igitur debuerant prius, iustos esse prorsus sine omni peccato & morte.

22 Aut ipsos amplius in carne non uiuere, sed de mundo sublatos esse:

23 Tum recte doceretur, etiam legem prorsus esse illis sublatam, & nullo modo docendam.

24 Hoc autem cum probare non possint, sed experientia ipsa contrarium in faciem eorum ostendat.

25 Insignis est impudentia istorum Magistrorum, legem uolentium tollere ab Ecclesia.

26 SEd longe maior est impudentia, seu uerius insania ipsorum, legem etiam ab impijs tollendam & non docendam esse.

27 Si enim sanctis & iustis est peccatum & mors ipsorum, id est, lex proponenda, quibus tamen non est posita.

28 Quanto magis impijs & malis, quibus proprie & maxime posita est, debet proponi.

29 QVod si fingunt, suam Ecclesiam seu auditores simpliciter esse omnes pios, & sine lege Christianos.

30 Patet eos prorsus insanire, & nescire quid loquantur aut affirment.

31 Nam hoc est aliud nihil, quam omnes auditores eorum putare ex hac uita sublatos esse.

32 Hoc autem putare, est sibijpsi in uacuo thearto ludos fingere & spectare.

Sunt

Sunt enim in hoc seculo semper, tum iusti in carne uiuentes, tum etiam mali maiori numero illis permixti. 33

VT igitur lex est posita, haud dubie docenda & non tollenda, qua peccatum & mortem, seu iram Dei agnoscant. 34

Ita pijs eadem est posita, quatenus nondum mortui sunt, & in carne adhuc uiuunt. 35

IN Christo suscitato certe nullum est peccatum, nulla mors, nulla lex, quibus subiectus erat uiuens. 36

Sed idem Christus nondum est in suis fidelibus perfecte suscitatus, imo cœpit in eis, ut primitiæ, suscitari a morte. 37

In impijs uero, quorum maior est numerus in Ecclesia permixtus, adhuc totus est mortuus, imo nihil est omnino. 38

Et sunt illi simpliciter sub lege, & eos oportet lege, etiamsi fieri posset, fulmine corporali terreri. 39

Quatenus Christus in nobis est suscitatus, eatenus sumus sine lege, peccato & morte. 40

Quatenus uero nondum est in nobis suscitatus, eatenus sumus sub lege, peccato & morte. 41

QVare lex promiscue docenda est (sicut & Euangelium) tam pijs quam impijs. 42

Lex bonis & malis docenda.

Impijs, ut territi agnoscant suum peccatum, mortem & ineuitabilem iram Dei, per quam humilientur. 43

Pijs, ut admoneantur, carnem suam crucifigere, cum concupiscentijs & uitijs, ne securi fiant. 44

Securitas enim tollit fidem & timorem Dei, facitque nouissima peiora prioribus. 45

VIdetur satis aperte, Antimos opinari, peccatum esse formaliter & philosophice seu iuridice sublatum per Christum. 46

Et eos prorsus nescire, solum reputatione & ignoscentia Dei miserentis esse sublatum. 47

Relatiue enim, non formaliter aut substantialiter, est peccatum sublatum, lex abolita, mors destructa. 48

Ephe. 4. Et hoc totum propter Christum, in hac uita, donec occurramus in uirum perfectum, in plenitudine ætatis Christi. 49

SCimus, & ipsi ex nobis didicerunt, Christum esse nobis factum sacramentum & exemplum. 50

Non nostra, multo minus ipsorum, sed Augustini est hæc pulcherrima cogitatio. 51

Qua dicit Christum suo simplo concinere nostro duplo, & facere perfectum numerum. 52

53 Sed neque Augustinus autor, neque nos Discipuli eius, hanc affinximus consequentiam, legem ideo esse tollendam.

54 Hanc ipsi e suo capite, ut essent noui Autores, & præ cæteris illustres, Diabolo magistro addiderunt.

55 QVatuor uias Scriptura tradit prædicandi & docendi ad salutem hominum, ex quatuor operibus Dei collectis.

56 Deus enim terret minis, solatur promissis, monet afflictionibus, allicit benefactis.

57 Sed hæc quatuor, dum docentur, non tollunt legem, sed stabiliunt legem.

58 Benignitas Dei adducit ad pœnitentiam, hoc est, ut legem peccati uirtutem esse agnoscas. Rom. 2.

59 Et lex terrens & occidens, id agit, ut ad seipsum, seu ad sui cognitionem cogat.

60 HOc agunt ipsi fanatici, ut per sacramentum & exemplum Christi ipsum Christum tollant.

61 Nam si lex tollitur, nescitur quid Christus sit aut fecerit, dum pro nobis legem impleuit.

62 Si enim plenitudinem legis, id est, Christum intelligere uolo, necesse est scire, quid sit lex & plenitudo eius.

63 Id doceri non potest, nisi doceatur, in nobis legem non esse impletam, & ideo nos reos peccati & mortis esse.

64 Hoc si docebitur, discimus nos omnes esse debitores legis & iræ filios.

65 Impios simpliciter, carne & spiritu, seu totaliter, Pios uero, quatenus in carne sunt & uiuunt.

66 EST igitur legis doctrina in Ecclesijs necessaria, & omnino retinenda, sine qua Christus retineri non potest.

67 Quid enim de Christo retineas, dum lege remota, quam ille impleuit, nescias quid impleuerit?

68 Denique sic est lex impleta in Christo, ut eam sic docere non possis, nisi doceas & legem in nobis non esse impletam.

69 Summa, legem tollere, & peccatum mortemque relinquere, est morbum peccati & mortis ad perniciem hominibus occultare.

70 Sublatis morte & peccato (ut Christus fecit) fœliciter tolleretur, imo lex stabiliretur, Rom. 3.

VI. DISPVTATIO D. MAR. Lutheri, contra Antinomos.

Anno M. D. XL.

Ista

Sta consequentia S. Pauli, ubi non est lex, ibi nec praeuaricatio, non solum theologice, sed etiam politice & naturaliter bona est. 1

Similiter & illa, ubi non est peccatum, ibi nec poena nec remissio. 2

Similiter & illa, ubi non est poena nec remissio, ibi nec ira nec gratia. 3

Similiter & illa, ubi non est ira nec gratia, ibi nec diuina nec humana gubernatio. 4

Similiter & illa, ubi non est diuina nec humana gubernatio, ibi nec Deus nec homo. 5

Similiter & illa, ubi non est Deus nec homo, ibi nihil nisi forte Diabolus. 6

Quo fit, ut Antinomi legis hostes, sint plane uel ipsi Diaboli, uel Diaboli fratres. 7

Nihil iuuat Antinomos, quod glorientur se de Deo, Christo, gratia, lege &c. plurima docere. 8

Non nouum nec rarum est, nomen Domini in uanum sumi, etiam ab ipsis Dæmonibus. 9

Antinomorum confessio similis est illi, ubi Dæmones clamant, Tu es filius Dei uiui, Luc. 4. & 8. 10

Et illorum Pseudoprophetarum iuramento, Viuit Dominus, cum tamen falso iurarent, teste Isaia & Ieremia. 11

Qui legem damnantem negat docendam esse, reipsa legem simpliciter negat. 12

Ac si quid de lege docet, uelamen Mosi, non faciem claram & ueram, id est, carnaliter intellectam docet. 13

Lex non damnans, est lex ficta & picta, sicut Chymera aut Tragelaphus. 14

Nec politica aut naturalis lex est quidquam, nisi sit damnans & terrens peccatores, Rom. 3. 1. Pet. 2. 15

Hinc recte dicitur, Ex malis moribus bonæ leges fiunt. 16

Quidquid de Deo, Christo, fide, lege, gratia &c. loquuntur Antinomi, sine intellectu, ut psitacus suum chære, loquuntur. 17

Ideo impossibile est ab Antinomis discere theologiam, aut politiam. 18 *Antinomi fugiendi*

Quare uitandi sunt, ut licentiæ & indulgentiæ ad omnia facinora pestilentissimi magistri. 19

Non enim Christo, sed suo uentri seruiunt, & hominibus placere uolunt, a die humano gloriam furenter quærentes. 20

DISPVTATIO D. MARTINI LVTHERI.

De illo Christi dicto, Vade, uende, relinque omnia &c.

Anno M. D. XXXIX.
Mense Marcio.

1 DOminus hoc ipso, quod docet uendere & relinquere omnia, concedit, imo præcipit quærere & possidere omnia. Mar. 10. Luc. 18.

2 Non enim poteris uendere aut relinquere, nisi quod iuste acquisieris & possederis.

3 Alioqui dici oportuit, omnia esse reddenda & restituenda, ceu furta, rapta, iniusta.

4 Manifestum est, in secunda tabula præcipi, omnia quærere & possidere, dum dicit, Furtum non facies.

5 Hoc est, tuum, non alienum habeas, seu (ut Paulus ait) laboret quilibet, ut habeat quod det egenti. Ephe. 4.

6 Et ipse Paulus quærebat manuum opere uictum, & possidebat suum. Acto. 20.

7 Ita dum prohibet adulteria, cogit habere uxores proprias, ut Paulus dicit, unusquisque suam habeat. 1. Cor. 7.

8 Certum est autem, quod Christus non uenerat soluere legem secundæ tabulæ, sed magis confirmare. Matt. 5.

9 Quin & Magistratum & iura politiæ ubique confirmat, etiam coram Pilato, dicens, Datum est tibi desuper. Iohan. 19.

10 Hæreticum igitur est, quod Monachi putant, Christi euangelium seruari non posse, nisi secundam tabulam cœlibatu & paupertate contemnant.

11 Estque hypocrisis & mendacium insigne, quod prætexunt, sese uendere & relinquere omnia.

12 Oportet enim uiuere eos, uel de datis per alios, uel acquisitis per se ipsos, ut testatur res & experientia.

13 At dum edunt, bibunt, uestiunt, habitant, certe non uendunt nec relinquunt omnia, sed habent & utuntur omnibus.

14 Sed hoc pulcherrimum commentum est, quod de alienis bonis uiuunt ociosi & securi, & paupertatem, seu relinquere omnia, faciunt idem quod in communi possidere.

15 Hoc est suauissimum relinquere propria, modica & incerta, & pro ijs accipere aliena plurima & certissima.

Christus

Christus autem dicit, uendenda & relinquenda esse omnia pro- 16
pria, haud dubie multo magis omnia aliena & communia.

Igitur si monastico sensu uolent relinquere & uendere omnia, 17
oportet eos exire de hoc mundo.

Imo exire oportet illuc, ubi non uiuitur, editur, bibitur, uesti- 18
tur, habitatur, ut sic uere omnia relinquant.

Nam uita, seu quod uiuis, edis, bibis, uestis, locus, hora & si- 19
milia, quibus uteris, tua sunt ipso usu.

Si uero tua non sunt, iam fur aut latro es, aliena uorans, & pro 20
tuis usurpans.

CHristus loquitur de relinquendis & uendendis omnibus pro- 21
pter primam tabulam, seu confessionem & causam publicam fi-
dei.

Matth. 13 In causa enim primæ tabulæ retinenda, emendaque ista Gemma 22
regni cœlorum, uendendus est Ager, relinquenda & amittenda sunt
omnia.

Tunc enim quod in secunda tabula iuste habes & possides pro 23
hac uita, propter primam tabulam, id est, uitam æternam, est hila-
riter amittendum.

Extra causam primæ tabulæ, seu confessionis, sunt omnia pa- 24
randa, seruanda, defendenda, administranda.

Quia tenemur tabulæ secundæ obedire, id est, iure diuino & na- 25
turali corpus & hanc uitam fouere, alere, tueri, administrare.

1. Tim. 5. Extra causam primæ tabulæ, seu confessionis, si quis suis non 26
prouidet, fidem negat, & est infideli deterior. Et Christus, non se-
paret homo, quos Deus coniunxit.

Hoc est, ita relinquendo suos & uendendo sua, simul ultra ta- 27
bulam secundam, peccat & in primam.

Sic contra, qui in causa Dei non dixerit ad se, suos, sua, Nescio 28
Deut. 33. uos, non solum legem primæ tabulæ, sed nec secundæ seruat.

Qui contra Deum iniuste tenet, uocante tabula prima, quod 29
a Deo habet & iuste possidet, præcipiente tabula secunda.

EXtra causam confessionis, Christianus est ciuis huius mundi, de- 30
bens facere & ferre, quæ sunt suæ ciuitatis, iuxta tabulam secun-
dam.

Si nunc latro aut fur tibi uim inferre, uel furari uolet, eo quod
tu Christianus es, hic resistendum est malo, si uis pius ciuis esse hu- 31
ius mundi.

Quia sicut magistratus ipse resistit, cuius membrum es, ita 32
præcipit tibi resistere, uirtute secundæ tabulæ, cui teneris obedi-
re.

33 Ita si latro in itinere te occidere uolet propter Christum, debes te defendere, etiamsi occidendus sit ille.

34 Quia scis magistratum præcepisse, latronibus resistendum, & suos ciues defendendos esse, hoc ipso obedis tam primæ quam secundæ tabulæ.

35 Nec curandum, si Christum, id est, tabulam primam prætendat, cum certum sit, quod non propter Christum, sed propter rem tuam te occidere quærat.

36 SI uero magistratus, siue prophanus, siue male Christianus, te persequitur propter Christum, omnia sunt relinquenda, uendenda, perdenda.

37 Magistratus enim non est latro aut fur, rapiens corpus, uxorem, liberos & rem priuatam, sed contra fures & latrones hæc omnia defendit.

38 Quare magistratus, siue prophani siue impij, non sunt contra nos, sed nobiscum & pro nobis, in secunda tabula.

39 Summa, magistratus qualis qualis sit, præcipit semper & ubiq; pacem seruari inter subditos, cuiuscunq; sint religionis.

40 Ideo non licet priuatis, quales quales sint, hac pace præcepta, facere uel ferre uim priuatam, sed magistratus est inuocandus.

41 Cæterum magistratus impij, propter religionem, id est, propter primam tabulam uolunt uideri agere, quod agunt.

42 Hic si non uolunt melioribus informari, habet locum doctrina Christi, Vade, uende, relinque, cede, perde omnia, etiam ipsam Animam.

43 Quia ultra regnum hoc mundi non est superius aliud regnum, quod pro nobis contra hoc regnum stet, nisi illud æternum regnum Dei.

44 Ita sub magistratu prohibente malum, tenemur obedire, & non ferre, sed resistere malo, uirtutæ secundæ tabulæ.

45 Magistratui uero inferenti malum propter primam tabulam (aliam causam habere non potest) non est resistendum.

46 Quia non habemus alium magistratum, sub quo prohibente malum istius magistratus, possemus aut deberemus resistere.

47 Sicut non habemus aliam quandam tabulam secundam, propter quam liceret contra istam priorem agere.

48 Tabula enim secunda, sicut & magistratus, pertinent ad hanc uitam mundi, diuinitus dati & constituti.

49 Ideo nostrum non est, imo prohibitum est, dissipare magistratus & politias a Deo ordinatas, propria temeritate.

50 Sed dandus est locus iræ, & non defendendi ipsi a nobis ipsis.

Euidens

EVidens est, Papam non esse magistratum, neque ecclesiasticum neque politicum, sed neque oeconomicum. 51

Tres enim Hierarchias ordinauit Deus contra Diabolum, scilicet oeconomiam, politiam & ecclesiam. 52

Ecclesiasticum non esse conuincit, quod Euangelium damnat, & conculcat, per suas blasphemias in iure Canonico. 53

Politicum non esse conuincit, quod iura ciuilia sibi subiecit, sicut & Euangelium. 54

Oeconmicum non esse conuincit, quod nuptias & coniugium prohibet, quibus libitum est, non tantum sacerdotibus. 55

Sed est illud monstrum, de quo Daniel dicit, quod aduersatur 56
Dan. 12. omni deo, etiam deo Deorum.

Et quod Paulus, Danielis uerba secutus, uocat aduersarium Dei, 57
2. Thes. 2. hominem peccati, filium perditionis.

NOstri Germani uocant Beerwolff, quod Græci, si forte notum 58
illis fuisset, dixissent ἀρκτόλυκον. Beerwolff.

Hoc animal lupus est quidem, sed a Dæmone arreptus lacerat omnia, & elabitur omnibus uenabulis & armis. 59

Ad quod opprimendum necessarius est concursus omnium pagorum & oppidorum, singulorum & omnium uirorum, etiamsi sic tandem euadat. 60

Nec est hic expectanda Iudicis sententia, aut Concilij autoritas, sed expendenda præsens calamitas & necessitas. 61

Quod si læsus aliquis fuerit per hoc monstrum, dum occidendum persequitur, nulla conscientia persecutionis tenetur, sed poenitentia de non occiso. 62

Nec est hic curandum, si Iudex aut rusticus in Pago hoc animal iubeat liberum dimitti, uel etiam defendat. 63

Nam Iudex & rusticus tenentur nosse huius monstri naturam, & per sese magis persequi, quam ipsi persecutores. 64

Quod si Iudex & rustici a persecutoribus istius monstri occidentur in tanto tumultu, nihil iniuriæ eis illatum est. 65

ITa, si Papa bellum mouerit resistendum est ei sicut monstro furioso & obsesso, seu uere ἀρκτολύκῳ. 66

Non enim est episcopus, neque hæreticus, neque princeps, neque tyrannus, sed uastatrix omnium belua, ut Daniel dicit. 67

Nec curandum, si habet militantes sibi principes, reges, uel ipsos etiam cæsares, titulo Ecclesiæ incantatos. 68

Qui sub latrone militat (quisquis fuerit) militiæ suæ periculum cum æterna damnatione expectet, 69

Nec

70 Nec saluat reges, principes, sed nec cæsares, quod iactantur Ecclesiæ defensores, cum scire teneantur, quid sit ecclesia.

71 IMpossibile fuit, Papas condere leges, utiles eecclesiæ & fidelium saluti.

72 Primo, quod fuerunt & sunt homines in scripturis indoctissimi & negligentissimi, quod testantur eorum decreta & epistolæ.

73 Neq; enim ex toto corpore papistici iuris & epistolarum discere poteris, quid sit ecclesia, fides, uerbum, præceptum Dei.

74 Ideo fuit necesse, Papas ambitione, superbia, auaritia, fastu, esse excæcatissimos, in qua re fuerunt semper exercitissimi, ut S. Pe- 2. Pet. 2.
trus dicit.

75 Iudex cupiditate & alijs prauis affectibus captus, necessario iudicat sicut cæcus de colore.

76 Hoc ipsi Iuristæ fatentur, Decreta Papæ graueolere ambitio-
Doctrina Papæ. nem & auaritiam, nec mirum, sunt enim ignorantes Dei.

77 Et, quod Canonista purus, est asinus uerus, quod uerbum est plane uerissimum.

78 Nulla decretalis est, quæ non in principio, medio & fine horrendis blasphemijs arroget sibi dominium ecclesiæ, & per hoc rerum omnium.

79 SEcundo, Est etiam ideo impossibile, quia ultra Scripturam nihil potest condi, uel de fide, uel de moribus, ad salutem necessarium.

80 Sed quæ Cæsar uel alius quicunq; princeps de hac uita ordinat, ad fidem non pertinent, sed sunt pro hoc mundo necessaria.

81 TErtio, Est ideo impossibile, quod Papæ nullum ius habent leges condendi, neque ecclesiasticas, neque ciuiles, neque œconomicas.

82 Præcepit enim Christus per Apostolos, quod & exemplo proprio firmauit sub Pilato, obedire magistratibus, ut notum est.

83 Hoc cum seruarint omnes primitiuæ Ecclesiæ, Episcopi & Fideles, solus & unus Papa ausus est conculcare.

84 Nec cogitat belua arctolycus, quod non est rex, nec gubernator regnorum a Deo constitutus.

85 Et tamen in alienis regnis, politijs, domibus lacerat, facit & furit, sicut arctolycus.

86 Sic ausus est, reges deponere, subditos ab obedientia & homagio (contra Paulum Roman. 13.) absoluere, & omnia contur- Rom. 13.
bare.

87 Sic ausus est, Scripturas sanctas sibi subijcere, & pro uoluntate sua interpretari, & Ecclesam extinguere.

Sic au-

Sic auſus eſt, patriam poteſtatem tollere, data licentia liberis 88
contra parentes inuitos contrahere coniugia.

Similiter contra Paulum, licere deſerere parentes, & monaſte- 89
rium ingredi, etiamſi parentibus in morte ſeruiendum eſſet, non tan-
tum proximis.

Similiter ſponſis & ſponſabus etiam ſuo iure (iniuria) deſpon- 90
ſatis, liberum facit, religioſos fieri.

Summa, Nihil eſt ordinationis diuinæ & humanæ, quod hæc 91
belua non uaſtauerit.

Anno M. D XL.

DVODECIM CONSILIA EVANGELICA FALSO CONficta a Sophiſtis.

Matt. 19. I. Paupertas, Matth. 19. Si uis perfectus eſſe, uade & uende omnia, quæ habes &c.

Luce 9. II. Abnegatio ſui ſeu obedientia, Luc. 9. Si quis uult uenire poſt me, abneget ſeipſum.

Matt. 19 III. Caſtitas, Matth. 19. Sunt eunuchi, qui caſtrauerunt ſeipſos propter Regnum cœlorum.

Matt. 5. IIII. Non retribuere malum pro malo, Matth. 5. Benefacite ijs, qui oderunt uos.

Matth. 5. V. Pacientia iniuriæ, Matth. 5. Si quis te percuſſerit in maxillam dextram, præbe ei & alteram.

Luc. 6. VI. Supererogatio operum miſericordiæ, Luc. 6. Omni petenti te, tribue.

Matth. 12 VII. Compeſcere iuramentum & uerbum ocioſum, Matth. 12. De omni ocioſo uerbo reddent rationem, Matth. 5. Non iurare omnino.

Matt. 18. VIII. Vitare occaſionem peccandi, Matth. 18. Si te oculus tuus ſcandalizat, erue eum.

Matth. 7. IX. Prudenter operari, ne fiamus hypocritæ, Matth. 7. Attendite, ne iuſticiam ueſtram faciatis coram hominibus.

Matth. 23. X. Facere quod doces, Matth. 23. Dicunt & non faciunt, Ideo conſulit hypocritæ: Primo eijce trabem de oculo tuo.

Matth. 6. XI. Non eſſe ſollicitum de uictu, Matth. 6. Nolite ſolliciti eſſe dicentes: Quid manducabimus

Matt. 18. XII. Correptio fraterna, Matth. 18. Si peccauerit frater tuus, uade & corripe eum inter te &c.

Habes hic teſtimonium, pie Lector, Papam auſu temerario Scripturam ſanctam ſibi ſubiecisse, ac pro libidine ſua interpretatum fuiſſe &c.

Hoc

Hoc ultimum tamen intelligitur de peccatis uenialibus, nam de mortali est præceptum obligans semper, sed non ad semper scilicet, dum uidebitur esse utilis correptio.

Differunt { Præceptum / Consilium } Euangelicum.

Præceptum est doctrina Dei generalis, omnem hominem semper obligans sub pœna peccati mortalis.

Consilium est doctrina Dei specialis, solum obligans sub pœna peccati uenialis, pro tempore huius uitæ.

HAEc est Theologia uulgatissima Papæ & Sophistarum, & ita recepta, ut etiam probata sit ab ipso S. Iohanne Huss, in eo ipso Libro, ob quem passus est ignem, nam ad uerbum fere refert ea omnia, Cap. 7.

Sed & Sorbona in suo Decreto aduersus Lutherum damnatum dictat, esse hæc oneratiua nimis Christianæ religionis, si pro præceptis teneri oporteat. Hinc illa famosa apud eos disputatio, Vtrum lex Mosi sit grauior uel Euangelij? Et decernunt uiri tanti, sane sapientissime in hunc modum.

Lex & Euangelium, quo ad grauitatem, habent se ad inuicem, sicut excedentia & excessa, nam quo ad abrogationem ceremoniarum, Euangelium est facilius, sed quo ad prohibitionem animi, Euangelium est grauius, quia lex manum, Euangelium prohibet animum, ut dicit Magister lib. 3. dist. 40.

HIc disce, frater Christiane, quantum debeas doctrinæ huic (gratia Dei) hoc seculo reparatæ. Nam quid (rogo) facit nobis reliquum, tandem de ipso Mose seu Decalogo quoq; (ut de Christo taceam) hæc Theologia pharisaica?

In perpetuam rei memoriam, maxime uero in redemptoris gloriam, ista sunt memori mente seruanda & exaggeranda, aduersus impudentissimos rabulas, papisticæ abominationis defensores.

Ex his enim intelligis, quid uouerint uiri illi perfecti, Monachi & Sacerdotes, dum consilia (id est, Dei præcepta) primo non necessaria Christiano ad salutem docerent, deinde noua idololatria in traditiones humanas, imo dæmoniacas doctrinas deformata, uouerent. Nam præcepta Dei facere consilia, nonne est humana traditio, imo horribilis & diabolica blasphemia?

Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo uenantium.
Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.
Hoc fecit adiutorium nostrum in nomine Domini.

D. Martinus Lutherus.

DISPVTATIO THEOLOGICA
D. Mart. Luth. de illo dicto ad Ebræ. 13.

Dominus Ihesus heri & hodie, ipse & in secula.

VNus & idem Deus, ab inicio mundi uarijs modis; 1
per fidem in eundem Christum cultus est.

Certum est, Adam & Heuâm in Semen mulieris 2
promissum (id est) in Deum promissorem credidis- Adam.
se. Heua.

Habel offerens placuit Deo promissori Seminis, 3
in quem, seu cuius promissioni, credidit. Habel.

Abraham ex Chaldæis uocatus, Deo promissori Seminis uocan 4
ti credidit & iustificatus est. Abraham.

Alijs quidem personis, alijsq; temporibus, eiusdem promissionis 5
fides renouata est.

Non humana quidem temeritate, sed diuina autoritate, quæ 6
eandem promissionem per diuersa tempora & Personas uoluit inno-
uari.

Summa, quidquid gestum est uirtutum uel rerum per pios ante 7
Christum, in fide promissionis eius gestum est.

Sicut, quidquid gestum est per sanctos post Christum, in fi- 8
de impletæ promissionis gestum est.

DEfierunt per tempora uarij illi modi credendi in Semen promissum 9
seu in eundem Christum.

Sicut & ipsa Christiana fides nouissimo tempore Euangelij inno 10
uata, desinet in fine mundi.

Heb. 13. Vt stet illud uerissime dictum, Christus Ihesus heri & hodie, ip- 11
se & in secula, Ebre, 13.

SI Adam, Noah, & alij Patriarchæ uixissent temporibus Abrahæ, 12
promissionem nouam accipientes, oportuisset eos credere, ex Adam.
Abrahæ semine futurum Christum, aut Deum promissorem Seminis Noah.
amisissent.

Psal. 132. Si Abraham uixisset temporibus Dauid, oportuisset eum crede- 13
re, de fructu uentris Dauid futurum esse Christum, aut frustra credi- Dauid.
disset in Semen mulieris.

Si Dauid uixisset tempore Iohannis Bapistæ, oportuisset eum 14
credere in Ihesum, semen filiæ suæ Mariæ, uel perijsset.

Si Iohannes Baptista post resurrectionem Christi, imo suo tem- 15
pore credidisset, Christum uenturum, seu nondum uenisse, damna- Iohannes Baptista.
tus fuisset.

16 FRustra igitur credunt Iudæi in Deum promissorem Messiæ, qua fide olim recte credebant Patres eorum.

Iudæi.

17 Frustra Turcæ & Gentes aliæ credunt in Deum creatorem mundi, dum nesciunt eum esse promissorem uel exhibitorem Seminis, imo blasphemant, eum non esse Patrem Christi unigeniti filij.

Turcæ. Ethnici.

18 FRustra credunt Papistæ & Sophistæ, Deum Patrem, & omnes articulos alios fidei nostræ, dum respuunt opus Christi pro nobis impletum.

Papistæ. Sophistæ.

19 Negant enim sola fide, seu quod idem est, solius Christi opere impleto, nos iustificari.

20 Sola enim fide in Christum, olim promissum, nunc exhibitum, tota Ecclesia ab initio mundi usq; in finem iustificatur.

21 Sic sola fide, ut neq; ratio, neq; lex, neq; plenitudo ipsa legis, quæ dicitur charitas, quidquam faciant ad iustificationem.

22 Fides enim ante spem & charitatem sola accipit remissionem peccatorum, propter solum Christum, facitq; per eundem Personam gratam, ante & absq; charitatis merito.

Fides ante spem et charitatem, accipit remissionem peccatorum.

S. Paulus non dicit: Fides per charitatem iustificat. Sed sic dicit: Fides per charitatem est efficax seu operosa.

23 Aliud longe est operosum seu efficax esse, & aliud iustificare seu iustum facere.

Fides per charitatem efficax.

24

25 Primum persona iustificatur pro se ipsa, postea fit operosa erga alios, Sicut arbor primum bona fit in se ipsa, postea operosa fructibus ergo alios.

26 Idolatria uel hæresis est operosa per dogmata & cultus impios, tamen dogmata seu cultus impij non faciunt personam idolatram seu hæreticam, sed fiunt a persona prius hæretica uel idolatra.

27 SOphistæ, Papistæ non intelligunt quid sit peccatum, fides, Christus, lex, charitas, & omnia quæ loquuntur.

Papistæ non intelligunt quid sit peccatum &c.

Hoc produnt, dum fatentur in Dæmonibus esse fidem, & in

28 impijs fidem, spem & dilectionem Dei naturaliter haberi posse.

29 Quin hoc blasphemant quoq;, Hominem posse ex puris naturalibus diligere Deum super omnia, & implere mandata Dei, quo ad substantiam facti, absq; gratia Dei.

30 Hoc quid aliud est, quam Christo & Spiritu sancto non esse opus ad implendum mandata Dei.

31 Hoc est, nos ipsos ex nobis ipsis posse mereri remissionē peccatorum & uitam æternam, sicut credunt Turcæ, Iudæi & Tartari.

32 Dicunt, homini facienti quod in se est, infallibiliter dari gratiā, gratum facientem merito congrui, quod est horribilis blasphemia in Christum, nec de hac usq; hodie pœnitent.

Gratia gratum faciens.

Et hanc

Et hanc gratiam gratum facientem (sic appellant charitatem infusam) etiam in minimo gradu, mereri uitam æternam merito condigni seu sufficienti. 33

Ex attritione fingunt contritionem (id est, ex Diabolo alio alium) fieri uirtute clauium. 34 Attritio. Contritio.

Et hanc posse tantam esse, ut remissionem plenariam peccatorū mereatur, qua subito euolet quis in cœlum, absq; purgatorio aut satisfactione. 35

ISta & similia portenta satis demonstrant, non esse inter nos & ipsos tantum uerbi controuersiam, ut nunc quidam funesti Conciliatores præsumunt. 36

Matth. 5. Non est controuersia uerbalis, ubi nos dicimus, omnia, Matt. 5. esse præcepta, Illi autem, esse quædam consilia, seu ut Sorbona Parisiensis in damnatione Lutheri decreuit, esse nimis oneratiua legis Christianæ. 37

Non est controuersia uerbalis ubi asserunt, dubitandum esse, An simus in gratia, quod nos dicimus esse idem, quod negare Christum. 38

Non est controuersia uerbalis, ubi securitatem & maliciam & impœnitentiam continuant, in tanto sanguine fuso per ipsos, propter eorum portenta & blasphemias prædictas stabiliendas. 39

Non est controuersia uerbalis, dum illi professionem monasticam æquant, seu potius præferunt Baptismati, & nos hoc ipsum esse sacrilegum & Antichristianum dicimus. 40

NOn est negandum, Miracula fieri posse per impios in fide mortua, præsertim si sunt in officio uel cœtu ecclesiastico. 41 Miracula posse fieri per impios &c.

Sicut Sacramentum & uerbum (id est, uita æterna) quæ superant omnia miracula, etiam per Iudam Scharioth, conferuntur. 42

Et si tales sibi priuatim istis operibus nihil prosint, imo noceant, tamen ratum est, quod faciunt apud Deum & homines, 43

1. Cor. 13. Ita Paulus 1. Corinth. 13. priuatim ipsis nihil prodesse dicit, qui fide sua etiam montes transferant. 44

Psal. 7. Matth. 7. Et Christus, iniquos a sese discedere iubet, qui in nomine suo uirtutes multas fecissent, 45

Iactatores potius fidei sentit Paulus esse eos, qui fidem per charitatem non habent efficacem, & quæ sua sint, quærunt. 46

Anno M. D. XLI.

ALIA EIVSDEM ARGVMENTI cum priore, contra Satanam & Synagogam ipsius, Autore Martino Luthero.

DISPVTATIO D. MART. LVTH.

1 Necesse est fidei (in Christum) tribuere iustificationem seu remissionem peccatorum, propter solum Christum, Rom. 3. & Galat. 2. 3. Rom. 3. Galat. 2. 3.

2 Ipsa est enim scientia salutis, quæ est in remissione peccatorum, ut canit Zacharias Luc. 1.

Fides salutis scientia.

3 Omne quod non est ex hac fide, peccatum est, Iohan. 15. & Ro. 14. sicut contra: Omnia credenti sunt possibilia.

4 Sophistę docent, fidem informem stare cum peccato mortali, & de remissione peccatorum dubitare, quod est uere Christum negare.

5 Sequitur, fidem hanc informem non esse ex fide, sed meram esse incredulitatem contra Christum.

Fides informis.

6 Quin figmentum & idolum uanissimum est cordis illorum, qui nesciunt quid loquuntur, aut de quibus affirmant.

7 Promissio autem diuina non accipitur corde uano, incredulo & idolatrico, cum efficiat ipsa ueram Dei cognitionem in credente.

8 Quare impossibile est, promissionem Dei posse accipi seu credi fide informi.

9 Nec est opus hominis, sed Spiritus donũ fides Christi, Fides autem informis est cogitatio seu imaginatio hominis, id est, nulla fides.

Fides Christi, donum Spiritus.

10 Infusa fides similiter est merum somnium, & nihil in rerum natura, nisi uocabulum plane ficticium, sicut Chymera & Hircoceruus.

11 Frustra iactatur, fidem informem charitate fieri formatam, & sic iustificare.

12 Charitas enim non approbat, multo minus informat idolum, mendacium, figmentum hominis, sed potius destruit.

13 Quid est aliud dicere, charitas informat fidem informem, quam charitas facit, ut sit mendacium ueritas, & uanitas sit res ipsa?

14 Extra Synagogam pellendæ sunt istæ barbaræ Sophistarum uoces, fides informis, formata, gratia gratum faciens &c.

15 Sunt enim sumptæ ex philosophia rationis, quæ non potest ea capere & tradere, quę sunt Christi & Spiritus eius.

16 Imo uero sunt prophanæ uocum inanitates, quibus obscuratur ueritas Christiana, & nec a docente nec audiente intelligi possunt.

Prophanæ uocum inanitates.

17 De rebus sacris loquendum est, sanis, sacris, sobrijs, Spiritus sancti uerbis, in Scriptura traditis.

18 Ne contingat, sicut contigit nobis magisterio Sophistarum illud Nehemiæ. 13. Loquebantur iuxta linguas populi & populi.

19 Profecto, fides informis non fuit, cum Daniel inter leones illæsus uiuebat, sicut dicitur: Quia credidit Deo suo.

Daniel uixit inter leones illæsus.

20 Fides informis non fuit Susannæ fides, de qua scribitur, Erat cor eius fiduciam habens in Domino.

Susannæ fides.

Nec

Nec Dauid proſtrauit Goliath futili illa & incredula cogitatio- 21
ne, qualis eſt fides informis.

Fides uera eſt ſubſtantia cordis, id eſt, firma & certa fiducia in 22
Deum promiſſorem miſericordiæ & auxilij. *Vera fides.*

Fides uere informis fuit Petri, quando Chriſtus ad eum dixit: 23
Matt. 17. Modicę fidei, quare dubitaſti?

Quin illa fides Petri ſeu dubitatio improportionabiliter maius 24
quiddam erat, quam fides informis.

Illa uocatur modica fides, hęc uero eſt peccatum & incredulitas, 25
& tota cordis humani impietas. *Modica fides.*

Summa, fruſtra diſputatur cum Scholaſticis de his rebus ſibi in- 26
cognitis & inuſitatis. *Doctores Scholaſtici.*

Impoſſibile eſt apud eos intelligi, quid ſit peccatum, promiſſio, 27
fides, iuſtificatio, imputatio, lex & impletio eius.

Non ſunt hæc in eorum libris, ſed contritio, ſatisfactio, & ope- 28
ra humanis uiribus gratiam Dei merentia.

Ignorant, imo negant peccatum originale poſt Baptiſmum, & 29
tantum de actualibus diſputant.

Hac ignorantia ſtante, uelle Theologiam tractare, eſt aliud ni- 30
hil, quam aſinum uelle lyra canere.

DISPVTATO THEOLOGICA D. MARTINI LVTHERI.

An hæc Propoſitio ſit uera in Philoſophia, Verbum caro factum eſt?

Anno M. D. XXXIX. XI. Ianuarij.

ETſi tenendum eſt quod dicitur, Omne uerum uero 1
conſonat, tamen idem non eſt uerum in diuerſis pro
feſſionibus.

In Theologia uerũ eſt, Verbũ eſſe Carnem factũ, 2
In Philoſophia ſimpliciter impoſſibile & abſurdum.

Nec minus, imo magis diſparata eſt prædicatio, 3
Deus eſt homo, quam ſi dicas, Homo eſt aſinus.

SOrbona mater errorum, peſſime definiuit, idem eſſe uerum in Phi 4
loſophia & Theologia. *Sorbona mater errorum.*

Impieq; damnauit eos, qui contrarium diſputauerunt. 5

Nam hac ſententia abominabili docuit captiuare Articulos fidei 6
ſub iudicium rationis humanæ.

Hoc erat aliud nihil, q̃ cœlum & terram includere in ſuo centro, 7
aut grano milij.

 Cum

8 Cum contra Paulus doceat, captiuandum esse omnem intellectum (haud dubie & Philosophiam) in obsequium Christi. 2. Cor. 10

9 Facessant, dixit recte S. Ambrosius, Dialectici, ubi credendum est piscatoribus Apostolis.

Ambrosii dictum.

10 EX Prædicabilium doctrina sequeretur pulchre, Deus est homo, ergo est animal rationale, sensitiuum, animatum, corpus, substantia scilicet creata.

12 Sed quia Christianis sobrie, & (ut Augustinus docet) secundum præscriptum est loquendum, tales consequentiæ sunt simpliciter negandæ.

Augustini dictum.

13 NEc utendum nec fruendum est subtilibus istis inuentis de suppositione mediata & immediata, in rebus fidei.

14 Sunt enim logomachiæ & kenophoniæ in Ecclesia periculosæ & scandalis plenæ.

Logomachia in Ecclesia periculosa.

15 Sed ubi ubi impingit uel forma syllogistica uel ratio philosophica, dicendum est ei illud Pauli, Mulier in Ecclesia taceat. & illud: Hunc audite. 1. Cor. 14

16 Impingit quidem Theologia in Philosophiæ regulas, sed ipsa uicissim magis in Theologiæ regulas.

17 ISte Sylliogismus expositorius, Pater in diuinis generat, Pater est essentia diuina, Ergo, essentia diuina generat, est bonus.

18 Et tamen præmissæ sunt ueræ, conclusio falsa, & ita ex uero sequitur falsum contra Philosophiam.

19 ISte Syllogismus communis, Omnis essentia diuina est Pater, Filius est essentia diuina, Ergo Filius est Pater, est bonus.

20 Sed præmissæ sunt ueræ, & conclusio falsa, & uerum uero hic prorsus non consonat.

21 Non quidē uitio formæ syllogisticę, sed uirtute & maiestate materiæ, quæ in angustias rationis seu syllogismorum includi non potest.

22 Vt quæ sit, non quidem contra, sed extra, intra, supra, infra, citra, ultra omnem ueritatem Dialecticam.

23 ISte Syllogismus: Quidquid factum est caro, factum est creatura, Filius Dei factus est caro, Ergo Filius Dei est factus creatura, est bonus in Philosophia.

24 Ac si possit subtilibus kenophonijs Sophistarum defendi, tamen non debet tolerari in ecclesia Dei.

25 Multominus iste ferendus est, Omnis caro est creatura, Verbū est caro, ergo, Verbum est creatura.

26 Nec iste: Omnis caro est creatura, Verbum non est creatura, ergo, Verbum non est caro.

27 In his & similibus syllogismis est forma optima, sed nihil ad materiam.

Eundum

EVndum ergo est ad aliam Dialecticam & Philosophiam, in articulis fidei, quæ uocatur uerbum Dei & fides. 28

Hic sistendum est, & disputationes Philosophiæ contrarium cõcludentes, pro ranarum coaxatione habendæ. 29

COgimur tamen etiam in alijs artibus negare, quod idem sit uerum in omnibus. 30

Falsum est enim, & error in genere ponderum, puncto & linea mathematica appendi posse pondera. 31

Falsum est & error in genere mensurarum, Sextarium pedali uel ulnari mensura metiri. 32

Falsum est & error in genere linearum, untialis uel libralis comparatio. 33

Quin falsum & error est, quod linea recta & curua sint proportionales. 34

Et quadratores circuli, licet non falsum dicant, dum lineam rectam & curuam, uocant utranque lineam. 35

Tamen hoc falsum est, si lineæ rectæ & curuæ proportionem facere uolunt. 36

Denique aliquid est uerum in una parte Philosophiæ, quod tamen falsum est in alia parte Philosophiæ. 37

Humor humectat, est ueritas in sphera aeris, sed manifesta hæresis in sphæra ignis. 38

ITa per singula artificia uel potius opera si transeas, nunquam inuenias, idem esse uerum in omnibus. 39

Quanto minus potest idem esse uerum in Philosophia & Theologia, quarum distinctio in infinitum maior est, quam artium & operum. 40

REctius ergo fecerimus, si Dialectica seu Philosophia in sua sphæra relictis, discamus loqui nouis linguis in Regno fidei extra omnẽ sphæram. 41

Alioqui futurum est, ut uinum nouum in utres ueteres mittamus, & utrunque perdamus, ut Sorbona fecit. 41

Affectus fidei exercendus est in articulis fidei, non intellectus Philosophiæ, tum uere scietur, quid sit, Verbum caro factum est. 42

DISPVTATIO THEOLOGICA D. MARTINI LVTHERI.

Quod in Christo duæ naturæ sint, diuina & humana sic unitæ, ut Christus sit una Persona.

Item de communicatione idiomatum.

1 FIdes Catholica hæc est, ut unum Dominum Christum confiteamur uerum Deum & Hominem.

2 Ex hac ueritate geminę substantię & unitate Personæ, sequitur illa, quæ dicitur communicatio idiomatum.

3 Vt ea quæ sunt hominis, recte de Deo, & econtra, quæ Dei sunt, de homine dicantur.

4 Vere dicitur, Iste homo creauit mundum. Et Deus iste est passus, mortuus, sepultus &c.

5 NOn tamen hæc rata sunt in abstractis (ut dicitur) humanæ naturæ.

6 Non enim dicere licet, Christus est sitiens, seruus, mortuus, ergo est sitis, seruitus, mors.

7 Vnde & illa damnatur, Christus est humanitas, etiam si dicatur, Christus est diuinitas.

8 Licet homo & humaninitas sint alias synonima, sicut Deus & diuinitas.

9 IN diuinis prædicatis seu idiomatibus non est differentia talis inter concreta & abstracta,

10 Quamuis & Scriptura & Patres aliquot in multis prædicatis humanæ naturæ, nihil distinguant inter concreta & abstracta.

11 Symbolum canit: Tu ad liberandum suscepturus hominem, Idem sæpe facit Augustinus.

12 Cum Regula (ut uidetur) dicendum dictet: Tu ad liberandum suscepturus humanitatem, seu humanam naturam.

13 ITa non uerentur aliqui dicere: Christus est creatura, cum dicendum uideatur, Christus est creatus.

14 Et Iohan. 1. dicit. Verbum caro factũ est, cum diceretur aptius, Ioh.1.
(nostro iudicio) Verbum est incarnatum, seu carneum factum.

15 REcte docetur, in hac causa ualere usum loquendi in Scripturis & Patribus orthodoxis seruatum.

16 Quin & Patribus (quos constat orthodoxos esse) conceduntur, quæ nobis non liceat imitari.

17 QVare cauendum est in hac re ab etymologia, analogia, consequentia & exemplis.

18 Sicut in Grammatica quædam nomina eteroclica & uerba anomala, non patiuntur etymologiam, analogiam, seu exemplum.

19 Et uniuersaliter in omni genere rerum & artium, usus sæpe præscribit contra Regulam.

20 CErtum est tamen, omnia uocabula in Christo nouam significationem accipere in eadem re significata.

Nam

Nam creatura ueteris linguæ usu, & in alijs rebus significat rem a Diuinitate separatam, infinitis modis. 21

Nouæ linguæ usu significat rem cum Diuinitate, inseparabiliter in eandem personam ineffabilibus modis coniunctam. 22

Ita necesse est uocabula, homo, humanitas, passus &c. & omnia de Christo dicta, noua esse uocabula. 23

Non quod nouam seu aliam rem, sed noue & aliter significent, nisi id quoq; nouam rem dicere uelis. 24

STulte cauillatur Schwenckfeld cũ suis Batrachomomachis, Christum secundum humanitatem dici creaturam. 25 Schwenckfeld

Homo sine literis, disciplinis, sine sensu quoq; humano, nescit discernere inter uocabula æquiuoca. 26

Qui enim dicant, Christum esse creaturam, ueteris linguæ usu id est, separatam, nulli unquam fuerunt Christiani. 27

Quin omnes hoc modo acerrime impugnant, Christum esse creaturam, quod Arriani docuerunt. 28

Patet ergo Schwenckfeld in uacuum chaos latrare contra sua somnia propria, de creatura in Christo. 29

Et homo sui immemor, concedit Deum esse carnem factum, cum carnem esse creaturam nondum audeat negare. 30

Sed occultus Eutyches habitat in talibus hæreticis, negare paratis aliquando, Verbum esse carnem factum. 31

In speciem concedunt, Verbum esse carnem factum, olim id negaturi, obtento theatro, post negatam in Christo creaturam. 32

HOC igitur in his rebus ineffabilibus præstandum est, ut Patrum dicta (sicuti opus est) commode interpretremur. 33

Sceleratum est, cum noueris pium & sanum esse alicuius sensum ex uerbis incommode dictis statuere errorem. 34

Nulli enim fuerunt unquam Patres aut Doctores, qui non improprie sint locuti, si dicta eorum cauillari uelis. 35

SEdulius Poeta Christianissimus canit: Beatus autor seculi, seruile corpus induit, idq; per totam Ecclesiam. 36 Sedulius.

Cum nihil possit magis dici hæreticum, quam humanam naturam esse uestem Diuinitatis. 37

Non enim uestis & corpus constituunt unam Personam, sicut Deus & Homo constituunt unam Personam. 38

Tamen pijssime sensisse Sedulium, cætera carmina probant euidentissime. 39

EAdem ratione hæreticum esset uulgatum illud, Tota trinitas operata est incarnationem Filij, Sicut duæ Puellæ, tertiam induunt, ipsa simul sese induente. 40 Bonauentura.

Ita

41 Ita Scholastici aliqui, dum Diuinitatis & humanitatis habitudinem sentiunt, similem esse unioni formæ ad materiam, non possent defendi.

42 Alij contra esse habitudinē similem materiæ ad formam, multo ineptius, si iudicentur rigide, loquuntur.

43 NEcp illa consisteret, ubi Diuinitatem igni, & humanitatem ferro similant, etiamsi sit pulcherrima similitudo, *Cyprianus.*

44 Neque illam ferre liceret, quam Athanasius ponit, Sicut anima rationalis & caro unus est homo, Ita Deus & Homo unus est Christus. *Athanasius.*

45 Omnes enim negant Christum esse compositum, etsi constitutum affirmant.

46 NVlli uero insulsius loquuntur, quam Moderni, quos uocant, qui omnium uolunt subtilissime & proprijssime loqui uideri.

47 Hi dicunt, humanam naturam sustentari seu suppositari a diuina Natura, seu supposito diuino.

48 Hoc & portentose dicitur, & cogit pene Deum uelut portare, uel gestare humanitatem,

49 SEd omnes illi recte & catholice sapiunt, ideo condonanda est illis incommoda locutio.

50 Quia rem ineffabilem uolebant effari, deinde omnis similitudo claudicat, nec unquam (ut dicunt) currit quatuor pedibus.

51 SI non placet, uel non intelligitur ista, Christus secundum quod Homo, est creatura, consulatur Grammaticus.

52 Is eandem rem uarijs modis eloqui doctus, iubeatur quam potest simplicissime loqui.

53 Vt Aethiops secundum dentes est albus, potest Grammaticus aliter sic dicere, Aethiops est albus dentibus, uel alborum dentium,

54 uel albis dentibus.

Quod si hoc non placet, dicat, Aethiops habet albos dentes, uel dentes in Aethiope albēt, uel simplicissime, dētes Aethiopis sunt albi.

55 Cum omnibus istis formis dicendi, eandem rem significare uelit autor, frustra quæritur in uerbis contentio.

56 ITa, cum nihil aliud uelint istæ formæ lucutionis, Christus secundum quod Homo, uel secundum humanitatem, uel humanitate, uel per humanitatem, uel in humanitate, est creatura, quam, quod habet creaturam, uel assumpsit creaturam humanam, Vel quod simplicissimum est, humanitas Christi est creatura, Contemnendi sunt Prauilogicales, qui diuersis formis Grammatice loquendi, diuersas affingunt in eadem re sententias.

57 Igitur in sensu, non in uerbis est hæresis, ut recte dixit S. Hiero. a suis calumniatoribus exagitatus. *Hieronymus.*

Alioqui

Alioqui maximus sit hæreticus Moses, qui Decalogum ipsum, diuersa forma recitat, Exod. 22. & Deut. 5. 58

EContra, si quis reprobus sensu, etiam commode locutus fuerit, ipsamq; Scripturam iactarit, tolerandus non est. 59

Christus enim nec Demonia sinebat loqui, cum testaretur ipsum esse filium Dei, ut transfigurantia sese in Angelos lucis. 60

Tanta est simplicitas & bonitas Spiritus sancti, ut homines sui, dum falsa loquuntur (Grammatice) uera loquantur sensu. 61

Tanta est uersutia & malicia Satanæ, ut homines sui, dum uera loquuntur (grammatice, id est, uerbis) mendacia loquantur theologice, id est, sensu. 62

Hic potest dici: Si mentiris, etiam quod uerum dicis, mentiris: Econtra, si uerum dicis, etiam quod falso dicis, uerum dicis. 63

Hoc est quod dicitur, hæreticum esse, qui Scripturas aliter intelligit, quam flagitat Spiritus sanctus. 64

Anno M. D. XLIII.

ALIA THEOLOGICA DISPVTATIO D. Martini Lutheri.

Quod sola fide nos iustificemur.

FIlium Dauid sedere a dextris Dei, est filium Dei resurgere a mortuis. 1

Resurrectio eius a mortuis, est nostri iustificatio, per fidem solam. 2

Sola fide nos iustificari, est omnes iusticias legis & hominum condemnari. 3

Explodenda est fides informis, tam acquisita quam infusa. 4 *Fides infusa acquisita.*

Magis tamen infusa q; acquisita, cum illa nihil, ista aliquid sit. 5

Fides acquisita, ut nihil sit aliud, certe uox Euangelij relicta in cordibus est, assidue monens ad uere credendum. 6

Quin & spes & charitas infusæ (sensu Sophistarum intellectæ) explodendæ. 7

DOna Dei sunt uiuifica & energica, non stertentia, uera Fides, Spes Charitas. 8

Illæ enim & ociosæ dormitant sine acquisitis, & dubitare de Deo docent. 9

Hæ autem operosæ sunt, & plerophoriam cordium statuunt. 10

Soli tamen fidei tribuenda est imputatio iusticiæ. 11

Si imputatio tribuitur fidei informi cum inchoata charitate, tribuetur legi & operibus eius.

Mox

12 Mox enim sequetur, Ieiunium uel eleemosynam imputari propter fidem informem coniuncta charitate.

13 Ita redibit uniuersa lerna scholasticæ & monasticæ Theologiæ.

14 Quin iterum Christus ueniet pro denario indulgentiali & missario.

15 Charitas enim operibus suis erga proximum exercetur, ideo facilis est lapsus per eam in mercenariam prauitatem.

16 Fides autem exercetur erga Deum, ideo gratis accipit & facit omnia, nec potest sese uendere aut tradere alteri.

17 Imputata autem primo iusticia, & persona acceptata, mox & omnia per eandem grata sunt, uirtute imputationis.

18 *Legista purus.* RAtio sibi relicta, ex lege data format sibi imagines masculinas, ut Ezechiel dicit, id est, idolatriam & præsumptionem.

19 Omnis enim Legista purus, est superbus & cæcus idolatra, qui omnia intelligendo nihil intelligit. *Ezech. 16.*

20 Fingit siquidem, per legem prohiberi solum futuram idolatriam & iniquitatem, de præterita & præsenti est securus.

21 Imo ex præsenti & præterita facit futuram summam iusticiam.

22 Ratio uere legem sentiens, uel intelligere incipiens, fugit Deum, & ruit in desperationem.

23 Nihilo tamen minus legis administratio, comminatio, increpatio est necessaria, ut peccatum agnoscatur.

24 Non enim nos sumus, qui loquimur, sed qui gratuito omnia donat, ipse omnia gratuito per nos facit & loquitur.

25 Non enim longe abest ab unoquoque nostrum, dum legem eius audimus siue intus, siue foris.

26 Cum in ipso simus, uiuamus & moueamur, ipse quoque nouit horas & momenta, quibus corda tangi oportet. *Acto. 17.*

27 Hoc falluntur impij, qui Deo longe alibi agente, hominis uerbum sese putant contemnere.

28 Etsi multi sunt, qui scientes ueritatem Dei agnitam contemnũt, & impugnant, ipsumque tactum Spiritus sancti repellunt.

29 His nulla est reliqua uenia, nec excusatio, quod natura per sese nihil boni possit.

Anno M. D. XLIII.

ALIA DISPVTATIO THEOLOGICA D. MARTINI LVTHERI.

De Fide iustificante, & fide miraculorum.

NON

1. Cor. 13. On possunt ea uitia, quæ Paulus numerat. 1. Cor. 1
13. contraria charitati, regnare cum fide Christi.

Sunt enim non leuiora, quam quæ in Gentilibus, 2
superbis, iracundis, inuidis, impijs inueniuntur.

Et stultum esset a Paulo talem fidem iactari, quæ
tales homines faceret, uel esse sineret. 3

Fides Christi affert remissionem & mortificationem peccatorũ, 4
per Spiritum sanctum.

Qui ueterem hominem cum suis concupiscentijs & crucifigit,& 5
renouat ad imaginem Dei.

Quare fides Christi sine charitate non consequente, prorsus nul 6
la erit.

Etsi Spiritus, seu dona eius, donari & adesse possunt, absq; fide 7
Christi & charitate.

Vt fides sine charitate esse non potest, ita Fides illa fructus cha 8
ritatis, sine charitate esse non potest.

Possunt enim impij docere sana, Sacramenta administrare, sa- 9
cram regere Ecclesiam.

Quin & Mirabilia & maiora faciunt, dum sunt in officio uel cœ 10
tu Ecclesiæ, quam priuatus fidelis.

Fides Christi primum tantum suo possessori prodest, ad iustifi- 11
cationem sui solius.

1. Cor. 12. Ministerium uero, etiamsi non prodest suo possessori, prodest 12
tamen alteri ad salutem.

Post uero iustificatam Personam efficax est per charitatem erga 13
alios, id est, Deum & proximum.

NEc minora sunt Miracula (reuera) quæ facit fides efficax per 14
charitatem, quam montes transferre & similia.

Scilicet, uitia ista numerata expugnare & uincere, & in iusticiæ 15
obedientia triumphare.

Nam peccatum, mundum, Diabolum uincere, longe maius est, 16
quam montes transferre.

Imo Deum & proximum gratuito & perseueranter diligere, hoc 17
est plane mortuos suscitare.

Hoc non potest fides illa (quam Paulus manifestationem spiri- 18
tus uocat, ad utilitatem Ecclesiæ datam.)

Clare enim dicit, tales qui sunt, uicijs iræ & superbiæ subiectos 19
esse.

Quatenus et quantum caro & ratio diligit Deum et proximum, 20
eatenus & tantum diligunt.

21 Hoc est, iram Dei & offensam proximi non ferunt, nec perseuerant amando, imo odio & superbia replentur.

22 Quo tempore non statuunt se diligi a Deo, nec proximum amore, sed odio & contemptu dignum iudicant.

23 Fidem hanc publicæ utilitatis, similem esse dicerem motibus illis, quibus heroici homines excitantur.

24 Necesse est heroicos uiros fiducia quadam singulari excitari, si quid magnum & memorabile sunt facturi.

25 Necp enim Thersita faceret quæ Hector uel Achilles fecerunt, etiamsi uires & sapientiam eorum haberet.

26 Multis non desunt uires & sapientia, qui tamen afflatu illo seu fiducia animi carent, & nihil faciunt.

27 Sic Deus suscitat spiritum Regum Medorum (ait Propheta) contra Babylonem.

Reges Medorum.

28 Sic Naeman Syrus adhuc idolatra, Deo excitante & donante salutaris est Syriæ.

Naeman Syrus.

29 Etiam in Gentibus ingratis dispersit semper excellentia dona & miraculis similia.

30 Quanto magis populo suo, tam per pios quam per impios magna facere & donare potest.

31 Igitur diuisiones gratiarum, ministeriorum, operationum gratuita & publica dona sunt, quibus Ecclesiæ utilitati seruitur.

32 Fides Christi donum est unicuicp proprium, in quo uiuit, Ro. 1.

ALIA DISPVTATIO THEOLOGICA D. MART. LVTHE. Anno M. D. XLIIII.

De mysterio S. Trinitatis, incarnatione Filij, & de Lege &c.

1 ISputationes de articulis fidei, extinctas noluit Deus Pater, dum dicit de Filio suo: Hunc audite.

2 Sed hunc Doctorē non ęqualiter audiūt omnes, & sunt semper aliqui infirmi, quos cribret Satan.

Opus est igitur perpetuo in Ecclesia ministerio uerbi, quo curetur infirmi, et resistatur aduersario.

3 Sic Christus Dominus ipse, pro infirmis (non egens disputatione) sæpius contra Pharisæos disceptauit.

4 INdisputabilis ueritas est, Vnum esse Deum & trinum, omnium rerum, extra se, Creatorem unicum,

Vnus Deus & trinus.

5 Ac si hic aliquid diceretur improprie, tamen res ipsa defendenda est per Scripturas contra Diabolum.

Hæc

Hæc unitas Trinitatis (ut sic dicamus) est magis una, quam 7
ullius creaturæ, etiam mathematice unitas.

Simul nihilominus hæc unitas, est Trinitas, seu trium Persona 8
rum distinctarum Diuinitas.

Vt quælibet Persona sit ipsa tota Diuinitas, ac si nulla esset alia. 9

Et tamen uerum est, Nullam personam esse solam, quasi alia nõ 10
sit, diuinitatem.

HAEc distinctio Personarum adeo magna est, ut sola Filij persona 11
assumpserit Hominem.

Error est enim, quod uel Pater sit Filius, uel Pater sit homo fa- 12
ctus.

Error itaq; est uniuersa Mathematica, ipsaq; fortiter crucifigen 13
da, dum de ipso Deo quæritur.

LEuiter & frigide consolantur nos Scotus & Scholastici cum suis di- 14
stinctionibus formalibus & realibus. *Scotus.*

Quin Magister Sententiarum non satis recte docuit, Essentiam 15
diuinam nec generare nec generari.

Sed recte ab Ioachim Abbate reprehenditur, quod in Diuinis 16
quaternitatem asseruerit. *Ioachimus. Abbas.*

Nec quidquam facit C. Firmiter de Trinitate, probans Magi- 17
strum & damnans Abbatem.

Cum enim negare ex Augustino non potuit Magister, substan- 18
tiam de substantia, sapientiam de sapientia generari. *Augustinus.*

Nullo modo potuit negare, essentiam de essentia, & quidquid 19
de Deo uero, tam simile dici potest.

Præterquam, quod omnia alia suspecta sunt, quæ ista abomina- 20
tio in loco sancto stans determinauit.

Metuit (ut uidetur) Magister, ne duæ uel tres Essentiæ dice- 21
rentur, si una de alia nasceretur.

At similiter illi metuendnm fuit, ne Duo uel tres Dij fierent, si 22
unus de alio generaretur.

Concedimus essentiam in creatura, non dici relatiue (ut Augu- 23
stini uerbo utar) sed absolute tantum.

Sed cum substantiam, sapientiam, naturam & similia in diuinis 24 *Hilarius.*
apud Augustinum & Hilarium accipi relatiue uideret.

Non erat, cur Essentiam negaret relatiue dici, & ob unum uo- 25
cabulum tantas turbas moueret.

Vnde & Cardinali Cameracensi, doctissimo inter Scholasticos 26
ista determinatio non iniuria ualde displicuit. *Card. Cameracẽsis.*

SOlius ergo Persona Filij, uerbum coæternum Patri & Spiritui san- 27
cto, factum est caro.

28 Tantæ molis erat perditum Hominem redimere, ut talis & tanta Victima pro eo esset necessaria.

29 QVocirca impossibile erat per legem, seu iusticiam legis, pro peccato satisfieri.

30 Quin per legem potius augebatur peccatum & damnatio hominis, usque ad inferni nouissima.

31 Nihilominus lex iusta, sancta, bona, a bono, iusto & sancto Deo.

32 Iusticiam Legis, etiam cæremonialem, atque nunc ciuilem exigit, & serio mandat seruari.

33 Quamuis sciat eam esse coram se stercus & detrimentum, ut Apostolus loquitur. *Philip. 3.*

34 Scilicet, ne glorietur in conspectu eius ulla Caro de iusticia & sapientia legis, id est, de stercore suo, damnato pariter cum ipso. *Philip. 3.*

Iustitia traditionũ humanarũ est stercus Diaboli.

35 Quanto magis terque quaterque stercus est iusticia traditionum humanarum, quæ est stercus Diaboli.

36 RElatiue igitur iusticia legis est intelligenda, id est, obedientia legis, siue etiam magistratus.

37 Pro hac temporali uita, quæ tota est & mors & miseria, seruanda est, ut pacem istam habeamus.

38 Sed coram Deo sciamus, nos cum iusticia nostra legali esse stercus, opprobrium & confusionem.

39 QVare iusticia nostra & gloria coram Deo est sola uictima illa, Filius Dei, fide pura apprehensus.

40 Post hanc fidem, accepto Spiritu sancto; iam placet obedientia legis, non sua dignitate.

41 Multum enim hæret in ea stercoris & detrimenti, id est, indignitas ueteris hominis.

42 Sed quod dignitas uictimæ præponderet in infinitum stercorariæ nostræ indignitati.

43 Atque si iusticia legis, præ superbia & uanitate sensus, posset sese pro stercore iudicare, iam non imputaretur.

44 Deus enim misericors & iustus, suscitat de stercore pauperem, ut collocet eum cum Principibus populi sui. *Psal. 146.*

45 Sed non id sinit fieri ceruicosa & indomita superbia iusticiæ & sapientiæ legis seu operum.

46 Sola enim sapit & sancta est, ideo sola & stulta est, & damnatur æternaliter.

47 Et relinquitur uirtus uictimæ penes peccatores, propter quos uenit in mundum, ut saluos eos faceret.

Anno M. D. XLIIII.

DISPV.

DISPVTATIONES

DVAE DE VNITATE ESSENtiæ Diuinæ, & de distinctione Personarum in Diuinitate, fideliter explicatæ a Martino Luthero uiro Dei.

Anno M. D. XLV.

I.

CRiptura sancta docet esse Deum simplicissime unum, & tres (ut uocant) Personas, uerissime distinctas. 1

Harum Personarum quælibet totus est Deus, extra quam nullus est alius Deus. 2

Nec tamen dici potest, quamlibet Personam solam esse Deum. 3

Hoc enim idem esset dicere, Deum nullum esse, cum qualibet Persona exclusa totus Deus esset exclusus, & quælibet Persona esset exclusa. 4

Hic enim ratio corrupta originali peccato, captiuanda, imo extinguenda est cum sua luce & sapientientia in obsequium fidei. 5

Aliud est dicere: Vna Persona est totus Deus, & una Persona sola est unus Deus. 6

Quomodo autem distinguatur Persona a Diuinitate ipsa, non est rationis inquirere, nec Angelis comprehensibile. 7

Imo periculosum & cauendum est ibi, ullam esse putari distinctionem, cum sit quælibet Persona ipsissimus & totus Deus. 8

Frustranea est cogitatio & nihili, Scoti & similium, qui formalem uel aliam distinctionem hic finxerunt. 9 Scotus.

1.Tim. 1. Nesciunt quid loquantur uel affirment, dum talibus sapientiæ pharmacis rationem iuuare uolunt. 10

Nam utcunq; ista subtiliter dici uideantur, ratio tamen non capit distinctionem formalem esse aliam, quam realem seu essentialẽ. 11

Quia ratio non capit, unam rem indistinctam, esse tres res distinctas. 12

Excludenda est igitur Mathematica, & omnis totius creaturæ cogitatio, in credenda Diuinitate. 13

Quamuis nõ minus impossibile uideatur, inter has tres res unius simplicis essentiæ, unam sine alia factam hominem. 14

Vere tamen impossibilius est, unam indinctam rem, esse tres res distinctissimas. 15

16 Credere igitur Filium Dei esse hominem factum, minus est, q̄ credere, ipsum esse Patri & Spiritui sancto consubstantialem.

17 Quod Dialectica arguit, hæc suis Regulis non quadrare, dicendum est, Mulier taceat in Ecclesia.

18 Nihil mirum, si Arrius, Iudæus, Mahometh, & totus Mundus, negent Christum esse Deum.

19 Iudicat enim cæcus de colore, & Creatorem in seipso subsistentem, æstimant similem creaturæ, quæ ex nihilo constat.

20 Mouent quidam, An dicendum sit: Pater semper genuit, uel generat Filium, uel, An Filius semper natus sit, uel semper nascatur.

21 Alterum modum loquendi qui tenent, caussantur Filium Dei debere dici semper natum, quia præteritum tempus, perfectum, præsens, imperfectum notet.

22 Hilarius & alij audent dicere, Filium semper nasci ex Patre, & uiuum ex uiuo uiuere, & ex innascibili nasci.

Hilarius.

23 Sed puto hanc esse magis grammaticam uel philosophicam, q̄ theologicam controuersiam, qua caro seu ratio mouetur.

24 Cum certum sit, in Diuinitate, quia ipsa æternitas est, nullum esse locum Grammaticæ uel Philosophiæ, ubi idem est, præteritum, præsens & futurum.

25 Vnde præteritum tempus, Natus, de Filio, idem facit quod Nascitur præsens, & Nascetur futurum.

26 Quia idem Filius est ab æterno, in æternum natus, nascens, nasciturus, id est, æternus ex Deo Deus.

27 Sicut recte de Deo dicitur nobis: Deus mansit, manet, manebit, cum nihil aliud significetur, quam esse Deum semper seu æternum.

28 Suum fuisse est semper esse, suum futurum est semper fuisse, suum præsens est semper fuisse & futurum, id est, æternum.

29 Hoc est illud nomen Iehoua, quod sacrum Tetragammaton & ineffabile dicunt Iudæi, etiamsi quid dicant, non intelligant.

Iehoua.

29 Sensit & Aristoteles, æternum seu infinitum, in quantum eiusmodi, esse ignotum & incomprehensibile.

31 Imo affirmat infinitum seu æternum, in quantum huiusmodi, existere non posse, & secundum rationem uisus est recte dicere.

32 Sed consequentiam non uidit, uel potius uidere noluit, scilicet q apud rationem ex hoc sequitur, Deum non esse, nec esse posse.

33 Ideo tam frigide ubiq; de Religione disputat, & in cute perfectus est Epicurus.

34 Concedit tamen, infinitum potentia, & esse & cognosci posse, & si iterum hic mundi æternitas eum confudit.

S. Pau-

S. Paulus Rom. 1. recte dicit: Notum Dei manifeſtum eſſe Gen 35
tibus, id eſt, uirtutem eius æternam & diuinitatem.

Sed ea notitia, obſcura, & ex parte eſt (quanquam & fidelium 36
notitia ſuo modo ex parte eſt) ſicut linea tangit ſphæram totam, ſed in puncto, nec totum comprehendit.

Qui ſcrutando uolet non errare, nec a Maieſtatis gloria oppri- 37
mi, is fide tangat & apprehendat Filium Dei in carne manifeſtum.

Hic enim ſplendor gloriæ paternæ, tangit obiectum, & fit ra- 38
dius reflexus illuminans omnem hominem uenientem in hunc mundum.

DISPVTATIO THEOLOGICA D. Mar. Luth. de diſtinctione Perſonarum in Diuinitate.

II.

Erbum in Diuinitate uocatur ſapientia Patris, uel 1
ut S. Paulus ait, ſapientia & uirtus Dei, 1. Corin. 1. [1. Cor. 1.]

Non ita, ut Pater in ſua perſona, per Verbum & 2
non etiam per ſeipſum, ſapiens uel ſapientia ſit.

Quælibet enim Perſona eſt ſapientia, uirtus, bo- 3
nitas Dei, ſicut eſt & eſſentia, ſubſtantia, & quidquid de Deo dici poteſt.

Non patitur fides, ut perſona Patris per ſeſe ſit ſine ſapientia, 4
aut perſona Filij ſine potentia & uirtute, aut Spiritus ſanctus ſine utraque.

Hoc eſſet dicere, Perſonas per ſeſe eſſe ſine ſubſtantia, eſſentia, 5
æternitate, immenſitate, maieſtate, id eſt, ſine Diuinitate & prorſus nihil.

Traditur igitur (ex S. Auguſtino) hæc Regula, Quidquid ab- 6
ſolute & non relatiue dicitur in Diuinis, id communiter dici & intel- [Regula S. Auguſtini.]
ligi oportere.

Etiamſi communia nonnunquam ad diſcernendas & manifeſtan 7
das Perſonas de ipſis dicantur, quæ uocant attributa.

Vt quia in Filio oſtenſa eſt, per carnem ſapientia & uirtus Dei, 8
tribuitur ei ſapientia & uirtus Dei.

Ita uirtus ſeu potentia perſonæ Patris tribuitur ex creatione, cũ 9
ea ſit communiter omnium trium, id eſt, unius Dei Creatoris.

Sic bonitas Spiritui ſancto & uiuificatio tribuitur, cum ab hoc 10
communi opere Trinitatis non excludatur Pater & Filius.

11 Sane tamen intelligenda est Relatio in diuinis, & longe alia quã in creatura uel philosophia.

12 Relatio in rebus, non efficit rem, ut dicunt, Relatio est minimæ entitatis, & non per se subsistens, imo secundum Modernos est nihil.

Relatio in rebus.

13 In diuinis, Relatio est res, id est, hypostasis & subsistentia, nempe idem quod ipsa diuinitas, Tres enim Personæ, tres hypostases & tres subsistentes sunt.

Relatio in diuinis.

14 Relatio hic arguit distinctionem rerum, sed res distinctæ probant esse relationem.

15 Non sequitur, Pater est sapiens in seipso, Ergo sapientia Patris in seipso, cum sit relatiua ad eum, est distincta res ab eo.

16 Sicut tamen recte dicitur, Filius est relatiuus ad Patrem, ergo est alia hypostasis a Patre, ita de Spiritu sancto.

17 Summa, per Rationem & Philosophiam de his rebus maiestatis nihil, per Fidem uero omnia recte dici & credi possunt.

18 POst articulũ Trinitatis summus est ille de incarnatione Filij Dei, ubi finiti & infiniti (quod erat impossibile) facta est proportio.

Incarnatio filii Dei

19 Hæc persona finita simul & infinita, facta est peccatorum serua, & omnium rerum nouissima & infima, quod est incredibile, sed credentibus iucundissimum.

20 Idem est, ac si diceres, Ille qui solus est, & solus ex nihilo fecit omnia, solus factus est nihil & subter omnia.

21 Tamen articulus de Creatione rerum ex nihilo, difficilior est creditu, quam articulus de Incarnatione.

Articulus de Creatione.

22 Et Christus per Incarnationem suam nos reducit in cognitionẽ Creatoris, qua cognitione Angeli beati sunt.

23 Quod fieri non potuit, nisi ipse per suam personam, qui est imago Dei, peccatum (quod mortis est regnum & uictoria) tolleret a nobis.

24 Peccatum enim excœcauit naturam humanam, ut Creatorem amplius non cognosceret, etsi opus eius, præsertim gubernationis, a longe olfaceret.

25 Quin ipsum peccatum ignorat homo, & suam cœcitatem putat esse summam sapientiam.

26 Horrendum est sane, quod ira Dei totum genus humanũ unius hominis uno peccato infectum, perditum & damnatum est.

Ira Dei.

27 Sed longe superat iræ huius magnitudinem, misericordiæ magnitudo, qua tanta persona Filius pro hominibus perditis factus est uictima.

Ratio

Ratio Dei ignorans, uidetur iuste murmurare contra Deum ceu iniquum & sæuissimum tyrannum. 28

Multi solatium hic quæsiuerunt, ad iusticiam Dei cum misericordia conciliandam, sed extra fidem incarnati Dei ratio est nulla, solatium est nullum. 29

QVi putant uitium & peccatum in natura hærere, quod sit ex nihilo facta, parum absunt a contumelia Creatoris, cum tale non sit in Angelis, sole, stellis & toto cœlo &c. 30

Qui cogitauerunt Animam ex traduce esse, uidentur non penitus aliena a Scripturis sensisse. 31 *Animã ex traduce esse.*

Imo facilius defendent propagationem originalis peccati, quam ij, qui aliter sentiunt, cum (Augustino autore) peccatum originale etiam impietas sit. 32 *Augustinus.*

Augustinus fatetur sese ignorare, utra sententia certior & uerior sit, nec fuit hactenus, qui eam quæstionem determinauerit. 33

Nam quod Hierony. sequuntur alij ex Psal. XXXIII. Qui finxit singulatim corda eorum, nihil ad rem facere, satis patet. 34 *Hieronymus.*

Determinationes uero Papæ & suæ Synagogæ, pro exterminatione seu execratione, iustissima causa habemus. 35

Neq; enim ius, neq; facultatem habet in doctrina fidei quicquã decernendi, aut in Ecclesia Dei aliquid faciendi. 36 *Papa non habet ius decernendi in doctrina fidei.*

Ius non habet, quia uocatus non est, neq; a Deo, neq; ab hominibus, sed propria temeritate sese intrusit idolum & abominatio. 37

Facultatem non habet, quia Bestia indoctissima, & uenter surdus ad Scripturam sanctam est, sicut asinus ad lyram. 38

Nec ferendus est in Ecclesia Pythagorismus ille, Ipse dixit, quo solo regnat Papa, sed qui loquitur sermones Dei, ut ait Petrus, hic audiendus est. 39

Igitur Papa est nullus, & omnia quæ dicit & facit, sunt nullitates ipso iure, ut ius & natura una cum uerbo testantur. 40

Melius in hac re decerneret ratio & Poeta dicens, Patrem sequitur sua proles. 41

Constat, Prolem lege communi non modo faciem, sed & mores & ingenium Parentum referre. 42

Vt nihil sit, quod dicitur, Anima intellectiua creando infunditur, & infundendo creatur. 43

Quis hoc probauit, aut quis prohibebit simile posse dici, de omni alia Anima? 44

Et difficiliorem facient quæstionem, Quomodo Deus non sit iniquus, qui animam puram copulet carni, & ab extrinseco polluat. 45

Quamuis

46 Quamuis istam rem sine periculo Christianus ignoret, cum S. Augustino & uniuersa Ecclesia.

47 Abstinendum tamen est ab ea temeritate, quæ uergere possit in contumeliam Creatoris.

48 Cum certum sit, Deum etiam Angelos ex nihilo creasse, uicturos æterna uita sine corruptione.

49 Quæ difficultas Deum moretur, ne animam intellectiuam tum ex nihilo, tum ex semine corrupto possit educere?

50 Sicut spicam uredine uitiatam educit ex grano uitiato, ut & multa alia uitiosa ex uitiosis proueniunt.

ARTICVLI RELIGIONEM FIDEMQVE Papisticam respicientes,

A Magistris nostris eximijs Louauiensis Vniuersitatis editi.

DECANVS ET FACVLTAS Mateologorum Louaniensium omnibus Papisticæ doctrinæ studiosis S.

MAgnas quotidie uires in his Regionibus accipit hæreticæ pestis contagium, ac nisi occurratur, futurum prospicimus, ut hic breui plena sint omnia, non solum Lutheranorum, Oecolampadianorum & Anabaptistarum, sed istorum etiam, qui nuper adhuc obscuris nominibus emergere cœperunt, Nec dici potest, quanto studio teneantur multi clanculum monstra ista alendi.

Quare pro officio, quod in ecclesia Dei gerimus, uerbis paucis complexi sumus Articulos certos dogmatum, quæ propter hæreses dictas, ualde expedit hoc tempore a bonis & catholicis Concionatoribus populo (nam populi causa operam hanc suscepimus) exponi, fideliterque & diligenter explicari, Quos quidem Articulos aliquando fusius, pauloque altius repetitis principijs, ampliare exponereque potuissemus, uerum hoc necessarium nobis uisum non est, Quin imo utilius fore credidimus, si quam simplicissime proponerentur, ad captum etiam imperitissimorum.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

REdendum est septem esse Ecclesiæ sacramenta à Christo instituta, quæ sunt, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo & Matrimonium. Per quæ quamuis externa & coporalia signa, Deus inuisibiliter, siue per bonos, siue per malos ministros, nostram salutem operatur. 1

Baptismus ad salutem omnibus est necessarius, etiã Infantibus, per quem peccata plene tolluntur, & fiunt filij Dei, ac hæredes uitæ æternæ: nec unquam est iterandus. 2

Pœnitentiæ Sacramentum (quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium) complectitur Contritionem, Confessionem, & satisfactionem. 3

Contritio, est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi, non autem (ut quidam hoc seculo perniciose docent) terror conscientiæ, propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum, Præparat tamen hic terror & gehennæ metus, ad ueram animi contritionem. 4

5

Confessurus diligentiã legitimam adhibere debet, qua sacerdoti iudici suo, manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab eis per illum absoluatur, cuius absolutionis minister est solus sacerdos, secundum Ecclesiæ ritum consecratus. 6

Satisfactio, est persolutio pœnæ, pleruncp adhuc debitæ, remissa iam culpa. Nam omnem pœnam peccato debitam semper condonari culpa remissa, erroneum est, & Scripturis sacris aduersatur.

Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest male & cum gratia Dei bene agere, & post mortale peccatum admissum, Deo adiuuante pœnitere, & peccatorum remissionem consequi. 7

Ad iustificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certò credimus Christum Ihesum Dei filium, nobis propiciatorem a Patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua nullis nostris operibus, nullacp pœnitentia, iustificatio obtineri potest, sicut nec fide sola sine pœnitentia & proposito uiuendi secundum mandata Dei. 8

Fides qua quis firmiter credit, & certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, secp possessurum uitam æternam, nullum habet in Scripturis testimonium, imo eisdem aduersatur, Etiamsi firma & certa spe expectare debemus in hac quidem uita, per Sacramentum baptismi & pœnitentiæ, peccatorum remissionem, In seculo autem futuro, uitam æternam. 9

Itacp, quamdiu inter hostes nostros, & aduersarias potestates hic uiuimus, nulla nobis est securitas, sed cum timore & tremore, iuxta sententiam Apostoli, nostram salutem operari debemus. Et secundum uarias animorum nostrorum affectiones, nunc magis sperare, nunc magis timere, simpliciter tamen magis & frequentius de misericordia Domini sperandũ est, quam formidandum de seueritate. 10

Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria, & cum ex fidei & charitatis spiritu proficiscuntur, ita grata sunt Deo, ut eis tanquam iustam mercedem uitam retribuat æternam. 11

Confirmatio & extrema Vnctio sacramenta sunt a Christo instituta, sed non 12

ſed non ut duo præcedentia ad ſalutem neceſſaria, ex contemptu tamen illa omittere, mortale peccatum eſt.

13 In euchariſtiæ Sacramento eſt re ipſa uerum corpus Domini noſtri Iheſu Chriſti, illud ipſum, quod de Virgine natum, & in cruce paſſum eſt.

14 In Euchariſtia non manent panis & uinum, ſed hæc in Corpus & ſanguinem Chriſti admirabili potentia uerbi ipſius ſunt conuerſa, manentibus tantum panis uiniq; ſpeciebus. Vnde certa fide tenendum eſt, ſacram Euchariſtiam ſancte a nobis adorari, ſiue in Miſſa, ſiue extra Miſſam, ubicunque repoſita fuerit, aut quoties in ſupplicationibus publicis a Sacerdote circumfertur.

15 Non eſt laicis neceſſaria ad ſalutem Communio ſub utraq; ſpecie, iuſtisq; de cauſis ab Eccleſia ſancitum eſt, ut illis ſub una tantum panis ſpecie Sacramentum communicetur, in quo carnem & ſanguinem, atq; ita totum Chriſtum ſub una ſpecie ſumunt.

16 Sacrificium Miſſæ ex inſtitutione Chriſti, tam uiuis prodeſt, quam defunctis.

17 Solis Sacerdotibus ſecundũ Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt a Chriſto poteſtas conſecrandi uerum corpus Chriſti & ſanguinem.

18 Matrimonium contractum & conſummatum inter Chriſtianos, eſt indiſſolubile, qualiſcunq; fiat alter coniugum, ſiue adulter, ſiue ſterilis, ſiue hæreticus.

19 Nunquam licet Chriſtiano poſt diuortium contrahere matrimonium, uiuente eo, cum quo prius legitime contraxerat.

20 Matrimonia contracta contra Canones ipſa dirimentes, ſimpliciter ſunt irrita & nulla.

21 Firma fide tenendum eſt, unam eſſe in terris uerã atq; catholicã Chriſti eccleſiã, eamq; uiſibiẽ, quæ ab Apoſtolis fundata, in hanc uſq; noſtram ætatẽ perdurans, retinet & ſuſcipit, quicquid de fide & religione tradidit, tradit & traditura eſt cathedra Petri, ſuper quam ita a Chriſto ſuo ſponſo eſt ædificata, ut in his, quæ fidei ſunt & religionis, errare non poſſit.

22 Extra hanc nulli ſperanda eſt ſalus, ſuntq; extra eam hæretici, ſchiſmatici & excommunicati, Vnde uehementer formidanda eſt excommunicatio, nec humana, ſed diuina eſt excommunicandi poteſtas.

23 Vnus eſt Eccleſiæ ſummus Paſtor, cui omnes obedire tenentur, ad cuius iudicium controuerſiæ, quæ ſuper fide & religione exiſtunt, ſunt referendæ.

24 Summam hanc præpoſituram primus omnium geſſit S. Petrus, uerus Chriſti in terris uicarius, & totius familiæ eius Paſtor. Poſt Petrum uero ex Chriſti inſtitutione omnes deinceps Pontifices, Petri in cathedra ſucceſſores.

25 Certa fide tenenda ſunt, non ſolum quæ ſcripturis expreſſe ſunt prodita, ſed etiam quæ per traditionẽ eccleſiæ catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei & morum negocijs per cathedram Petri, uel per Concilia generalia legitime congregata.

26 Conſtitutiones eccleſiaſticæ de ieiunijs, feſtis, & abſtinentia ciborum, alijsq; multis, obligant in conſcientia, etiam extra caſum ſcandali.

27 Recte fit in Eccleſia, quod Sanctos in cœlis cum Chriſto agentes ueneramur & inuocamus, ut pro nobis orent, quorum etiam meritis & interceſſione, Chriſtus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa in terris operatur.

28 Quapropter ſancte & religioſe faciunt, qui loca eis dicata, una cum ipſorum reliquijs religioſa pietate uiſitant, & hoc modo ab ipſis opitulationem quærunt.

Gratus

Gratus est etiam Deo imaginum usus, recteq; coram eis procumbimus, inuocaturi Sanctos, quos repræsentant. 29

Firmiter credendum est, post hanc uitam Purgatorium esse animarum, in quo soluitur pœna peccatis adhuc debita, Eisdem tamen subuenitur, sacrificio altaris, oratione, ieiunio, eleemosyna, alijsq; bonis operibus uiuorum, sicut & indulgentijs, quo citius ab ea liberentur. 30

Animæ defunctorum purgatæ, mox regnant cum Christo in cœlis, & animæ impiorū hinc migrantes, sempiternis inferni traduntur supplicijs. 31

Recte uota Deo facimus, tam monastica quam alia, & facta obligant apud Deum, nec aduersantur libertati Euangelicæ, quæ a peccatis libertas est, & ijs quæ spiritum nostrum quoquo modo impediunt, quo minus totus Deo seruiat, non autem a uoti uel iuramenti obligatione, nec ab obedientia magistratus ecclesiastici uel secularis. 32

ERgo quod unum nostræ Facultatis est, mandamus Theologiæ studiosis omnibus, quacunq; ratione nobis subiectis, & in posterum subijciendis. Primum, ne quid usquam doceant aut profiteantur, quod dogmatibus his contrarium sit. Deinde, ut eadem fideliter, cum locus & occasio postulabit, tueantur & explicent ad ueteris & orthodoxæ fidei custodiam & ædificationem Christiani populi. Si qui uero contraria, eos pro modo Facultatis nostræ omnino punire decreuimus.

Anno a natiuitate Domini M. D. XLIIII. mensis Decemb. die sexta, Facultas Theologiæ congregata per iuramentum in Collegio Theologorum super Articulis præcedentibus, probauit hos articulos sub forma, qua scripti sunt. Sic subscriptum de mandato dominorum Decani & Facultatis.

Iudocus de Langhenhoue Notarius subscripsit.

CONTRA XXXII ARTICVLOS LOVANIENSIVM Theologistarum.

MARTINVS LVTHER DOCTOR Theologiæ uocatus.

M. D. XLV.

Qvicquid in ecclesia Dei docetur sine Verbo, mendacium & impietas est. 1

Si idem pro Articulis fidei statuitur, impietas & hæresis est. 2

Cui si quis credit idolatra, Diabolum pro Deo colit. 3

Stat sententia S. Pauli, Doctrinas hominum auersari ueritatem. in.

Google

5 Et ubi non est promissio, ibi fides non esse potest, siquidem & bona opera, si in fide uerbi non fiunt, Deo non placent.

6 SEptem esse Sacramenta sine uerbo asseritur ab hæreticis & idolatris Louaniensibus.

VII. Sacramenta.

7 BAptisma est Sacramentum tam adultis quam infantibus dandũ, ad remissionem peccatorum & salutem æternam.

Baptismus.

8 Doctrina tamen synagogæ Louaniensium de baptismate, est damnanda ut hæretica.

9 Hæreticum damnamus spiritum Anabaptistarum, ut qui propter hominum uitia uel indignitatem damnat uerum baptisma.

Spiritus Anabaptistarum.

10 Sic enim & Magistratum (imo & ministeriũ uerbi) liceret damnare, propter peccatum uel indignitatem personæ, quod est seditiosum.

11 Stulta est consequentia, Baptisandus non credit, uel non est dignus, Ergo baptisma datum est nullum.

12 Etiam si antecedens huius consequentiæ in infantibus sit falsissimum & temerarium.

13 Certum est tamen, Magistrollos nostrollos neque hanc neque ullam aliam Sectam confutare posse, doctrina & eruditione Scripturarum.

14 Ideo compendio confutant, scilicet ferro & igne, cæde & sanguine ciuium, sicut scriptum est, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

15 Hæc sunt arma militiæ eorum spiritualia, ut non sit necesse in Scripturis sese exercere, sed liceat indoctissimos Sophistas manere.

16 In Eucharistia sacramento uenerabili & adorabili est, & exhibetur & sumitur uere, & re ipsa corpus & sanguis Christi, tam a dignis quam indignis.

In Sacramento uere sumitur corpus & sanguis Christi.

17 Explodenda tamen & abominanda est doctrina Nostrollorum Louaniensium in usu huius sacramenti, cum sit prophanationis, hæresis, idolatriarum plenissima.

18 Ad digne percipiendum necessaria est fides, qua firmiter creditur promittenti Christo remissionem peccatorum & uitam æternam, ut sunt clara uerba in Sacramento.

19 Sine causa, imo sine uerbo, mera uanitate Magistrollorum docetur transsubstantiatio panis & uini.

20 Rapere laicis alteram speciem, quibus Christus ipse totum Sacramentum dedit, est horrendissimum sacrilegium, & satanica tyrannis.

21 Hic enim maledicta lerna Louaniensium, non solum sine uerbo,

sed con-

ſed contra expreſſum mandatum Dei furit & ſæuit in rem & perſonas ſibi non ſubiectas.

Non eccleſia Dei hoc ſanxit, ut mentitur furor Louanienſium, cum Laici maior pars eccleſiæ hanc uim ferre cogatur a colluuie peſſimorum hominum, & pauciſſima parte Eccleſiæ, imo nulla parte Eccleſiæ, ſed parte omnium diabolorum. 22

MIſſam eſſe ſacrificium, ſine uerbo docetur, & quia de Scripturis autoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur, ut ſic utar uerbo Hieronymi. 23 *Miſſam eſſe ſacrificium.*

Miſſam pro defunctis offerri, hæreticum eſt & blaſphemum, inſigniterq; mentitur lerna Louanienſium, eſſe a Chriſto inſtitutam. 24 *Miſſam pro defunctis offerri &c.*

Mortui non manducant & bibunt, cum tamen Chriſtus iubeat manducare & bibere in hac uita. 25

NEc S. Auguſtinus ſuos Libros uult æquari ſacris Literis, nec aliorum, aut ſua dicta pro articulis fidei teneri. 26 *Auguſtinus.*

Et unde diabolica iſta arrogantia Noſtrollorum in alienos ſubditos, ſcilicet Chriſti, ut nobis hominum & ſuas opiniones æquare, imo præferre audeant articulis fidei? 27

Hæreticos ſerio cenſemus, & alienos ab eccleſia Dei eſſe Cinglianos & omnes Sacramentarios, qui negant corpus & ſanguinẽ Chriſti, ore carnali ſumi in uenerabili Euchariſtia. 28 *Cingliani & omnes Sacramentarii hæretici.*

Confutationes tamen Louanienſium ſanguinariæ & incendiariæ, pertinent ad parricidas, non ad eruditionem, quam in ſacris literis prorſus nullam habent. 29

Quem, quæſo, articulum hæreſis illi confutarent, qui ipſi ſunt pleni & diſtenti innumeris hæreſibus, blaſphemijs & idolatrijs? 30

Deinde nihil ex Scripturis, ſed omnia ex doctrinis hominum ructant, uomunt & cacant in Eccleſiam, non ſuam, ſed Dei uiuentis. 31

Habent ergo Louanienſium furiæ Eccleſiam, habitaculum Dei, pro ſua cloaca, in quam, quaſi Domini eius, ſua ſtercora egerant, & propter illa eam occidant, O furor furorum. 32

COnfirmationem eſſe Sacramentum, ſine uerbo aſſeritur, Et ſentina Louanienſium mentitur eſſe a Chriſto inſtitutam. 33 *Confirmatio.*

Scimus bonos & pios uiros, non uoluiſſe ſententias ſuas (ut carne adhuc grauatos) pro articulis aut Sacramentis haberi, aliterq; dicturos fuiſſe ſi admoniti fuiſſent. 34

POEnitentiam cum uirtute clauium abſoluentium, Sacramentum libenter confitemur, habet enim promiſſionem & fidem remiſſionis peccatorum propter Chriſtum. 35 *Pœnitentia.*

36 Quam fidem cum negent Louanienses, sunt Apostatæ, Blasphemi, Turcis, Iudæis, Ethnicis deteriores.

37 Pœnitentia a Louaniensium synagoga tradita, scilicet quod sit contritio, confessio, satisfactio, est nulla nisi Iudæ proditoris, Saulis, & similium, desperationis machina, Ideo ut hæretica est damnanda.

38 Neqꝫ quid contritio, confessio, satisfactio, promissio aut fides sint, nouerunt, nec disci potest ex sterquilinio & cloaca Louaniensium, cum sine uerbo dicantur omnia.

39 *Liberum arbitriū.* LIberum arbitrium ad bonum est nullum, Cum gratia autem posse in bonum, hoc est Magistrolliter aliud respondere, quam quæritur in libertate arbitrij.

40 *Ritus ordinandi sacrificos missales.* RItus ordinandi sacrificos missales, id est, crucifixores Christi, est inordinatio Diaboli.

41 Ordo non est Sacramentum, sed ministerium & uocatio ministrorum Ecclesiæ 1. Corin. 12. non habet promissionem remissionis peccatorum.

42 Ea uocatio legitime fit ab Ecclesia, sine rasura, unctura et alijs laruis, humana temeritate pro rebus sacris & necessarijs, iactatis.

43 *Extrema unctio.* VNctio extrema non est Sacramentum, multo minus a Christo instituta, ut rudunt Magistri Nostrolli.

44 Impijssime & contumeliosissime contra Christum dicitur, Aliquod esse Sacramentum, & tamen ad salutem non necessarium.

45 *Matrimonium.* Matrimonium esse Sacramentum, sine uerbo dicitur, & a Magistris Nostrollis in speculo Marcolfi uisum est.

46 Est uero matrimonium creatio, donum & ordinatio diuina, sicut politia seu Magistratus.

47 In matrimonij causis, nihil habet Papa, multo minus bruta Magistrollia, statuere aut definire, sicut nec in politia, quamuis etiam pro ruditate & inscitia sua non possint.

48 *Vna ecclesia Christi catholica.* VEre una est ecclesia Christi catholica in terris, sed ad quam non pertinent hæretici & idolatræ Louanienses, cum suo idolo abominabili Papa.

49 Cacolyca uerius est ecclesia Papæ & Magistrollorum, ecclesiæ Christi sanguinaria aduersatrix & uastatrix.

50 Necesse est Louanienses esse crassissimos porcos Epicuri, & prorsus atheos, qui sine timore tanta impudentia mentiuntur & blasphemant, in conspectu Dei & hominum.

51 Testis est illis sua ipsorum conscientia, Papatum non modo sine uerbo, sed & contra uerbum esse, Ecclesiæ inuectum.

Quin

Quin & res ipsa simul testatur, nunquam fuisse Papam totius Ecclesiæ caput, quod tam impudenter asserunt Liripipia Louaniensium. 52

Ea, quæ articulo xxi. cum sequentibus octo, dicunt, sunt perfecte Marcolfica, nec nisi in speculo Marcolfi uisibilia, simul tamen blasphema & idolatrica. 53

DE animabus & purgatorio, hui quam certi sunt Magistri nostrolli, ut qui heri de cœlo lapsi, & nuper ab inferis reuersi sunt. 54

Quia semel Scripturis abiectis, sibi licentiam sumpserunt somnia & uanitates humanas in articulos fidei transmutandi, nullum inueniunt modum neque finem articulorum. 55

VOta præcipue monastica & cælibatus sine mandato & uerbo per homines inuenta, barathrum sunt perditionis. 56 *Vota Monastica.*

Tum res ipsa, quæ mouetur, fucus & hypocrisis est, unde fructus secuti tali religione dignissimi, qualis est pudicitia, sanctitas, pietas Romanæ sedis & Collegiorum. 57

Vt castiora sint inuenta lustra Ganeonum & fornices meretricum, quam sint Romanæ Sodomæ, & Collegiorum Gomorræ. 58 *Castitas Papistarũ.*

Paupertas quam uouent, est rapina orbis terrarum, & opes mundi, sicut scriptum est, Ecce peccatores abundantes in seculo obtinuerunt diuitias. 59 *Votiua paupertas.*

Atque has non haberent, nisi hæretici idolatræ, & blasphemi uentres essent. 60

Obedientia est, facere quod libuerit, præsertim si sit Magister noster, hic etiam Ecclesiæ dominus est, & Reges serui eius. 61 *Obedientia.*

Libertatem euangelicam S. Petrus & Paulus intelligunt non tantum a peccato & morte, sed etiam ab oneribus legis diuinæ per Mosen traditæ, multo magis a stercoribus traditionum & opinionum humanarum. 62 *Libertas Euangelica.*

Sed quia non fuerunt Louanialiter Liripipiati, & Marcolfum Nostrollorum nescierunt, ideo sunt iure hæretici ab halma Facultate adhuc declarandi. 63

FIdes, qua quis statuit sibi remitti peccata propter Christum, est in omni Sacramento & uerbo necessaria. 64 *Fides Christi.*

Quod autem alma Vaccultas Louaniensium dicit, Scripturas ei aduersari, nimis subtiliter & magistraliter dicitur. 59

Significat enim hoc loco, Scriptura, illas tres sacramenta magistrollica, Birretum, Talarem, Liripipium. 62

67 Illa enim Scriptura aduersatur eiusmodi fidei, & huius Scripturæ sunt ipsi Magistri, ex qua etiam omnes istos xxxij. Articulos sumpserunt & concluserunt.

68 Fortasse malunt sibi peccata remitti incredulitate, propter Beelzebub principem Dæmoniorum.

69 Hic aperte uidemus, Louanienses bestias simpliciter abiecisse Christianam religionem, & ex corde esse perditissimos paganos.

70 Vnum hoc recte faciunt, quod sibi (abiecto Christo) ne omnino sint athei, nouos Deos fingunt, & mortuos inuocant, Sanctos, non sanctos, nihil refert eorum.

71 Vt qualis est populus, tales habeat Deos, iusto iudicio Dei, cuius uerbum contemnunt, & blasphemant.

72 Hic cum Elia libet illis illudere, Clamate uoce maiore, sunt enim Dij, orationem habent, res agunt, aut peregre profecti, aut certe dormiunt ut excitentur.

73 QVam turpiter & æterna labe dedecorant Cæsaris Caroli tot populorum Principis clarissimum nomen, & suum seculum, cum prætexunt eum confirmasse tam sacrilega & satanica portenta eorum.

74 Non est Regum aut Principum etiam ueram Doctrinam confirmare, sed ei subijci & seruire, ut Psal. 2. dicitur, Et nunc Reges intelligite, erudimini Iudices terræ.

75 Multo minus illorum est, impia, blasphema, idolatrica dogmata confirmare aut tueri, imo contra illis cum Ecclesia resistere & damnare.

76 Disce ergo frater Christiane ab exemplo miserrimo Louaniensium, cauere ab hominum doctrina, & diligentius incumbere sacris literis.

FINIS.

CATA.

CATALOGVS
SINGVLARVM PARTIVM,
quæ in hoc primo Tomo continentur.

ANNVS CHRISTI
M. D. XVII.

ANNVS CHRISTI
M. D. XVIII.

CONVENTVS
AVGVSTANVS
Anno M. D. XVIII.

Epistola

CATALOGVS FOLIO

ANNVS

ANNVS CHRISTI
M. D. XIX.

ANNVS CHRISTI
M. D. XX.

Epiſtola

Hanc notã ✠ Vbicunq; reperetis in Catalogo, scias illud Scriptum iam primum edi &c.

ERRATA.

Folio 44. a. in margine, lege Extrauagans Clementis V.
Folio 45. b. in margine lege siluestri pro siluestro.
Fol. 51. a. Parag. ult. uersu 6. fuit, lege facit.
Fol. 385. a. parag. primo, uersu 5. lege, tecum unum in Christo.
Fol. 385. b. parag. primo, uersu 4. pro signo, lege sigillo.
In quibusdam Exemplaribus Fol. 554. b. uersu 7. pro Se pruch/ lege Sein spruch.

VATICINIVM

REVERENDI PATRIS D. M. L.

Autoris manu propria scriptum, quod post obitum ipsius in Bibliotheca eius repertum est, per eos, qui ad inquirendam illam, ab Illustrissimo Electore Saxoniæ, Iohanne Friderico primo, missi fuerunt.

Deest tempus, olim prædictum, quod post reuelatum Antichristum essent futuri homines, qui sine Deo uiuerent, unusquisque secundum suas concupiscentias & illusiones. Nam Papa quidem fuit Deus supra Deum, nunc sine Deo omnes agere uolunt, Papistæ omnium maxime, Nam illi nullas leges amplius uolunt. Nostri cum a legibus Papæ liberi sint, uolunt etiam a lege Dei liberi esse, nihil nisi Politica sequi, sed sic, ut sub illis quoque pro libito sint.

Sed dum nos fingimus illos abesse longe, de quibus talia prædicta sunt, nos ipsi sumus, qui facimus talia, sicut Iudæi finxerunt & fingunt longe alios esse, qui Christum suum promissum repudient.

Ex ijs sunt, qui diem hominis desiderantes, ut in luce hominum glorientur & exultent, nobis cœperunt Decalogum quoque ex Ecclesia deturbare, ut iuxta Petri Prophetiam, secundum proprias concupiscentias ambulent, & securi sine timore Dei agant. Hos Antinomos uocamus, inter quos est M. Isleben, contra quem &c.

Hic deest aliquid, fortassis, Antea priuatim et publice monitũ, scripsimus & disputauimus.

Et de Papistis quidem nihil solicitus sum, Nam ne ipsi quidem Papam ex animo colunt, nisi quod odio nostri uolunt illi adulari, ut ditescant & potentes fiant, donec sint Papæ misero formidabiles colendi & adorandi, Tanta est fiducia eorum sub nomine & negocio Lutherano: Sentientes, quod Papa ipsorum ope indigeat. Certe ego sum persuasus, Papam facilius nos laturum, quam ipsos suos Adulatores, si ad iudicium res ueniret, Denique ego pro mea persona ausim promittere, rursus me futurum Papistam talem, qualis fui ante defectionem, si ipsi Adulatores eius, primo tales fieri uellent, post tantas defensiones Papæ, Sed hoc esse impossibile uideo.

Vnde non parua consolatione cõfirmor, dum uideo Adulatores Papæ atrociores esse Insidiatores eius, quam ego fuerim hostis, & prope miseret me miseri, sed meriti Papatus, quod a falsis amicis plus

plus est ei periculi, quam a me uero hoste. Sicut a nostris quoque mihi est plus negocij & periculi, quam ab ipso toto Papatu, qui posthac nihil poterit contra nos. Adeo uerum est, Regnum, si destruendum est, non externis, sed suis uiribus destruitur. Romana res mole ruit sua, corpus magnum. Populumq; potentem, In sua uictrici conuersum uiscera dextra.

IENÆ
EXCVDEBAT
CHRISTIANVS RHODIVS

ANNO M. D. LVI.

Digitized by Google

Digitized by Google